






IN ROMANAS ET GRÆCAS GRÆVII ET GRONOVII ANTIQUITATES SUPPLEMENTA.

TOMUS II.

NOVUS THESAURUS ANTIQUITATUM ROMANARUM,

CONGESTUS

AB

ALBERTO HENRICO DE SALLENGRE,

CELSISSIMORUM AC PRÆPOTENTIUM FOEDERATI BELGII ORDINUM REI ÆRARIÆ QUATUORVIRO, NEC-NON SERENISSIMÆ PRINCIPIS ARAUSIONENSIS CONSILIARIO.

TOMUS SECUNDUS.

Cum figuris æneis.



VENETIIS,
Typis JO: BAPTISTÆ PASQUALI.
M. DCC. XXXV.
SUPERIORUM PERMISSU.

LECTORI BENEVOLO
S. P. D.
A. H. DE SALLENGRE.


IN secundo hoc Novi Thesauri Antiquitatum Romanarum Tomo principem obtinet locum ANDREÆ CIRINO, *Clerici Regularis Messanensis*, *Variarum Lectionum de Urbe Roma ejusque conditore Romulo Liber singularis*, Panormi typis excusus Anno 1665. in Folio. Continetur hoc Opus capitibus LIX. in quorum decem prioribus præcipue agitur de Urbe Roma, de ejus etymo, ac genuino nomine & numine; deinde inquiritur Roma cur Urbs dicta sit; an Æneas vere Italiam petierit, & Romæ nomen indiderit; num Roma fuerit quadrata vel figuræ circularis, Romuli quoque & Remi parentum series a Troja exstructa & collapsa evolvitur, ac postremum tota Romuli vita accurate expenditur. Varia certe eruditionis copia eminet in hoc Libro, quamvis desit lucidus ordo, & concinna rerum connexio, nonnulla etiam occurrant variis in locis bis vel ter repetita, ut facile crediderim Auctorem morte præventum Opus suum expolire non potuisse; sed ab Amicis, quale in schedis repertum, fuisse editum. Textum typothetarum incuria mire depravatum innumeris in locis restitui; Auctorem etiam in nonnullis, ubi hallucinatus erat, paucis confutavi. Multis Græcorum Auctorum locis, quæ Latine refert, Græca adjungi ut plurimum curavi. Hunc autem Librum rarissimum esse exinde constat, quod cum Clarissimus Grævius (ut ex Privilegio præmisso Thesauri sui Tomo primo patet) illum iterum typis mandare constituisset, fidem, Opere frustra ubique conquisito, liberare non potuerit. De Cirino autem, ejusque Operibus tam editis quam ineditis vide Mongitoris *Bibliothecam Siculam Part.* 1. *p.* 28. Josephum Silos *Hist. Cleric. Regul. Part.* 3. *p.* 527. & in *Analectis Epist.* 100 *p.* 274. & *Inscr. par.* 71. *p.* 203. Franc. Mariam Magium in *Præfatione* ad Librum Cirini *de Urbe Roma*, & in Libro, *Proposita bene moriendi prop.* 26. *p.* 194. & Placidum Reinam *Histor. Mess. Part.* 2. *p.* 501.

Sequitur celeberrimi CLAUDII SALMASII *de Secretariis Dissertatio* nunc primum edita, & ad me transmissa favore R. P. *Oudini* e Societate Jesu, eloquentiam Divione profitentis Eruta est hæc ex Bibliotheca non incelebris in eadem urbe Jurisconsulti *Jacobi Augusti de Chevanes*. Scripsit Salmasius eruditam hanc Dissertationem ad amicum suum Christophorum Justellum Regi a secretis. Quod ad ipsum nomen attinet Secretarii, Veteribus usitatum non fuit, ne quidem medii ævi Latinis Scriptoribus, qui a secretis eos solent appellare; unde & Græci posterioris Imperii vocem formarunt Ἀσηκρῆτις. Latini Secretaria proprie dixerunt loca, in quibus consessus Judicum habebatur, ac judicia reddebantur. Erudite dein Salmasius de Notariis, Scribis, Librariis, Cancellariis, Referendariis, aliisque differit, qui maxima

pro parte iidem ſunt cum iis, quos hodie Secretarios vocamus. Plura hac de re vide apud *Jacobum Gutherium* in præclaro ejus *de Officiis Domus Auguſtæ* Opere, cap. 7. 8. & 9.

OCTAVII FERRARII *De Pantomimis & Mimis* elegans *Diſſertatio* a nobis prætermitti minime potuit, præſertim cum cætera Ferrarii, quæ ad Romanam Antiquitatem ſpectant, jam in *Theſauro Græviano* exſtent; invenies enim in Tomo VI. ejus *de Re Veſtiaria* libros VII. nec non *Exercitationes ad Alberti Rubenii Commentarium de Re Veſtiaria*, item in XII. Tomo Diſſertationem *de Veterum lucernis ſepulchralibus*. De Ferrario nihil dicam, cum ejus Vita a *Cl. Joanne Fabricio* exarata ſit, ac præmiſſa Ferrarii *Operibus variis*, quæ Anno 1711. *Wolffenbutteli* prodierunt. Qui taciti ſola ſaltatione ac geſtu omnia, quæ a Tragœdo canebantur, exprimebant ac repræſentabant, Græca voce *Pantomimi* dicti ſunt, quaſi omnium imitatores. Omnis ergo eorum ars ac virtus, motu corporis, pedum agilitate & geſticulatione, quæ in ſcena canebantur, ita imitari & exprimere, ut muti intelligerentur, &, ut ſic dicam, ſpectatorum oculi audirent. Quomodo autem hoc fieret, difficile explicatu eſt, quia nulla artis ejus veſtigia ad nos, aut admodum tenuia pervenerunt. Quæ autem hac de re ſcripſerunt Veteres, erudite collegit Auctor. Præter Pantomimos & Mimi fuerunt dicti quidem & illi ab imitando, ſed in hoc ab iis diverſi, quod non ſaltatione ac geſtu, ſed voce ac verbis res ridiculas in ſcena repræſentabant, ut meretricem, mœchum, lenonem, avarum, virum ebrium, qui comiſſatum eat ad amicam, hortorum furem, Medicum peregrinum ægris præcepta dantem, & ſimilia. Quæ omnia in ſecunda hujus Diſſertationis parte pertractantur.

Simile omnino argumentum exhibet NICOLAI CALLIACHII *De ludis Scenicis Mimorum & Pantomimorum Syntagma poſthumum*, quod e tenebris erutum recenſuit ac Præfatione auxit *Marcus Antonius Madero*, Venetæ D. M. Bibliothecæ Curator, *Venetiis* Anno 1713. in 4. Auctoris Vita & Operis recenſio in Editoris continetur Præfatione. Conſtat Opus ſexdecim capitibus, in quibus omnia, quæ ad Mimos & Pantomimos ſpectant, fuſe, ſummaque cum eruditione & judicio deducuntur, nec non varia de Scena, & ejus partibus, de Scenarum mutatione, & Ludorum Scenicorum ortu & incrementis expenduntur. Finis deſideratur hujus Operis ab Auctore non omnino abſoluti.

Sequentes duas JOANNIS ANTONII ASTORII *Diſſertatiunculas* hic poſitas vides, ne Schedarum pereuntium vicem ſortirentur, dignæ cum ſint meliori fato Viſitur Venetiis in ædibus Grimanis monumentum humanam faciem exhibens cum hac Inſcriptione,

BONO DEO
BROTONTI

de qua in priori Diſſertatione agit Auctor. Legendum vero cenſet BONO DEO BRONTONTI, id eſt, *Jovi Tonanti Deo domeſtico ſacrum:* quod variis inſcriptionibus illuſtrat. Secunda verſatur circa antiquum *Alcmanis Poetæ Laconis* monumentum nuper e Græcia allatum.

Elegantem *de Diis Cabiris* Dissertationem edidit Auctor Venetiis 1702. in quo argumento deinde etiam elaborarunt clarissimi Viri, Hadrianus Relandus, & Thomas Guthberletus.

JACOBI ANDREÆ CRUSII, *de Nocte & nocturnis apud Veteres Officiis*, *Commentatio* hic denuo excusa est secundum editionem, quæ Bremæ prodiit Anno 1660. 12.° multo enim auctior est priori, quæ in eadem urbe Anno 1652. edita est, sub hoc titulo, *Disquisitio de nocte ejusque divisione, commodis & incommodis nocturnis, &c.* Nec sane spernenda est hæc Dissertatio, in qua diligenter congessit Auctor quæ de nocte & nocturnis officiis passim, & imprimis apud veteres Scriptores, leguntur. Multa etiam quæ ad Romanos pertinent reperiuntur. Romani quomodo noctem diviserint, & quando Horologia apud eos usitari cœperint, docetur. Variæ de Horologiorum ortu apud Romanos Scriptores opiniones referuntur. Romanos noctem rebus gravioribus expediendis destinasse ostenditur. Testamenta enim noctu quandoque signabant, transactiones quoque noctu fiebant. Dictator utplurimum nocturno tempore creatus est. Observat deinde Auctor Triumviris commendatam fuisse curam actionum nocturnarum, intervenisse etiam nonnunquam Ædiles, furem nocturnum impune licere occidere secundum legem duodecim Tabularum, noctu Romanos aliquando jus dixisse, sed raro, Magistratibus enim Romanis vespertino tempore in publico esse inconveniens erat. Quinimo Senatusconsulta post Solis occasum facta irrita censebantur. Noctu Romæ celebrata fuisse Bacchanalia, etiam funera elata constat. De nocturno autem judicio consule Car. Bretum *de Ordine Judiciorum Civilium* libro I. cap. VII. In hoc autem Opere merito vituperandum est, quod sæpius a proposito digrediatur Auctor, & nonnulla vel nimis trita vel levioris momenti referat.

PETRI BERTII, Geographi & Professoris Regii, *de Aggeribus & Pontibus hactenus ad mare exstructis Digestum novum* debetur obsidioni Rupellensi: nam ex occasione aggeris, quem in portu Rupellano ad impedienda Anglorum auxilia struxit Cardinalis de Richelieu, publici juris fecit ea quæ de Aggeribus & Pontibus in mari structis erudite digesserat, Regique Ludovico XIII dicavit Anno 1629. non diu post expugnatam Rupellam. Natus hic Beveris Flandriæ occidentalis pago, Anno 1565. post multas peregrinationes Lugdunum-Batavorum petiit, ibique in Professorum numerum adscitus est, diuque illic commoratus, tandem Lutetiam commigravit, & in eadem urbe ad Ecclesiæ Romanæ societatem admissus, docuit utramque Linguam Becodiano in Gymnasio, edita Oratione, qua mutatæ patriæ Religionisque causas exponit. Nec diu ultimo suo de Aggeribus Pontibusque fœtui superstes fuit, diem enim supremum obiit eodem Anno 1629. v. Nonas Octobris, testante Valerio Andrea in *Bibliotheca sua Belgica*, ubi plura de Bertio ejusque Operibus leges. Recensentur in hoc Opere, Pons Darii, Hystaspis F. Persarum Regis, ad Bosphorum Thracium; Pons Xerxis ad Hellespontum; Agger Alexandri Magni ad Tyrum; Pyrrhi, Epirotarum Regis, ac postea M. Varronis Pons inter Hydruntem Italiæ & Apolloniam Græciæ; Moles Scipionis Africani ad mare, qua Portum Carthaginiensem clau-

fit; Agger Cleopatræ, five Heptaftadium, quo Pharum Infulam junxit continenti Alexandriæ; Opera & Moles C. Julii Cæfaris ad Portum Brundufinum; Chaucorum Tumuli ad maris littus; Pons Bajanus Caligulæ Cæfaris; Maximiani Imperatoris Moles in Gallia ad Gefloriacum; nec non varii recenter exftructi Aggeres, Moles, & Pontes.

Propter argumenti affinitatem hic fubjeci Illuftriffimi Viri LUD. FERD. Comitis MARSILLI Epiftolam *de Ponte fub imperio Trajani fupra Danubium exftructo*. Exftat Italice in XXII. Tomo Libri dicti *Giornale de Letterati*; fed nunc primum in Latinam Linguam verfa exhibetur. Oftendit Auctor, Pontis Trajani magnificentiam neutiquam famæ refpondere, quinimo inter minima ferme Romanorum opera referendum effe, Dionemque inter cæteros, vel non fatis rei veritatem edoctum, vel adulationi infervientem, pofteris ftuduiffe imponere circa ftructuræ formam hujus Pontis, quam fplendidiffimam fuiffe jactat.

PAULI PETAVII, *in Francorum Curia Confiliarii*, *Antiquariæ fupellectilis Portiuncula* Parifiis prodiit Anno 1610. 4.° & raro nunc occurrit. Varia in hoc Opere Antiquitatis monumenta ad nos ufque tranfmiffa exhibentur. Egregiam rem præftitiffet egregius Auctor, fi ea fubjunctis Differtationibus explicare atque illuftrare aggreffus effet. Hanc Petavii antiquariam fupellectilem maximi olim faciebat celebris Aqui-Sextienfis Senator Nicolaus Claudius Peireskius. Edidit præterea Petavius Differtationem *de Nithardo Hiftorico*, quæ exftat in fecundo Tomo Scriptorum Galliæ, quos congeffit *Andreas du Chefne*, item *De Ephocha annorum Incarnationis Chrifti*, *de Indictionibus*, *& variis ab annis Chrifti fupputandi modis*, Parifiis 1604. 4.° Vide Colomefii *Bibliothecam Selectam* pag. 195.

P. Petavii Antiquariæ fupellectili annectitur ejufdem *Veterum nummorum* γνώρισμα, eodem anno eademque in urbe excufum. Præcipue veteres Francorum Regum nummi repræfentantur in his tabulis æri accurate incifis fecundum exemplar Parifienfe.

CAROLI BRETI, *Regis Confiliarii & in Curia fubfidiaria Regni*, *Fifci Advocati*, *de Ordine antiquo judiciorum civilium apud Romanos Commentarius* Parifiis prodiit Anno 1604. 4.° in quo tantum explicatur privatorum judiciorum ordo, quo olim ufi tum Romani, cum Athenienfes; aliud enim Opufculum, in quo publicorum ritus & folemnia exponerentur, quod a fe parari in hujus Commentarii Dedicatione profitetur, nunquam, ni fallor, typis excufum eft. Jam ante Bretum in eodem argumento defudaverat Francifcus Polletus in *Hiftoria* fua *Fori Romani*, Part. V fed nofter plenius hic rem exponit XLVIII. Capitibus, quibus Liber conftat.

HIERONYMI MAGII *Anglarienfis de Tintinnabulis Liber pofthumus*, cum Notis Francifci Sweertii F. jam fæpius excufus denuo hic fiftitur: ut & ejufdem *de Equuleo Liber pofthumus*, cum Notis Gothofredi Jungermanni. Auctoris ac Libri fatum plenius cognofcere poteris, B. Lector, ex Elogio quod ejus Operi præmiffum eft. Ingenti autem ac ftupenda fane memoria Magium fuiffe præditum conftat, qui nullis adjutus Libris, ac in fervitute Turcorum catenas ge-

geſtans, hos Libros ſcripſit, in quibus tot Auctores allegantur, illuſtrantur, vel confutantur.


F. ANGELI ROCCHÆ, Epiſcopi Tagaſtenſis, & Apoſtolici Sacrarii Præfecti, *de Campanis Commentarius*, Romæ 1612. 4. rariſſimus erat, ut jam obſervavit Cl. S. Pitiſcus in *Præfatione Lexici Antiquit. Roman. & Græc.* ideoque nova, ut ita loquar, luce dignum cenſui, licet quam plurima in illo habeantur quæ pertinent ad ritus Eccleſiaſticos. Exemplar, quo uſi ſunt Typothetæ, Pariſiis æſtate præterita mihi commodavit doctiſſimus idemque humaniſſimus Vir, R.P. le Courayer, inſtructiſſimæ Bibliothecæ Sanctæ Genovefæ Præfectus. Præter Magium & Roccham complures alii de Campanis ſcripſere, ſed nihil abſurdius excogitari poteſt, quam quæ de iis commentatus eſt Guilelmus Durantus in *Rationali Divinorum Officiorum*, lib. 1. Adeat illum qui ridere velit. Angeli Rocchæ variæ Lucubrationes exſtant, *Oſſervazioni delle bellezze della Lingua Latina da Angelo Roccha*, Venet. 1576. 8.° *Bibliotheca Vaticana a Fr. Angelo Roccha Commentario illuſtrata*, Romæ 1591. 4.° *De Sacro-Sancto Chriſti corpore Rom. Pontif. iter conficientibus præferendo Commentarius*, Romæ 1599. 4.° *De ſacra Summi Pontificis communione Sacro-Sanctam Miſſam ſolemniter celebrantis Commentarius*, Romæ 1610. 4°. *De Canoniſatione Sanctorum Comment.* Romæ 1610. 4°. *Trattato contra Giuochi delle Carte e Dadi*, Romæ 1617. *Diſcorſo Filoſophico e Theologico delle Comete.* 4°. De Angelo Roccha plura vide apud Cl. Eliam du Pin *Biblioth. Auctor. Eccleſiaſt. Tom. XVII.*

HIERONYMI BOSSII *de Toga Romana Commentarius*, Ticini prodiit Anno 1612. ac deinde Amſtelodami 1672. Ante ſe neminem extitiſſe præfatur Auctor, qui de Toga ſingulariter quidquam ſcripſerit. Sed fallitur, cum integra Aldi Manutii P. F. de *Toga Romanorum Diſſertatio* exſtet in ejus *Epiſtolicis Quæſtionibus*, Venetiis 1577. 12.° Sed eas tunc temporis nondum viderat Boſſius, ut patet Syntagmate III. *Obſervationum de Lato Clavo*, ubi eas nuper dono accepiſſe profitetur. Opus autem de Lato Clavo lucem adſpexit decem annis poſt editum *de Toga Commentarium*. Poſtea eandem materiam pertractandam ſuſceperunt Octavius Ferrarius *Rei Veſtiariæ* lib. 1. & Albertus Rubenius *Rei Veſtiariæ* lib. 11. Diſputat hic Auctor noſter primum de Toga in genere, ac deinde de ejus ſpeciebus. Variis enim uſi ſunt Romani Togis, vel una potius toga, diverſis appellata nominibus, *prætexta* ſive puerili, *pura* ſive virili, *candida*, *alba*, *pulla*, *picta*, *palmata*, *purpurea*, *pexa*, *raſa*, *vitrea*, *regia*, *præſidiaria*. Nonnunquam enim nomen accipiebant ab ætate, aliquando a colore, interdum quoque ab officio.

Subſequentes tres Boſſii Tractatus adeo erant rari ut nihil ſupra. Exſtant autem Pariſiis in Regis Chriſtianiſſimi Bibliotheca. Illinc deſcribi curavi beneficio humaniſſimi Viri Domini Tarnier, hujuſce Bibliothecæ Vice-Præfecti. Primus eſt Hieronymi Boſſii Ticinenſis *de Senatorum Lato Clavo Obſervationes Novæ-Antiquæ* in Syntagmata XIX. tributæ, in quibus veteres præcipue Lati Clavi uſus explicantur, Scriptores multi illuſtrantur, aut emendantur. Ticini prodiit hoc Opus Anno 1618. 4°. Latum Clavum fuiſſe Senatoriæ dignitatis inſigne,

nemo ignorat; ſed de ejus forma acriter olim altercati ſunt Eruditi ac in varias abierunt ſententias, quæ ad quinque capita reduci poſſunt. I. Quidam etenim affirmant Clavos fuiſſe flores intextos veſti. II. Hieronymus Boſſius non multum ab his abit, & Latos Clavos fuiſſe fibulas purpura & auro mixtas cenſet, & ad pectus adſui ſolitas. III. Tertia opinio eorum eſt, qui ajunt Latum Clavum fuiſſe tunicam purpura prætextam. IV. Quarta aſſerit fuiſſe plagulam, quæ ab humeris in pectus demittebatur. V. Quinta tandem eaque verior ſententia auctorem habet Albertum Rubenium, qui de Re Veſtiaria vel potius de Lato Clavo juſtum confecit Opus. Quatuor prædictas opiniones confutat, ac deinde probat, Clavos revera fuiſſe purpureas lineas, quæ medias veſtes interſecabant. Sed minime arriſit ea ſententia Octavio Ferrario, qui in Rubenium Analecta conſcripſit de Re Veſtiaria, in quibus affirmat, ſed perperam, Clavos fuiſſe notas purpureas rotundas, ac per totum Opus Rubenium mordicus perſtringit, & ſane duriter nimis, ut optime oſtendit celeberrimus Grævius in Præfatione Tomi ſexti *Theſ. Antiq. Roman.* in quo & Rubenii & Ferrarii Scripta exſtant. Quid autem Ferrarium punxerit, ſubjicit Grævius. Rubenii libros, cum emerſiſſent in lucem, non æquis oculis adſpexit Ferrarius, qui indignabatur in hanc meſſem, quam omnem ſui juris eſſe ſibi perſuaſerat, alium immiſiſſe falcem, aut alium eſſe qui plus ſe videre putaret in hoc argumento, quod exhauſiſſe ſe, cum in eo tot annorum, aut potius totius vitæ ſpatium conſumſiſſet, in animum induxerat. Hinc contra Rubenium edidit Analecta, in quibus totum Rubenianum Opus confodere & jugulare ſtuduit, ut ex manibus hominum iſte Liber excuteretur, & nihil uſquam exſtaret quod ejus officeret luminibus vel leviſſime.

Alter Hieronymi Boſſii Tractatus inſcribitur *Iſiacus, ſive de Siſtro Opuſculum*. Rariſſima hæc Diſſertatio in lucem emiſſa eſt Mediolani 1622. in 12°. Siſtrum inſtrumentum fuiſſe, quo Ægyptii Sacerdotes in Iſidis ſacro utebantur, apud omnes in confeſſo eſt: Romanis etiam illud in uſu fuit, nam Iſidi honores divinos decreverunt, & templum illi in Campo Martio poſuerunt, unde Campenſis Iſis appellata ab Apulejo, præterquam quod aras eidem ad Baſſiani Thermas & in Exquilina regione conſecrarunt. De figura autem Siſtri inter Eruditos non convenit; varias Doctorum ſententias in hoc Opuſculo profert ac confutat Auctor, ſuamque firmare nititur; ſic autem Iſiacum illud inſtrumentum deſcribit: Siſtrum, inquit, Crepitaculum ovale eſt, ex arguti metalli lamina factum, cujus apſis ſuperior tribus inſignitur figuris; una ſcilicet æluri humana facie in medio poſita; altera Iſidis in dextro latere; tertia Nephthyos in ſiniſtro. In ima vero ſui ipſius parte manubrium habet, quod dum concutitur, virgulæ quædam ex eodem metallo factæ forulos trajectæ, adunco utrinque cuſpide laminam ipſam percutiunt, quæ mox ſonorum edit tinnitum. Exhibet deinde Boſſius figuram, quam & hic ſubjicimus.



Multis elapsis annis post publicatum hocce Bossii Opusculum, *Dissertationem de Sistris eorumque figuris ac differentia* conscripsit D. BENEDICTUS BACCHINUS, Monachus Parmensis S. Benedicti ad D. Joannem Evangelistam, & Ephemeridibus Eruditorum Italicis, dum Parmæ fuit, celeberrimus. Cum autem quinquaginta tantum hujus Dissertationis exemplaria in Italia excusa essent, in Belgio eam prælo reddi curavit Jacobus Tollius, & etiam in Tomo sexto *Thes. Antiq Roman.* exhibetur. Optime ibi probat Bacchinus, non unam fuisse Sistrorum figuram, sed diversam pro regionum, Isiacorum opificum ac temporum genio; quod ut ob oculos inficias eunti ponat, exhibet nonnullorum Sistrorum figuras, quas in hanc rem hinc inde ex antiquaria supellectile collegit. Vides ibi Sistra anguliformia, ovalia, virgulis munita quadrilateribus, varie manubriata, virgularum numero aucta vel diminuta, pleraque omni symbolo destituta, bina, quæ ex Augustini Gemmis accepit, loto exornata. Hinc toto, ut ajunt, cælo aberrare sentit a vero, qui de hac re ita agunt, ut unius formæ immutabilis Sistrum fuisse autument, vel eodem semper ornatu effictum contendant. Bacchino igitur certissimum & verissimum esse videtur, a Bossio allatam descriptionem ita demum certissimam ac verissimam esse, si non de quolibet Sistro, sed de nonnullis intelligatur exhibita. Observat etiam figuram Sistri Bossiani ab allata descriptione in nonnullis discrepare: etenim in superiori parte haud ovalis est, sed trinos angulos efficit, æluri vero facies nullatenus ad humanam accedit. Haudquaquam silentio prætereundum est, Anonymi Epistolam de Sistro exstare in celeberrimi JOANNIS CLERICI *Bibliotheca Selecta Tom.* XVI. *p.* 163. In illa Dissertatiuncula solidissimis argumentis contra omnium Recentiorum opiniones demonstrat Auctor Sistrum nunquam fuisse instrumentum bellicum. Hinc ergo culpandus noster Bossius, qui in suo *Isiaco* obiter, sed nullis allatis testimoniis, observat, non in sacris tantum ludis, sed in bello etiam Sistrum adhibitum fuisse ab Antiquis.

Tertia denique Hieronymi Bossii Dissertatio est *Janotatius*, *sive de Strena*, Mediolani 1624. 8°. Romanos munificentiam & liberalitatem præter cæteras gentes excoluisse annotat Auctor in Præfatione. Etenim nullam occasionem benevolentiæ sibi sive conciliandæ, sive conconservandæ, officio aliquo benignitatis prætermittebant. Quamobrem nec Sociorum Amicorumve Legati Romam veniebant, quin eis *Locus & Lautia* decernerentur; nec Imperator inaugurabatur, quin *Coronarium* a Populo daretur: nec quicquam domi feliciter ipsi

Cæsari accidebat, quin *Congiarium* Populus, aut foris, quin *Donativum* milites haberent. Præterquam quod ab eodem Cæsare sæpissime variarum rerum *Missilia* in Populum jacerentur, ac simul *Tesseræ* dividerentur, modo *frumentariæ*, modo *nummariæ*, quibus exhibitis, unusquisque aut summam nummum præscriptam a divisoribus, aut farinæ mensuram quandam ab annonæ Præfecto exigeret. Non Consul, non Magistratus suæ dignitatis auspicia faciebat, quin *Honorarium* illi offerretur: non Patronum Cliens *togata Opera* deducebat salutabatve, quin *Sportulam* consequeretur. Adde his quod nec Romanis ægrotatio expers fuerit ejuscemodi officio liberalitatis, etenim convalescentibus & valetudinariis *Soteria* amici transmittebant. Unde Martialis *lib.* 12. *epigr.* 56. non invenuste jocatur in quemdam Polycarmum, qui quoties ab amicis viseretur, se ægrotum, aut quidem certe valetudinarium simulabat, ut munuscula ab eisdem sub specie Soteriorum extorqueret:

Ægrotas uno decies aut sæpius anno,
Nec tibi, sed nobis hoc, Polycarme, nocet:
Nam quoties surgis, Soteria poscis amicos.
Sit pudor, ægrota jam, Polycarme, semel.

Si quis cœna exciperetur, a Domino *Apophoreta* dabantur quæ asportaret conviva; si quis hospitio, *Xenia* præsto erant; si cujusquam dies celebraretur natalis, *Natalitia* dabantur. Ineunte etiam quolibet anno, ipsis inquam anni Calendis, *Strenam* vel præsentibus dabant, vel absentibus mittebant. Librum inscripsit Auctor *Janotatium*, quia, ut nos etiam docet in Præfatione, Strena in honorem *Jani* data fuit a Romanis & a *Tatio* Rege primum excogitata. Ante Bossium nemo ex professo de Strena scripserat. Deinde in hoc argumento versatus est MARTINUS LIPENIUS, qui *Strenarum Historiam*, a prima origine, per diversas Regum, Consulum & Imperatorum Romanorum, nec non Episcoporum ætates, ad nostra usque tempora deduxit, quam in XII. Tomum *Thes. Ant. Roman.* retulit Joannes Georg. Grævius. Nullam autem mentionem Operis Bossiani facit Lipenius, cui forte propter magnam raritatem notum non erat.

Hæc dicenda judicavi, Lector, de Scriptis, quæ in hoc Tomo continentur. In sequenti videbis GISBERTI CUPERI, Consulis Daventriensis, nuper maximo Reipublicæ Litterariæ detrimento exstincti, Exercitationes binas ineditas de Elephantis vel nummis, in quibus belluæ illæ conspiciuntur, a temporibus Alexandri Magni usque ad occasum Imperii Romani. Permultos annos huic elegantissimo Operi impenderat Auctor, illudque paulo ante mortem ad umbilicum duxerat. Vale. Dabam Hagæ Comitum IV. Idus Februarii MDCCXVIII.

SE-

SERIES SCRIPTORUM,

Qui in Tomo fecundo

Novi Thefauri Antiquitatum Romanarum inveniuntur.



AN-

ANDREÆ CIRINO,

CLERICI REGUL.

MESSANENSIS,

ANTIQUARUM LECTIONUM

DE

URBE ROMA,

EJUSQUE REGE ROMULO,

LIBER SINGULARIS.

INCLYTÆ
CŒLI REGINÆ
AUGUSTINUS BOSSIUS
D. D. D.



Ximium eximii Auctoris Opus prodire publicam in lucem cum debeat, non minimum sane splendoris fore, ut illi a tui patrocinii umbra accederet, persuasum habui, Augustissima Dei Mater, & Virgo. Tu quippe circumfusa Sole, ac non uno Sydere laureata, fieri vix potest, quin ingens in Litteratorum scriptiones derives lumen, ut niteant. Quicquid præterea vigiliarum ac studiorum cuditur, atque erudita mens mortalium parit, jure quam quod optimo inclyto tuo nomini inscribitur, tuisque sub auspiciis evulgatur. Delapsa olim Cœlo Sapientia tuo in sinu educata, tuis in ulnis lusit, lacte tuo crevit. Tu sanctior Academiarum Pallas, non e Jovis capite, sed ex ore Altissimi prodiisti, atque eruditis nunquam non ades cogitationibus. Tu Scriptorum ingenia mire excitas, stylumque exacuis ac temperas. Efflorescunt afflatu tuo lucubrationes: expoliuntur Commentaria, si ades. Eloquentia copiosius efferbuit, ubi Dei Verbi Mater faverit. Igitur, quod præclara scribentis industria ab omnigena eruditione laudatissimum ac plane luculentum Opus desudavit, accipe, sapientissima Virgo, a mea manu. Munus a Cliente tuo minimo, cum sis Cœli Regina, minime respues: & dare magna & parva accipere magnæ divinæque indolis est. Et si quid offerri grandius ac magnificentius potuit quam vetus illa Roma, quæ magnitudine, cultu, triumphis suis nostræ prolusit Romæ? Ubi vicaria Dei Majestas, Cœli fasces, Religionis auctoritas, Cortina veri, morum sanctitas, sacrorum jura, terras, imperia, mortalium fata, ac Cœlum ipsum regunt. Id modo reliquum, ut dum hæc Tibi de genu consecro, me etiam tuis pedibus advolutum, benignitate, gratiaque digneris tua; ac dum faves Libro, Typographum foveas.

AD

ANDREÆ CIRINO

COMMENTARIA

DE URBE ROMA

INSCRIPTIO.

Romani Jovis sua ab Aquila fulmina mutuantur,
Cirinus calamum.
In tanta scriptionis ac rerum mole
Generosiore uti calamo debuit.
Hoc ad Atlantem, ad Caucasum evolat:
Hoc Romanum Orbem lustrat, an illustrat?
Consepultis æternæ Urbis monumentis
Ut lucem faceret,
Non una desudat nocte:
Erutusque ab hisce tenebris priscus splendor.
Extructam Theben cithara,
Mentita est olim fabula,
Hoc verum,
Instauratam Cirini calamo Romam.
Operosum veteri Quirino tantam Urbem condere;
Eandem suo veluti e cinere in lucem revocare,
Perfacile Cirino fuit:
Assequutus nempe id est levi penna.
Nec defatigatus scribendo est,
Ubi illi amplificandæ ornandæque
Defatigata fortuna ipsa videri potuit.
Scilicet, quæ Urbs bellis, spoliis, triumphis suis
Terras obruere visa est,
Cirini ingenium non obruit.
Septicollis Urbis decora,
Et, si fas est dicere,
Laudum hanc Hydram
Exhausit stylo
Alcides melior.
Cum adrosa vetustate, ac ævo, quæ monstra!
Res illi fuit.
Rixandum etiam cum Scriptoribus,
Ac veluti cum Lerna ac tigre congrediendum.
Profligavit, voravitque hæc ardua.
Merito de Urbe Roma scripsit,
Ne longe abesset Capitolium
A triumphali ingenio.

AUCTOR
AD
LECTOREM.


OMANORUM monumenta Regum velut insigne immortalitatis, argumentum fere omnium magnanimitatis, potentiæ incomparabilis, justitiæ, ac militaris gloriæ virtutum floribus vernantium excipe, Lector humanissime; compertum quam maxime plures Romanorum Historias scripsisse habeo, & sexcentos præter hoc ævo majores novissimos recensere possem; sic Romanorum facta post fatale Urbis excidium urgent Scriptorum animos, ut inter excidiorum cineres exquirant ignem, quo eorum Nomen in Numen transeat.

Sed etsi omnes alio diversoque tramite percurrentes Veterum facta novo scribendi genere aggressi sunt enarrare; hic Fastis Capitolinis fretus, ut Sigonius ille, eorundemque Fastorum serie calculoque, ut Vinandus, alter vetustate Urbis collapsæ, ut Fulvius, vel Numinum, gestorumque potissimis quibusvis rebus, ut Rosinus & Dempsterus, sive Urbis antiquæ magnitudine, ut Manutius & Lipsius, sive ejusdem Principum serie, velut Egnatius, Pomponius Lætus, cæterique quamplures plurimorum Scriptorum veterum Scholiastes, quorum nomina decantantur in trivio, laude, ut decet, omnimoda ac censu gloriæ prædita.

At verum, ut fatear, actum me semper cæterosque peregisse puduit, ideo novum scribendi genus aggredior, & Romanorum Historias simul cum totius Orbis terrarum præclarissimis, sive Heroum gestis, sive facinoribus, ex octingentis fere Scriptorum oraculis exhibeo; hinc variarum Lectionum Titulum præferre operæ fuisse pretium in confesso est: nam ut differentiam, sive præstantiam (si lubet sic autumare) hujus scribendi generis agnoscas, qui ante me scripserunt, siccam prætexentes Historiam, non absque tædio rheda eadem usi factum, sive a Livio, sive a Tacito, vel Plutarcho, ac Dionysio relatum, tantummodo enarrarunt, cæterorum effata semel, vel unquam attingentes posthabuere: non sic ego, sed pluribus ex antiquis characteris optimi Scriptoribus congestis eadem gesta perpendi, mancam unius narrationem alterius nota supplens, & quam sæpe ex pluribus, & fere viginti, vel triginta Scriptoribus factum unum scriptitavi, unde habes Historiam juxta omne antiquitatis arcanum in nullo deficientem, ut cum unum legeris librum, omnes legisse profitearis.

Cæterum quam maxime tædet unius gentis semper gesta expendere, sicut semper eodem cibo frui, eadem semper littora percurrere, amœna flosculis iisdem vernantibus prata semper inspicere tædium usque ad nauseam sæpe impendit. Varietatem, quæ Athenæo placuit, Socrati ac Platoni dilecta, Thebano Cebeti pergrata, omnibus sive ex Stoicis, sive Cynicis, sive Peripateticis, sive Academiæ cultoribus laude excepta, & ipse huc evocare institui. Sic brevioribus observationibus quicquid enarravi, expendo, monita sapientum, Rerumpublicarum, Heroumque gesta, vatum oracula, philosophantium dogmata, sive quæ ad Philologos, sive Astronomos, sive Mathesis, vel Geographiæ, vel Meteoræ, vel Etymologiarum, vel artis Oratoriæ cultores spectant, exhibeo, ut velut quodam in voluptatis Paradiso nunc rosam, nunc lilium, violas hinc, deinde flosculos quos lubet, seligere queas, & plurimorum varie scripturientium amœnitate quadam beata fruaris.

Tandem si cupis unde mens tale argumentum scribendi habuit, præter studium, aliud ignorare mihi videor, nam annum vigesimum septimum nondum explevi, & tamen diu noctuque studio intentus præter Romulum & sex alios

Romanorum Reges uno eodemque charactere conſcriptos tibi offero; præter quos plura eadem.

Nam COMMENTARIUM IN APOCALYPSIM jam completum habeo, in quo Catenam quinquaginta Patrum collegi, præter litteræ ſive Allegoriæ ſenſum, pluribus tum ex ſacris, tum profanis, eruditionibus præditum, cui adnectere tertium, ſive moralem placuit, ut Concionatores utroque fruantur.

COMMENTARIUM IN DIVI JOANNIS EVANGELIUM, eodemque ordine in Schedulis præſcriptum habeo, tantum unius æſtatis deeſt otium, ut exhibeam, in quo totam Evangeliſtarum narrationem colligo, expendo, notiſque illuſtro, nam quæ Divus Joannes ſiluit, a cæteris deſumſi ac repoſui, ut uno in Commentario quatuor Evangeliſtas expenſos habeas.

COMMENTARIUM IN EJUSDEM DIVI JOANNIS EPISTOLAS eadem ſcribendi ſerie quamprimum exſpecta, & favente Deo poſt Omega Alpha ſuccedet, ideſt, poſt Apocalypſin Geneſim enarrare, duplici Patrum Græcorum ac Latinorum Catena præſtantem, in votis habeo ad honorem illius, qui Alpha & Omega in Apocalypſi nuncupatur.

PHILOSOPHIAM PLATONICAM præ manibus habeo, habebis & Tu eruditione forſan ſingulariter plenam; nam ex quingentis Auctoribus unam tibi exhibeo, ut, tum quoad mores ac Naturæ Arcana quod optes, in poſterum non habeas.

IN PETRONIUM ARBITRUM NOTAS præſcripſi, quas etſi tot ſapientiſſimi ex toto terrarum Orbe Scriptores præfecerunt, inter eos unum ex Sicilia tua benignitas excipiet; nova etenim homo ſemper adinvenit, nec ullus ſat feciſſe dicat, ſed magis veteres Pictores æmulabitur, qui facta imagine ſcribebant, Apelles pingebat, Zeuxis faciebat.

Tandem ANTIQUARUM VARIARUMQUE LECTIONUM Libros quamplures exſpecta.

PRÆFATIONIS SUPPLEMENTUM

DE

AUCTORIS PRÆSTANTIA,

ET RELICTIS AB EO PRÆCLARIS INGENII MONUMENTIS.



Ic olim Auctor præfari deſiit. Sed annis viginti jam elapſis, cum hoc ipſum Volumen ſecundis vigiliis expolitum & auctum in lucem ederet, antequam Romuli clades imprimeretur, & novam initio præfationem adjiceret, vivis ipſe immaturo exitu exceſſit. In tanta ergo Operis hujuſce jactura, cum illud ſuperſit, ut quæ ſcripſerit, aut ediderit, hic omnia brevi percenſeantur, operæ pretium puto, ejus vitæ ſeriem pauciſſimis indicare. Meſſanæ is, urbe nobili & illuſtri admodum genere natus, propter egregiam indolem, quam vultu ipſo præ ſe ferebat, puer in Clericorum Regularium Congregationem admiſſus eſt: adeoque litteris & eruditione profecit, eamque facultatum ſtudiis omni animi contentione navavit operam, ut librorum beluo etiam adoleſcens appellaretur: dies enim noctesque volvendis verſandiſque omnium pene ſcientiarum Scriptoribus impendebat. Sed ſcholaſticis ſtudiis & exercitationibus abſolutis, vix ſacris initiatus, concionandi ad populum facultatem accepit: quo in munere adeo felix ac promtus fuit, ut in Templis ac Oratoriis ter die quaterque nonnunquam e ſuperiori loco facile ac eruditiſſime peroraret. Panormi præſertim, ubi multos annos tanto hominum concurſu ſacrorum Voluminum hiſtorias explanavit, eoque plauſu ſemper ac fructu diebus feſtis audiebatur, ut aliquando cum finem faceret, ab univerſo conſeſſu publice fuerit acclamatum, ut ulterius ipſe dicendo progrederetur. Tanta vero memoriæ felicitate pollebat, ut quod ſemel legeret, aut pene libaret oculis, firmiſſime retineret. Acri vir judicio ac multo etiam conſilio fuit, & nullo faſtu, nulloque ſupercilio, ac tempeſtiva comitate, grataque prudentia, adeo omnibus admirationi habebatur, & cunctorum benevolentiam facile ſibi conciliabat, ut eum Dynaſtæ complurimi ſæpenumero convenirent atque conſulerent, & in Senatum graviſſimis quandoque in rebus ſtatuendis advocaretur: tantumque valuit tractandis animis, ut qui ſe illi ſemel commiſerat, non facile ad alium tranſiiſſet. Interim vero tam demiſſo animo erat, ut ne verbum quidem ipſi, quod ſaperet oſtentationem, exciderit. Omniumque domi opinio fuit, eum tot tantaque ſolum præſtitiſſe, ut ea ſatis omnia quinque non inertibus operariis eſſe poſſent. Nullam corpori relaxationem largiebatur, ac pene otium nullum. Et cum vix eſſet ullum Scriptorum genus, quod non diligenter evolveret; in tanto ſtudendi ardore, adeo habendis con-

cionibus, audiendisque sæcularibus viris, qui omni hora illum petebant, nunquam satiabatur; ut crederes, ne quidem oculos ad libros eum adjicere posse. Cum vere cibum ac somnum quotidie studio posthaberet, ex ea laborum studiorumque contentione morbum contraxit: quo paulatim ingravescente, cum totius anteactæ vitæ noxas per sacram confessionem elueret; rite a Confessario viro sane docto ac celebri interrogatus, num aliquid olim contra Castitatem peccasset? Apage, inquit: eandem corporis & animi integritatem, quam a matris utero accepi, summo Dei beneficio ad tumulum fero. Itaque sacris omnibus procuratus tanta se animi quiete ad mortem composuit, ut vere multi, qui passim aderant, intellexerint, Religiosos viros, qui aliis lucrandis incumbunt, cum vita decedunt, quasi non mori, sed placide in Domini osculo conquiescere. Ipse enim integris sensibus sese jugiter ad Dei amorem ingentibus suspiriis excitabat: & demum octavo Idus Septembris propinquam sibi mortem præsentiens; Eja, inquit, commendationis animæ signum edite: nam post mediam horam elapsam hinc emigrabimus. Pulsata campanula pro more omnes interfuere: ac lectulo circumfusi pias preces assidue ingeminabant, ut fratri opem a Deo agenti animam implorarent: qui tamen vegeto spiritu ac vultu alacri Patrum verba intime animo excipiebat. Cum vero Christi Domini Passionem ab Divo Joanne Apostolo scriptam recitari sibi propius instante morte rogasset, mirum fuit, quo animi sensu, quave dicendi copia, & vi, quodlibet ejus verbum expenderet; sed illud præcipue amantis Dei beneficio referendum, quod ad ea Passionis verba cum ventum esset, Et inclinato capite emisit spiritum, *ante sublatis in Cœlum oculis, pieque brachiis decussatis, extremo anhelitu eodem fere momento temporis, non sine omnium admiratione, animam exhalarit, inter illustres Theatinæ Congregationis viros haud immerito collocandus. Ejusque obitum communis fere luctus excepit; ac funeri ex omni ordine viri ac mulieres adfuere: adeoque populus ipso die obitus ac postridie frequens fuit, ut vix cadaver, nisi magno impetu submota multitudine, efferri posset. Cum ergo ad omne scriptionum genus prompto admodum ingenio esset, multa & varia scripsit, sed hæc edita ab eo in lucem inveniuntur.*

Variarum Lectionum, sive de venatione Heroum libri duo. *Messanæ, apud heredes Petri Breæ* 1650. *in* 4.

De venatione, & natura animalium. *Panormi, apud Josephum Bisagni* 1653. *in* 4.

De natura, & solertia Canum Liber singularis. *Panormi, apud eundem* 1653. *in* 4.

De natura Piscium. *Ibidem, apud eundem* 1653. *in* 4.

Italice vero scripsit, & edidit.

Varias Orationes, & Conciones, *diversis temporibus & locis habitas.*

La Vita del Venerabil Servo di Dio D. Francesco Olimpio C. R. *Neapoli.*

Feste celebrate in Napoli per la nascita del Serenissimo Prencipe di Spagna, dal Signor Conte di Castriglio Vicerè, &c. *Neapoli* 1657. *in fol.*

Storia delle cause ed effetti della Peste. *Januæ* 1656. *apud Benedictum Guascum in* 4.

Et nonnulla alia suppresso nomine.

Præter hæc typis impressa, multa alia sui ingenii monumenta reliquit, aliaque permulta moliebatur in dies, sed præsertim in Tabulario hæc exstant.

De Pulchritudine Beatæ Mariæ Liber singularis.

Commentarii in Genesim.

In Divi Joannis Apocalypsin.

De interregno Urbis Romæ, ejusque Rege Numa Pompilio, *Lib.* 2.

De sedanda ac componenda Republica.

De Obeliscis, Pyramidibus, Saxis, & Columnis Ægyptiorum, *Tomi tres.*

Clades Orbis Terrarum, Terræmotus, Pestis, &c.

De Natura Elephantum.

De Passione Domini.

Variæ item Conciones, Meditationes, Historiæ.

Prodigia Orbis Terrarum, *& alia, quæ morte tamen interceptus anno ætatis* XLVI. *vel absolvere, vel limare non potuit.* Ejus laudes quamplurimi celebrarunt, præsertim P. D. Hieronymus Matranga C. R. vir doctissimus ac eruditissimus.

INDEX CAPITUM.

ANDREÆ CIRINO, CLERICI REGUL. MESSANENSIS, ANTIQUARUM LECTIONUM DE

URBE ROMA, EJUSQUE REGE ROMULO, LIBER SINGULARIS.

Caput Primum.

Roma cur Urbs dicebatur.

Urbis nomen & numen abolitum.

I. Rcanum Romæ nomen, ſimulque numen a prima Urbis origine, ſilentio ac religione abolitum, perſenſiſſe neminem ex antiquiſſimis Scriptoribus, ut poſteritati traderet, compertum eſt; fere omnes maximam ac pulcherrimam Regum Urbem, terrarum omnium gentiumque victricem, Orbis caput, & Epitomen Romam appellant, proprium vero nomen conſultiſſimi Scriptorum ingenue ignorare fatentur. Enimvero Sammonicus Serenus *Rerum reconditarum* lib. 5. Furius vetuſtiſſimus Auctor, & Macrobius lib. 3. *Saturn.* c. 9. teſtantur, *Romanos & deum, in cujus tutela Urbs Roma eſt, & ipſius Urbis Latinum* NOMEN *ignotum eſſe voluerunt*, idque Virgilius, divini & humani juris ſcientia Vates, in ſexto *Æneidos* ſatis arcanum occinit, firmabatque Julius Feſtus, ex quorum fide ſubinfert Macrobius, *Urbis nomen etiam doctiſſimis ignoratum eſt*. Addit Feſtus Pompejus ex Varrone, *Cauſam ejus appellationis inveniſſe Verrium, ac vetitam eſſe publicari*.

Ideo utrumque ignotum.

II. Hinc ROMAM non loci, ſed præſtantiſſimi roboris nomen fuiſſe, plerique antiquitatum adyta profitentur ingreſſi, ſic Martianus Heracleota Græcus Auctor, & Plutarchus in *Romulo* inquit, *Pelaſgos ex ſuo robore Urbem Romam* dixiſſe; Solinus in *Polyhiſtore* tradit, munitiſſimam Arcem, quam Latina Juventus VALENTIAM dixerat, Euandrum deine ROMAM nuncupaſſe; hæc ille ex Auctore antiquiſſimo Cumanæ hiſtoriæ apud Feſtum Pompejum, aſſeritque, *Pelaſgorum compl ures Sicyone Theſpiaque Græcis civitatibus ob domiciliorum inopiam profectos, terrarum Orbem longo errore pervagaſſe, plurimiſque bello domitis nationibus, eam tandem Italiæ partem tenuiſſe, ubi nunc Roma eſt, eoſque a multo errore nominatos Aborigines; hi in Palatio, quo frequentiſſimi convenerant, Urbe condita, eam ob pugnandi* ROBUR *Romin appellarunt: a Juventute vero Latina* Valentia, *a viribus gentium appellata eſt: quod nomen adventu Euandri & Æneæ in Italiam cum magna Græce loquentium copia interpretatum eſt, ſervataque ſignificatione impoſiti prius nominis,* ROMA *iterum pro Valentia dici cœpta eſt*. Equidem Ariſtoteles lib. 3. *Pol.* c. 9. ex Lycophronis Sophiſtæ oraculo docet, *Civitatem a virtute denominandam.* Unde Martianus Lupercaliorum Scriptor apud Servium *in Ecl.* 1. *Virg.* adverſus Varronem & Dionyſium Halicarnaſſeum, a Roma Romulum habuiſſe nomen teſtatur, ab Oppido ſcilicet præſtanti Roboris, ſicut *virtus a Robore* apud Ennium nomen omenque ſortitur; & Feſtus Pompejus ex Verrio Flacco inquit, *Romulus & Remus a* VIRTUTE, *hoc eſt, a Robore, appellati ſunt*.

Romæ nomen a robore.

Roma antea Romin, & Valentia.

A Roma Romulus a virtute utrumque.

III. Itaque Conſtantius Imperator, teſte Ammiano Marcellino *, ut primum diu optatam ingreſſus eſt Urbem, ipſam nuncupavit *Mundi totius Aſylum, Imperii & virtutum omnium Larem*, ac ſi alterum Romæ nomen edicere cæremoniarum ſacra prohiberent, occinit Plinius *lib.* 3. *c.* 5. *Romæ nomen alterum dicere arcanis cæremoniarum nefas habetur, optimaque, & ſalutari fide abolitum*: Solinus cap. 1. ex eodem Plinio, & Agathocle, *Traditur proprium Romæ nomen, & verum magis, quod nunquam in vulgum venit, ſed vetitum publicari*; Cajus Sempronius, ubi de Diviſione Italiæ ſcribit, *ſaluberrima occultaque Religio ſanxit, ne origo nominis, a quo originationem habet, gentibus pateret*. An occultum, quia ſacrum? An inter ſacrorum adyta una cum numinibus mola ſalſa venerabatur & thure? An Cœlo delapſum diis tantummodo notum, hominibus interdicebatur? An cognitum evocari poterat? An evocato nomine Urbs abſque numine corrueret? Quandoquidem vetus Romanorum ætas inter ſacrum delirabat & ſaxum.

Sacris vetitum Romæ nomen.

Quare occultum?

IV. Quod ratum vetuſta cenſuit Religio, ſilentium cumprimis venerandum arbitror: enimvero Plinius *loc. cit.* inquit, *alterum Romæ nomen abolitum, enunciavit Valerius Soranus, luitque mox pœnas.*

Arcanum ſilentii a Religione.

* Eib. 16. cap. 10.

Longiorem litteram edidit Solinus in *Polybistore: Quandoquidem quo minus enunciaretur cæremoniarum arcana sanxerunt, ut hoc pacto notitiam ejus aboleret fides placidæ taciturnitatis; Valerium denique Soranum, quod contra interdictum id eloqui ausus foret, ob meritum profanæ vocis neci datum.* Servius hunc Plebis Tribunum fuisse, & in crucem levatum scribit; Fabius Pictor summo principum consensu, velut impium, recenset interfectum; etsi Portius Cato Tribunatus abdicatione mulctatum exsilio referat; utrumque ad expiandum facinus; *exsilium* namque, penes Romanos rerum Dominos, mortis turpissimæ ad longum præferebat exitium; quod Numenii, Pyrrhonis Heliensis discipuli, inter Philosophos occultorum curiosioris, Eleusinas Deas ob vulgata arcanorum sacra vix in caput exsecrasse, apud Macrobium † legimus, ut vel hinc nominis divinitatem superstitiosissime auspicasse Veteres credamus.

Valerius nomen Urbis revelans interficitur.

V. Hinc urbis præcipuum ac singulare monumentum omnino silentium censendum arbitror, quod Mercurius edixit in sacris Ægyptiorum, sanxitque Pythagoras sapientum omnium princeps; & Romani Hetruscorum superstitione nedum lituo, sed hasta insuper, & ense celeberrimi, illustri quodam hieroglyphico præsignarunt. De quo sic Plinius: *Non alienum videtur inserere hoc loco exemplum Religionis antiquæ ob hoc maxime silentium institutæ: namque Diva Angerona, cui sacrificatur ad diem* 12. *Kal. Januarii, ore obligato obsignatoque simulacrum habet.* Massurius vetus Scriptor apud Macrobium lib. 1. *Sat.* cap. 10. adjicit, simulacrum ejus ore obligato atque signato *in Ara Volupiæ* propterea collocatum, ut ex patientiæ beneficio ad maximam voluptatem quisque silendo perveniat; Julius Modestus scribit, præmisso voto Numen extulisse Veteres; eamque Verrius Flaccus *Ageronam* dici ait, *quod angores & animorum sollicitudines propitiata depellat.* Itaque, teste Macrobio, *in feriis Divæ Angeronæ Pontifices in Sacello Volupiæ sacrum faciunt*, id est, prope *Pandanam* Portam, quam Romulus aperuit, unam ex tribus, sive quatuor, quas Plinius *lib.* 3. *cap.* 5. recenset, meminitque illius Varro, & *Saturniam* olim, deinde *Pandanam* offert nuncupatam, auctore Sexto Pompejo, *quia semper pateret* in Velabro sita: adjicit Marlianus, *propterea fortasse novi Scriptores liberam etiam dixere, quod liberum in Urbem jugiter præberet iter*; hanc Panvinius simulque *Magoniam* & *Carmentalem* ex Varronis sententia excludit, asseritque Romanulam gradus habuisse in Navalia ad Volupiæ Sacellum; idque postmodum expungit, ut antiquæ Urbis novas portas conderet, dum ex Marliani fruge sibi manipulos fecit, ne illius messem saperent, recondita exquirit, & obruta non excitat, sed effingit; nec meliori fato Alexander Donatus denuo istius scripta depromit, Pandanam claudit, dicens: *Pandana quamvis forte in Urbe Romuli aucta & complectente Capitolium usui esset, tamen non censetur in Romanarum Portarum numero, quia superfuerat ex vetere Oppido.* Sed audiat Donatus, sermo est de vetere Urbe Romuli, in qua Plinius tres Portas fuisse, aut quatuor tradit, videlicet, Marliano auctore, *Carmentalem*, *Romanam*, & *Pandanam*. Si hæc superest in vetere Oppido, equidem a Romulo condita censenda est, & te edocente inter primas, quas sedulo inquirimus. Notandum insuper Divæ Angeronæ festum ante Saturnalia excultum, traditque Macrobius lib. 1. *Sat.* cap. 10. *Apud majores nostros Saturnalia die uno finiebantur, qui erat ad quartum decimum Kalendas Januarias*: quod Massurius confirmat, & Fenestella: & licet apud Veteres opinio fuerit septem diebus peragi Saturnalia, consensu Nonii & Pomponii, qui diu jacentem artem Atellaniam suscitavit; existimo Patres inter ludicra Atellanarum arcana Reipublicæ non pertractanda censuisse; ideo post Angeronæ Sacrum Saturnalibus dabant operam; etenim inter pocula silentium claustra non patitur; & madidus dum vino ructat, eructat cordis arcana; sicut, teste Athenæo, apud Agrigentinos, adolescentes ebrii veluti naufragium passuri vasa projiciebant & lares; ita convivæ, quæ sapienter diu colligunt servantque alta mente reposita, calicis salo perculsi explodunt. Alexandri M. convivium hoc totum perhibuit, ut Consiliarii discant a frequenti potu & nimio cibo se abstinere, ut vel sic sobrii Reipublicæ arcana sileant.

Custos urbium silentium.

Angeronæ Sacrum.

Sacellum Volupiæ.

Porta Pandana.

Exercitatio ad Donatum.

Post Saturnalia Angeronæ Sacrum.

Ne ebrietas arcana revelet.

VI. At redeat unde exiit oratio. Plutarchus in *Romulo* sincere fatetur: Τὸ μέγα τῆς Ῥώμης ὄνομα, καὶ δόξῃ διὰ πάντων ἀνθρώπων κεχωρηκὸς, ἀφ' ὅτου καὶ δι' ἣν αἰτίαν τῇ πόλει γέγονεν. *Ingens Romæ nomen, quod gloria est apud omnes gentes decantatum, haud convenit inter Scriptores a quo Urbs, & qua de causa invenerit.* L. Furius Purpureo & L. Æmilius P. adversus Manlium, qui in Æde Bellonæ orabat, ut diis immortalibus honos, sibique triumphanti Urbem ingredi liceret, declamabant, *Magna est Fortuna Populi Romani, & TERRIBILE NOMEN*: nec aliud addidit Livius *dec.* 4. *l.* 8. Gratianus & Theodosius Augusti *Urbem sacratissimi nominis* Romam dixerunt: quorum oracula sequutus Ammianus M. *lib.* 22.* de Symmacho Urb. Præfecto agens, *Urbem sacratissimi nominis* nuncupat; Dionysius Halicarnasseus *grande & divinum* illius nomen perhibet; & teste D. Isidoro lib. 9. cap. 4. *Orig. Sola Urbs Roma, cætera Oppida*; quod Savarus Arvernæ Præfectus *lib.* 2. sic explicat, *Quando Urbem dicimus, nec addimus nomen, Romam significamus*; hæc ille ex M. Fabio *l.* 8. *cap.* 2. Ideo Urbis nomen expendere suadet ratio, ac tantæ celsitudinis fastigium attollere.

R. nomen terribile.

R. Urbs sacratiss. nominis.

Urbs sola Roma.

VII. URBIS NOMEN ab URBO dixerunt Veteres sapientissimi: enimvero inquit Pomponius in *Enchir. Urbs ab urbo appellata est*, id est, a quadam aratri parte, quam urbum dicunt. Isidorus lib. 15. cap. 2. *Orig. Urbs vocata ab orbe, quod*

Urbs ab urbo, & urvo.

Ab orbe.

† Lib. 1. *Somn. Scip.* cap. 2.

* Est 27. cap. 3. ubi legitur, *Urbs sacratissima otio*, &c.

antiquæ civitates in orbem fiebant : vel ab urbo parte aratri , quo muri designantur : unde est illud , Optavitque locum Regno , & concludere sulco. Variat Cælius lib. 26. *Ant. Lect.* cap. 5. *Ab orbe , & urvo urbes.* Divinare hanc partem non ausim in aratro ; constat autem ex recto ligno , quod arator contrectat dictum *Echetlen*: ubi insidet manus vocatur *Chirolabes* : ubi inhæret jugum *Elyma* : dentale *Gyen* nuncupatur : lignum vero quod comprimitur *Stiva* : transversum *Manicula* : clavus , quo temoni coaptatur jugum , *Estora*: ubi infigitur rectum lignum *Alya* : & hæc similia offert Pollux , Cæliusque ex Plutarcho & Varrone ; at Virgilius in 1. *Georg.* enumerat *Burim* , *Temonem* , *Aures* , *Dentale* , *Jugum* , *Stivam* , *Rotas* , silet Urbum , & Urvum . Sed audiamus Varronem , qui ab orbe effert urbem : *Oppida condebant in Latio Hetrusco ritu multa ; id est , junctis bobus tauro & vacca interiore aratro circumagebant sulcum : hoc faciebant religionis causa die auspicato , ut fossa & muro essent munita : terram , unde excalpserant , fossam vocabant , & introrsum factum murum : postea quod fiebat orbis , urbs* . Cato similiter inquit apud D. Isidorum *loco cit. Qui urbem novam condit tauro & vacca aret.* Hunc morem prosequitur Plutarchus in *Romulo* : Ὁ δ' οἰκιστὴς ἐμβαλὼν ἀρότρῳ χαλκῦν ὕννιν , ὑποζεύξας δὲ βῦν ἄῤῥενα καὶ θήλειαν , αὐτὸς μὲν ἐπάγει περιελαύνων αὔλακα βαθεῖαν τοῖς τέρμασι· τῶν δ' ἑπομένων ἔργον ἐστὶν , ἃ ἀνίστησι βώλυς τὸ ἄροτρον , καταστρέφειν εἴσω. καὶ μηδεμίαν ἔξω περιορᾷν ἐκτρεπομένην. *Conditor aratro æreum vomerem adjungit , junctisque bobus mare & fœmina, ipse circum liniamenta profundum inducit sulcum : sequentium munus est , ut excitatas ab aratro glebas intro vertant , nec ullam sinant extra ferri .*

Taurus & vacca sub jugo.

VIII. Non cuncta superstitionis molam sapiunt , sed symbola Veterum apud posteros excultissimam inducunt sapientiam. Sacer contextus divinæ legis in bove & asino arandum vetat , ne fortior imbecillem deprimat ; itaque taurus robustissimus a vacca separandus videtur ; nihilominus symbolum hoc præstantissimum expendit Aristoteles lib 1. *Pol.* cap. 1. ubi urbem instituit optimam : Ἀνάγκη δὴ πρῶτον συνδυάζεσθαι τὺς ἄνευ ἀλλήλων μὴ δυναμένους εἶναι , οἷον θῆλυ καὶ ἄῤῥεν τῆς γενέσεως ἕνεκεν· καὶ τῦτο ὐκ ἐκ προαιρέσεως , ἀλλ' ὥσπερ καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ζώοις καὶ φυτοῖς φυσικὸν τὸ ἐφίεσθαι , οἷον αὐτὸ , τοιῦτον καταλιπεῖν ἕτερον..... Ἐκ τύτων τῶν δύο κοινωνιῶν οἰκία πρώτη· καὶ ὀρθῶς Ἡσίοδος εἶπε ποιήσας ,

Qu id denotent.

Οἶκον μὲν πρώτιστα , γυναῖκά τε , βοῦν τ' ἀροτῆρα .

Necesse est primum combinare illos,qui non possunt esse nisi simul , ceu marem & fœminam generationis causa : & hoc non ex electione , sed velut in cæteris animalibus & plantis naturale est desiderium , quale ipsum est , tale aliud relinquendi...... Ex his duabus societatibus domus prima , recteque Hesiodus inquit ,

Quæ domus prima.

Domum inprimis , mulieremque , & bovem aratorem .

IX. Adde ex Athenæo lib. 10. *Deipnosophistarum* : Παρὰ δὲ Ἐφεσίοις οἱ οἰνοχοῦντες ἠΐθεοι τῇ τῦ Ποσειδῶνος ἑορτῇ , Ταῦροι ἐκαλῦντο . *Apud Ephesios , adolescentes , qui festo die Neptuni potum ministrabant , Tauri nuncupabantur* . Et Romulus , qui Neptuno sacra peregit, adolescentes domi militiæque alacres ad domos urbemque ampliandam in tauro præsignavit ; ita Genius Ægypti in tauro celebratur , cujus cultum describit Clemens Alexandrinus , & Plinius *lib.* 8. *cap.* 46. in eoque Osiridis simulachrum , robur , frugesque innuebant , sed ubi fortitudinem , teste Horo Ægyptio *Hierogl.* 46. significabant , statim temperantiæ edebant symbolum , *Namque taurus temperans est , quippe post conceptum nunquam vaccam ineat* ; idque optimi Civis exemplar , ne luxu cum Pœno in Campania tabescens vires & urbem perdat ; Vates Romulus Urbem signabat orbis victricem , & dum milites urgebat ad opus ex animi sententia , virgines ad conjugia , unde sumerent , præstolabatur ; dat in tauro signum , ut raperent , & pugnarent ; Ovidius lib. 9. *Metam.* ℣. 46.

Juvenes tauri.

In tauro generatio.

Miles.

Non aliter vidi fortes concurrere tauros,
Cum pretium pugnæ toto nitidissima saltu
Expetitur conjux . ——

Conjux.

Statius in 6. *Theb.*

—— *Ductores gemini gregis horrida tauri*
Bella movent , medio conjux stat candida prato
Victorem exspectans . ——

Militis symbolum in tauro occinit Virgilius lib. 3. *Georg.* ℣. 233.

Symbola tauri & vaccæ.

Et tentat sese , atque irasci in cornua discit :
Arboris obnixus trunco , ventosque lacessit
Ictibus , & sparsa ad pugnam proludit arena .

Unde Tacitus l. 12. *Ann.* cap. 24. inquit: *In Foro Boario æreum tauri simulachrum adspicimus , quod id genus animalium in condendis oppidis aratro subditur.* D. Isidorus lib. 15. *Orig.* cap. 2. *Ideo urbs aratro circumdabatur dispari sexu juvencorum, propter commixtionem familiarum , & imaginem ferentis , fructumque edentis .*

X. Optime igitur Varro monuit , *Hoc faciebant Religionis causa* , nam etiam Etruscorum tota Religio symbolis colebatur. Et aratrum ad urbes condendas simulque diruendas apud Veteres hieroglyphicum fuit , idque Clemens Alexandrinus prodit in quinto *Stromatum* : *Ajunt quidem Idanthuram Scytharum Regem Dario , qui Istrum trajecerat , bellum minitanti symbolum misisse pro litteris, Murem, Ranam , Avem , Jaculum , Aratrum* ; idque refert Pherecydes Syrus ; & Orontopagus Tribunus militum in aratro *Regionem* fortasse vastandam intellexit . Morem sapienter Horatius expressit lib. 1. *Carm.* od. 16. ad Cratidiam , vel Tyndaridem , quam , Stesichorum secutus Helenæ sororem , carminibus læserat ,

Religio Etruscorum symbolica.

Aratrum in condendis & diruendis urbibus

—— *altis urbibus ultimæ*
Stetere causæ , cur perirent
Funditus , imprimeretque muris
Hostile aratrum exercitus insolens .

Ad quæ Acron Interpres, *condendis*, inquit, *atque evertendis urbibus hæc consuetudo fuit, ut aratro fieret*. Propertius *lib. 3. eleg. 8.*

Mœnia quum Grajo Neptunia pressit aratro
Victor Palladiæ ligneus artis equus.

Isidorus l. c. *Urbs aratro conditur, aratro evertitur.* Ovid. in *Fastis*, de Urbis orig.

Inde premens stivam signavit mœnia sulco,
Alba jugum niveo cum bove vacca tulit. (Romæ origo.)

(Vacca alba.) Albam vaccam dicit, quæ Virgilio placet in 3. *Georg.* adversus Varronem, qui nigras recenset optimas, sicut Columellæ, & Palladio *rubeus & fuscus color*,

Nec mihi displiceat maculis insignis & albo.

Enimvero bos albus Soli sacer, & a Juliano desertore patri luminum in sacris immolabatur; quo de more Macrobius lib. 1. *Sat.* c. 21. ait: „ Taurum ad Solem referri „ multiplici ratione Ægyptius cultus o„ stendit; vel quia apud Heliopolin tau„ rum Soli consecratum, quem Netiron „ cognominant, maxime colunt; vel quia „ bos Apis in civitate Memphi Solis instar „ excipitur; vel quia in oppido Hermun„ thi magnifico Apollinis templo conse„ cratum Soli colunt taurum, &c. Fortasse Diodoro Siculo in *Biblioth.* auctore, Osiris apud Ægyptios Sol dicebatur frugum inventor & urbium; & taurus ubertatis symbolum censetur, qua urbes crescunt; eoque sulcum ducente locum signabant, ut degerent; Manasses Auctor Græcus, (Taurus & Sol.) (Osiris frugum inventor & urbium.)

—— situm designat hic,
Urbisque formam mente mox delineat
Junctis juvenco cum juvenca protinus.

(Urbis lineamenta.) Manilius lib. 4. *Astronom.*

Urbibus augebit terras, junctisque juvencis
Mœnia succinctus curvo describet aratro.

Denuo Ovidius lib. 4. *Fastorum* vers. 818.

—— arbitrium Romulus urbis habet.
Apta dies legitur, qua mœnia signet aratro.
Sacra Palis suberant; inde movetur opus.

Virgilius lib. 5. *Æneidos* vers. 755.

Interea Æneas urbem designat aratro,
Sortiturque domos; hoc Ilium, & hæc loca Trojæ
Esse jubet; gaudet Regno Trojanus Acestes,
Indicitque forum, & Patribus dat jura vocatis.

XI. Sed quia Varro *Hetrusco ritu* aratri hunc morem perhibet, potius extero, & Trojanorum ab antiquis usque temporibus recepto, ut credam, suadet Vates, de quo Macrobius inquit lib. 3. *Sat.* cap 6. *Miranda est hujus Poetæ, & circa nostra, & circa externa sacra doctrina*; etenim (Virg. laus.)

A scio Fabium Pictorem lib. 2. *de orig. Italiæ* scripsisse, *Adscito ex Etruria Vate atque Sacerdote aratrum ab Olympo in Vico Tusco per Palatium circumduxisse*; nec magnifacio, quia Romulum in eadem disciplina peritissimum demonstrat *lituus* a posteritate inter sacra receptus, ut tradit Tullius; & Vatem, Sacerdotemque non alium præter Regem vetusta eruditio promit; addo *æneum vomerem*, de quo Zonaras ait, *Romulus urbem condidit, & bovem marem vaccæ adjungens, æneumque vomerem aratro inferens, ipse sulcum profundum in orbem circumduxit*. Nulla Sacerdotis fit mentio, quia augur, & ipse Romulus de more peregit, & ingenue Dionysius Halicarnasseus lib. 2. *Antiq.* ait, *Seminaria, & initia Religionum probatissima debentur Romulo*. Deinde ad rem divinam ænea adhiberi novit Antiquitas; & licet Carminius apud Macrobium lib. 5. *Sat.* cap. 19. curiosissimus Auctor enarret, *Prius itaque & Tuscos æneo vomere uti, cum conderentur urbes, solitos, in trajectitiis* † *eorum sacris invenio: & in Sabinis ex ære cultros, quibus Sacerdotes tonderentur*; nihilominus Sophocles in Tragœdia, cui titulus *Rhizotomi*, Medeam describit, maleficas herbas æneis falcibus exsecantem; in lib. 4. Virg. Elissam facit, postquam ab Ænea relinquitur, velut ad Sacricolarum Sagarumque carmina & devotiones fugientem; quod a Sophocle tractum est, (Romulus Sacerdos & Vates.) (De ære in sacris.)

Falcibus & messæ ad Lunam quæruntur ahenis (Magicum æs dicatum Lunæ.)
Pubentes herbæ nigri cum lacte veneni.

Ex quo colligimus æs Religioni ac Lunæ sacrum: nam Ovidius lib. 4. *Met.* vers. 333. *æra auxiliaria Lunæ* occinit, & in septimo vers. 207.

*Te quoque Luna trabo, quamvis temerata * labores*
Æra tuos minuant. ——

Plutarchus in *Æmilio*, χαλκοῦ πατάγοις ἀνακαλούμενον τὸ φῶς τῆς σελήνης, *tinnitu æris lumen Lunæ revocatum* scribit.

XII. Ex dictis colligo, in tauro & vacca, uti apud Ægyptios Lunam & Solem, demonstrasse Romulum; in ære Lunæ dicato perpetuitatem offert Dionysius, felicia Urbis auguria: Ὅτι καθέδρα ἐστὶ καὶ στάσις ἀρίστη τῶν οἰωνοῖς μαντευομένων ἡ βλέπουσα πρὸς ἀνατολάς, ὅθεν ἡλίου τε ἀναφοραὶ γίνονται καὶ σελήνης .... ἥτε τοῦ κόσμου περιφορά. *Quod sedes sit optima captandis auspiciis quæ Orientem spectet, unde Sol & Luna surgunt.... & unde Mundi motus sumit exordium.* Nam Lunæ defectus, orbe silente, æs revocabat ad lumen, & perennitatis præferebat augurium super mortalium sortem renovata cum deficit; hinc apud Cælium *lib. 29. c. 6. Clavus æneus* in adagium fertur, *quicquid est, quo ita nitamur, confoveamurque, ut eo tamquam firmissima adversus reflatum omnem obfirmati constipatique consistamus, veluti malorum omnium e collo amuletum gestantes.* Adde venatores cum suem dejecissent, vel cervum, ne computrescerent, clavum æneum infigere, ad avertendam putrefactionem remedium efficacissimum. Igitur (Sol & Luna.) (Clavus æneus putredinem arcet.)

* In Edit. Henr. Stephani, Paris. 1585. legitur, *Neton*.

† Ibid. scribitur, *Tagethiis*. * Alii rectius *Temesæa*.

Romulus dum urbo ſignat mœnia, & ſulcum æneo profundum vomere figit, perpetuitatem denotat, Solis Lunæque auſpice ad Imperium numine; idque Julius Proculus poſt adſcenſum Romuli refert apud Florum *lib.* 1. *cap.* 1. *Quirinum in Cœlo vocari placitum Diis, ut gentium Roma potiretur*; & Commodus Imperator, cum primum immortale ſibi Imperium autumaſſet, teſte Dione, *Hercules Romanus conditor* inter bovem & vaccam ſe exhibuit cum aratro, & nummus tantæ molis portentum ſignatus adhuc demonſtrat.

Commodus Imp. Hercules R. cum bove & vacca.

Urbs ab orbs.

XIII. Expendo inſuper alteram nominis originationem, *urbem ab orbe*, inquit Iſidorus, *eo quod antiquitus civitates in orbes fiebant*; antea Varro ſic docuit, quod ſulcus duceretur in orbem; & Scaliger adnotabat, *urbare, & orbare eſt circulo circumſcribere*. Sed hoc nihil ad urbem; enimvero Ennii carmen apud Tullium *de Divin.* circumfertur, per quod quadratam novimus,

Roma quadrata.

Et quis exſtiterat Romæ regnare quadratæ?

Succurrit Marlianus indubitanter cum Dionyſio & Plutarcho, quos refert; *Romam quadratam* inſuper oſtendit Solinus, & Publius Victor in Regione x. illius meminit; quos omnes recentior Alex. Donatus inſcitia damnat, Fabio ſimulque Catoni injurius, & ait, *Roma quadrata pro centro eſt urbis deſignandæ*: quæſo, quis centrum quadratum vidit, dum faber funiculos expandit ad opus? in centro punctum ponit Euclides, & lateribus caret, ſi Clavio, ſi Maurolyco, ſi lippis atque tonſoribus fides; deinde locum Solini expendit, ut ſua præſtet opinio, *Dicta eſt Roma quadrata, quod ad æquilibrium foret poſita*; hæc ille; Donatus ſubjungit, *Dicta, non facta*, equidem vir eruditiſſime, *ſic dicta, quia facta*, ſecus non dicta. Si quis diceret ex Varrone, *Principium, quod erat poſt murum, Pomerium dictum*, Pomerium quia dictum non factum, urbs abſque Pomerio condita Scriptorum evertiſſet fidem. Addit nequaquam *quadratam* ſurrexiſſe, quandoquidem Solinus *ad æquilibrium poſitam* oſtendit, ad hæc ſubinfert, *Poni ad æquilibrium, ſicut exponit Crinitus, ſignificat conſtrui ad æqualem regulam, & æqua ratione abſolvi, rectius orbiculatæ ſtructuræ accommodatur, cujus partes æqualiter diſtant a medio*. Igitur æquilibrium omne orbem perſcribit: ne me iterum obaudias, aurem vellit tuam Crinitus lib. 4. *de honeſta diſc.* c. 9. Putamus non aliter hoc accipiendum, quam ut ipſam dicamus Romam ad æqualem regulam, & quaſi ἰσονομικῶς in quadratam ſpeciem conſtructam, quod & Sex. Pompejus ex Verrio teſtatur. Hactenus ille: vis recitemus verba Pompeii, teſtes adſunt: *Quadrata Roma in Palatio ante Templum Apollinis dicitur, ubi repoſita ſunt, quæ ſolent boni ominis gratia in Urbe condenda adhiberi; quia ſaxo munitus eſt initio in ſpeciem quadratam: ejus loci Ennius meminit.*

Donati error.

R ad æquilibrium.

Et quis exſtiterat Romæ regnare quadratæ?

Nihil quod orbiculatum, imo Romam dicit quadratam, non ſaxum. Quandoquidem ſi quadratum tantummodo ſaxum Romam nuncupat, Urbem quo appellatam nomine ediſſere? *In Palatino Colle Urbem adſtruis, ubi nunc Horti Farneſiani.* Quæſo Collis perſtat; grande hoc ſaxum qualis ingens Saturnus devoravit? domos ad nihilum non ita redegit tempus, ut molis fundamenta non jaceant; & antiquitatum Scriptores de Ficu, Lituo, Caſa, & Haſta Romuli admiranda ſcripſerunt, cur nihil de tua Roma quadrata, & ſaxo? cur Sex. Rufus, cur ſiluit Victor? & tamen adamuſſim Regiones ediderunt, Vicos, Roſtra, Templa, Theatra, Obeliſcos, Fontes, quæque ſcitu digna poſteritati demandarunt. Quæ ſunt iſta boni ominis gratia? Verbenæ, lituus, ara, vaſa expiationum, mola Pontificis inſignia, ſuperſtitionum carmen, ignis ex penetralibus Veſtæ, Hoſtiæ, & his omnino ſimilia; enimvero Urbem bello victricem deſignabat, ideoque in medio boni omnis ſacra reponit; hunc morem offert Virgilius lib. 12. *Æn.* verſ. 117. ſit dimenſio campi ad certamen, procedunt Rutuli, & Trojani, cum primis afferuntur ſacra:

Exercitatio in Donatum.

Boni ominis ſacra.

Campum ad certamen magnæ ſub mœnibus Urbis
Dimenſi, Rutulique viri, Teucrique parabant,
In medioque focos, & Diis communibus aras
Gramineas; alii fontemque ignemque ferebant
Velati lino, & verbena tempora vincti.

Semper hæc ſacra in Caſtris, incendebat namque militem ad pugnam numen; unde Tertullianus ad Martyres inquit, *Mutius manum ſuam dexteram in ara cremavit*, quæ erat in Caſtris; deinde Æneas *ibid.* verſ. 201.

Ara & Focus.

Tango aras, medioſque ignes, & numina teſtor.

Hic locus ſacrorum, non Urbs quadrata Donato. De Ara Palatina meminit P. Victor in *deſcriptione Urbis*, Regione x. ARA PALATINA prope Ædem Jovis Victoris. Fortaſſe loci religio adhuc perſtabat, ſicut in eadem Regione ROMA QUADRATA. Ut paupertatis primævæ monumenta ſervarent, & Diis de more grates perſolverent. Donatus tandem dum ſeſe in orbem vertit, & nos vertiginem patimur, Plutarchum ſequimur ne cadat; etenim inquit, *Romam, ut vocant, Quadratam, quod eſt quadrangulam, fabricavit*. Addit Donatus, his præmiſſis concluſionem, *Igitur quadrata Roma ibi non Urbem, ſed aliud ſignificat*. Hoc aliud, qui legit, divinet, & intelligat, ſed legat Magium lib. 3. *Var. Lect.* cap. 13. qui Romam quadratam exhibet, & probat; Feſtumque Pompejum cum Varrone, Crinito, & Plutarcho concordem refert.

XIV. Fortaſſe non omnes urbes ab orbe dictas, ſed tantum quæ circumductæ aratro, ut Romanorum Coloniæ, more Romano, conditæ; ita Varro: *Oppida, quæ prius erant circumducta aratro ab or-*

Quæ urbes ab orbe?

urbo, *urbes*, *quod item conditæ*, *ut Roma*, *& ideo Coloniæ*, *ut urbes conduntur*. Animadvertebat antiquissimum Latinorum morem, quod videlicet, *oppida condebant in Latio Hetrusco ritu*, & sic ab Hetruria orbis arcanum prodiit, Sibylla, vel Magis Dæmonum censu præmonentibus. Nec circumductus caret orbis mysterio. Helenus præoccinit Imperii monumenta, Numina edixerunt Regni culmen, arcemque terrarum omnium Carmenta præsignavit in ara, quam Herculi sacram, Livius, ubi silvestris se extulit Roma, demonstrat, & Fabius Pictor *lib.* 2. *Herculis ara ubi Olympus*, *& initium sacri aratri*, ibi orbis; an in orbe *Imperium sine fine?* Equidem Ægyptii, & deinde Romani consentientes in circulo Imperium demonstrabant, illi in Apis capite, isti in manu simulachrorum, quæ Principibus erigebant; sic Constantinum Magnum in columna erexerunt, orbem in vola ostentantem, asseritque Niceph. *lib.* 3. *c.* 49. *Dextera manu ingentem aureum orbem continebat*. De Justiniani statua scribit Glycas *Ann.* p. 4. *Gerit sinistra manu* ORBEM, *quo nimirum Cœlator innuit terram*, *& universum mare illius servitio subdita esse*. De eodem Suidas: *Imaginem suam posuit super columnam in equo*, *sinistra manu fert globum*, *significans*, *quod terræ Dominus sit factus*; in veteri M. Coccei Nervæ Imper. nummo tres pilæ, tres Mundi partes, Africam, Asiam, & Europam, significabant; & in altero Antonini Imper. orbis erat insculptus cum lemmate RECTOR ORBIS. De Augusto D. Isidor. lib. 18. c. 3. *Orig. Pilam in signo constituisse fertur Augustus*, *propter nationes sibi in cuncto orbe subjectas*, *ut Malis * figuram* ORBIS *ostenderet*. In Tabula Bembina, & in Obeliscis Ægyptiorum Reges quam sæpissime pilarum numero subjectas sibi Provincias expressisse docent, qui altum sapiunt; & nos lib. 2. ubi de Obeliscis longam fecimus litteram. Similiter Horus in serpentum circulo orbem & Imperium Ægyptios finxisse testatur; ostentabatque Osiris in capite, postmodum vero Nero, & Commodus in vertice Colossi aureis circum ornatum radiis. Domitianus tandem deos in circulo addidit, ut divisum cum Jove, diisque præferret Imperium; de Roma oraculum Jovis apud Virgilium in lib. 1. *Æneid.* vers. 280. innotuit,

Imperii symbolum.

Constantini & Gratiani pilæ orbis symbola.

Imperium æternum.

Romulus excipiet gentem, *& Mavortia condet*
Mœnia, *Romanosque suo de nomine dicet*:
His ego nec metas rerum, *nec tempora pono*;
IMPERIUM SINE FINE *dedi*. —

Fossa, orbis, mundus.

XV. Addamus fossam *orbem* nuncupatam, & *mundum*, in qua, & frugum primitiæ, & boni ominis indigitamenta, omen præstabant ingentis Populi & Imperii; ita Tortellius & Fabricius Varanus, de Urbe Roma antiquitatum omnium peritissimi; Cælius *lib.* 1. *c.* 6. *Fuit in Comitio fossa*, *quam* MUNDUM *vocant*, *in quam orbicularem*, *Urbe condita*, *omnium primitias*, *quibus lege ut honestis*, *natura ut necessariis utebantur*, *conjici jussit Romulus*. *Mox item terræ portiunculam*, *unde quis esset profectus*, *conferri*: *credo ut sic in civitatis unius*, *ac patriæ populum facilius coalescerent animi*. Et mundum ex Platone in *Gorgia*, & Tertulliano ab ornatu dixit; profecto *Mundum esse pulcherrimum ex orbiculari figura colligitur*. Ovidius insuper Religionis monumenta occinit lib. IV. *Fast.* vers. 821.

* Leg. *magis*.

Sacra intra fossam.

Fossa fit ad solidum, *fruges jaciuntur in ima*,
Et de vicino terra petita solo est.
Fossa repletur humo, *plenaque imponitur* ARA,
Et novus accenso funditur igne FOCUS.
Inde premens stivam designat mœnia sulco.

Igitur fossa non monumentum, sed religionis insigne opus, repletur primo glebis, deinde frugum primitiis, de quibus Plutarchus ait: Τῶν δ' ἑπομμενων ἐστὶν, ἃς ἀνίστησι βώλους τὸ ἄροτρον, καταστρέφειν εἴσω, καὶ μηδεμίαν ἔξω περιορᾶν ἐκτρεπομένην. *Sequentium munus est*, *ut excitatas ab aratro glebas intro vertant*, *nec ullam sinant extra ferri*. Meminit insuper ignis; & in fossa aram ignemque occinit; de quo Dionysius Halicarnasseus lib. 2. *Antiquit. R.* inquit: *Romulum dumtaxat focos singulis Curiis constituisse*, *nullum Vestæ publicum*; *argumentum huic rei certum*, *quod Vestæ ædes sita sit extra Romam quadratam*, *quam Romulus condidit*. Plutarch. *Fama est Romulum etiam ignem sacrum instituisse*. Sacramentum perpetuitatem respicit, quia ignem custodes sempiternum colebant Virgines; Tullius lib. 2. *de Leg. Virgines Vestales in Urbe custodiunt ignem foci publici sempiternum*. Virgilius lib. 2. vers. 297. *Æneid.*

Vesta.

Ignis Vestalium.

Æternumque adytis effert penetralibus ignem.

Silius Italicus *lib.* 1.

Et vos virginea lucentes semper in ara
Laomedonteæ Trojana altaria flammæ.

Fatale pignus Imperii.

Hunc *æternum ignem* Livius *lib.* 16. *fatale Imperii pignus* nuncupat. Symmachus Urbis P. in legatione ad Valentinianum & Theodosium AA. pro Vestalibus inquit: *Juvat saluti publicæ*: *Castum corpus dicare*, *&* IMPERII ÆTERNITATEM *cælestibus fulcire præsidiis*, *armis vestris*, *aquilis vestris amicas applicare virtutes*, *pro omnibus efficacia vota suscipere*. Et Romam offert dicentem, *Hic cultus in leges meas orbem redegit*.

Quid in luto religiosum?

XVI. Aliam cæremoniam & lutum injectum ex orbe legimus apud Manassem, quem ex Græco Morellus edidit,

Is postea arrepto luto hoc extrinsecus,
Projicit intra civitatem, *ut cresceret*.
Respublica orans ex alienis commodis.

An in luto aliquid arcani? equidem ex argilla tota vetus religio; Janus pater & ipsa deum mater ex luto; Prometheus magorum antesignanus post Ninum ex luto &

igne animas evocabat ab orco: Maga in *ecloga* 8. v. 80. Virgilii, ex Theocrito,

Limus ut hic durescit, & hæc ut cera liquescit.
Uno eodemque igni, sic nostro Daphnis amore.
Sparge molam, & fragiles incende bitumine lauros,
Daphnis me malus urit, ego hanc in Daphnide laurum.

Ex luto Idolorum cultus.

De quo ritu vide Joann. Salisberiensem *l.* 1. *c.* 11. Vasculus Isidis ex luto monstra occultabat in sacris, de quibus Apulejus, & ipse sacer in festo Numinis plura; Vestæ nullum simulacrum, sed lutea tantum ara, Pausan. in *Corinthiacis* c. 35. παρελθοῦσι ἐς τὸ τῆς Ἑστίας, ἄγαλμα μὲν ἐστιν οὐδὲν, βωμὸς δὲ, καὶ ἐπ' αὐτοῦ θύουσιν Ἑστίᾳ, *intrantibus, nullam Vestæ simulacrum occurrit, ara tantum, & in ea Vestæ sacrificant.* Plures aræ Hebræis incultis ex lapidibus: Dianæ cervorum caprearumque cornua adstabant: Apollini quadrato ex lapide, Vestæ ex luto, ab ara lutum projicit, ut cresceret urbs in orbem, ex hoc orbe urbs; tanta religione molimen crescit, bonis avibus, ad culmen orbis, & super vertices collium extollitur Roma, caput Mundi; auspicium cessit optatis, & sacra, quæ in orbe peregit, ORBIS CAPUT tandem erexere Urbem. Ovidius lib. 5. *Fastorum*, vers. 93.

R. Caput Orbis.

Hic, ubi nunc Roma est ORBIS CAPUT, *arbor & herbæ,*
Et paucæ pecudes, & casa rara fuit.

Claudius Rutilius Numantianus in *Itin.*

—— Domina arces, & Caput Orbis habet.

Sidonius in *Paneg. Aviti Augusti*,

——— Captivus, ut ajunt,
Orbis in Urbe jacet.

Orbis in Urbe.

Lucanus in *Pharsalia*,

——— videmus
Tot vacuas urbes, generis quo turba redacta est
Humani? toto populi qui nascimus Orbe,
Nec muros implere viris, nec possumus agros,
URBS *nos una capit.* ——

Ovidius *Metamorph.* lib. 15. vers. 736.

Jamque caput rerum Romanam intraverat Urbem.

Hinc eleganter in *Fastis* occinit,

Juppiter, arce sua totum cum spectet in Orbem,
Nil nisi Romam, quod tueatur, habet.

Propertius & ipse vere & eleganter,

Omnia sunt pariter rerum miracula Romæ,
Natura hic posuit quicquid ubique fuit.

Rutilius denuo opportune canit,

Urbem fecisti, quæ prius Orbis erat.

Prudentius lib. 2. *adversus Symmachum* de Roma canit,

Nunc merito dicor venerabilis, & Caput Orbis,
Quum galeam sub fronde oleæ, cristasque rubentes
Concutio, viridi velans fera cingula serto.

XVII. Enimvero Athenæus lib. 2. *Deipnosophistarum* inquit: „Civitatem Alexandrinorum auream, Antiochenorum „pulchram, Nicomediorum ornatissimam, omnium præterea splendidissimam Athenas in ORBE Romano contineri, omnes namque nationes ibi habitant, Cappadoces, Scythæ, Pontici, „& complures alii; hi sunt enim totius „habitatæ terræ compendium. Sed intra lineam nobis canit Publius Maso,

Civitates omnes in urbe.

Gentibus est aliis tellus data limite certo,
Romanæ spatium est urbis & orbis idem.

Aristides sapiens Rhetor, *Roma est totius Orbis Provinciis quasi commune omnis habitabilis Oppidum*: Plin. *l.* 3. *c.* 5. Urbem appellat, *unam cunctarum gentium in toto Orbe patriam*: Seneca *ad Helviam*, *Hæc Civitas patria communis potest dici*: Cicero *in Catilinam* Romam vocat, *Arcem Provinciarum omnium & terrarum*: Phavorinus Philosophus, *Totius Orbis domicilium*: Polemon Sophista, *Mundi Epitomen*: Sidonius Apollinaris *lib.* 2. *ep.* 6. *Verticem Mundi, & Patriam libertatis*. Nazarius in *Pan. Arcem omnium gentium*: Valentinianus Imp. in Rescripto ad Olybrium Urb. P. *Romam communem omnium patriam* appellavit; causam tanti nominis venari licet: vestigemus, vel tandem Plinii verba *lib.* 3. *cap.* 5. „Roma omnium terrarum alumna & parens, numine Deum electa, quæ Cœlum ipsum clarius „faceret, sarsa congregaret Imperia, ritusque molliret, & tot populorum discordes ferasque linguas sermonis commercio contraheret ad colloquia, & humanitatem homini daret; breviterque „una cunctarum gentium in toto Orbe „patria fieret. Idque Prudentius ore D. Laurentii prudenter a Deo hoc factum occinit,

R. Orbis domicilium.

R. encomium a Plinio.

—— Sceptra Romæ in vertice
Rerum locasti, sanciens
Mundum Quirinali togæ
Servire, & armis cedere.
En omne sub Regnum Remi
Mortale concessit genus.

Enimvero sapiens Egesippus subinfert: „In ipsorum quoque nomen elementa „transierunt, in quos etiam transivit ORBIS TERRARUM, qui Romano Imperio clauditur, & definitur; denique a „plerisque Orbis Romanus appellatur, „nam si verum quæramus, Terra ipsa infra Romanum Imperium est. Plinius idipsum indigitat: „Ad Urbis nostræ mira-

„ cula transire convenit, cujus non alia „ magnitudo exsurgit, quam MUNDUS „ alius quidem in uno loco narretur; signavit hanc magnitudinem Rutilius in *Itiner.*

Fecisti patriam diversis gentibus unam,
Profuit invitis te dominante capi.
Dumque offers victis proprii consortia juris,
Urbem fecisti, quod prius orbis erat.

Non diis, sed Deo annuente crevit.

Causam plerique exquirunt, eamque Tertullianus in *Apologetico* cap. 25. denarrat: „ Romanos pro merito religiositatis diligentissime in tantum sublimitatis elatos, „ ut ORBEM occuparint, & adeo deos „ esse ut præter cæteros floreant, qui diis „ officium præter cæteros faciant. Ista mer„ ces Romanis a diis pro gratia expensa „ est. Idque Symmachus ad Augustos retulit, Imperiumque a diis ostendens collatum. Prudentius item occinit,

Sed multi duxere dii per prospera Romam.
Quos colit ob meritum magnis donata triumphis.

Sed hic perpetuus error, quem cap. 2. eluimus. Deus ita sanxit, docetque Tertullianus in lib. *de Pallio*: *Secularium sortium variavit urna, & Deus Romanis maluit:* Vetus lectio apud Pithœum, *Sæcularium sortium dominia fortunare Romanis Deus maluit*. Sisto. Crevit Deo volente.

CAP. II.

Commune Urbis nomen pro Roma expenditur.

XVIII. Antiquitatum arcana altum sapiunt, & inter adyta & umbras divinitatis lumina obvolvunt; Romæ nomen ex astris & orco delapsum præfert symbola scitu digna. Non enim cuncta latent, sed vulgo fausta præbet omnia, & sonum, qui aures compleat, mentesque philosophantium elevet, sacra usque modo, ritusque superstitiosissimos de more peregimus, nunc vestibulum paulisper adstantes tenemus, penitissimos adytorum recessus quandoquidem ingressuri.

Symbola quæ:

XIX. Urbis NOMEN quid denotet, viri sapientissimi consultis perquirunt quam pluribus Antiquorum oraculis, ideoque Pherecydem sequimur, & ab ovo mundum Romanum venari operis erit pretium; a societate Domum, Pagum, deinde Urbem crevisse testatur Aristoteles in primo *Politicorum* cap. 1. & 2. Ἡ εἰς πᾶσαν ἡμέραν συνεστηκυῖα κοινωνία κατὰ φύσιν, οἶκός ἐστιν. οὓς Χαρώνδας μὲν καλεῖ ὁμοσιπύους, Ἐπιμενίδης δὲ ὁ Κρὴς ὁμοκάπνους. Ἡ δ' ἐκ πλειόνων οἰκιῶν κοινωνία πρώτη χρήσεως ἕνεκεν μὴ ἐφημέρου, κώμη. Μάλιστα δὲ κατὰ φύσιν ἔοικεν ἡ κώμη ἀποικία οἰκίας εἶναι, οὓς καλοῦσί τινες ὁμογάλακτας, παῖδάς τε καὶ παίδων παῖδας ..... Ἡ δ' ἐκ πλειόνων κωμῶν κοινωνία τέλειος, πόλις ..... γινομένη μὲν τοῦ ζῆν ἕνεκεν, οὖσα δὲ τοῦ εὖ ζῆν. *Quotidiana societas secundum naturam constituta Domus est; quos Charondas quidem Homosipyos, seu penu socios, Epimenides vero Cretensis Homocapnos, seu fumi socios, appellat. Sed quæ ex pluribus domibus constituitur societas prima, utilitatis gratia non quotidianæ, Pagus est. Maxime vero secundum naturam videtur Pagus, propagatio quædam esse domus eorum, quos vocant quidam Coalitos, Natosque & Natos Natorum ..... Quæ autem ex pluribus Pagis conficitur societas perfecta*, CIVITAS *est ...... constituta quidem gratia vivendi, exsistens autem bene vivendi gratia.*

Civitas ex Aristotele.

Hæc ille ex Platone & Pythagoricis, quorum placita expressit Plato; homo namque natura civile est animal, & procul brutescit ab homine; præcipue, auctore Homero,

Homo solitarius.

Sine tribu, sine jure, sine domo.

XX. Hinc Tullius in *Somnio Scipionis* magnanimum ut primum Africanum alloquitur, ait: „ Nihil est illi principi Deo, „ qui omnem mundum regit, quod qui„ dem in terris fiat acceptius, quam con„ cilia, cœtusque hominum, jure sociati; „ quæ Civitas appellatur; animadvertebat doctus Macrobius *lib.* 2. *cap.* 10. quod *jure* dixit *sociati*;,, Nam & servilis quon„ dam, & gladiatoria manus concilia ho„ minum & cœtus fuerunt; sed non jure „ sociati: illa autem sola justa est multitu„ do, cujus legum consentit obsequium. Nec siluit Plato in *Minoe*; insuper ex Timæo, Phædroque, & Gorgia, quatuor leges recenset, quæ felicitatem beatitudinemque inducunt: *divinam*, quam providentiam appellat, & antea *Saturni legem* in mente divina Orpheus: secundam *Cælestem*, vel *Fatum*, de quo Mercurius Trismegistus, in superiore mundi parte *Jovis legem* vocat; sequitur *Natura*, deinde lex humana, quam *prudentiam naturalem* nuncupat; per quam justi Rerumpublicarum Rectores diis comparantur, occinitque Hesiodus *,

Jus urbes conductas servat.

Quatuor leges.

Indigetes divi Fato summi Jovis hi sunt;
Quondam homines, modo cum superis humana tuentes
Largi ac munifici, jus Regum nunc quoque nacti.

Rectores urbium in Cœlo.

Carmini facem præstat Macrob. in *Somn. Scip.* lib. 1. c. 9. „ Rectores quondam ur„ bium recepti in Cœlum, curam regendo„ rum hominum non relinquunt. Hæ au„ tem animæ in ultimam sphæram recipi „ creduntur, quæ Aphanes † vocatur. Tullius ubi Lælium cum Scipione de Urbe ab alto effingit eloqui, ait in *Somn. Scip.* cap. 3. „ Omnibus, qui patriam conserva„ verint, adjuverint, auxerint, certum „ esse in Cœlo, & definitum locum, ubi „ Beati ævo sempiterno fruantur.

XXI. Fidem obfirmat Romulus Urbis conditor, & legislator, qui elapsus ad Capreas cum diis, teste Ennio, agit ævum, de quo Proculus Julius apud Livium *lib.* 1. *cap.* 16. dum in concionem patrum prodit, numine perculsus inquit, „ Romulus, „ parens Urbis hujus, prima hodierna lu„ ce Cœlo repente delapsus se mihi obvi„ um dedit, cum perfusus horrore, venera„ bundusque adstitisem, petens precibus,

Romulus cum diis agit ævum.

* *Opera & Dies*, ℣. 121. ubi videsis.
† Alii, *Aplanes*.

„ ut

„ ut contra intueri fas esset; Abi, nuntia, „ inquit, Romanis. Cæleстes ita velle, ut „ mea Roma CAPUT ORBIS TERRARUM SIT: proinde rem militarem „ colant, sciantque, & ita posteris tradant, „ nullas opes humanas armis Romanis resistere posse. Habes oraculum, Urbemque invincibilem; ideo quænam Romæ pars dicenda sit Urbs, inquiramus.

Differentia inter urbem & civitatem. XXII. Nonius Marcellus ait: *Inter urbem & civitatem hoc interest: urbs est ædificia; civitas incolæ*: asseritque auctoritate maximi Vatis Virgilii, qui occinit, *Urbs antiqua fuit, &c.* Ennius in *Telepho*, *Et civitatem video Argivum incendier*. Pacuvius in *Atalanta*, *Sollicita studio obstupida suspenso animo civitas*. Tullius l. 1. *de Republica* id antea docuit: *Conjunctionem tectorum oppidum, vel urbem appellarunt, delubris distinctam, spatiisque communibus; omnis ergo populus, qui est talis cœtus multitudinis, civitas est*. Nihilominus Recentiores oppidum ab urbe separant, ipsaque nominis originatione demonstrant, aliud oppidum constituere,

Oppidum ab ope. aliud urbem, cumprimis D. Isidorus l. 15. *Orig.* cap. 2. „ Oppidum quidam ab oppositione murorum dixerunt; alii ab opibus „ recondendis, eo quod sit munitum: alii „ quod sit in eo conventus habitantium, „ & opem det mutuam contra hostem; „ nam primum homines tanquam nudi & „ inermes, nec contra belluas præsidia habebant, nec receptacula frigoris ac caloris, nec ipsi inter se homines ab hominibus satis tuti erant; tandem naturali „ solertia speluncis silvestribusque tegu-„ mentis tuguria sibi & casas virgultis „ arundinibusque contexerunt, quo esset „ vita tutior, ne iis, qui nocere possent, „ aditus esset; hæc est origo oppidorum, „ quæ, quod opem darent, iccirco oppida „ nominata dixerunt. Hæc ille de oppido. Pergit deinde: *Civitas proprie dicitur, quam non advenæ, sed eodem innati solo condiderunt: ideoque* URBES *a propriis civibus conditæ civitates nuncupantur*. Igitur Latium, Lavinium, Alba, non ur-

Roma Urbs. bes, Roma Urbs, quia a Romulo & Remo Palatii indigenis. Sic juxta oraculum, quod refert Virgilius lib. 1. *Æn.* vers. 280.

——— Mavortia condet
Mœnia, Romanosque suo de nomine dicet.

XXIII. Sequamur Isidori fidem; prima Urbs in Latio Roma suis ab incolis instituta, oppidorum princeps surrexit, & parens; enimvero ex Aristotelis contextu amplitudinem magnitudinemque illius au-

Nati Natorum imperant. spicamur a propagatione *Coalitorum*, & *a Natis Natorum*; similiter Phœbi vox, & oraculum in tertio *Æneid.* vers. 94.

Dardanidæ duri, quæ vos a stirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos ubere læto
Accipiet reduces, antiquam exquirite matrem:
Hic domus Æneæ cunctis dominabitur oris,
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.

Matris nomine cum Conrado sunt qui Italiam intelligant; etenim Tullius lib. 9. *ad Atticum* eam vocat *Patriam antiquissimam, & sanctissimam parentem*: Plinius *Parentem Mundi*. Addit Scholiastes locum Strabonis *lib.* 13. ex Homero: *Sunt qui scribant Romanos intelligi per Æneæ genus dominaturum, perque filios filiorum*. Italia mater Orbis.

XXIV. Romam urbium & orbis parentem Delius, si fas est verum dicere, vocat Apollo; enimvero Epictetus sapiens interrogatus ab Adriano Augusto, quid esset Roma, *Matrem omnium gentium*, respondit: Symmachus ad Eufrasium *cunctarum Provinciarum parentem* Urbem appellat. Et Aristides Urbis nomen faustissimum eleganter expendit dicens: *Romanum nomen non urbis alicujus est, sed* GENERIS TOTIUS, *nec unius quidem alicujus, sed quod reliquis omnibus exæquaretur, nec enim in Græcos & Barbaros omnia divisistis, sed in eos, qui Romani, & qui Romani non essent, tribuistis longissime producto Urbis cognomine*. Unde Rutilius cecinit,

Fecisti patriam diversis gentibus unam.

Eleganter Corippus Romam ubera ostentantem describit: Romæ ubera.

Addidit antiquam tendentem brachia Romam,
Exserto & nudam gestantem pectore mammam
Altricem Imperii.

Symmachus Urbis Præfectus, singularis eloquentiæ vir: *Omnes exserto & pleno ubere Roma suscipit*. Sidonius in *Paneg.* ad Anthemium bis Augustum,

Pectus & exsertam tetigerunt cornua mammam.

Prudentius lib. 2. *adv. Symmachum* tantæ majestatis causam occinit:

Hanc frenaturus rabiem Deus, undique gentes
Inclinare caput docuit sub legibus iisdem,
Romanosque omnes fieri, quos Rhenus & Ister,
Quos Tagus aurifluus, quos magnus inundat Iberus,
Corniger Hesperidum quos interlabitur, & quos
Ganges alit, tepidique lavant septem ostia Nili.
Jus fecit commune pares, & nomine eodem
Nexuit, & domitos fraterna in vincla redegit.
Vivitur omnigenis in partibus haud secus ac si
CIVES CONGENITOS *concludat mœnibus unis*
Urbs patris atque omnes lare concilientur avito.
Texitur alternis ex gentibus UNA PROPAGO.

Ex omnibus Regnis Roma parens colitur.

XXV. Habemus Urbis nomen quid denotet; altera instat ratio Aristotelis: *Quæ ex pluribus pagis conficitur societas,* Urbs ex pluribus pagis.

[A] *urbs est*. Verumenimvero præstantissimum ingenii Romuli culmen dispersos congregavit in Asylo, & ex pluribus unum immensæ majestatis caput extulit Romam; Florus rem tangit: *Asylum facit, & statim mira vis hominum, Latini, Thuscique pastores quidam, etiam transmarini, Phryges, qui sub Ænea, Arcades, qui sub Evandro Duce influxerant; ita ex variis quasi elementis congregavit corpus unum, Populumque Romanum ipse fecit*. Hinc Aristides inquit: *Roma omnes homines, velut fluvios mare, recepit*. Lucanus occinit: [B] *Urbem populis, victisque frequentem Gentibus*; Athenæus in Cœna sapientum *l. 1. c.* 17. *Οὐκ ἂν τις σκοποῦ πόρρω τοξεύοι, λέγων τὴν Ῥωμαίων πόλιν ἐπιτομὴν τῆς οἰκουμένης, ἐν ᾗ συνιδεῖν ὅπως ἐστι πάσας τὰς πόλεις ἱδρυμένας. Non longe aberraret fortasse a scopo, qui totius terræ habitatæ compendium Romanam Civitatem appellaverit, in qua omnes civitates commorantes intueri facile licet*. Unde Orbis Romanus surrexit, & inclytum nomen Reginæ Orbis.

Populi & regna Romanorum armis contrita.

XXVI. Sed encomia eloquentissimorum sileant, ubi veritas effatur. [C] Matrem ac Dominam totius orbis terrarum Romam crevisse diximus, devictis receptisque Provinciis, enarratque Sextus Rufus in *Breviario rerum gestarum Populi Romani*, nec siluit Messala Corvinus in libello *de Progenie Augusti*. Enimvero expletis ab V. C. annis CCCCXLVII. omnis Italia viribus armorum Romanorum subacta est; simul & Alpes Cottiæ, Penninæ, & Grajæ, atque Romanæ cum Alpinis populis, ipsis in rupibus duratis, in ditionem convenere: Africa ter victa primo, & secundo, & tertio bello Punico, [D] Romano Imperio tandem parta: Sicilia, Sardinia, Baleares, Creta Insulæ obtentæ: Numidia victo Jugurtha in potestatem redacta: Hispania, genus armorum ferox, resipuit: Celtiberi, Cantabri, Astures, Lusitani, Numantia, omnisque Gallæcia flexere cervicem: Gallia atque Britannia novem annorum Julii Cæsaris labor fuere, tributariæ demum factæ: post hæc Illyria, Istria, Liburni, & Dalmatæ obsecundavere perdomiti: Proinde in Græciam transitus, qua perdomita, Epirus, Thessalia, & Achaja [E] paruere mandatis: Ter Macedonia cum Regibus suis debellata, & in Provinciæ formam demum redacta: Thraces sævissimos omnium, Propontidem, & Thracium Bosphorum cum ipso Byzantio virtus Romana superatos reddidit: Hinc ad Danubium Rhenumque penetratum, & utriusque fluminis utramque ripam Cæsaris Augusti subjugavere vires: Duæ Germaniæ inferior ac superior cessere: Norici, Pannonii, Suevi, Marcomanni, Daci, Mœsi, cæteræque nationes ad Arcton, superati: [F] Europa in extremis finium suorum per Cæsarem undique exterrita, armisque concussa: In Asia, victo Antiocho, potentissimo Rege, victo Mithridate, Syria, Phœnix, Ctesiphon, Babylonia, Judæa, Palæstina, Arabia, Cilicia, & omne Ponti Regnum, cum ipsa Minore Asia, in qua Phrygia, Lydia, Bithynia, Paphlagonia, Isauria, & Cappadocia, Regiones continentis, obtemperavere mandatis; Cessit & utraque Armenia armis attrita: Mesopotamia inter Tigridem & Euphratem sanguine Parthorum ac Persarum crebro cruenta multiplici bello, demum Romano paruit: Ad Arcton Colchi, Hiberi, Albani, Scythæ, Assyrii, Caspii cum Amazonibus suis ductu Romanorum Ducum subjugati sunt: Ægyptus ultro cessit: Cyrene, ac tota Libya, & Mauritania, exstincto Juba, obsequentes fuere: Indi ex ipso extremo Oriente postremo ad gloriosissimum Cæsarem, in extremo Occidente bella gerentem, legationem miserunt, ad obsequia se paratos [B] profitentes. Ut nihil Roma imperante videretur indomitum; sed ex tanta Orbis ruina Urbs una fieret Orbis caput & mater.

Ex omnibus Provinciis Mundi una vindex Roma viget.

XXVII. Sic Orbe sub armis & jugo potenter redacto Urbs felix extulit caput, & una cunctarum gentium mater crevit in orbem; unde Prudentius lib. 2. *in Sym.* cecinit:

Ergo age bellatrix, quæ vis subjecerit, ede,
[C] *Europam, Libyamque tibi. Dic nomina divum.*
Jupiter ut Cretæ domineris, Pallas ut Argis,
Cynthius ut Delphis tribuerunt omine dextro.
Isis Nilicolas, Rhodios, Cytherea reliquit,
Venatrix Ephesum Virgo, Mars dedidit Hebrum.
Destituit Thebas Bromius, concessit & ipsa
[D] *Juno suos Phrygiis servire nepotibus Afros.*
Et quam subjectis Dominam dea gentibus esse,
Si qua fata sinant, jam tum tenditque, fovetque,
Jussit Romuleis addictam vivere frenis.
Perfidia-ne deum indigenum cecidere tot urbes?
Destructæque jacent, ipsis prodentibus aræ?
O pietas, o sancta fides! traduxit alumnos
[E] *Majestas infida locos*, &c.

Dii, Deo annuente, Romæ urbes suas dederunt.

Traductos tenet populos deosque ipso militum robore, non aræ numine, & victoriæ, ut Symmachus declamabat, sed manubiis opimisque spoliis inclyta Urbs maxima præsedit in vertice montium; ad eam confluentes undique nationes mater exsertis lactabat mammis, & lupæ filia facta est parens orbis; Propertius *lib. 4. el. 1.*

Militum R. robur.

Hoc, quodcumque vides hospes, quam MAXIMA ROMA *est.* [F]

Roma maxima.

Et Procopius testatur ingenue, *Romam omnium urbium, quæ sub Sole sunt, Urbem maximam & nobilissimam esse, in confesso est*. Unde Horat. *Carm. Sec.* vers. 9.

Alme Sol, curru nitido diem qui
Promis & celas, aliusque, & idem
Nasceris, possis nihil URBE ROMA
Visere majus.

A Sibylla proinde numine afflata, Urbem, Regemque Urbis Romulum, magnos occinit,

Magnæ Rex Magnus Romæ, similisque deo vir.

Martialis de Amphitheatro Domitiani Cæsaris.

Quæ tam seposita est, quæ gens tam barbara, Cæsar,
Ex qua spectator non sit in Urbe tua.

Cur tanta magnitudine præstat Roma?

B XXVIII. Videamus magnum hoc Dei opus in mundi vertice Romam; Nabuchodonosor in bestiam abiit, dum Babyloniæ magnitudinem præ viribus affectabat; magnam Urbs magnorum scelerum asylus, impiorumque societas. Roma nedum mundi homines, sed sacra & deos excepit; unde Tertullianus in libro *de Spect.* cap. 7. inquit, *in Urbe dæmoniorum conventus præsedit*. Cur igitur numen infestum Turri in terra Sennaar Romam non ante subvertit? An propter virtutem, quam vetus semper coluit? ita Augustinus ad Marcellinum lib. 5. cap. 12. *Civ. Dei*, & sequitur per plura capita: & Plutarchus virtutem supra vires fortunæ in Roma demonstrat: Symmachus in legatione ait, *Religionum status Reipublicæ diu profuit*. Etenim Romani nuncupantur a Tertulliano in *Apologetico*, *religiosissimi legum, paternorum institutorum protectores, & cultores*. Forsan ideo stetit, quia virtus est columna, ne corruat orbis. Audi Ammianum Marcellinum *lib. 14. cap. 6. Per omnes partes terrarum ut Domina suspicitur & Regina; & ubique Patrum reverenda cum auctoritate conjicies* * *Populi Romani nomen circumspectum, & verendum*; & alibi Romam, *virtutum omnium domicilium* appellat D. Aug. *lib. cit.* cap. 19. *Deus unus, verus, & justus, Romanos secundum quamdam formam terrenæ civitatis bonos adjuvit ad tanti Imperii gloriam consequendam*. An quia Romanorum arma, tamquam Dei flagellum, totum torquebant terrarum orbem idololatria & impietate insultantem? ita in Vaticiniis Danielis Prophetæ, & equidem P. Orosius pluribus enarrat. Sic inimicos punit Altissimus, & resonante inimicorum flagro, male operantes exterminat. Et Hierusalem, quæ Cæsarem pio Deo conclamavit, inquit Hieronymus, sub Cæsarum corruit hasta. An quia recepta deorum omnium superstitione, illius vanitatem Docti agnoscerent & irriderent? ita proinde Tullius in libro *de Divinatione*, & Seneca libello edito, quem inter Opera D. Aurelii Augustini legimus, ediditque Lipsius, illam damnant cum diis, fabulosamque plerique rejiciunt; ob quod inclamat Tertullianus in *Apol. Sugillatio est in Cœlo justitia vestra: deos facitis criminosissimos*, &c. An quia crevit victoriis robur, & miles exercitio fortior supra orbis se extulit Imperium? non aliter L. Florus eleganter *lib. 2. c. 1.* „ Domita subactaque Italia, populus Romanus prope quingentesimum annum agens cum bona fide adolevisset: si quod est robur,

Urbs conventus dæmoniorum.

Cur stetit?

An propter virtutem.

R. virtutum parens.

R. Dei flagellum impios punit.

Romæ dii illusi.

Romana militia vicit Orbem.

Fortuna R. nihil contulit.

„ si qua juventa; tum ille vere robustus & „ juvenis, par Orbi terrarum esse cœpit. „ Itaque (mirum & incredibile dictu) qui „ prope quingentis annis domi luctatus „ est, (adeo difficile fuerat dare Italiæ caput) his ducentis, qui sequuntur, Africam, Europam, Asiam, totum denique „ ORBEM TERRARUM bellis victoriisque peragravit. An quia Fortuna Romam evexit ad astra? nequaquam cœcum gentium prævaluit numen. Ideo audiendus Ammianus M. *lib. 14. c. 6.* „ Tempore „ quo primis auspiciis in mundanum fulgorem surrexit victura dum erunt homines Roma, ut augeretur sublimibus incrementis, fœdere pacis æternæ VIRTUS convenit, atque FORTUNA, plerumque diffidentes, quarum si altera defuisset, ad perfectam non venerat summitatem. An quia miles ad arma promtus peperit Urbi Orbem? ita Herodianus *lib. 2.* inquit: *Arma terræ marisque Imperium Romæ pepererunt, neque ulla Orbis terrarum pars, aut Cœli tractus fuit, quo non vires suas Romanorum arma protulerint*. C Pomponius Lætus *de Mag. Imp. Rom. Toto terrarum Orbe undique Romana arma illustres victorias assequuta Sociis lætitiam præbuere, Rebellibus metum, terroremque pugnare cupientibus*. Negat tamen D. Augus. lib. 5. *C. D.* cap. 22. An Deo auctore, ut una omnem in se continens Orbem, tandem resipiscens, adversus Idola Crucem exaltaret, & Christum? equidem sic puto; nam vetus carmen occinit,

R. miles.

Utque alios alii de religione docerent,
Contiguas pietas jussit habere domos.

D XXIX. Quid in Urbe Orbis? Maxentio impiissimo Tyranno, instar Pharaonis demerso, ovans Constantinus Urbem ingreditur, & Crux undique fulget; sic Nicephorus Callistus, & Græci Scriptores apud Baronium, & nos plura in libro *de Columnis Ægyptiorum*; itaque ut primum Urbs Christum recepit, Orbis Christianus effulsit; cecinerat hoc Prudentius *in Symmachum* lib. 2.

R. Orbem vicit, ut Religion. Christianæ caput idola confringeret. R. Crux exaltatur.

E *Vis decorare tuum ditissima Roma Senatum?*
Suspende exuvias armis & sanguine captas:
Congere Cœlorum * *victrix diademata Regum:*
Frange repulsorum fœda ornamenta deorum.
Tunc tibi non terris tantum victoria parta,
Sed super astra etiam media servabitur æde.

Fit Christiana.

F XXX. Aliud ad Urbis ornamentum addamus gloriæ decus; est namque in societate, quæ civitatem construit, sermo unus cunctorum velut justitiæ specimen; docet Aristoteles *Polit.* lib. 1. cap. 2. Ἡ μὲν φωνὴ, τοῦ ἡδέος καὶ λυπηροῦ ἐστι σημεῖον. . . . . Ὁ δὲ λόγος ἐπὶ τῷ δηλοῦν ἐστι τὸ συμφέρον καὶ τὸ βλαβερὸν, ὥστε καὶ τὸ δίκαιον, καὶ τὸ ἄδικον· τοῦτο γὰρ πρὸς τὰ ἄλλα ζῶα τοῖς ἀνθρώποις ἴδιον, τὸ μόνον ἀγαθοῦ καὶ κακοῦ, καὶ δικαίου καὶ ἀδίκου, καὶ τῶν ἄλλων αἴσθησιν ἔχειν· ἡ δὲ τούτων κοινωνία ποιεῖ οἰκίαν καὶ πόλιν. Id est,

Sermo confert ad urbes.

* Repon. *canities.*

* Rescr. *cæsorum.*

Vox quidem moleſti atque jucundi ſignificatio eſt. . . . At ſermo ad hoc datus eſt nobis, ut oſtendamus utilitatem & damnum, atque ita juſtum & injuſtum; hoc enim præter cætera animalia hominibus proprium eſt, ut boni & mali, atque juſti & injuſti, & aliorum hujuſmodi ſenſum habeant ſoli; horumque ſocietas facit domum & civitatem. Fecit Urbem maximam ſermo Latinus, *Et ſparſa congregavit Imperia*, dum populorum diſcordes, feraſque linguas, ſermonis commercio, molliret, inquit Plinius *lib. 3. c.* 5. hinc Auguſtus, ut Romano dialecto uterentur victæ terrarum Provinciæ, ſanxit, quod felix fauſtumque eloquentiæ ad culmen fecit; enimvero Picus Mirand. Crinito ad Marcianam Bibliothecam diſſerenti, dixit, Fuerunt non pauci, in quibus Romana & elegans eloquutio; Alii rurſus veluti municipes & agreſtes, quaſi ſub alio cœlo ſermonem didicerint; Romani in ſuo genere preſſi, & elegantes, & proprii, ut Tullius, Cæſar, Marcus Cicero, Quintus Curtius, Livius, Jul. Columella, & C. Tacitus: Hiſpani autem florentes, acuti, & qui ad peregrinum inclinent; ſicut F. Quintilianus, Hilarius, & Annæus Seneca; Suetonium his & Plinium addebant; quod eſſent in ſcribendo ſimiles, figuriſque & Græcis vocibus cupidius ac inſolenter uterentur; quod maxime Hiſpanis ingeniis proprium: Punici & Carthaginienſes duri, audaces, improbi, ut Florens Tertullianus, Apulejus, Cyprianus, Capella, & cæt. Hæc ille lib. 8. *hon. diſc.* cap. 3. Nihilominus quando ſcripſerunt iſti noviſſime, ſermo Latinus declinaverat in barbariem; unde recte Picus, „Priores Romanum jus ſervarunt, ac nulla prorſus vitia in ſermone admiſerunt, „ſequentes ab his declinarunt, tertii palam aberrantes, virtuti vitium prætulerunt. Cur itaque de Gallorum ingeniis non loquendum, & Ennodii Commentaria non probanda dixit? quo tempore ſumma laus apud exteros ob eloquentiam habebatur, Romanorum roſtra ſilebant; ſed præſtante Romano eloquio, nunquid Municipes balbutiebant? Scaligeri Criticam, & Lipſii limam præ manibus habeant, qui arbitri ſubſellia optant; de Apulejo inquit Beroaldus vir criticus & ſapiens, „Romæ „ſtudiorum Latinorum cultor aſſiduus ad „id facundiæ Romanæ faſtigium provenit, ut eloquentiſſimus doctiſſimuſque „juxta conſpiceretur: ibique ſacris Oſiridis initiatus in numerum Paſtophororum, quod ſacroſancti erat Collegii nomen, cooptatus, forenſia patrocinia ex „Dei præcepto libens obibat. Quintilianus Præceptor cenſuram in Romanos edidit; Seneca loquendi formas monſtravit; Tertullianus eloquentiſſimus Magiſter admiranda ſcripſit uſque ad portentum, Romanorumque admirationem; quod de aliis, plerique præſtant: tandem bona verba: Romani ſermonis commercio (quod a Tertulliano *Medicamen ſapientiſſimum* nuncupatur) aucta Urbs crevit Imperio, & legem Orbi impoſuit, occinitque Rutilius.

Victi Latine loquebantur.

Municipum Latina Lingua.

Apuleji laus.

Urbs aucta ſermonis commercio.

Tu quoque legiferis Mundum complexa triumphis,
Fœdere communi vivere cuncta facis.

Urbem a monumento, & vi repellenda, tamquam *Urbatam* dicebat *ex Verrio* Nannius, *bonum dictum, ſic crevit Roma.* Claudianus *Pan. 3. Stil.*

Urbs urbata ad vim repellendam.

Hæc eſt, exiguis quæ finibus orta tetendit
In geminos axes, parvaque a ſede profectas
Diſperſit cum Sole manus. ——

Tibullus eleganter occinit id ipſum, & Ovidius lib. 4. *Faſtor.* verſ. 857.

Urbs oritur (quis tunc hoc illi † credere poſſet)
Victorem terris impoſitura pedem.

Aſſeritque ad Marcellinum ex Salluſtio Auguſtinus lib. 3. *C. D.* cap. 10. „Poſtquam res Romanorum legibus, moribus, agris aucta, ſatis proſpera, ſatiſque „pollens videbatur, invidia ex opulentia „orta eſt; igitur Reges, populique finitimi bello eos tentare, pauci ex amicis „auxilio eſſe. At Romani domi militiæque intenti feſtinare, parare, alius alium „hortari, hoſtibus obviam ire, libertatem, patriam, parenteſque armis tegere. Poſt ubi pericula virtute propulerant, ſociis atque amicis auxilia portabant, magiſque dandis quam accipiendis beneficiis amicitias parabant. Decenter his artibus Roma crevit. Cato Maximus, quem inter Veteres Salluſtius commendat, diverſimode deſcribit antiquitus, „Nolite, inquit, exiſtimare majores noſtros armis REMPUBLICAM EX „PARVA MAGNAM feciſſe: alia fuere, quæ illos magnos fecerunt; domi „induſtria, foris juſtum Imperium, animus in conſulendo liber, neque libidine, neque delicto obnoxius. Pro his nos „habemus luxuriam atque avaritiam, publice egeſtatem, privatim opulentiam; „laudamus divitias, ſequimur inertiam; „inter bonos & malos diſcrimen nullum: „omnia virtutis præmia ambitio poſſidet. Hanc Orationem habuit in Senatu, cum eſſet deſignatus Tribunus Plebis, adverſus Catilinam. Sic aucta invidiam ſibi peperit, quam armis propulſandam tentavit, & vicit.

R. crevit invisa, pugnavit, & vicit.

R. non armis aucta, ſed virtute.

XXXI. Hinc eleganter Tertullianus in lib. *de Pallio*, regnante Severo Imper. ejuſque filio Antonino, Albinoque, Auguſtis, inquit: „Quantum reformavit Orbis ſæculum iſtud? Quantum urbium, „aut produxit, aut auxit, aut reddidit „præſentis Imperii triplex virtus, Deo tot „Auguſtis in unum favente? Quot cenſus „tranſcripti? Quot populi propaginati? „Quot ordines illuſtrati? Quot Barbari „excluſi? Revera Orbis cultiſſimum hujus „Imperii rus eſt. Grande ſonat hoc rus, cultumque offert Imperium, & fortaſſe devotum gladio; audiamus Rutilium Romæ tibiis apertis concinentem.

R. auctum Imperium.

Imperium, rus.

Dum ſtabunt terræ, dum polus aſtra feret,
Illud te reparat, quod certa Regna reſolvit.
Ordo renaſcendi eſt creſcere poſſe malis.
Ergo age, ſacrilegæ tandem cadat hoſtia gentis,

† Alii melius, *ulli.*

Orbis Romam alit. *Submittant trepidi perfida colla Getæ.*
Ditia pacatæ dent vectigalia terræ,
Impleat Augustos barbara præda sinus.
Æternum tibi Rhenus ARET, *tibi Nilus inundet,*
Altricemque suam fertilis Orbis ALAT.
Quin & fœcundas tibi conferat Africa messes, &c.

Sic Imperium habet pro rure Orbem, & undique alimenta conquirit, ut Roma incolume, Mundus totus in urbe servetur, scripsit hæc Cassiodorus *lib.* 11. *cap.* 39. ad Vitalianum Cancellarium Lucaniæ & Brutiorum: „ Apparet quantus in Romana Civitate fuerit Populus, ut eum etiam de longinquis Regionibus copia provisa satiaret, quatenus circumvecta Peregrinorum victui sufficeret, cum illos ubertas advecta servaret, &c. De qua re Aristides satis longam fecit litteram, eumque vide. [R. provisio toto ab Orbe petita.]

XXXII. Sequitur Aristoteles lib. 7. *Pol.* cap. 11. & situm magnæ urbis describit; etenim *cap.*6. de vicinitate maris in utramque partem differit, postmodum quatuor demonstrat ad constitutionem urbis necessaria: *Τὴν θέσιν εὔχεσθαι δεῖ κατατυγχάνειν, πρὸς τέτταρα βλέποντας· πρῶτον μὲν πρὸς ὑγίειαν· αἵ τε γὰρ πόλεις πρὸς ἕω τῆς ἔγκλισιν ἔχουσαι, καὶ πρὸς τὰ πνεύματα τὰ πνέοντα ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς, ὑγιεινότεραι. Δεύτερον δὲ, κατὰ βορέαν, εὐχείμεροι γὰρ αὗται μᾶλλον. Τῶν δὲ λοιπῶν πρός τε τὰς πολιτικὰς πράξεις καὶ πολεμικὰς, αὐτοῖς μὲν εὐέξοδον εἶναι χρὴ, τοῖς δ' ἐναντίοις δυσπρόσοδον, καὶ δυσπερίληπτον. Ὑδάτων τε καὶ ναμάτων μάλιστα μὲν ὑπάρχειν πλῆθος οἰκεῖον.* *Optandum est positionem sortiri ad quatuor respicientes; primum ad sanitatem: ad orientem enim Solem conversæ urbes, & ad eos ventos, qui inde perflant, salubriores sunt. Sint insuper ad Boream sitæ, sic namque sunt ad hyberna potiores. In reliquis vero, ut ad civiles res & ad bellicas opportune se habeant: ad bellicas quidem, ut facile sit civibus in aliena egressio, hostibus autem difficilis aditio, ac difficilis circumdatio. Aquarum autem & stagnorum abundantiam babeat*, &c. [Quatuor necessaria ad Urbis situm.]

Urbs igitur in Palatio, nec procul a mare præstat colles saluberrimo cœlo, ventis purissimis, & Tiberis gaudet unda in editis sedens, culmen collis possidet tuta, impervia hostibus. Hanc descripsit Dictator postquam triumphum a Gallis, & captam denuo reduxit urbem: „ Non fine causa dii hominesque hunc Urbi condendæ locum elegerunt; saluberrimos colles, flumen opportunum, quo ex mediterraneis locis fruges devehantur, quo maritimi commeatus accipiantur; mare vicinum ad commoditates, nec expositum nimia propinquitate ad pericula classium externarum: Regionum Italiæ medium, ad incrementum Urbis natum unice locum. Argumento est ipsa magnitudo novæ Urbis, &c. Hæc ille apud Livium *lib.* 5. *cap.* 54. an. V. C. CCCLXV. postquam Galli Senones totam Urbem igne, ferro, manibus solo exæquarunt. Sed quia in monte sita præstabat, adeo fuit aditus difficilis hostibus, facilis Civibus ad bellicas incursiones aggressus, ut una impressione compulsi perirent. [R. situs.]

Florus *lib.* 1. *cap.* 13. „ Sex mensibus Barbari, (quis crederet?) circa Montem unum pependerunt, nec diebus modo, sed noctibus quoque omnia experti: quos tandem Manlius nocte subeuntes clangore Anseris excitatus a summa rupe dejecit, & ut spem hostibus demeret, quamquam in summa fame, panes ab arce jaculatus est. Et post pauca: Senones subito aggressus a tergo Camillus adeo cecidit, ut omnia incendiorum vestigia Gallici sanguinis inundatione deleret. Agere gratias diis immortalibus ipso tantæ cladis nomine libet. Pastorum casas ignis ille, & flamma, paupertatem Romuli abscondit. Incendium illud quid egit aliud, nisi ut destinata hominum ac deorum domicilio civitas, non deleta, nec obruta, sed expiata potius, sed lustrata videretur? [R. capta Senones Gallos vicit.] [Crevit deorum domicilium.]

Habemus Urbem, juxta Aristotelis ac sapientum oracula, situ, salubritate, rerumque copia inexpugnabilem. Ad Orientem deinde illam demonstrat Dionysius Halicarnasseus lib. 2. *Antiq. Rom.* ad auspicia Numinum captanda satis insignem: *Στάσις ἀρίστη τῶν οἰωνοῖς μαντευομένων ἡ βλέπουσα πρὸς ἀνατολὰς, ὅθεν ἡλίου τε ἀναφοραὶ γίνονται καὶ σελήνης, καὶ ἀστέρων πλανητῶν τε καὶ ἀπλανῶν, ἥ τε τοῦ κόσμου περιφορὰ, δι' ἣν ποτὲ μὲν ὑπὲρ γῆς ἅπαντα τὰ ἐν αὐτῷ γίνεται, ποτὲ δ' ὑπὸ γῆς, ἐκεῖθεν ἀρξαμένη τὴν ἐγκύκλιον ἀποδίδωσι. Τοῖς δὲ πρὸς ἀνατολὰς βλέπουσιν ἀριστερὰ μὲν γίνονται πρὸς τὴν ἄρκτον ἐπιστρέφοντα μέρη, δεξιὰ δὲ πρὸς μεσημβρίαν· τιμιώτερα δὲ τὰ πρῶτα πέφυκε τῶν ὑστέρων. Μετεωρίζεται γὰρ ἀπὸ τῶν βορείων μερῶν ὁ τοῦ ἄξονος πόλος, περὶ ὃν ἡ τοῦ κόσμου στροφὴ γίνεται· καὶ τῶν πέντε κύκλων τῶν διεζωκότων τὴν σφαῖραν ὁ καλούμενος ἀρκτικὸς, ἀεὶ τῇδε φανερός· ταπεινοῦται δ' ἀπὸ τῶν νοτίων ὁ καλούμενος ἀνταρκτικὸς κύκλος, ἀφανὴς κατὰ τοῦτο τὸ μέρος. Εἰκὸς δὲ κράτιστα τῶν οὐρανίων καὶ μεταρσίων σημείων ὑπάρχειν ὅσα ἐκ τοῦ κρατίστου γίνεται μέρους· τὰ μὲν ἐστραμμένα πρὸς ἀνατολὰς ἡγεμονικωτέραν μοῖραν ἔχει.* *Sedes optima captandis auspiciis, quæ Orientem spectat, unde Sol & Luna surgunt, stellæque tam fixæ quam erraticæ, & unde Mundi motus sumit exordium, cujus circulari vertigine cuncta, quæ in eo sunt, modo super terram exsistunt, modo sub terra latitant. Porro qui Orientem spectant, Septentrionem a sinistris babent, a dextris Meridiem; honoratius autem est prius quam posterius. Sublimis enim ab Aquilonari tractu Polus attollitur, circa quem Mundus volvitur, & e quinque sphæræ Circulis, qui vocatur Arcticus, hac parte semper est conspicuus; at ab Australi tractu is, qui vocatur Antarcticus, semper in ea parte delitet. Verisimile est autem inter signa, quæ de cœlo servantur, ea præcellere, quæ fiunt in parte optima; & ad Orientem vergentia potiorem partem obtinent.* [R. situs describitur.]

Hactenus ille de situ Urbis: ad Orientem posita rerum humanarum Urbs divinarumque conspicua censetur. Etenim *ad Orientis Regionem* precari, teste Tertulliano in *Apologetico*, compertum est. Causam addit Justinus M. in *Resp. ad Or-*

thod. Eo quod Oriens præstabilior sit; hominum opinione, cæteris Mundi partibus. Salubritatem deinde loci, pulchritudinem, lavacra, fontes, aurasque saluberrimas Rutilius in *Itin.* occinit,

R salubritas aura, aquæ.

Intercepta tuis conduntur flumina muris,
Consumunt totos celsa lavacra lacus;
Nec minus, & propriis celebrantur roscida venis,
Totaque nativo mœnia fonte sonant;
Frigidus æstivas hinc temperat halitus auras,
Innocuamque levat purior unda sitim.
Quid loquar inclusas inter laquearia silvas
Vernula, qua vario carmine ludit avis?
Vere tuo nunquam mulceri desinit annus,
Delitiasque tuas victa tuetur hyems.
Erige crinales lauros, seniumque sacrati
Verticis in virides Roma recinge comas.
Adversus Solem, ne vis sperare secunda,
Exemplo Cœli ditia damna subis.
Astrorum flammæ renovant occasibus ortus,
Lunam finiri cernis, ut incipiat.

Sylvæ. Vet. Hyems.

Igitur juxta Tiberim habebat aquas XXIV. teste P. Victore: distans a Tyrrheno mari CXX. stadiis, sive XV. millia passuum. Montes VII. complectitur; Virgilius & Ausonius *septem Arces* dixerunt, & Propertius *lib. 3. eleg.* 10.

Septem Urbs alta jugis toto quæ præsidet Orbi.

Jus Civitatis R.

XXXIII. Tandem Jure Civitatis Romæ maxima terrarum Urbs fecit remotos nostro ab Orbe Cives; quosque sub hasta redegit, amplexu parentis opulentissimo fovit; quod Livius, Plutarchus, Dio Prusæus, Dionysius, & alii plerique enarrant: recentior his Augustinus lib. 5 *C. D.* cap. 17. inquit: *Humanissime factum est, ut omnes ad Romanum Imperium pertinentes societatem acciperent Civitatis, & Romani Cives essent, ac si esset omnium, quod erat paucorum.* Ad hæc Vives doctus equidem Scholiastes Antiquorum sensa adnotabat; enimvero olim populi Latini solebant in Civitatem adsciscii: hinc ventum est ad alios Italiæ populos, & trans Padum itum, & trans Alpes, & trans Mare: Claudius Cæsar multas barbaras gentes donavit Civitate Romana, dicens: *Nihil magis fuisse Lacedæmoniis & Atheniensibus exitio, quam quod in societatem Civitatis nunquam recepissent, quos vicissent armis.* Mox sub Hispanis, & Afris, & Thracibus, & aliarum nationum Cæsaribus paulatim integræ Provinciæ, & totum denique Imperium donatum est jure Civitatis Romanæ; & cum initio reliqui omnes præter Græcos dicerentur Barbari, illi tandem dicebantur Barbari, qui sub Imperio Romano non essent: ita Rhenus duas dicebatur habere ripas, hanc citeriorem Romanam, illam ulteriorem Barbaram; Claudianus *De Consul. Mall. Theod.* vers. 54.

Totum Imp. donatum Jure Civitatis R.

O quoties doluit Rhenus, qua barbarus ibat,
Quod te non geminis frueretur judice ripis.

Hæc ille ex Herodiano, Spartiano, & Eutropio. Notandum nonnullos ex his, qui Civitate donati essent, *suffragium* ferre posse, & esse liberos, ac cautum lege Porcia, & Sempronia, nec vinculis coerceri, nec omnino capite plecti: in legione Romana illis militare jus erat: Testamenti Civis Romani hæreditatem capere: matrimonia cum Civibus Urbis contrahere, & similia, quæ Tullius *pro Archia* declamat: plerique jure tantum suffragii cavebant, *Municipes*, qui agrum Romanum incolebant, jura prædicta possidebant, sed in Curiis Romanis scripti non erant. *Jus Coloniarum*, veteribus incolis expulsis, novis ab Urbe Civibus administrandæ Reipublicæ rationem Romano more dabant; tandem de *Jure Latii* vide Livium: post Romanos in Curiis suffragia ferebant, & socii Romanorum dicebantur: plura Panvinius lib. 3. *Descript. Imp. Rom.* quem vide.

Distinctio digna scitu.

CAP. III.

Urbs anonyma, Dea, & Genius.

XXXIV. Stulta gens mortalium utinam saperet, ac intelligeret divinissimum illud divinitatis fastigium, magnitudine omnino incomprehensibile, ens æternum, immensum, infinitum, quod Deum nuncupant, anonymum, & unum, & incircumscriptum. Unde Apollo, quem præter cæteros divinum maximeque fatidicum existimabant, Colophone respondens, quod Delphis emigraverat, amœnitate ductus Asiæ; quærenti cuidam, qui esset, aut *quid esset omnino Deus*, respondit,

Deus, quia unus, non indiget nomine.

Ex se ortus, non edoctus, sine matre inconcussus,
Nomen ne verbo quidem capiendum, in igne habitans,
Hoc Deus est. ——

Apollo fatetur.

Refert oraculum Lactantius in lib. *de falsa Religione*, & cap. 6. inquit: *Deo nomen non est, nec opus est proprio vocabulo, nisi cum discrimen exigit multitudo, ut unamquamque personam sua nota & appellatione designet.* Similiter Mercurius Trismegistus eum appellat Deum, & Patrem, & tamen ἀνώνυμον, id est, sine nomine, eum esse testatur, *Deus autem unus, unus nomine non eget*, EST ENIM, QUI EST, SINE NOMINE; & recte Angelus quandoquidem Dei gerens in certamine vicem, interroganti de nomine, respondit, *Cur quæris nomen meum, quod est ineffabile;* & ad Moysen, Pharaonis Provinciam suscepturum, dixit, SUM, QUI SUM. Immensitatem hanc pelago omni profundiorem, Joannes Damascenus, venerandam a longe assentitur, & sapienter in *Apologetico* Tertullianus ait: *Quod vero immensum est, soli sibi notum est hoc quod est, Deum æstimari facit, dum æstimari non capit.*

Probat Lactant. ex Trismegisto.

Et Tertullianus.

XXXV. Romana hinc gens togata, Deum ignorans, Urbem edixit deam, ejusque nomen abolitum, in sacris tantummodo Pontifex inter sacrum & saxum silens præferebat; sacra namque occulta

Urbs dea.

sunt, & divina tegenda silentio. Vulgus deinde deam nuncupabat Romam, & inter delubrorum adyta illius majestatem profitebatur: Martialis *lib.* 12. *ep.* 8. in Trajani commendationem occinit,

Terrarum dea, gentiumque Roma,
Cui par est nihil, & nihil secundum.

Romæ templum. Sextus Rufus vir Consularis in *Descriptione Regionum Urbis* recenset *templum Urbis Romæ*; similiter P. Victor in *Regione* IV. una cum templo Remi & Veneris illud indigitat; in *Thesauro rei antiquariæ* edito ab Huberto Goltzio *Roma dea* appellatur. Aurelius Claudius Romæ templum condidit, quod Antoninus Pius in Nummis expressit; & in Dione *templum Genii Populi R.* dicitur; Lipsius subinfert; *Diu ante Urbis templum fuit, & quidem ab anno* DCCXLI. *ante Principatum Augusti.* Claudianus in *Paneg. de Consulatu Probini & Olybrii* fratrum, quos D. Hieronymus in *Epistola ad Demetriadem* laudat,

Ut stetit ante Ducem discussa Roma per auras,
Conscia tunc sonuit rupes, & inhorruit acri *
Majestate nemus: prior hic, O numen amicum,
Dux ait, & legum genitrix, longeque regendo
R. consors adjuncta Tonanti. *Circumfusa polo, consors adjuncta Tonanti,*
Dic agedum, quæ causa viæ? cur deseris arces
Ausonias, cœlumque tuum? dic, Maxima rerum.

XXXVI. Non solum templum erexerunt Romæ, sed in ejus area ornamenta, quæ Ægyptiorum cum lapidibus certent, Veteres instituere; asseritque Spartianus in *Adriano Cæsare*: „Fecit sui nominis „pontem & sepulchrum juxta Tiberim, „& Ædem Bonæ Deæ transtulit, & Co„lossum stantem, atque suspensum per „Detrianum architectum, de eo loco, „in quo templum Urbis est, ingenti mo„limine, ita ut operi etiam elephantes „XXIV. exhiberet. (Adriani Imper. ædificia.) Erat antea delubrum in aurea Domo Neronis, transtulitque illud Vespasianus in Sacram Viam, quæ a P. Victore in IV. Regione collocatur: & Anastasius in Felice IV. Pontifice ait: (R. templum in via sacra.) *Hic fecit Basilicam SS. Cosmæ & Damiani in Urbe Roma, in loco, qui appellatur Via Sacra, juxta templum Urbis Romæ.* Subinfert Alex. Donatus, *cui quidem assentiri non possum*; (Donati error.) ratio pro qua stat conjectura; quia fuisset in depresso & humili situm loco; futilis equidem ratio, etenim quæ depressa nunc jacent, olim alta; ruinarum casus valles erexit in montem, & montes compressit; fuit hoc Vespasiani opus, non Adriani. Etenim Pompejano & Attiliano Coss. inquit Cassiodorus, *templum Romæ & Veneris factum est, quod nunc Urbis appellatur.* (Templum Veneris & Romæ.) Aliud hoc censetur, illud antiquis ab usque temporibus institutum, deinde translatum; & recens hoc sub Veneris cultu recensetur, fortasse in Regione VI. sive in aliis Veneris Ædiculis, de quibus Sex. Rufus.

* Rectius alii, *atrum*.

A XXXVII. Diva Roma *Indiges* olim, teste Frontino, dicebatur, *Romana Urbs Indiges, Terrarumque Dea, cui par est nihil, & nihil secundum.* (R. diva indiges.) Ita ille in libro *de Aquæductibus*, quem refert Crinitus, etsi Lipsius aliter hunc locum præstet, & dubitet: expendit nomen Festus Pompejus, *Indigetes dii, quorum* NOMINA VULGARI NON LICET. Crinitus *lib.* 1. *cap.* 18. ex Verrio & Dionysio inquit, *Dii indigetes illi habiti sunt in Pontificum libris, quorum nomen vulgari non liceret.* (Ejus nomen vulgari non licet.) Si Censorino fides, C. Flaccus librum composuit de indigitamentis, eum-

B que ad Cæsarem misit; ex neotericis Alexander lia. 6. *Dier. Gen.* cap. 4. inquit: *Fuere dii indigetes, qui ex hominibus in deorum numerum adsciti propter maximas belli pacisque artes, quod de genere humano benemeriti essent, post mortem numinibus æquati, celebrem posteris memoriam reliquere.* (Dii Indigetes qui?) Hæc ille, cui succurrit carmen Virgilii ex 12. *Æneid.* vers. 794.

Indigetem Æneam scis ipsa, & scire fateris
C *Deberi cœlo, fatisque ad sidera tolli.*

Festus ait: *Indiges Æneas ab Ascanio appellatus est.* (Æneas fit deus.) Ovidius lib. 4. *Metam.* vers. 605. de Ænea;

Lustratum genitrix divino corpus odore
Unxit, & ambrosia, cum dulci nectare mixta,
Contigit os, fecitque deum; quem turba Quirini
Nuncupat Indigetem, temploque arisque recepit.

D Ab istis bona provenire credebant; unde Symmachus in leg. ad Theod. & Val. Augustos ait, *A diis patriis & diis indigetibus pacem rogamus.* Livius in oratione Decii se devoventis *lib.* 8. *Dii indigetes, divi quorum est potestas nostrorum, hostiumque.* Sed anonymi, indigetes tantummodo nuncupabantur, vel quia rei nullius egerent, ut ex Lucretio colligitur; vel in deis agentes erant; sed Lilius in *Deorum historia* inquit: *Fuere qui indigites putarent eos, quos indigitari, hoc est, vocari & nuncupari nefas esset, atque hos eos deos fuisse, in quorum custodia essent ur-* (Dii custodes urbium indigetes.)

E *bes gentesque*; quo de ritu vide Plinium *lib.* 28. *cap.* 2. etenim auctoritate Verrii Flacci, ob id Urbis nomen ignotum fatetur. Hinc Roma indiges obsignato ominis nomine, & numine occulto colebatur a Priscis.

XXXVIII. Unde Rutilius in *Itinerario* canit:

Exaudi Regina tui pulcherrima Mundi (R. hominum deorumque genitrix.)
Inter sidereos Roma recepta polos.
Exaudi genitrix hominum, genitrixque deorum
F *Non procul a cœlo per tua templa sumus.*

Idem Rutilius ubique cultam occinit:

Te dea te celebrat Romanus ubique recessus,
Pacificoque gerit libera colla jugo.

Virgilius lib. 6. *Æneid.* vers. 781. comparat Romam cum Cybele deorum matre, auspiciis Romuli inclytam:

Ro. qualis Berecynthia mater.

En hujus, nate, auſpiciis illa inclyta Roma
Imperium terris, animos æquabit Olympo,
Septemque una ſibi muro circumdabit arces.
Felix prole virum: qualis Berecynthia mater
Invehitur curru Phrygias turrita per urbes

Ejus proles dii.

Læta deum partu, centum complexa nepotes,
Omnes cœlicolas, omnes ſupera alta tenentes.

Vatis mentem illuſtrat Meliſſus inter Græcos dulcis Poeta, ſive mavis Erinna Lesbia virilis Poetria, quæ inter ſapientiſſimas mulieres recenſetur, Romamque fauſto omine ſalutat:

R. filia Martis.

Salve mea Roma filia Martis
Aurea mitra decora, bellicoſa Regina,
Auguſtum utinam ſis ſuper terræ Olympum
Semper infracta, tibi ſoli antiqua
Et largita eſt Parca gloriam firmiſſimi
Regalem Imperii, &c.

Claudianus templum Urbis in Palatio ſignat, ibique deam Romam in *Paneg.* 2. *Stiliconis*:

R. templum candidum lucet.

Conveniunt ad templa deæ, quæ candida lucent
Monte Palatino.

Magna laus Urbis, ut dea, deorumque genitrix ævum ageret inter ſidera; & tamen illius numen ubique teſtabantur in terris; Sidonius,

Teſtor Roma tuum nobis venerabile numen.

Similiter Marianus vetus Lupercaliorum Scriptor occinit,

R. numen.

Roma Æſculapi filia
Novum numen Latio fecit,
Quod conditricis nomine
Ab ipſo omnes Romam vocant.

A Claudiano numen amicum dicitur, numen cœlo reſidens. Filios & ipſa deos fecit Auguſtos, ob quod Valerius Maximus ad Tiberium ſcripſit, *Deos cæteros accepimus, Cæſares dedimus*, eratque templum Urbis & Auguſti idem poſt Panvinium, ut Cerda refert, Inſcriptionemque Lugduni in Gallia addit:

R. & Auguſtorum templum.

SERVILIO MARCIANO ARVERNO C. SERVILII
DOMIT. FILIO SACERDOTI,
AD TEMPL V M ROMAE, ET AVGVSTORVM:
TRES PROVINCIAE GALLIAE.

Statua R. in Cæſarea.

Cæſaris & Romæ ſimiliter templum in Cæſarea erexit Herodes in Turris medio, quam Druſum appellabat. Ita Joſephus Hebræus lib. 15. *Antiq.* cap. 12. Επὶ κολωνȣ̃ νεὼς Καίσαρος ἄποπτος τοῖς εἰσπλέȣσιν, ἔχων ἀγάλματα, τὸ μὲν Ῥώμης, τὸ δὲ Καίσαρος. *Super montem templum Cæſaris poſitum, navigantibus apparebat, habens ſtatuas, unam quidem* ROMAE, *alteram autem Cæſaris*. Erat in Regione x. Palatium, ibique, teſte P. Victore, *ſedes Populi Romani*, in qua Cæſaris ſimulachrum & Urbis. Oraculum apud Virgilium in 6. *Æneidos* verſ. 792.

Hic vir, hic eſt, tibi quem promitti ſæpius audis
Auguſtus Cæſar, divum genus, aurea condet
Secula.

Horatius lib. 3. *Carminum* od. 5.

Cœlo tonantem credidimus Jovem
Regnare; præſens divus habebitur
Auguſtus.

Tacitus lib. 4. *Ann.* cap. 37. *D. Auguſtus ſibi atque Urbi Romæ templum apud Pergamum ſiſti non prohibuit.* Auguſtus deus.

XXXIX. Nihilominus operi facturus pretium exiſtimo, ſi ſapientiſſimorum hominum oracula de Roma dea videbor expendere. Urbem ſeptem Montium jugis ſublimem, inter fabrorum molimina ſacraſſe Veteres, mirum equidem dictu. Sed an Romani, qui in lapide deum unguine Terminum perpetuitatis coluerunt, etiam lapides & mœnia plena numine dixerunt Urbem? Equidem deorum mater *Nigellus Lapis* a Prudentio decantatur, cum qua Roma refulget. An lapides auſpiciis cœlo delapſos venerabantur ad Urbis faſtigium? Ita Livius ſanxiſſe ſcribit, ut per conſultiſſimos virorum Lapidem matris Idææ colerent ut numen: An prima patrum ætas filiis figmentum hoc deitatis Romæ indidit, ut vel ſic Urbem diligerent, & Religione colerent? ita Prudentius *in Symmachum* lib. 1. factum enarrat:

R. cultus & Cybelis.

Lapis Nigellus deorum mater.

Ut ſemel obſedit gentilia pectora Patrum
Vana ſuperſtitio, non interrupta cucurrit
Ætatum per mille gradus; tener horruit hæres,
Et coluit quicquid ſibimet venerabile cani
Monſtrarant atavi: puerorum infantia prima
Errorem cum lacte bibit; guſtaverat inter
Vagitus, de farre molæ ſaxa illita ceris
Viderat, unguentoque Lares madeſcere nigros:
Formatum fortunæ habitum cum divite cornu,
Sacratumque domi lapidem conſiſtere parvus
Spectarat, matremque illic pallere precantem.
Mox humeris poſitus nutricis, trivit & ipſe
Impreſſis ſilicem labris, puerilia vota
Fudit, opeſque ſibi cœca de rupe popoſcit,
Perſuaſumque habuit, quod quis velit inde petendum.
Jamque domo egrediens, ut publica feſta, dieſque,
Et ludos ſtupuit, celſa & Capitolia vidit,
Laurigeroſque deum templis adſtare miniſtros;
Ad ſacram reſonare viam mugitibus ante
DELUBRUM ROMAE, *colitur nam ſanguine, & ipſa*
More DEAE, *nomenque loci ceu* NUMEN *habetur,*

Romani ab infantia Idolorum cultum didicerunt.

Lapides dii.

Capitolium.

Ro. delubrum & Veneris.

At-

Atque Urbis Venerisque pari se culmine tollunt
TEMPLA, *simul geminis adolentur thura* DEABUS, *&c.*

Par earum cultus.

Ratio exquiritur de uno eodemque cultu R. & Veneris.

XL. Venus & Roma simul cultæ. An quia hæc a reliquiis Trojæ monumenta cognovit, & Ænea Veneris filio? Ita Valerius Messala; hinc & indigetis Romæ nomen; etenim *mortuum Æneam, & super Numici fluminis ripam conditum, indigetem Jovem dixere*, ait Messala, sic ab eodem numen & nomen. An quia Venus Urbis tutelam gereret? equidem viri sapientissimi sub Amaryllidis nomine, cujus meminit Virgilius, & Romam & Venerem obaudiunt. An quia armata olim Venus Romam præstantem armis excepit? meminit illius Pausanias in *Laconicis*, & Ausonius *epig.* 41.

Venus armata.

Armatam Venerem vidit Lacedæmone Pallas.

An quia Venus in capite Polum, Orbem in manu præfert? Simillima Romæ imago, quæ inter sidera extulit caput, & Orbem obtinuit; de Venere Pausanias in *Corinthiacis* cap. 10. Ἀφροδίτη πεποίηται ἐκ χρυσοῦ καὶ ἐλέφαντος, φέρουσα ἐπὶ τῇ κεφαλῇ πόλον, τῶν χειρῶν δὲ ἔχει τῇ μὲν μήκωνα, τῇ δὲ ἑτέρᾳ μῆλον. *Venus ex auro & ebore facta, capite apicem, qui Polus dicitur, gestat; manu altera papaver, altera malum tenet.* De Roma Ovidius l. 1. *Fast.* vers. 209.

Venus & Roma Polum & Orbem tenent.

At postquam fortuna loci caput extulit hujus,
Et tetigit summo vertice Roma deos, &c.

An quia Venus amorum parens est, & Roma amor? Lusit sic Urbanus Pontifex Musarum decus. An templum Urbis & Augusti fuit simul, quia Augustus fuit ex progenie Veneris? Ita Horatius canit l. 4. *od.* 15.

—— Almæ
Progeniem Veneris canemus, &c.

Et in *Carmine Seculari* dicitur,

Clarus Anchisæ Venerisque sanguis.

Urbis Genius.

XLI. Tandem videamus, an Roma, quam deam vetus edixit Religio, sit Urbis & ipsa Genius? *Genium*, inquit Festus, *esse putarunt uniuscujusque loci deum.* Martianus Capella lib. 2. *de Nupt. Philologiæ: Populi Genio supplicant, & unusquisque Gubernatori proprio dependit obsequium.* Hunc Symmachus *Urbis numen* appellat. Prudentius lib. 2. *in Symmachum:*

—— Sicut varie nascentibus, inquit,
Contingunt pueris animæ, sic urbibus adfert
Hora diesque suum, quum primum mœnia surgunt,
Aut Fatum, aut Genium, cujus moderamine regnant.

Virgilius etiam loci meminit Geniique lib. 5. *Æneid.* vers. 94.

Incertus Geniumne loci, famulumne parentis,
Esse putet.

XLII. In vetustis monetis Trajani & Adriani, aliorumque Principum, Genius pateram dextera supra aram porrigere, quæ ara esset sertis ornata, læva vero manu flagellum propendulum, vel simile quiddam tenere videbatur. Sed enim in aliis Adriani inscriptionibus talem epigraphen comperi, GEN. P. R. *Genio Populi R.* inquit Gyraldus, ubi imago cernebatur hominis militaris, cum veste ad cruris medium circumvoluta, dextra pateram in morem sacrificantis habebat, læva cornucopiæ. Hæc ille; expendo; *Armatum Genium Romæ*, ut Sidonius occinit, pro Urbe pugnantem, & sacra de more peragentem in patera, quæ plena mero sacra erat Genio: ita Ovidius, Capella, & alii. Horatius *Carm.* l. 1. od. 31.

R. Genius expressus in nummo.

Genius cum patera.

Quid dedicatum possit Apollinem
Vates? Quid orat de patera novum
Fundens liquorem?

Et *lib.* 4. *od.* 5. occinit,

—— Te prosequitur mero
Diffuso pateris.

Versat merum orans, & vota suscipit; Cornucopia deinde ubertatem denotat, ob virtutis meritum: Horatius in *Carmine Secul.* pro Roma,

Jam fides, & pax, & honor, pudorque
Priscus, & neglecta redire virtus
Audet: apparetque beata pleno
Copia cornu.

Sensus est ergo, per gladium, & militiam, Religionemque satis superstitiosam, Orbe devicto, rerum omnium abundantiam intulisse credatur.

Hinc vetus opinio gentium, incolumi Roma, perstiturum omnino cum ea Mundum, cujus interitum ab Urbis excidio philosophabantur; habet hæc Lactantius, qui Diocletiano Principe Nicomediæ Rhetoricam docuit, & in extrema senectute Magister Crispi Cæsaris, filii Constantini, in Gallia fuit, ut scribit Hieronymus *de Viris illustr.* Hic igitur lib. 7. *de Div.* procemio cap. 25. de Orbis interitu ait: „Et jam res ipsa declarat lapsum rui„namque rerum brevi fore: nisi quod in„columi Urbe Roma nihil illiusmodi vi„detur metuendum, at vero cum CA„PUT ILLUD ORBIS occiderit & „Ῥώμη esse cœperit, quod Sibyllæ fore „ajunt, quis dubitat venisse jam finem „rebus humanis, orbique terrarum? Illa „est enim Civitas, quæ adhuc SUSTEN„TAT OMNIA, precandusque nobis, „& adorandus est Deus cœli, si tamen „statuta ejus & placita differri possunt, „ne citius quam putemus Tyrannus ille „abominandus veniat, qui tantum faci„nus moliatur, ac lumen illud effodiat, „cujus interitu MUNDUS ipse lapsurus „est. Hactenus ille, & vere si de ruina Romæ per Antichristum novissimis temporibus ratiocinatur. Cæterum Sibyllarum oracula cum prisca Patrum ætas ad ple-

R. incolumi Mundus æternus.

R. sustentat Orbem.

num non intelligeret, ad Urbis Genium Orbis munimentum referebat. An apud Capellam Genium *Præstitem* legimus, non quia, ut ipse interpretatur, *præsit gerundis omnibus*, sed quia præstat, ut præstent homines, & urbes illius patrocinio suffultæ? Enimvero pulsos quandoquidem dicunt Genios, imo & intuitos, eorumque lapsu, qui in custodia erant, quamprimum periisse. Pausanias in posteriore *Eliacon* libro cap. 6. Ὁ Εὔθυμος ἐνεσκευασμένος ἔμενε τὴν ἔφοδον τοῦ δαίμονος· ἐνίκα τε δὴ τῇ μάχῃ, καὶ ἐξηλαύνετο γὰρ ἐκ τῆς γῆς. *Euthymum armis captis cum Genio congressum; illum victum mœnibus & agro excessisse*. Etenim Apulejus in lib. *de Socratis Dæmone*, illos finit, *genere animalia, ingenio rationabilia, animo passiva, corpore aerea, tempore æterna*. Aerea dixit, nam Capella *l. c. Medioximos* appellat Genios, *minus lucidæ splendidæque naturæ, quam illi cœlestes sunt, nec tamen ita corpulenti, ut hominum capiantur obtutu*. Sed visos quandoquidem referunt. Scribit Pausanias *loco cit.* Euthymum victum a se Genium obtulisse depictum, χρόαν δεινῶς μέλανα, καὶ τὸ εἶδος ἅπαν ἐς τὰ μάλιστα φοβερὸν, *colore vehementer atro, specie maxime formidabilem*. Bruto, si Plutarcho fides, apparuit, dicens, *Tuus sum, Brute, Genius malus*. Istius effingit imaginem Florus *lib. 4. cap. 7. Cum illato lumine ex more aliqua secum agitaret, atra quædam imago se obtulit, & quæ esset interrogata, Tuus, inquit, malus Genius. Hoc dixit, & sub oculis mirantis evanuit.* Ammianus M. *lib. 21. cap.* 14. de Constantio Imp. inquit: *Confessus est convictoribus proximis, quod tamquam desolatus secretum aliquid videre desierit, quod interdum squallidius adfuisse sibi existimabat; & probatur* * *Genius quidam tutelæ ejus appositus eum reliquisse, mundo citius digressurum.* Sed præ cæteris describit Genium Valerius Max. *lib. 1. cap. 7.* dicens: „Apud Actium, M. Antonii fractis opibus, Cassius „Parmensis, qui partes ejus secutus fuerat, Athenas confugi, ubi concubia „nocte cum sollicitudinibus, & curis „mente sopita in lectulo jaceret, æstimavit ad se venire HOMINEM ingentis „magnitudinis, coloris nigri, squalidum „barba, & capillo demisso; interrogatumque quisnam esset? respondisse κακοδαίμονα. Perterritus deinde tam tetro „visu, & nomine horrendo, servos inclamavit; sciscitatusque est, siquidem „talis habitus, aut intrantem cubiculum, „aut exeuntem vidissent; quibus affirmantibus neminem illuc excessisse †; „iterum somno & quieti se dedit; atque „eadem animo ejus obversata est species. „Itaque fugato somno lumen introferri „jussit, puerosque a se discedere vetuit. „Inter hanc noctem & supplicium capitis, quo eum Cæsar affecit, paululum „admodum temporis intercessit. Factum recenset Vellejus an. V. C. DCCXXII. & Lilius hunc Cassii Genium putat.

Genius visus. — *Expulsus.* — *Geniorum descriptio.* — *Pictura.* — *Malus Genius Bruti.* — *Constantii.* — *Cassii Parmensis Genius niger, horribilis, infaustus.* — *Mali ominis.*

XLIII. Ex hactenus recensitis, & Sibyllarum carminibus, Romani audebant asserere, stante Urbe, Orbem nequaquam ruiturum; etenim, Genio incolumi, æternam putabant Romam, immortalem, cum diis agentem ævum. Horatius l. 3. *Carm.* od. 5.

Incolumi Jove, & Urbe Roma.

Et Rutilius Claudius occinit:

Porrige victuras Romana in sæcula leges,
Solaque fatales non vereare colos.
Quamvis sedecies denis & mille peractis
Annus præterea jam tibi novus eat,
Quæ restant nullis obnoxia tempora metis,
Dum stabunt terræ, dum Polus astra feret.

R. Parcarum non sentit ferrum.

Lib. 1. *Anthologiæ Græcæ* cap. 5. epig. 6.

Οὐδ᾽ ἢν Ὠκεανὸς πᾶσαν πλημμῦραν ἐγείρῃ,
Οὐδ᾽ ἢν Γερμανίη Ῥῆνον ἅπαντα πίῃ,
Ῥώμης οὐδ᾽ ὅσον βλάψει θρόος ἄχει κεμίμνῃ.
Oceanus totos si montes tollat aquarum,
Totaque si Rheni flumina Teuto bibat,
Roma tamen stabit, licet oppugnata tot annis.

R. immobilis temporum non patitur injuriam.

Erinna illustrissima Poetria,

—— dedit tibi soli cana Parca
Regium sceptrum minime atterendum,
Ut potens rerum domineris una,
Imperitesque.

Horatius in *Carmine Seculari*, quo Porphyrio & Lambinus contendunt advocare oraculum de Urbis perpetuitate ex 12. *Æneid.*

Vosque veraces cecinisse Parcæ,
Quod semel dictum est, stabilisque rerum
Terminus servat, bona jam peractis
Jungite fata.

Parcarum de R. Oraculum.

Sensus est, Parcas æternam cecinisse Urbem in portento Termini, qui ad Capitolii magnificentiam, cunctis retro actis numinibus, perstitit, perpetuitatis singulare omen, easque precatur, jungere fata, quæ occinit Apollo apud Virgilium; Carmenta, Principe rerum Euandro, Hercules in Ara, Helenus, Vatesque quamplures.

Decantatum R. fatum.

XLIV. Igitur superstite Genio, diisque, Imperium auspicabantur Orbis incolume; erat in Palatino, decima Urbis Regione, ut scribit P. Victor, SEDES IMPERII ROMANI, ibique Urbis Genius colebatur; similiter Regione VI. auctore Sexto Rufo, quem Panvinius edidit, saxorumque e monumentis restituit, *Ædicula Genii Liberorum*, & altera *Ædicula Genii Larum*. Lares, Geniosque esse Dæmonas testatur Lipsius lib. 1. *Physiologiæ*, ex Gyraldo syntag. 15. *Hist. Deorum*, & Apulejo, qui Platonis doctrinam profitetur. Martianus Capella lib. 2. *Nupt.* inquit, *Lemures si vitæ prioris adjuti fuerint honestate, in Lares domorum urbiumque vertuntur, si autem depravantur ex corpore, Larvæ perhibentur ac Manes.* Heroas, Geniosque, Lares, ac Lemures solus transitus constituit numina, ex uno in aliud coacta, utplurimum ad Urbis custodiam recensent, & Ovidius lib. 5. *Fastorum*, de Laribus, vers. 135.

Stant quoque pro nobis, & præsunt mœnibus Urbis,
Et sunt præsentes, auxiliumque ferunt.

Sedes Imperii R. — *Genii & Lares Dæmones.* — *Ut transeant in Lares, & Lemures, Manesque.*

* Rep. *putabatur.* † Leg. *accessisse.*

Lucanus lib. 1.

—— Urbisque laborem
Testatos sudore Lares. ——

De quibus vide Plutarchum *Probl.* 51. & Alex. lib. 6. *Gen. Dier.* Hæc ex veterum Theologia Socratis, & Platonis. Sed loci Genium, Dæmonem credo, in cujus tutela Urbs stare censetur; sic Angelum Persarum in sacro Bibliorum contextu; & Cherub ante Paradisi vestibulum, innotuit fortasse Ethnicis, Dæmonesque custodes dixere Genios, quos ne vetus superstitio evocaret, vel alligabant, vel occultabant.

Gentiles ex SS. Scripturis Genios esse didicerunt.

CAP. IV.

Urbis nomen, & numen ignotum, ne illud hostes evocarent.

XLV. INter admiranda gentium arcana, superstitiosissimum recensetur carmen, quo potens lituo Pontifex hostium numina evocabat ad aras. Hunc morem sapiens Virgilius occinit *Æneid.* lib. 2. vers. 351.

Numina evocata,

Excessere omnes adytis, arisque relictis
Di, quibus Imperium hoc steterat.

Vatum maximum expendit Macrobius lib. 3. *Sat.* cap. 9. „De vetustissimo Romano„rum more & de occultissimis sacris vox „ista prolata est: constat enim omnes ur„bes in alicujus dei esse tutela, moremque „Romanorum arcanum & multis igno„tum fuisse, ut cum obsiderent urbem ho„stium, eamque jam capi posse confide„rent, CERTO CARMINE evocarent „tutelares deos: quod haud aliter urbem „capi posse non crederent, aut etiamsi „posset, nefas existimarent deos habere „captivos. Nam propterea ipsi Romani, „& deum in cujus tutela Urbs Roma est, „& ipsius Urbis Latinum nomen igno„tum esse voluerunt. Quia vetus hæc sanxit Religio, vetustissimis indigemus Scriptoribus, ut fides apud posteriores subsistat; hinc Plin. *lib.* 28. *cap.* 2. Verrii Flacci oraculum refert, dicens: „Verrius Flac„cus Auctores ponit, quibus credat in op„pugnationibus, ante omnia solitum a „Romanis Sacerdotibus evocari deum, „cujus in tutela id oppidum esset, pro„mittique illi eundem, aut ampliorem, „locum, apud Romanos, cultumve. Du„rat in Pontificum disciplina id sacrum, „constatque ideo occultatum, in cujus dei „tutela Roma esset, ne qui hostium simi„li modo agerent; Defigi quidem diris de„precationibus nemo non metuit, &c. Probat factum juxta verborum vim, quæ incantamenta devovent; quid? non & legum ipsarum in duodecim Tabulis verba sunt, *Qui fruges excantasset*; & alibi, *Qui malum carmen incantasset*? Dixit Homerus profluvium sanguinis, vulnerato femine, Ulyssem inhibuisse carmine; Theophrastus *Ischiadicos* sanari; Cato prodidit laxatis membris carmen auxiliari; M. Varro podagris; Cæsarem Dictatorem ferunt, semper ut primum in vehiculo consedisset, carmine ter repetito, securitatem itinerum ter aucupari solitum; sic Gentiles cum Magiæ facinus excolerent, deos hominesque cantu evocare cre-

Certo carmine.

Ut urbes caperent.

A Pontificibus.

Carminum vis.

Etiam in medelis.

A debant, occinuntque Theocritus, Catullus, & Virgilius.

XLVI. Carmen juxta numinis geniique loci syllabas superstitiose decantatum vim inferebat diis; & vocant hoc nequitiæ impiissimum genus ONOMATOMANTIAM, sive *Arithmomantiam*, a Cedreno nuncupatur *Vaticinium arithmeticum*; cujus meminit Plato lib. 8. *de Repub.* unde Terentianus Maurus inquit: *Nomina tradunt ita litteris facta, ut numeris pluri-*
B *mis illa sint munita: quandoque subibunt dubia pericula pugnæ: Major numerus qua steterit favere palmam, præsagia lethi minima parte summa, sic & Patroclum Hectorea manu periisse, sic Hectorea tradunt cecidisse mox Achillis.* Fatales, Pythagoreorum more, habent numeros, & in bello victores divinant, quos syllabarum præstantes fato deprehendunt. Nihilominus superstitiosam hanc nominis divinationem, recentior quidam Robertus de Flud vir satis superstitiosus, qui scripsit *de Rebus omnibus, & de quibusdam aliis*, om-
C nibus videlicet licitis, aliisque quibusdam illicitis, hoc vaticinium sic edocuit; Nomina cum non sint casu indita, quia ex pluribus unum quandoque restat, neque primum, neque potissimum, fato sunt adscribenda; per quod sydus genethliacum, caracteribus insignitum, correspondet nati per omne imposito nomini, ex cujus syllabis & syderis caractere confundunt litteras, & certo quodam ordine Genium deprehendunt & evocant; stultum equidem
D & impium Magiæ facinus, quod Veteres profitebantur ad orcum, Recentiores ad interitum: hoc erat carmen, quod Cabalistæ plerique usque ad insaniam prosequuntur, & errant; numquid potens vis numerorum afficit? Somniavit hoc Pythagoras, & Plinius unius deliramenti meminit *lib.* 28. *c.* 4. *Pythagoræ inventis non temere fallere & impositivorum nominum imparem vocalium numerum, claudit ates, oculorumve orbitatem, ac similes casus dextris assignare partibus, parem lævis.* In Vulcani nomine hæc divinabat non semel
E male feriatus Mirandulanus Princeps Picus, addebat Tiresiæ nomen innumeros resolutum, orbitatem referre; sed non obvios; imo occlusos in Cabala sua numeros expendebat; mirum equidem, Græcorum nomina Hebræorum elementis conversa claudos & cæcos innuere; hinc inter novem lucernarum lumina Veteres dabant nomina, ut Cœlorum concursu placita adjungerent fato; quod stultitiam omnino sapit.

XLVII. Animadvertebat tantæ impietatis facinora Macrobius *loco cit.* dicens: „Ipsius Urbis nomen etiam doctissimis „ignoratum † est, caventibus Romanis,
F „ne quod sæp. adversus urbes hostium fe„cisse se noverant, idem ipsi quoque hosti„* evocatione paterentur, si Tutelæ suæ „nomen divulgaretur. Sed videndum, ne „quod nonnulli male existimaverunt, nos „quoque confundat, opinantes UNO „CARMINE & evocari ex urbe aliqua „deos, & ipsam devotam fieri civitatem. Hic labor, hoc opus; enimvero Plutarchus, vir rerum antiquarum peritissimus, in *Quæst. Romanis* arcanum nominis &

Onomatomantia est divinatio arithmetica.

Numerus syllabarum fatalis.

Impius mos evocandi Genium.

Cabalistæ damnati.

Pythagoræ somnia circa numeros in nomine.

Ut sciret claudos & cæcos.

Error Pici Mirand.

Cur Urbis nomen ignoratum.

Difficilis ratio, ut carmen possit evocare deos.

† Alii, *ignotum*. * Rescr. *hostili*.

numinis exquirit, dicens: Διὰ τί τὸν θεὸν ἐκεῖνον, ᾧ μάλιστα τὴν Ῥώμην σώζειν προσήκει καὶ φυλάττειν, εἴτε ἐστὶν ἄῤῥην, εἴτε θήλεια, καὶ λέγειν ἀπείρηται, καὶ ζητεῖν, καὶ ὀνομάζειν; ταύτην δὲ τὴν ἀπόῤῥησιν ἐξάπτουσι δεισιδαιμονίας, ἱστοροῦντες Οὐαλέριον Σωρανὸν ἀπολέσθαι κακῶς διὰ τὸ ἐξειπεῖν. Πότερον, ὡς τῶν Ῥωμαϊκῶν τινὲς ἱστορήκασιν, ἐκκλήσεις εἰσὶ καὶ γοητεῖαι θεῶν· αἷς νομίζοντες καὶ αὐτοὶ θεούς τινας ἐκκεκλῆσθαι παρὰ τῶν πολεμίων, καὶ μετῳκηκέναι πρὸς αὐτοὺς, ἐφοβοῦντο τὸ αὐτὸ παθεῖν ὑφ᾽ ἑτέρων; Ὥσπερ οὖν Τύριοι δεσμοὺς ἀγάλμασι λέγονται περιβαλεῖν, ἕτεροι δὲ αἰτεῖν ἐγγυητὰς ἐπὶ λουτρὸν ἢ καθαρμόν τινα προπέμποντες· οὕτως ᾤοντο Ῥωμαῖοι τὸ ἄῤῥητον καὶ τὸ ἄγνωστον ἀσφαλεστάτην εἶναι θεοῦ καὶ βεβαιοτάτην φρουράν. *Cur Tutelarem Romæ deum, masne sit, an fœmina dicere, aut quærere, ejusque* NOMEN *efferre nefas est? quod quidam interdictum a superstitione repetunt, narrantes Valerium Soranum male periisse, quod nomen illud edidisset. An quia, ut nonnulli rerum Romanarum Scriptores tradunt,* CARMINA *quædam sunt & præstigiæ, quibus dii eliciuntur; quibus usi Romani cum putarent se quosdam hostium deos ad se traduxisse, cavere voluerunt, ne idem sibi ab aliis eveniret? Itaque sicut Tyrii vincula injicere simulachris dicuntur, alii autem cum ea ad lavacrum aut lustrationem aliquam deducunt, fidejussores pro reditu exigunt: ita Romani tutissime ac constantissime adservari deum crediderunt, qui neque de* NOMINE *notus aliis esset.* Hæc ille, firmatque in *Vita Alexandri*, & Curtius lib. 4. *de gest. Alex.* de Saturno Macrobius lib. 1. *Sat.* cap. 8. inquit: *Cur autem Saturnus ipse in compedibus visatur, Verrius Flaccus causam se ignorare dicit.* Et quia deorum lavacri meminit; animadverto, simulachra olim lota, fortasse ab unguine in sacris conspurcata, victimarumque fumo & sanguine; quo de more scribit S. Augustinus lib. 2. *C. D.* cap. 4. & Ovid. lib. 5. *Fastorum* ait vers. 337.

Nomen Romæ cur occultum.

Ne præstigiis carminum evocaretur.

Fidejussores deorum, ut redirent, unde exierunt.

Dii compedibus alligati.

Simulacra deorum lota in lavacris.

Est locus, in Tyberim qua lubricus influit Almo,
Et nomen magno perdit in amne minor.
Illic purpurea canus cum veste sacerdos
Almonis Dominam, sacraque lavit aqua.

Sic deorum mater quotannis ad Almonem fluvium extra Portam Capaneam, ritu solenni, lavabatur; occinitque Prudentius *Rom. Martyr. Supplic.*

Lapis Nigellus evehendus essedo,
Muliebris oris clausus argento sedet,
Quem dum ad lavacrum præeundo divitis,*
Pedes remotis atterentes calceis
Almonis usque pervenitis rivulum.

Ne simul cum aqua aufugeret, sive extra Urbem sisteret, præeunte Pontifice fidem sub jurejurando exposcebant & reditum.

XLVIII. Idque in Nummis expressum vulgarunt Veteres, adnotabatque Pierius Val. lib. 32. ubi Urbis caput galeatum revelat, dicens: „Mulieris caput galeatum „in plerisque nummis Romam ostendit, „non tantum, quia Romani nihil non arrogarint, aut quia suam ad Martem originem referre voluerint, quam ut „ARCANUM illud suum de Romæ nomine publicari vetito, peritis quidem re„rum patefacerent, vulgo vero tenebrico„sius obscurarent, re ad interpretationem „aliam distracta. Occultationis causam addidit Sempronius celebris Scriptor: „Alioquin, Romæ nomen, & nominis „origo vulgata esset, atque manifesta, „quæ ut occulta esset, saluberrima religio „sanxit; ne si origo nominis, aut a quo „derivationem habet gentibus pateret, „ea evocaretur, ut cæteri. Sic dum vota de more redderent, deorum nomina silebant, & occultabant illa diversimode, utplurimum nuncupando; præmonuit Virgilius, quem sequitur Ovidius lib. 15. *Metam.* vers. 861.

In nummis Romæ caput galeatum, occultumque nominis arcanum.

Dii, precor, Æneæ comites, quibus ensis & ignis
Cesserunt, diique Indigetes, Genitorque Quirine
Urbis, & invicti Genitor, Gradive, Quirini.

Deorum nomina silet vates.

Romulum & Martem decantat, silet Indigetes, in cujus tutela Urbs erat.

XLIX. Exempla Romanos urgebant, & cum victos in Urbe deos colerent, timebant victa ne Urbs quandoquidem excantata serviret; canit hoc ipsum Prudentius *in Symmachum V. Præfectum*.

Innumeros post deinde deos virtute subactis
Urbibus, & claris peperit sibi Roma triumphis,
Inter fumantes templorum armata ruinas
Dextera victoris simulachra hostilia cepit,
Et captiva domum venerans ceu numina vexit.

Dii proditores irrisi.

L. Captiva numina coluisse occinit, quia cum primum inclamaret Pontifex, ut devotam hostium urbem redderet, cultum augustiorem sanctioremque spondebat: hinc operi facturus pretium, CARMEN refero, juxta Sammonici Sereni & Furii, Scriptorum vetustissimorum, fidem, apud Macrobium lib. 3. *Saturn.* cap. 9. „Si deus, si dea est, cui populus „civitasque Carthaginensis est in tutela, „teque maxime ille, qui urbis hujus „populique tutelam recepisti, precor, „veneror que, veniamque a vobis pre„cor, ut vos populum civitatemque Car„thaginiensium deseratis, loca, tem„pla, sacra, urbemque eorum relinqua„tis, absque his abeatis; eique populo „civitatique metum, formidinem, obli„vionemque injiciatis, proditique Ro„mam ad me meosque veniatis; nostra„que vobis loca, templa, sacra, urbs „acceptior, probatiorque sit: mihi quo„que populoque Romano militibusque „meis præpositi sitis, ut sciamus intelli„gamusque, si ita feceritis, VOVEO „VOBIS TEMPLA LUDOSQUE fa„cturum. Ex quibus animadverto, etiam ignotos aliarum urbium deos, unde *si deus, si dea*, quod non dixisset, si numen compertum fuisset; & alibi Virgilius de deo cognito,

Carmen quo numina evocabant.

Promittebant R. diis templa & ludos.

* Rep. *ducitis*.

A

——ferus omnia Juppiter Argos
Transtulit: incensa Danai dominantur in urbe.

Camillus apud Livium *lib.* 5. *cap.* 21. certior factus de numine sic evocabat: *Te simul, Juno Regina, quæ nunc Vejos colis, precor, ut nos victores in nostram tuamque mox futuram Urbem sequare, ubi te dignum amplitudine tua templum accipias.* Placuit templum numini, & annuit, unde ait Lactantius *lib.* 2. *cap.* 17. *Juno Vejensis migrare se Romam velle respondit.* Cito evocavit & vicit. Junoni templum statuit ovans. Mirum dictu. Infida adhuc numina produnt? inclamet Prudentius, & rite concinat, lib. 2. *in Symm.*

Juno lubens migravit.

B

Perfidia-ne deum indigenum cecidere tot urbes?
Destructæque jacent ipsis prodentibus aræ?
O pietas! o sancta fides! traduxit alumnos
Majestas infida locos, & creditur istis
Numinibus, quæ TRANSFUGIO *meruere sacrari?*

C

LI. Equidem Tertullianus eloquenter tanta numinum facinora inculpat in *Apologetico*, ac trophæa urbium, deorum ignominiosissimas turpitudines demonstrat: „ Ni fallor, omne regnum, & imperium „ bellis quæritur, & victoriis propagatur „ Porro bella & victoriæ captis & eversis „ plurimum urbibus constant; id negoti„ um sine deorum injuria non est. Eadem „ strages mœnium & templorum, pares „ cædes civium & sacerdotum, nec dissi„ miles rapinæ sacrarum divitiarum & „ profanarum. Tot igitur sacrilegia Ro„ manorum, quot trophæa: tot de diis, „ quot de gentibus, triumphi, tot manu„ biæ, quot manent adhuc simulachra „ CAPTIVORUM DEORUM; & ab „ hostibus ergo suis sustinent adorari, & „ illis Imperium sine fine decernunt, quo„ rum magis injurias quam adulationes re„ munerasse debuerant: sed qui nihil sen„ tiunt, tam impune læduntur, quam „ frustra coluntur. Hactenus ille: hinc victos deos irridet Augustinus lib. 1. *ad Marcellinum* cap. 3. & Virgilium in 2. *Æneidos* vers. 319. avocat dicentem:

Dii captivi.

A Romanis celebrantur.

D

E

Panthus Otryades, arcis, Phœbique sacerdos,
Sacra manu, VICTOSQUE DEOS, *parvumque nepotem*
Ipse trahit, cursuque amens ad limina tendit.

Etiam victi cum deprecarentur.

F

Et inclamat: *Ita-ne istis Penatibus* VICTIS *Romam, ne vinceretur, prudentes commendare debuerant?* Ipsi potius hominibus commendati illorum tutela utebantur & fuga; unde Hector ad Æneam inquit apud eundem Virgilium *lib. cit.* vers. 290.

Hostis habet muros; ruit alto a culmine Troja.
Sat patriæ Priamoque datum; si Pergama dextra
Defendi possent, etiam hac defensa fuissent.

Sacra suosque tibi commendat Troja Penates,
Hos cape FATORUM COMITES, *his mœnia quære,*
Magna pererrato statues quæ denique ponto.

Fatorum comites, vel sub jugo, vel fugiunt.

Imo plorat Neptunus in *Troade* Euripidis vers. 25.

Λείπω τὸ κλεινὸν Ἴλιον, βωμούς τ' ἐμούς.
Ἐρημία γὰρ πόλιν ὅταν λάβῃ κακή,
Νοσεῖ τὰ τῶν θεῶν, οὐδὲ τιμᾶσθαι θέλει.

Relinquo inclytum Ilium, & meas aras:
Solitudo enim civitatem ubi occupaverit mala,
Frigent res divinæ, neque coli volunt.

LII. Finxit hæc vetus ætas, an credidit? Post Numam cuncta Religionis sacra a sapientissimis ficta deprehenduntur. Molem namque Imperii superstitione fundavit. An Recentiores antiqua rerum monumenta suo de more ediderunt? refert sic Plutarchus, & post A. Gellium, Macrobius firmat. An simulacra, vere deo plena, quæ dolabant, quæve superstitiosissimo sacrabant ritu, tamquam numina venerabantur ob stuporem? assentitur Augustinus, atavorumque Religionem sequebantur ne perirent. An transitum hunc numinum peracta evocatione credebant? equidem Diabolus, præstigiarum parens, illudebat audentes tanta profari. Æschyli Scholiastes ait ad vers. 223. *Sept. contra Theb.* Λέγεται ὅτι ὅτε ἔμελλε πορθηθῆναι ἡ Τροία, ἐφάνησαν οἱ θεοὶ τοῖς Τρωσὶν ἀναλόμενοι ἐκ τῶν ναῶν τὰ ἀγάλματα αὐτῶν. *Ferunt, evertenda cum esset Troja, Trojanis deos apparuisse, auferentes ex templis suamet simulachra.* Fateor Dæmones prænovisse Hierosolymorum excidium, ex quo tempore relicta a Deo orationis domo urbs corruit, æmulaque contentione indixisse Gentilibus urbium ruinam propter excessum, & Apollonius indigitat tantæ urbis subversionem:

Ficta gentium Religio.

Cur perstabat.

Ut illuderet.

Excepti primum strepitus, dein turbida multo
Vox protracta sono, tectis MIGREMUS *ab istis,*
Cedamus socii, mecumque relinquite sedes,
Non hic fida satis statio, DISCEDITE MECUM.

Ad exemplum Dei, qui a Templo Hierosolymæ migravit, efficiebant migrationes.

Josephus portenta non siluit, & Egesippus enarravit; Paulus Orosius *lib.* 7. *cap.* 9. *In totum destitutos gratia Dei*, Judæos scribit, urbemque periisse; Tacitus etiam lib. 5. *Hist.* cap. 13. transmigrationis, vocisque meminit, *Expassæ repente delubri fores, audita major humana vox,* EXCEDERE DEOS; *simul ingens motus excedentium.* Firmat hæc Josephi fides lib. 7. *Belli Judaici* cap. 12. Κατὰ δὲ τὴν ἑορτήν, ἣ Πεντηκοστὴ καλεῖται, νύκτωρ οἱ ἱερεῖς παρελθόντες εἰς τὸ ἔνδον ἱερόν, ὥσπερ αὐτοῖς ἔθος ἦν πρὸς τὰς λειτουργίας, πρῶτον μὲν κινήσεως ἀντιλαβέσθαι ἔφασαν καὶ κτύπου, μετὰ δὲ ταῦτα καὶ φωνῆς ἀθρόας, Μεταβαίνομεν ἐντεῦθεν. *Festo die, quam*

Pentecostem vocant, nocte Sacerdotes intimum Templum more suo, ad divinas res celebrandas, ingressi, primum quidem motum, quemdamque strepitum senserunt; postea vero subitam vocem audiere, quæ diceret, MIGREMUS HINC.

Carmen, quo Dictatores evocabant deos

LIII. Itaque præmonstrante Dæmone didicerunt Ethnici evocare deos, quos de more, quandoque Pontifex, Dictatores, Imperatoresque non semel: fortasse initiabantur isti, ut sacra peragerent, & velut præstites Urbis pro incolumitate litabant, ut Romulus in lege præscripsit; formam offert Macrobius lib. 3. *Saturn.* cap. 9. „ Dis pater, sive Jovis Manes, sive quo „ alio nomine fas est nominare, ut omnes „ illam urbem Carthaginem, exercitum„ que, quem ego me sentio dicere, fuga, „ formidine, terrore compleatis; quique „ adversus legiones exercitumque no„ strum arma telaque ferent, uti vos eos „ exercitus, eos hostes, eosque homines, „ urbes, agrosque eorum, & qui in his „ locis, regionibusque, agris, urbibus„ que habitant, abducatis, lumine supe„ ro præceps *, &c. Capita, ætatesque „ eorum devotas, consecratasque habea„ tis, illis legibus, quibus quandoque „ sunt maxime hostes devoti; eosque ego „ Vicarios pro mea fide, magistratuque „ meo, & pro Populo Romano, exerci„ tibus, legionibusque nostris do, devo„ veo: ut me, meamque fidem, Imperi„ umque, legiones, exercitumque no„ strum, qui in his rebus gerundis sunt, „ bene salvos sinatis esse. Si hæc ita faxi„ tis, ut ego sciam, sentiam, intelligam„ que, tunc quisquis votum hoc faxit, re„ cte factum esto. Ovibus atris tribus, „ Tellus mater, teque Jupiter obtestor. „ Cum Tellurem dicit, manibus terram „ tangit: cum Jovem dicit, manus ad „ cœlum tollit: cum vero totum † recipe„ re dicit, manibus pectus tangit. Hæc Macrobius, & atras oves nigrasque vovet, de quarum colore exquirit Arnobius lib.7. *adv. Gent.* „ Quæ in coloribus ratio est, „ ut merito his albas, illis atras conveniat „ nigerrimasque mactari? Qui superis di„ is, atque hominum dexteritate pollen„ tibus, color albus acceptus est, ac felix „ hilaritate candoris. At vero diis lævis, „ sedesque habitantibus inferas, color „ furvus est gratior, & tristibus suffectus „ e fucis. Virgilius in 4. *Georg.* vers. 546.

Promittunt tres oves atras & nigras.

Color cur diis sacer, & qualis?

Et nigram mactabis ovem, Lucumque revises.

Lucretius *lib. 3.* vers. 52.

Et nigras pecudes, quas manibus divis
Inferias mittunt. ——

An diis inferis hoc sacrum? Certe Dæmonibus, quibus atra placent. An quia a tellure & Diti devoventes numina exposcebant? Tibullus *lib. 3. eleg.* 5.

Interea nigras pecudes promittite Diti.

Hanc Ditis aram a Valesio deprehensam refert Val. Maximus *lib. 2. cap.* 4. & in ea *hostias nigras, quæ antiquitus furvæ dicebantur, immolasse.* Deinde addit: *Valerius Poplicola, qui primus Consul fuit, studio succurrendi civibus apud eandem aram publice nuncupatis votis, cæsisque atris bobus, Diti maribus, fœminis Proserpinæ, aram terra obruit.* An quia Sibyllinorum Carminum ductu audebant evocare deos? Virg. lib. 5. *Æneid.* vers.736.

—— *huc casta Sibylla*
Nigrarum multo pecudum te sanguine ducet.

Similiter Sibylla apud Avernum atra hostia sacrum peregisse dicitur lib. 6. *Æn.* ℣. 243.

Nigræ oves Diti.

Quatuor hic primum nigrantes terga juvencos
Constituit, frontique invergit vina sacerdos,
Et summas carpens media inter cornua setas
Ignibus imponit sacris libamina prima.

Æneas illam sequitur, dum fata venatur,

—— *ipse atri velleris agnam*
Ense ferit.

An potius, quia carmen magicum, & magica numina, atro colore gaudent? ita Jamblichus, & Porphyrius, nec semel Zoroaster in oraculis. Tibullus etiam *lib. 1. el. 2.*

Diisque magicis.

Concidit ad magicos hostia pulla deos.

LIV. Nihilominus observo inter hæc magica, templa evocatis augustiora promissa diis, rationemque affert Alexander lib.6. *Gen. Dier.* cap. 4. „ Erat vetus mos, „ ut in urbium obsidione, ubi ad ultimam „ dimicationem ventum esset, Tutelares „ deos, sub quorum præsidio urbs foret, „ certo carmine & verbis conceptis in no„ vas sedes evocarent, templaque amplio„ ra, & volentes * aras illis promitterent; „ nefas opinati, deos urbium præsides, „ urbe hostiliter direpta, velut mancipia „ captivos habere. Persis vero & Ægy„ ptiis nullos patrios habere deos in usu „ fuit, quod evocationibus illos migrare „ ex oppidis & sine tutela deseri timerent. Negat hunc cultum D. Augustinus lib. 1. *Civ. Dei* c. 5. probatque Salustii. ac Cæsaris testimonio, *qui fana atque domos spoliari, cædem & incendia fieri* scribit, ad quæ D. Augustinus: *Hic si fana tacuisset, deorum sedibus solere hostes parcere putaremus, & hæc non ab alienigenis hostibus, sed a Catilina, & sociis ejus nobilissimis Senatoribus, & Romanis Civibus Romana templa metuebant.* Tacitus lib. 4. *Hist.* cap. 1. de ipsamet Urbe Roma, ultimis Vitellii temporibus: *Arma † per Urbem victores implacabili odio victos consectabantur; plenæ cædibus viæ, cruenta fora* TEMPLAQUE, *passim trucidatis, ut quemque sors obtulerat.* Et *ibid.* lib. 3. cap. 33. excidium urbis Cremonæ enar-

Templa ampliora evocando promittebant.

In urbium direptione templa profanata.

* Leg. *privetis.* † Rescr. *votum.*

* Rest. *solennes.* † Rep. *Armati.*

rat : *Dum pecuniam, vel gravia auro templorum dona sibi quisque trahunt, majore aliorum vi truncabantur*. Aristides in *Rhodiaca*; *Cædes in ædibus, in templis, in foribus*: nec semel Livius, Dionysius Halicarnasseus, Plutarchus, & alii plerique hoc ipsum inculcant: de Troja Urbis Romæ, ut ferunt, matre, eleganter Virgilius occinit lib. 2. *Æneid.* vers. 363.

Urbs antiqua ruit, multos dominata per annos;
Plurima perque vias sternuntur inertia passim
Corpora, perque domos & religiosa deorum
Limina.

De Sagunto a Pœnis direpta Silius *lib.* 2.

Urbs habitata diu fidei cœloque parentem
Murorum repetens ruit inter perfida gentis
Sidoniæ tela: atque immania facta suorum,
INJUSTIS *neglecta* DEIS, *furit ensis, & ignis.*

Recitat D. Augustinus lib. 1. *Civ. Dei* cap. 4. carmen Virgilii ex 2. *Æneid.* vers. 761. & mensas, sive tripodas, aut oracula deorum capta in Urbis direptione demonstrat:

Junonis Asylus.

Et jam porticibus vacuis Junonis asylo
Custodes lecti Phœnix & dirus Ulysses
Prædam asservabant: huc undique Troia gaza
Incensis erepta adytis, mensæque deorum,
Crateresque auro solidi, captivaque vestis
Congeritur: pueri & pavidæ longo ordine matres
Stant circum.

Addit D. Augustinus: *Electus est locus tantæ deæ sacratus, non unde captivos non liceret educere, sed ubi captivos liberet includere, &c. Incensis templis, & diis erepta spolia portabantur, non reddenda victis, sed dividenda victoribus.* Hæc ille satis erudite; inquit enim Pausanias in *Corinthiacis* cap. 13. Παρὰ Φλιασίοις τῇ Ἥρᾳ καὶ ἄλλαι τιμαὶ, καὶ μέγιστον τὸ ἐς τοὺς ἱκέτας ἐστί· δεδώκασι γὰρ δὴ ἄδειαν ἐνταῦθα ἱκετεύουσιν. *Habent Junoni Phliasii honores multos, summum vero omnium, quod qui supplices huc confugerint, cujusvis criminis impunitatem consequuntur.* Sed dum furit gladius, deorum honor contemnitur.

Etiam flammis & flagris dehonestatus.

LV. Sed dicamus, devota olim templa Duces evocatis erexisse numinibus; dicamus bona verba, nam Livius, Plutarchus, Dio Prusæus, Zonaras, pluresque adfirmant alii. Hinc cuncta Orbis numina in Urbe recenset Minucius Felix in *Octavio*: „ Inde per universa Imperia, „ Provincias, Oppida videmus singulos „ sacrorum ritus Gentiles habere, & „ deos colere Municipes; ut Eleusinios „ Cererem, Phrygas Matrem magnam, „ Epidaurios Æsculapium, Chaldæos „ Belum, Astartem Syros, Dianam Tauros, Gallos Mercurium, UNIVERSA ROMANOS. Sic eorum potestas, „ & auctoritas, TOTIUS ORBIS ambitus occupavit; sic Imperium suum

Dii Municipes.

Universa gentium numina Roma colit.

A „ ultra Solis vias & ipsius Oceani limites „ propagavit, dum exercent in armis virtutem religiosam, dum Urbem muniunt sacrorum religionibus . . . . dum „ capti in hostibus mœnibus adhuc ferociente victoria NUMINA VICTA „ VENERANTUR; dum undique hospites deos quærunt, & suos faciunt; „ dum aras exstruunt etiam ignotis numinibus & Mœnibus *. Hactenus ille, & fortasse a Tertulliano excerpta edidit. De Imperio Virg. lib. 1. *Æneid.* vers. 290.

B

Nascetur pulchra Trojanus origine Cæsar,
Imperium Oceano, famam qui terminet astris.

Livius *lib.* 36. *cap.* 17. *Quid deinde aberit, quin ab Gadibus ad Mare Rubrum Oceani fines terminemus, qui Orbem terrarum amplexu fixit* †? Adde Britannos ignotos antea adiisse, & vicisse, ut scribit Suetonius in *Jul.* cap. 25. imo ultra Atlantis ora, quæ Orbis confinium dicuntur, & columnæ; Herodotus in *Melpomene* cap. 184. C Ἄτλαντα κίονα τοῦ οὐρανοῦ λέγουσι οἱ ἐπιχώριοι εἶναι, *Atlantem incolæ columnam cœli esse dicunt.* Fortasse ex Homero, qui in 1. *Odyss.* vers. 53. canit,

Romanorum grande Imperium.

—— ἔχει δέ τε κίονας αὐτὸς
Μακρὰς, αἳ γαῖάν τε καὶ οὐρανὸν ἀμφὶς ἔχουσι.
—— *sustinet autem columnas ipse*
Longas, quæ terramque & cœlum amplectuntur.

Mons Atlas cœlorum columna.

Ibi namque sub magnanimo ac sapientissimo Pontifice Urbano Octavo Romanorum monumenta Gelaldinus revisit. D Tandem Prudentius lib. 2. *in Symm.*

Stirpis Juleæ ductore exercitus ardens
Prævaluit gelido, quem miserat Algidus axe.

Sed si falsa Religio, immensum Imperii decus unde assentimur exortum? An quia inter Ethnicos Romani cæteris religiosiores? ita D. Augustinus ad Marcellinum, cujus verba hæc circumferuntur: *Quibus non erat Deus daturus vitam æternam, si neque hanc eis terrenam gloriam excellentissimi Imperii concederet, non redderetur merces bonis artibus, quibus ad tantam gloriam pervenire nitebantur.* E An quia circa deorum templa Deum verum exquirebant, & mentis colebant intuitu? Ita Seneca, & Clemens Alexandrinus ubique nomen Dei cultum demonstrat? An fides securitate eminens, sive potius imaginatio audentes juvabat? Equidem Ficinus hoc probat. An numinum portenta in migratione visorum, Deo demonstrante, sicut quæ effutiunt Philostratus & Suetonius, Vespasiani prodigia quandoque præstare poterant veræ Religionis fidem, F Apostolorum auctam miraculis? assentior; & licet illudebat Diabolus præstigiis suis Orbem, admiranda non semel Deus permittebat ad futuram Evangelii gloriam.

Romanorum virtus digna Imperio.

Evangelio præest ad fidem.

LVI. Antequam finem imponamus, addamus, velut colophonem, DEI TUTELARIS Romæ verum nomen. Difficilis velitatio, tamen venari potest; enim-

Quis Urbis deus.

* Rescr. *Manibus*. † Alii *finit* melius.

A vero Macrobius lib. 3. *Sat.* cap. 9. inquit, ,, Ipsi Romani & deum, in cujus tutela ,, Urbs Roma est, & ipsius Urbis Latinum nomen ignotum esse voluerunt; ,, sed dei quidem nomen nonnullis Antiquorum licet inter se dissidentium libris ,, insitum, & ideo vetustas * persequentibus quicquid de hoc putatur innotuit. ,, Alii enim JOVEM crediderunt; alii ,, LUNAM; sunt qui ANGERONAM, ,, quæ digito ad os admoto silentium denuntiat; alii autem, quorum mihi videtur fides firmior, OPEM CONSIVAM esse dixerunt. Jovem plerique auspicantur a religiosa nominis veneratione O. Maximi. Alii sunt, qui Penates Urbium præsides putant; & Arnobius lib. 3. *adv. Gent.* ex Varrone inquit, eorum nomina non sciri: *Hos Consentes & Complices Etrusci ajunt, & nominant, quod una oriantur, & occidant una; sex mares, & totidem fœminas, nominibus ignotis, & memorationis parcissimæ, sed eos* SUMMI JOVIS *Consiliarios ac Principes existimari*: ergo inter Penates ignotos, obsignatosque nomine, Jovis Princeps censetur, & præest: nam Cæsius apud eundem, *Genium Jovialem* inter Penates præstare scribit, & Nigidius *lib.* 6. & 10. refert quatuor Penatum generea, *Ex his alios Jovis, alios Neptuni, Inferorum tertios, mortalium hominum quatuor*; qui Jovis sunt curam urbium gerunt, ut vincant; Propertius *l.3.el.3.* de Jove Latio,

Jupiter. Luna.

Opis Consiva.

Penates Consiliarii Jovis.

Assuescent Latio parta trophæa Jovi.

Addo, Romulum Jovi Statori Templum instituisse; causamque exhibet Tullius in Orat. antequam exsularet: *Jupiter Stator, te vere hujus Imperii statorem nominaverunt; cujus in templo hostilem impetum Catilinæ repuli a muris, cujus templum a Romulo victis Sabinis in Palatii radice cum Victoria est collocatum.* Hinc STATOR dicitur, Seneca auctore l. 4. *de Ben.* Non ex eo, quod post votum susceptum acies Romanorum stetit, *sed quod* STANT *beneficio ejus omnia*, STATOR, STABILITORQUE *est*. P. Victor in Regione VIII. inquit, *Victoria aurea in templo Jovis O. M.* Cur Victoria in templo Jovis? An quia tanti numinis beneficio Orbem vicisse fatebantur? equidem Symmachus ad Valentinianum & Theodosium Imperatores vocat Victoriam, *amicum triumphis patrocinium, & potentiam votivam*; quam a Jove urbis numine cognoscebant, asseritque D. Augustinus l. 4. *C.D.* cap. 15. *De Victoria dum bella feliciter terminat, etiam feriato Jove crevit Imperium* In Regione x. *Ædes Jovis Victoris* stabat monumentum devicti Orbis; nec immerito primum tutelare numen Capitolium obtinuit, arcem omnium miraculorum portentum, sedem deo & numinum patre dignam. Sextus Rufus in *descriptione Urbis*, quam Panvinius restituit, in Reg. VIII. *Templum Jovis Capitolini O. M. in quo erant tria delubra, medium* JOVIS, *dextrum Minervæ, lævum Junonis; ibique arca lapidea servabantur libri Sibyllini.* Propertius canit,

B

C

Jovis Stator, per quem cuncta stant.

D

E

Victoria dea in templo Jovis.

F

Capitolium templum Jovis.

Junctaque Tarpejo sunt mea templa Jovi.

*Restit. *vetusta*.

Easdemque tres cellas Dionysius Halicarnasseus describit; & Livius *lib.* 10. *Jovem in culmine cum quadrigis Ædiles posuisse* tradit de cujus altitudine Silius,

Aurea Tarpeja ponet Capitolia rupe,
Et junget nostro templorum culmina cœlo.

Similiter Tertullianus in *Apologetico Capitolia cœlo certantia* dixit, sed arcana edisserere suadet ratio. Tarpejus Mons, quem antea Saturnium nuncupabant, cum Jovis templum gestaret in vertice, Capitolium dicitur, a Toli hominis interfecti capite, teste Varrone, nomenque Jovis reticet, mirum equidem; nec siluit sapiens Arnobius lib. 6. *adv. Gent. Non erubuit Civitas maxima, & numinum cunctorum cultrix, cum vocabulum templo daret, ex Toli capite Capitolium, quam ex nomine Jovis, nuncupare.* Causam silet magnus Rhetor, eam addo, ut numen Urbis ignorarent hostes, & Tolum pro Jove evocarent; cæterum stetit cum Jove Imperii omen, unde idem Arnobius, *ut immobilis atque fixa obsignati ominis perpetuitas staret.* Sed quomodo? audi Horatium, *Incolumi Jove, quid? incolumis Roma.* Equidem Jupiter Romæ custos; ut Domitianus apud Tacitum testatur, cum *Jovi custodi* templum erexit; Horatius lib. 3. *Carm.* od 3. occinit,

Cura Toli, & non a Jove dictum.

—— stet Capitolium
Fulgens, triumphatisque possit
Roma ferox dare jura Medis,
Horrenda late nomen in ultimas
Extendat oras.

LVII. Lunam Urbis numen sunt qui putent: cujus templum P. Victor indigitat; & vetus Romanorum religio una cum Junone colit. Macrobius *Sat.* lib. 1. cap. 15. *Cum initia mensium Majores nostri ab exortu Lunæ servaverint, jure Junoni Kalendas addixerunt, Lunam ac Junonem eandem putantes.* Plin. *lib.* 7. *cap.* 48. *Ægyptii Lunæ senio annos determinant, itaque apud eos aliqui & singula millia annorum vixisse produntur.* Sed hac de re ex Pomponio Mela, Diodoro, Herodoto, & Aristotele, nos lib. 1. *veteris Ægyptiorum Theologiæ* velitationes quamplurimas peregimus; superest nunc cultus Lunæ apud illos, Æthiopesque, de quo Heliodorus *lib.* 10. scribit: *Τριῶν δὴ βωμῶν ἐς ὕψος ἠρμένων, καὶ τῶν μὲν δυοῖν κεχωρισμένων Ἡλίῳ τε καὶ Σελήνῃ συνεζευγμένων, τοῦ τρίτου δὲ τῷ Διονύσῳ καθ' ἕτερον μέρος ἰδιάζοντος. Tres aræ in altum erectæ erant, ac duæ quidem peculiariter Soli & Lunæ conjunctim, tertia vero Bacchi in altera parte separatim*; in illis luminarium Theagenem & Charicliam victor Hydaspes litare satagebat, utpote peregrinos, quorum sanguine gaudebant numina; sed hostia Lunæ dicata, accenso foco, antea periculum faciebat, an *consuetudinem virorum* habuisset, quia *Lex mundam esse eam quæ offertur deæ* jubet: erat uterque Æthiopum genius, Imperiique custos, quibus de more, devictis hostibus, sacra faciebant; parum ab Ægyptiorum disciplina aberant; isti namque, auctore Diogene Laertio in *Prœmio Vitarum*, asserebant, *Solem & Lunam deos esse, alterumque Osirin, alteram Isim appellatos.* Ita ille ex Hecatæo &

Lunæ templum.

Lunæ ara incorruptas jubet esse puellas.

& Manethone, qui etiam numina tutelaria Ægyptiorum Solem Lunamque nuncupant: & fortasse T. Tatius Sabinorum Rex ob id primus Soli & Lunæ ædem dicavit, si Varroni & Dionysio Halicarnasseo fides. Luna præcipue in Aventino colebatur, ubi *lucus, & templum magnum Lunæ* legitur; & Ovidius lib.3. *Fastorum,*

Ejus cultus in Aventino.

—— Aventino Luna colenda jugo.

Et tantæ religionis erat, ut post Neronis fatum, tumultuante exercitu, ita ut Tiberii & Drusi jussa negligeret, imo furens contentione pessime curreret in capita, viso Lunæ laborantis æstu, resipisceret, quod offert C. Tacitus *Annal.* lib.1. cap. 28. „Noctem minacem & in scelus erupturam fors lenivit; nam Luna clariore pæne cœlo visa languescere: id miles rationis ignarus omen præsentium accepit, ac suis laboribus defectionem sideris adsimilans, prospereque cessura quæ pergerent, si fulgor, & claritudo deæ redderetur: igitur æris sono, tubarum, cornuumque concentu strepere, prout splendidior, obscuriorve, lætari, aut mœrere; & postquam ortæ nubes offecere visui, creditumque conditam tenebris, sibi æternum laborem portendi, sua facinora adversari deos lamentantur. Tandem qui Lunam Urbis dicunt numen, firmant ex Sexto Rufo, qui in Capitolio Sibyllarum carmina in cella Junonis servata perhibet, ut ibi fatorum oracula sint, ubi fulgent numinis aræ; imo inter ingentes Romæ Colossos, Soli Lunæque dicata dicunt saxa, cecinitque Silius Italicus *lib.*1. de Junone,

Romanos furentes domat.

Lunæ deliquium.

Juno eadem, ac Luna.

Optavit profugis æternam condere gentem.

Virgilius lib.1. *Æneid.* vers.21.

—— hoc regnum dea gentibus esse
(Si qua fata sinant) jam tum tenditque, fovetque.

Sed errant; enimvero Juno Trojanorum inimica, urbis excidium procurasse fertur, unde D. Augustinus lib. 1. *C. D.* cap. 3. *Apud Virgilium Juno inducitur infesta Trojanis, Æolo ventorum Regi adversus eos irritando, dicere,*

Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor,
Ilium in Italiam portans, victosque Penates.

Trojanis infesta.

Ad quæ Scholiastes Augustini ait: „Erat Juno Trojanis inimica: primum, quod genus ducebant a Dardano Jovis & Electræ filio, quæ fuit Junonis pellex. Secundo, quia raptus Ganymedes, Trois filius, Hebæ ipsius Jovis filiæ erat ministerio prælatus. Tertium, quod Antigone Laomedontis filia Junonis formam sprevit, idcirco versa in Ciconiam. Postremo, quod in judicio de forma, victa discesserat, Judice Paride Priami filio. Etiam livor Gentium tangebat deos, & beatas numinum cellas inficiebat; Mortales procul, procul, ne male pereatis. Hinc Helenus magni Vatis oraculum in 3. *Æneidos* vers.435. proclamat:

Unum illud tibi, nate dea, præque omnibus unum,
Prædicam, & repetens, iterum, iterumque monebo,
Junonis magnę primum prece numen adora:
Junoni cane vota libens, dominamque potentem
Supplicibus supera donis; sic denique victor
Trinacria fines Italos mittere relicta.

Horatius lib.3. *Carm.* od.3. Junonem inducit inclamantem:

Trojæ renascens alite lugubri
Fortuna tristi clade iterabitur,
Ducente victrices catervas
Conjuge me Jovis & sorore.
Ter si resurgat murus aheneus
Auctore Phœbo: ter pereat meis
Excisus Argivis: ter uxor
Capta virum puerosque ploret.

Adhuc iram spirat in Ilium

Non parcit mulier, etiamsi dea, & Jovis soror, furit, & apud Senecam act. 1. in *Hercule Furente* vers.27. totis agitata manibus eadem inclamat Juno:

Non sic abibunt odia: vivaces aget
Violentus iras animus, & sævus dolor
Æterna bella pace sublata geret;
Quæ bella? quicquid horridum terra creat
Inimica; quicquid Pontus, aut aer tulit
Terribile, dirum, pestilens, atrox, ferum;
Fractum atque domitum est; superat & crescit malis,
Iraque nostra fruitur.

Et verum tandem fatetur Virgilius lib. 5. *Æneidos* vers. 781.

Mulieris furentis malum fatum, inferno pejus.

Junonis gravis ira, & inexsaturabile pectus,
Quam nec longa dies, pietas nec mitigat ulla,
Nec Jovis imperio, fatisve infracta quiescit.

Malum fatum fœmina; pessimum exitium mulier. Dum furit tonat, sed heu, æternum tonat. Fulgura cito cadunt, & undæ procumbunt cum tempestate qua furiunt; mulierum ineluctabile malum, nec flectitur, nec frangitur, post funera cum orco pugnant, sibi excitant ingentes furias, quibus flammas addunt inferis, & torquent orbem, manes, numina; Junoni igitur Romani, tamquam malo Genio, templa instituerunt, ne iterum exacerbata pellicis recordatione, post sæcula, fureret in Urbem.

LVIII. *Alii autem*, sequitur Macrobius, deum tutelarem Urbis OPEM *Consivam esse dixerunt; quorum mihi fides videtur firmior.* Ausonius in *Monosyllabis*,

Ops Consiva Saturni uxor.

—— prima deum fas,
Quæ Themis est Graiis, post hanc Rhea, quæ Latiis Ops.

Cultum Consivæ offert Varro: *Deæ Opis Consivæ in Regia est sacrarium, quod ideo actum, ut eo præter Virgines Vestales & Sacerdotem publicum nemo introeat: is cum eat*

suffibulum haud habeat. Macrobius lib.I. *Sat.* cap.10. nominum originationem & arcana expendit: „Opem deam Saturni „conjugem crediderunt, & ideo hoc mense (sc. die XIV. Kal. Januarii) Saturnalia, itemque Opalia celebrari; quod Saturnus ejusque uxor tam frugum quam „fructuum repertores esse credantur. Itaque omni jam fœtu agrorum coacto, ab „hominibus hos deos coli, quasi vitæ cultioris auctores; quos etiam nonnullis Cœlum & Terram esse persuasum est; Saturnumque a satu dictum, cujus causa „de cœlo est; & terra Opem, cujus ope „humanæ vitæ alimenta quæruntur.... „Huic deæ sedentes vota concipiunt, terramque de industria tangunt, demonstrantes ipsam matrem terram esse mortalibus appetendam. Hactenus ille.

Utriusque nominis origo.

LIX. Sed si historiam a fabulis secernere licet, hanc elicit Fulgentius *Mithologicon* lib. I. „Saturnus Pollucis filius dicitur, Opis maritus senior, velato capite, „falcem gerens, cujus virilia abscissa & „in mare projecta Venerem genuere. Itaque quid sibi de hoc philosophia sentiat „audiamus. Saturnus primus in Italia Regnum obtinuit, hicque per annonas * „prærogationes ad se populos attrahens, „a saturando dictus est Saturnus. Opis „quoque uxor, eo quod esurientibus opem „ferret, dicta est; velato capite ideo fingitur, quod omnes fructus foliorum obnupti tegantur umbraculo. Philochorus Saturno & Opi primum in Attica statuisse aram Cecropem dicit, eosque deos pro Jove Terraque coluisse. Auctor est Cornelius Labeo apud Macrobium *lib. cit.* cap. 12. *Eandem Bonam, Faunamque, Opemque, & Fatuam Pontificum libris indigitari*; similiter Majæ, id est, Terræ ædem Kalendis Maiis dedicatam sub nomine Bonæ Deæ, & eandem Bonam Deam, & Terram, ex ipso ritu occultiore sacrorum doceri posse confirmat. Livius *l.* 4. *dec.* 9. *ædem Opis* in Capitolio fuisse perhibet; P. Victor in VIII. Reg. *ædem Opis & Saturni* indicat. Argumentum, quo utuntur qui Urbis numen tenent Opem, est nomen a priscis usque temporibus ignotum; nonnulli etenim, si Alexandro fides *Gen. Dier.* l. 6. cap. 8. *Opem dixere Bonam Deam*, quæ & Maja dicta est, quam nominibus variis, Faunam, & Fatuam, & Matrem deum, & Idæam, Pessinuntiam, Cybelem, Rheam, & Phrygiam nuncupant; quia hominibus favet, & opem liberis præstat. Hinc Tibullus *l.* 1. *eleg.* 4.

Saturni allegoria.

Esurientibus fert opem.

Ops, Bona Dea, Fauna.

Idæa, Rhea.

At qui non audit Musas, qui vendit amorem,
Idææ currus ille sequatur Opis.

Nihilominus deorum Matrem celeberrimo cultu toto terrarum Orbe insignitam, singularis urbis fuisse numen, nequaquam assentior: non enim ubique extensam putabant divinitatem prodesse, quia homines dei insignitos nomine colebant. An quæ dedit fruges, dedit & orbem? Sed Saturnus profugus cum Ope dare non poterat, quod industria præstolabatur ab hospitibus. An quia Cybele, sive Idæa, Mater deum præ cunctis unam diligebat Urbem? equidem, relicta Phrygia ac Pessinunte, Romam petiit; enarratque Livius: *Attalus Legatos Populi Romani comiter acceptos Pessinunte in Phrygiam deduxit, sacrumque iis* LAPIDEM, *quem Matrem deum incolæ esse dicebant, tradidit, ac deportari Romam jussit:* de quo Herodianus *lib.* I. ait, *Simulachrum cœlitus esse dimissum, neque qua sit materia, nec a quo fabricatum artifice satis constare*. Magni Scipionis sublatum manibus templum Romæ obtinuisse ferunt. Non ideo hæc numen Urbis, etenim plurimas gestasse in vertice urbes caput ipsum turritum demonstrat. Lucretius *lib.* 2. vers. 606.

Non Romæ numen, & quare.

Historia lapidis Matris deorum.

Muralique caput summum cinxere corona,
Eximiis munita locis quod sustinet URBES.

Ovidius *Fastorum lib.* 4.

At cur turrifera caput est onerata corona?
An primis turres urbibus illa dedit?

Virgilius lib. 6. *Æneidos* vers. 785.

Urbium præses turrita.

Invehitur curru Phrygias turrita per urbes.

Valerius Flaccus *lib.* 3. vers. 23.

Assuetam Phrygias dominam vectare per urbes.

Virgilius denuo lib. 10. *Æneidos* vers. 252.

Alma parens Idæa deum, cui Dindyma cordi,
Turrigeræque urbes, bijugique ad frena leones.

Ex quibus, turritas servare urbes, quas ipsa munimine in altum tollere monuit, potius assentiri inducor, quam Romuli Urbem extemporaneo munitam aggere. Secundo, plures, non unam tuebatur Idæa Mater. Tertio, novissimis Attali Scipionisque temporibus agnitam, partum jam Orbem non dedisse, Urbemque a Gallis vindicatam haudquaquam servasse, in confesso est. Quarto, Matris nomen omnem terrarum Orbem amplectitur, nec sustinet regionum discrimen, Orbisque exterminium, ut fieret una caput Mundi Urbs. Quinto, qui comitabantur deam, quæstum simulacro numinis sibi faciebant, rogando, impellendo, cymbala pulsando & æra, exorantes pro dea stipem; quæ indiget obulo, quomodo Regna impertitur? Dicamus ignotum, quod obvolutum Veteres abolitumque sanxerunt; signaruntque Angeronæ symbolo, perpetui silentii munimentum, quam ob rem C. Sempronius *de Divisione Italiæ* inquit: *Angerona silentii dea ante Jani festos dies colitur præ foribus, ut ne cui liceat illud palam afferre, quod ad salutem Reipublicæ Veteres ore obsignato intra pectoris arcana voluerunt contineri*. Sic dea, quæ nomen occultabat, occultati numinis nomen præferre nequaquam poterat.

LX. Restat Virgilii carmen ut divinemus. Etenim de Romæ deo satis dixisse comperio; antiquum adhuc Urbis nomen

Nomen Urbis apud Virgilium.

* Leg. *annonæ*.

restat oblivioni arcanoque traditum. De quo utplurimum Critici Grammaticique divinant, ex eo Virgilii *ecl.* 1. vers. 31.

Postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.

Primus omnium A. Politianus lib. 1. *Epist.* ad Petrum Medici scribens de origine Florentiæ, quam Plinius *Fluentiam*, civesque *Fluentinos* nuncupat, inquit: Deduxere igitur Florentiam Coloniam Triumviri, Cajus Cæsar, qui deinde Augustus, Marcus Antonius, & Marcus Lepidus, etiam Pontifex Maximus; quod apud Julium Frontinum, celeberrimum Scriptorem, scriptum legitur, his præhabitis subjungit: „ Triplex Romæ Urbi fuisse nomen proditum; unum hoc pervulgatum; alterum, „ quod arcanum fuit, unde Amaryllida „ suam, quæ amorem proprie significat, „ in Bucolicon Carmen Poeta detorsit; „ tertium, sacrificiis debitum, de quo vocabulum Floralibus impositum, quod „ ANTHUSAM Græce interpretatur Philadelphus; hoc tu Latine, vel Florentem vertas, vel aptius Floram fortasse, „ aut Florentiam. Sic Colonia Romanorum condita ad Romæ imaginem a viris potentissimis, per Pontificem Maximum, absconditum Urbis nomen, sub Anthusæ vocabulo florens obtinuit; quemadmodum Constantini Urbs, quæ *nova Roma* dicebatur, auctore Philadelpho, & Eustathio viro doctissimo, *Anthusa* nuncupata censetur; restat adhuc Florentiæ Capitolium, unde venari quis audeat, adinstar urbis constructam fuisse a Cæsarianis. Favet Politiano Servius, quem non vidit; enimvero allegoriam nominis Amaryllidis expendit dicens, *Galateam Mantuam vult esse, Romam Amaryllida*; sequitur maximus vates,

Amaryllis, Anthusa, Florentia.

Namque (fatebor enim) dum me Galatea tenebat,
Nec spes libertatis erat, nec cura peculi.

Servius, ut paulo ante, *hoc dicit, postquam relicta Mantua Romam se contulit*: utrumque nomen puellarum est apud Theocritum & Bucolicos, observabatque Nannius lib. 6. *Misc.* cap. 1. & fortasse ideo Mantuam Galateam dixit, quod ibi Galatæ, hoc est, Galli Togati, suas sedes habuerunt: vel quod Mantuani originem traxerunt a Venetis, quos Strabo quoque dicit, e Venetis Gallis, Oceani accolis, oriundos esse; certe Servius super eo versu *Æneid.* 200.

Mantua fundatur a Venetis Galatea.

Qui muros, matrisque dedit tibi Mantua nomen.

Venetos & Tuscos conditores Mantuanæ civitatis facit; ac Venetiam alio nomine Cisalpinam Galliam dicit. Hæc ille. At Nannius Anthusæ nomen probat rituale, & arcanum, sed originem ducere ab *Incili* profitetur; quia Fabius Pictor tradit, Argeum Campum, qui septem montibus includitur in speciem arcus, usque ad Tiberim, qui instar cordæ eum præcingit, inundationibus fluvii inhabitabilem fuisse: sed Vertumno sacris factis, aquas alveum revertisse, *& ab Incilibus, quibus Palus siccata est, Romam Amaryllida esse dictam.* Friget etymum super glaciem fluvii hyeme, dum spirat Aquilo. Pontanus Scholiastes credit Turnebum *lib.* 1. *cap.* 26. per Amaryllida Romam intellexisse: absque exploratore augur sibi divinat & scribit; sed prudentior Cerda avertit aurem, ob religionem arcani nominis; dicit namque Artemidorus *lib.* 4. *cap.* 3. *Arcana nomina non sunt dicenda*; igitur nec pastorali decantanda avena; satis fuit puellæ nomen ex Bucolicis attribuisse Romæ, cæterum arcana siluit; sic ego equidem fateor, & abolitum utrumque nomen puto, ne conceptis verbis evocaretur ab hostibus. Cæterum Politianus adulari ut cœpit, etiam Florentiæ nomen cum Roma extulit.

Ab Incile Anthusa.

Friget

Notatus Pontanus incutius.

Cerda laudatur.

CAP. V.

An vere Roma in Apocalypsi Babylon nuncupatur?

LXI. Apocalypsis arcana divinitus innotuere Joanni Apostolo apud Pathmos exsulanti, tanto cœlorum terrarumque nutantium fragore, ut mentem superent, ac perpetuis allegoriarum involucris semper nova sacramenta depromant. Augustinus, Ambrosius, Oecumenius, Haymonius, ceterique consultissimi divinarum Scripturarum Interpretes, in quolibet verbo Apocalypseos licere docent arcanum deprehendere: ob quod Dionysius Areopagita in lib. *de Ecclesiastica Hierarchia* illam appellat, *arcanam & mysticam Visionem dilecti Discipuli, divinamque Domini Jesu Theologiam*; fuit namque oraculum, quod os Domini loquutum est, & Joannes, per quem toto terrarum innotuit Orbi, ab Origene *Deividus* nuncupatur. *Commentaria* adhuc adolescens in Apocalypsin edidi, & nunc denuo Romæ æternum nomen aurem vellicat, ut iterum ex pluribus pauca depromam.

Apocalypsis laus.

Theologia divina.

LXII. Primus, ut in mentem venit, Tertullianus eximia Patrum eloquentia laureatus, Romam Babylonis dehonestatam nomine perhibet adversus Judæos: *Babylon apud Joannem nostrum Romanæ Urbis figuram portat, proinde & magnæ, & Regno superbæ, & Sanctorum Dei debellatricis*; denuo *adversus Marcionem* ipsissima verba replicat, & quæ caput XVII. Apocalypsis de nequissima mulierum Babylone profert, & Romæ comparat, ibi namque legitur: „ Mulier circumdata purpura & coccino, & inaurata auro, & „ lapide pretioso, & margaritis, habens „ poculum aureum in manu sua plenum „ abominatione & immunditia fornicationis ejus, & in fronte ejus nomen scriptum, MYSTERIUM, BABYLON „ MAGNA, mater fornicationum & „ abominationum terræ, & vidi mulierem ebriam de sanguine Sanctorum, „ & de sanguine Martyrum Jesu. Hoc grande portentum gestabat Bestia, *quæ habebat capita septem & cornua decem*; fortasse decem cornua fuere septem Romanorum Reges, & tres viri principes Lepidus, Antonius, & Octavius, qui Triumviratus

Roma Babylon.

Mulier Apocalypsis cap. 17. describitur Babylon.

Bestiæ cornua & capita.

carnificinam fecerunt. Hanc describit Seneca in *Octavia* vers. 501.

Triumviratus exsecranda crudelitas.

—— alios sæpe per honorum gradus
Cæsar nefando civium scelere occidit;
Quantum cruoris Roma tunc vidit sui
Lacerata toties! ille qui meruit pia
Virtute cœlum divus Augustus, viros
Quot interemit nobiles, juvenes, senes,
Sparsos per Orbem, cum suos mortis metu
Fugerent Penates, & TRIUM FERRUM DUCUM,
Tabula notante deditos tristi neci?
Exposita rostris capita cæsorum patres
Videre mœsti: flere nec licuit suos,
Nec gemere dira tabe polluto foro.
Nec finis hic cruoris, aut cædis stetit.
Pavere volucres, & feras sævas diu
Tristes Philippi: hausit & Siculum mare
*Classes, virosque sæpe cædentes suos *.*
Concussus Orbis viribus magnis, Ducum, &c.

Lepidi, Antonii, & Octavii conventio, & locus.

Monstrorum concordia, qua Lernæa sese pessima extulerunt capita, si Floro fides *lib.* 4. *cap.* 6. *Apud Confluentes inter Perusiam & Bononiam jungunt manus, & exercitus consalutant. Nullo bono more Triumviratus invaditur, oppressaque armis Republica redit Syllana proscriptio; cujus atrocitas nihil in se minus habet quam numerum centum quadraginta Senatorum.* Vellejus Paterculus *lib.* 2. annum V.C. signat, & Consulatus Cæsaris diem: *Consulatum iniit Cæsar pridie quam viginti annos impleret, decimo Kalend. Octobres, cum collega Q. Pedio, post V. C. ann.* DCCIX. Annus atro signandus Saturni saxo, quo impietas, per omne scelus, decem capita complevit ad Orbis exitium.

Septem Urbis Montes.

LXIII. Sequitur, expenditque allegoriam Joannes, *Septem capita* SEPTEM MONTES *sunt, super quos mulier sedet*. De Principibus addit: *Et decem cornua, quæ vidisti,* DECEM REGES *sunt, qui Regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam Reges una hora accipient post Bestiam.* Non acceperunt, sed arripuerunt Regnum Triumviratus proceres: similiter Reges septem, si a Romulo incipies, vim & fraudem, quod omnino detestes, exsecrandam agnosces, etiam Numa commento Egeriæ Regnum malis artibus sustulit. Per Bestiam proinde Dæmonem, aut Militiam Romanorum intelliges, quæ Urbem triumphis portabat, usque ad extrema terrarum Orbis. Nec dubium sapientum animos urget, quia signat *Septem Montes*, quibus Roma imperat. Propertius *eleg.* 10. *lib.* 3.

Septem Urbs alta Jugis, totique † præsidet Orbi.

Tertullianus in *Apologetico* cap. 35. *Ipsos Quirites, ipsam vernaculam septem collium plebem convenio.* Virgilius lib. 6. *Æneidos* vers. 783.

Septemque una sibi muro circumdabit arces.

* Hic & sequens versus aliter leguntur in Scriverii aliorumque Editionibus, quas consule.

† Leg. *toti quæ*.

Hinc Urbs septicollis a D. Romano dicitur apud Prudentium in *Hymnis:*

Divum favore cum puer Mavortius
Fundaret arcem Septicollem Romulus.

Claudianus in 6. *Consulatu Honorii* v. 535.

Erexit subitas turres, cinctosque coegit
Septem continuo Montes juvenescere muro.

Septimontium dies festus.

Et ne ultra aberret oratio, septem Montes Romam demonstrant, in qua *Septimontium* dies sacer a Tertulliano in libro *de Idol.* ab his septem Montibus inter Idola recensetur. Sic habes Romam, quæ Babylonis nomine circumfertur; de qua S. Augustinus l. 14. *C. D.* ad Marcellinum inquit: *Altissima condita est Civitas Roma, veluti altera Babylon, & veluti prioris filia Babylonis: per quam Deo placuit Orbem debellare terrarum, & in unam societatem Reipublicæ legumque perductum late longeque pacare.* Observabat incunabula Romæ circa excidium Regni Assyriorum; & addit, *eo modo illud in Oriente, hoc in Occidente surrexit.* An quia sanguine viri innocentis purpurata Nini Babylon, Remique consurrexit Roma? An quia per Magiæ facinus, auctore Arnobio, crevit Babylon, & Roma Romuli Numæque superstitionibus caput extulit ultra polos? An quia, teste Beroso, Babylon gentium concursu omnium dilatata, opes auxit, & Imperium, ita Roma post Asylum aucta imperavit? An quia oraculum Apocalypsis aquarum meminit, & Babylon ac Roma secus flumina sitæ extolluntur? An quia Nembrod Babylonis Dominus, ut legimus in *Fastis Siculis, Ignem colere docuit*, ita, auctore Dionysio, Romulus focos & Vestam coluit; & ignis auspice numine utraque Urbs crevit? An quia legimus in *Chron. Alexand. Nembrod Gigantem Babyloniæ conditorem, Persæ ajunt, in cœlitum ordinem relatum in astris apparere, quem Oriona vocant*, similiter Romulum ad superos elatum, teste Ennio, *cum diis ævum agere*?

Roma & Babylon in quo conveniunt.

P. Orosii eadem comparatio

LXIV. Equidem Paulus Orosius vir, testimonio D. Augustini, constantis eruditionis, *lib.* 2. *cap.* 3. plura congerit similitudinis exempla, a nostris omnino diversa, sed quæ tempora spectent a longe, ideoque in fine maledicentiam calumniantium sibi deprecatur, & concludit: *Ecce similis Babyloniæ ortus & Romæ, similis potentia, similis magnitudo, similia tempora, similia bona, similia mala, tametsi non similis exitus, similisve defectus: illa interfectione Regis orbata, hæc incolumi Imperatore secura est.* Hæc ille, & hanc urbium comparationem nuncupat, *Arcanum ineffabilium judiciorum.*

Pauli Aresii laus.

LXV. Ultimis tandem temporibus Paulus Aresius, conspicua eruditione Episcopus Derthonensis, librum edidit *de sacrosanctæ Ecclesiæ Urbisque Romæ perennitate*, & adamussim collegit Auctorum oracula de Urbe & Babylonia, velitationemque instituit satis longam pro perpetuitate Urbis pugil præstantissimus; tetigit hanc comparationem Bozius *de signis Ecclesiæ* lib 12. cap. 6. & ad rem nihil digessit; similiter, qui Apocalypsin expendunt certamen ingressi calamos conferunt, sed Al-

Et Alcasarii.

cæsarius præ cunctis diligentior, quamvis audacior, cujus Epitomen edidit Cornelius a Lapide. Provinciam tandem ego suscepturus pro Roma animadverto Aretam, plerosque Antiquos, & Alcasarium Romam Ethnicam & Idololatram a Joanne Babylonis nomine dictam, cui addo juxta fidem Tertulliani, qui Romam nuncupat *Sanctorum Dei debellatricem*, Bozium adnotasse, tercentena millia Martyrum sanguinem pro Deo in Urbe fudisse: addo insuper, cecidisse una cum falsis impiisque diis, ejusque excidium obtulisse ad Theodosium & Valentinianum Imperatores Symmachum Urbis Præfectum, ut renovatis de more sacris consurgeret; sed Prudentius & Ambrosius justo Dei judicio corruisse Satanæ sedem edixerunt; sic Roma & Babylon eodem insignitæ impietatis nomine exsecrantur. Adnotabam proinde in meis Commentariis locum *Apoc.* cap. 14. *Babylon magna facta est habitatio Dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi*; enimvero inquit Tertullianus in libro *de Spectaculis*, *sciunt homines Urbem, in qua Dæmoniorum conventus consedit*; & Athenagoras, Arnobius, Felix, ac Theophilus Patriarcha, omnium gentium numina coluisse testantur; unde D. Leo Pontifex in *serm. nativ. Sanctorum Petri & Pauli* inquit: *Cum pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus, & magnam sibi videbatur assumsisse Religionem, quia nullam respuebat falsitatem*. Præterea D. Hieronymus *in Danielem*, per decem cornua, *in consummatione Mundi decem Reges futuros, qui Orbem Romanum inter se dividant*, intelligit; addit Cornelius, ac si traditionem pro oraculo teneret, *Certum est hosce decem Reges eversuros & concrematuros Romam*; credulum non teneo hominem: enimvero de die illo neque Filius novit; similiter quæ pie scribuntur certitudinem omnimodam non habent, præter ea, quæ in Evangelio recensentur novissimis temporibus mala.

Babylon & Roma sedes Dæmonum.

Traditiones dubiæ.

Roma non est Babylon.

LXVI. His recensitis, Romam nequaquam a Joanne Babyloniam nuncupatam assentior fuisse; & licet Divus Hieronymus in *Epistola ad Marcellam*, *Romam ob magnitudinem, Urbis ambitionem & potentiam* Babyloniam dixit, figuratam locutionem nemo est, qui non deprehendat. similiter Tertullianus, dum Christianorum sanguis a bestiis & carnificibus ubique effunderetur, velut victimarum in Beli templo cruor, Babylonis meminit; Orosius & Augustinus ut scribunt Imperium denotant, & Orientis Assyriorum Regnum funditus collapsum, Romano cessisse fastigium. Cæterum calumniantur impii Romam, mali ominis nomine insignitam, ut Pamelius adnotabat, & Nicolaus Sanderus Anglus lib. 8. *de visibili Monarchia*; proinde Lutherus librum inscripsit *de Captivitate Babylonica*, ita ut fides dilacerata vim patiatur. Ideo recte nobiscum sentiunt, qui de Roma Idololatra viros sanctos exemplum adduxisse consentiunt. Sic Areta Cæsariensis, & Hieronymus lib. 2. *adv. Jovinianum* Romam alloquitur, *Scriptam in fronte blasphemiam Christi confessione delesti*; de cætero neque Joannes Romæ meminit; neque de Roma quidquam temere percipiendum. Etenim Mulier illa nequam habebat scriptum in fronte MYSTERIUM mentem superat, & inquirere ultra vires etiam curiosiores vetat, ne altum sapiant. Deinde Babylon captivos Judæos non interemit, ut diis crederent, vim neque intulit. Et sic ebriam de sanguine Sanctorum ac Martyrum Jesu illam appellare non suadet religio; imo dimissos ad Templi restaurationem filios Israel benigne legimus. Hinc super flumina Babylonis cum sederent, flebant recordatione sanctæ perculsi urbis; non super equuleum torti ejulabant tortorum inscalpti ungula. Tandem Angelus ait, *Bestia, quam vidisti, fuit, & non est: adscensura est de abysso, & in interitum ibit*. Perstat Roma caput Orbis, & Imperator adhuc Romanorum Rex feliciter nuncupatur. Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum, claustrorumque Inferorum; ideo Dæmon est iste, qui fuit Bestia apud Ægyptios in Bestiis cultus; & cuncta animantia Orbis terrarum, aris dicata, Bestiæ præferebant imaginem & caracterem, jam non est in templis, cecidit, & *in puteum abyssi* detrusus ab Angelo suos patitur manes; Mulier vanitatem denotat, maledictum, mendacium, & adulterium, ob quam, inclamante Propheta, *sanguis sanguinem tetigit*; Viri sanguinum & dolosi bibunt de manu ejus calicem furoris Domini; verumtamen fex ejus non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ, usque dum resipiscentes orent, ut liberet eos de sanguinibus Deus salutis.

Sed tantum figurate dicta.

Mysteria non perscrutanda.

Babylonis impietas.

Bestia Dæmon.

Cecidit ab aris.

CAP. VI.

Si Urbs absque nomine, a quo, vel unde Roma dicta?

LXVII. PRoprium Urbis nomen omnino ignotum, utpote abolitum, ex oraculis plurimorum antiquorumque Scriptorumque usque modo luculenter ediximus; & quia Roma nuncupatur, venerandum hoc nomen a prima gentium origine superest inquirendum; enimvero commendatum numinibus, aris & thure cultum, adoratum a Regibus, vaticiniis immortale, religionisque superstitione sacratissimum, perenne & æternum decantatur.

Romæ nomen ignotum.

Laudatur.

Apud omnes usitatissimum Romæ nomen a Romulo, sed quæ vulgus adstruit, nos eruditione, nec fortasse incuriosa, firmabimus. Ennius enim canit,

Certabant Urbem Romam, Remuram-ne vocarent,
Omnis cura Viris uter esset Endoperator.

Roma a Romulo dicta.

Vicit tandem augurio Romulus, & teste Dionysio Halicarnasseo *l.* 1. *cognominem sibi Urbem condidit*; asseritque Livius, *Solus potitus Imperio Romulus, condita Urbs conditoris nomine appellata fuit*; sic antea Jupiter Cythercam alloquitur apud Virgilium lib. 1. *Æneidos* vers. 279.

Inde lupæ fulvo nutricis tegmine lætus
Romulus excipiet gentem, & Mavortia condet,
Mœnia, Romanosque suo de nomine dicet.

Hinc Messala Corvinus ad Octavium Augustum inquit: *Remum a Romulo, cui regnare contigerat, securi percussum, & a nomine conditoris Urbem Romam nuncupatam*; nec aliter Vellejus Paterculus & Varro, *mater Romuli Rhea, ex hac Romulus, hinc Roma*; Cornelius Nepos, sive mavis Æmylius Probus, post fictas rejectasque Licinii Macri & Æquatii conjecturas, Livium secutus ait: *Horum omnium opinionibus diversis repugnat nostræ memoriæ proclamans Historia Liviana, quæ testatur, quod auspicato Romulus ex suo nomine Romam vocavit*. Novissima fere eadem sunt verba Eutropii. Et Constantinus Manasses Græcus Auctor elegantissimus, quem nuper interpretabatur Morellus, sonitu tubarum, faustoque omine nomen impositum occinit,

His constitutis, ita tubæ sonitu Oppido
Imponit ALTUM NOMEN, *&* ROMAM *vocat*.

Martianus Heracleota, & ipse Græcus,

Hanc condidisse in Latio Romulum asserunt
A se indito ipsi Civitati nomine.

Non Romula, sed Roma prosperiora denotat.

LXIX. Sed si a Romulo Urbi nomen impositum, cur non Romula nuncupatur? Equidem animadvertebat Verrius Flaccus dicens: *Romam Romulus de suo nomine appellavit, sed ideo Romam, non Romulam, ut ampliore vocabuli significatu prosperiora patriæ suæ ominaretur*. Martialis *l* 9. *ep*. 12.

NOMEN *cum violis rosisque natum,*
Hyblam quod sapit, Atticosque flores,
Quod nidos olet alitis superbæ:
Nomen nectare dulcius beato.

Paulus refert id ipsum, sed prosperiora quæ sint silet omnino; petam cum Ausonio, qui Probo Præfecto Prætorio *ep*. 16. salutem quam maximam dicit:

Romæ nomen an a moribus?

Age vera proles Romuli,
Effare causam NOMINIS:
Utrum-ne mores hoc tui
Nomen dedere: an nomen hoc
Secuta morum regula?
An ille venturi sciens
Mundi supremus arbiter,
Qualem creavit moribus
Jussit vocari nomine?
NOMEN DATUM PRAECONIIS
Vitæque testimonio.

Nomen datum præconiis.

Romæ nomen significat fortitudinem & sublimitatem.

LXX. Sed maximi nominis maximus accedat Interpres, Hieronymus, sanctitate & eruditione cumprimis, sive PP. sive eloquentissimis Gentilium Scriptoribus comparandus: ille namque lib. 2. *adv. Jovin.* inquit: *Urbs potens, Urbs domina, Urbs Apostoli voce laudata, interpretare vocabulum tuum*; ROMA, *aut fortitudinis nomen apud Græcos est, & sublimitatis apud Hebræos*; addit Lipsius, *Romæ gloriæ & famæ nomen est Germanis. Robur* significat, si Verrio fides, & Solino; quod a Romanis ediscere possumus, robustissimis utique militibus, de quibus Horatius ad Drusum l. 4. *Carm*. od. 4.

Famam & robur.

Gens, quæ cremato fortis ab Ilio,
Jactata Thuscis æquoribus sacra,
Natosque, maturosque patres
Pertulit Ausonias ad urbeis.
Non Hydra secto corpore firmior,
Vinci dolentem crevit in Herculem:
Monstrumve summisere Colchi
Majus, Echioniæve Thebæ.

Monstrum.

Occinitque Prudentius, & antea Lucanus, summæ fortitudinis exempla. Etiam nunc, Osorio auctore, apud Orientales Indos, milites boni & fortes RUMES appellantur; An quasi Romani, & admiratio vetus, apud eos mansit? Virgilius *Ecloga* prima vers.

Indi Rumes fortes appellant.

Verum hæc tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Martianus Heracleota Græcus, eximiusque vates,

In hisce Roma Civitas est gentibus,
Quæ æquale NOMEN ROBORI SUO *obtinet*.

LXXI Itaque bonis avibus incipiamus venari tanti nominis originem; & sit tanquam Cynosura in re obscura & antiquissima Verrius Flaccus, sapientum multorum eruditione restitutus: enimvero Gergithius, qui de adventu Æneæ in Italiam videtur conscripsisse, ait, *Romam appellatam esse*, CEPHALON*, *& ab homine quodam comite Æneæ: eum enim occupato Monte Palatino Urbem condidisse, atque Romam appellasse*. Non procul ab ista antiquitate Apollodorus in *Euxenide*, Urbis nomen divinat, inquit etenim, *Ænea & Lavinia natos Mayllem, Mulum, Romumque, atque a Romo Urbi tractum nomen*. Circa hæc tempora Heroasque se vertit Alcinus dicens: *Tyrrhenia Æneæ natum filium Romulum fuisse; atque eo ortam Albam Æneæ neptem, cujus filius nomine Romulus condiderit Urbem Romam*. Antigonus Italicæ historiæ Scriptor parentem variat, & a Jove principium sumit; scribit enim, *Romum quendam nomine, Jove conceptum, Urbem condidisse in Palatio Romæ, eique dedisse nomen*. Plutarchus in *Romulo* scribit: Ἄλλοι δὲ Ῥώμην, Ἰταλοῦ θυγατέρα καὶ Λευκαρίας· οἱ δὲ, Τηλέφου, τοῦ Ἡρακλέους, Αἰνείᾳ γαμηθεῖσαν· οἱ δ' Ἀσκανίου τοῦ Αἰνείου, λέγουσι τοὔνομα θέσθαι τῇ πόλει. *Sunt qui Itali & Leucariæ filiam; sunt qui Thelephi Herculis filii filiam Æneæ nuptam; alii Ascanii Æneæ filiam, Urbi ajunt nomen dedisse*. Agathocles etiam calculum suum addidit, dum asserit complures esse Auctores, qui dicant *Æneam sepultum in urbe Berecynthia prope flumen Nolon, atque ex ejus progenie quendam nomine Romum venisse in Italiam, & Urbem Romam condidisse*. Addamus Solinum cap. 2. *Polyb*. ejusque ora-

Romam Cephalon dixerunt.

a Romo Æneæ filio.

a Romulo filio Albæ.

a filio Herculis.

* Hic fœde hallucinatur Auctor, & mire hunc Verrii locum depravat; *Cephalon* enim non appellata est Roma, sed est prænomen Gergithii. Vid. omnino locus, & ibi Scaliger.

culum audiamus, non etenim hæc tempora excedit: „ Troja capta quosdam ex Achivis in ea loca, ubi nunc Roma est, „ devenisse per Tyberim: deinde suadente Rome nobilissima captivarum, quæ „ his comes erat, posuisse sedes, struxisse mœnia, & Oppidum ab ea Romam „ vocavisse. Confirmat hoc antiquitatis monumentum Plutarchus; & Cœlius *lib.* 24. *cap.* 5. observat, Navæthum in Italia fluvium a navium exustione sic nuncupatum, quod scribit Appollodorus, quia Laomedontis filiæ, ac Priami sorores Æthylla, Astyoche, Medesicasta, cum captivis aliis illuc appulsæ, naves incenderunt, ex quo & ipsæ *Nauprestides* nuncupatæ; auctor Plutarchus est, dictam fuisse Romam, quæ cæteris suaserit incendium holcadum Græcarum: Setæam vocat Lycophron. Sed Lycophron nequaquam ad Navæthum, sed potius ad Crathyn fluvium id accidisse occinit; quod eam Italiæ plagam inundat, quæ magna Græcia nuncupatur; ejus carmina implexis nominibus, quæ antiquitatem sapiunt, Scaliger sic reddidit:

a Rome, quæ naves concremavit.

a Setæa.

Setæa misera, rupium te crux manet,
Ubi numellis membrivincis ferreis,
Misella, passis compedita brachiis
Moriere, heriles ausa classes urere
Ad Crathin ejulante quæstu volturum,
Rapina pendens oscinum voracium:
Quin fortis ille mons tuæ cognominis,
Ponti procellis imminens, vocabitur.

Multum variat Marianus Lupercaliorum Scriptor, qui criticam limam non semel perpessus vel mugit, vel canit:

Setæa flava & candida
Roma Æsculapi filia
NOVUM NOMEN *Latio facit,*
Quod conditricis nomine
Ab ipso omnes Romam vocant.

Varii diversimode carmen occinunt; Barthius in *Adversariis*, *Novum Numen* legit; Philargyrus *Nomen*; Plutarchum Auctores quamplures vocant, qui illam Itali & Leucariæ filiam perhibent; apud Rutgersium *Eetionis filia* nuncupatur; sed cur Æsculapii filia? An quia vel sic languoribus mederi quiete didicit? An quia post ingentes navium errores, cœlo marique conflictantium, terram ostendit securitatis & sanitatis antidotum? An quia Urbem ædificans Ilii mœrorem absumsit? An potius, quia fato cessisse occinit, & fato recepisse ab oraculo sedem? equidem ægritudines animi medetur sapiens, & ille Æsculapii filius, qui prudenter malorum memoriam pellit, ut respiret. Videamus tantæ viraginis molimina apud Plutarchum in *Romulo*. Διαφυγόντας ἐνίους ὑπὸ πνευμάτων τῇ Τυῤῥηνίᾳ προσπεσεῖν φερομένους, καὶ περὶ τὸν Θύμβριν ποταμὸν ὁρμίσασθαι· ταῖς δὲ γυναιξὶν αὐτῶν ἀπορουμέναις ἤδη καὶ δυσανασχετούσαις πρὸς τὴν θάλασσαν, ὑποθέσθαι μίαν, ἣ καὶ γένει προὔχειν καὶ φρονεῖν ἐδόκει μάλιστα, Ῥώμην ὄνομα, καταπρῆσαι τὰ πλοῖα· πραχθέντος δὲ τούτου, πρῶτον μὲν ἀγανακτεῖν τοὺς ἄνδρας. Ἔπειτα δι' ἀνάγκην ἱδρυνθέντας περὶ τὸ Παλλάντιον, ὡς ὀλίγῳ χρόνῳ κρεῖττον

Quies medela malorum.

Sapiens languores pellit.

A ἐλπίδος ἔπραττον, ἀγαθῆς πεπειραμένοι χώρας, καὶ δεχομένων αὐτοὺς τῶν προσοίκων, ἄλλην τε τιμὴν ἀπονέμειν τῇ Ῥώμῃ, καὶ τὴν πόλιν ἀπ' αὐτῆς ὡς αἰτίας προσαγορεύειν. *Nonnullos profugos ad Hetruriam vi ventorum expulsos, circa Tyberim amnem ancoras jecisse; ubi uxoribus eorum fatiscentibus; pelagique pertæsis jactationis, unam, quæ & genere clarior cæteris esse & præcellere mente videbatur*, ROMAM *nomine, ut classem incenderent suggessisse; id viros primum ægre tulisse. Deinde cum necessario sedes circa Palatium posuissent, & brevi supra spem succederent omnia; quod agri fertilitatem miram sentirent, reciperent etiam ipsos accolæ, cum alios Romæ honores habuisse, tum vero ejus ut auctoris Urbi nomen indidisse.* Hoc totum firmat Heraclides apud Verrium Flaccum, & alii plerique præstant: Dionysius Halicarnasseus lib. 1. *Antiq.* citat Damasten Sigensem, & Aristotelem Philosophum, quos vide.

B

LXXIII. Hinc morem observo osculandi inter Romanos, & occasione illius viraginis, quæ classem incendio dedit, offert Plutarchus in *Romulo*; Ἐξ ἐκείνου τε παραμένειν λέγουσι τὸ, τὰς συγγενεῖς καὶ γυναῖκας καὶ οἰκείους ἄνδρας ἀσπάζεσθαι τοῖς στόμασι· καὶ γὰρ ἐκείνας, ὅτε τὰ πλοῖα κατέπρησαν, οὕτως ἀσπάζεσθαι καὶ φιλοφρονεῖσθαι τοὺς ἄνδρας, δεομένας αὐτῶν καὶ παραιτουμένας τὴν ὀργήν. *Inde posteris morem perhibent traditum, ut propinquos fœminæ & viros suos salutent osculo: quod illæ post classem inflammatam deprecantes viros, & iram illorum mulcentes, ita eos salutavissent & amplexi essent.* Plinius *lib.* 14. *c.* 13. ad vinum morem convertit; edixit itaque Cato, *Ideo propinquos fœminis osculum dare, ut scirent, an temetum olerent.* Hoc tum nomen vino erat, unde & temulentia appellata, hinc apud Romanos tantus osculorum luxus inter concives & amicos, ut quotidiana occursu ora suavianda redderent: prohibuit Tiberius, ut refert Suetonius *cap.* 34. & cavit edicto, sed crebrissima ab Urbe oscula non sustulit; gratiose Martialis *in Linum* l. 7. ep. 94.

Osculandi origo.

C

D

Bruma est, & riget horridus December,
Audes tu tamen osculo nivali
Omnes obvios hinc & hinc tenere,
Et totam, Line, basiare Romam.

E

Et lib. 11. epigr. 99. idem *ad Bassum*:

Effugere non est, Basse, Basiatores
Instant, morantur, persequuntur, occurrunt,
Et hinc, & illinc, usquequaque, quacunque.

F

Ex hoc illustri mulierum facinore animadvertebat id ipsum Pierius *lib.* 22. ubi de columbæ osculis: „ Non sunt humanissimi „ Gallorum omnium mores, qui passim „ oscula tanto studio colunt, ut honori sibi „ ducant, quod adveniens hospes uxorem, „ sorores, filias etiamnum virgines osculo adhibito salutaverit, & in amplexum

Gallorum consuetudo.

„ acceperit, & in gremium sibi assideri „ jusserit: nam & apud Romanos olim li- „ cebat obvias quasque mulieres excipere „ osculo. Cæterum apud Romanos mos osculorum usitatus, præcipue cum primum dignitatis fastigium attingerent. Arrianus in *dis. Epict.* c. 9. *Tribunatum aliquis adeptus est? Omnes obvii gratulantur, alius oculos, alius collum osculatur.* Sed ad illos redeamus, qui nomen Romæ dederunt; testatur Plutarchus in *Romulo*: Οἱ δὲ λέγουσι, Ῥωμανὸν Ὀδυσσέως παῖδα καὶ Κίρκης, οἰκίσαι τὴν πόλιν· οἱ δὲ, Ῥῶμον ἐκ Τροίας ὑπὸ Διομήδους ἀποσταλέντα τὸν Ἠμαθίωνος· οἱ δὲ, Ῥῶμον Λατίνων Τύραννον, ἐκβαλόντα Τυῤῥηνοὺς, τοὺς εἰς Λυδίαν μὲν ἐκ Θετταλίας, ἐκ δὲ Λυδίας εἰς Ἰταλίαν παραγενομένους. *Sunt qui ajunt Romanum Ulyssis & Circes filium Urbem condidisse: Alii Romum Emathionis filium ab Diomede ex Troja missum: Alii Romum Latinorum Tyrannum, cum ejecisset Hetruscos, qui in Lydiam ex Thessalia, ex Lydia commigraverunt Italiam.*

Plerique Romæ nomen dederunt.

Sed quia Fidei ara apud Romanos solenni colebatur cultu, non displicet huc advocare Agathoclem Cyzicenarum rerum Scriptorem, qui antiquitatem hanc scitu di- „ gnam denarrat *: Vaticinio Heleni im- „ pulsum Æneam Italiam petivisse por- „ tantem suam secum neptem, Ascanii fi- „ liam, nomine Romam; eamque, ut „ Italia sint Phryges potiti, & iis Regio- „ nibus maxime, quæ sunt vicinæ Urbi, „ consecrasse in Palatio FIDEI templum, „ in quo Monte postea, cum conderetur „ Urbs, visam esse justam vocabuli Romæ „ nominis causam. Hæc ille. Fidei ædem in Capitolio legimus, quam ut deam venerabantur, si Tullio & Lactantio credimus. Sed Dionysius Halicarnasseus in *Rom. Antiquitatibus* ait, *Numam omnium primum Fidei publicæ templum ac sacrificia statuisse*, quo tempore Romæ nomen illustre; Silius, *lib.* 2.

Ascanii filia Roma.

—— ad limina sanctæ
Contendit Fidei, sacrataque pectora tentat,
Arcanis dea læta.

Ejus sacra Lilius describit satis diligenter, & apud Flamines curabantur: ejusque habitum militantis Prudentius in *Psychomachia* depromit,

Fides armata.

Prima petit campum dubia sub sorte duelli
Pugnatura Fides, agresti turbida cultu,
Nuda humeros, intonsa comas, exerta lacertos.

Plinius Fidem inter numina recenset, & Tullius *de Offic.* lib. 3. vicinam Jovi in Capitolio, jusjurandumque ejus dicit esse, ex Ennio & Catone; de illius dedicatione idem Tullius, *ut Fides, ut Mens, quas in Capitolio dedicatas videmus, proxime a M. Scauro, ante autem ab Attilio Calatino erat Fides consecrata.* Quid cum Jove Fides? An quia Infidelis atheismo laborat? An quia Fides Deum confitetur, & socia numinis ad cœlum nos ducit? An quia sine Fide frigent aræ, & tota perit Religio? An quia Justus ex Fide vivit? Homo namque Dei genus est, & ad Deum accedentes oportet credere; ideo Fides in manu, ut Deum colere faciendo, quæ jussit, possimus. Alludit Martialis *lib.* 8. *ep.* 65.

Cur cum Jove Fides?

* Apud Verr. Flaccum in V. *Roma*.

Roma salutavit voce manuque Deum.

Equidem jure stat cum Jove, cecinitque Silius Italicus,

Ante Jovem generata decus, divumque hominumque,
Qua sine non tellus pacem, non æquora norunt,
Justitiæ concors, tacitumque in pectore numen.

LXXIV. Attamen nondum a quo Roma nuncupata fuerit divinavimus. Subsequens fortasse caput facem dabit & semitam. Nunc sistendum, sed otio litterario, videndum tantæ Urbis portentum; An Roma dicta ob magnitudinem? Adnotabat Savarus Præfectus Arverniæ ex Sidonio, *Romæ appellationem nonnisi præcipuæ urbes sortiebantur.* Salvianus lib. 7. *de Provid. Carthago universarum Africæ urbium princeps, & quasi mater, & in Africano Orbe quasi Roma.* Campaniæ præcipua urbs Capua *Roma altera* dicebatur: & Hedua ab Herico Monacho *Celtica Roma*: Aquileja *Romania Roma secunda* dicta est a Leandro: Colonia Agrippina *Roma secunda* nuncupatur a Stephano in *historia S. Martini*: Arelas *Gallula Roma* ab Ausonio, quod de aliis magnificentia, triumphis, ac amplitudine præstantibus passim legitur.

Roma dicta a magnitudine.

LXXV. Tandem concludo aureo Divi Joannis Chrysostomi ore: *Ego Romam diligo, tametsi aliunde queam illam laudare, nempe a magnitudine, ab antiquitate, a pulchritudine, a multitudine, ab Imperio, a divitiis, a rebus in bello fortiter gestis.* Vere, sed verior laus, quia Urbs in vertice Montium, electa a Deo Religionis caput, Christi & Imperii sedes.

Laus Romæ aureo D. Jo. Chrysostomi ab ore.

CAP. VII.

Romæ nomen Saturnus, Aborigines, & Evander imponunt: eorumque transmigrationes enarrantur.

LXXVI. Stulta gens mortalium, ab initio superstitionem impietatemque secuta, homines tanquam numina coluit; & quod mirum, nequissimos omnium profugos, palantes, mutilos, conceptis utplurimum verbis, aris, & thure deorum more sacravit; hinc posteritas cumprimis irridet Saturnum, quem vetus ætas apud Theophilum ac Lactantium *Satorem omnium deorum* existimavit, & Horus Avienus *deorum principem* illum dixit; unde ab Apollophane penes Fulgentium in *Mythologico Sator, Divinus sensus creans omnia* nuncupatur. Tullius in 2. *de Nat. DD.* inquit: *Saturnum esse voluerunt, qui cursum & conversionem spatiorum ac temporum contineret*; ideoque Græce χρόνος appellatur, & cæleste numen superstitiosa Ægyptiorum religione censetur; unde Tertullianus in *Apologetico* ait: *Ante Saturnum deus penes vos nemo est, ab illo census totius, vel potioris, vel notioris divinitatis.* Ad-

Homines dii.

Saturnus deorum sator.

A Addamus etiam ante illum historiæ ullam fuisse notitiam, ostenditque Macrobius in primo *Sat.* cap. 8. *Non omiserim Tritonas cum buccinis fastigio Saturni ædis superpositos; quoniam ab ejus commemoratione ad nostram ætatem historia elata*, & quasi vocalis est, ante vero muta, & obscura, & incognita. Quod testantur caudæ Tritonum humi mersæ & absconditæ.* Sic ab eo numine tempora superstitionis incipiunt, deorumque sacra.

LXXVII. Nihilominus exsecatum ac profugum hunc legimus, apud Janum latuisse, & adhuc tota Regio Latium nomen B præfert, latitantemque demonstrat: & magnum Romæ non sua ab illo exordia inclamat, occinitque arcanum Ovidius in *Fastis*; hunc Jupiter alligatum perdidit, eo quo tempore ebrium æstuantemque deprehendit, melle & vino despumantem sub quercubus; cecinit infandum hoc facinus Orpheus antiquitate & theologia Vatum princeps, qui Jovem jubentem exhibet,

Ebrius a Jove expellitur.

Ut primum spectabis eum sub quercubus altis
Dulci, quod comportat apum grex, melle madentem, C
Constringas illum vinculis. ——

Comprehensum deinde castravit; Phornutus castratum & in barathrum præcipitatum scribit; fortasse compeditum oppressit carcere; Lactantius historiam offert lib. 1. *de falsa Religione*: *Senex a juvene facile victus est, ac spoliatus Imperio: fugit igitur expulsus, & in Italiam navigio venit, cum errasset diu. Sicut Ovidius in Fastorum libris refert,*

Castratus.

D *Causa ratis superest: Thuscum rate venit ad amnem*
Ante pererrato falcifer orbe deus.

Nummus cum navi & Jano.

LXXVIII. Hunc errantem atque inopem Janus excepit, cujus rei argumenta sunt numi veteres, in quibus est cum duplici fronte Janus, & in altera parte navis, sicut idem Poeta subjecit,

At bona posteritas puppim formavit † in ære,
E *Hospitis adventum testificata Dei.*

Sed elegantior Tertullianus in *Apologetico* cap. 10. historiam firmat plurimorum oraculis: „ Saturnum, quantum litteræ docent, neque Diodorus Græcus, aut „ Thallus, neque Cassius Severus, aut „ Cornelius Nepos, neque ullus Commentator ejusceemodi antiquitatum, aliud quam hominem promulgaverunt. „ Si quæras rerum argumenta, nusquam F „ invenio fideliora quam apud ipsam Italiam, in qua Saturnus post multas expeditiones, postque Attica hospitia consedit; exceptus a Jano, vel Jane, ut „ Salii volunt; Mons, quem incoluerat, „ Saturnius dictus, Civitas, quam depalaverat, Saturnia usque nunc est. Tota „ denique Italia post Oenotriam Saturnia „ cognominabatur: ab ipso primum tabulæ, & imagine signatus nummus, &

Latuit in Latio, nummosque signavit, præsidet Ærario.

* Refer. *clara*. † Alii melius, *servavit*.

A „ inde Ærario præsidet. Tametsi homo „ Saturnus, utique ex homine, & quia „ ab homine, non utique de cœlo & terra. Hactenus ille. Et Minucius in *Octavio*: *Creta profugus, Italiam metu filii sævientis accesserat, etiam* susceptus hospitio rudes illos homines & agrestes multa docuit, ut Græculus & politus, litteras imprimere, nummos signare, instrumenta conficere.* Hanc calamitatem passa est etiam Juno, de qua Theopompus in *Cypriaco Carmine*, & Hellanicus in *Diosphilologia*, quam descripsit apud Fulgentium Mythologicum, ajunt: B *Junonem ab Jove vinctam catenis aureis, & degravatam incudibus ferreis.* Proh nefas! Divites compediti incudum pondera fertis & sustinetis? Malleorum insuper ictus vos torquent, tundunt, hebetant; pulsant vos fures, exossant propinqui, dilaniant exteri, & tamen genus jactantes Jovis, immortale creditis ducere ævum, quolibet vitæ momento fatis dirisque compressi?

Litteras docuit.

Pondera divitum & miseræ.

LXXIX. Saturni accedentis verba Prudentius in *Symmachum* recitat:

C *Sum deus, advenio fugiens, præbete latebras,*
Occultate senem, gnati feritate tyranni,
Dejectum solio; placet hic fugitivus & exsul
Ut lateam; genti atque loco Latium dabo nomen:
Vitibus incurvum, si qua est ea cura, putandis
Producam chalybem, nec non & mœnia vestri
Fluminis in ripa statuam Saturnia vobis.
D *Vos nemus, appositasque meo sub honore sacrantes,*
(Sum quia nam Cœlo genitus) celebrabitis aras.

Saturnus senex querit latibula, vites conserit: mœnia construit, ut sit deus.

Arnobius lib. 4. *adversus Gentes* nomen loco imposuisse jactat, NOMEN videlicet LATIO *imposuisse pro munere*. An Latio & Romæ nomen dedit? Ita Juno in *Fastis* Ovidii lib. 6. vers. 27.

Est aliquid nupsisse Jovi, Jovis esse sororem:
Fratre magis, dubito, glorier, anne viro?
E *Si genus adipiscitur †; Saturnum prima parentem*
*Feci; Saturni soror * ego prima fui,*
A patre dicta meo quondam Saturnia ROMA EST,
Hæc illi a cœlo proxima terra fuit.

An Romæ nomen a Saturno,

Virgilius denuo potius Saturni quam Romæ nomen decantat, l. 8. *Æneid.* vers. 357.

F *Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit arcem ‡:*
Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Hinc Quæstio, an primus in Italiam Saturnus accessit? testatur Virgilius *ibid.* v. 319.

Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo.

* Rep. & *Jani*. † Leg. *adspicitur*.
* Rest. *fors*. ‡ Alii, *urbem*.

Primus, id est, Princips.

At Janus venientem excepit, ideoque Sextus Aurelius Victor in *Breviario Historiæ Romanæ* inquit: *Intelligendum est, Virgilium quoque, non ignoratione veteris historiæ, sed suo more primum dixisse Saturnum, non ante quem nemo, sed principem, ut*

Trojæ qui primus ab oris.

Cum proculdubio constet ante Æneam, priorem Antenorem in Italiam esse provectum.

LXXX. Ex Ovidii carmine nihil de Romæ nomine insigne, aut firmum, sicut nec sequens Poetæ versus suadet,

—— nec Romulus illas
Condidit; at nostri Roma nepotis erat.

Jani sacra, forma, cultus, acta.

Nihilominus, quia eo accedente ingressa est superstitio, ut testatur idem Aurelius Victor, *Janus nihil aliud quam ritus colendorum deorum religionesque induxerat*. Eo defuncto Saturnus adauxit impietatem, & Manes ipse dicavit ad aras; sanxitque, divinis honoribus cumulatum primo loco nominandum, cognomento patris. Hunc Janum Cornificius lib. 3. *Etymorum Canum** nominat, Tullio auctore, *ab eundo*. C. Bassus in libro *de Diis* Janum bifrontem fingi ait: *Superum atque Inferum Janitorem: eundem quadriformem, quasi universa climata majestate complexum*. Nam Phœnices in sacris majestatem ejus exprimentes, inquit Macrobius, *Draconem finxerunt in orbem redactum, caudamque suam devorantem*: Saliorum quoque antiquissimis carminibus *deorum deus* canitur. Varro lib. 5. *rerum humanarum* scribit, *Jano duodecim aras pro totidem mensibus dedicatas*; pronunciavit Nigidius *Apollinem Janum esse*, *Dianamque Janam*, apposita D littera, quæ sæpe I litteræ causa decoris apponitur; quid mirum si tanto religionis cultu commendatur, si ab ipso superstitio sumsit exordium? Xenon in primo *Italicon* tradit: *Janum in Italia primum diis templa fecisse, & ritus instituisse Sacrorum, ideo eum in sacrificiis præfationem meruisse perpetuam*. Cæterum vide Macrobium lib. 1. *Saturn.* cap. 9.

Hinc ut satisfaciam asserentibus Saturnum Romæ imposuisse nomen, non Romæ, sed arcanum aliud puto, quod usquemodo inquirimus, nec invenimus. Fortasse Anthusam ab amore incolarum, suique, vel rituale aliud proinde obsignatum, aut omnino abolitum. Quod scio, Livius *dec.* 1. *lib.* 2. inquit: *A. Sempronio & M. Minutio Coss. Ædes Saturno dedicata; Saturnalia institutus festus dies*. Locum designat Sext. Aurelius Victor, ubi ait: *Usum signandi æris ac monetæ in formam incutiendæ ostendisse traditur. Ædes quoque sub Clivo Capitolino, in quo pecuniam conditam habebat, Ærarium Saturni hodieque dicitur*. Ante istius aram erat æneum Silvani signum; nunc Ædicula Sancti Salvatoris in Statera; olim S. Saturnini, & in eadem Regione VIII. teste P. Victore, *Ædes Opis & Saturni in Vico Jugario*. Ceterum Capitolium, antea a Tarpeja Virgine Vestali, Sabinorum armis consepulta, Tar-

Romæ nomen fortasse aliquod arcanum a Saturno.

* Leg. *Eanum*.

pejum Saxum cupidæ mulieris nuncupatum fato, antiquitus *Mons Saturnius* dicebatur; in eo Romanorum religio, & æternitatis monimentum; an a numine, vel magico nomine, equidem ignoro.

Ejus templa.

Aborigines unde dicti.

LXXXI. Post Saturnum regnavit Picus, qui Aborigines errabundos in societatem humaniter longo errore palantes recepit; Sallustius: *Aborigines, genus hominum agreste, sine Legibus, sine Imperio, liberum atque solutum*. Similiter Verrius Flaccus: *Aborigines appellati sunt, quod errantes convenerint in agrum, qui nunc est Populi Romani: fuit enim gens antiquissima Italiæ*. Varro lib. 4. *L. L.* ab illis Palatium dictum putat: *Palatini, qui & Aborigines ex agro Reatino, qui appellatur Palatium, ibi consederunt*. Eorumque in Latio meminit Plinius *lib.* 3. *cap.* 5. Dionysius vero Halicarnasseus lib. 1. *Antiquitatum Rom.* dictos putat, *a Græcis Aborigines a montanis sedibus*; & paulo ante scripserat: *Aborigines auctores Romani generis, Italiæ indigenas alii, suique corporis gentem asserunt*; eorumque Historiam ipsemet Auctor ex Græcis Latinisque Scriptoribus probatissimis copiose edisserit, quam & referre operis erit pretium; inquit enim *lib.* 1. „Urbem terræ marisque TOTIUS „PRINCIPEM, quam nunc Romani „habitant, primi in omni memoria te„nuisse dicuntur barbari Siculi, gens in„digena: superiore vero tempore aliosne „colonos habuerit, an inculta fuerit, „nemo potest certo dicere. Aliquanto „post pulsis longo bello antiquis domi„nis, ABORIGINES eam occupant, „qui primum in montibus passim sine „mœnibus vicatim habitaverunt; sed „postquam Pelasgi aliis Græcis mixti fi„nitimos bello infestare cœperunt, in „relictis a Sicula gente sedibus oppida „aliquot muniverunt, subegeruntque si„bi totum id terrarum spatium, quod „amnes duo Liris & Tyberis terminant; „qui orti ex imis Apenninis montibus, „Italiam quam longa est secantibus me„diam, erumpunt in Tyrrhenum pela„gus DCCC. ferme stadiorum inter utrius„que ostia interstitio; horum Tyberis „versus Septentriones prope Ostiam ur„bem se exonerat; a meridiano tractu Li„ris Minturnam alluit, ambas Romano„rum Colonias. Eas sedes deinde perpe„tuo tenuit idem genus hominum, muta„tis tantum appellationibus, servantes „vetus Aboriginum nomen, usque Tro„jani belli tempora, quando a Latino Re„ge denominati sunt. Post id bellum sex„ta decima ætate, cum Romulus sibi co„gnominem Urbem condidisset, assumto „inde quod hodieque retinent nomine, „gens ex minima temporis processu eva„sit in maximam, & in illustrissimam ex „obscurissima, dum Larium egenos ad se „comiter recipit, & Civitatem imper„tit, devictis bello viris fortibus, & li„bertis suis dat jus Civium, nullius con„ditionis homines adspernata, quorum „modo opera uti posset Respublica; „nulla re tamen magis adjuta, quam „institutis pulcherrimis, dum in variis „temporum difficultatibus undecunque „excerpit aliquod utile. Cæterum Abo-

Romanorum parentes.

Eorum historia enarratur.

„ rigines auctores Romani generis, Italiæ indigenas alii, suique corporis gentem asserunt; nomen quoque eis inde ajunt impositum, quod non aliunde trahant originem, quasi nos Græci Γενάρχας, *Genarchas*, dicamus, sive primogenios. Alii malunt Errones quosdam incertis vagantes sedibus, & e multis regionibus convenas, forte fortuna in eis locis junxisse inter se copias; occupatisque locis munitis vitam transegisse latrocinio ac re pecuaria. Hi torquent vocabulum ad conditionem eorum hominum, quasi ob errorem vocantes Aberrigenes...... Alii rursum Ligurum Colonos eos fuisse fabulantur, Umbris confinium..... Sed Scriptorum Romanorum doctissimi, & in his Porcius Cato, qui diligentissime scripsit de Conditoribus Italicarum urbium, Cajusque Sempronius, & aliquot alii, Græcos eos esse affirmant, profectos ex Achaja multis ante bellum Trojanum ætatibus, nec tamen diserte tradunt, ex qua Græca Natione, quave urbe migraverint... Quod si istorum sermo sanus est, non possunt esse Coloni alterius generis quam Arcadici. Nam hi primi Græcorum habitaverunt Italiam trans Sinum Ionium, deducti ab Oenotro, Lycaonis filio. Is quintus fuit ab Æzeo & Phoroneo primis in Peloponneso Principibus: nam e Phoroneo genita est Niobe, ex qua & Jove fertur natus Pelasgus: Æzei vero Lycaon fuit filius, & hujus filia Deianira; ex Deianira & Pelasgo prognatus est alter Lycaon, cujus Oenotrus fuit filius XVII. ætatibus prius, quam apud Trojam jam bella tum est. Hactenus ille.

Genarchæ. Errones.

LXXXII. Tandem *Aborigines*, si Catoni & Sempronio fides, *Oenotrorum fuisse progeniem*, in confesso est. Qui una cum Pelasgis Italiam tenuere; relicto Ionio, & Umbria, ut inquit Terentius Varro, in Reatino agro, non longe ab Apenninis Montibus, sedes posuerunt, aberantque a Roma iter unius diei, deinde Palatium expulsis Siculis, Hispanorum gente, construxere Oppidum; *Pelasgorum quidam*, inquit Dionysius, *Thessaliam patriam linquere coacti, recepti sunt ab Aboriginibus, communibusque opibus bellum gerebant contra Siculos*. Et addit: *Hanc manum Aborigines in sedium suarum partem admiserunt, spe fortassis auxilii. Ego tamen id propter cognationem potius factum crediderim; quando & Pelasgorum fuit Græca natio oriunda ex Peloponneso, agitata variis casibus, nunquam valens figere domicilium*, &c. Nec defuit Oraculum Dodonæum, cujus responsum L. Mamius ait se vidisse in templo Jovis, antiquis litteris insculptum, cuidam sacro Tripodi,

Oenotrorum progenies. Expellunt Siculos. Pelasgos recipiunt in socios.

Oraculum.

Pergite quærentes Siculum Saturnia rura,
Atque Aboriginidem Cotylen, ubi se Insula vectat,
Quis mixti decimas Clario transmittite Phœbo,
Atque Jovi capita, & transmittite lumina patri.

A Hanc Insulam circa Cutiliam Aboriginum urbem in sacro lacu fuisse scribit Dionysius, ibique fœdus, peractis de more sacris, sanxerunt, ac facto impetu Siculos aggressi sunt, expulsisque iis eorum sedes obtinuere. Factum signat Hellanicus Lesbius ante bellum Trojanum ætate tertia: Alcyones apud Argos sacerdotii an. XXVI. Philistus autem Syracusanus scribit trajecisse illos anno LXXX. ante bellum Trojanum: Antiochus Syracusanus quando migratum sit non indicat: Thucydides eos, qui migrarunt, vocat *Siculos*, eos, qui expulerunt, *Opicos*; sed multis annis post res Iliacas. Sed, si diis placet, aberrat a scopo, nisi quod nomina olim confusa, at Myrsilus Lesbius item Pelasgos Tyrrhenos vocat.

Quo tempore venerunt.

B

LXXXIII. Ab istis igitur, qui simul Pelasgi dicebantur, URBI ROMÆ NOMEN, asseritque Verrius Flaccus: „ Quosdam profectos Sicyone, Thespiasque ob inopiam domiciliorum, complures profectos in exteras Regiones, delatos in Italiam, eosque multo errore nominatos Aborigines, quorum subjecti, qui fuerint Cæximparum viri, unicarumque virium imperio Montem Palatium, in quo frequentissimi consederint, appellavisse a viribus regentis VALENTIAM, quod nomen adventu Evandri Æneæque in Italiam, cum magna Græce loquentium copia, interpretatum, dici cœptum ROMAM. Plutarchus in *Romulo*: Ἀλλ' οἱ μὲν, Πελασγοὺς ἐπὶ πλεῖστα τῆς οἰκουμένης πλανηθέντας, ἀνθρώπων τε πλείστων κρατήσαντας, αὐτόθι κατοικῆσαι, καὶ διὰ τὴν ἐν τοῖς ὅπλοις ῥώμην, οὕτως ὀνομάσαι τὴν πόλιν. *Pelasgos, cum majorem partem percursassent Orbis, plurimasque devicissent nationes, eam oram quidam auctores sunt tenuisse, atque ex suo in armis robore, quod ῥώμην Græci vocant,* URBEM ROMAM *dixisse*. Quod Solinus non inficiatur: de fortitudine vero Romanorum vide *Danielem* cap. 7. vers. 7. quem infra expendimus.

C

Romæ imponunt nomen.

D

Limam aliquando Criticam sentiat Trogus, ejusque Abbreviator Justinus *lib.* 43. inquit enim: *Origo Urbis, quæ est* CAPUT TOTIUS ORBIS, *non prætermittenda. Italiæ cultores primi Aborigines fuere, quorum Rex Saturnus tantæ justitiæ fuisse traditur, ut neque servierit sub illo quisquam, neque quicquam privatæ rei habuerit; sed omnia communia & indivisa omnibus fuerint, veluti unum cunctis patrimonium esset*. Post Saturnum Aborigines, eosque in societatem adscitos Picus excepit; asseritque Sextus Aurelius Victor *de Orig. Romanæ Gentis*: *Aborigines advenientes Picus excepit, permissos vivere ut vellent*. Post Janum Saturnus, cui successit Picus, ideoque Rex Aboriginum dici Cronus non potest; sic Eusebius signat post III. captivitatis Trojæ an. sive post VIII. *Ante Æneam Janus, Saturnus, Picus, Faunus, Latinus*. Vide Genebrardum ad ann. Mundi MMDCCCXLVII.

E Aborigines sub Pico. Justini error.

F

LXXXIV. Transmigrationem alterius Herois recensere restat, de qua Sextus A. Victor ait: *Regnante Fauno, ante annos circiter sexaginta quam Æneas in Italiam deferretur, Evander Arcas, Mercurii &*

Evandri adventus

Carmenta vaticinatrix.

Carmentis Nymphæ filius, simul cum matre eodem venit, quam quidam memoriæ prodiderunt primo Carmentam dictam, post Nicostraten: de carminibus, eo quod omnium litterarum peritissima, futurorumque prudens versibus canere sit solita, adeo ut plerique velint non tam ipsam a carmine Carmentam, quam carmina, a qua dicta essent, appellata. Hæc tempora exquirit Lactantius Firmianus lib. 1. *de falſ. Relig.* c. 2. & putat venisse, quo tempore Sacra Liberi Patris primus Orpheus induxit in Græciam, primusque celebravit in Monte Bœotico Thebis proximo, ubi Liber natus est; qui cum frequenter Cytheræ cantu personaret, *Citheron* appellatus est, & Sacra *Orphica*. Et *c.* 15. Latinos consecrasse *Faunum* tradit; deumque inter numina recenset Divus Augustinus lib. 4. *C. D.* cap. 23. Ædificia quædam ac lucos sacravit, a quo & Fana sunt dicta. Festum hujus erat Romæ Nonis Decembribus, ut canit Horatius lib. 3. *Carm.* & Dionysius ait: Φαῦνος, Ἄρεος, ὥς φασιν, ἀπόγονος, ἀνὴρ μετὰ τοῦ δραστηρίου καὶ συνετὸς, καὶ αὐτὸν ὡς τῶν ἐπιχωρίων τινὰ Ῥωμαῖοι δαιμόνων θυσίαις καὶ ᾠδαῖς γεραίρουσιν. *Faunus, ut ferunt, a Marte oriundus, vir fortis ac prudens, a Romanis post, tanquam unus indigetum, sacris honoratus & carminibus*.

Faunus deus, a quo Fana.

LXXXV. Fauno igitur imperante, Carmenta occinit, esse in fatis Italiam petere, nec mora, ratem ingressus Romam petiit. Ovidius *Faſt.* lib. 1. verſ. 497.

Vocibus Evander, firmata mente, parentis
*Nave secat fluctus, Italiamque * tenet,*
Jamque ratem doctæ monitu Carmentis in amnem
Egerat, & Thuscis obvius ibat aquis.

Confirmant Cato, Fabius Pictor, & Sempronius adventum Evandri, & Dionysius in primo *Antiquitatum* ait: „ Alia classis „ Græcorum in oram Italiæ appulit, profecta a Palantio urbe Arcadica; eam Coloniam deduxit Evander Mercurii filius & Nymphæ cujusdam Arcadicæ, quam Græci Themin fuisse dicunt plenam numine; *Carmentam* nominant *Fatidicam*... Hanc mulierem affirmant Dæmonis spiritu correptam, futura populo prædicere solitam, *&c.* Faunus paucos illos Arcadas comiter exceptos donavit agris ipsorum arbitrio: elegerunt autem, sicut eos Themis post rem divinam peractam præmonuerat, tumulum non longe distantem a Tyberi, qui nunc ferme in meditullio ipsius Urbis Romanæ situs est. Apud eum construxerunt parvum vicum, capacem hominum, quot potuerunt duæ naves advehere e Græcia; cui ERAT IN FATIS, UT IN TANTAM URBEM EVADERET, quanta alia nulla, vel Græca, vel Barbara, sive amplitudo ædium, sive majestas Imperii spectetur, sive alia quævis felicitas, duraturam, quantum potest mortalitas, ac præ cæteris cunctis memoratu dignissimam. Hactenus ille. Et apud Virgilium lib. 8. *Æneidos* verſ. 333. ipse Evander,

Palantium urbs Arcadiæ, a qua Evander.

De Roma oraculum.

* Rep. *Hesperiamque*.

Me pulsum patria, pelagique extrema sequentem,
Fortuna omnipotens, & INELUCTABILE FATUM
His posuere locis, matrisque egere tremenda
Carmentis Nymphæ monita, & deus auctor Apollo.

Fortuna Fatum.

Vaticinium Carmentæ de magnitudine Romæ cecinit Ovidius l. 1. *Fastorum* verſ. 515.

Fallor? an hi fient ingentia mœnia colles?
Juraque ab hac terra cætera terra petet?
Montibus his olim TOTUS PROMITTITUR ORBIS,
Quis tantum fati credat habere locum,
Et jam Dardaniæ tangent hæc littora pinus:
Hic quoque causa novi fœmina Martis erit.
Care nepos, Palla, funesta quid induis arma?
Indue: non humili vindice cæsus eris:
VICTA TAMEN VINCES, *eversaque Troja resurges:*
Obruet hostiles ista ruina domos.
Urite victrices Neptunia Pergama flammæ,
Nunc minor hic, TOTO EST ALTIOR ORBE CINIS.

Oraculum de magnitudine R. post excidium Trojæ.

Itaque Evander sapiens Urbem condidit, quam Virgilius Arcem appellat lib. 8. *Æneid.* verſ. 313.

Tum Rex Evandrus Romanæ conditor Arcis.

Evandrus in Palatio arcem condit Romam.

Ad quæ Servius ait: *Conditor Pallanteæ, ubi nunc Palatium est, quod non est revera Arx, sed tenet rerum omnium principatum.* Sed ubi ROMÆ NOMEN? Eadem in Arce, in qua omen Imperii cecinit fatidica; sic Picus lib. 2. *examinis doct. Van. Gentium* cap. 37. *Fundatam Urbem, & Urbi nomen exstitisse malunt ab Evandro*. Enimvero legimus apud Livium, Romulum Montem Palatinum, in quo erat educatus, munivisse; ibi fatum Orbis indixerat Imperium, & Vates ventura monstrabant Regni molimina.

LXXXVI. Attamen Strabo antiqua rerum monumenta tanquam fabulosa irridet, nec Scriptoribus de Urbe fidem adhibet; enarramus nihilominus ad posteritatis eruditionem; Silvestris Roma latebat in antris, militaris erupit in orbem. Sic inertes consepulti jacent ignavia & otio; perspicaces vivunt Mundi cives, Cœlorum indigenæ, Imperii Principes. Audiat genus indocile. Fatum elegit locum, ubi nunc Roma imperat, sedem Regni totius Orbis, quo ductu illum extulit? Saturni sapientissimis moribus, litterarum videlicet & frugum ope, nummisque, accessit deinde Faunus, vir sapiens, prudens, religiosus, & gentem instruxit sacra peragere, reddiditque cumprimis docilem. Hinc Evander comes & irreprehensibilis politiam docet, designat in montium vertice Romam, futuram caput Orbis & dominam; & ut sciret Æneas, ab Evandro quantum profecerit secuta ætas, prima describitur,

Fabulæ enarrantur, ut discant juvenes.

Ignavi, inertes, otiosi se suaque perdunt, cunctis serviunt.

E contra viri prudentes regnant.

Gensque virum truncis, & duro robore nata;
Queis neque mos, neque cultus erat, &c.

Ideo ignota, cunctorum classes excipiebat in Regem; accessit tandem Romulus atavorum exemplo eruditus, Etruscorumque doctrina illustris magnanimus, ad arma & jura promtus, erexitque Urbem in Orbem.

Cap. VIII.

An Æneas vere Italiam petiit, & Romæ nomen indidit Urbi?

Poetarum facinora. LXXXVII. Poetarum commenta, utplurimum falsidica, Pictorum sequuntur genios, admiranda canunt, sed non vera; proinde allegoriarum nomine portenta deprehendunt, apertisque tibiis ad inventorum præstigia concinunt terra cœloque enormissima. Hinc deorum indigitamenta, falsa hinc numinum prodigia, & Heroum gesta fabularum involucris plena, unde Tertullianus, acerrimi ingenii Scriptor, in *Apologetico* figmenta deorum pro pulsat, damnatis tantummodo Poetarum carminibus, inquit enim cap. 14. „ Qui non
Deos dedecorant. „ Poeta ex auctoritate Principis sui dedecorator invenitur deorum? hic Apollinem Admeto Regi pascendis pecoribus addicit: ille Neptuni structorias operas Laomedonti locat; est & de Lyricis (Pindarum dico) qui Æsculapium canit avaritiæ merito, qua medicinam nocenter exercebat, fulmine vindicatum: nec Tragici quidem, aut Comici parcunt, ut non ærumnas, vel errores domus alicujus dei præsentur. Dio Chrysostomus Or. 2. *de Ilii excidio* inquit, *Homerus ad mentiendum fuit audacissimus mortalium*. Georgias apud Plutarchum in libello, *quomodo adolescentes Poetas audire debeant*, dixit τὴν Τραγῳδίαν εἶναι ἀπάτην, *Tragœdiam esse imposturam*. Permulta canunt mendacia Vates: enimvero teste Plutarcho pingunt quidam actiones absurdas, ut Timomachus Medeam liberos necantem, & Orestem matri necem inferentem; Theo, Parrhasiusque Ulyssis simulatam insaniam, & Chærephanes mulierum cum viris consuetudinem. Tandem addit idem Plutarchus: Ὁ δὲ νέος μεμνημένος ἀεὶ καὶ κατέχων ἐναργῶς τὴν ποιητικῆς τὴν περὶ τὸ ψεῦδος γοητείαν, καὶ δυνάμενος λέγειν ἑκάστοτε πρὸς αὐτήν,

Ὦ μηχάνημα, σφιγγὸς αἰολώτερον,
Τί παίζουσα τὰς ὀφρῦς συνάγεις;
Τί δ' ἐξαπατῶσα προσποιῇ διδάσκειν;

Adolescens nunquam immemor sit Poeticarum in mentiendo præstigiarum, idque perspicue semper tenens, Poesiam sic compellet,

O Machinatrix, lynce versipellior,
Quid ludis, & supercilium quid contrahis?
Fraudemque texens te simulas verum loqui?

Sileamus Veteres Recentioresque insanientes; qui vel animas ab orco inclamant; numinum connubia, sexum, prolemque denarrant; cœlum omnipotentis Olympi culmen fulminibus ac bello conturbant; nec inferorum Manibus parcunt; si Danti Florentinorum Vati das operam, Purgatorium & Tartara commixta Empyreo in chaos conversa leges. Mendaces, ficti.

Virgilius præ cunctis, post Homerum, Princeps, admiranda, sed non credenda cecinit; eumque accusat reum Regina, quam falso impudicitiæ accusat; cujus umbra, post multa fati sui secula, Ausonii ore hactenus plorat *epigr.* CXI.

Illa ego sum Dido, vultu, quam conspicis, Hospes, Dido falso accusata a Virg pudicissima.
Assimilata modis, pulchraque mirificis.
Talis eram, sed non, Maro quam mihi finxit, erat mens:
Vita nec incestis læta cupidinibus.
Namque nec Æneas vidit me Troius unquam,
Nec Libyam advenit classibus Iliacis, &c.
Invida cur in me stimulasti Musa Maronem,
Fingeret ut nostræ damna pudicitiæ?
Vos magis Historicis, Lectores, credite de me,
Quam qui furta deum concubitusque canunt
Falsidici Vates, temerant qui carmine verum
Humanisque deos assimilant vitiis.

Recte infelix proclamat; enimvero imitationem quærens veritatis semitam proculcavit. Hinc ille apud Macrobium lib. 5. *Sat.* cap. 17. Poetam acriter accusat, quia *Regina non solum de penetralibus reverentiæ matronalis educitur, sed & per urbem mediam cogitur facere discursus: nec hoc contenta sylvas petit, accitis reliquis matribus in societatem furoris...... Non de unius racemis vindemiam sibi fecit, sed bene in rem suam vertit quicquid ubicunque invenit imitandum; adeo ut de Argonauticorum quarto, quorum Scriptor est Apollonius, librum Æneidos suæ quartum totum pene formaverit, ad Didonem, vel Æneam, amatoriam contentionem* * *Medeæ circa Junonem* † *transferendo.* Et quia jubet Regina potius Historicos audire, in promtu est Trogus Pompejus, qui *lib.* 18. *cap.* 6. Elissæ pudicitiam enarrat adversus Hiarbam Maxitanorum Regem; cæsis namque multis hostiis, sumto gladio, pyram conscendit, atque ita ad populum respiciens, ituram se ad virum dixit, vitamque gladio finivit. *Quandiu Carthago invicta fuit, pro dea culta est.* Hæc Justinus: Urbem condidit LXXII. annis ante Romam, & virtutum gloria insignis migravit ad patres. Commentum Virgilii fortasse in odium Carthaginensium putabat Vinetus: Benius vero, ut fabula leporem adderet carmini: Riccobonus figmentum censebat versuum originem, quia carmina arcana concinunt, velanda fabulis: Sigonius Homeri imitationem præfert, sic cœcus cœcum ducens in foveam uterque cecidit.

Virgilius mendax, — Dido dea. — Figmenti ratio.

LXXXVIII. Sed intra lineam redeo,

* Leg. *continentiam*. † Rep. *Jasonem*.

Æneas Italiam non vidit.

ut Dionysium Halicarnasseum lib. 1. *Antiq. Romanarum* audiamus: *Dicam adventum in Italiam Æneæ Scriptoribus partim ignoratum, partim dissimulatum invidia.* Accedant Scriptores; Hellanicus in *rebus Troicis*, Æneæ fugam describit, traditque Æneam Ascanium cum parte sociorum, quæ fere constabat ex Phrygibus, in Dascyliticum agrum misisse; in Regnum adscitum ab ejus regionis incolis, mansurum ibi non longo tempore: nam cum ad eum venissent Scamandridæ cum aliis e familia Hectoris, dimissi e Græcia per Neoptolemum, reducentes eum in paternum principatum, ad Trojam rediit. Hæc ille. Igitur in Albano Colle Albam condidisse purum putumque mendacium, etsi Livius & ex eo Messala Corvinus scribant.

Trojæ proditor.

Menecrates autem Xanthius *prodidisse Æneam Achæis urbem* affirmat, ob simultatem quæ illi cum Alexandro intercedebat, & in gratiam ejus beneficii Græcos abstinuisse ab ejus domo omnem injuriam; is enim ægre ferens in nullo se esse pretio, arcerique a sacerdotiis prodidit Priamum; sic Reges ob privatas ducum inimicitias Regna, viresque, quandoque vitam etiam deperdunt: & Lutatius apud S. Aur. Victorem, *Æneam proditorem patriæ fuisse tradit*.

In Thracia obiit.

Cephalon Gergithius, & Hegesippus, qui de Pallene scripsit, viri graves & Scriptores veteres, testantur, *Thraciam tenus perductum Æneam, illic vitam finisse.* Aristhus Scriptor rerum Arcadiæ inquit: *Illum habitasse in Orchomeno Arcadico, & ea, quam Insulam vocant, quamvis sit Mediterranea, cincta paludibus & flumine: quin & Capyas ab Ænea cæterisque Trojanis conditas, & deducto a Trojano Capy vocatas nomine.* Occinitque Agathyllus genere Arcas hujusmodi elegiaco,

Arcadiam tenuit, geminamque in Neside prolem
Natam Codone liquit & Anthemone.

Romani scribunt apud Italos obiisse.

LXXXIX. Usquemodo Æneam Italiam non peragrasse ostendimus, sed alii quamplures ejus adventum testantur; Dionysius *loc. cit.* ait: *Adventus Trojanorum in Italiam fidem faciunt Romani omnes, eorumque sacra, festique dies, & Sybillini libri, cum Pythicis, atque aliis oraculis: quin & apud Græcos multa manifesta in hanc usque diem ejus rei exstant indicia, in quos portus appulerint, & apud quos tempestatibus adversis detenti sint.* Argumentum magni ponderis fides publica locorum & traditio.

Probatur.

Cursus Æneæ usque ad Italiam.

XC. Itaque Æneas magnis cum opibus pluribusque sociis utriusque sexus a Troja digressus, in Pallenen Thraciæ devectus, *Ænum* ex suo nomine condidit, inquit Aurelius Victor, ibi a Crusæis barbaris exceptus hospitio in his hibernis Veneri templum exstruxit; deinde cognita Polymnestoris perfidia ex Polydori nece, a Pallene Trojani Delum veniunt, ubi Æneas, audito oraculo, Laviniam Anii Sacerdotis Apollinis filiam ducit uxorem, a qua *Lavinia littora* appellata. Postea in Cytheram Insulam ventum est, Peloponneso objacentem, a Cytheris navigantes, Peloponnesi Arcadiæque oras circumlegere, & Zacynthum inde venerunt; ibi, teste Dionysio Halicarnasseo, recepti jure cognationis, & amicitiæ, quia Dardanus e Batæa duos suscepit filios, Zacynthum & Erichthonium, hic fuit auctor Æneæ generis, alter Insulæ conditor, Veneri novo templo a se constructo sacra faciunt, & certamina juventuti proposita sunt, vocaturque *Æneæ cursus & Veneris*. Inde altum præternavigantes appulerunt ad Leucada, ubi novum delubrum *Veneris Æneadis*. Hinc ad Ambracium Actii Sinum delati, in quo Ambrax nepos Herculis regnabat, instituereuntque *Ædem Veneris & Æneæ sacellum* prope templum magnorum deorum, & Theatrum, in quo est statua parva antiqui operis, huic Heroi sacra. Ex Ambracia navibus Anchises oram legendo Butrotum Epiri portum petiit; Æneas ulteriora terrarum ingressus ad Dodonam pervenit, & oraculi fata passus oblatis deo æneis crateribus ad suos rediit. A Butroto devecti in Portum Anchisæ, Jonium intrant, & cum his Patron Thurius, cunctusque exercitus incolumis pervenit in Italiam. Cæterum Trojani non uno loco facta exscensione ad Japygiæ promontorium, quod antea Salentinum dicebatur, præternavigarunt & fretum, & pervenerunt ad eam Insulæ partem, quæ Drepana nuncupatur in qua *ara Veneris*: proinde Tyrrhenum mare fulcant, & fato comitis Portum Palinuri insigniunt nomine deinde Portum bonum in Opicis prope Bajanum & Arverni lacum, *Misenum* appellant, teste Cæsare lib. 1. *Pontificalium*. Similiter Insulam Leucasiam ab Æneæ nepte, Euxinum Sinum, & Cajetam nutricis defunctæ nomine, vel viraginis, quæ Trojanas matres impulit, ut naves tandem pertæsæ incenderent, ut Cæsar & Sempronius scribunt. Laurentum ultimo, & loca circa Tyberim, ubi oracula sedem Imperii ab ipso Trojæ excidio significabant. Ibi Æneas Evandrum per nuntios salvere dixit, & tandem conventum est allocutus ipsissimis Virgilii verbis, quibus commilitonem se exhibuit, lib. 8. *Æn.* vers. 131.

Evandrum salutat.

—— mea me virtus, & sancta oracula divum,
Cognatique patres, tua terris didita fama,
Conjunxere tibi, & fatis egere volentem:
Accipe, daque FIDEM*: sunt nobis fortia bello*
Pectora, sunt animi, & rebus spectata juventus.

Gaudet Evander, dat dexteram in signum fœderis, & ad sacra Herculis solenni ritu antiquitus instituta Trojanos invitat, & inquit,

Ergo, & quam petitis, juncta est mihi fœdere dextra.

Genus repetunt, & longa temporum serie atavorum meminisse juvat; etenim inter cæteras Asiæ Minoris ad Orientem Phrygia Regio præstat, sic dicta a Phrygia Jove & Europa viragine nata: ad hanc Dardanum, Jove & Electra Atlantis filia progenitum, ab Italia, vel a Creta Insula, patrios deferentem lares, deorum monitu devenisse ferunt, urbemque Dardaniam &

Evandri & Æneæ genus.

gentem ex se nuncupasse. Hoc regnante Teucrum patriis sedibus expulsum de Creta ad Phrygiam convenisse dicitur, qui Dardano, & dextera, & fide data in partem Regni consors susceptus est: *Hujus Teucri in regendo, & Rempublicam augendo bonitas, comitasque tanta fuit*, inquit Messala Corvinus, *uno* † *defuncto superstite Dardano, ob ipsius inclytæ memoriæ gloriosissimum decus, qui Dardanidæ nuncupabantur, deinceps Teucri cognominarentur, ut Virgilius Maro*,

Hic genus antiquum Teucri pulcherrima proles.

Dardano Erichthonius, hic Troum genuit, qui justitia & pietate insignis, mutato Dardaniæ nomine, ex se urbem Trojam nominari permisit. Duos filios Trous habuit, Ilum scilicet & Assaracum; Ilus major natu, defuncto patres, Regnum obtinuit, & intra urbis mœnia illam eminentissimam atque gloriosissimam Arcem edidit, quæ ex sui nomine Ilium nuncupata; unde Ilienses Trojani dicti. Is Laomedontem filium reliquit; quo regnante Jason & Hercules validissimorum juvenum Græcorum comitatu ad Vellus aureum evolarunt. Rex Heroum cœtum sprevit, repulitque a finibus, nec mora, sublato Vellere redeunt ad urbem, regionemque depopulantur. Ex Laomedonte superstes filius fuit Priamus, qui tunc forte alio in armis aberat. Is & patris & patriæ excidio cognito, rediit dirutamque urbem impensa & opere adeo reparare institit, ut brevi marmoreis saxosisque turribus & ædificiis publicis ac privatis augustiorem tutiorem que redderet. Assaracus vero Troi filius, Ili frater, genuit Capym, Capys Anchisen, Anchises Æneam, Æneas Ilum, cognominatum Ascanium, ex Creusa matre natum, qui & Julus fuit, a quo Gens Julia; hinc Messala de Augusti progenie libellum edidit a Julo; de quo Virgilius lib. 1. *Æn.* vers. 271.

Utriusque parentum series.

At puer Ascanius, cui nunc cognomen Julo
Additur, Ilus erat, dum res stetit Ilia Regno.

Ascanius, Julus, Ilus.

XCII. Hanc ob causam non extimuit Æneas conjunctionis memor atavorum & patriæ, edixitque magnanimo oris eloquio, lib. 8. *Æn.* vers. 129,

Non equidem extimui, Danaum quod ductor & Arcas,
Quodque a stirpe fores geminis conjunctus Atridis.

Ad quæ Donatus ait, *ostendit se non timuisse*, quod esset Græcorum stirpe *progenitus Rex Arcas, sed magis habuisse fiduciam, quod Trojanis quoque ratione sanguinis videretur annexus*. Ab Atlantis filia Electra Æneas prodiit, Evander quoque ab Atlante, quod enarrat idemet Heros *ibid.* vers. 134.

Dardanus, Iliave * *primus pater urbis & auctor,*
Electra (ut Graii perhibent) Atlantide cretus,
Advehitur Teucros, Electram maximus Atlas
Edidit, ætherios humero qui sustinet orbes.
Vobis Mercurius pater est, quem candida Maja
Cyllenes gelido conceptum vertice fudit;
At Majam (auditis si quicquam credimus) Atlas,
Idem Atlas generat, cœli qui sidera torquet. †

Expendit Donatus, & inquit: „ Continens sensus est sic, Dardanus, natus ex „ Electra Atlantis filia, ad Teucros venit, „ & ipsum primum novimus patrem: Ecce ostendit unam originis partem: Venit „ ad aliam, *Vobis Mercurius pater est*; ne „ similitudo nominis falso usurpari videretur, vel maxime cum adderetur, & „ signum, quod idem etiam Atlas, qui „ Trojanis originem per Electram & „ Dardanum dederat, cœli qui sidera portaret, idem vero, qui genuisset Majam, „ & ex ea Mercurium suscepisset. Sic GENUS AMBORUM. Ita ille vir doctissimus. Hesiodus in *Theogonia* vers. 938.

Ζηνὶ δ᾽ ἄρ Ἀτλαντὶς Μαίη τέκε κύδιμον Ἑρμῆν,
Jovi Atlantis Maja peperit illustrem Mercurium.

Summa est, Trojanos genus ducere a Dardano, Arcadem a Mercurio; illum Electræ, hunc Majæ filiarum Atlantis fuisse filios, ita esse unius ejusdemque avi materni, duarumque sororum, velut nepotes, & posteros hosce duos populos, ac propterea arcta cognatione devinctos; nec aliter Ascensius Pontanus, & alii.

Evandri & Æneæ sanguinis conjunctio.

XCII. Hucusque historiam simulque fabulam dedimus. Dabimus & alia scitu dignas observationibus fortasse nonnullis, rerum Romanarum monumenta conceptis. Incipiamus ab accessu; pius Æneas superstitiosissimæ religionis parens, & auctor templorum in promontoriis, ut primum terram tenuit, rite de more sacra peregit, & suem ab oraculis decantatam littavit. Addit Aurelius Victor in *orig. gent. Rom. Cum interim immolata sue in littore sacrificium perageret, traditur forte advertisse Argivam classem, in qua Ulysses erat: cumque vereretur ne ab hoste cognitus periculum subiret, itemque rem divinam interrumpere summum nefas duceret,* CAPUT VELAMENTO OBDUXISSE, *atque ita pleno ritu sacra perfecisse*. Hæc ille, & antea Marcus Octavius *lib.* 1. Habes hunc Morem; de cujus origine viri eruditissimi perquirentes divinant. Transeo ad SUEM quæ fata Urbis facto omine dedit,

Sacrificandi velato capite unde mos invaluit.

XCII. Helenus Vates prædixit Urbis fore locum Imperii sedem, ubi scropha triginta natos pareret. Jam Turno promissam abduxerat Laviniam uxorem, nec vetante, nec permittente Latino, Æneas, (si fabula historiæ non officit) qui ut vires & arma in hostem externo robore firmaret, inquit Messala Corvinus, ad Evandrum, qui tum his oris, ubi nunc Roma, auctoritate ditionem tenebat, sursum adverso flumine

† Leg. videtur *ut*. * Rep. *Iliacæ*.

† Rest. *tollit*.

Scropha triginta natos albos parit, & dat omen.

pergens auxilii exposcendi gratia, suem, id est, scropham, triginta natorum fœtu, ut Helenus prædixerat, jacentem advertit, quietæ sedis certissimum omen, quam Junoni deorum Reginæ immolando sacravit, ut Virgilius in 8. *Æneid.* vers. 81.

Ecce autem subitum atque oculis mirabile monstrum
Procubuit, viridique in littore conspicitur sus:
Quam pius Æneas, tibi enim, tibi, maxima Juno,
Mactat sacra ferens, & cum grege sistit ad aram.

B

De hac sue Juvenalis *Sat.*12. vers.73.

—— lætis Phrygibus mirabile sumen,
Et nunquam visis triginta clara mamillis.

Sus tot parit quot mammas habet. Portentum.

Expenditur carmen loco Varronis *de Re Rust. Parere tot oportet porcos, quot mammas habet. Si minus pariat fructuariam idoneam non esse, si plures pariat, esse portentum; ideo illud antiquissimum fuisse scribitur, quod sus Lavinii triginta porcos peperit albos: itaque quod portenderit factum triginta annorum, ut Laviniense condiderit Oppidum.* Cato in *origine generis Romani* oraculum a Penatibus factum ait: *Per quietem ei visa deorum Penatum simulacra, adhortantium ut perseveraret in condenda Urbe quam cœperat; nam post annos totidem, quot fœtus illius suis essent, Trojanos loca fertilia atque uberiorem agrum transmigraturos, & Urbem clarissimi nominis conditu-ros.*

Post annos 30 Alba conditur.

Aurelius Victor ante nuptia & fœdera portentum enarrat; etenim Latinus Rex cum cognovisset Æneam & Anchisen bello patria pulsos, cum simulachris deorum errantes, sedem quærere, amicitiam iniit, dato invicem jurejurando, ut communes quoque hostes amicosque haberent. Iratus Turnus exercitum in exteros potenter movet,

D

Latinus bello interfectus.

Latinus & Æneas occurrunt; at ille circumventus inter prælia tandem occubuit; hic hostibus fusis, fugansque victor Lavinium recipit, consensuque omnium Rex declaratur. Ita Lutatius *lib.*3. Piso quidem tradit,

Turnus sibi mortem consciscit.

Turnum matruelem Amatæ fuisse, interfectoque Latino mortem ipsam sibimet conscivisse; inde cum Mezentio manus conserit, cum acerrime dimicaretur, subitis turbinibus, infuscato aere, repente cœlo tantum imbrium effusum, tonitribus etiam consecutis flammarumque fulgoribus, ut omnium non oculi modo perstringerentur, verum etiam mentes quoque confusæ essent,

E

Æneas in flumen lapsus moritur.

Interceptus Æneas nusquam deinde comparuit, inquit Aurelius Victor. *Traditur autem non proviso, quod propinquus flumini esset, ripa depulsus, forte in fluvium decidisse, atque ita prælium diremptum. Dein post apertis fugatisque nubibus, cum serena facies effulsisset, creditum est* VIVUM EUM COELO ASSUMTUM, *idemque tamen post ab Ascanio & quibusdam aliis visus affirmatur super Numici ripam eo habitu, armisque, quibus in prælium processerat, quæ res immortalitatis ejus famam confirmavit; itaque illi eo loco templum consecratum, appellarique placuit* PATREM INDIGETEM.

Apparet armatus, fit deus.

F

Dein filius ejus Ascanius, idem qui Eurylio, omnium Lati-

A

norum judicio Rex appellatus. Sic finis & Trojanorum sedes æterna juxta oraculum, quod fluvius Tyberinus edidit, firmavitque lib.8. *Æneidos* vers. 36.

Ascanius Latinorum Rex.

O sate gente deum, Trojanam ex hostibus urbem
Qui revehis nobis, æternaque Pergama servas,
Exspectate solo Laurenti, arvisque Latinis,
Hic tibi certa domus, certi (ne absiste) Penates,
Neu belli terrere minis; tumor omnis & iræ
Concessere Deum.
Jamque tibi
Littoreis ingens inventa sub ilicibus sus
Triginta capitum fœtus enixa jacebit
Alba, solo recubans, albi circum ubera nati.
Hic locus Urbis erit, requies ea certa laborum.

Oraculum.

C

XCIV. His igitur juxta fidem historicam prænarratis, adsunt qui Romæ impositum Urbi nomen ab Ænea ejusque comitibus tradunt; quorum oracula paulo ante nonnulla dedimus, videlicet quendam Æneæ comitem condidisse, ait Gergithius, aut denominasse Romam Urbem in Palatio; Apollodorus inquit, Romum Æneæ & Laviniæ filium instituisse, ac suo ex nomine Arcem dixisse: Alcinus neptem Æneæ Albam genuisse Romum, a quo tractum Urbi nomen. Agatocles ab Roma Æneæ filia nuncupatam Romam scribit, quorum omnium oracula apud Verrium Flaccum legimus, confirmatque multorum auctoritate Plutarchus, imo Festus Pompejus illa repetit, & Scaliger in *Notis*, Auctorum nomina ex Athenæo, & Dionysio, & Stephano luculenter comprobat; at vere Plutarchus in *Romulo*: Οὐδ' οἱ Ῥωμύλον τῷ δικαιοτάτῳ τῶν λόγων ἀποφαίνοντες ἐπώνυμον τῆς πόλεως, ὁμολογοῦσι περὶ τοῦ γένους αὐτοῦ. Οἱ μὲν γὰρ Αἰνείου καὶ Δεξιθέας τῆς Φόρβαντος υἱὸν ὄντα νήπιον εἰς Ἰταλίαν κομισθῆναι, καὶ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ Ῥῶμον. Ἐν δὲ τῷ ποταμῷ πλημμυροῦντι τῶν ἄλλων σκαφῶν διαφθαρέντων, ἐν ᾧ δὲ ἦσαν οἱ παῖδες, εἰς μαλακὴν ἀποκλιθέντος ὄχθην ἀτρέμα, σωθέντας ἀπροσδοκήτως, ὀνομασθῆναι Ῥώμην. Οἱ δὲ, Ῥώμην θυγατέρα τῆς Τρῳάδος ἐκείνης Λατίνῳ τῷ Τηλεμάχου γαμηθεῖσαν, τεκεῖν τὸν Ῥωμύλον. Οἱ δὲ, Αἰμιλίαν τὴν Αἰνείου καὶ Λαβινίας Ἄρει συγγενομένην. *Nec inter eos, qui probatissima adferunt, qui Urbi Romulum contendunt nomen posuisse, de origine ejus convenit. Hi Æneæ ex Dexithea nata Phorbantis filium cum fratre Remo infantem admodum deportatum in Italiam fuisse. Cum autem scaphæ reliquæ periissent, amne effuso, illa vero, in qua pueri erant, ad ripam placide delata lenem esset, præter spem salvos fuisse, atque ita eum locum Romam fuisse appellatum. Illi Romam fœminæ illius Trojanæ filiam, quæ Telemachi filio nupta Latino fuit, Romuli matrem fuisse. Æmyliam alii Æneæ & Laviniæ filiam ex Marte concepisse.* Eadem & plura Dionysius Halicarnasseus in *Antiquitatibus Romanorum*.

Nomen Romæ ab Ænea comitibus.

ab Æneæ filiis, & nepotibus.

XCV.

XCV. Nihilominus si verum inquirimus, & testimonio Homeri utimur temporibus illis Vati proximis; assentior Æneam in Italiam cum classe Teucrorum pervenisse ad Tyberis ripam. Homerus apud Strabonem oraculi veritatem profitetur, & Dionysius utrumque recitat, & dubitantes ratione redarguit: „ Scriptores „ partim negant Æneam cum Trojanis „ venisse in Italiam, partim alium quendam venisse dicunt, non Anchisæ ac Veneris filium: quidam Ascanium Æneæ „ filium, alii quosdam alios. Sunt qui Veneris Æneam dicunt, deducta manu suorum in Italiam, ipsum domum reversum „ apud Trojam regnasse, & post obitum „ reliquisse Regni successorem Ascanium, „ ejusque progeniem tenuisse id Regnum „ longo tempore, ut opinor decepti, non „ recte intellectis versibus Homericis, nam „ is Poeta in *Iliade* sua facit Neptunum „ Æneadum fata prædicentem,

Æneæ adventus in Italiam adhuc sub Judice.

Imperitabit enim Teucris Æneia virtus,
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.

„ Intelligentes igitur Homerum scivisse „ horum virorum Imperium in Phrygia, „ (quasi vero non possent in Italia Regnum Trojanorum tenere) reditum Æneæ commenti sunt. Sed quid vetabat, „ ne Æneas Rempublicam sociorum administraret, vel apud exteros? Hujus falsæ opinionis sunt causæ aliæ, quod Æneæ sepulchra monstrentur multis in locis, nec possit nisi in uno esse conditus; „ sed hæc dubitatio est vulgaris, præsertim „ de iis, qui in illustri fortuna vitam egerunt vagam & instabilem: nam quamvis „ unicus locus capit talium corpora, apud „ multos tamen monumenta eis facta sunt „ in gratiam acceptæ utilitatis cujuspiam; „ præcipue si superessent reliquiæ generis, „ aut oppidum aliquod conditum, aut sicubi longiore usi sint hospitio, sicut de „ hoc Heroe ferunt fabulæ; qui enim effecit ut captum non funditus deleretur „ Ilium, & ut ad Bebryciam salva redirent „ auxilia, in Phrygia Regem reliquit Ascanium filium. In itinere condidit civitatem sui nominis; in Arcadia collocavit „ filias; in Sicilia reliquit partem exercitus; „ in multis aliis locis hospitaliter est habitus, conciliavit sibi hominum eorum benevolentiam; qua factum est, ut postquam inter mortales esse desiit, multis „ in locis monumentis & sepulchris honoratus sit. Hactenus ille Græcus Auctor.

Probatur ex Homero.

Æneæ plura sepulcra, & quare.

Æneæ gesta laudantur.

Pluribus monumentis dignus.

XCVI. At mea interest veritatem e penu antiquitatum depromere. Ideo asseveranter fateor, Æneam tandem devenisse post ingentes plurimasque stationes in Italiam; sed non Romam, Lavinium certe ædificasse. Ita Messala Corvinus in libello *de Augusti progenie. Latinus Rex, Fauni filius, Duci Trojano filiam, quam Turno Rutulorum Regi primo despon̄sarat, matrimonio jungit Laviniam; Æneam conditum oppidum ex uxoris nomine Lavinium appellat*. Nec aliter Aurelius Victor; Urbem inter Laurentes instituit: nomen loco dedit Laurus, quæ etiam prodigia dedit; Virgilius lib. 7. *Æneid.* hanc a Latino excultam occinit:

Æneas Lavinium condit.

Laurus sacra Phœbo.

Laurus erat tecti medio in penetralibus altis
Sacra comam, multosque metu servata per annos:
Quam pater inventam, primas cum conderet arces,
Ipse ferebatur Phœbo sacrasse Latinus.

Fortasse Virgilius historiam de Lauro, post Romam conditam, virente in Aventini luco præoccinit; ita recentior Scholiastes. Ovidius l. 1. *Metam.* vers. 562.

Laurus Cæsaris in Aventino.

Postibus Augustis eadem fidissima custos
Ante fores stabis,

Et eleg. 1. lib. 3. *Trist.*

—— *apposita velatur janua lauro,*

Horatius od. 1. lib. 2. *Carm.*

Cui laurus æternos bonores
Dalmatico peperit triumpho.

Plinius *lib.* 15. *cap.* 30. *Laurus gratissima domibus, janitrix Cæsarum Pontificumque, quæ sola, & domos exornat, & ante limina excubat*. Sed errat equidem; enimvero a primis usque temporibus Lavinii, fratris Latini Regis, portento floruit, & cum omine nomen dedit: ita Servius: *Latinus post mortem fratris Lavinii, cum Lavinium amplificaret, ab inventa Lauro Lavinium id appellavit*. Donatus & ipse vetus ac sapiens Scriptor: „ Non inanis fuit conjecturæ suspicio, quod arbor Lauri in „ ipsius penetralibus nullo procurante „ proveniens aliquid boni portenderet; denique primum, ex ejus appellatione Laurentes dixit colonos, hoc est, commanentes, atque ut haberet competentem „ reverentiam, hanc conditor Phœbo sacraverat; quo factum est, ut adulta veneratione crevisset, & tempore. Aurelius Victor: *Italiæ ora ab arbusto ejusdem generis Laurens appellata est, Latino regnante*. Herodianus *lib.* 1. de Commodo Imper. *a Lauro Regioni inditum nomen*. Similiter Claudianus lib. 3. *Rapt. Proserp.* vers. 74. Laurum in thalamis olim fuisse observat, virginum fortasse ad Lares,

Lavinium a lauro.

Item Laurens.

Stabat præterea luco dilectior omni
*Laurus, virgineos quæ quondam forte * pudica*
Umbrabat thalamos. ——

XCVIII. Igitur ante Æneæ adventum, Lavinium perstabat oppidum, a Lavinio & Latino conditum; cur a Lavinia uxore dictum scribunt? equidem defuncto Latino, Regiam Heros obtinuit, oppidumque satis celebre in ampliorem formam redegit; prima laurus dedit nuptias Turno dirimendas, apum sonitu volatuque demonstrans. Virgilius lib. 7. *Æneid.* vers. 64.

* Leg. *fronde*.

Prodigium in Lauro & Apibus.

Hujus apes summum densæ (mirabile dictu)
Stridore ingenti liquidum trans æthera vectæ
Obsedere apicem; & pedibus per mutua nexis
Examen subitum ramo frondente pependit.
Continuo Vates, Externum cernimus, inquit,
Adventare virum, & partes petere agmen easdem
Partibus ex iisdem, & summa dominarier arce.

Vates portendere ait, venturum e mari virum Principem, qui dominium & nuptias quamprimum præripiat. Servius: *Intelligimus ab inferiori mari apes venisse, unde & Trojani; partes autem easdem, summitates rerum petere dicit, sicut apes apicem lauri.* Recte Plinius *lib. 11. cap. 13.* de apibus inquit: *Ostenta faciunt privata & publica una dependentes in domibus templisque, sæpe expiata magnis eventibus* M. Lepido & Munatio Planco Coss. ann. V. C. DCCXII. *In castris Cassii examen apum concedit; locus Aruspicum jussu interclusus interius ducto vallo*, ait Julius Obsequens in libro *de Prod.* & addit, M. Catone & Quinto Martio Coss. velut portentum; *Lacte pluit, terra cum mugitu tremuit, examen apum in foro consedit, sacrificium ex Sibyllinis.* Lucanus lib. 7. *Pharsaliæ* inter signa bellici civilis,

Venturum Æneam declarat.

Apes portendunt, & cur?

Necnon in numero cooperta examine signa.

Apud Lactantium *lib. 1. cap. 22.* apes Jovi dederunt auguria; sed cur portendunt apes? An quia in illis Reipublicæ formam Cleanthes describit? utique Magistratus munia adamussim assequuntur, & vivunt sub lege, si Aristoteli fides; An quia præsentiunt temporum motus, ut Aratus occinit? equidem Virgilius præsagia edidit apum; & animam ad astra vertunt, An quia aere & melle vivunt, sicut Constantinus scribit, aeris cœlorumque auguria promunt? sic est, in ipsis immediate agunt sidera, ut sint futurorum omen; An potius fata præoccinunt, quia a bove resurgunt, & in bove terræ genius? ita Ægyptii opinabantur: An Dæmon, an Deus apes elegit ad omen? quandoque uterque, sed Numine volente, ut dum homo animal brutescit insipiens, animalium vilissima illum moneant, ut recipiscat.

XCVIII. Aliud prodigium enarrat Virgilius, & flammas intercursantes Laviniæ caput, *Æneid.* lib. 7. vers. 71.

Præterea castis adolet dum altaria tædis,
Et juxta genitorem adstat Lavinia virgo,
Visa (nefas) longis comprendere crinibus ignem,
Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari,
Regalesque accensa comas, accensa coronam
Insignem gemmis, tum fumida lumine fulvo
Involvi, ac totis Vulcanum spargere tectis.
Id vero horrendum & visu mirabile ferri,
Namque fore illustrem fama fatisque ferebant †
Ipsam, sed populo magnum portendere bellum.

Flamma non comburit, sed portendit.

Prodigium carmenque expendit Donatus: „Licet superiora, quæ emerserant, miranda omnibus viderentur, hoc tamen „vehementer omnes commovebat, cum „adverterent ardere Laviniæ virginis caput, atque ita incendium per diversa jactare, ut vicina omnia potuisset accendere. Id vero horrendum ac visu miserabile „ferri, Illi scilicet qui cum Vate aderant, „quod spargerentur flammæ, nec quicquam consumeretur incendio, mirabantur. Vates dicebant, magnam ex causa „belli venturam populis esse perniciem, „Laviniam vero meliorem fore fama & fatis. Ecce & hoc ad Æneæ pertinet laudem, quoniam ipse futurus erat Italiæ „populis Rex, ipse Laviniæ honoris collaturus augmenta. Hactenus ille. Et Servius addit: *Augurium Ascanii ab hoc augurio distat fumo & adspersione flammarum.* De Ascanio cecinit Claudianus in *quarto Consulatu Honorii* vers. 191.

Ardet Laviniæ caput.

—— ventura potestas
Claruit Ascanio, subita cum luce comarum
Innocuus flagraret apex, Phrygioque volutus
Vertice fatalis redimiret tempora candor.

Ardent Ascanii comæ.

Utrumque Imperium, faustumque, sed in fumo *lacrimas*, ait Ascensius, denotabat; videlicet bellum morte Latini Regis lapsuque Æneæ funestum, Populorum & filiæ parentatum lacrimis; cæterum fatales flammæ. Nam Appio Claudio Pulchro & Q. Fulvio Flacco III. Coss. scribit Julius Obsequens: „L. Martius Eques Romanus cum in Hispania militaret, orationemque ad milites haberet, felicis „eventus flamma concionanti a capite, sine ipsius sensu, cum magno circumstantium pavore fusa est: cujus adspectu milites pristinam recuperare fortitudinem „admoniti, septem & triginta hostium millibus cæsis, magnoque numero in potestatem redacto, bina castra Punicis opibus „referta ceperunt. Sæpe portendit ignis; An quia in igne Deus? Dionysius Areopagita docet, & in Rubo ardens, & non comburens bellum cum Ægyptiis denotabat; An quia *ignis facit Verbum Dei?* cecinit Regius Vates, & *ante Deum præcedit*, ventura denuntians; An quia, teste Propheta, facit Altissimus Ministros suos ignem urentem; An quia oracula post sacrum & ignem? An quia ignis in manu Cherubin agenda pernuntiat? equidem assentior; sed Pyromantiam Diabolus ostentavit ad exterminium Orbis. Cur bella propter mulieres ignis demonstrat?

& L. Martii.

Quo prodigio Romani triumphant.

Quid ignis ardens, & non comburens.

Mulieres incendia pariunt.

† Alii rectius, *canebant*.

A

An quia, teste Macrobio in *Saturnalibus*, suomet corpore incendia excitant, alunt flammas, ut homines devorent? propter Laviniam bellum hoc flamma & ignium expressum symbolis; propter Helenam Troja incendio periit; Theano rapta a quodam Phocense decennale exarsit bellum Thebanorum cum Phocensibus, propter Nicetin Apriæ Ægyptiorum Regis filiam Cambyses Ægyptum omnem exustam perdidit.

XCIX. Aliud prodigium enarrat Dionysius lib. I. *Antiquitatum*, fons sponte erupit in latices:

B

Ἐπεὶ γὰρ ὅρμῳ χρησάμενοι τῷ Λωρεντῷ σκηνὰς ἐπήξαντο περὶ τὸν αἰγιαλὸν, πρῶτον μὲν πιεζομένοις τοῖς ἀνθρώποις ὑπὸ δίψης, οὐκ ἔχοντος ὕδωρ τοῦ τόπου, (λέγω δὲ ἃ παρὰ τῶν ἐγχωρίων παρέλαβον) λιβάδες αὐτόματοι νάματος ἡδίστου ἐκ γῆς ἀνελθοῦσαι ὤφθησαν, ἐξ ὧν ἥ τε στρατιὰ πᾶσα ὑδρεύσατο· καὶ ὁ τόπος περίρρυτος γέγονε, μέχρι θαλάσσης καταβαίνοντος ἀπὸ τῶν πηγῶν τοῦ ῥεύματος..... Βωμοὶ δύο δείκνυνται, ὁ μὲν πρὸς ἀνατολὰς τετραμμένος, ὁ δὲ πρὸς δύσεις. ἐφ' ὧν τὸν Αἰνείαν μυθολογοῦσι πρώτην θυσίαν ποιήσασθαι τῷ θεῷ χαριστήριον τῶν ὑδάτων.

C

Postquam enim in Laurentino portu tentoria fixerunt per littora, cum prius homines siti laborarent ob aquarum inopiam, (hoc ab incolis loci didici) FONTES SPONTANEI LATICIS *suavissimi e terra visi sunt prorumpere, qui aquationem præbuerunt toti exercitui; & locus factus est irriguus, fontanis aquis usque ad mare decurrentibus..... Monstrantur aræ duæ, quarum altera orientem Solem spectat, occidentem altera; in his Æneam fabulantur deo mactasse primam victimam in gratiam acceptorum fontium.* An Diabolus, æmula contentione, Deum æmulari satagit, qui Moysi e rupe prorumpentes dedit aquas? Quinto Maximo Verrucoso III. M. Claudio Marcello III. Coss. V.C. ann DXL. inquit Obsequens in lib. *de Prodigiis: In vico Istrico fons sub terra vi aquarum fluxit.* Plinius *lib.* 31. *cap.* 2. Digna memoratu visa * est ab Averno lacu Puteolos tendentibus imposita littori, celebrata porticu ac nemore, quam & vocabat Marcus Cicero *Academiam*, ab exemplo Athenarum ibi compositis voluminibus ejusdem nominis; in qua & monumentum sibi instauraverat, ceu vero non & in toto terrarum orbe fecisset; hujus in parte prima exiguo, post obitum ipsius, Antistio Vetere possidente, *erupe-runt fontes calidi perquam salubres oculis*, celebrati carmine Laureæ Tullii, qui fuit e Libertis ejus,

Prodigium fontis sponte prorumpentis.

D

E

Fons Tullii oculos medetur.

Prodigium.

Quo tua, Romanæ vindex clarissime Linguæ,
Sylva loco melius surgere jussa viret,
Atque Academiæ celebratam nomine villam
Nunc reparat cultu sub potiore vetus.
Hic etiam apparent lymphæ non ante repertæ,
Languida quæ infuso lumina rore levant.

F

Nimirum locus ipse sui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fontes cum patefecit ope,
Ut, quoniam totum legitur sine fine per orbem,
Sint plures, oculis quæ medeantur, aquæ.

C. Post fontem addamus mensam, quam fame velut tabescentes Trojani devorant, fatale Imperii signum, ut Virgilius lib. 7. *Æneid.* vers. 109. canit,

Mensam comedunt socii Æneæ.

Instituuntque dapes, & adorea liba per herbas
Subjiciunt epulis, (sic Jupiter ipse monebat)
Et Cereale solum pomis agrestibus augent.
Consumtis hinc forte aliis, ut vertere morsus
Exiguam in Cererem penuria adegit edendi,
Et violare manu, malisque audacibus orbem
Fatalis crusti, patulis nec parcere quadris:
Heus etiam mensas consumimus, inquit Julus.
Nec plura alludens, ea vox audita laborum
Prima tulit finem.

Signum Imperii.

Comedunt super panis crustam.

De mensa ex quadris, an ex crusta, sive placenta, vel adorea, & pomis, velitatio fit penes Grammaticos; nam Lutatius *lib.* 2. ait: *Non orbes farreos, sed mensarum vice, sumendi cibi gratia apium, cujus maxima erat ibi copia, fuisse substratum, & quod ipsum consumtis aliis eduliis eos comedisse, ac post subinde intellexisse illas esse mensas, quas illos comesturos prædictum esset.* Hæc ille apud Aurelium Victorem. Dionysius lib. I. *Antiq.* eadem fere verba depromit; enarratque Strabo lib. 13. *Georg.* hinc omen ab oraculis Æneas desumit, & finem proclamat laborum,

Apium pro mensa.

—— ea vox audita laborum
Prima tulit finem, primamque loquentis ab ore
Eripuit pater, ac stupefactus numine pressit;
Continuo, SALVE *fatis mihi debita tellus,*
Vosque, ait, O fidi TROIÆ SALVETE PENATES.
Hic domus, hæc patria est, genitor mihi talia namque
(Nunc repeto) Anchises fatorum arcana reliquit:
Cum te, nate, fames ignota ad littora vectum
Accisis coget dapibus consumere mensas;
Tum sperare domos defessus, ibique memento
Prima locare manu, molirique aggere tecta.

Salutat Æneas terram & numina.

Ab historia discordat Vates, dum procul effutit edixisse Anchisen, quem præsentem Scriptores demonstrant. Responsa numinum offert Dionysius;

* Rest. *villa.*

Ἦν τι θέσφατον αὐτοῖς, ὡς μέν τινες λέγουσιν, ἐν Δωδώνῃ γενόμενον· ὡς δ' ἕτεροι γράφουσιν, ἐν Ερυθραῖς χεδίῳ τῆς Ιδης, ἔνθα ᾤκει Σίβυλλα ἐπιχωρία Νύμφη χρησμῳδος· ἣ αὐτοῖς ἔφρασε πλεῖν ἐπὶ δυσμῶν ἡλίου, ἕως ἂν εἰς τοῦτο τὸ χωρίον ἔλθωσιν, ἐν ᾧ κατεδοῦνται τὰς τραπέζας. *Acceperunt quoddam responsum apud Dodonam, ut nonnulli scribunt: ut alii malunt, in Erythris Idæ viculo, ubi habitabat Sibylla, ejus loci Nympha fatidica: hæc jusserat eos navigare Occidentem versus, donec eo locorum pervenerint, ubi mensas comederent.* Ab Harpyia depromta hæc oraculi verba plerique putant; etenim in 3. *Æn.* vers. 365. occinit,

Loca oraculi.

> —— *novum dictuque nefas Harpyia Celæno*
> *Prodigium canit, & tristes denunciat iras,*
> *Obscœnamque famem.*

At Servius carmini favet, dicens: *Bene Jovem & Anchisen, qui causa oraculi fuerunt.* Donatus ait, Fatorum oracula Anchisen intimasse filio: vel moribundus genitor, ut explicat Ascensius, exutus quam maxime corporis pondere fatidicus ventura prædixit, tunc namque animus cœlorum consortio præstans, deo proximior, Platone auctore, divinat; & sunt qui ad Penates deosque dicta referant, quos religiose salutat; Ovidius lib. 1. *Fastorum* vers. 509.

Moribundi divinant. Salutat Penates.

> *Dique petitorum, dixit, salvete locorum,*
> *Tuque novos cœlo terra datura deos:*
> *Fluminaque, & fontes, quibus utitur hospita tellus,*
> *Et nemorum Nymphæ *, Naiadumque chori.*

Acta describit Dionysius, & sacra de more indigitat: „Hujus oraculi tum admoniti, alii Penates e navi transferunt, quo „Æneæ placuit; alii subsellia sibi adornant & altaria: mulieres sacra cum ululatu & choreis adferunt. Æneas vero & „socii paratis omnibus ad sacrificium, coronati consistunt circum altaria. Interea „dum hi vota faciunt, porca destinata ad „victimam, gravida tum & vicina partui, „parantibus eam mactare Sacrificulis, proripit se excussis vinculis, petens mediterranea. Sensit Æneas, hanc profecto „quadrupedem designasse oraculum, eamque cum paucis mox subsequitur: illa „ferme viginti & quatuor stadiis a mari „digressa, in collem quemdam procurrit, „ibique fessa quievit. Hæc ille; & Penates noctu ibi sedes Trojanorum primas monent instituendas; ubi & Oppidum condidere; tandem de diis salutatis, & more, vide Brissonium l. 1. *Formul.* c. 2. num. 33. de sue vero Messala Corvinus in libro *de Augusti progenie* ex antiquis Historicis, rem satis admirandam refert: „Æneam more navigantium suem vivam secum detulisse, ac ex oraculo responsum „habuisse, quum teneret Italiam, dimitteret eam, inde quo reperta foret, sedi „ejus conderet urbem; suem in Campaniæ „oris apud Avernum lacum, Bajarumque „fines, dimissam, mox visam supra Ty-

Descensus Trojanorum. Sus loca designat. Sus admiranda apparet.

* *Divæ* restituit Heinsius.

„bridis ripam: quare elatum scrophæ vexillum, quocirca Helenus ad Æneam „in 3. *Æneid.* Virg. vers. 462.

> *Vade age, & ingentem factis fer ad æthera Trojam.*

Id est, *insigne Trojanum.*

Troja insigne Trojanum.

CI. Observabam insuper alia prodigia, quibus Jupiter adventum Æneæ præsignabat ab alto; Dionysius *lib.* 1. „Fertur dum Lavinium conditur oblata Trojanis quædam prodigia, in nemore orto „sua sponte incendio; lupum ore aggressisse fomitem aridum; aquilam vero alarum „ventilatione flammam excitasse; vulpem „contra cauda in flumen intincta ignem „conatam exstinguere: & nunc accendentibus, nunc exstinguente, prævalentibus, „tandem vicisse duos, illam vero abiisse „conatu irrito. Quo viso Æneam dixisse: „Illustrem quidem & mirandam futuram „eam Coloniam, sed suis incrementis invidiosam & molestam exteris: forte tamen ut tandem vincat adversarios, humanæ invidiæ prævalente favore numinum; tam insigne futuræ Urbis fortunæ „præsagium tunc accidisse dicitur; exstantque rei monumenta in Foro Laviniensium, effigies æreæ horum animalium, asservatæ ibi longissimo tempore.

Prodigium ex incendio, & lupo, & vulpe, & aquila. Urbis fortuna.

CII. Animadverto Coloniam conjecisse futuram in gentem magnam, non Urbem, nam Urbs deinde tanquam proles Coloniæ a Romulo instituitur, & sic post multa annorum spatia Urbem in suis ædificasse Æneam, videlicet Æneæ natorum natos, illamque nuncupasse Romam. Cæterum ab ipso Lavinium excultum novimus, non Romam, cujus tamen dicitur pater, occinitque Virg. l. 12. *Æn* v. 166.

Nepotes Æneæ Urbem ædificant.

> *Hinc pater Æneas, Romanæ stirpis origo.*

Debet vel maxime nihilominus parenti præstantissimo Roma, quia illius auspiciis, fortitudine, rei militaris peritia, ac triumphis caput extulit deorum genitrix gentiumque Roma; tanti Herois decus & fata descripsit portentum Lauri, Apum examen, Ignis Laviniæ, Scrophæ partus, Fons sponte irriguus, Ignis in nemore, imo & Fauni oraculum ad Regem Latinum, dum Laviniæ sciscitatur eventus, lib. 7. *Æn.* vers. 92.

Oraculum Fauni Latino Regi.

> —— *pater ipse petens responsa Latinus*
> *Centum lanigeras mactabat rite bidentes,*
> *Atque harum effultus tergo, stratisque jacebat*
> *Velleribus: subita ex alto* VOX *reddita luco est.*
> *Ne pete connubiis natam sociare Latinis,*
> *O mea progenies, thalamis neu crede paratis.*
> *Externi veniunt generi, qui sanguine nostrum*
> NOMEN IN ASTRA FERANT,
> *quorumque a stirpe nepotes*
> *Omnia sub pedibus, qua Sol utrumque recurrens*
> *Adspicit Oceanum, vertique regique videbunt:*

Urbis gloria.

Hinc grata posteritas Æneam inter numina scripsit, aris coluit & thure; Dionysius Halicarnasseus assentitur lib. 1. *Antiq.*

Æneæ cultus.

Corpus Æneæ cum quæsitum nusquam compareret, conjectabant eum discessisse ad deos. Latini sacellum Heroi dicaverunt cum inscriptione hac:

PATRI DEO INDIGETI
QVI NVMICI AMNIS VNDAS
TEMPERAT.

Jupiter Indiges nuncupatur.

Messala Corvinus tres annos regnasse scribit, *Mortuum super Numici fluminis ripam, conditum* INDIGETEM JOVEM *dixere*; sic etiam Livius; parum variat Aurelius Victor, qui Æneæ *templum consecratum* perhibet, & ait, *appellarique placuit* PATREM INDIGETEM. Etenim a Virgilio nuncupatur, *deum certissima proles*; & in 8. oraculum, *O sate gente deum*; in 12. vers. 793. Jupiter ad Junonem,

Quæ jam finis erit, conjux? quid denique restat?
Indigetem Æneam scis ipsa, & scire fateris,
Deberi cælo, fatisque ad sydera tolli.

Similiter Tibullus *el. 6. l. 2.*

Illic sanctus eris, cum te veneranda Numici
Unda deum cœlo fecerit * *Indigetem*

Lapsus namque inter præliandum in flumen periit.

CAP. IX.

An filius spectri, sive Dæmonis, & ancillæ Tarchetii Romanorum Regis Urbi Romæ nomen dedit?

CIII. ROMÆ nomen usque modo super astra totoque cœlo conquisitum, una cum sapientissimis rerum antiquarum Scriptoribus, invenire omnino non potuimus. Inter numina, deosque Indigetes, quorum religio commendat silentium, arcanum illud nequaquam innotuit; nunc ab orco nigris malisque avibus petendum puto; enimvero Æneas semper fata vaticiniorum, & ipse consultissimus, depromit, fatidicosque avocat Heroas ab adytis, quorum oracula ambiguitate & tenebris potius stuporem quam nominis notitiam referunt. Enimvero eloquentissimus Tertullianus in *Apologetico* c. 22. de Dæmonibus ait: *In oraculis, quo ingenio ambiguitates temperent in eventus, sciunt Crœsi, sciunt Pyrrhi.* Fortasse transmigrando nomina dabant, & omen, quod ambiguitate abolitum venari supra vires sapiens censet posteritas, asseritque Seneca in *Consolatione ad Helviam: Romanum Imperium auctorem exsulem respicit: quem profugum, capta patria, exiguas reliquias trahentem necessitas, & Victoris metus, longinqua quærentem, in Italiam detulit. Hic deinde populus quot Colonias in omnes Provincias misit? ubicunque vicit Romanus, habitat: ad hanc commutationem locorum libenter nomina dabat, & relictis aris suis trans maria sequebatur Colonus senex.* Inquiramus igitur a Plutarcho, an spectri filius, inferorum numine plenus, Romæ depromsit, deditque nomen?

Oraculorum obscuritas. — Ubi vicit Romanus habitat.

* Rep. *miserit*.

CIV. Spectra Dæmones esse impurissimos & tenebricosos Richardus docet: quæve noctu diuque densarum caligine umbrarum horrent, ingenti adspectu ad terriculamenta composito, spectra sunt Dæmonum, quos novit Antiquitas, & Philosophorum Princeps confitetur, *Sciunt Dæmonas Philosophi*, inquit Tertullianus in *Apologetico, Socrate ipso ad Dæmonii arbitrium exspectante. Dehortatorium plane a bono omnes sciunt Poetæ; etiam vulgus indoctum in usum maledicti frequentat.* Et antea Plato in *Symposio* & l. 4. *de Legibus*, & in *Epinomide*, eorum naturam expendit, similiter in *Phædone*, ubi homines *deorum peculium* nuncupat, Dæmonas *Gubernatores, Custodesque nostros* appellat. Sed vetus gentium religio illos in corpore peccare contendit, cecinitque Orpheus in *Hymno ad Titanes*,

Dæmones novit Antiquitas.

Exhorrentque tuum rapidum durumque flagellum
Dæmones, humani hostes, atque feri, atque maligni.
Qui nostris animis vacuis infanda ministrant,
Ut semper diram vitam cum crimine ducant,
CORPORE PECCANTES *semper.*

Orpheus corpore peccare dixit.

Ita Orpheus, quem Lactantius *lib. 1. cap. 5. vetustissimum Poetarum* vocat *æqualem deorum*: hanc philosophiam profitetur Mercurius Trismegistus in *Pimandro*, ubi ait: *Nulla est Mundi pars Dæmonum præsentia destituta; horum lumen ab ipso Deo totum descendit; Dæmon denique transfusus in hominem semina propriæ motionis inspergit, mens autem conspersa seminibus prægnans, inde parit adulteria, stupra, parricidia, sacrilegia, divinorum contemtum, & reliqua, quæ sunt opera Dæmonum.* Ad hæc divinat Rossellus Calaber, imo Ethnici cæcutientes pro certo habebant sexum Dæmonum, quo mente deturbati homines abuterentur; pessimum dogma, quod Theodoretus in *Epitome divinorum decretorum* damnat dicens: *Angelos non ut Græcorum Poetæ & Philosophi in deos referimus. Nec in masculinam & fœmininam incorpoream naturam distinguimus, nec intemperantis coitus, quæ sub adspectum non cadunt, potestates accusamus.* Sic etiam Plutarchus in libro *de def. Orac.* & citat Hesiodi carmen,

Dæmonum semen.

* *Αγνοὶ ἐπιχθόνιοι φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων,*

Custodes hominum casti terras obeuntes.

Nec defuit, qui in carne Dæmones agnosceret corporeos gignere; cumprimis Tertullianus lib. 3. *adv. Marcionem* cap. 9. *Scito, nec illud concedi tibi, ut putativa fuerit in Angelis caro, sed veræ & solidæ substantiæ humanæ.* Tali habitu Angelos proinde desertores *duxisse fil[illegible] hominum*, Josephus in primo *Antiqu[illegible]* Justinus,

Sunt incorporei [illegible] fixa.

* Apud Hesiodum *Op[illegible]* V. 122. legitur Ἐσθεί.

Clemens Alexandrinus, Athenagoras, Euſebius in *Præparatione Evangelica*, Cyprianus *de diſciplina & habitu Virginum*, aliique quamplures cunctis obvii, aberrantes docuerunt; etenim in ſacro Scripturarum contextu, quandoque viri, & Angeli, jam & Dæmones nuncupantur, neque illarum teſtimonio Dæmoni, corporis datur pondus, & ad gignendum ſemen: optime tandem vel reſipiſcens Tertullianus fatetur c. 62. lib. *de Reſur. carnis*: *Angeli aliquando tanquam homines fuerunt edendo, bibendo, & pedes lavacro porrigendo, humanam enim ſuperficiem induerant, ſalva intus ſubſtantia propria*. Sic incorporei corpus oſtentant, quod ſumunt, ſive compactum aere, ſive atomorum congreſſu, ſive Solis ſubſtantia, vel ipſo hominis cadavere, ſive fictum & inane, pendet adhuc quæſtio apud Magiſtrum lib. 2. *Sent.* dict. 8.

Cur duxerunt filias hominum?

An corpus deſumunt?

CV. Itaque Veteres, quorum doctrinam Altiſſimus perdidit, ſpectra Dæmonum generare credebant, Auctoremque nominis Romæ ab ipſo genitum profitentur plerique, quos Plutarchus refert in *Romulo*. Nec mirum, prima Romanorum origo Æneas, qui filius Veneris pleno Virgilii carmine decantatur; imo ſuomet ore reſpondet in 1. *Æneid.* verſ. 382.

Æneas filius Veneris.

Sum pius Æneas, raptos qui ex hoſte Penates
Claſſe veho mecum, fama ſuper æthera notus:
Italiam quæro patriam, & genus ab Jove ſummo,
Bis denis Phrygium conſcendi navibus æquor,
Matre dea monſtrante viam, data fata ſecutus.

Facit ad carmen Varro lib. 2. *rerum divin. Ex quo de Troja egreſſus eſt Æneas, Veneris eum per diem quotidie ſtellam vidiſſe, donec ad agrum Laurentem veniret.* Horatius *l.* 4. *od.* 15. & in *Carm. Secul.*

Clarus Anchiſæ Venerisque ſanguis
Imperet bellante prior, jacentem
Lenis in hoſtem.

CVI. Prodigium ſatis portentoſum de auctore nominis Urbis Romæ enarrat Plutarchus in *Romulo*, cujus verba adamuſſim referre hiſtoriæ opportunitas exigit, enimvero poſtquam plures recenſet, qui nomen illud impoſuiſſe dicuntur, ſubinfert: Διεξίασι Ταρχετίῳ Ἀλβανῶν Βασιλεῖ, παρανομωτάτῳ καὶ ὠμοτάτῳ, φάσμα δαιμόνιον οἴκοι γενέσθαι. Φαλλὸν γὰρ ἐκ τῆς ἑστίας ἀνασχεῖν, καὶ διαμένειν ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας· εἶναι δὲ Τηθύος ἐν Τυῤῥηνίᾳ χρηστήριον, ἀφ᾽ οὗ κομισθῆναι τῷ Ταρχετίῳ χρησμὸν, ὥστε συμμίξαι τῷ φάσματι παρθένον· ἔσεσθαι γὰρ ἐξ αὐτῆς παῖδα κλεινότατον ἀρετῇ, καὶ τύχῃ καὶ ῥώμῃ διαφέροντα. Φράσαντος οὖν τὸ μάντευμα τοῦ Ταρχετίου μιᾷ τῶν θυγατέρων, καὶ συγγενέσθαι τῷ Φαλλῷ προστάξαντος, αὐτὴν μὲν ἀπαξιῶσαι, θεράπαιναν δὲ εἰσπέμψαι. Τὸν δὲ Ταρχέτιον, ὡς ἔγνω, χαλεπῶς φέροντα, συλλαβεῖν μὲν ἀμφοτέρας ἐπὶ θανάτῳ. Τὴν δ᾽ Ἑστίαν ἰδόντα κατὰ τοὺς ὕπνους ἀπαγορεύουσαν αὐτῷ τὸν φόνον, ἱστόν τινα παρεγγυῆσαι ταῖς κόραις ὑφαίνειν δεδεμέναις, ὡς ὅταν ἐξυφήνωσι, τότε δοθησομένας πρὸς γάμον. Ἐκείνας μὲν οὖν δι᾽ ἡμέρας ὑφαίνειν, ἑτέρας δὲ νύκτωρ, τοῦ Ταρχετίου κελεύοντος, ἀναλύειν τὸν ἱστόν. Ἐκ δὲ τοῦ Φαλλοῦ τῆς θεραπαινίδος τεκούσης δίδυμα, δοῦναί τινι Τερατίῳ τὸν Ταρχέτιον ἀνελεῖν κελεύσαντα· τὸν δὲ θεῖναι φέροντα τοῦ ποταμοῦ πλησίον· εἶτα λύκαιναν μὲν ἐπιφοιτᾶν μαστὸν διδοῦσαν, ὄρνιθας δὲ παντοδαπους ψωμίσματα κομίζοντας, ἐντιθέναι τοῖς βρέφεσιν· ἄχρις οὗ βουκόλον ἰδόντα καὶ θαυμάσαντα τολμῆσαι προσελθεῖν καὶ ἀνελέσθαι τὰ παιδία· Τοιαύτης δὲ τῆς σωτηρίας αὐτοῖς γενομένης, ἐκτραφέντας ἐπιθέσθαι τῷ Ταρχετίῳ, καὶ κρατῆσαι. Id eſt,

Spectrum.

„ Referunt ſpectrum Tarchetio Albano-
„ rum Regi, homini teterrimo & ſæviſ-
„ ſimo, divinum domi oblatum; Geni-
„ tale ex foco ejus maſculini ſexus ex-
„ ſtitiſſe, perque multos dies comparuiſ-
„ ſe, atque oraculo, quod in Hetruria
„ Tethydis erat, reſponſum; ut virgo
„ cum ſpectro coiret, ex qua filium vir-
„ tute clariſſimum, fortunaque & robo-
„ re oriturum inſignem. Hoc reſponſum
„ Tarchetius cum uni ex filiabus expo-
„ ſuiſſet, juſſiſſetque cum Genitali illo ut
„ ſe jungeret; eam quod adſpernaretur,
„ ſummiſiſſe ancillam. Tarchetium, ut
„ reſcivit, graviter offenſum ambas in
„ vincula conjeciſſe, morte vindicaturum.
„ Sed cum Veſta illi in ſomno oblata de-
„ terruiſſet eum a cæde, telam in vinculis
„ texere puellas juſſiſſe, ea lege, ut ea de-
„ texta elocarentur; atque illas texuiſſe
„ interdiu, nocte mandato Tarchetii alias
„ retexere telam ſolitas. Cum ancilla ex
„ Genitali illo geminos eſſet enixa, Tera-
„ tio cuidam Tarchetium necandos tradi-
„ diſſe: illum ad fluvii ripam eos expoſuiſ-
„ ſe, lupam inde accurrentem lactaſſe,
„ aveſque diverſi generis alimenta minuta
„ ori indidiſſe. Bubulcum tandem re cum
„ admiratione conſpecta accedere auſum
„ infantes ſuſtuliſſe. Ad hunc modum edu-
„ ctos invaſiſſe eos Tarchetium, & ſupe-
„ raſſe. Hactenus ille; & antea Promathion
in Hiſtoria, quam ſcripſit de rebus Italiæ; traditque hinc Urbis Romæ nominis * ab iſtis originem habuiſſe.

Coit cum ancilla Regis.

Quæ geminos peperit

Eoſque expoſitos lupa lactavit.

CVII. Habemus Æneam ex Spectro Dæmonis & Venere, habemus Auctorem Urbis Romæ Spectri filium, fatale Urbi cum Dæmone commercium; etenim, qui orbem terrarum Imperio ſubegere, Spectro feruntur geniti Alexander & Auguſtus, occinitque Sidonius Apollinaris in *Panegyrico*, quem Romæ Anthemio Auguſto bis Conſuli dixit,

Alexander & Auguſtus Spectro geniti.

Magnus Alexander, nec non Auguſtus habentur
Concepti SERPENTE DEO: *Phœbumque Jovemque*
Diviſere ſibi, namque eorum quæſiit unus
Cinyphia ſub Syrte patrem; maculis genitricis,
Alter Phœbigenam ſeſe gaudebat haberi,
Pœonii jactans Epidauria ſigna Draconis.

* Videtur leg. *nomen*.

Atia Augustum ex dracone genuit, remansitque in utero draconis effigies.

Ultimo carmini facem præbet Suetonius in *Augusto* cap.94. *Atiam, cum ad solenne Apollinis sacrum media nocte venisset, posita in templo lectica, dum cæteræ matronæ dormirent, obdormisse draconemque repente irrepsisse ad eam, paulo post egressum, illamque expergefactam, quasi a concubitu mariti purificasse se, & statim in corpore ejus exstitisse maculam, velut depicti draconis; nec potuisse unquam eximi, adeo ut mox publicis balneis perpetuo abstinuerit*. Et antea Asclepiades Mendesius prodigium edidit, pluresque ferunt;

CVIII. Similia exempla, prodigiorum omine portenta, alibi congessisse memini. Sed nunc sisto; primo quia Plutarchus fabulosam hanc narrationem damnare videtur; secundo, quia inter Albanorum Reges hoc nomen Tarchetii suspectum legitur, fictumque; tertio, dubium est Promathionem Romuli & Remi fatum descripsisse, quorum mater a Marte compressa geminos edidit; & cum esset Vestalis a numine servata vixit; nam & lupa gesta istorum demonstrat, & flumen id ipsum denotare compertum est; quod certum assentior; Roma præeunte, cunctos illius admiranda recensuisse ad libitum; plerique supra vires etiam mortalium existimabant sortem, Urbis Imperium, ideo illius exordia a diis auspicabantur, a Dæmone & Heroum præclarissimis Ducibus, ut vel sic prodigiosam majestatem extollerent, & Urbem Orbis Dominam, Cœlo, Terra & Orco nitentibus, tamquam deam colerent, deorumque genitricem.

Judicium de Spectro.

Cap. X.

Urbs absque nomine a Daniele Propheta demonstratur in Monstro anonymo, illius Monarchiæ symbolo. Expenditur Danielis cap. 7.

Deus Rex Regum.

CIX. Deus noster ante omnia sæcula creans Regna, deorum Dominus excelsus super omnes Reges terræ, habet in femore suo scriptum, REX REGUM, ET DOMINUS DOMINANTIUM; ideoque in *Apologetico* inquit Tertullianus: *Ille Regna dispensat, cujus est, & Orbis, qui regnatur, & homo ipse, qui regnat; ille vices dominationum ipsis temporibus in sæculo ordinavit, qui ante omne tempus fuit, & sæculum omne corpus temporum fecit, ille civitates extollit, aut deprimit, sub quo aliquando sine civitatibus genus hominum. Quid erratis? prior est quibusdam diis suis sylvestris Roma: ante regnavit quam tantum ambitum Capitolii exstrueretur. Regnaverunt & Babylonii ante Pontifices, & Medi ante Quindecimviros, & Ægyptii ante Salios, & Assyrii ante Lupercos, & Amazones ante Virgines Vestales*. Sicut placuit Domino ita factum est, erexit Urbem super colla Regum, & Assyriis ad nihilum redactis, Romanorum Monarchia, Princeps terrarum orbis, surrexit supra regale fastigium, Imperium sine fine inconcussum; unde D Augustinus l. 18. *C. D.* ad Marcellinum ait: *Regnante Proca, quia jam quodammodo Roma parturiebatur, illud omnium Regnorum maximum Assyriorum finem tanto*

Cessat Assyriorum Regnum, dum surgit Roma.

A *diuturnitatis accepit*. Causam addit sequenti capite vigesimo secundo: ALTISSIMA *tunc condita est Civitas* ROMA, *velut altera Babylon, & velut prioris filia Babylonis, per quam Deo placuit Orbem debellare terrarum, & in unam societatem Reipublicæ legumque perductum longe lateque pacare*.

CX. Ut igitur ostenderet se omnipotentem, ostendit Danieli Prophetæ Monarchiarum omnium symbola, quæ primum velut quatuor Currus Dei velocissimæ rotæ fatorum inverterent ordinem, vicesque præeminentes deprimerent; deinde

B Bestiarum hieroglyphicis illarum magnitudinem, robur, potentiam, militaria monumenta præsignavit, & tempus. De Roma non siluit, sed formarum involucris expressit ferocientem & superbam gentem, in quadam satis portentosa Bestia, carente, proh mirum! nomine. Cunctæ quæ præcesserant suo dignantur nomine, solum Romæ symbolum anonymum. Audiamus sacrum contextum, *Dan.* cap.7.v.7. „ Ad„ spiciebam in visione noctis, & ecce Be„ stia quata terribilis atque mirabilis & Romæ symbolum.

C „ fortis nimis, dentes ferreos habebat ma„ gnos comedens, atque comminuens, & re„ liqua pedibus suis conculcans, dissimilis „ autem erat cæteris bestiis, quas videram „ ante eam & habebat cornua decem. Con„ siderabam cornua, & ecce cornu aliud „ parvulum ortum est de medio eorum, & „ tria de cornibus primis evulsa sunt a fa„ cie ejus, & ecce oculi quasi oculi ho„ minis erant in cornu isto, & os lo„ quens ingentia. Usque modo divinus Vates. Danielis vaticinium.

CXI. Per hanc Bestiam Romanorum

D Monarchiam intelligunt D. Hieronymus, Glossa Strabi, Interlinearis, Hugo, cæterique Veteres ac Recentiores; sed arcanum latet, quia nomen omnino silet, quando illarum quæ præcesserunt recensuisse compertum est; etenim quatuor Monarchiarum symbola monstrosæ ingentesque Bestiæ, *prima quasi Leæna, alas habebat Aquilæ*, quia Assyriorum Regnum, inquit Theodoretus, *primum omnium maximam obtinuit partem orbis terrarum; Leæna namque animal regium est, & Aquila volucribus omnibus imperat*; sequitur & aliud Mon-

E strum, *Bestia alia, similis Urso, & tres ordines erant in ore ejus, & in dentibus ejus; dicebant ei, Surge, comede carnes plurimas*. Et in Urso Strabus Fuldensis Persarum agnoscit Imperium: *Tria latera in ore ejus, tres sunt orbis terrarum partes quibus imperaverunt, Oriens, Aquilo, Auster; Cyrus enim omnem Orientem usque ad Hellespontum in suam ditionem redegit; Cambyses subacta Ægypto, Æthiopas quoque sibi subjecit: Darius Scytharum Nomadum potitus est*. Vox inclamat, *Surge comede*, tem-

F pus illud significat, inquit Divus Hieronymus, quo ab Assuero, quem LXX. Interpr. Artaxerxem appellant, ad suggestionem Aman Agagitæ, una die omnes Judæi jussi sunt trucidari. Surgit tertia, *quasi Pardus, & alas habebat quasi avis quatuor super se*. Nicolaus de Lyra, *Pardus est animal velocissimum, & Alexander mira celeritate totum Orientem sibi subjecit*. Addit Theodoretus, *Quatuor alæ, quatuor sunt Orbis partes, in quibus imperavit*. Apparet

Bestia terribilis Romam denotat.

Leæna Assyriorum Regnum ostendit.

Ursus Persas.

Pardus Macedones.

quarta post Macedones, nullo insignita nomine; ideoque Divus Hieronymus in *Comm.* inquit: *Quartum quod nunc tenet Orbis terrarum Imperium, Romanorum est. Satisque miror, quod cum supra Leænam, & Ursum, & Pardum in tribus Regnis posuerit, Romanum Regnum nulli bestiæ compararit; nisi forte, ut formidolosam faceret bestiam vocabulum tacuit; ut quidquid ferocius cogitaverimus in bestiis, hoc Romanos intelligamus,*

Bestia anonyma Romanorum designat.

CXII. Sed quia arcanum puto nomen Urbis, inquiramus cur illud sacer contextus siluit; Lyranus: *Non habuit proprium nomen, quia non erat nomen Bestiæ, per quod posset ferocitatem hujus Regni designare, propter quod in Glossis Hebraicis dicitur, Regnum Romanum nequam.* Aresius Episcopus, pro uno, omnium Bestiarum nomina innuere illud assentitur. Cornelius a Lapide, Bestiæ nomen non exprimit, quia varia fuit & monstrosa, ut significaret Romanorum regimen novum & varium: Sanctius inquit: *Est omnium sententia innominata hæc & terribilis bellua Romanum Imperium, neque necesse est quemquam nominare, cum nemo non dicat.* Novimus etenim opinionem hanc fuisse Hippolyti in *Orat. de consum. Mundi*, Tertulliani, Cyrilli, Augustini, & Lactantii, quos vide. Mihi vero omnino ex dictis videtur, nullum nomen Bestiæ Romam demonstrantis fuisse indictum, quia Urbs anonyma carebat nomine; Spiritus Sanctus rerum humanarum ordinem sequitur, nec nomen imponit, aut revelat, quando contectum arcanumque siletur; sed ne Hebræorum traditiones sileamus, audiatur D. Hieronymus: *Quod hic tacitum est, Hebræi in Psalmis dictum putant, Devastavit eam Aper de Sylva, Psal.79. pro quo in Hebræo habet, Omnes Bestiæ agri laceraverunt eam; dum in uno Imperio Romanorum omnia simul Regna cognoscimus, quæ prius fuerant separata.* Causam fortasse alibi dedimus, ut una Urbs cunctarum populo plena, veram Evangelii Religionem continuo agnoscens, fieret Christianus in ea Orbis totus. Prudentius lib.2. *in Symmachum*.

Cur non habet nomen?

Quia Urbis nomen ignotum.

Discordes linguis populos, & dissona cultu
Regna volens sociare Deus, subjungier uni
Imperio, quicquid tractabile moribus esset,
Concordique jugo retinacula mollia ferre
Constituit, quo corda hominum conjuncta teneret
Relligionis amor; nec enim fit copula Christo.
Digna, nisi implicitas societ mens unica gentes:
Sola Deum novit concordia, &c.

Orbis Christianus in Roma.

CXIII. Sed qui semel sacrum contextum dedimus, expendamus: *Adspiciebat Daniel in visione noctis*: tunc Pater luminum inter umbrarum larvas illuminat Ministros suos & Angelos: fulgor numinum vincit umbras. Et claritas Dei sedentibus in tenebris & umbra mortis ortum lucis circumfulgens depromit. Prudentius in *Hymno ante somnum*,

In nocte revelat arcana Altissimus.

O quam profunda justis arcana per soporem
Aperit tuenda Christus!
Quam clara, quam tacenda!

Per Angelum suum illustravit Prophetiæ mentem, ostenditque maximum a secuæ Regnorum arcanum, monstrosissimis bestiarum expressum symbolis; ideo Nazianzenus, in *Orat. Panegyrica de Christi Nativitate*, Angelos appellat, *Secundos splendores, primi splendoris administros*; nec aliter Areopagita c.5. *de Cœl. Hierarchia*, *Angelos Theologi appellant, etenim vim superni illius divinique fulgoris annunciant*; Tertullianus *Virtutis suæ Ministros* vocat; etiam Magorum testimonio Minutius Felix id probat in *Octavio: Magorum eloquio, & negotio, primus Sosthenes, * & verum Deum merita majestate prosequitur, & Angelos, id est, Ministros & Nuncios Dei, sed veri, ejusque venerationi novit adsistere.* Igitur Angelo administrante, Daniel Deum patitur, & vidit *Bestiam terribilem atque mirabilem & fortem nimis*. Lyranus notat, terribilem fuisse atque mirabilem, *Propter humanam sapientiam, qua Romani vigebant, in tantum quod per eam devicerunt Orbem magis quam per fortitudinem.* Hanc commendat Cato in *Oratione adversus Catilinam*. Oraculum apud Virgilium l.6. *Æneid.* vers. 851.

Angelorum nomen ab officio, dum illuminant.

Tu regere imperio populos, Romane, memento,
(Hæ tibi erunt artes) pacique imponere morem:
Parcere subjectis & debellare superbos.

Tibullus *lib.2. elegia* 5.

Roma tuum nomen terris fatale regendis
Qua sua de cœlo prospicit arva Ceres.

Sulpitia Poetria illustris occinit;

Romanorum pietas, virtutesque.

—— duo sunt, quibus extulit ingens
Roma caput, Virtus belli, & Sapientia pacis.

Rutilius Vir Consularis in *Itinerario* ad Venerium Rufum:

O quantum & quoties possem numerare beatos,
Nasci felici qui meruere solo.
Semina virtutum, demissa & tradita cœlo,
Non potuere aliis dignius esse locis.

Equidem Plutarchus in libello *de Fortuna Populi Romani*, ab exortu virtutum hanc præstantiam extulisse Urbis incunabula fatetur: *Negari non potest Romuli partum, salutem, educationem, incrementa summæ virtutis fundamenta fuisse jacta.* Unde Propertius *lib.3. eleg.21.*

Armis apta magis tellus, quam commoda noxæ
Famam Roma tuæ non pudet historiæ:
Nam quantum ferro, tantum pietate potentes
Stamus, victrices temperat ira manus.

Sed sacra nec silet pagina; 1. *Macchabæor.* cap. 8. *Audivit Judas nomen Romanorum,*

Eorum gesta enarrat Auctor libri Macchabæorum.

* Clariss. Gronovius restituit *Hostanes*.

quia

quia sunt potentes viribus, & acquiescunt ad omnia, quæ postulantur ab eis, & quicunque accesserunt ad eos statuerunt cum eis amicitias, & quia sunt POTENTES VIRIBUS. Hoc est mirabile; terribilem esse Urbem & fortem nimis, simulque virtute præditam; etenim fulminat ferrum militis, & virtutum culmina ferit; lauream intingit sanguine, ut crudelitate triumphet.

Dentes ferrei sunt milites.

CXIV. Sequitur sacer contextus: *Dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans.* In dentibus Draconis, insigne Ducis potentissimi, Cadmus milites præsignavit, similiter Divus Hieronymus expendit, dum ait, *Significat omnes nationes, vel interfectas ab eis, vel tributo & servituti subjugatas.* Addit Nicolaus de Lyra: *Quia sicut ferrum domat omnia, ita Regnum Romanum domavit omnia alia regna, comedens, occidendo: conculcans, tributo subjiciendo.* Ita etiam Glossa Strabi, & Hugo. Veldius tamen in *Comm. sup. Dan.* ait, Truculenta & ferox describitur ista Bestia, vel quia Romani foris valde crudelia bella gesserunt; vel quia bellis civilibus pene seipsos perdiderunt; tum etiam, quod nulli atrocius Judæos & Fideles Christi discipulos adflixerunt. De Bello Civili, ferreo ad exitium dente, occinit Horatius *Epod.* od. 16.

Bellum Civile.

Altera jam teritur bellis civilibus ætas,
Suis & ipsa Roma viribus ruit.
Impia perdemus devoti sanguinis ætas,
Ferisque rursus occupabitur solum.

Et lib. 2. *Carminum* ode 37. ubi Victoriam Actiacam canit, *fatale Monstrum* occinit, in cæde Ægyptiorum Alexandriæ & Cleopatræ. Addamus Virgilii oraculum de Cæsare & Pompejo bellorum in exteros, suosque antesignanis, lib. 6. *Æneid* vers. 826.

Cæsaris & Pompeii.

Illæ autem paribus quas fulgere cernis in armis
Concordes animæ nunc, & dum nocte premuntur:
Heu quantum inter se bellum, si lumina vitæ
Attigerint, quantas acies stragemque ciebunt!
Ne pueri, ne tanta animis assuescite bella:
Neu patriæ validas in viscera vertite vires.

Proh nefas! plorat Lucanus in *Pharsalia*,

—— populumque potentem
In sua victrici conversum viscera ferro.

Tributa a Romanis impolita.

CXV. Sequamur Divi Hieronymi interpretationem, & conculcatos ac victos tributo insuper depressos videamus. De Judæis Appianus in *Syr.* scribit: *Judæos sæpius rebellasse, eoque tributum capitis gravius iis impositum, quam reliquarum facultatum.* Xiphilinus *lib.* 30. inquit: *Vespasianum instituisse, ut omnes ubique Judæi duas drachmas Jovi Capitolino Romæ penderent, quas antea templo Hierosolymitano solebant*.* A tributi pondere numerum Ægyptiorum collegit Josephus Hebræus, asseritque, *habere Ægyptum septingentas & quinquaginta myriadas hominum: idque liquere ex tributo, quod in capita singuli pendunt;* scilicet septem milliones cum dimidio. Et ne ultra procedat oratio, Suida auctore, *Augustus omnes subditos viritim adnumerare voluit.* Hinc capitatio & census, de quo erudite Lipsius, qui emendat Suetonium atque Eutropium, & subinfert, Solæ Ægyptus & Gallia xxx. aut circiter *milliones* pependerunt; & Provinciis enumeratis ait, *Concipere summas vereor, sed supra* CENTUM QUINQUAGINTA MILLIONES *fuisse, animo hoc sentio, & ore etiam promo;* gravitatem tributi tandem ex Strabone demonstrat, scribente, Gyarum se venisse, (non Insulam, sed scopulum) a pauculis piscatoribus habitatam, atque eos tunc legatum ad Cæsarem misisse, deprecatum gravitatem tributi; nam impositum sibi centum quinquaginta denarios, cum ægre centum possent pendere. Vere Bestia illa Orbem conculcans oppressit.

Supra CL. milliones.

CXVI. Dentes ferreos insuper habebat, quibus Mundum devorabat, & Mundi substantiam comminuens in sui veluti alimentum commutabat; undique Orbis bona sua collecta mittebat; occinitque eleganter Sidonius Apollinaris in *Panegyrico* 1. Valerio Majorano Augusto dicto, ubi de Roma imperante canit, & Tributarias Provincias promit:

Omnes Provinciæ pretiosa quæque mittebant.

Ergo ut se mediam solio dedit, advolat omnis
Terra simul: tum quæque suos Provincia fructus
Exposuit; fert Indus ebur, Chaldæus amomum,
Assyrius gemmas, Ser vellera, thura Sabæus,
Atthis mel, Phœnix palmas, Lacedæmon olivum,
Arcas equos, Epirus equas, pecuaria Gallus,
Arma Chalybs, frumenta Libys, Campanus Iacchum,
Aurum Lydus, Arabs guttam, Panchaia myrrham,
Pontus castorea, blattam Tyrus, æra Corinthus.
Sardinia argentum, naves Hispania defert, &c.

CXVII. Addit Daniel: *Dissimilis erat cæteris Bestiis, quas videram prius.* Rationem affert Divus Hieronimus, quia *in prioribus Bestiis singula formidinum signa, in hac omnia sunt.* Fortasse sacer *Machabæorum* liber loc. cit. plura refert, quæ contextui facem præbent, ideo recitemus verba: „ Audierunt prælia eorum, & virtutes bonas, quas fecerunt in Galatia, „ quia obtinuerunt eos, & duxerunt sub „ tributum; & quanta fecerunt in Regione Hispaniæ, & quod in potestatem redegerunt metalla auri & argenti, quæ „ illic sunt, & possederunt omnem locum consilio suo & patientia: locaque quæ longe erant valde ab eis, &

Gesta Romanorum admiranda.

* Leg. *solvebant.*

„ Reges, qui supervenerant eis ab extre-„ mis terræ, contriverunt, & percusserunt „ eos plaga magna: cæteri autem dant „ eis tributum omnibus annis, & Philip-„ pum, & Persen Ceteorum Regem, & „ cæteros, qui adversus eos arma tulerunt, „ contriverunt in bello, & obtinuerunt „ eos: & Antiochum magnum Regem A-„ siæ, qui eis pugnam intulerat, habens „ centum viginti elephantes,& equitatum, „ & currus, & exercitum magnum valde, „ contritum ab eis: & quia ceperunt eum „ vivum, & statuerunt ei, ut daret ipse, „ & qui regnarent post ipsum, tributum „ magnum, & daret obsides, & constitu-„ tum, & Regionem Indorum, & Me-„ dos, & Lydos de optimis Regionibus „ eorum: & acceptas eas ab eis dederunt „ Eumeni Regi. Et quia qui erant apud „ Helladam voluerunt ire, & tollere eos; „ innotuit sermo is, & miserunt ad eos „ Ducem unum, & pugnaverunt contra „ illos, & ceciderunt ex eis multi, & ca-„ ptivas duxerunt uxores eorum, & filios, „ & diripuerunt eos, terram eorum posse-„ derunt, & destruxerunt muros eorum, „ & in servitutem illos redegerunt usque „ in hunc diem: & residua Regna, & In-„ sulas, quæ aliquando restiterant illis, ex-„ terminaverunt, & in potestatem redege-„ runt. Cum Amicis autem suis, & qui in „ ipsis requiem habebant, conservaverunt „ amicitiam, & obtinuerunt Regna, quæ „ erant proxima,& quæ erant longe. Quia „ QUICUNQUE AUDIEBANT NO-„ MEN EORUM TIMEBANT EOS. „ Quibus vero vellent auxilio esse, ut re-„ gnarent, regnabant:& exaltati sunt valde. Hactenus ibi. Habemus namque descriptum Romanorum Regnum, sicut in Bestia forti, terribili, atque mirabili, imo dissimili a cæteris Bestiis, Orbisque Regnis. Cæteri namque Principes tyrannidem affectabant, & pugnabant, ut diruerent Regna, ut Cambyses Ægyptum, ejusque numina redegit in cinerem. Romani tantum, ut imperarent, virtutisque impulsi stimulo gloriam venabantur ab armis, & libertatem; quod animadvertebat S. Augustinus lib. 5. *Civ. Dei* ad Marcellinum cap. 18. *Libertas & cupiditas laudis humanæ ad facta compulere miranda Romanos*. Pro qua Brutum etiam filios occidisse fatetur, excusatque facinus cum Poeta *:

Regiones a Romanis exterminatæ.

Romanorum nomen terribile.

Pro libertate & nominis gloria pugnabant.

—— natosque pater nova bella moventes
Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit
Infelix; utcunque ferent ea facta † minores.
** Vicit amor patriæ, ludumque ‡ immensa cupido.*

Et capite duodecimo inquit de Roma: „ Fidebat in votis virorum virtute magno-„ rum, ut excitaret in bellum miseras gen-„ tes, & flagello agitaret Bellonam sangui-„ neo, ut esset ubi virtus eorum enitesce-„ ret. Hæc illa profecto laudis aviditas, & „ gloriæ cupido faciebat. Amore itaque „ primitus libertatis, post etiam domina-„ tionis, & cupiditate laudis & gloriæ, „ multa magna fecerunt. Reddidit eis utri-„ usque rei testimonium etiam Poeta insi-„ gnis eorum: inde quippe ait *,

Nec non Tarquinium ejectum Porsenna jubebat
Accipere, ingentique Urbem obsidione premebat,
Æneadæ in ferrum pro libertate ruebant.

„ Tunc itaque magnum illis fuit, aut for-„ titer emori, aut libere vivere; sed cum „ esset adepta libertas, tanta cupido gloriæ „ incesserat, ut parum esset sola libertas, „ nisi & DOMINATIO quæreretur. Hactenus Divus Augustinus, & concludit ex Virgilio: *Hinc est & illud ejusdem Poetæ, quod cum aliarum gentium artibus eas ipsas proprias Romanorum artes regnandi, atque imperandi, & subigendi, ac debellandi populos anteponeret*, &c. Habes igitur symbolum Regni Romanorum in Bestia cæteris Bestiis dissimili, causamque diversitatis potissimam; ideoque sequitur Virgilius lib. 6. *Æn.* vers. 836. ex oraculo, & Heroum gesta decantat; L. Mummii præcipue, & reliquorum Ducum, qui pro Laribus certarunt, adversus eos, qui Urbem parentesque Urbis oppresserant:

Roma dissimilis cæteris.

Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho
Victor aget currum, cæsis insignis Achivis;
Eruet ille Argos, Agamemnoniasque Mycenas,
Ipsumque Æaciden, genus armipotentis Achillis,
Ultus avos Trojæ, templa & temerata Minervæ.
Quis te, magne Cato, tacitum, aut te, Cosse, relinquat?
Quis Gracchi genus, aut geminos, duo FULMINA BELLI,
Scipiadas cladem Libyæ? &c.

CVIII. Sed novum addamus Danielis Vaticinio aliquod. An Bestia caret nomine, quia sacra sunt anonyma? An est *terribilis*, quia Roma terrorem indidit Orbi? ita Ammianus testatur. An est *mirabilis*, quia mirabilia ubique gessit,perdidit quandoque ut vinceret? Claudianus *in sec. Consul. Stilich.* vers. 144.

Nunquam succubuit damnis, & territa nullo
Vulnere, post Cannas major Trebiamque fremebat.

An *fortis*, quia inexpugnabilis militiæ parens, patienter sustinens vim aggressorum invicta repulit? cecinit Erynna Poetria inter Poetas insignis,

Denique in cunctis populis valentem
Procreas bellis sobolem, utque læta

* Virgilius lib. 6. *Æneid.* vers. 820. † Leg. *fata*. * Rep. *Vincet*. ‡ Rescr. *laudumque*.

* Lib. 8. *Æneid.* vers. 646.

Surgit e terra leges, ipsa abundas
Fruge virorum.

An habet *dentes ferreos* navali pugna triumphans, dum arpones, vel dentes ex ferro nautæ inculcantes, naves captivas trahebant? enarrant Polybius & Appianus Alexandrinus. An comedit & comminuit dum victrix pugnabat, & conterebat exteros? illorum devorabat opes, istorum destruebat Regna: mirum, inquit Claudianus *ibid.* vers. 141. ut

Innumeras uno gereret cum tempore pugnas.

An comedit fruges Ægypti, simulque Alexandriam incendio perdidit? Historici obvii scribunt, quos vide. An dissimilis reliquis, quia ex parva crevit in monstrum? Claudianus canit *ibid.* vers. 138.

Hæc est, exiguis quæ finibus orta tetendit
In geminos axes; parvaque a sede profecta
DISPERSIT CUM SOLE MANUS.

CXIX. Sequitur sacer contextus, *Et habebat cornua decem.* D. Hieronymus inquit: *In consummatione Mundi, quando Regnum destruendum est Romanorum, decem futuros Reges, qui Orbem Romanum inter se dividant.* Hoc omnes Historici Ecclesiastici tradiderunt, ait ille, & Commentatores neoterici omnes jurant in verba Magistri. Sed ego cum Divo Augustino adhuc hæreo, etenim lib. 20. *C. D.* cap. 23. scribit: „Vereri me fateor, ne in decem Regibus, quos tanquam decem homines videtur inventurus Antichristus, forte fallamur, & ille inopinatus adveniat, non existentibus tot Regibus in Orbe Romano. Quid enim si numero isto denario universitas Regum significata est, post quos ille venturus est, sicut millenario, centenario, & septenario significatur plerumque universitas? Assentior, & expendo per decem Reges, omnes quotquot ab Augusti Regno ad novissima Romanorum tempora culmen adscenderunt Imperii, tanquam cornua ventilati in manu Dei surrexisse dicuntur; post Augustum dixi, etenim Angelus v. 12. inquit, *Decem cornua, quæ vidisti, decem Reges sunt, qui Regnum nondum acceperunt;* ipse primus regnare cœpit, & Rempublicam in Monarchiam traduxit; in sacris Scripturis, inquit Agellius Episcopus, per cornu robur & Regnum intelligitur. Fortasse, quia Regum unctio in cornu servabatur olim apud Pontifices; vel quia egresso a servitute Ægyptiorum Mose, bovem sacrificavit, quem Ægyptus pro Deo, Loci Genio, & Regni conservatore colebat; erexitque mactati ad aras cornu, dicens, (si RR. Selomoni & Maimonidi fides) *en Regnum.* Ægyptus tota perstabat in cornu, quod excisum ardet, cecidit, contrivimus, nec ferit ultra Tyrannus. An in cornu Regni symbolum, quia arma sunt bovis in capite, quibus aggressos prosternit, & pede conculcat? equidem Romani victos, ut olim Josue, sub pedum vestigio excipiebant ad osculum, servitutis insigne.

Decem cornua, decem Reges tempore Antichristi.

Cur cornu Reges denotet?

CXX. *Considerabam cornua, & ecce cornu aliud parvulum ortum de medio eorum.* Lyranus indubitanter ait: *Cornu parvulum est Antichristus, qui erit Rex* XI. *respectu illorum decem prædictorum, qui erit homo parvus in quantum ad potestatem, sed postea crescet Diaboli adjutorio.* Hæc ille, & Glossa similiter, ex Divo Hieronymo: plerique sunt, qui *Julium Cæsarem* fuisse dicunt. Sed ab ipso Monarchia Romanorum exortum habuit, hanc refellere tanquam stultam sententiam Maldonatus non curat; sed male: nam Julius a Julo Æneæ filio cæterisque Albanorum Regibus processit, ut Messala Corvinus scribit in libello *de progenie Augusti:* & *Cornu parvulum* dicitur, quia adhuc miles & pauper, nunc Catilinæ, nunc Crassi, & Syllæ secutus partes, sublevantem se perquirebat ad Regnum. An parvus, quia dum vicit Gallias, victus a Nicomede corruit? equidem in ejus triumpho profanum cecinere carmen,

Julius Cæsar cornu parvum.

Gallias Cæsar subegit, Nicomedes Cæsarem, &c.

In Actione Dolabellæ & Curionis patris appellant eum *Pellicem Reginæ, spondam interiorem Regiæ lecticæ, ac* Curio *stabulum Nicomedis, & Bithynicum fornicem;* Bibulus Consul, M. Brutus, & Tullius, *Florem ætatis illius a Venere orti in Bithynia contaminatum* scripsit, simulque Suetonius *cap.* 49. ait: *Pudicitiæ ejus famam, nihil quidem præter Nicomedis contubernium læsit, gravi tamen & perenni opprobrio, & ad omnium convicia exposito.* Quis ignorat ad nihilum reductos a luxu impios? occinit post adulterium David, *ad nihilum redatus sum.* Et Ruben, quia adscendit cubile matris suæ, lapsus contabuit; hæc a nobis dicta, ut Maldonatus opinationem hanc inter deliria non rejiciat.

Ejus luxus

CXXI. Porphyrius, qui olim Christianus, Christianorumque discipulus, ob Hæreticos sui temporis Gnosticos, offensus illorum impietate, resipuit, desertor iterumque idola coluit, per tertiam & quartam bestiam Macedonum Regnum sub Alexandro intelligit, & in cornu parvo *Antiochum Epiphanem;* impugnat hunc Maldonatus, quia hic in Syria regnavit octavus non decimus ab Alexandro; sed Antiochus undecimus Macedonum Rex fuit, ideo nodus adhuc perstat; similiter nubeculam erroris Chronologici fecit Divus Hieronymus, ubi ait, Philometorem, & septimum Evergetem Regem præobiisse: Eusebius & alii plerique una cum Antiocho regnasse scribunt, Philometorem cum isto ann. XI. & post ipsum ann. XX. Evergetem vero ad XX. annos post mortem Antiochi initium regnandi fecisse, quod in Calvisio habes & Pererio, ideo non omnino rejectus Porphyrius, nisi quia quatuor bestias ad tres redegit, cum quatuor Monarchiarum Regna præmonstrent.

Antiochus Epiphanes.

CXXII. Cornu parvum *Mahumeten* dicunt, qui Heraclio regnante prodiit; ita Joannes Annius Viterbiensis *in Apoca-*

Mahumetes.

lypsin, Vatablus, Veldius, & Hector Pintus. Hanc assertionem esse falsam, & a sententia verborum Danielis valde abhorrentem, dicit Pererius. Sed quæso bona verba. Falsitatem hanc Sixtus Quartus Pontifex, cui quæstiones suas direxit Annius, non redarguit, cur tu ita vir docte? Doctorum virorum nomina balsamo, non cicuta sunt adspergenda: ita censeo, ex animi sententia assentior; etenim, si cum Divo Augustino per decem cornua omnes Romanorum Imperatores designatos credimus, Turcarum Princeps e medio istorum prodiit, Constantinopolim eo quo tempore in servitutem redegit, arripuitque Imperium; hic a Mahumete, qui & parvus, quandoquidem manus ejus in cophino servierunt; hoc fortasse intelligunt Aben Ezra & Saadias Hebræorum Rabbini.

Cæterum, qui Antichristum expressum volunt, doceant, hunc oriri quandoquidem e Regum Romanorum prosapia; sive a Regum aula, & Laribus Imperatorum, & manus lubenter do.

Antichristi victoria. CXXIII. Sequitur Daniel, *& tria de cornibus primis evulsa sunt a facie ejus*. Persistit Lyranus, & novissimis temporibus Reges Africæ, Ægypti, & Æthiopiæ per tria hæc cornua expendit, devictos ab Antichristo. Sed cur non potius ad litteram a facie, sive ab Imperio Romano, tria evulsa cornua intelligimus, & translata ad Francos, Germanos, Turcasque? isti omnes Imperatores Romanorum dicebantur.

Oculus in sceptro. *Et ecce oculi quasi oculi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia*. In oculo apud Ægyptios Imperium veteres tenuisse compertum est, asseritque vulgatum hoc hieroglyphicum præter Horum Ægyptium, Macrobius in *Saturnalibus*. Et in sacris Hieremiæ symbolis, *Virga vigilans* id ipsum denotabat, ut pluribus probat Ghislerius in *Commentariis*; dicuntur oculi quasi hominis, & non Dei, quamvis inter numina Romanorum Imperatores se adscriptos Dii extollerent. Eleganter Tertullianus in *Apologetico*: „Quo differt ab „epulo Jovis silicernium? e simpulo obba? „ab Aruspice Pollinctor? nam & Aruspex „mortuis apparet: digne Imperatoribus „defunctis honorem divinitatis dicatis, „quibus & viventibus eum addicitis: ac„cepto ferent dii vestri, imo gratulabuntur, „quod pares ei fiant Domini sui. De Julio

Imperatores falso dii. Cæsare Jovis oraculum apud Virgilium l. 1. *Æneidos* vers. 292.

Julius a magno demissum nomen Julo,
Hunc tu olim cœlo spoliis Orientis onustum
Accipies secura: vocabitur hic quoque votis.

De illius columna & votis vide Suetonium *cap.* 19. Hoc de more nos passim.

Forum consecratio. CXXIV. Hinc invenies *os loquens ingentia*: in consecratione namque pejerabat quisque, ut olim Julius Proculus pro Romulo, & dum deliria effutiebat, divinitatem Principis proclamabant, cui & templa & aras de more dicabant. De Aquila & Consecratione lege Pierium & Rosinum; ridiculum satis facinus, serio irrisum a Seneca in lusu, quem edidit in Claudium: istud est *os loquens ingentia*; respondetque ad illud velut adagium; *Ponere in cœlum os suum*.

CAP. XI.

De Imperio Romanorum, quod ferro a Daniele comparatur in visione Statuæ Nabuchodonosoris. Expenditur Danielis c.2.

CXXV. SPONSA in Canticis *omnia poma nova & vetera* dilecto, quem ardentissimo flagrabat amoris æstu, servasse ait; & nos qua dilectione Lectorem nostrum prosequimur, sacra & profana ad jucunditatem usque modo servata dicamus.

CXXVI. Dormit Rex impius, & admiranda intuetur; ea quæ cælitus illapsa obliviscitur; occurrit Tertulliano quispiam *de Anima* scribenti dicens: „Quomodo, „inquis, memor est somniorum anima, „quam compotem esse non licet? hoc erit „proprietas amentiæ hujus; quia non fit „ex corruptela bonæ valetudinis, sed ex „ratione naturæ; nec enim exterminat, sed „avocat mentem; igitur quod memoria „suppetit, sanitas mentis est; quod sanitas „mentis, salva memoria stupet, amentiæ „genus est. Amens igitur Nabuchodonosor, juxta Tertullianum, non somniat, sed furit, nec recordatur, & a non videntibus visum exquirit somnium. Somniorum anima memor est.

CXXVII. Macrobius lib. 1. *in Somn. Scip.* cap. 3 inquit: *Somnium proprie vocatur, quod tegit figuris & velat ambagibus, nonnisi interpretatione intelligendam significationem rei, quæ demonstratur*: hoc Danieli insigne donum a Deo, de quo D. Hieronymus ait: *Daniel hoc habebat insigne, quod visiones & somnia, quibus per symbola quædam & ænigmata futura monstrantur, sagaci mente cernebat*. De Rege Latino ad Lucum Fauni, Virgilius lib. 7. *Æneid.* vers. 89. canit, Somnii finitio.

Multa modis simulacra videt volitantia miris.

Videt non sopitus, meroque demersus ad orcum, tales namque ait Virgilius *lib.* 10. vers. 642.

—— sopitos deludunt somnia sensus.

Philo hominem vocat *somniorum ludum*: Petronius Arbit. in *Satyr.*

Nocte soporifera, veluti cum somnia ludunt,
Errantes oculos.

Sic fiunt insomnia, quæ post somnium, inquit Macrobius, *nullam sui utilitatem, vel significationem relinquunt*. Terrent tantummodo suspensos animos, Insomnia terrent.

Anna soror, quæ me suspensam insomnia terrent?

Sed a Deo immissum, quia novimus somnium, Regis culpa abolitum, occultumque Satanæ, qui Ariolis illud revelare non potuit, attendamus oraculum; nam qui

paulo ante per cornua Regna divinavimus, ab eisdem forsan veritas erumpet; inquit enim Tertullianus: *Homerus duas portas divisit somniis, Corneam veritatis, fallaciæ Eburneam. Respicere est enim, inquiunt, per cornu; ebur autem cæcum est;* desumsit autem istud ex Homero Plato in *Charmide*, & Virgil. l. 6. *Æneid.* ex quorum oraculis Lactantius lib. *de Opificio Dei* c. 18. ait, *Somnia neque vera semper sunt neque semper falsa, Virgilio teste, qui duas portas voluit esse somniorum. Sed quæ falsa sunt, dormiendi causa videntur, quæ vera immittuntur a Deo: ut imminens bonum, aut malum hac revelatione dicamus.*

Somniorum portæ.

Vera somnia a Deo.

CXXVIII. Sancti Spiritus adveniente Numine, recitemus sacri contextus verba, *Dan.* cap. 2. v. 1. *In Anno secundo Regni Nabuchodonosor vidit somnium, & conterritus est spiritus ejus, & somnium ejus* FUGIT AB EO. Tempora non cohærent; ideo Pererius annum hunc XXVII. putat: Cornelius a Lapide illum arguit, & XXXV. reponit, transmigrationis Joachim XXVII. utrumque Hebræi oppugnant, & hunc annum a capto Sedecia secundum demonstrant; ita R. Abraham & R. Moses: etenim anno septimo interfecto Joachimo regnavit Sedecias, qui anno undecimo Regni cervices dedit; fuitque anno XIIX. auctore Hieremia interregnum, regnavitque pro Hebræis Nabuchodonosor, sic anno secundo ab interfecto Rege, XX. a principatu Nabuchodonosoris emersit somnium, R. autem Saadias ab interfecto Joachimo anno secundo, qui fuit Regis IX. somnium auspicatur; sed errat; non enim Judæorum Regnum Nabuchodonosor tenuit, sed Principi Sedeciæ tradidit; ideo æram hinc sumere absurdum censeo. Maldonatus tricas nectit, dicens, vera & expedita sententia est illa, quam Hieronymus & Auctores Latini adhibent; inter Hebræos vero Aben Ezra; notari hinc annum secundum, non Regni Nabuchodonosoris in Chaldæa, sed Monarchiæ, quam Judæis, Ægyptiis, Assyriis, Moabitis superatis obtinuit. Id ex Josepho confirmatur; etenim lib. 10. *Antiq.* cap. 2. scribit, Nabuchodonosorem duobus annis post Ægypti devastationem hoc somnium habuisse: hunc sequitur Cornelius a Lapide, & Pererius ejusdem vestigia premit. Quæso doceant, quo anno Assyrios vicit? quo Moabitas? quo Judæam? cur a devicta Ægypto anni computus, & non potius ab Assyriorum jugo? Deinde æram Daniel Hebræus potius a morte Sedeciæ designare debebat; quia ex tunc Regnum Judæorum tenuit; nec Ægyptus Chaldæum Monarcham extulit, potentissimum antea, & Regum Principem. Ideo secunda probabilior sententia, eamque amplector.

Quo anno Nabuchodonosor vidit somnium.

Anno secundo interfecti Sedeciæ Regis.

CXXIX. *Vidit somnium.* Ex Macrobio somnii finitionem dedimus: apud Tertullianum, Stoici somnum *resolutionem sensualis vigoris* affirmant; Epicurei *diminutionem spiritus animalis*; (De quibus videndus Plutarchus lib. 5. *de placitis Philos.* cap. 24.) Anaxagoras cum Xenophane *defetiscentiam*, Empedocles & Parmenides *refrigerationem*; Strato *segregationem consati spiritus*; Democritus *indigentiam spiritus*; Aristoteles *marcorem circumcordialis caloris*, vel, ut penes Plutarchum, *concursum quemdam caloris ad interiores partes cordis*; sit ut sit, inquit Tertullianus cap. 47. *de Anima*; *Nabuchodonosor divinitus somniat, & major pene vis hominum ex Visionibus Deum discunt*, & antea *Job.* cap. 15. vers. 16. & *Numerorum* in libro cap. 12. vers. 6. Pharaonem proponit Divus Hieronymus, & Eusebius Constantinum, qui somniando & Crucem & Deum agnovit.

Somni definitio.

Dormientes Deum vident.

Et conterritus est spiritus ejus. Monstra stuporem inducunt, ac pavorem quam sæpissime concitant; de Turno dormiente Virgilius lib. 7. *Æneid.* vers. 458.

Olli somnum ingens rupit pavor, ossaque & artus
Perfudit toto proruptus corpore sudor.

Papinius Statius lib. 2. *Theb.*

Illi rupta quies attollit membra, toroque
Erigitur plenus monstris.

Hinc somniorum expiatio ob nocturna somniantis terriculamenta; occinitque Poppæa in *Octavia* Senecæ, & votis delubra petit;

Somnia expiata.

Delubra & aras petere constitui sacras,
Cæsis litare victimis numen deum:
Ut expientur noctis & SOMNI MINAE.
Terrorque in hostes redeat attonitus meos

Morem vide apud Apollonium in Circe; enarratque Cælius *lib. 27. cap. 17.* ex Sophocle, Æschylo, & Persio: Hero apud Ovidium in *Epist.*

Nec minus hesternæ confundor imagine noctis,
Quamvis est sacris illa piata meis.

Ideo *somnium ejus fugit ab eo*; convocatisque Magis & Ariolis inquit, *Et mente confusus ignoro quid viderim.* Ita D. Prudentius in *Hymno ante somnum*:

Mens æstuans procellis,
Curisque sauciata,
Totis bibit medullis
Obliviale poculum.
Serpit per omne corpus
Lethæa vis, nec ullum
Miseris doloris ægri
Patitur manere sensum.

Obliviale poculum.

CXXX. Accedit tandem Daniel, Ariolis, Magis, Maleficis, Chaldæisque in malam crucem damnatis, ac plenus Numine somnium enarrat & interpretatur. Statuam namque ingentis formæ, Colossi instar, cujus intuitus erat terribilis, vidisse proponit, & verum, Regis confessione, profitetur: *Tu Rex videbas, & ecce quasi statua una grandis stabat contra te, & intuitus ejus erat terribilis. Hujus statuæ caput ex auro optimo erat; pectus autem & brachia de argento; porro venter & femora ex ære; tibiæ autem ferreæ; pedum quædam pars erat ferrea, pars autem fictilis;* describit, expenditque hanc portentosam molem Glossa Interlinearis. Tu Rex es caput aureum. Primum Regnum Babylonicum auro pretiosissimo comparatur: Argenteum Medorum atque Persarum, priore minus: Æreum Regnum Græco-

Vidit Rex statuam grandem.

rum: Ferreum Romanorum, quod conterit & domat omnia, tandem domatur, usque adeo Glossa, *Tu Rex Regum es caput aureum*. Non divitias computat, sed Regni primatum, etenim Daniel *cap.* 4. *v.* 19. ait: *Tu Rex magnificatus es, & magnitudo tua pervenit usque ad cœlos, & potestas tua ad terminos universæ terræ*: & *Abacuc* cap. 1. v. 10. *Ipse de Regibus triumphabit*. Hieremias *cap.* 27. *Servient ei gentes multæ & Reges magni*. De cujus Regni magnitudine videndus Megasthenes lib. 4. *de rebus Indicis*, Berosus, & Josephus in *Antiquitatibus Judaicis*. Addamus in auro sapientiam, quia primi cœlorum inspectores sapientissimi recensentur Chaldæi, & pluribus Ammianus Marcellinus hoc ipsum perhibet: D. Hieronymus *in Dan.* ait: *Magos Philosophos fuisse Chaldæorum, & ad artis eorum scientiam Reges & Principes ejusdem gentis omnia facere*; sic Magiam prævaluisse scribit Plinius *lib.* 30. *cap.* 1. *ut in Oriente Regum Regibus imperet*. Ipsos autem Reges Magorum sacris initiatos tradit Tullius *l.* 2. *de Divinatione*; & Claudianus lib. 1. *de Laudibus Stilichonis* occinit,

Regnum Assyriorum aureum.

Chaldæorum sapientia & Magia.

—— rituque juvencos
Chaldæo stravere Magi.

Hinc Isaias *cap.* 47. *v.* 5. Babyloniam vocat *Dominam Regnorum*, & Rex ipsius a Daniele *Rex Regum* nuncupatur.

Cur caput datur Assyriis.

CXXXI. Cur caput tribuitur Babyloniæ Regi? An quia Ninus primus Assyriorum Rex arma intulit? ita Trogus Pompejus, & ex eo Justinus: *Hic primus intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad resistendum populos ad terminos usque Libyæ perdomuit*. Et post pauca: *Ninus magnitudinem quæsitæ dominationis continua possessione firmavit; domitis igitur proximis, cum accessione virium fortior ad alios transiret, & proxima quæque victoria instrumentum sequentis esset, totius Orientis populos subegit*. Duravit hoc Regnum, si Eusebium sequimur, MCCXL. annos: Diodorus Siculus illud extendit usque ad annos MCCCXL. probatque ex Ctesia: D. Augustinus *l.* 4. *C. D.* Eusebii tenet computum, sed *lib* 18. *cap.* 21. incipiens numerare a Belo computat ann. MCCCV. post Diluvium, (ut inquit *c.* 22.) an. M. *Ninus Asiam totam excepta India subjugavit*. Minuit Justinus MCCLXXX. Vives ait Diodorum triginta Reges signasse, at Eusebius a Nino usque ad Sardanapalum triginta sex enumerat; Vellejus Paterculus XXXIII.

Eorum Regni duratio & numerus.

Argentum symbolum Medorum ac Persarum Regni.

CXXXII. Sequitur *argentum*, Regni Medorum atque Persarum Symbolum. *Post te consurget aliud Regnum minus te*. Designatur per duo brachia, Medos & Persas complectens; argenteum putat dictum Cornelius a Lapide, quia apud Pererium invenit Plinium *lib.* 33. *cap.* 3. scribentem: „Cyrus devicta Asia pondo auri viginti „quatuor millia invenit, præter vota au„rea, aurumque factum, & in eo folia, „platanum, vitemque. Qua victoria AR„GENTI quinque millia talentorum re„portavit: & insuper craterem Semirami„dis, cujus pondus quindecim talenta „Ægyptia colligebat: Talentum autem „Ægyptium pondo octoginta capere Var-

A „ro tradit. Argentum vero ad computum redactum *trecentos milliones* conflat; ab hoc argento, argenteum dictum putat Regnum: non equidem; sed sicut argentum minoris existimationis est auro, ita Regnum Persarum Chaldæorum minus Regno censetur. Ita Glossa, Theodoretus & Hieronymus; Maldonatus illud *minus* interpretatur *inferius tempore*; nec male. Rustica noster minus sapientia, & superstitiosa gentium religione. Etenim a Chaldæis ignis cœpit in orbe cultus, in eoque sapientiæ primordia; ut ex Magicis
B Zoroastri oraculis & Psello compertum est: enimvero, etsi Xenophon Cyropædiam instituit; non Cyri virtutem exhibuit, sed sub illius nomine Principem erudire contendit; hic namque, teste Theodoreto, ex utraque gente inclytum genus duxit, paternum quidem quasi brachium dextrum a Persis; lævum, maternumque a Medis. Addo ex Platone in *Timæo*, metallis planetarum nomina adscripta, ut Agricola, Georgius Venetus, & obvii quamplures alii Chemicæ artis Professores, *Argentum*
C *Lunæ* tribuitur. Unde Curtius *lib.* 4. in Lunæ deliquio milites Alexandri obstupuisse scribit, sed Ægyptios Vates docuisse illos: *Solem Græcorum, Lunam esse Persarum, quotiens deficeret, ruinam stragemque illis gentibus portendi, veteraque exempla recensuerunt Persidis Regum, quos aversis diis pugnasse, Lunæ ostendisset defectio*; quod Herodotus *l.* 7. edixit, quis scit, an ideo argenteum Vates indigitavit Regnum? equidem Babyloniam in columba alibi Propheta expressit, Regni illius insigne: & in aqua turbida Nilum, Ægy-
D ptumque.

Argentum Lunæ tribuitur.

Lunæ cultus apud Ægyptios.

CXXXIII. *Et Regnum tertium aliud Æreum, quod imperabit universæ terræ*, inquit Divus Hieronymus, *Alexandrum significat, & Regnum Macedonum, successorumque Alexandri*; in duratione præstat aurum, quia non sentit æruginem, nec scoriam gignit: post aurum duratione pollet argentum, nigrorem tamen generat, hebetudineque nigrescit; æs tandem torquetur ærugine, & parum durat. Vidimus Alexandrum anno XX. ætatis suæ regnasse adolescentem, XIII. annorum spatio to-
E tum vicisse Orbem usque ad Indos, & tamen anno XXXIII. extinctus est, ejusque successores parum imperasse novimus: de Macedonia regnante scribit Plinius *lib* 4. *c.* 10. „Hæc est Macedonia TERRARUM „IMPERIO potita quondam: hæc A„siam, Armeniam, Iberiam, Albaniam, „Cappadociam, Syriam, Ægyptum, „Taurum, Caucasum transgressa: hæc in „Bactris, Medis, Persis dominata, toto „Oriente possesso: hæc etiam Indiæ vi„ctrix per vestigia Liberi Patris atque „Herculis vagata, &c. De istorum adhuc
F Regnorum profectu & tempore edisserit D. Augustinus lib. 4. *C. D.* cap. 7. ubi increpat asserentes deorum nutu veterum Regna cultuque stetisse, inquit enim: „Si „nullo deorum adjutorio tam magnum „hoc Regnum & prolixum fuit, quare „diis Romanis tribuitur Romanum Re„gnum locis amplum temporibusque diu„turnum? Quæcumque enim causa est il„la, eadem etiam est ista. Si autem &

Æs symbolum Regni Macedonum & Alexandri.

Regnorum transitus ac duratio juxta Dei nutum.

A „ illud deorum adjutorio tribuendum esse „ contendunt, quæro, quorum? Non „ enim aliæ gentes, quas Ninus domuit & „ subegit, alios tunc colebant deos: aut „ si proprios habuerunt Assyrii, quasi peri- „ tiores fabros Imperii construendi atque „ servandi, nunquid jam mortui sunt, „ quando & ipsi Imperium perdiderunt? „ Aut mercede non sibi reddita, vel alia „ promissa majore, ad Medos transire ma- „ luerunt; atque inde rursus ad Persas, Cy- „ ro invitante, & aliud commodius polli- „ cente? Quæ gens non angustis Orientis B „ finibus post Alexandri Macedonis Re- „ gnum magnum locis, sed brevissimum „ tempore, in suo Regno adhuc usque „ perdurat. Hoc si ita est, aut infideles „ dii sunt, qui suos deserunt, & ad hostes „ transeunt, &c. Hactenus ille; ex quo didicimus, Regnorum transitum duratio- nemque deo auctore compertam, & bre- vissimum Alexandri Imperium, ut Vives computat, paucis suffultum annis; etenim Regnum Persarum a Cyro ad Alexan- drum Philippi filium per CCXXX. annos stetit; Alexander imperavit toti Asiæ VI. C annos: successores ejus Macedoni genti, usque Seleucum & Antiochum fratres; id est, ab Olympiade CXIV. ad Olympiadem CXXXIII. quo tempore Arsaces ignobili ge- nere vir, sed impiger & acer, discordia fra- trum Regum fretus, Regnum vi sibi suis- que asseruit, unde Parthorum Regnum exortum, quod mansit usque ad Alexan- drum Severum Imperatorem, quo imperan- te Xerxes Persa Regnum Parthis ademit, & Persico nomini restituit. Usquemodo il- le; sed non absque nubecula erroris.

Ferrum symbolum Regni Romanorum.

D CXXXIV. *Et Regnum quartum erit ve- luti ferrum*. Habes Romanorum Regnum ferro durissimo comparatum, domans cun- cta orbis terrarum regna; unde Lyranus ait: „ Regnum Romanorum subjugavit „ omnia regna prædicta: Romani namque „ totum Orbem devicerunt, propter sa- „ pientiam, exercitium armorum, & bo- „ num regimen. Omnem enim hominem „ undecunque veniret ad eos honorave- „ runt, secundum valorem suum sive in mi- „ litia sive in scientia, sive in arte mecha- „ nica, vel quacunque excellentia alia. Hæc E ille rudi calamo & vago. Animadverto, ventrem Alexandro, tibias Romanis assi- gnasse: symbolum helluonis in illo, susten- tantis in isto prætulit. Alexander namque, ut devorabat in cœnis, teste Curtio *l.* 5. ita in præliis; sed Romani cuncta prædecesso- rum regna sustentabant ferro; Theodore- tus inquit: *De Romanorum Regno loqui- tur, quod robustissimum fuit; omnesque na- tiones superavit, & ab omnibus tributum exe- git: ipsi tibias assignavit, utpote quæ ad fi- nes totius corporis sitæ totum etiam corpus ferre valeant*.

Portat cuncta orbis terrarum Regna.

F Ferri fortitudinem domantis omnia at- tendamus; Horatius l. 4. *Carm.* od. 14. ad Augustum:

—— Barbarorum Claudius agmina
Ferrata vasto diruit impetu,
Primosque & extremos metendo
Stravit humum sine clade victor.
Te Cantaber non ante domabilis,
Medusque, & Indus, te profugus Scithes;
Te, fontium qui celat originem,
Nilusque, & Ister, te rapidus Tigris,
Te belluosus qui remotis
Obstrepit Oceanus Britannis:
Te non paventis funera Galliæ,
Duræque tellus audit Iberiæ;
Te cæde gaudentes Sicambri
Compositis VENERANTUR *armis*.

Prudentius *adversus Symmachum* scriben- tem, victorias Urbi peperisse numina, au- dacter demonstrat, ferro indomabili trium- phasse Romam, idque opima in vertice Capitolii ostentare spolia, Heroumque tro- phæa adhuc spirantia robur:

Romani ferro domarunt omnia.

Non fero Romanum nomen, SUDATA- QUE BELLA,
Et titulos tanto quæsitos sanguine carpi.
Detrahit invictis legionibus, & sua Romæ
*Præmia diminuit, qui quicquid fortius **
actum est
Adscribit Veneri, palmam victoribus au- fert.
Frustra igitur CURRUS *summo mi- ramur in arcu*
Quadrijugos, stantesque Duces in curri- bus altis
Fabricios, Curios, hinc Drusos, inde Ca- millos,
Sub pedibusque Ducum CAPTIVOS POPLITE FLEXO
Ad juga depressos, manibusque in terga retortis,
Et suspensa gravi telorum fragmina trun- co.

Ad hæc D. Augustinus lib. 18. *C. D.* cap. 22. recensita Assyriorum Monarchia sub- jungit: „ Roma tot gentes & Orientis & „ Occidentis, quas Imperio Romano sub- „ ditas cernimus, non ea celeritate & faci- „ litate perdomuit, quoniam paulatim cre- „ scendo robustas eas & bellicosas invenit. „ Erant enim populi validi & fortes, & ar- „ mis gentes exercitatæ, quæ non facile „ cederent, & quas opus esset ingentibus „ periculis & vastatione utrinque non par- „ va atque horrendo labore superari. Ideo ferri specimen ostentabat Romanorum Regnum, quo cuncta laboriosissimo nego- tio domaret, & tantorum pondera Regno- rum sufferret.

Vis Romanorum.

CXXXV. Sed quia Auri, Argenti, Æris, Ferrique meminit, an priora de- scripsit sæcula? Aratus & Hesiodus conci- nere illa, tandem Ovidius,

Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullo
Sponte sua, sine lege fidem rectumque co- lebat.

Similiter Cornelius Severus in *Ætna*, Vir- gilius in *Eclogis*, & Plato:

Prima sæcula in auro, argento, ære, & ferro hinc desumta.

Postquam Saturno tenebrosa in tartara misso
Sub Jove Mundus erat, subiitque argen- tea proles
Auro deterior, fulvo pretiosior ære.

De hac ætate & argento disputat Bernar- dus Martinius l. 1. c. 8. *Variarum Lectio- num*, a Virgilio l. 8. *Æneidos* nuncupa- tur *decolor ætas*. *Argentum invenit Erich- thonius*, inquit Plinius *lib.* 7. *cap.* 56. *ut*

* Leg. *fortiter*.

alii, *Æacus*, Meminit insuper æris, quod *conflare & temperare* Aristoteles scribit Lydum Scythen monstrasse: Theophrastus Delam Phrygem putat. Ærariam fabricam, alii Chalybas, alii Cyclopas; tunc cœpit sulcata tellus fruges proscissa reddere, & segetes aratro lætari:

Tertia post illam successit abenea proles,
Sævior ingeniis, & ad horrida promtior arma.

Tandem:

—— de duro ultima FERRO
Protinus irrupit.

Ad hæc Pontanus Scholiastes subscripsit: Narratio ista de quatuor ætatibus, & metamorphosi morum atque rerum a melioribus in pejora, quatuor metallorum comparatione declarata, ex historia Danielis emanasse creditur; de statua inquam Regi Nabuchodonosori per quietem oblata, in qua prima Monarchia per aurum, secunda per argentum, tertia per æs, quarta per ferrum exhibetur, Assyriorum, Medorum, Macedonum, & Romanorum. Hæc ille.

Ferrum erutum ad clades orbis terrarum.

CXXXVI. Sed ferrum Romanos demonstrat, dura insuper illorum bella & triumphos. Seneca in *Octavia* eleganter occinit:

Deterior ætas eruit ferrum grave,
Aurumque sævas mox & armavit manus.
Partita fines Regna constituit; novas
Exstruxit urbes: tecta defendit suis
Aliena telis: aut petit, prædæ imminens.

Per Chalybes, inquit Ammianus Marcellinus, *erutum ac domitum primitus ferrum est*; Cælius *lib.* 8. *cap.* 5. Theodorum Samium omnium primum ferri fundendi excogitasse rationem scribit, ac inde STATUAS conflasse; quarum meminit Diodorus, qui *Bibliotheces* l.17. Dactylos Idæos ferrum primo excudere adortos scribit, ab deorum matre artem edoctos ejusmodi. Herodotus primam inventionem apud Plinium in Creta demonstrat. Gens Norica, teste Clemente Alexandrino lib. *Strom.* ferri purgandi artem excogitavit; Plinius *lib.*7. *cap.* 56. *Fabricam ferrariam invenere Cyclopes*; Cassiodorus lib. 1. *Var.* ait Pugnam dictam, quod principio pugnis homines conflixerint, postea a Belo gladium ferreum inventum, & inde *bellum* nuncupatum: at sanctæ Bibliorum paginæ *Gen.* cap. 4. v. 22. *Sella genuit Tubalcain, qui fuit malleator, & faber in cuncta opera æris & ferri*; imo qui ante orbis eluviem idololatriam agnoscunt, ab hoc simulacra ferrea & idola exorta perhibent; hinc arma & enses, de quibus Tibullus *lib.* 1. *eleg.* 10.

Idola ex ferro.

Quis fuit horrendos primus qui protulit enses?
Quam ferus & vere ferreus ille fuit?
Tunc cædes hominum, generi tunc prælia nata,
Tunc brevior diræ mortis aperta via est.

A Ab Ovidio *nocens ferrum* dicitur; Chemicam profitentes, ait Pierius, & Agricola, *ferrum Marti* adscribunt; & Romæ convenit Martis filiæ.

CXXXVII. Igitur per tibias ferreas Romam intellexit Vates & Romanorum *Regnum ferreum* dixit. *Quo modo ferrum comminuit & domat omnia, sic comminuet & conteret omnia*. Nationes, quas subegit Roma, recensent Messala Corvinus, Florus, Sextus Aurelius Victor, Plutarchus *de fort. P. R.* & breviter Polybius *lib.* 1. *Romani non aliquam Orbis partem, sed universum fere Orbem subjugarunt*, tantum ferri robur invaluit, ut cuncta retro Principum regna domaret. Unde Theodoretus inquit: *Materiæ differentiam apposuit non ut honoris, sed ut virium discrimen ostenderet: aurum enim densius est argento; argento æs solidius; ferrum vero ipso ære robustius*. Fortasse ad rem Seneca: *Video ferrum ex isdem tenebris esse prolatum, quibus aurum & argentum, ne aut instrumentum in cædes mutuas deesset, aut pretium*. Et *ep.*94. *Propter aurum & argentum unquam pacem agit ferrum*. Dicamus, propter Regna prædicta in auro & argento bella semper gessisse Romanos.

Romani tanquam ferrum cuncta domant.

B

C

CXXXVIII. Sed heu mortalia cuncta pereunt! Æternam qui dixit Urbem, obrutam nunc lugeat; cecidit, periit, evanuit; *Et digitos pedum ex parte ferreos, & ex parte fictiles: ex parte Regnum erit solidum, & ex parte contritum*; ad hæc Hugo Carensis inquit: *Tempore Cæsaris & Pompeii Regnum fuit divisum, & Pompejus habuit partes Orientales, Julius Occidentales*, Lyranus divisum putat in Constantinopolitanum & Romanum; vel quia principalis Imperator assumebat sibi socium in administratione Imperii, ut Diocletianus & Maximianus. Ad rem D. Hieronymus: „Pedes ejus & digiti ex parte ferrei, & ex „parte sunt fictiles, quod hoc tempore „manifestissime comprobatur; sicut enim „in principio nihil Romano Imperio for„tius & durius fuit, ita in fine rerum ni„hil imbecillius: quando & in BELLIS „CIVILIBUS, & adversum diversas na„tiones aliarum gentium barbararum indi„gemus auxilio. Tantæ molis portentum Roma dissentiendo corruit: ferrum per testam exterminium a seditionibus patitur; audi Horatium contra Brutum Cassium od. 7. *Epod.*

Terra symbolum Urbis discissæ.

D

Bellum Civile exitium Romæ.

E

Quo, quo scelesti ruitis? aut cur dextris
Aptantur enses conditi?
Parum-ne campis, atque Neptuno super
Fusum est Latini sanguinis?
Non ut superbas invidæ Carthaginis
Romanus arces ureret,
Intactus aut Britannus ut descenderet
Sacra catenatus via.
Sed ut secundum vota Parthorum, sua
URBS HAEC PERIRET DEXTERA.

F

Equidem Tullius *lib.*4. *ep. ad M. Marcellum*: *Omnia sunt misera in bellis civilibus* & in 8. *Philip.* eadem detestatur; denuo Horatius od.16. *Epod.*

Altera jam teritur bellis civilibus ætas,
Suis & ipsa Roma viribus RUIT.

Roma ruit.

Cur

Cur non? idem Julius Cæsar lib. 2. *Belli Civil.* cap. 6. fatetur: *Omnia divina & humana jura permiſcentur*. Cæterum vi de Salluſtium *in Catilinam*.

Habes igitur in ferro Romam domantem omnia, ſed quia permixtam habet humum, ſuomet pondere ruit.

CAP. XII.

Romuli Remique parentum ſeries a Troja exſtructa & collapſa, uſque ad Priamum & Argonautas; quorum hiſtoria & Artis Chemicæ ſymbola expenduntur; annorumque ratio Chronologica adnotatur.

CXXXIX. AB Ilienſibus Romuli Remique atavis Regibus ſeriem hanc traducere, eorumque patribus, præſtantiſſima operis ratio exigit. Et ut rerum exordia aſſequamur, Homerum, quem poſt Calliſthenem & Anaxarchum * Alexander emendavit, tanquam Helicem Cynoſuramque ſequimur. Enimvero Plato lib. 3. *de Legibus* ex Homero conjicit, poſt communem Orbis eluviem, tres vitæ degendæ formas exſtitiſſe. [Poſt diluvium tres formæ degendi primorum hominum.] Primam in ſummis montium ſimplicem & agreſtem, metuentibus uſque adeo aquam hominibus, campos fere adhuc tegentem: Alteram ad montium radicem, paulatim deſcendentibus illis, cum campi reſiccari cœpiſſent: Tertiam in planis & campeſtribus; hæc proinde diſcrimina recenſet Strabo lib. 13. *Geog.* ex Platone & Homero, qui cumprimis Cyclopas advocat in *Odyſſea* lib. 9. verſ. 111. [Cyclopes habitant antra.]

Τοῖσιν δ' οὔτ' ἀγοραὶ βουληφόροι, οὔτε θέμιστες.
Ἀλλ' οἵγ' ὑψηλῶν ὀρέων ναίουσι κάρηνα
Ἐν σπέσι γλαφυροῖσι.
Cura non illis, legesve, aut dictio juris;
Sed celſos habitant montes glabraſque cavernas
Summis verticibus.

Poſtmodum *urbem Dardanidam* profert, a Dardano exſtructam, Ilionemque ubi Troja primum tunc cœpit,

† *In mediis campis Ili ad priſci monumentum*
Dardanidæ Atrides palantes Troas agebat.

Et *Iliad.* lib. 20. verſ. 216.

Κτίσσε δὲ Δαρδανίην, ἐπεὶ οὔπω Ἴλιος ἱρὴ
Ἐν πεδίῳ πεπόλιστο πόλις μερόπων,
Ἀλλ' ἔθ' ὑπωρείας ᾤκεον πολυπιδάκου Ἴδης.
Urbem Dardaniam qui condidit, Ilios illo
Tempore cum nondum campis urbs ſacra fuiſſet [Ilii ſitus.]
Conſtructa in planis; ſed adhuc radicibus imis
Idæ Dardana gens habitaret montis aquoſi.

*Forſitan, *Ariſtarchum*. † Vid. *Iliad.* lib. XI. ℣. 166.

CXL. A Dardano Romuleorum cœpiſſe genus teſtatur Valerius Meſſala ad Octavium Auguſtum: „ In Aſia minori „ eſt Phrygia, Regio ſic dicta a Phrygia „ Æſopi & Europæ filia; & ut alii tra„dunt ex Jove & Europa nata: ſic Dar„danum Jove & Electra Atlantis filia „ progenitum deorum monitu ab Italia, „ vel a Creta ad hanc Phrygiam deveniſſe „ ferunt, urbem condidiſſe, eamque ex „ ſe Dardaniam nuncupaſſe: Dardanus „ habuit filium Erichthonium, quem „ poſt ſui obitum regnantem reliquit: E„richthonius Troum genuit, qui juſtitia „ & pietate inſignis, mutato Dardaniæ „ nomine, ex ſe urbem Trojam nominari „ permiſit, hinc Trojanum nomen ortum. [Dardani migratio, & urbs condita.] Cecinit idipſum Ovidius lib. 4. *Faſtorum* verſ. 31.

Dardanon Electra, quis neſcit Atlantide natum,
Scilicet Electram concubuiſſe Jovi?
Hujus Erichthonius, Tros eſt generatus ab illo.

Virgilius quoque lib. 7. *Æneidos* verſ. 219.

Ab Jove principium generis, Jove Dardana pubes
Gaudet avo.

CXLI. Dardani in Phrygiam adventus accidit, Euſebio & Tatiano teſtibus apud Sethum, ann. O. C. MMCDLXXI. ante Chriſtum natum ann. MCDLXXVII. exitus ab Ægypto anno XXVIII. quo tempore ædificabatur Apollinis Delii templum ab Erichthone Cecropis filio, ut ſcribit Cedrenus: nec non Epaphus Jovis filius imperans in Ægypto condebat Memphim: tum forte Erichthonius Athenienſium Rex quartus Vulcani filius, qui Amphictyoni ſucceſſerat ann. MMCDLVII. imperabat: quia teſte Euſebio annos L. regnavit: Argivos regebat Steneleus * Rex nonus, qui Regnum obtinuit poſt Cotropi * Regis obitum, ut Africanus recenſet: Amynthes Aſſyriorum Rex XVIII. poſt Aſcatadem regnabat; Arcas filius Jovis & Caliſto, Pelaſgis ſubactis, Arcadiæ Regno nomen & jura dabat: Ægyptus, quæ antea Aeria nuncupabatur, ab Ægypto denominata, novum genus potentiæ præferebat: Sicyoniorum Erichitreo Rege XV. regnante vero in Creta Aptera: quo tempore Latona Apollinem & Dianam edidit, & Dionyſius a Semacho Attico exceptus hoſpitio, filiabus ejus Bacchanalia ritumque colendi Bacchum oſtendit; Dardanus urbem inſtituit Dardaniam, unde Troja, & tandem Urbs Roma orta eſt. [Anni recenſentur.] [Bacchanalia.] [Ex Dardania & Troja & Urbs Roma.]

CXLII. Diximus juxta Sethum ann. O. C. MMCDLXXI. alii aliter ſupputant; Genebrardus æram offert diverſam, annum ſcilicet MMDCLIII. temporibus Booz Iſraelitarum Principis. Salianus anno MMDLXXVI. a diluvio CMXX. exitus ab Ægypto XXXIII. Imperii Aſſyriorum DCXLV. Turſellinus longe poſt tempus indigitat. Ruſtica noſter in Lectionibus ſuper Exodum, ſtatim poſt Joſuæ obitum urbem Dardaniam auſpicatur. Antonius Caracciolus, eruditæ notæ Auctor ingenuus, non longe ab ingreſſu filiorum Iſrael. [Tempus Dardaniæ urbis Scriptores variant.]

* Leg. *Sthenelas* & *Crotopi*. Vid. Pauſan. in *Corinth.* cap. 16.

Quod scio, fere omnes tum Veteres cum Recentiores Eusebium sequuntur, qui sub Constantino Magno, magna librorum copia, temporum æras edidit; Eusebius ergo, cujus computum amplector, signat urbem a Dardano conditam ann. ab Abrahamo DXL. circa tempora mortis Moysis; & LXX. Interpretes ab Orbe condito computant annos MMMDCCXXX. Variat alter computus, vel quia in illis Librarii multiplicatos signarunt numeros. Vel altera Hebræorum lectio signatos non collegit calculos; qua in concordia egregiam navarunt operam Sixtus Senensis, Scaliger, cæterique quamplures, & præcipue Contius in Chronologia Beati Nicephori Episcopi.

Annorum discrepantia inter Hebræos & LXX Interpretes.

Dardani parentes.

CXLIII. Dardani mater una fuit ex Hyadibus, quæ, ut Aratus occinit, in Tauro apparent; Pherecydes Atheniensis olim *Dodonidas* dictas fuisse scribit, & Liberi Nutrices; Musæus quindecim enumerat ex Atlante & Platone Oceani filias, quarum quinque Hyadas appellatas demonstrat interiisse ob mœrorem Hyadis fratris a leone interfecti. Reliquæ cum mortem sibi consciscent Plejadæ dictæ sunt. Ex istis septem, sex inter astra collucent, latet septima; enim vero inquit Hyginus lib. 2. *Poet. Astron.* tres cum Jove, duæ cum Neptuno, una cum Marte concubuerunt; reliqua autem Sisyphi uxor demonstratur; ideo obscura latet. Quare ex Electra & Jove Dardanum, ex Maja Mercurium, ex Taygete Lacedæmona procreatum, ex Alcyone autem & Neptuno Hyrea, ex Celæno Lycum & Nyctea natum: Martem autem ex Asterope Oenomaum procreasse. Earum parens Atlas, occinitque Virgilius, & antea Aratus,

Hyades.

Taygete suavis, nigris Electraque ocellis,
Alcyone, Asterope, pariter divina Celæno,
Et Maja, & Merope, genuit quas splendidus Atlas.

Earum numerus.

De numero earum dispar est apud Auctores ratio: nam Thales Milesius duas tantum esse putavit; quarum altera Borealis, altera Australis; Euripides in *Phaethonte* tres; Achæus quatuor; Pherecydes sex; Myrtillus, apud Germanicum Cæsarem, quinque, easque Cadmi filias; Asclepiades, penes Julium Hyginum, septem. Sed nostra Electra abscondita dum Dardanidam plorat Trojam non apparet, etenim ait Germanicus Cæsar: *In signo Tauri frons & facies Hyades vocantur.* Hyginus addit: ,, Dicunt Electram non apparere, ideo quod Plejades existimentur ,, choream ducere stellis: sed postquam ,, Troja fuit capta, & progenies ejus, quæ ,, a Dardano fuerit, sit eversa, dolore ,, permotam, ab his se removisse, & in ,, Circulo, qui Arcticus dicitur, constitisse; ex quo tam longo tempore lamen- ,, tantem capillo sparso videri. Itaque e ,, facto COMETEM esse appellatam.

Electra non apparet.

Allegoria illarum.

CXLIV. Sed relinquamus fabulas, quæ allegoriis indigent; dicitur Dardanus filius Jovis, quia Rex potentissimus, ab Electra genus ducit, Cœli favore suffultus: faciem Tauri illustrat, videlicet amorum facinora; Taurus namque hic, dicit Euripides, Europam in templo Æsculapii colligentem flores rapuit, devexitque ad Jovem in Insulam Cretam; Eratosthenes dicit, hunc esse, qui coivit cum Pasiphae, cujus priores partes apparent, reliquum corpus non apparet propter fœmineum sexum: ita etiam Germanicus *in Aratum*. Amoris igitur portenta effingunt Principes, & scorta illudunt; quandoquidem Cœlo auspice talia audent; Dardani parentes offert Lactantius Firmianus lib. 1. *de falsa Relig.* cap. 23. ex Theophilo in libro *de temporibus ad Autolycum*, & hic ex Thale vetustissimo Scriptore: ,, Tradunt Dardanum & Jasium Coryti ,, filios fuisse, non Jovis, nec enim si ita ,, fuisset, ad usus impudicos Ganymedem ,, pronepotem suum habere potuisset. Hæc ultima ratio quandoque inter Principes fallit; Amnon namque sororem suam Thamar defloravit; Absalom, Rubenus alter recentior, uxores patris sui constupavit; Semiramis una cum filio concubuit; & Cæsarum progenies infanda peregit, usque ad Neronem, qui matrem contrectare non erubuit.

Taurus in Cœlo.

Principum libido.

CXLV. Dardanus itaque urbem construxit Dardanidam, quam una cum Teucro tenuit; hoc defuncto ipse Rex solus regnavit; votum Veneris, juxta Jovis oracula, hinc auspicatur Orbis Imperium, ait namque de Trojanis lib. 1. *Æneid.* vers 236.

Dardanus post Teucrum regnat.

—— quibus tot funera passis
Cunctus ob Italiam terrarum clauditur Orbis.
Certe hinc Romanos olim volventibus annis
Hinc fore ductores, revocato a sanguine Teucri,
Qui mare, qui terras omni ditione tenerent,
Pollicitus.

Macrobius lib. 3. *Sat.* cap. 2. hunc locum totum a Nævio sumtum ex lib. 1. *Bel. Pun.* ostendit. Præscribit deinde Dardani Regnum Genebrardus An. O. C. MMDCLIII. dicens: *Regnum Trojanum a Dardano in agro Mæotio inchoatur, qui mysteria Matris deum ostendit.* De istis mysteriis vide Dionysium Halicarnasseum lib. 1. *Antiquitatum Romanarum*, Sextum Aur. Victorem, & Macrobium, nam alibi expensa dedimus. Clemens Alexandrinus lib. 1. *Strom.* ait: ,, Tempore Stheneli, & Regnum Am- ,, phictyonis, & Danai in Peloponnesum ,, adventus, & Dardaniæ a Dardano ædifi- ,, catio, a Jove qui genitus, inquit Home- ,, rus, novit cogere nubes. Non longe ab Hellesponto ur em condidisse testatur Archelaus. Apollodorus Atheniensis lib. 3. *Bibliothebeces* Dardanum Jasionis fratrem fuisse scribit, quem fulmine interemit Jupiter, eo quia Venerem deperiret; proinde causam adventus denarrat: Δάρδανος ἐπὶ τῷ θανάτῳ τοῦ ἀδελφοῦ λυπούμενος, Σαμοθράκην ἀπολιπὼν, εἰς Τεῦκρον, ποταμοῦ Σκαμάνδρου καὶ Νύμφης Ἰδαίας, ἦλθε· ὑποδεχθεὶς δὲ ὑπὸ τοῦ Βασιλέως, καὶ λαβὼν μέρος τῆς γῆς, καὶ τὴν ἐκείνου θυγατέρα Βάτειαν, Δάρδανον ἔκτισε πόλιν. *Dardanus fratris interitu mœstus, Samothrace relicta, ad Teucrum, Scamandri fluminis Idææque Nymphæ filium, se contulit; & a Rege acceptus hospitio, atque in Regni parte admissus, Bateam ejus filiam sibi in conjugium duxit,*

Superstitionis cogit nubes.

Fratrem occidit, vagus, ac profugus super terram.

ac Dardanum urbem condidit. Sed fratrem Iasium occisum a Dardano scribit Philistius Syracusanus, ob facinus deinde enormissimum Dardanus a Siculo Rege ab Italia expulsus, profugus in Asia urbem condidit; ita etiam Mariana lib. 1. *de Reb. Hisp.* cap. 2. sic fratricida Dardaniam Urbis Romæ parentem condidit; sic Romulus Romam malo fato instituit fraterno madentem sanguine.

Adnotabat Vaticinium Sibyllæ de Trojæ excidio Lactantius Firmianus lib. 1. *de falsa Relig.* „Sibyllam Erythræam Apol-
B „ lodorus Erythræus affirmat suam fuisse
„ civem, eamque Graiis Ilium petentibus
„ vaticinatam, & PERITURAM ESSE
„ TROIAM, & Homerum mendacia
„ scripturum. Fortasse quia, ut Cælius *lib. 12. cap. 12.* in Odyssea, Trojæ civitatem *sacram* dixit.

Romæ parens, & origo prima.

CXLVI. Hinc Romæ origo, nam Æneæ contribules Dardanidæ a Virgilio dicuntur, asseritque Æneas lib. 8. *Æneid.* vers. 134.

Dardanus Iliacæ primus pater urbis, & auctor.

Et lib. 6. vers. 650.

—— *Trojæ Dardanus auctor.*

C Tandem historiam Dardani, & genus, & patriam decantat Maro in 3. *Æneid.* vers. 163. ubi Penates Anchisæ dormienti Apollinis oracula pandunt:

Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens armis atque ubere glebæ.
Oenotrii coluere viri, nunc fama minores
D *Italiam dixisse Ducis de nomine gentem.*
Hæ nobis propriæ sedes: hinc Dardanus ortus,
Iasiusque pater, genus a quo Principe nostrum.

Dardanus moritur.

CXLVII. Dardanus LXV. regnavit annos, &, teste Africano, licet ex Jove ortus obiit. Sequitur Eusebius: *In Dardania regnavit Erichthonius filius Dardani.* Fortasse anno vigesimo secundo post mortem Josue. Duos ex Batea secunda uxore reliquit filios Ilum & Erichthonium, *e*

Regnat Erichthonius.

E *quibus Ilus nullis susceptis filiis exstinctus est, remansit Erichthonius Regni hæres:* inquit Apollodorus, *ductaque Astyoche Simoentis filia Troem creat:* nec aliter Messala Corvinus. Ovidius lib. 4. *Fastorum* vers. 33.

*Hujus Erichthonius, Tros est creatus * ab illo.*

Regnavit Erichthonius ann. XLVI. & migravit ad patres.

Tros Rex III.

CXLVIII. Post Erichthonium regnavit Tros Rex tertius annos XLIX. O. C. MMDLXXXII. Corvinus ait: *Tros, sive*
F *Trous, justitia & pietate insignis, mutato Dardaniæ nomine, ex se urbem Trojam nominari permisit. Hinc Trojanum nomen ortum.* Apollodorus *loco cit.* Οὗτος παραλαβὼν τὴν βασιλείαν, τὴν μὲν χώραν ἀφ᾽ ἑαυτοῦ Τροίαν ἐκάλεσε· καὶ γήμας Καλιῤῥόην τὴν Σκαμάνδρου, γεννᾷ θυγατέρα μὲν Κλεοπάτραν· παῖδας δὲ, Ἶλον, καὶ Ἀσσάρακον, καὶ

A Γανυμήδην· τοῦτον μὲν οὖν διὰ κάλλος ἀναρπάσας Ζεὺς δι᾽ ἀετοῦ, θεῶν οἰνοχόον ἐν οὐρανῷ κατέστησεν. *Hic Regnum adeptus regionem a seipso Trojam nuncupavit; & Calirrhoen Scamandri filiam sibi collocavit, ex qua Cleopatram filiam sustulit: mares autem, Ilum, Assaracum, & Ganymedem: hunc ob corporis formam raptum per aquilam, Jupiter deorum pincernam in cœlo constituit.* Sed fabulam hanc rejicit Eusebius in *Chron.* „Ob raptum Ganymedis Troi pa-
„ tri Ganymedis, & Tantalo bellum ex-
B „ ortum est, ut scribit Phanocles Poe-
„ ta. Frustra igitur Jovis fabula, & ra-
„ ptrix aquila fingitur. Vicit Tros, victumque Tantalum damnavit ad pœnam, tandem periit, & Regnum filio commendavit.

A quo Troja.

Ganymedis raptus.

CXLIX. Ilus Rex Trojæ quartus regnavit anno O. C. MMDCXXXI. *Ilus*, inquit Messala Corvinus in lib. *de Aug. prog.*
„ quia major natu, defuncto patre, Re-
„ gnum obtinuit, & intra urbis mœnia
„ illam eminentissimam atque gloriosissi-
„ mam arcem edidit, quæ ex sui nomine
C „ ILIUM nuncupata: unde Ilienses Tro-
„ jani dicti. Major natu dicitur, etenim alios fratres habuit virtute præstantes; Ovidius lib. 4. *Fast.* vers. 34.

Ilus Rex IV.

Assaracum creat hic; Assaracusque Capyn:
Proximus Anchises: cum quo commune parentis
Non dedignata est nomen habere Venus.
Hinc satus Æneas.

Proinde Assaraci Domum pro Troja apud
D Senecam Hecuba deplorat,

Omnisque late fumat Assaraci Domus.

Horatius in *Epod.* od. 13.

Te manet Assaraci tellus.

Apollodorus uxorum nomina prodit: Ἀσσαράκου δὲ καὶ Ἱερομνήμης τῆς Σιμόεντος Κάπυς· τοῦ δὲ καὶ Θέμιδος τοῦ Ἴλου Ἀγχίσης· ᾧ δι᾽ ἐρωτικὴν ἐπιθυμίαν Ἀφροδίτη συνελθοῦσα, Αἰνείαν ἐγέννησε, καὶ Λύρον, ὃς ἄπαις ἀπέθανε. *Assaracus ex Hieromneme Simoentis filia Capyn procreat: hujusce ac Themidis Ili filiæ Anchises filius fuit: cum quo Venus ipsius amore flagrans congressa*
E *Æneam genuit, ac Lyrum, qui sine liberis decessit.* Ilus præstantior Arcem condidit, suoque ex nomine urbem & cives nuncupavit. Ovidius in *Epist. Paridis Helenæ* vers. 179.

A quo Ilium urbs.

Ilion adspicies, firmataque turribus altis
Mœnia, Phœbeæ structa canore lyræ.

Virgilius *Æneidos* lib. 2. vers. 241.

O Patria, o divum domus Ilium, & inclyta bello
F *Mœnia Dardanidum.*

Seneca in *Troade* Hecubam sic plorantem inducit,

—— *Columen eversum occidit*
Pollentis Asiæ, cælitum egregius labor.

Ovidius, & Virgilius,

—— *ceciditque superbum*
Ilium.

Opus vere numinum, ut Pindarus in 8. *Olymp.* occinit:

A Diis ædificata.

* Rep. *generatus*.

—— ἐξ Αἰακοῦ,
Τὸν παῖς ὁ Λατοῦς εὐρυμέδων τε Ποσειδᾶν,
Ἰλίῳ μέλλοντες ἐπὶ στέφανον
Τεῦξαι, καλέσαντο συνεργὸν
Τείχεος.

—— *post Æacum,*
Quem filius Latonæ & late dominans Neptunus,
Cum Ilium essent coronaturi
Mœniis, advocarunt cooperatorem
Muri.

Hinc Tryphiodorus Ilium vocat, *Opus immortalium*; Simmias in *Securi*, illius *turrium a diis ædificatarum* meminit, eo quia Homerus, Euripides, & Statius sub Ilo Rege Neptunum Apollinemque elaborasse scribunt.

CL. Chronicon Alexandrinum ann. O. C. MMMMCXIIX. judicante Debora ex Tribu Ephraim, & Baracho ex Tribu Benjamin, ait: *Hoc anno Ilium ab Ilo conditum; & Æsculapius artem medicam tractat*; discordat computus, quia ab initio incipiens ab Adamo usque ad Enochum unicuique generis Principi, patrique familias centum annos Auctor addidit; sequitur proinde LXX. Interp. quorum annorum numerum ratum firmumque tenet Contius, vir eruditus.

Æsculapius Medicus.

CLI. Vixit Ilus annos quadraginta, Ilioque constructo obiit, & Regnum Laomedonti reliquit, simulque PALLADIUM, quod a Jove in signum accepisse testatur Apollodorus lib. 3. *Bib.* ejus verba do, ut historia illucescat: Ἶλος δὲ εἰς Φρυγίαν ἀφικόμενος, καὶ καταλαβὼν ὑπὸ τοῦ Βασιλέως αὐτόθι τεθειμένον ἀγῶνα, νικᾷ πάλην· καὶ λαβὼν ἆθλον πεντήκοντα κούρους καὶ κόρας τὰς ἴσας, δόντος αὐτῷ τοῦ Βασιλέως κατὰ χρησμὸν καὶ βοῦν ποικίλην· καὶ φράσαντος, ἐν ᾧπερ ἂν αὐτὴ κλιθῇ τόπῳ, πόλιν κτίζειν, εἵπετο τῇ βοΐ· ἡ δὲ ἀφικομένη ἐπὶ τὸν λεγόμενον τῆς Φρυγίας Ἄτης λόφον, κλίνεται· ἔνθα πόλιν κτίσας Ἶλος, ταύτην μὲν Ἴλιον ἐκάλεσε. Τῷ δὲ Διὶ σημεῖον εὐξάμενος αὐτῷ τι φανῆναι, μεθ' ἡμέραν τὸ Διϊπετὲς Παλλάδιον πρὸ τῆς σκηνῆς κείμενον ἐθεάσατο. *Ilus cum in Phrygiam pervenisset, atque inibi ab Rege propositum certamen nactus esset, palæstra vicit; deditque illi Rex præmii loco pueros quinquaginta & totidem puellas. Ad hæc ex oraculi sententia discolorem bovem adjecit; monuitque ut ubi ea procubuerit, urbem conderet, hic bovem ipsam insequitur: ea vero simulatque ad Ates (quasi dicas Noxæ) Phrygiæ tumulum pervenit, humi procumbit: quo in loco Ilus urbem a se conditam Ilium nominavit. Postea Jovem precatur, ut signum sibi aliquod ostenderet: postridie vero ubi illuxit ab Jove demissum* PALLADIUM *ante tabernaculum conspexit.* Helenus Vates Priami filius inexpugnabilem decantabat urbem, salvo in ea Palladio: ob quod Diomedes & Ulysses tentarunt per fraudem illud surripere; sed illusi, capta urbe, verum Palladium cœlo delapsum Sicas Æneæ tradidit, cum magnis diis statutumque in æde Vestæ; Virgilius l. 2 *Æneidos* vers. 166. ex duobus unum

Palladium a Jove delapsum.

Urbs oraculo condita, & bovis signo

Palladium signum a Jove.

A surripuisse ait: nonne Diomedes, & Ulysses

—— *cæsis summæ custodibus Arcis*
Corripuere SACRAM EFFIGIEM.

Palladii forma.

Describit illius effigiem Apollodorus: Ἦν δὲ τῷ μεγέθει τρίπηχυ, τοῖς δὲ ποσὶ συμβεβηκός, καὶ τῇ μὲν δεξιᾷ δόρυ διηρμένον ἔχον, τῇ δὲ ἑτέρᾳ ἠλακάτην καὶ ἄτρακτον. *Id erat magnitudine trium cubitorum, ac pedibus ita compositis, ut ambulare videretur, dextraque elatam hastam, ac læva* B *colum fusumque gerebat.* Sensus symboli: Tandiu urbem permansuram quoad homines hastam, colum attrectarent mulieres: nam si viri affluentes otio hebescunt, & mulieres pompa diffusæ curam domus posthabent, urbs quæque ex sese corruit; hoc Palladis, an Minervæ fuerit simulachrum, cum plura sint Palladia, loco suo dicemus.

Ejus allegoria.

CLII. Anno ergo Mundi MMDCLXXI. ante C. N. MCCLXXVII. Laomedon Ilii & Eurydices Adrasti filiæ primogenitus salu- C tatur Rex quintus Ilii; urbem ingenti mole constructam reficit, & opus immortale, ut cresceret, numinum manu adjuvat; hinc Minutius in *Octavio* inquit: *Apollo Admeti pecus pascit: Laomedonti vero muros Neptunus instituit*; pungit Tertullianus in *Apologetico* Neptunum: *Qui structorias operas Laomedonti locat.* Lactantius similiter in libro *de falsa Relig.* cap. 10. *Quid Apollo? nonne muros Laomedonti exstruxit, cum Neptuno mercede conductus, qua illi negari potuit* D *impune?* Athenagoras in *Legatione* citat Pindarum:

Laomedon regnat Rex V.

Urbem ædificat Neptuno & Apolline servientibus.

Quæstu etiam sapientia obstringitur:
Movit namque illum mercede splendida,
Coruscans aurum in manibus, &c.

Laborant dii ob mercedem.

In forma humana elaborasse scribit Ovidius lib. XI. *Met.* vers. 199.

Inde novæ primum moliri mœnia Trojæ
Laomedonta videt: susceptaque magna labore
E *Crescere difficili, nec opes exposcere parvas;*
Cumque Tridentigero tumidi genitore profundi
Mortalem induitur formam, Phrygiæque Tyranno
Ædificat muros, pacto pro mœnibus auro.

Hinc apud Virgilium in 3. *Neptunia Troja* dicitur, scil. a Neptuno instituta. Sic teste Clemente Alexandrino in *Exhort. ad Gentes*: *Laomedonti fuere mercenarii Neptunus & Apollo*; Coluthus Thebæus F in *raptu Helenæ*:

Sæpe serviunt hominibus immortales,
Horum quidem alter Trojæ ædificavit muros,
Neptunus & Apollo muros inquam non ruituros.

Non ideo pactam receperunt dii mercedem, inquit enim Divus Cyprianus *de Ido-*

Fraus in deos operarios.

A lorum Vanitate: *Laomedonti muros Neptunus instituit, nec mercedem operis infelix structor accepit.* Ovidius *l. cit.* verſ. 205.

Stabat opus, pretium Rex inficiatur, & addit
Perfidiæ cumulum falſis perjuria verbis.

Neptuno facinus adſcribit Lactantius: *Ab eoque primo Rex perfidus, quicquid cum diis pepigiſſet, didicit abnegare.* Panyaſis vetus Poeta de diis infelicibus occinit;

Dii paſſi.

Paſſa Ceres, paſſuſque inſignis Mulciber, eſtque
Paſſus Neptunus, paſſuſque Phœbus Apollo
Mortali ipſe ſuas operas mercede locare.

B

Pecora non recipiunt.

CLIII. Sed audiamus Hyginum *Fab.* 89. *Neptunus & Apollo dicuntur Trojam muro cinxiſſe: his Rex Laomedon vovit, quod Regno ſuo pecoris eo anno natum eſſet immolaturum; id votum avaritia fefellit. Alii dicunt parum eum promiſiſſe: ob eam rem Neptunus cetum miſit, qui Trojam vexaret: ob quam cauſam Rex ad Apollinem miſit conſultum. Apollo iratus ita reſpondit; Si Trojanorum virgines ceto religatæ fuiſſent, finem peſtilentiæ futurum.* Allegoriam inter fabulas venamur; An civitatem cuſtodit Deus, tanquam murus & antemurale? ita Iſaias; An ideo grati cives victimas ſervatori cultumque debent? equidem probat Abulenſis, qui ideo morti damnatum Ezechiam cenſet, poſt ſervatam urbem, cum non ſacrificaſſet; An certus eſt Leviathan juſtitiæ Dei vindex? Aben Ezra affirmat; An peſtilentia eſt a Deo, nec expiatur, niſi placato Numine? certe in hiſtoria noſtra peſtilentiæ id ratum dedimus. Sequitur Hyginus: *Cum complures conſumtæ eſſent, & Heſioni ſors exiſſet, & petris religata eſſet, Hercules & Telamon cum Colchos Argonautæ irent, eodem venerunt, & cetum interfecerunt; Heſionemque patri pactis legibus reddunt; ut cum inde rediiſſent, ſecum in Patriam eam abducerent, & equos, qui ſuper aquas & ariſtas ambulabant, quod & ipſum Laomedon fraudavit, neque Heſionem reddere voluit.* Palæphatus fabulam interpretatur, & ait: *Virum magnum Cetum nomine fuiſſe, qui cum Rex eſſet, multum roboris viriumque habens, ac in re navali valde potens, paludem quamdam in Aſia, quam Trojani poſſidebant, circa mare ſubvertit; tributumque ab eis ſibi ob id perſolvebatur puellarum & equorum.* Hunc Hercules vicit, & equos puellaſque ſibi depoſcebat, quas dare Rex, pacto etiam fœdere, renuit: audiamus Ovidium lib. XI. *Metam.* verſ. 207. qui hiſtoriam omnem occinit:

Iraſcuntur.

Allegoria.

Peſtis a Deo.

Hercules Heſionem liberat a ceto.

Non impune feres, Rector maris, inquit; & omnes
Inclinavit aquas ad avaræ littora Trojæ,
Inque freti formam terras convertit, opeſque
Abſtulit agricolis, & fluctibus obruit agros.
Pœna neque hæc ſatis eſt; Regis quoque filia Monſtro
Poſcitur æquoreo; quam dura ad ſaxa revinctam

Troja a diis afflicta.

Vindicat Alcides, promiſſaque munera dictos
Poſcit equos: tantique operis mercede negata
Bis perjura capit ſuperatæ mœnia Trojæ.

Enimvero poſt Velleris prædam, Hercules reverſus Trojam perdidit, Regemque interfecit; de quo excidio Homerus in *Iliade* canit *lib.* 5. verſ. 641.

Hercules illuſus Trojam perdit.

Ἐξ οἴης σὺν νηυσὶ, ϗ ἀνδράσι παυροτέροισιν,
Ἰλίȣ ἐξαλάπαξε πόλιν.

Sex ſolas naves ducens, agmenque virorum
Paucorum, cepit tamen Ilion.

Expugnat.

Et paulo poſt cladem deſcribens ait,

—— ἤτοι κεῖνος ἀπώλεσεν Ἴλου ἱρὴν,
Ilion evaſtans viduavit civibus urbem.

Ideo Strabo lib. 13. *Geogr.* ſcribit: *Ilienſes Herculem non venerantur ob Patriam ab eo vaſtatam;* addit Ovidius ſpolia *ibid.* verſ. 217.

C

Nec pars militiæ Telamon ſine honore receſſit,
Heſioneque data potitur.

Sic duplex Trojæ excidium enarrat Virg. & Propertius *lib.* 3. *el.* 2.

Exiguo ſermone fores nunc Ilion, & tu
Trojæ bis Oetæi numine capta dei.

D Nam ſecundo corruit, Dare Phrygio Auctore, propter ſagittas ab Hercule Philoctetæ donatas; Lactantius *lib.* 1. *cap.* 9. de Hercule inquit: *Navigavit cum Argonautis, expugnavitque Trojam iratus Laomedonti ob negatam ſibi, ob filiæ ſalutem, mercedem.*

CLIV. Meſſala Corvinus belli cauſam exiſtimat ſuperbiam Laomedontis, qui Argonautas ſuo a littore extemplo abire præcepit; ob quod indignabundi urbem ſimulque Regem perdiderunt: quo interfecto regnavit Priamus pro eo.

E Argonautarum hiſtoriam recenſet Euſebius ſub Gedeone Judice Hebræorum, ab Abraham ann. DCCXXXVII. ab O. C. MMDCLXXXII. ante ultimum Trojæ excidium ann. XX. Gordonus expeditionem Argonauticam deſcribit ann. ab O. C. MMDCCC. Ruſtica noſter aliter in Exodo ſentit; ut vere dicat Macrobius, ante Bellum Trojanum nulla fides hiſtorica. Sunt namque qui putent Jaſonem primum cum Argonautis navigaſſe, teſtaturque Manilius lib. 1. *Aſtron.*

Argonautarum hiſtoria.

F

—— *Nobilis Argo*
In cœlum ſubducta mari, quod prima cucurrit,
Servando dea facta deos.

Argo navis dea.

Ovidius lib. 6. *Metam.* verſ. ult.

*Per mare non notum prima digna * carina.*

* Rep. *petiere.*

Ut scribit Rhodiginus *l.* 19. *cap.* 15. Apollonius lib. 4. *Arg.* ait, in carina hujus Navis lignum a Pallade fuisse impactum ex quercu Dodonæa, quod interdum voce humana loqueretur. Lycophronis Scholiastes *loquacissimam carinam* dixit, & ipse Lycophron *garrulam.* Antipater in *Epigr.* tradit, Navim enarrasse causam cur nauta fuerit fulmine ictus. Æschylus primam hanc fuisse a Minerva constructam canit; Seneca in Choro *Medeæ* Jasonem innuit dicentem vers. 301.

Loquitur ejus carina.

Prima maria intrat.

Audax nimium, qui freta primum
Rate tam fragili perfida rupit,
Terrasque suas post terga videns
Animam levibus credidit auris.

Post pauca tandem concludit,

—— quod fuit hujus
Pretium cursus? AUREA PELLIS.

Ovidius lib. 7. *Metam.* vers. 5.

Multaq; perpessi claro sub Jasone, tandem
Contigerant rapidas limosi Phasidos undas.
Dumque adeunt Regem, Phryxeaque vellera poscunt.

De hoc Phryxi arietis aureo insigni vellere scribit Hyginus fab. CLXXXVIII. ubi ait: *Neptunus in arietem mutatus cum Theophane Bysaltidis filia formosissima virgine concubuit, ex quo natus est aries Chrysomallus, qui Colchos Phryxum vexit, cujus pellem Æta in luco Martis habuit positam, quam Jason sustulit.* De quo Germanicus Cæsar *in Aratum,* ex Hesiodo & Pherecyde ait, *Aries inter astra collocatus est propter Phryxum & Hellen Athamantis & Nebulæ filios.* Nigidius hunc arietem dicit, ducem & principem esse signorum Zodiaci, immortali autem honore donatum, quod cum Liber exercitum in Africam duceret, & aquæ inopiam pateretur, subito aries ex arena exivit, & Liberum cum suo exercitu ad aquam perduxit divinitus. Hoc facto Liber eum arietem JOVEM AMMONEM appellavit: eique fanum magnificum fecit; habet autem stellas in capite unam, in auriculis tres, in collo duas, in summitate pedum anteriorum singulorum singulas, in dorso quatuor, in cauda unam, in ventre tres, in summitate singulorum pedum posteriorum singulas: sunt omnes decem & octo. Hyginus proinde ex Hermippo scribit in *Poet. Astron.* *Liberum Jovis Ammonis templum cum arietinis cornibus, simulacro facto, constituisse, arietem inter sidera figurasse; ita ut cum Sol in ejus foret signo, omnia nascentia recrearentur, quæ Veris tempore fiunt.* Mythologiam vero tradit Dionysius Mitylenæus, videlicet, Crion Phryxi pædagogum fuisse, & cum eo in Colchos navigasse: navis autem proram pictam fuisse arietis effigie: Leon, qui res Ægyptias scripsit apud Hyginum, ait Ammonem quemdam ex Africa venisse, & pecoris multitudinem ad Liberum adduxisse, quo ejus gratia uteretur, ut aliquid primus invenisse diceretur. Itaque pro beneficio ei Liber existi-

Vellus aureum.

Ejus historia.

Aries inter astra.

Libero aquam ostendit.

Ejus stellæ.

Jovis Ammonius cum cornibus arietibus.

Mythologia hujus.

A matur agrum dedisse, qui est contra Thebas Ægyptias, qui simulacrum fecerunt Ammonis capite cornuto ob illius memoriam, qui pecus primum adinvenit. Lucianus Phryxum Astrologum fuisse tradit in Dial. *de Astrolog.* & ideo in cœlum ab ariete sublatum: Cælius Rhodiginus *lib.* 7. *cap.* 2. *In Velleris aurei pelle intelligi Librum voluere, Veterum more in pelle conscriptum, quo auri conficiendi scientia contineretur arte, quam* Χημείαν, *Chemiam, vocant: cujus libros cum diligenter conquisisset Diocletianus exussit.* Ita ille: & antea Suidas:
B *Hoc autem non ut fictitie dicitur, sed erat Liber in velleribus conscriptus continens quomodo per Chemiam fieri debeat aurum.* De jactura librorum & arte idem Auctor: *Chemia est auri & argenti confectio, cujus libros conquisitos exussit Diocletianus, ne deinceps Ægyptiis divitiæ ex arte illa contingerent, neve pecuniarum affluentia confisi in posterum Romanis rebellarent.* Vide Orosium *lib.* 7. *cap.* 16. Similiter Willichius in posterioribus scholiis in sextam
C Eclogam Virgilii *Hesperidum mala aurea* figmentum, ex Eustathio & Suida, ad Chemiam refert. Sicut illud Sibyllæ in sexto *Æneid.* vers. 136.

Vellus aureum Liber Chemiæ.

Libros Chemiæ combussit Diocletianus Imp.

—— latet arbore opaca
Aureus & foliis & lento vimine ramus,
Junoni infernæ dictus sacer, quem tegit omnis
Lucus, & obscuris claudunt in vallibus umbræ, &c.

CLV. De navi ut aliquid dicamus,
D *Hanc nonnulli propter celeritatem Argo dixerunt,* inquit Hyginus lib. 2. *Poet. Astron.* alii, quod Argus fuerit inventor; hanc navim factam Pindarus ait in Magnesia oppido, cui Demetrias nomen: Callimachus autem in iisdem finibus ad Apollinis Actii templum, quod Argonautæ proficiscentes statuisse existimantur in eo loco, qui Pagasæ vocatur; Homerus hunc eundem locum in Thessaliæ finibus esse demonstrat, ideo a Valerio *Pagaseja* dicitur; Lucanus in secundo *Pharsaliæ,*

Navis cur dicta Argo.

Ubi ædificata.

E *Ut Pagasæa ratis peteret cum Phasidis undam.*

Tullius, teste Gyraldo, ab Argivis denominatam existimat, vel quia Argivi Heroes ad Vellus profecti. Pherecydes nomen auspicatur ab Argo Phryxi filio; fabricatam vero Posis Magnesius apud Athenæum a Glauco fuisse scribit; addit Hyginus, *Æschylus ait a Minerva quandam materiam loquentem carinæ esse conjunctam.* Germanicus Cæsar, post Canis magni caudam, secundum stellarum ordi-
F nem, ex Arato, navim constitutam refert, *quam quidam beneficio Minervæ inter astra collocatam dicunt, quæque prima ab ea fabricata est, & mare, quod antea invium fuerat, hominibus pervium navalis ingenio fecit.* Unde Catullus in *nuptiis Pelei & Thetidos* cecinit,

a Minerva compacta.

a qua inter astra collocata.

*—— læti * juvenes, Argivæ robora pubis,*

* Rest. *lecti.*

Auratam optantes Colchis avertere pellem,
Ausi sunt vada salsa cita decurrere puppi.

De arte Chemia allegoria navis & velleris.

CLVI. Sed cur aurum quærentes navim fingunt? An quia Chemistæ intrant maria tempestate & periculis semper plena? testatur fictus Geber, qui in arte, mortis discrimina refert; An quia, velut naufragi, divitiarum suarum jacturam faciunt? ita Bernardus Comes de secretissimo Philosophorum opere, ubi dispendia & suam paupertatem tanto annorum molimine enarrat; An quia Neptunus sicut semper movet & variat undas, ita & Chemistæ semper in motu circulationis varietate operis fluctuant? An quia infidum mare, ita & ars Chemia? An quia, teste Pythagora apud Jamblichum, naves cadavera dum portant periclitantur; ita & Chemia, dum corrumpit, disgregat, dirimit, portum divitiarum unquam attingit? An Argo navis inter sidera, ut opus hoc cælitus elapsum credant? An post caudam Canis, ut adulatione genium illudant? An sine clavo, quia arcanum opus demonstratione caret, & non ratione, sed experimento ducitur? An loquitur carina, dum opus ad caput corvi deducitur? An in templo Apollinis fabricatur, quia semper divinant, sed oracula obscura non assequuntur? An fit ex quercubus, quæ cibum animalibus præbent, & divites impiissimis illusoribus cibaria præbent? An Pallas dat latera, ut armis * tandem Chemiæ studentes desinant? An Vellus rapuisse dicuntur, quia impostores, dum falsificant, furantur? An ad Colchos pergunt, ubi tauri ignem evomunt, ut furnorum ignem indomabilem innuant? An ibi Medeæ amor, ut illicita cupiditas innotescat? An veneficia depromunt, quia utplurimum Dæmonum thesauros tandem conquirunt? An filiorum interitus describitur, ut enecatos significent parentis manu, substantiam dissipantis, paupertatis tanquam gladio liberos? An Jason deplorat, & fugit Medea, ut tandem expilatos curiosos artifices exsules ostendant? Sed plura disquirat sapiens: artem esse profiteor, sed difficilem; fortasse, qui cuncta creavit, ut commercio auri politicus vivat homo; hic servus propter mercedem, ille nauta pro naulo, alter miles propter stipendia, Princeps nonnullus suo ære imperet; quod si aurum esset obvium, vel aliud metallum esset exquirendum, vel Reipublicæ leges, & hominum hierarchia confusa periret; ideo Lulli moneta ostenditur, sed non conficitur; & in clavo aurum mixtum ferro, ut dicamus, potest fieri, sed non fit.

Ars fortasse vera, sed difficilis Deo ita volente.

CAP. XIII.

Trojæ, Romæ parentis, sub Priamo excidium curiose describitur, & Romanorum exordia enarrantur.

CLVII. Laomedonte interfecto, Ilioque tantæ cladis pondere collapso, Priamus (postquam parenti justa A persolvit) Imperium suscipit, & nova urbis molimina. Docet hæc Messala Corvinus in libro *de Aug. prog. Ex Laomedonte superstes filius fuit Priamus, qui tum forte alio in armis aberat; is patris & Patriæ excidio cognito, rediit, dirutamque urbem impensa & opere adeo reparare instituit, ut brevi marmoreis saxosisque turribus, & ædificiis † & privatis augustiorem tutioremque redderet.* Hanc describit Dionysius in libro *de Situ Orbis*:

Priami Regnum.

Trojam reficit.

Hinc Hellespontum protenditur angulus ingens
B *Qua brevior Phrygiæ pars est, nam latior intus*
Sangarii ripis fluvii vicina rapacis.
Tenditur potius Sitanis pinguis ad ortus:
Altera ad occasus, altæ sub montibus Idæ,
ALTAQUE *qua cecidit præclaro nomine* TROJA,
Ad Xanthi liquidas, nec non Simoentis ad undas.

Ita vertebat vetus Priscianus: at Papius Gandensis Trojam vocat, C *insignem priscis Heroibus urbem*. Vetus Poeta apud Tullium,

Trojæ laus.

O pater, o patria, o Priami domus
Septum altisono cardine templum:
Vidi ego te adstante ope barbarica,
Tectis cælatis, laqueatis
Auro, ebore instructam magnifice.

Postquam Equum credula gens seducta, serò pœnitens, intra mœnia traxit, teste Virgilio, inclamabat plorans, lib. 2. *Æneid.* vers. 241.

D *O patria, o divum domus Ilium, & inclyta bello*
Mœnia Dardanidum.

Senecæ Hecuba in *Troade* vers. 15.

En alta muri decora congesti jacent.

Et *ibid.* vers. 22.

Stat avidus ira victor, & lentum Ilium
Metitur oculis, ac decem tandem ferus
Ignoscit annis: horret afflictam quoque,
Victamque quamvis videat, haud credit sibi,
Potuisse vinci. Spolia populator rapit
Dardania: prædam mille non capiunt rates.

E Divitiis namque potens & imperio Priamus imperavit minori Asiæ, & parti majoris, strenuus miles, Princeps potentissimus; hunc Podarcem ab infantia dictum Apollodorus lib. 2. *Bibliotheces* ait: Ὁ δὲ ἐπαινέσας, ὡς εἷλε τὴν πόλιν, κατατοξεύσας Λαομέδοντα, καὶ τοὺς παῖδας αὐτοῦ, χωρὶς Ποδάρκου. Τελαμῶνι ἀριστεῖον Ἡσιόνην τὴν Λαομέδοντος θυγατέρα δίδωσι (ἐξ ἧς ὕστερον Τελαμὼν τὸν Τεῦκρον γεννᾷ,) καὶ ταύτῃ συγχωρεῖ τῶν αἰχμαλώτων ὃν ἤθελεν, ἄγεσθαι· τῆς δὲ αἱρουμένης τὸν ἀδελφὸν Ποδάρκην, ἔφη δεῖν F πρῶτον αὐτὸν δοῦλον γενέσθαι, καὶ τότε, τί δήποτε δοῦσαν αὐτ᾽ αὐτοῦ, λαβεῖν αὐτόν. ἡ δὲ πιπρασκομένου χρυσῆν τὴν καλύπτραν ἀφελομένη τῆς κεφαλῆς, ἀντέδωκεν· ὅθεν Ποδάρκης Πρίαμος ἐκλήθη. *Capto Ilio, sagittis confecto Laomedonte, cum filiis suis, præter unum Podarcem; Telamoni Hesionem Laomedontis filiam,*

Priamus Podarces dictus

* Videtur leg. *artis*, vel *arti*.

† Forsan excidit vox *publicis*.

ob rem præclarissime gestam, Hercules præmii loco dedit, ex qua postea Teucrum gignit, & huic quem vellet captivorum abducendum concedit; ea vero cum sibi Podarcem fratrem delegisset, Hercules hunc prius in servitutem redigendum esse ait, sed pro emto fratre demtum e capite suo flammeum aureum dedit: hinc pro Podarce Priamus est nominatus. Laomedontis filios uxoresque recenset Apollodorus lib. 3. *Bib.* Laomedonti namque Strymo Scamandri filia nupta fuit: sed & Placia Atrei ab illo ducta fuisse legitur; nec desunt, qui Leucippi filiam habuisse in matrimonio ferant. Hic mares quidem Tithonum, Lamponem, Clytium, Icetaonem, & Podarcem: fœminas autem Hesionem, Cillam, & Astyochen procreavit. Scholiastes Senecæ Priamum bis captum scribit, semel ab Hercule, & iterum auspiciis Atridarum; at Messala Corvinus procul hunc censebat, & a captivitate alienum. Hyginus Fab. 89. *Hercules Laomedontem necavit, & Padaci* (*Podarci* alii legunt) *filio ejus infanti Regnum dedit, qui postea Priamus est appellatus* ἀπὸ τοῦ πρίασθαι: asseritque Seneca Tragicus in *Troade*.

Laomedontis uxores & filii.

CLVIII. Regnavit igitur Priamus ann. O. C. MMDCCXI. & ut inquit Strabo, *Ex verbis Homeri apparet, Priamum e parvo magnum, Regemque Regum factum*; enimvero alto summoque molimine dirutam urbem denuo reædificavit, ut deorum opus urbs nova præcelleret; milites exercuit ad munimentum, tanta divitiarum pompa, ut arces & templa auro abundarent & ebore; Priamo nupta fuit Hecuba, ut Seneca Trag. canit, sed Apollodorus ait: Ἐβασίλευσε Ποδάρκης ὁ κληθεὶς Πρίαμος· καὶ γαμεῖ πρώτην Ἀρίσβην τὴν Μέροπος· ἐξ ἧς αὐτῷ παῖς Αἴσακος γίνεται. Πρίαμος δὲ Ἀρίσβην ἐκδοὺς Ὑρτάκῳ, δευτέραν ἔγημεν Ἑκάβην τὴν Δύμαντος, ἢ ὥς τινες φασὶ Κισσέως, ἢ ὥς ἕτεροι λέγουσιν, Σαγγαρίου ποταμοῦ καὶ Μερώπης. *Podarces cognomento Priamus Regnum tenuit, ac primam conjugem Meropos filiam nomine Arisbam sibi conjugavit, ex qua Æsacum filium creat: mox Arisba collocata in matrimonium apud Hyrtacum, Hecubam secundam uxorem Dymantis, sive ut aliis placet, Cissei, vel, ut quidam ajunt, Sangarii fluminis & Meropes filiam duxit*. Primus ex ea Hector nascitur; quem, teste Philostrato, *manum Trojanorum* dixerunt, Pindarus, *solidam & inexpugnabilem Trojæ columnam*; etenim in septimo *Iliad.* Homerus occinit, *Illum timuisse Achivos, cui & Achilles ipse pugna in gloriosa metuit occurrere*, in monomachia videl. cum fortissimos ad certamen singulare vocabat; hinc Hecuba in *Troade* vers. 123. Senecæ ait,

Hecuba Priami uxor.

Hectoris elogia.

Columen patriæ, mora fatorum
Tu præsidium Phrygibus fessis,
Tu murus eras; humerisque tuis
Stetit illa decem fulta per annos;
Tecum cecidit; summusque dies
Hectoris idem patriæque fuit.

Inter Virgilii *Epigrammata* hoc etiam Elogium Hectoris legitur,

Defensor patriæ, juvenum fortissimus Hector,
Qui MURUS *miseris civibus alter erat,*
Occubuit telo violenti victus Achillis:
Occubuere simul spesque salusque Phrygum.

Pentadius etiam vetus Poeta Achillem exsultantem facit,

Hectore sub magno summa est mihi gloria cæso,
Qui sæpe Argolicas debilitavit opes.

CLIX. Post Hectorem generat Paridem, sive Alexandrum, Asiæ totius exitium, Orbis perniciem, hominum deorumque exterminium, hæc sunt impuri amoris faces & fulmina: Hyginus namque *Fab.* 91. scribit, *Hecuba prægnans in quiete vidit se facem ardentem parere, ex qua serpentes plurimos exisse*. Apollodorus addit: Δευτέρου δὲ γεννᾶσθαι μέλλοντος βρέφους, ἔδοξεν Ἑκάβη καθ᾽ ὕπαρ δαλὸν τεκεῖν διάπυρον· τοῦτον δὲ πᾶσαν ἐπινέμεσθαι τὴν πόλιν, καὶ καίειν. *Cum secundum propediem esset paritura filium, facem ardentem Hecuba parere, eamque omnem urbem Ilium depascere, atque concremare, in somnis sibi videbatur*. Ovidius in *Epist. Paridis Helenæ*,

Paris Asiæ exterminium.

Hecuba prægnans facem in utero portat.

Matris adhuc utero partu remorante tenebar:
Jam gravidus justo pondere venter erat;
Illa sibi ingentem visa est sub imagine somni
Flammiferam pleno reddere ventre facem:
Territa consurgit; metuendaque noctis opacæ
Visa seni Priamo, vatibus ille refert.
Arsurum Paridis Vates canit Ilion igni.

Tullius etiam lib. 1. de *Divinatione* cladem hanc Trojæ incendio canit:

Adest, adest FAX *obvoluta sanguine, atque incendio,*
Multos annos latuit; cives ferte opem, restinguite.
Rex ipse Priamus, somnio mentis metu
Perculsus, curis sumtis suspirantibus
Exsacrificabat hostiis balantibus.
Tum conjectorem postulat, pacem petens
Ut se edoceret postulat Apollinem.
Ibi ex oraculo voce divina edidit
Apollo, Puerum, primus qui Priamo foret,
EUM ESSE EXITIUM TROIÆ, PESTEM PERGAMO.

Priamus postulat oracula.

Exitium Trojæ Paris.

Hæc ex Cassandra sunt, qui oracula dabat, sed non credita; enimvero futura malorum moles, ut quisque a se avertat, non credit; & frustra canunt Vates, oracula frustra eduntur, ubi horret animus, &

Cassandra Vates.

quæ

quæ timet inania putat non ventura. Propertius *lib. 3. eleg.* 12.

Certa loquor, sed nulla fides: neque enim Ilia quondam
Verax Pergameis Mænas habenda malis.
Sola Parin Phrygiæ fatum componere, sola
Fallacem Patriæ serpere dixit equum.

Cum vaticinaretur non credebatur.

Causam enarrat Hyginus *Fab.* 93. *Cassandra in Apollinis fano ludendo lassa obdormisse dicitur: quam Apollo cum vellet comprimere, corporis copiam non fecit, ob quam rem Apollo fecit, ut cum vera vaticinaretur fidem non haberet.* Ostendit Cælius *l.* 24. *c.* 6 ideo Alexandram illam dixisse Veteres, *quoniam congressus hominum vitarit*; sic dictam, testatur Pausanias in *Laconicis*; tamen Apollo a clade illam eripuit, uti Andromacha apud Senecam in *Troad.* vers. 978. ait,

Cassandra felix, quam furor sorte eximit,
Phœbusque: Regum hanc maximus Rector tenet.

Infelicissima mulierum, vaticinatrix infausta semper omnia inclamabat, & licet furore percita, deumque passa, tanquam amens non credebatur; Virgilius *l.* 2. *Æneid.* vers. 246.

Tunc etiam facis * *aperit Cassandra futuris*
Ora, dei jussu, non unquam credita Teucris.

Credita amens.

Anchises vir prudens & vaticinator hæc audiebat, & ipse nec fidem præstabat, tanquam aliena a seculo essent oracula. Virgilius *Æn.* lib. 3. vers. 183.

Sola mihi tales casus Cassandra canebat.
Sed quis ad Hesperiæ venturos littora Teucros
Crederet? aut quem tum Vates Cassandra moveret?

Hecuba ante Cassandram vaticinatur in Paride excidium.

Fatetur vaticinium Hecuba, imo & ab ipsa exitium antea prædictum, sed deo vetante, neglectum, & plorat in *Troad.* Senecæ vers. 33.

—— quicquid adversi accidit,
Quæcunque Phœbas ore lymphato furens
Credi, deo vetante, prædixit mala.
Prior Hecuba vidi gravida, nec tacui metus,
Et vana vates ante Cassandram fui.

Fatum.

CLX. Vere Virgilius dixit *ineluctabile fatum*. Enimvero præcognitum malum ut averterent, puerum adsportandum parentes curarunt, deorumque secuti vocem, feris expositum reliquerunt; enarrat Apollodorus lib. 3. *Bibl.* juxta Meropis conjectoris jussa: Αἴσακος εἰπὼν τῆς πατρίδος γενέσθαι τὸν παῖδα ἀπώλειαν, ἐκθεῖναι τὸ βρέφος ἐκέλευσε. Πρίαμος δὲ, ὡς ἐγεννήθη τὸ βρέφος, δίδωσιν ἐκθεῖναι οἰκέτῃ κο-

* Rest. *fatis*.

A μίσοντι εἰς Ἴδην· ὁ δὲ οἰκέτης Ἀγέλαος ὠνομάζετο· (ἢ Ἀρχέλαος) τὸ δὲ ἐκτεθὲν ὑπὸ τούτου βρέφος, πένθ' ἡμέρας ὑπὸ ἄρκτου ἐτράφη. ὁ δὲ σωζόμενον εὑρὼν ἀναιρεῖται. καὶ κομίσας ἐπὶ τῶν χωρίων, ὡς ἴδιον παῖδα ἔτρεφεν, ὀνομάσας Πάριν. γενόμενος δὲ νεανίσκος, καὶ πολλῶν διαφέρων κάλλει τε καὶ ῥώμῃ, αὖθις Ἀλέξανδρος προσωνομάσθη λῃστὰς ἀμυνόμενος, καὶ τοῖς ποιμνίοις ἀλεξήσας, ὅπερ ἐστὶ βοηθήσας. καὶ μετ' οὐ πολὺ τοὺς γονέας ἀνεῦρε. *Æsacus puerum exitium illaturum esse fore respondit; proinde infantem exponi jubet. Hunc Priamus, simulac puer in lucem prodit, familiari ex-*
B *ponendum tradit, adsportandumque in Idam montem: huic servo nomen Agelao (sive Archelao) fuit; infans ut ab eo expositus est, quinque dies ab* URSA *nutritus est. Hic puerum nactus incolumem tollit; secum illum attulit, & quasi filium suum, indito illi Paridis nomine, educavit; qui cum jam grandiusculus evasisset, & plerisque, & corporis forma, & robore anteiret, quod prædonum vim incursusque repelleret, & ovilibus custodiendis adjumento foret, Alexandri cognomentum promeritus est. Neque multo post tempore inventos parentes agno-*
C *vit*. Hæc ille; at quomodo parentes agnoverit prodit Hyginus *loc. cit.* „ Cum ad „ puberem ætatem pervenisset, habuit „ taurum in deliciis; quo cum Satellites „ missi a Priamo, ut taurum adducerent „ ad ludos funebres Alexandri: ille amo„ re accensus tauri sui descendit in certa„ men, & omnia vicit, fratres quoque „ suos superavit. Indignans Deiphobus „ gladium adversus eum strinxit; at ille „ in aram Jovis Hercei insiluit; quod cum „ Cassandra vaticinaretur eum fratrem es-
D „ se, Priamus eum agnovit, Regiaque „ recepit. Herceus Jovis, teste Dionysio Halicarnasseo in primo *Antiquitatum Romanarum*, est Princeps deorum, qui *Patrii* nuncupantur; de quo Harpocration & Dinarchus. Eum colebant Trojani, profuitque ad excidium Paridi, non Priamo, unde Ovidius *in Ibim* vers. 284.

Paris expositus.

Liberatur.

Jovis Hercei ara.

Cui nihil Hercei profuit ara Jovis.

Per hunc Paris vivit, Regiam comburendam suo omine ingreditur, ut vere dicas cum Apulejo, ex Platone, *Fatum*
E *esse per quod inevitabiles cogitationes dei atque incepta complentur.* Lucanus *lib.* 2. vers. 9.

Quid est fatum?

Cinxit * *in æternum causas, qua cuncta coercet.*

Et ingenue more Gentilium Homerus lib. 12. *Iliad.* vers. 327.

Κῆρα οὐκ ἔστι φυγεῖν βροτὸν,
Fatum neminem puto effugisse hominum.

F Sibylla apud Virgilium lib. 6. *Æneid.* vers. 376. ad Palinurum ait,

Desine fata deum flecti sperare precando.

Hinc Democritus, Parmenides, & Epicurus apud Plutarch. lib. 3. *de plac. Philos.*

* Rep. *Fixit*.

fatum ac necessitatem unum idemque putabant: quod antea in Asclepio Trismegistus edixit: ita Ethnici deos ipsos fato parere credebant; unde Lactantius lib. 1. *de falsa Relig.* cap. 2. *Illud vero quale est? Esse fata, quibus dii omnes & ipse Jupiter pareat*: ideo Jupiter apud Ovidium vocat *insuperabile fatum*. A Chrysippo, quem refert Gellius *l.* 6. *cap.* 2. dicitur *indeclinabilis series rerum, & catena, volvens semetipsa sese, & implicans per æternos consequentiæ ordines*. Sed nos cum Seneca fatum deum dicimus, sive potius cum Divo Augustino l. 5. *C. D.* cap. 1. divinam providentiam, ipsamque Dei voluntatem, vel potestatem; *quæ si fati nomine quisquam appellat, sententiam teneat, linguam corrigat*. An fatum dicitur, quia effatur oraculis sacrisque voluminibus? An quia per Verbum Dei, quo fatur luminum Pater? An quia fata ab æterno eventusque præscripsit? An quia Dei voluntas est immutabilis? An quia quæ a Deo sunt, ordinata sunt, & oramus, ut fiat voluntas Dei? audi Augustinum lib. 5. *C. D.* cap. 8. *Ipsam itaque præcipuam Dei voluntatem, cujus potestas insuperabiliter per cuncta porrigitur, eos appellare fatum probatur*. Præcipue ex eo Senecæ, quem recitat lib. *epist.* 107.

Fatum, Providentia, Voluntas, Potentia divina.

Duc me summe pater, alti dominator Olympi,
Quocunque placuerit: nulla parendi mora est.
Adsum impiger: fac nolle comitabor gemens:
Malusque patiar facere, quod licuit bono;
DUCUNT VOLENTEM FATA, NOLENTEM TRAHUNT.

Nempe evidentissime hoc ultimo versu ea fata appellavit, quam supra dixerat patris voluntatem, cui se paratum obedire dicit, ut volens ducatur, ne nolens trahatur; illi quoque versus Homerici in *Odyssea* † Ulyssi ad Phemium, huic sententiæ suffragantur, quos Cicero in Latinum vertit,

Tales sunt hominum mentes, qualis pater ipse
Jupiter auctiferas lustravit lumine terras.

Quibus recitatis concludit Augustinus, apertissime declaratur a Jove, quem summum deorum putant, connexionem pendere fatorum: dicamus & nos, omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra, sit nomen ejus benedictum in sæcula.

Paris pulcherrimus.

CLXI. Paris igitur Alexander Regiam ingreditur adolescens pulcherrimus, quem Homerus in tertio *Iliad. deo similem, & divina specie* præstantem vocat. Hyginus *Fab.* 270. inter formosissimos illos recenset: sicut Absalom alter, & Nero, miræ pulchritudinis Princeps facem intulit Asiæ, concremavit Ilium, suosque usque ad Penates & sacra perdidit. Enimvero virtute omni abjecta Venerem voluptatesque sequebatur, inquit Athenæus; ideo hospitii sacrum violavit, & numina contemsit.

Sed quia locus urget, & historia suadet, dicamus tanti facinoris causam, & belli monimenta, quæ etiam Dido ante Æneæ adventum parietibus, artificum præstanti manu, expressit, viditque Æneas, dum ipsam operiebatur Reginam; unde Virgilius l. 1. *Æn.* vers. 457. ait:

Bellum Trojanum in templo Junonis depictum.

Namque sub ingenti lustrat dum singula templo,
Reginam opperiens dum quæ fortuna sit urbi,
Artificumque manus inter se, operumque laborem
Miratur; videt Iliacas ex ordine pugnas,
Bellaque jam FAMA TOTUM VULGATA PER ORBEM.

Philostratus in *Heroicis* Trojana prælia *omnium maxima* appellat: etsi Plinius *lib.* 35. *cap.* 23. illis temporibus picturam non fuisse scribat, optime Vates in templo Junonis depicta effinxit prælia, utpote admiranda, & scitu digna, penicillo calamoque exprimenda.

CLXII. Vetus Historia, quæ Fabularum involucris velata jacet, veritatem haud demonstrat, sed inter Scriptorum placita eam venari oportet. Belli igitur causam recenset Messala Corvinus ad Augustum: „ Priamus ubi in Græciam postulatum misisset, ut Hesiona soror, quæ „ a Telamone turpi servitio concubinæ „ tori tenebatur, in matrimonium duceretur, vel saltem restitueretur, derisus, neutrum obtinuit; quare Paris „ manu electissimorum Juvenum in Græciam æquora sulcavit, Helenamque „ Menelai Regis uxorem, Græcarum pulcherrimam, rapuit. Hanc Hesionam victor Hercules Telamoni dedit, quæ Priamum a servitute redemit.

Belli Trojani causa, Helena.

CLXIII. Sunt qui Helenam Veneris donum dicant, & ipsemet Paris ab Hectore reprehensus apud Homerum in 3. *Iliad.* vers. 64. testatur,

Donum Veneris.

Μὴ μοι δῶρ' ἔρατα πρόφερε χρυσῆς Ἀφροδίτης.
Οὔτι ἀπόβλητ' ἐστὶ θεῶν ἐρικυδέα δῶρα.

Ne mihi dona amabilia exprobra aureæ Veneris.
Non rejicienda sunt deorum inclyta dona.

Quare hoc illi donum dederit Venus, Scriptores variant; Suidas eruditum omni sapientia Græcorum, Paridem, orationem in laudem Veneris composuisse tradit, eamque Junoni & Palladi prætulisse; & in Venerem quoque hymnum cecinisse, quem *Ceston* vocarit: postea a patre in Græciam sacrificandi diis gratia missum, quum Spartam appulisset, Helenam rapuisse. Sic etiam Senecæ Scholiastes. Et Cælius *l.* 19. *c.* 19. ait: *Atque hinc fabellæ occasionem datam inter disceptantes deas, captum Judicem, datumque Veneri malum, id est, victoriam*; hinc mœsta Hecuba apud Senecam,

Paris Poeta Venerem laudat.

† Lib. 18. vers. 135. & 136. quos Vives adfert in *Notis ad loc. D. Augustini cit.* eos etiam citat Theon in *Progymn.* cap. 1.

—— jam dudum sonet
Fatalis Idæ Judicis diri domus.

Judex dearum constituitur.

Ovidius Paridem in Ida monte refert judicasse; Strabo autem in Antandro: Paris ad Oenonem Nympham apud Ovidium* inquit,

Atque utinam formæ Judex incallidus essem
Creditus Idæis Pegasi Nympha jugis!
Non mihi Junonis, nec obesset Pallados ira,
Laudata est oculis quod Cytherea meis.

Thetidis & Pelei nuptiæ.

CLXIV. Hinc Hyginus *Fab.* 92. „ Jovis, cum Thetis Peleo nuberet, ad epulum dicitur omnes deos convocasse, excepta Eride, id est, discordia: quæ cum postea supervenisset, nec admitteretur ad epulum, ab janua misit in medium malum; dicens, quæ esset formosissima attolleret. Juno, Venus, Minerva formam sibi vendicare cœperunt; inter quas magna discordia orta est: Jovis imperat Mercurio, ut deducat eas in Ida monte ad Alexandrum Paridem, eumque jubeat judicare: cui Juno, si secundum se judicasset, pollicita est in omnibus terris eum regnaturum divitem præter cæteros præstaturum: Minerva, si inde victrix discederet, formosissimum inter mortales futurum, & omnium artificiosissimum: Venus autem Helenam Tyndarei filiam formosissimam omnium mulierum se in conjugium dare promisit.

Pomum discordiæ.

Judicium Paridis.

Hactenus ille ex Coluthо Poeta Lycopolita Thebæo, qui occinit nuptias, quas Peleus celebravit cum Thetide, in ædibus Chironis Centauri, in Pelio monte Thessaliæ, quibus ipsi etiam dii cum Musis & Apolline interfuerunt; simulque de pomo Eridis, & Judicio Paridis, qui Veneris impulsu Helenam a Lacedæmone hospite Menelao Trojam abduxit cum ancillis duabus, Æthra & Thisadie, quas Castor & Pollux captivas ei assignarunt, aliquando Reginas. Sit, utcumque sit, hoc unum scio, historiæ fabulam addidisse colophonem: etenim Macrob. l. 5. *Satur.* c. 17. ait: „ Nullam commemorationem de Judicio Paridis Homerus admittit. Idem Vates Ganymedem non ut Junonis pellicem a Jove raptum, sed Jovialium poculorum ministrum in cœlis a diis adscitum refert, velut θεοπρεπῶς *decorum*. Virgilius tantam deam, quod cuivis de honestis fœminæ deforme est, velut specie victam Paride judicante doluisse, & propter Catamiti pellicatum totem gentem ejus vexasse commemorat. Jure dicamus cum Ovidio lib. 2. *Am.* eleg. 12. de Corinna victa:

ab Homero non admissum.

Nec belli nova causa mei: nisi rapta fuisset
Tyndaris, Europæ pax Asiæque foret;
Fœmina silvestres Lapithas, populumque biformem,
Turpiter apposito vertit in arma mero:
Fœmina Trojanos iterum nova bella movere

Ob mulieres præ ia.

Impulit, in Regno, juste Latine, tuo:
Fœmina Romanis etiam nunc Urbe recenti
Immisit soceros, armaque sæva dedit.
Vidi ego pro nivea pugnantes conjuge tauros, &c.

Thetis apud Papinium Statium in *Achilleide*:

Ecce novam Priamo facibus de puppe levatis
Fert Bellona nurum: video jam mille carinis
Ionium Ægæumque premi.

CLXV. Herodotus *lib.* 1. commemorat prælia totius Orbis terrarum ob mulierum raptum; porro Argos appulsos Phœnices mercimonia exposuisse ait, & fœminas ac Io Inachi Regis filiam ad mare venisse. In eas Phœnices sese adhortatos impetum fecisse, & ipsarum plerisque aufugientibus Io cum aliis aliquot fuisse raptam. quibus in navi impositis Phœnices in Ægyptum vela fecisse. Post hæc Græcorum quosdam Tyrum appulsos filiam Regis rapuisse Europam; illisque par pari repensum: verum postea Græcos secundæ injuriæ auctores, longa navi] in ora Colchidis ad Phasin fluvium rapuisse filiam Regis Medeam: quam cum Rex Colchorum reposceret, responderunt, illos de rapta Io pœnas non dedisse, nec restituisse quamvis postulatam. His prænarratis subjungit: „ Secunda dehinc ætate ferunt Alexandro Priami filio, cum ista audisset, cupidinem incessisse uxoris sibi per rapinam e Græcia comparandæ, certum habenti omnino se pœnas non pensurum, quas nec illi pependissent. Ita cum is Helenam rapuisset, visum esse Græcis, primum missis illuc nuntiis, & Helenam repetere, & pœnas de raptu petere: illos vero tergiversantes mentionem fecisse de raptu Medeæ, & qui nec pœnas dedissent, nec rapinam exposcentibus reddidissent, quomodo vellent ab aliis sibi pœnas dari? Recte Dio Chrysostomus facinora non punita perniciem Regnorum dixit; transeunt namque in morem gentiumque exitium. Princeps, ait Divus Paulus, non frustra fert gladium; est namque, teste Plutarcho ad Principem indoctum, *Dei imago*, qui facit judicium & justitiam omni tempore. Græcorum igitur rapinæ, incitamentum malorum fuerunt, & non punitæ ansam dederunt furandi; rapuitque Paris ob id Helenam, nec restituit, more Græcorum injurius & injustus.

Mulierum raptus.

Exempla non puniti facinoris Paridem impellunt ad raptum.

CLXVI. Reliquamus fabulas cuicunque tonsori obvias. Erudita dicamus abdita; placet namque revelata veritas; sicut Sol detractis nubibus, historia lucidior nitet, dum gesta recensentur Veterum, quæ Poetæ obvoluta cecinerunt fabulis. Athenæus lib. 12. *Deipnosophistarum* cap. 1. inquit: Τὴν τοῦ Πάριδος κρίσιν ὑπὸ τῶν παλαιοτέρων πεποιῆσθαι ἡδονῆς πρὸς ἀρετὴν οὖσαν σύγκρισιν. *Paridis judicium veluti comparationem quandam virtutis cum voluptate Priscos olim commentos fuisse.* Ita Xenophon, & ex eo Divus Basilius

Paridis Judicium interpretatur.

* Vel potius Sabinum, qui auctor est illius Epistolæ, qua Paris Oenonæ respondit.

Magnus fabulam de Hercule & virtute edidit, nam uti Empedocles ait,

Nullum ex Diis prorsus illi venerabantur,
Non Jovem Regem, non Saturnum, non Neptunum,
Sed REGINAM VENEREM,
Quam sacris statuis placabant, animalium picturis, & unguentis,
Syncerae myrrhae suffitu, ac thuris suaviter olentibus,
Effuso in pavimento melle flavo libantes.

Voluptuosi.

Ælianus lib. 9. *Var. Hist.* cap. 38. Τȣ̃ Πάριδος τί ἄρα ᾖσεν ἡ λύρα, εἰ μὴ μέλη μοιχικὰ, καὶ οἷα αἱρεῖν γυναῖκας καὶ θέλγειν; *Paridis lyra quid cecinit aliud, quam adulteriis accommodata carmina, & fœminis captandis demulcendisque magis convenientia?* Ideo Alexander Magnus cum Ilium venisset illam sprevit.

Paridis lyra temerè ab Alexandro Magno.

CLXVII. Altera est Herodoti in *Euterpe* l. 2. cap. 113. qui raptam Helenam Trojam non adiisse, sed a Proteo Ægyptiorum Rege una cum opibus apud se detentam scribit, probat Sacerdotum monumentis, & quia *Ædes in fano Vulcani est Veneris Hospitæ*, quam Helenæ fuisse dicunt; apud Ægyptios proinde sic adnotatur: „Alexandrum rapta ex Sparta Helena cum renavigaret domum in mari „Ægæo ventis cursu excussum in Ægyptiacum pelagus; atque illinc, non remittentibus flatibus in Ægyptum ad ostium Nili Canopicum Taricheasque „appulsum. Erat in eo littore Herculis „templum, ad quod confugiens quisque „salvus numine censebatur. Paridis igitur mancipia illud intrantes Helenæ raptum & Menelai hospitis injuriam exponebant. Ostii Nili Præfectus Thonis „quam citissime Memphim ad Proteum „mittit hæc nunciatum. *Epistolæ forma adhuc superstes hæc est*: „Peregrinus quidam venit Teucer, qui rem nefariam in „Græcia perpetravit; quippe seduxit hospitis uxorem, quam secum ducens cum „multis opibus in tuam terram ventis appulsus est. Utrum-ne sinemus eum abire „impune, an ea, quæ attulit secum, eripiemus? *Ad hæc remisit sapiens Rex Proteus, qui diceret*: „Virum istum, undecunque is sit, qui rem nefariam in hospitem suum perpetravit, comprehensum ad me deducite, ut quidnam dicturus sit sentiam. Hoc ubi accepit Thonis Alexandrum comprehendit, navesque ejus distinet: dehinc illum, Helenamque cum opibus, atque etiam servos „Memphim deducit. Interrogato Paride, „cum rem comperisset, sententiam hanc „tulit: Omnium hospitum deterrime, scelestissimum facinus admisisti, a tuo hospite erepta uxore, cum ea abiisti, compilataque hospitis domo venisti. Itaque „quoniam magni momenti esse duco necare hospitem, mulierem hanc atque opes tibi ut abducas non sinam; sed ego „hæc Græco hospiti reservabo; tibi vero „tuisque convectoribus, ut e mea terra „in aliam triduo transfretetis præcipio, „alioqui vos pro hostibus persecuturus. Probatur insuper ab arte medica, quam in Ægypto Helena didicit; asseritque Homerus in *Odyssea* lib. 4. vers. 227. venena temperare comparasse a Thonis uxore:

Helena apud Proteum in Ægypto remanet.

Paris retinetur ut impius & fur.

A rege reprehenditur.

Helena artem medicam edidicit.

Τοῖα Διὸς θυγάτηρ ἔχε φάρμακα μητιόεντα,
Εσθλὰ, τά οἱ Πολυδάμνα πόρεν Θωνος παράκοιτις
Αἰγυπτίη· τῇ πλεῖστα φέρει ζείδωρος ἄρȣρα
Φάρμακα, πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

Hoc habuit Jove nata probum præsensque venenum,
Quod Polydamna sibi Thonis donaverat uxor
Ægypti, quæ terra ferax fert plurima mixtim,
Multa quidem proba, multa autem damnosa venena.

Locum hunc difficillimum expendit Ælianus lib. 9. *Hist. Anim.* cap. 21. dicens: „Pharus Insula olim multis diversisque „serpentibus plena erat: & cum Thonis „accepisset custodiendam Helenam, inque ejus amorem incidisset, & vim illi „inferre conaretur, fama est illam uxori „Thonidis Polydamnæ rem omnem aperuisse: Polydamnam vero metuentem „ne propter formam sibi aliquando præferretur Helena, & simul miserantem „in Pharum eam exposuisse, & donavisse herbam serpentibus illic abundantibus adversariam; cujus sensus quamprimum perceptus est a serpentibus, illi „passim in terra se abdiderunt. Helena „vero herbam plantavit, quæ suo tempore semen serpentibus inimicum protulit, & Helenium appellata est. De hoc Helenio Ægyptio scribit Crateuas, & ex eo Dioscorides *lib. 1. cap. 28.* qui ait, *Radix in vino epota contra serpentium ictus auxiliatur.*

Serpentes necat.

Hinc apud Philostratum *Craterem Helenæ* legimus, expenditque in *Vitis Sophistarum*, & in *Epistola ad Antoninum*: sed ad rem Plinius *lib. 25. c. 2.* de Nepenthe: „Homerus herbas Ægyptias a Regis „uxore traditas suæ Helenæ plurimas „narrat, ac nobile illud Nepenthes, oblivionem tristitiæ veniamque afferens, „& ab Helena utique omnibus mortalibus propinandum. Et in *l. 21. cap. 21.* Helenium fortasse Nepenthes dicit, & *c. 10.* Helenium a lacrymis Helenæ dicitur natum; Cælius *l. 19. c. 3.* putat pharmacum illud *ex buglossa*: nam de ea scribit Galenus, *Vino injecta hilaritatem inducit.* Et ab Antiphonte & Plutarcho ex Nepenthe excogitatam *artem Alypiæ*, quæ vox tristitiæ carentiam indicat; describit buglossam, seu linguam bubulam, Dioscorides *l. 4. cap. 128. Verbasco simile est, folium in terra sparsum, nigrius, asperum, bubulas imitans linguas, quod in vinum dejectum animi voluptates auget*: qua de re nos alibi lib. 1. *Obeliscorum*, ubi de Regibus, qui Obeliscos erexerunt. Argumentum pro Herodoto & Sacerdotibus Ægyptiis stat, Helenam scilicet apud Ægyptios divertisse, & Homerus Menelaum ad Telemachum loquentem sic facit *Odyss.* lib. 4. vers. 351.

Nepenthem præparat ex buglossa.

Αἰγύπτῳ μ' ἔτι δεῦρο θεοὶ μεμαῶτα νεέσθαι
Εσχον, ἐπεὶ ὔ σφιν ἔρεξα τελειέσσας ἑκατόμβας.

Huc etiam Ægypto dii me tenuere reverti
Conantem, quibus haud tuleram solemnia sacra.

Jovi exprobratur favor Paridis.

CLXVIII. Antiquitatis hæc monumenta latent, clariora viri eruditissimi dabunt, cum Hesiodo Cyprios versus suspectos habeo, quibus dicitur *Alexander ex Sparta Helenam ducens, triduo Ilium pervenisse, secundo vento usus ac tranquillo mari*. Similiter Iarba Jovem exprobrat Paridis fautorem, apud Virgilium lib. 4. *Æneid.* vers. 215.

Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu
Mæonia mentum mitra, crinemque madentem,
Subnixus, rapto potitur.

Bellum adversus Trojanos.

Quod exploratum ac verum existimo, est bellum Græcorum adversus Trojanos, post missos oratores pro redditu Helenæ: *Græcorum Reges armantur, & Agamemnone Duce*, inquit Messala Corvinus, *post decennem obsidionem, Trojæ mœnia capta in ruina ac cinere jacuere solo*. Recenset Hecuba exercitum apud Senecam in *Troade* vers. 8.

Qui convenere adversus Trojanos.

Ad cujus arma venit, & qui frigidum
Septena Tanain ora pandentem bibit;
Et qui renatum prorsus excipiens diem,
Tepidum rubenti Tigrin immiscet freto,
Et quæ vagos vicina prospiciens Scythas
Ripam catervis Ponticam viduis ferit.

Paucos mulier præ dolore luctuque insana numerat, Tanais & Euphratis accolas, videlicet Memnonem, qui sive ex Susis, sive ab Æthiopia Trojam venit. Tangit classem Ovidius lib. 12. *Metam.* vers. 5.

Postmodo qui rapta longum cum conjuge bellum
Attulit in patriam; conjurataeque sequuntur
MILLE RATES, *gentisque simul commune Pelasgæ.*

Mille naves.

Moram inde canit, cum Neptunus parcere Trojæ avet, & Iphigeniæ completur ad aras sacrum, tandem diis placatis ait *ibid.* vers. 37.

Accipiunt ventos a tergo mille carinæ,
Multaque perpessæ Phrygia potiuntur arena.

Earum numerus non constat.

Numerus navium apud Scriptores, teste Spondano, non constat; ponit Homer. naves MCLXXXVI. Dares MCLXX. Dyctis Cretensis MCCXV. Plutarchus MCC. Sed an mille tantum dicuntur, ut *centum vir* quamvis plures fuerint? certe in sacris Scripturis quam sæpe, ait Beda, numerus parvus reticetur. Vetus Poeta apud Tullium lib. 1. *de Divin.* cap. 67.

Jamque mari magno classis cita
Texitur, exitium examen capiti,
Classis advenit, & fera velitantibus
Navibus complevit manus littora.

Denuo Ovidius in *Epistola Paridis ad Oenonem* *,

Et magnos video cogi mihi rapta tumultus,
Armatæque petunt Pergama mille rates.

Nomina Ducum eorumque naves.

CLXIX. Curiose Hyginus describit illos, qui ad Trojam expugnatum ierunt, eorumque naves *Fab.* 97. & sunt Agamemnon navibus C. Menelaus frater ejus Mycenis navibus LX. Phœnix Argivus navibus L. Achilles ex Insula Scyro navibus LX. Automedon auriga Achillis navibus X. Patroclus navibus X. Ajax Salamine navibus XII. Teucer frater ex Hesiona Laomedontis filia navibus XII. Ulysses Ithaca navibus XII. Diomedes Argis navibus XXX. Sthenelus Argis navibus XXV. Ajax Locrus navibus XX. Nestor Pylius navibus XC. Thrasymedes frater Pylius nav. XV. Antilochus Nestoris filius nav. XX. Eurypylus nav. XL. Machaon Attica nav. XX. Podalirius frater ejus nav. IX. Tlepolemus Herculis & Astyoches filius Mycenis nav. IX. Idomeneus Deucalionis filius a Creta nav. XL. Meriones nav. XL. Eumelus a Perrhebia nav. VIII. Philocteta Melibœa nav. VII. Peneleus e Bœotia nav. XII. Pithus ex eadem nav. XII. Chronius frater ejus nav. IX. Arcesilaus nav. X. Prothœnor nav. VIII. Ialmenus Argis nav. XXX. Ascalaphus frater ejus nav. XXX. Schedius nav. XXX. Epistrophus X. Elephenor XXX. Menœæ filius Athenis L. Agapenor ab Arcadia LX. Amphimachus Elea X. Eurychus XV. Amarunceus XIX. Polysenes ab Ætolia XL. Meges LX. Thoas XV. Podarces frater ejus X. Prothous XL. Cycnus XII. Nireus Argis navibus XVI. Antiphus Thessalus XX. Polybœtes XX. Leophites XIX. Calchas Augur, Phocus Architectus, Eurybates & Talthybius Internuncii, Diaphorus Judex, & Neoptolemus. Hactenus ex Hygino. Desunt plura, & nomina variant ab Homero, ut videre est in secundo *Iliad.* numerus etiam deficit, sed hæc indigitasse satis superque duxi.

Occurrunt Trojani armati.

CLXX. Classis Heroum tandem ad Trojana littora pervenit, & Teucri parati ad bellum conseruere manus, canitque Ovidius l. 12. *Met.* vers. 64.

Fecerat hæc notum Grajas cum milite forti
Adventare rates, neque inexspectatus in armis
Hostis adest: prohibent aditus, littusque tuentur
Troes, & Hectorea primus fataliter hasta,
Protesilae, cadis; commissaque prælia magno
Stant Danais, fortesque animæ, nec cognitus Hector;
Nec Phryges exiguo, quid Achaica dextera possit,

Protesilaus primus occiditur

* Vid. sup. Not. pag. 149.

Sanguine senserunt: & jam Sigæa rubebant
Littora: jam letho proles Neptunia Cycnus
*Mille viros declarat**: *jam curru instabat Achilles*, &c.

Pugnam hanc eleganter descriptam Lector totam percurrat, & Ovidii præstantiam in describendo cognoscat.

A

CLXXI. Toto decem annorum spatio præliis dubiaque fortuna concertarunt; tandem corruit Hector, & sacris furto sublatis, Troja periit. Ne tamen Lector plura in votis habeat, dabo compendium Ausonii *Periochæ in Homeri Iliadem*.

B

Gesta Græcorum, Trojanorumque ex Iliade Homeri.

CLXXII. Homerus orsus ab iracundia Achillis usque ad sepulturam Hectoris quatuor & viginti libros contexuit. Et cum decenne fuerit bellum ultimum pene annum recenset. Horum omnium prima origo est *Paridis judicium inter deas*. Deinde classis contextio; plerique Helenam ad Trojam deportatam existimant, nonnulli per Ægyptium Regem servantissimum justi virum Paridi sublatam, expugnatoque demum Ilio, Menelao restitutam. Chryses Apollinis Sacerdos, ob redimendam filiam, quum Agamemnoni supplicasset contumeliose repulsus, deum precatur ultorem: insecuta proinde gravi pestilentia; cogit Achilles concilium, & Calchas morbi causam compellitur indicare: qua cognita Agamemnon concitatur in Achillem, qui percitus iracundia etiam cædem Regis audebat; vetat Minerva, & Briseis concubina in locum Chryseidis, quæ patri reddebatur, abducta est. Inde Thetis mater ad cœlum, lacrymas & contumeliam filii miserata, proficiscitur; Trojanos adjuvat; sed Juno iracunde in eam fertur; tandem gliscens jurgium Vulcano intercedente lenitur. Jupiter Agamemnonem somno monet prælii faciendi tempus adesse; aperit Ducibus jussa, & militum pertentat animos, & ut ad sua redeant suadet. Ab Ulysse fœda discessio cohibetur; a quo etiam Thersites contumeliosus in Heroas acerba objurgatione pulsatur. Armatur utraque acies Iride ita monente, producitur. Instructum prælio exercitum Priamus spectat e muris, & monstratu Helenæ de viris insignibus edocetur: dehinc Menelaus ab Alexandro provocatur: qui frustra Agamemnone dehortante congreditur, facta inter utrosque populos sponsione, ut victorem Helena cum dote sequeretur: superatus Paris, regressusque ad urbem jurgio uxoris excipitur: ab Agamemnone fœderis pacta repetuntur. Jovi placet delere Trojam, ad quod pertinacia Junonis urgetur; vulnerato a Pandaro Menelao a Græcis prælium instauratur: Diomedes auxilio Minervæ strenue præliatur: Venus quoque filio subvenire conata, vulnere affecta digreditur. Mars etiam fit saucius, exceditque bello. Sequitur Tlepolemi Sarpedonisque congressio; ille victus occiditur. Helenus suadet, ut Minerva placetur. Alexander objurgatus a fratre pergit in prælium: Glaucus Lycius Ætulosque Diomedes congressi, ut dimicarent, paterna inter se hospitia recordati discedunt. Minervæ Apollinisque consensu fortissimus Græcorum ab Hectore provocatur: congreditur Ajax, a quo Hector lapide ictus discessit: muniuntur castra, & interfectorum humatio procuratur. Acto deorum concilio Jupiter pronunciat, nullus deorum odio in alteros, vel favore procedat. Græci conterriti ad munimenta se tuentur; multisque ignibus factis per totam noctem de belli ratione consultant. Fugam Agamemnon, Diomede & Nestore dehortantibus, suadet. Ajax & Ulysses Achillem deprecantur, ut fessis succurrat, re infecta discedunt. Dolonem inveniunt consiliorum exploratorem, & interficiunt. Proinde a Græcis egregie, sed improspere dimicatur. Ideo Achilles redit, & Patroclum ex vulnere ægrum curat: cadunt Græci, expugnatisque navalibus a Trojanis pugna conseritur. Adest Neptunus Argivis, & ingenti clamore utrinque certatur: Juno dum Jupiter dormit mutata specie suos adjuvat; at ille experrectus videt pelli Trojanos, Græcis opem ferente Neptuno, Junonem increpat, Hectorem recreat, monetque Phrygibus belli instaurare fortunam: Achilles Græcos miseratur, armis suis Patroclum permittit armari, qui fugatis Trojanis Sarpedonem perimit, tandem ab Euphorbo vulneratus, interficitur ab Hectore, qui ad ostentationem gloriosi facinoris Achillis exuviis armatur; Achilles in miserabilem modum Patrocli deflet interitum, ad Junonis instantiam extra vallum, quamquam inermis, egreditur, terret, fugatque Trojanos. Postea Vulcanus exhortatus a Thetide, tota nocte cælestia in gratiam Nymphæ arma molitur: sic Achilles armis cælestibus, ope Vulcani, & munere matris, instruitur, iracundiam deponit, & coram concione muneribus ditatur. Integris amborum copiis inter utrosque exercitus pugna conseritur. Dein permissu Jovis in partes deorum studia diduntur, quum pro Græcis Juno & Minerva decertarent, neque secius eos Neptunus, & Mercurius, & Vulcanus asserent: Trojanos Apollo cum Venere, & Diana cum matre, Mars etiam, & cum eis Scamander, adjuvarent: Æneam cum Achille congressum nube circumdatum Neptunus eripuit: fugiunt Trojani, ex quibus duodecim juvenes Patrocli inferiis immolantur ab Achille: Hector singulari certamine cum Achille congreditur, Priamo atque Hecuba ne pugnaret orantibus; Minerva e contrario specie Deiphobi ut dimicet adhortante, interfectus & religatus ad currum ter circum mœnia Trojana raptatur, in ultionem Patrocli, cujus in honorem funebres ludi frequentantur; quibus Diomedes equis superat, Ulysses lucta; Jovis jussu & Mercurii hortatu Priamus auro filium rependit exanimum, redemtumque justitio publico, & deflet, & sepelit. Huc usque Iliadis cum Ausonio epitomen dedimus.

C

D

E

Hector interfectus.

F

CLXXIII. Hectore interfecto fit planctus præeunte Hecuba apud Senecam:

——sævite manus,
Pulsu vasto tundite pectus:

* Rescr. *dederat*.

Non sum solito contenta sono:
Hectora flemus.

Tanti Herois inscripsit Tumulum Ausonius in *Epitaphiis Heroum*:

Hectoris hic tumulus, cum quo sua Troja sepulta est:
Conduntur pariter, qui periere simul.

Equus Trojanus. Proinde Equum comparant onustum clade, Teucrorum immane exitium, quem Æneas describit, velut excidii irreparabilis omen, lib. 2. *Æneid.* verſ. 13.

—— fracti bello, fatisque repulsi
Ductores Danaum, tot jam labentibus annis,
Instar montis EQUUM *divina Palladis arte*
Ædificant; sectaque intexunt abiete costas.
Votum pro reditu simulant; ea fama vagatur.
Huc delecta virum sortiti corpora furtim
Includunt cœco lateri; penitusque cavernas
Ingentes, uterumque armato milite complent.

Latent in equo Græci. Petronius Arbiter eleganter vastitatem ventris describit,

Aperitur ingens antrum, & obducti specus,
Qui castra caperent: huc decenni prælio
Jurata virtus abditur, stipant graves
Equi recessus Danai, & in voto latent.

Eorum numerus. Sunt, qui ter mille armatorum pondere librent Equum, apud Izacium, nonnulli quinquaginta, & ipse viginti tres latuisse occinit; Cassandra in *Agamemnone* Senecæ, infelix inquit verſ. 626.

Vidimus simulata dona molis immensæ
Danaumque fatale munus traximus * *nostra*
Creduli dextera; tremuitque sæpe
Limine in primo sonipes, cavernis
Moles plena dolo. *Conditos* REGES, *bellumque gestans:*
Sæpe commotæ sonuere parmæ,
Tacitumque murmur percussit aures,
Et fremuit male subdolo
Parens Pyrrhus Ulyssi.
Secura metu Troica pubes
SACROS GAUDET TANGERE FUNES.

Hyginus quos gestaret accurate descripsit *Fab.* 108. Menelaum, Ulyssem, Diomedem, Thessandrum, Sthenelum, Acaman, Thoadem, Machaonem, & Neoptolemum; porro istos fuisse Duces, reliquos ex delectu militum; at Reges recensent Coluthus & Smyrnæus. Erat scriptum in Equo,
Inscriptio. DANAI MINERVAE DONO DANT.
Cassandra vaticinatur. Adversa conclamat Cassandra; Laocoon ingentem hastam in latus contorquet, & teste maximo Vatum lib. 2. *Æneid.* verſ. 52.

* Alii melius *duximus*.

A *—— stetit illa tremens, uteroque recusso*
Insonuere cavæ, gemitumque dedere cavernæ.

Erant namque latera *ex robore*, inquit Petronius; *ex abiete* Virgilius & Propertius; *ex corno* Pausanias in *Laconicis*; vociferatur Laocoon *ibid.* verſ. 49.

Quicquid id est, TIMEO DANAOS, ET DONA FERENTES.

B At vulgus festinat sacrum inducere Equum, & teste Virgilio *ibid.* verſ. 237. Vulgus trahit Equum.

—— scandit fatalis machina muros
Fœta armis; circum pueri innuptæque puellæ
Sacra canunt, funemque manu contingere gaudent.
Illa subit, mediæque MINANS *illabitur urbi.*

CLXXIV. Nihilominus viri eruditissimi ex fabula militarem venantur machi- Equi interpretatio. C nam; cumprimis Palæphatus ait: *Achivos ligneo in Equo Ilium expugnasse tradunt, qui quidem sermo vanus utique & fabulosus omni ex parte est*; pergit Cælius Rhod. *l.* 21. *cap.* 2. *Equum Durium Epei opus fuisse, Pausanias interpretatur machinam muris dissolvendis: cujus æneum simulachrum in Acropoli fuerit.* Quam vero machinam silent; sed Plinius *lib.* 7. *c.* 56. scribit: *Equum (qui nunc* ARIES *appellatur) invenisse in muralibus machinis Epeum ad Trojam*; describitur a Vitruvio *lib.* 10. *cap.* 19. & Vegetio *lib.* 4. Tertulliaus in libro *de Pallio* inquit: *Aries trabes* D *machina est, quæ muros frangere militat*, describitur a Josepho Heb. l. 3. *Bel. Jud.* cap. 9. „Est aries immensa materia, malo „navis assimilis, cujus summum gravi „ferro solidatum est, in arietis effigiem „fabricato: dependet autem funibus me„dius ex trabe alia, palis utrinque ful„tus, retrorsum autem magna virorum „multitudine repulsus mœnia percutit, „&c. Hinc testudo arietaria apud Procopium l. 1. *de Bello Goth.* de qua Vitruvius & Athenæus. Ita Pausanias in *Atticis*, Aries fuit machina tormentorum instar frangens mœnia. E asseritque Vitruvius. Lucretius *de rerum Natura* l. 1. verſ. 476. *Durateum Equum* dixit:

Nec cum † *Durateus Trojanis Pergama partu*
Inflammasset Equus nocturno Grajugenarum.

Politianus in *Miscellaneis ligneum* interpretatur ex Homero l. 8. *Odyss.*

F Ἀλλ' ἄγε δὴ μετάβηθι, καὶ ἵππου κόσμον ἄεισον
Δουρατέου, τὸν Ἐπειὸς ἐποίησεν σὺν Ἀθήνῃ.

Verum age jam progredere, & Equi structuram cane
Lignei, quem Epeus fabrefecit cum Minerva.

Epeus fuit artifex, inventor vero Calchas vates, de quo Virgil. l. 2. *Æn.* verſ. 185. A Calchante reperta.

† Rest. *clam.*

Hanc tamen immensam Calchas attollere molem
Roboribus textis, cœloque educere jussit.

Perdidit Trojam. CLXXV. Certum est Trojanos amisisse deos, & ex tunc corruisse urbem. An ob facinus Alexandri, ejusque adulterium, ac perfidiam in hospitem? ita sentit Augustinus, qui adulteros urbium exterminium vocat; An ob luxum Teucrorum, amoresque infandos? sic Fulgentius significat; An ob injuriam, & urbem non servatam? An ob crapulam? ita Hyginus *Fab.* 108. *Cum noctu lusu atque vino lassi obdormissent, Achivi ex Equo aperto a Sinone exierunt, & portarum custodes occiderunt, sociosque signo dato receperunt, & Troja sunt potiti.* Et Virgilius *lib. cit.* vers. 265.

Adulterium. Luxus.

Invadunt urbem somno vinoque sepultam.

An ob proditionem Antenoris & Æneæ? Dionysius Halicarnasseus signatis Scriptoribus refert; An quia evocarunt ritu solenni numina? consentit Petronius, *Contraque Troas Troja invocant sacra,* qui mos postea Romanis sacer, ut Livius *l.* 5. & Arnobius in tertio *contra Gent.* An ob excessum deorum? cecinit equidem Virgilius *ibid.* vers. 351.

Deorum excessus.

Excessere omnes adytis, sacrisque relictis
Di, quibus Imperium hoc steterat.

Seneca in *Troade*, *superos testes sceleris* appellat, & denuo Hecuba *deorum numen adversum* clamat; nam teste Tertulliano in l. *de Idololat. Populis fatales Genii divinantur*, appellarque CUSTODES URBIUM. Petronius Arbiter, *Peritura Troja perdidit primum deos*; nam Diomedes & Ulysses nocturno furto Palladium subripuerunt, hoc erat Trojæ sacrum, hoc fatum: & Martianus Capella *lib.* 2. *Secretum Trojæ* appellat. Adsportavit Diomedes, posuitque inter Athenarum sacra, quod cum, victa Troja, peteret Agamemnon, ille negavit, tandem fictum pro vero dedit, & remansit pignus perpetuæ securitatis Atheniensibus. Vocatur namque ab oraculo apud Dionysium Halicarnasseum, *munus Palladis servans urbem*. Ad rem Virgilius l. 2. *Æneid.* vers. 162.

Palladium sublatum.

Omnis spes Danaum, & cœpti fiducia belli
Palladis auxiliis semper stetit; impius ex quo
Tydides, sed enim scelerumque inventor Ulysses,
FATALE *aggressi sacrato accedere * templo*
PALLADIUM, *cæsis summæ custodibus Artis* †
Corripuere SACRAM EFFIGIEM.

CLXXVI. Gladius & ignis infandum Trojæ excidium post decem annos complevere, nam Equi partus cladem undique teterrimam edidit. Virgilius *lib. cit.* vers. 328.

Arduus armatos mediis in mœnibus adstans
Fundit Equus, victorque Sinon incendia miscet
Insultans: portis alii bipatentibus adsunt
Millia quot magnis nunquam venere Mycenis.
Obsedere alii telis angusta viarum
Oppositi: stat ferri acies mucrone corusco
Stricta, parata neci.
URBS ANTIQUA RUIT, *multos dominata per annos.*

Militum incursus. Urbs Troja capta.

Urbs igitur vastatur propriis exusta incendiis anno O.C. MMDCCLXVII. post decennalem obsidionem diebus XXVII. ante Solstitium æstivum, ut Dionysius Halicarnasseus, & ex eo Sethus tradit: Ante V. C. CDXXXII. quo tempore in Italia, teste Vellejo Paterculo, Mantua urbs condebatur. Ante C. N. MCLXXXII. quamvis Marlianus aliter computum sibi faciat; Clemens Alexandrinus l. 1. *Strom. Octavo decimo anno Regni Agamemnonis captum est Ilium, Demophoontis Thesei filii anno primo, duodecimo mensis Thargelionis*, quod etiam scribit Dionysius Argivus; Ægias autem & Dercylus in tertio, octavo mensis Panemi desinentis: Hellanicus in duodecimo mensis Thargelionis: & nonnulli eorum, qui Attica scripserunt, octavo desinentis, postremo anno, regnante Menestheo, in plenilunio: *Noctis quidem erat medium*, inquit is, qui parvam fecit Iliadem, *& splendebat lucida Luna*; Eusebius ann. XIII. Agamemnonis Trojæ excidium notat: ante primam Olympiadem ann. CDVI. a nativitate Abrahæ CCMXXXV. a nativitate Mosis CDX.

Tempus excidii. Variæ opiniones.

In clade illa teterrima non unus fortunæ ludus; Seneca ait in *Troad.* vers. 54.

—— ille tot Regum parens
Caret sepulchro Priamus, & flamma indiget
Ardente Troja: non tamen Superis sat est,
Dominum ecce Priami nuribus & natis legens
Sortitur urna; præda quem vilis sequar?
Hic Hectoris conjugia desponcet sibi:
Hic optat Heleni conjugem: hic Antenoris, &c

Priamus caret sepulchro.

CLXXVII. Helena redit ad sponsum, sive apud Ilium, sive apud Ægyptios servata viro: qui legit attendat, & luxum abigat, sunt hæc politiæ monumenta, ut cives virtuti magis quam voluptatibus studeant; perdunt namque impios, simulque urbes. Prodigus filius, ut accessit voluptuosus: *Facta est fames valida in Regione illa*, inquit sacer contextus: & Nero dum Iliadem canit, Romam incendio vastat. Legat igitur & edificat Lector, ut proficiat.

Mulieres principes forte distributæ.

* Rescr. *avellere*. † Leg. *Arcis*.

CA-

CAP. XIV.

Sequitur post Trojæ excidium Romuli Remique parentum series ab Anchise & Ænea.

CLXXVII. De arcano Urbis nomine & Ilio satis disputavimus; restat nunc Romulus, Heroum genus maximum, a quo Roma sumsit originem; Poetas novimus cecinisse Æneam Veneris filium, idque ob pulchritudinem, vel fatalem cum mulieribus consuetudinem, moresque generosos & amabiles: Floridus Sabinus lib. 2. *Lectionum subcisivarum* cap. 24. adversus Landinum probat, *Æneam ideo ab Antiquis Veneris filium fuisse appellatum, quod forma excellens Veneris favore natus visus est;* nec male: enimvero pulcherrimus erat, ut a Virgilio describitur coram Didone nube scissa l. 1. *Æneid.* vers. 593.

Æneas Veneris filius ob pulchritudinem.

Restitit Æneas, claraque in luce refulsit,
Os humerosque DEO SIMILIS: *namque ipsa decoram*
Cæsariem nato genitrix, lumenque juventæ
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores:
Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo
Argentum, Pariusve lapis circumdatur auro.

Hunc locum Scaliger in *Poet.* comparat cum sexto *Odyss.* Homeri, & Virgilium commendat. De Anchise scribit Messala Corvinus ad Augustum, ejusque genus breviter enarrat: *Assaracus Troi filius, Ili frater, genuit Capym, Capys Anchisen, Anchises Æneam, Æneas Ascanium ex Creusa matre natum.* Antiquitatem a Dardano recensebamus paulo ante, a quo illustres Regum animas usque ad excidium novimus. Sed matrem Æneæ divinat Deiphobe Phœbi ac Triviæ Sacerdos, dum numinis illapsu deum patitur, illumque alloquitur, *Sate sanguine divum Tros Anchisiade*, &c. Similiter Sophocles in *Laocoonte*, apud Dionysium Halicarnasseum, inquit: „Nunc in porta est Æneas deæ filius, humeris bajulans patrem, siderata terga amictum, „fluxa veste byssina: hunc stipat tota „turba familiarium, & sequuntur Phryges. Hyginus *Fab.* 94. id ipsum premit, additque præceptum, ut deæ sileret concubitum: „Venus Anchisam Assaraci filium amasse, & cum eo concubuisse dicitur, ex quo procreavit Æneam; ei„que præcepit ne id apud homines enunciaret; quod Anchises inter sodales per „vinum est eloquutus, ob id a Jove ful„mine est ictus. Quidam dicunt eum sua morte obiisse. Ovidius in *Epistola Paridis* *,

Anchisæ genus.

Veneris cum eo consuetudo.

Publicat ebrius facinus.

Anchisen propter voluit formosa videri,
Visaque post latam jacuit ulta deam.

* Vide sup. Not. pag. 149.

A Simile facinus siluisse Olympiam Plutarchus & Curtius scribunt, & Augusti matrem, ne Draconis ostenderet caracterem, a balneo se abstinuisse refert Suetonius. Sacra namque sunt occultanda, numina præcipue, ne vilescerent; annuitque Apulejus in *Psychi & Cupidine*: apud Virgilium lib. 2. *Æneid.* vers. 647. animadverto Anchisen fulmine perculsum, diisque invisum, dum ait, primum Ilii excidium sub Rege Laomedonte vidisse,

Ideo diis invisus.

Jam pridem invisus divis, & inutilis annos
B *Demoror, ex quo me divum pater atque hominum Rex*
Fulminis afflavit ventis, & contigit igni.

Nec siluit minas Homerus in *Hymno ad Venerem* vers. 287.

Εἰ δέ κεν ἐξείπῃς καὶ ἐπεύξεαι ἄφρονι θυμῷ,
Ἐν φιλότητι μιγῆναι ἐϋστεφάνῳ Κυθερείῃ,
Ζεὺς σε χολωσάμενος βαλέει ψολόεντι κεραυνῷ.

Si autem rem ipsam dicas, & jactes dementi animo,
C *In amore mistum fuisse cum bene coronata Cytherea,*
Jupiter te iratus feriet ardenti fulmine.

Servius addit, *Fulminatus est Anchises, quia se cum Venere concubuisse jactabat;* sed sciendum, eodem Servio auctore, ex Seneca, tria esse fulminum genera, quod afflat, quod incendit, quod findit. Plinius *lib. 2. cap. 20.* inquirit, quare Jovi fulmina assignentur? Orpheus in fulminantem Jovem hymnum occinit, cum suffimento styracis: etenim teste Horatio D lib. 3. *Carm.* od. 3. dicitur, *Fulminantis magna Jovis manus.* Hæc Anchisen afflavit, ut disceret sobrie loqui, deorumque occultare facinora.

Fulmine afflatus.

Jovis fulmina.

CLXXIX. Præstabat pulcherrimus Anchises, asseritque Hyginus *Fab.* 270 „Formosissimi fuerunt Iasion Coriti filius, „quem Ceres dicitur amasse: Anchises „Assarici filius, quem Venus amavit: A„lexander Paris Priami filius & Hecubæ, „quem Helena secuta est. Pulchritudo deam evocavit ad facinus, fecitque prostitutam ex numine meretricem; infanda E hæc concinebat Antiquitas, ut libidinis suæ effingeret actus. Hinc Lactantius Firmianus lib. 1. *de falsa Relig.* cap. 17. inquit: „Quid loquor obscœnitatem Vene„ris omnium libidinibus prostitutæ, non „deorum tantum, sed & hominum? hæc „enim ex famoso Martis stupro genuit „Harmoniam: ex Mercurio Hermaphro„ditum, qui est natus Androgynus: ex „Jove Cupidinem: ex Anchise Æneam: „ex Bute Erycen: ex Adone quidem nul„lum potuit, quod etiam tum puer ab „apro ictus & occisus est: quæ prima (ut F „in historia sacra continetur) artem me„retriciam instituit, auctorque mulieribus „in Cypro fuit, uti vulgo corpore quæ„stum facerent: quod iccirco imperavit, „ne sola præter alias mulieres impudica „& virorum appetens videretur. Hinc concha Veneri sacra, occinitque Tibullus *lib. 3. eleg. 3.*

Anchises formosissimus.

Venus obscœna.

Et faveas concha Cypria vecta tua.

Signum Veneris Cypriæ.

Ejus simulachrum exhibet Macrobius lib. 3. *Sat.* cap. 8. *Signum Veneris est Cypri, barbatum corpore, sed veste muliebri, cum sceptro ac statura viri, & putant eandem marem ac fœminam esse;* turpe signum, indignum aris & thure, sed igni maximopere dignum; ita etiam Philochorus in *Atthide*, Lævinus, & Aristophanes, qui eam *Aphroditen* vocat; Hesiodus in *Theogonia* vers. 16.

Καὶ Θέμιν αἰδοίην, ἑλικοβλέφαρόν τ' Ἀφροδίτην,
Et pudibunda Themis, curvis ciliisque Aphrodite.

Currus eum gloribus.

Ejus currum cygnis vehi cecinere Vates. Ovidius in *Metam.* lib. 10. vers. 718.

Cypron olorinis nondum pervenerat alis.

Papinius Statius in *Epithalamio Stellæ & Viol.* lib. 1. *Sylv.* cap. 2.

—— *Amyclæos ad frena citavit olores,*

Horatius lib. 3. *Carm ad Lyden* od. 28.

—— *quæ Cnidon,*
Fulgenteisque tenet Cycladas, & Paphon
Junctis visit oloribus.

Alibi utitur passeribus Venus, ut canit Sappho. Apulejus in sexto *Metam. vectam columbis* illam ostendit, & propter oscula, interpretatur Phornutus. Plutarchus in *præceptis connubialibus* scribit, Eleis Venerem testudinem pede calcantem Phidiam effecisse; Cypria tantum commessabunda oloribus gaudet, Horatius l. 4. *Carm.* od. 1.

Tempestivius in domo
*Pauli, marmoreis * ales oloribus*
Commessabere Maximi.

Cur gaudet cygnis.

Cur cygnus Veneri? An quia canit & perit? ita Job de impudicis: *Tenent citharam, gaudent ad sonum organi, & in puncto descendunt ad inferna viventes.* An quia pennis tegunt candidis nigerrimam carnem? ita hypocritæ, dum teterrimæ carnis voluptatibus dant operam, exterminant facies suas, ut videantur casti ab hominibus. An quia protenso devorat collo? equidem luxus heluones sequitur, inquit Gregorius Pontifex, & cum Cerere & Baccho ardet Venus. An quia est ales invisa deo? sic Ovid. l. 2. *Metam.* vers. 377. canit,

Fit nova cygnus avis; nec se Cæloque Jovique
Credit.

Obscœni deo indigni, velut adolescens prodigus, porcos alunt, porcorumque sodales, auctore Tertulliano, cœlum despiciunt, & terræ gaudent intuitu. An quia procul ab hominibus flumina petunt & lacus? audi Ovidium *ibid.* vers. 379.

Stagna petit, patulosque lacus; ignemque perosus,
Quæ colat, elegit contraria flumina flammis.

Certe impii in via Ægypti bibunt aquam turbidam, & ignem divini amoris perosi timent, Veneremque inclamant; Virgilius lib. XI. *Æneid.* vers. 458.

*Dant sonitum rauci per stagna loquentia * cygni.*

Anchises Vates.

CLXXX. Anchises interim Princeps pulcherrimus, ea qua præstabat specie Imperii digna, sacris dat operam, & deæ suffultus numine, fit Vates: occinit tanti Vatis monumenta Ennius,

Atque Anchises, doctum Venus quem pulchra dearum
Fari donavit, divinum & pectus habere.

Ex Pontificum libris expendit Varro lib. 5. *L. L. qui divina prædivinando solent fari, fatidici dicti.* Nævius l. 3. *Bell. Pun.* Vatem & sacrificulum perhibet: Sacrificat.

Postquam avim adspexit
Templo Anchises, sacra in
Mensa Penatium ordine
Ponuntur: immolabat
Auream victimam pulchram.

Virgilius lib. 3. *Æn.* vers. 537. a visis equis omen futuri belli præcinisse ait:

Quatuor hic, primum omen, equos in gramine vidi
Tondentes campum late candore nivali. Interpres.
Et pater Anchises; Bellum o terra hospita portas,
Bello armantur equi, bellum hæc armenta minantur.
Sed tamen iidem olim curru succedere sueti
Quadrupedis, & frena jugo concordia ferre.
Spes est PACIS, *ait.*

Sic Orus apud Plutarchum Osiridem monuit, equum bello maxime commodum esse; & Pierius *lib.* 4. ait, *Equi hieroglyphicum est belli signum esse:* a Virgilio l. 2. *Æn. bellator equus* dicitur, & *lib.* 6. *de* Marcello,

Hic rem Romanam magno trepidante † tumultu
Sistet Eques, sternet Pœnos.

Equus belli symbolum.

CLXXXI. Scientiam Religionemque viri Vates decantat; enimvero visa Italia consalutat terram, & sacris de more peractis omnia pandit, lib. 3. *Æn.* vers. 523.

Italiam, Italiam primus conclamat Achates:
Italiam læto socii clamore salutant.
Tum pater Anchises magnum cratera corona
Induit, implevitque mero, divosque vocavit:
Dii maris & terræ, tempestatumque potentes,
Ferte viam vento facilem, & spirate secundi

* Rep. *purpureis.*

* Libri editi habent *loquacia.*
† Leg. *turbante.*

Italiam equus ostendit, & Romam; inquit enim Pierius, in argenteo nummo & aliquot æreis observatur caput equi frenati, cum inscriptione, ROMA, ab altera parte Roma ipsa galeata.

Magnum cratera Anchisæ coronatum. CLXXXII. Agnoscamus viri sapientis solertiam, *magnum cratera* coronat, juxta antiquam Regionem; recte adnotabat Athenæus lib. 15. *Deipnosophistarum* c. 5. Εὐαισθέστερον καὶ κεχαρισμένον μᾶλλον τοῖς θεοῖς, στεφανοῦσθαι τοὺς θύοντας, *magnificentius esse magisque diis placere, corona si redimitus sit, qui sacris operatur*; hinc Sappho ait, μάκαρες δ' ἀστεφανώτως ἀποστρέφονται, *eos immortales aversantur, coronam qui non habent*. Et Homerus * apud eundem,

> Κοῦροι δὲ κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο,
> *Potu adolescentes pateras* CORONARUNT.

Et lib. 8. *Odyss.* vers. 170.

> Ἀλλὰ θεὸς μορφὴν ἔπεσι στέφει.
> *Formam deus verbis coronat.*

Alibi Æneas morem perhibet lib. 7. *Æneid.* vers. 146.

> —— *omine magno*
> *Crateras læti statuunt, & vina* CORONANT.

Propertius *lib.* 2. *eleg.* 33.

> *Cum tua præpendent dimissæ in pocula sertæ.*

Ex Homero lib. 9. *Iliad.* vers. 232.

> Πίνοντες κρητῆρας ἐπιστεφέας οἴνοιο,
> *Bibentes crateras coronatos vino.*

Unde Tertullianus in libro *de Resur. car.* ait: *Calix bene sibi conscius, de coronis quoque potatoris sui inorabitur, aut adspergine florum honorabitur*: erat illud poculum aureum, quod postea Æneas ad Latinum misit, lib. 7. *Æneid.* vers. 245.

> *Hoc pater Anchises auro libabat ad aras.*

Ceterum de coronis poculorum Sidonius lib. 9. *epist. ad Tonantium* canit,

> *Socient falerna nardo:*
> *Tripodasque, cantharosque*
> *Rosa sutilis* CORONET.
> *Juvat ire per corollas.*

Cur vinum coronatur? CLXXXIII. Plato in Jove male affecto *in fastis sacrificiis* coronæ meminit; vinum deinde libat; fortasse Cælius *lib.* 12. *cap.* 1. si non divinat, causam offert: *Libabatur & vinum: quoniam & ipsum clementioris initium habet victus: id erat merum, ut significetur mentis integritas a dolo & mendacio sejungenda*; An quia in vino veritas? An quia vinum amentes reddit, quales olim oraculum sacerdotes, qui deum patiebantur? An quia a Baccho inventum ad aras, calore viget, & ardet in sacris? An quia boni odoris? An quia Dæmon, ut in Mithræ sacris, Christianorum initiamenta æmulabatur in vino? An quia oblivionem inducit? convenit hæc ultima ratio patri libanti, & facit ad arcanum crateris nomen: enimvero Macrobius lib. 1. in *Somn. Scip.* cap. 12. refert Platonem in *Phædone* asserentem, *animam in corpus trahi nova ebrietate trepidantem*; sequitur Macrobius: „ Arcani „, hujus indicium est & crater Liberi patris „ ille sydereus, qui in regione, quæ in- „ ter Cancrum est & Leonem locatus, e- „ brietatem illic primum descensuris ani- „ mis evenire: unde & comes ebrietatis „ oblivio, &c. Hanc oblivionem & ipse „ precabatur a diis, merumque effudit. Adde numina salutasse; sic Aristæus apud Virgilium lib. 4. *Georgicorum* vers. 381. cum tandem ad regiam matris devenisset,

Crater Liberi patris.

Animarum descensus & oblivio.

> *Et mater, Cape Mæonii Carchesia Bacchi,*
> *Oceano libemus, ait; simul ipsa precatur,*
> *Oceanumque patrem rerum, Nymphasque sorores,*
> *Centum quæ sylvas, centum quæ flumina servant.*

CLXXXIV. Anchisen igitur senem strenuum, prudentem, magnanimum cuncti venerabantur, & adhuc adolescentem regia prole conspicuum demonstrat Euander Rex, ac ipsum describit, cum primum Æneæ jungit dexteram, Trojanosque ad fœdera libentissime recipit, lib. 8. *Æneid.* vers. 154. — Anchisæ laus.

> —— *ut te fortissime Teucrum*
> *Accipio, agnoscoque libens! ut verba parentis,*
> *Ut vocem Anchisæ magni, vultumque recordor!*
> *Nam memini Hesiones visentem regna sororis;*
> *Tum mihi prima genas vestibat flore juventa;*
> *Mirabarque duces Teucros: mirabar & ipsum*
> *Laomedontiadem: sed cunctis* ALTIOR *ibat*
> *Anchises: mihi mens juvenili ardebat amore,*
> *Compellare virum, & dextræ conjungere dextram:*
> *Accessi, & cupidus Phenei sub mœnia duxi,*
> *Ille mihi insignem pharetram, Lyciasque sagittas,*
> *Discedens, chlamydemque auro dedit intertextam,*
> *Frenaque bina, meus quæ nunc habet, aurea, Pallas.*

Proceritatem corporis velut Imperii signum in Saule indixit Altissimus; commendatque in Principe Plutarchus; & Plinius secundus Trajanum laudat corporis forma dignum Imperio: qua de re nos infra longam litteram fecimus. Videat, si lubet, Nicephorum Callistum, qui de Andronico Palæologo Imperatore in *Epistola ded.* ita scribit: „ Decentissimum tibi corpus „ & excellentissimum rerum universa- „ rum architectrix natura conformavit; ut „ sane quispiam existimet, non Principum — Corporis proceritas.

* Lib. 9. *Iliad.* vers. 175.

A ,, solum, sed etiam hominum fere omnium ,, te absolutæ formæ ideam atque speci- ,, men juxta Platonem & venustatis omnis ,, archetypum atque primarium exemplar ,, esse: robur insuper & fortitudo corpo- ,, ris, partiumque omnium & membro- ,, rum proportio optimam in te conficiunt ,, temperaturam & harmoniam, &c.

Æneas liberat patrem. CLXXXV. Hunc igitur Anchisen, secundo Ilii excidio reluctantem ab interitu servavit Æneas; modum tradit Aurelius Victor in *Or. gent. Rom.* ,, Ilio Achivis ,, prodito ab Antenore, Æneas cum præ B ,, se deos Penates patremque Anchisen hu- ,, meris gestans, necnon & parvulum fili- ,, um manu trahens, noctu excederet; or- ,, ta luce cognitus ab hostibus, eo quod ,, tanta onustus pietatis sarcina erat, non ,, modo a nullo interpellatus, sed etiam a ,, Rege Agamemnone, quo vellet, ire per- ,, missus, Idam petit: ibique navibus fabri- ,, catis, cum multis diversi sexus, oraculi ,, admonitu, Italiam petit. Hæc ille ex Alexandro Ephesio *belli Marsici* lib. 1. Post decennem obsidionem, Trojæ mœnia capta, in ruina ac cinere jacuere solo: hinc C teste Messala Corvino Græcorum assensu, duo incolumes Principum Trojanorum recessere: *Qui auctores pacis & reddendæ Helenæ semper fuerant, & Græcorum Legatorum Ulyssis ac Diomedis honoratissimi hospites.* Antenor scilicet & Æneas, quorum alter ex Laomedontis, vel ut quibusdam placet, Priami sorore natus, Assueri viri nobilissimi fuerat filius Antenor:

Æneas liber recedit, & cur. alter ex regio sanguine ortus Æneas. Igitur non proditor, sed hospes, & consultissimus Princeps salutem pietate coemit, addit Lutatius, cum patrem deosque portaret, ,, Pietate motos Achivorum Prin- D ,, cipes remisisse, ut reverteretur domum ,, atque inde omnia secum quæ vellet au- ,, ferret: itaque eum magnis cum opibus ,, pluribusque sociis utriusque sexus a ,, Troja digressum, longo mari emenso, ,, per diversas terram oras in Italiam deve- ,, nisse. Ita ille vetus Auctor apud A. Victorem.

Pietas erga parentem. Quid? erga parentes pietas præstat, ita ut Ætnæ etiam ardentes vortices cederent, ac patrem portantem humeris agnoscerent venerabundi ignes. Portentum hoc laudant Tullius in *Tusculanis*, E & Herodotus; commendatque Valerius Maximus *lib. 5. cap. 4. Amphinomus & Anapus patrem & matrem per medios ignes Ætnæ portarunt;* occinitque Silius Italicus,

Et Catane generasse pios celeberrima fratres.

Claudianus epigramma edidit satis elegans, fratresque illos commendavit:

F *Adspice sudantes venerando pondere fratres*
Divino meritos semper honore coli:
Jussa quibus rapidæ cessit reverentia flammæ,
Et mirata vagas reppulit Ætna faces.

Ignis Ætnæus cedit. CLXXXVI. Hoc pietatis insigne opus numen indixit, Venus apud Virgilium lib. 2. *Æneid.* vers. 594.

Nate, quis indomitas tantus dolor excitat iras?
Quid furis? aut quonam nostri tibi cura recessit?
Non prius adspicies, ubi fessum ætate parentem
Liqueris Anchisen? Superest conjux-ne Creusa,
Ascaniusque puer?

Exit cum Ænea Anchises & diis. Recusat senex, & mortem sibi ense procurat; vetant numina, & flamma Ascanium cœlitus lustrat, summunt omnia, supplicesque exeunt; Æneas portat humeris nutantem senio patrem, pater Sacra Penatesque, & Venus in astro monstrat viam; imo subito fragore Jupiter intonuit lævum: audi Virgilium *ibid.* vers. 692.

Sydus Veneris monstrat viam. *Vix ea fatus erat senior, subitoque fragore*
Intonuit lævum, & de cœlo lapsa per umbras
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit:
Illa summa super labentem culmina tecti,
Cernimus Idæa claram se condere sylva,
Signantemque vias.

Sinistra fulmina. CLXXXVII. Hinc apud Romanos sinistra fulmina prosperiora, Græcis olim dextera: Ennius cecinit,

Contonuit lævum bene tempestate serena.

Statius lib. 3. *Theb.* vers. 493.

—— signa feras, lævusque tones.

Plinius *lib. 2. cap. 54. Læva prospera existimantur, quoniam læva parte Mundi ortus est;* firmatque M Varro, & Tullius lib. 2. *de Div. optimum auspicium* apud Romanos *sinistrum* offert. Sed de hac re alibi. De STELLA VENERIS, quod scimus, scribit Hyginus lib. 4. de planetis: *Stellam maximam, colore candido, nomine Hesperum, appellari Venerem, non abest a Sole longius duobus signis, subter ejus circulum collocata: incertos efficit cursus.* Martianus Capella lib. 8. *de Nupt. Philol.* varietatem motus hujus stellæ describit; & Tullius in libro *de Univ.* testatur Luciferum cursum habere Solis celeritate parem. Hanc Pisidas *Phosphorum* modo *Vesperum* appellat; de qua Boetius: Sydus Veneris Hesperus.

Et qui primæ tempore noctis
Agit algentes Hesperus horas,
Solitas iterum mutat habenas
Phœbi pallens Lucifer ortu.

Et *Job. cap. 38. Nunquid producit Luciferum in tempore suo, & Vesperum super filios terræ consurgere facis?* Hoc singulare Creatoris opus; ideo figmentum hoc impietatem præfert & mendacium. Fortasse spectrum illuxit, & Venus mater in stella coruscans etiam noctu patefecit, ut fugerent; gratus proinde Anchises describitur & pius, inquit etenim Vates lib. 2. *Æneid.* vers. 699. Pius Anchises.

Hic vero victus genitor se tollit ad auras,
Affaturque deos, & sanctum SIDUS adorat.

Cervicem adſcendit filii.

CLXXXVIII. Sic, quod fidem ſuperat, colla Æneas ſubmittit, & patrem portat pietatis ſarcinam, amoris incomparabile pignus, inquit enim *ibid.* verſ. 707.

Ergo age, care pater, cervici imponere noſtræ;
Ipſe ſubibo humeris, NEC ME LABOR ISTE GRAVABIT.

Ovidius lib. tertio decimo *Metamorphoſeos* verſ. 624.

—— *ſacra, & ſacra altera patrem,*
Fert humeris, venerabile onus, Cythereius Heros.
De tantiſque opibus prædam pius eligit illam,
Aſcaniumque ſuum.

Claudianus eleganter hoc cecinit,

—— *notus amor provexit in aſtra Laconas,*
Æneam Phrygio raptus ab igne pater;
Si vetus Argolicos illuſtrat gloria fratres,
Qui ſua materno colla dedere jugo,
&c.

Poſt Penates patrem portat Æneas.

Enarrat Ælianus l. 3. *Var. Hiſt.* cap. 22. ſingulare hoc pietatis exemplum, etiam inter gladios ignemque collabentis Ilii admirandum: *Ὅτε ἑάλω τὸ Ἴλιον, οἰκτείραντες οἱ Ἀχαιοὶ τὰς τῶν ἁλισκομένων τύχας, καὶ πάνυ Ἑλληνικῶς τοῦτο ἐκήρυξαν, ἕκαστον τῶν ἐλευθέρων ἕν ὅ, τι καὶ βούλεται τῶν οἰκείων ἀποφέρειν ἀράμενον· ὁ οὖν Αἰνείας τοὺς πατρῴους θεοὺς βαστάσας ἔφερεν, ὑπεριδὼν τῶν ἄλλων. Ἡσθέντες οὖν ἐπὶ τῇ τοῦ ἀνδρὸς εὐσεβείᾳ οἱ Ἕλληνες, καὶ δεύτερον αὐτῷ κτῆμα συνεχώρησαν λαβεῖν. Ὁ δὲ τὸν πατέρα πάνυ σφόδρα γεγηρακότα ἀναθέμενος ὤμοις ἔφερεν· ὑπερεκπλαγέντες οὖν καὶ ἐπὶ τούτῳ οὐχ ἥκιστα, πάντων αὐτῷ τῶν οἰκείων κτημάτων ἀπέστησαν. Ὁμολογοῦντες ὅτι πρὸς τοὺς εὐσεβεῖς τῶν ἀνθρώπων, καὶ τοὺς θεοὺς καὶ τοὺς γειναμένους δι' αἰδοῦς ἄγοντας, καὶ οἱ φύσει πολέμιοι ἥμεροι γίνονται. Cum jam captum eſſet Ilium, Achivi miſerati captivorum ærumnas, omnino Græce hoc per præconem denunciarunt; Ut ſinguli ex liberis civibus, quod vellent, unum aliquod ſecum auferrent. Æneas igitur cæteris neglectis* DEOS PENATES *exportabat. Græci pietate viri oblectati permiſerunt inſuper unam ex ſuis poſſeſſionibus accipere: ille* PATREM *annis & ſenio confectum ſublatum in humeros portabat; obſtupeſcentes etiam hoc facto non mediocriter, univerſas poſſeſſiones ei reliquerunt: confitentes erga eos, qui pietatem in deos exercent, quique parentes colunt etiam natura inimicos non poſſe non æquos & placatos ſe præbere*. Hæc ille. Inimicos ſolum? adde, ignem & clades; etenim Propertius *lib.* 4. *eleg.* 1. occinit:

Pietas in deos & parentes commendatur.

Cum pater in nati tremulus cervice pependit,
Et verita eſt humeros urere flamma pios.

A Simile refert Ariſtoteles in libro *de Mundo*: & ex eo Strabo, & Seneca lib. 3. *de Beneficiis*, quem offert Cælius *lib.* 2. *cap.* 13. dicens: „Cum Ætna majore vi peragitata in urbes, in agros, in magnam Inſulæ partem effudiſſet incendium, vexerunt parentes ſuos: diſceſſiſſe creditum eſt ignes, & utrinque flamma recedente, limitem adapertum, per quem tranſcurrerent juvenes digniſſimi, qui magna tuto auderent. Meminit lib. *de Conſolat. ad Apollonium* Plutarchus, & Pauſanias; denuo Claudianus:

Hiſtoria Ætnæ, cujus ignis ceſſit Religioni, & pietati juvenum qui parentes portabant.

B

O bene naturæ memores documenta ſupernæ
*Juſtitiæ, juvenum numina *, vota ſenum,*
Qui ſpretis opibus medios properaſtis in ignes,
Nil præter ſanctam tollere canitiem.
Haud equidem immerito tanta virtute repreſſas
C *Enceladi fauces obriguiſſe reor:*
Ipſa redundantem frenavit Mulciber Ætnam,
Læderet EXEMPLI *ne monumenta pii.*
Senſerunt elementa fidem: pater affuit æther,
Terraque maternum ſedula juvit onus.

Nec ſiluit Appianus Alexandrinus, Opium ſublatum in humeris filii, in ſævo triumviralis proſcriptionis turbine, extra portam in tuto conſtitutum, D tandem in Siciliam perveniſſe incolumem: ſed pietatis penum claudat Neronis impietas, etenim luſit non illepide in parricidam quiſpiam,

Quis neget Æneæ magna de ſtirpe Neronem?
Suſtulit hic matrem: ſuſtulit ille patrem.

Nero in matrem impius.

CLXXXIX. Ab hoc pietatis penu virtutum omnium deprehendere exempla poſſumus: Athenæus vocat Æneam *Trojanorum conſultiſſimum*; Euander, *fortiſſimum Teucrum.* Maximus Ilioneus orator ad Didonem inquit lib. 1. *Æneid.* verſ. 548.

E

Æneæ laus.

Rex erat Æneas nobis; quo juſtior alter
Nec pietate fuit, nec bello major & armis.

Sibylla Cumæa Æneam alloquitur apud Ovidium lib. 14. *Metam.* verſ. 108.

Magna petis, dixit, vix factis maxime, cujus
F *Dextera per ferrum eſt, pietas ſpectata per ignes.*

Homerus libro vigeſimo *Iliadis* verſ. 83. illum laudat audiente Apolline,

Αἰνεία Τρώων βουληφόρε, ποῦ τοι ἀπειλαί,
Τὰς Τρώων βασιλεῦσιν ὑπέσχεο οἰνοποτάζων;

* Alii, *lumina*,

Ænea, Troum Ductor, quo grandia facta,
Quæ Reges inter, repletaque pocula lætus
Pollicitus fueras?

Regni ſocietatem & Laviniam ſortitur.

Facem præbet Juſtinus *lib.* 43. cap. 1. ubi ait: „ Æneas in Italiam venit, ſtatimque bello exceptus, cum in aciem exercitum eduxiſſet, ad colloquium vocatus, tantam admirationem ſui Latino præbuit, ut in ſocietatem Regni reciperetur, & Lavinia in matrimonium ei data, gener adſciſceretur. Primum namque adveniens Evandrum ſacra peragentem alloquitur, & magnanimitate, qua pollebat, ab alto inclamat, lib. 8. *Æneid.* verſ. 129

Non equidem extimui, Danaum &c.
Sed mea me virtus, & ſancta oracula divum,
Conjunxere tibi, & fatis egere volentem.

Ad Latinum Regem Ilioneus jurabat lib. 7. *Æneid.* verſ. 234.

Fata per Æneæ juro, dextramque potentem.

Ejus Religio.

CXC. Sed Religionis acta enarrat Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 1 *Antiquitatum*, ubi Æneam ſcribit ubique templa araſque diis inſtituiſſe: Παρέπλευσαν ἄχρι πορθμοῦ, διὰ χειρὸς ἔχοντες Ἰταλίαν, ἴχνη τινὰ κἀν τούτοις ὑπολειπόμενοι τοῖς τόποις τῆς ἀφίξεως, ἄλλα τε καὶ φιάλην χαλκῆν ἐν Ἥρας ἱερῷ, γραφῇ δηλοῦσαν ἀρχαίᾳ τοῦ δωρησαμένου τὴν θεὸν Αἰνείου τοὔνομα. *Prætenavigarunt totam illam oram uſque ad fretum; per illa quoque loca relictis paſſim adventus ſui veſtigiis, inter quæ eſt in Junonis templo ænea phiala, donum Æneæ, nomen ejus habens inſcriptum antiquis litteris.* Deinde, ait, ventum eſt ad Siciliam, ad eam Inſulæ partem, ubi ſunt Drepana, probat adventum delubri ſigno, & clariſſimum argumentum vocat, *ara Veneris Æneadis ſupra capita Elymi fundata:* & apud Ægeſtanos templum Æneæ dicatum: illa matri ſacrata ab ipſo Ænea, hoc in beneficii memoriam ſervatori ſuo dicatum ab his quos claſſis reliquerat.

Æneas Pontifex.

CXCI. Templa dicabat tanquam Pontifex, docetque Macrobius lib. 3 *Saturnalium* cap. 2. ex eo Virgilii lib. 2. *Æneidos*, ubi Annales conſcripſiſſe laborum, juxta numinum & oraculorum monita, canit,

Et vacet Annales noſtrorum audire laborum.

Inquit enim: „ Pontificem Æneam, vel ex nomine referendorum laborum ejus oſtendit; Pontificibus enim permiſſa eſt poteſtas memoriam rerum geſtarum in tabulas conferendi, & hos annales appellant equidem maximos. Sed cur non a ſacris de more peractis? Cur non a dicatione numinum & templorum? Cur non a precibus, conceptis verbis, excantatis? proinde Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 1 *Antiquitatum* ex Menecrate Xanthio tradit, *Æneam ægre tuliſſe arceri a ſacerdotiis*. Ideo Priamum prodidiſſe ſumto ſibi Pontificatus honore.

Sacerdos.

CXCII. Aſſentior; proinde bello cruentata adhuc dextera Penates tangere recuſavit; monuit patrem, antequam adſcenderet, ſacra deferre ſenem, & religioſo pondere aufugit incendium, adnotabatque Vates maximus lib. 2. *Æneid.* verſ. 717.

Tu genitor cape ſacra manu patrioſque Penates:
Me bello e tanto digreſſum, & cæde recenti,
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Servius adnotabat, flumen vivum, tanquam *augurale* nomen. Silius *lib.* 8. *Vivo purgor in amni*. Similiter, quando ab Ilio ruente exire morabantur, affuit prodigium; flamma videlicet in verticem Aſcanii coruſcans, nec urens; tunc e ſacro fonte latices ad expiationem petiit, ignemque luſtravit, *ibid.* verſ. 680.

Aſcanii vertex flamma non uritur.

Cum ſubitum, dictuque oritur mirabile monſtrum,
Namque manus inter, mœſtorumque ora parentum,
Ecce levis ſummo de vertice viſus Iuli
Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora paſci.
Nos pavidi trepidare metu, crinemque flagrantem
Excutere, & ſanctos reſtinguere FONTIBUS *ignes.*

Obſervat Macrobius lib. 3. *Sat.* cap. 3. ignem hunc *ſacrum, aut religioſum divinitus contigiſſe*. Fontem vero dicatum, expiationiſque amuletum, vide lib. 1. *de Obeliſcis*, & infra ubi de Rhea: etenim Euripides, cum in Ægyptum una cum Platone veheretur, in morbum incidens, lotus, Sacrdotum conſilio, ſtatim convaluit, cecinitque apud Euſtathium in primo *Iliad.* *Aqua diluit omnia hominum mala*: quod in *Hexaem.* docet Divus Ambroſius.

Aqua malorum expiatrix.

Penates.

CXCIII. Penates igitur fert Anchiſes, utroſque vero portat Æneas; iſta ſimulachra Romæ in templo non procul a foro oſtendebantur, ad viam, quæ ad Carinas ferebat, in loco obſcuro, qui Romano vulgo *ſub Olivis* dicebatur: teſtis oculatus Dionyſius Halicarnaſſeus lib 1. *Antiquitatum* ait: „ Sunt haſtati DUO JUVENES, habitu ſedentium, admodum antiqui operis. Alia quoque multa in antiquis templis horum deorum idola conſpeximus, & in omnibus duos Juvenes militari habitu. Timæus apud eundem inquit: *Sacra apud Lavinium repoſita eſſe Caducea partim ferrea, partim ærea, Trojanumque* VAS FICTILE. Calliſtratus tradit fuiſſe, *effigiem Minervæ:* Nigidius *de Diis* lib. 19. requirit, Num dii Penates ſint Trojanorum *Apollo & Neptunus, qui muros eis feciſſe dicuntur?* Cornelius quoque Labeo lib. *de Diis Penatibus* eadem exiſtimat. Hanc opinionem, inquit Macrobius lib. 3. *Sat.* cap. 4. ſequitur Maro, cum dicit lib. 3. *Æneid.* verſ. 118.

Illorum effigies.

Qui dii Penates?

Sic fatus, meritos aris mactabat honores,
Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo.

Varro *rerum humanarum* lib. 2. *Jovem, Junonem, ac Minervam* esse existimat, eo quod Tarquinius Demarati Corinthii filius, Samothraciis religionibus mystice imbutus, uno templo ac sub eodem tecto numina memorata conjungit: etenim Cassius Hemina dicit, *Samothracas deos, eosdemque Romanorum Penates proprie dici deos magnos, deos potentes;* Virgilius lib. 3. *Æn.* vers. 12.

Dii magni

> *Cum sociis, natoque, Penatibus, & magnis diis,*

Doctrinam procul dubio suam confirmat, dicens,

> *Junonis magnæ primum prece numen adora.*

Quam Dominam potentem appellat. Eodem nomine appellavit & Vestam, quam de numero Penatum, aut certe comitem eorum esse, manifestum est; adeo ut & Consules, & Prætores, seu Dictatores, cum ineunt Magistratum, Lavinii rem divinam faciant Penatibus pariter & Vestæ; sed & Virgilius, ubi ex persona Hectoris dixit lib. 2. *Æneid.* vers. 293.

> *Sacra, suosque tibi commendat Troja Penates.*

Et mox vers. 296.

> *Sic ait, & manibus vittas, Vestamque potentem,*
> *Æternumque adytis effert penetralibus ignem.*

Addidit Hyginus in libro, quem *de diis Penatibus* scripsit, vocari eos *deos patrios;* neque hoc Virgilius, ut notat Macrobius, ignoratum reliquit *ibid.* vers. 702.

Dii patrii.

> *Dii patrii servate domum, servate nepotem.*

Et alibi,

> *Patriique Penates.*

Historiam enarrat Satyrus & Aratinus, Poeta omnium quos scimus antiquissimus, apud Callistratum, quem Dionysius Halicarnasseus refert: „Chrysen Palantis filiam nuptam Dardano attulisse dotem „Minervæ munera, videlicet, effigies „ipsius deæ, simulque SACRA MAGNORUM DEORUM, quorum mysteria didicerat: sed postquam diluvium „fugientes Arcades, relicta Peloponneso, fixerunt sedes in Insula Thraciæ, „Dardanum ibi templum exstruxisse his „diis, nemini communicato eorum NOMINE proprio: mysteriaque illis instituisse, quibus & hodie mos est initiari „in Samothracia: deinde cum majorem „populi partem transportaret in Asiam, „sacra quidem ac mysteria penes eos reliquisse, qui manserunt in Insula; PALLADIA vero secum abstulisse, & deorum imagines: cumque oraculum de sedibus consuleret, inter cætera de asservandis sacris sic esse admonitum,

Magnorum deorum mysteria, eorumque origo.

Apud Samothraces.

> *Fata dabunt urbem, poteris qua condere sacra,*
> *Cœlicolasque illic festis colere atque choreis:*
> *Munera namque deæ servabis arce reposta*
> *Palladis: hæc quondam cœpit tua regia conjux*
> *Servatura tuam diris procul omnibus urbem.*

Palladium

„Atque ita Dardanum in condita urbe „nova & a se denominata deposuisse hæc „simulacra: postea cum Ilium habitari „cœpisset, Reges illo transtulisse hæc sacra gentilitia, dicatumque his ab Iliensibus in arce templum, & adytum: ibique asservata quam possent diligentissime, omnibus missa divinitus existimantibus, & penes illa esse incolumitatem „publicam. Æneas autem capta inferiori urbe, potitum arce, sacra magnorum „deorum abstulisse, cum eo quod supererat PALLADIO; (nam alterum nocturno furto surreptum Ulyssis ac Diomedis insidiis) cum his fugisse ex urbe „& secum ea deportasse in Italiam. Usque modo ille.

In Ilio cultum.

Palladium portat Æneas.

CXCIV. Pietatem Æneæ commendat funus Anchisæ: mortuum hunc composuit, & pompa Heroe digna plorans libansque extulit. Quærunt Recentiores facti locum, & contendunt. Cælius *lib.* 17. *cap.* 20. ait: „Mortuum in Sicilia Anchisen cecinit Maro: Pausanias in Arcadia defunctum scribit, & ejusdem sepulchrum ad montis radices visitatum „quandoque Anchisiam quod vocant „prope Orchomenon, nec fuisse in navibus cum Ænea. Sunt qui annos natus octoginta in Phrygia obiisse dicant, inquit Muretus lib. 13. *Var. Lect.* ostendique tumulum ipsius in monte Ida, ubi pastores & bubulci quotannis per autumnum sacra faciant; sequamur maximum Vatum Maronem, suadent namque magnus Cato & Valerius Antias, lib. 3. *Æneid.* vers. 707.

Anchises moritur.

> *Hinc Drepani me portus, & illætabilis ora*
> *Accipit: hic pelagi tot tempestatibus actus,*
> *Heu GENITOREM, omnis curæ casusque levamen,*
> *Amitto Anchisen: hic me, pater optime, fessum*
> *Deseris; heu tantis nequicquam erepte periclis, &c.*

Ejus sepulchrum.

DREPANUM inter urbes Siciliæ principes præstantissima adhuc viget, ab ubertate & falce omen nomenque præfert: divitiis, nobilitate, populi frequentia, ædificiis illustribus celebre emporium; Veneris olim religione, nunc Deiparæ urbs plena numine commendatur.

Drepani laus.

CXCV. Si ita est; peragravit deinde maria Æneas, & prælio, ac divitiis, simulque uxore magnus Regnum tenuit Latinum; de illius filiis licet plura dixisse memini, nihilominus Dionysius Halicarnasseus lib. 1. *Antiq.* sic ait: „Æneæ filios „fuisse conditores Urbis Remum & Romulum, alii istos nepotes ex filia, taci-

Nepotes Æneæ.

„ to patris nomine, dicunt Hos Æneam „ Latino Aboriginum Regi dediſſe obſi- „ des ex fœdere icto inter indigenas & ad- „ venas: puerosque apud Regem habi- „ tos, non ſolum educatos liberaliter, ve- „ rum etiam cum is abſque virili ſtirpe de- „ cederet, relictos ex parte quadam hære- „ des Imperii. Addunt plerique Roma- norum Scriptores apud eundem: „ Ænea „ defuncto Aſcanium ex aſſe hæredem „ Regni relictum, agros & opes triparti- „ to diviſiſſe cum Romulo & Remo fratri- „ bus: ipſum deinde Albam condidiſſe: „ Romulum vero Capuam dictam a Capy „ proavo; Anchiſam de Anchiſe avi ſui „ nomine, de patris autem Æneam, quæ „ poſt fuit Janiculum. Tantarum urbium nomine pietas poſterorum nitet, ut Hero- um nomina vivant, eorum qui immorta- lia ediderunt facinora; ſic Æneas inter de- os Indigetes, non tumulo, ſed dignus tem- plo, colitur aris & thure; audiat qui legit; non moritur, qui pius numina colit, & poſt numina parentes veneratur. Nam parens Deus erga parentes religionem indidit, ut vivant filii virtutis immortalitate ſuffulti.

Parentum memoriam commendant.

Qui colit Deum parentes colit ut vivat.

CAP. XV.

Aſcanii, Sylvii Poſthumi, aliorumque Regum Latinorum geſta uſque ad Amulium Regem; atavorumque Romuli Chronologia.

CXCVI. Defuncto Ænea, qui miles ſtrenuiſſimus, incomparabilis fortitudinis Dux, exercituum Imperator, & Regum hæres, immortalitatem ingenti virtutum plauſu ſibi acquiſierat; Regnum tenet Aſcanius, magnanimus tanti Herois filius religioſiſſimus. Anno O. C. MMDCCLXXIV. Rex nuncupatus, arma pietatiſque monumenta omnium conſenſu pertractat. Ilus antea appellabatur Julus, & Aſcanius, & Euryleo, & Jobus apud Aur. Victorem, occinitque Virgilius lib. 1. *Æneid.* verſ. 271.

Aſcanius poſt Æneam regnat.

Ilus, Iulus.

At puer Aſcanius, cui nunc cognomen Iulo
Additur, Ilus erat, dum res ſtetit Ilia Regno.

Valerius Meſſala in lib. *de prog. Aug. cognominatum Aſcanium* tradit fuiſſe, ex Creuſa matre natum, *a quo* GENS JULIA.

A quo gens Iulia.

CXCVII. Hinc colligo adverſus Priſcianum, apud Veteres non unum tantummodo nomen fuiſſe, ſed prænomen, & etiam cognomen, aſſeritque Valerius, Soſipater, Diomedes, Donatus, & Sigonius in libro *de Nominibus Romanorum: Nam quod præponitur, prænomen, quod poſt fertur, cognomen, quod ad ultimum dicitur, agnomen vocatur.* Hæc olim ad diſtinctionem excogitarunt Veteres, ut Varro in libro *de L. L.* docet: *Quum eſſent duo Terentii, aut plures, diſcernendi cauſa, ut aliquid ſingulare haberent, notabant forſitan ab eo, qui mane natus diceretur, ut is Manius eſſet, qui luci Lucius, qui poſt patris mortem, Poſthumus.* Sed Romani, teſte Appiano, uno primum nomine utebantur Romuli, Remi, &c. tamen Sabinorum gratiam auſpicantes proinde aliud ediderunt gentilitium illis; hoc ſit, an aliud, quæſtionem non aggredior, ſed pro me ſatisfacit Pauſanias in *Atticis*, qui Romanos tribus etiam nominibus uſos eſſe tradit: & evidenter arguo illos, qui ante Romulum unum agnoſcunt nomen, cum poſt Æneæ fatum filius ejus ex Lavinia Sylvius Poſthumus dicebatur: & Aſcanius etiam ante Æneæ adventum plurimis inſignitus nominibus cognoſcitur a Virgilio & Meſſala Corvino: quem morem Aruntius Claudius apud Diomedem Græcos tenuiſſe ſcribit, & ex Homero in *Iliade* ac *Odyſſea* compertum habeo; ſed aſſentior, a Trojanis Romanos habuiſſe, quorum e ſtipite propagines dicuntur, nec ultra exempla, Scriptorumque oracula inquiro, cum in Aſcanio comperta res ſit procul dubio.

Apud Veteres nomen, prænomen, & agnomen.

Ad diſtinctionem adinventa.

Plura nomina & prænomina apud Romanos.

Juxta Græcorum & Trojanorum morem.

CXCVIII. Emanavit a Julo *Gens Julia*, ut canit maximus Vatum, adnotabatque Diomedes a Valerio & Meſſala, & Antonius Auguſtinus eruditiſſimus Epiſcopus ab utriſque, qui Julorum & Cæſarum ſtirpes a Julia colligit: Patricia Julorum familia honores quam maximos aſſecuta, Decemviratum legibus ſcribendis, Dictaturam, Cenſuram, Magiſterium Equitum, Conſulatus VII. Tribunatus militares Conſulari poteſtate IX. laureatis faſcibus enumerat; Cæſares proinde habuit ante Auguſtum V. Dictaturas IV. Triumphos VI. Pontificatum maximum, Conſulatus IX. plura Urſinus, Robortellus *in Sigonium*, & alii; quod ſcitu dignum cenſeo, Julium Cæſarem, Suetonio auctore in *Jul.* cap. 79. *Varia fama percrebuit migraturum Ilium, translatis ſimul opibus Imperii, exhauſtaque Italia delectibus, & procuratione Urbis amicis permiſſa.* Quod Conſtantinus tandem maximopere peregit, & Byzantium novam Romam apud Auſonium nuncupavit; An quia vetus patria recordatione urget poſteros antiquam inquirendi ſedem? An natura ipſa, poſt ſæcula, parentum ſigna renovat? An ſicut arbor tranſlata, licet floreat, ſolum appetit, unde exceſſit, & ab Oriente in Occidentem comportata ad illum ſe vergit, ita & homines? Naturæ mirandum hoc opus, nec eo inficias, ſed veneror.

Gens Iulia.

Honores conſequitur fere omnes, qui erant in Republ.

Julius C. Imp. cogitabat Ilium ſedem Imperii eligere.

Amor erga patriam.

CXCIX. Sed hiſtoriam ſequamur. Poſt Æneam Indigetem *Filius ejus Aſcanius, idem qui Euryleo*, inquit Aurelius Victor in *orig. gent. Romanæ*, „ omnium Latino- „ rum judicio Rex appellatus; cum con- „ tinuis præliis Mezentium perſequi inſti- „ tuiſſet, filius ejus Lauſus collem Laviniæ „ Arcis occupavit; cumque id oppidum „ circumfuſis omnibus copiis Regis tene- „ retur, Latini Legatos ad Mezentium „ miſerunt ſciſcitatum, qua conditione in „ ditionem eos accipere vellet: cumque „ ille inter alia onerosa etiam illud quo- „ que adjiceret, ut OMNE VINUM A- „ GRI LAVINII aliquot annis ſibi infer- „ retur: conſilio atque auctoritate Aſcanii „ placuit ob LIBERTATEM mori pri- „ us, quam illo modo ſervitutem ſubire: „ itaque vino ex omni vindemia Jovi pu- „ blice voto conſecratoque Latini Urbe „ eruperunt, fuſoque præſidio, interfecto- „ que Lauſo Mezentio fugam facere coe- „ gerunt. Nec aliter Julius Cæſar *lib.* 1. Di-

Aſcanius ſtrenue pugnat.

Pacem a Mezentio petit, paciſque conditiones.

Vinum omne petit Mezentius.

Discant Principes justa petentibus onera imponere subjectis, ne desperatione compulsi detrectent jussa, & armis irruant; quandoquidem sic victores interimuntur a victis,&vires ab obstinatione desumunt. Livius *lib.* 45. *In secundis rebus nihil in quemquam superbe ac violenter consulere decet, nec præsenti credere fortunæ*, CUM QUID VESPER FERAT INCERTUM SIT. Recte Tacitus lib. 12. *Ann. Quanta pervicacia in hostem, tanta beneficentia adversus supplices utendum.* Recte proinde monet Lipsius l. 4. *Pol.* cap. 20. ubi de Pace: *Ades tu victor: & quamvis vela tibi tumeant secundo vento,capesse hunc portum: procella involvi potes & everti: nam quamvis ille dixerit, pacem & concordiam victis utilia,victoribus tantum pulchra esse. Ne crede: illa vero non pulchra iis solum, sed utilis plerumque & tuta.* Hæc ille ex Tacito lib. 3. *Hist.*

Repugnat Ascanius, & illud Jovi sacrat, pugnat, & vincit.

Victor non superbe, sed pie victos recipiat.

Varius eventus belli.

CC. Vina Mezentius cuncta a Latinis deportare statuit, ac si bona, robur, & sacra vetaret; inquit enim Ion Chius in *Elegis*,

> Τῶν ἀγαθῶν Βασιλεὺς οἶνος ἔδειξε φύσιν,
> *Bonorum omnium Regem natura vinum statuit.*

Vini laus.

Laudat Homerus apud Athenæum l. 10. *Deipnosophistarum* æque poculum Nestoris, ac scutum Achillis: Ὁ δὲ Νέστωρ καὶ τῆς μεγίστης μάχης ἐνεστηκυίας, οὐκ ἀπέχεται καὶ τοῦ πίνειν· φησὶ γοῦν Ὅμηρος *,

Poculum & scutum laudat Homerus.

> Νέστορα δ' οὐκ ἔλαθεν ἰαχὴ πίνοντά περ ἔμπης.

Καὶ μόνου δὲ τούτου τῶν Ἡρώων τὸ ποτήριον ἡρμήνευκεν, ὡς τὴν Ἀχιλλέως ἀσπίδα· ἐστρατεύετο γὰρ μετ' αὐτοῦ καθάπερ καὶ μετὰ τῆς ἀσπίδος ἐκεῖνος, ἧς φησὶν ὁ Ἕκτωρ, καὶ μέχρις οὐρανοῦ ἥκειν τὸ κλέος. *Nestor instante sævissimo prælio a potu non abstinuit: itaque Homerus ait,*

> *Nestora non latuit conflictus interea bibentem.*

Hujus ergo solius poculum Homerus depinxit, ut Achillis scutum: siquidem cum poculo is præliabatur, non aliter quam Achilles cum scuto, cujus ad cælum usque gloriam evectam fuisse Hector ait. Antiphanes Cæneus illius poculum *Martis arma* vocabat, & Timotheus *rasas Martis sagittas*: imo occiso Patroclo in certamine, quod in ejus funere Græci celebrarunt, *poculo Nestorem Achilles donavit*. Hegesander in *Commentariis* scribit: *Lysander, cum dilutius vinum in exercitu caupones venderent, minime dilutum jussit vendere, ut merum ipsi emerent.* Ad hilaritatem namque & fortitudinem vinum confert, unde milites in pugna hilares currant, hostem sustineant & propulsent. Sic primus Dionysus, qui triumphos adinvenit, usque ad Indorum extrema victor, vinum prætulit, coluitque vineas.

Vinum milites confortat.

Vini & triumphi repertor Dionysus.

CCI. Hinc Jovi vinum religiose sacrum, & recentior Romanorum ætas Vinalia edidit: Festus Pompejus ex Verrio Flacco, *Vinalia diem festum habebant, quo*

Vinalia Jovi

* Lib. 14. *Iliad.* vers. 1.

A *die vinum novum Jovi libabant.* Alia sunt Veneri sacra, sed Scaliger notat, *Vinalia mense Sextili esse Jovi.* Varro lib. 5. *L. L.* Vinalia a vino: „ Hic dies Jovis, non Veneris. Hujus rei cura non levis in Latio; „ nam aliquot locis vindemiæ primum a „ Sacerdotibus publice fiebant, ut Romæ „ etiam nunc; nam Flamen Dialis auspicatur vindemiam, & ut jussit vinum legere, agna Jovi facit, inter cujus exta „ cæsa & porrecta Flamen prorsus vinum „ legit. Addit postea Vinalia Rustica ante diem duodecimum Calendas Septembris

Sacra & vinum.

Flamen Dialis auspicatur vindemiam

B Veneri sacra, cui Ædes dicata eodem die; Scaliger præterea inquit, *Calpar* vinum novum, quod ex dolio demitur sacrificii causa antequam gustetur, Jovi enim prius sua vina libabant, quæ vocabant Vinalia: dum libarent, verba hæc profabant, *Macte hocce vino inferio esto.* Moris causam pervetustissimam addamus ex Festo Pompejo: „ Rustica Vinalia appellantur mense Augusto quarto decimo Kalendas Septembris, Jovis dies festus, quia Latini bellum gerentes adversus Mezentium, o-

Vinum novum Jovi.

C „ mnis vini libationem ei deo dedicaverunt: eodem autem die Veneri templa „ sunt consecrata, alterum ad Circum Maximum, alterum in Luco Libitinensi. Hic tricas nectit, & Jovem cum Venere componit, cum diversus dies festus, & tempora diversa, diversimode causam libationesque demonstrent. Diphilus etiam in *Balneo* apud Athenæum, *Vinum a Jove datum* occinit, cui libationes edere religiosum putabant.

Vinalia Veneri sacra.

CCII. Aulus Postumius in eo volumine, quod *de Adventu Æneæ* conscripsit,

D ac refert Aurelius Victor, inquit: *Latini Ascanium ob insignem virtutem, non solum Jove ortum crediderunt, sed etiam per diminutionem, declinato paululum nomine, primo* JOBUM, *dein postea Julum appellarunt, a quo Julia familia manavit*, ut scribunt Cæsar *lib.* 2. & Cato in *Originibus*; vides quantis nominibus nuncupatur? equidem præclara virtus dat nomina, & ex homine deos facit.

Ascanius Jovis filius censetur.

Jobus Julus

CCIII. Hæc cum exteris adnotantur gesta; domi nihilominus requiem sacramento redemit: Messala Corvinus ait: *Ascanius Lavinium oppidum novercæ Laviniæ, & Sylvio ex Lavinia fratre relinquens,*

E *haud inde longe in AlbanoColle condidit Albam.* Hæc ille satis breviter, nam originatio Sylvii nominis & seditiones adhuc explicanda restant; quæ omnia Sextus Aurelius Victor ex Postumio sic offert: „ Lavinia ab Ænea gravida relicta, metu veluti insecuturi se Ascanii, in sylvam profugit ad magistrum patrii pecoris, Tyrrhum; ibique enixa est puerum, qui „ a Loci qualitate Sylvius est dictus. At „ vero vulgus Latinorum existimans clam „ ab Ascanio interfectam, magnam ei

Lavinium deserit Laviniæ filio.

Lavinia fugiens in sylvis parit Sylvium.

F „ invidiam conflaverat, usque eo, ut armis quoque ei vim denunciaret. Tum „ Ascanius jurejurando se purgans, cum „ nihil apud eos proficeret, petita dilatione ad inquirendum, iram præsentem „ vulgi aliquantulum fregit: pollicitusque „ est se ingentibus præmiis cumulaturum eum, qui sibi Laviniam investigasset: mox recuperatam cum filio in

Reducitur ab Ascanio, qui furorem populi timebat.

Novercam colit.

,, urbem Lavinium reduxit, dilexitque ho-,, nore materno; quæ res rursum ei ma-,, gnum favorem populi reconciliavit. Hæc ille, & C. Cæsar, & Sex. Gellius in *Origine Gent. Romanæ*.

In sylvis Principum fata.

CCIV. Utplurimum apud sylvas Regum fata latuisse, Cyrus, Semiramis, Romulus, Remusque cum pluribus demonstrant. Hinc illi a cane nomen, istis a lupa, Æneæ filio a *sylvis*; sic teste Valerio Max. *Tiberii*, qui ad Tiberim nascerentur; *Sertor*, eodem auctore, qui per sationem natus esset; ita *Sertor Resius*, qui primus jus fæciale instituit: *Lartes*, Charisio si fides, a Lare: Servius *in sextum Æn. Lar Tolumnius a Cosso occisus, a loco dictus est*; Proculus, patre peregrinante natus procul a Patria, inquit Plutarchus in *Coriolano*; Plinius *l. 7. cap. 8. In pedes procedere nascentem contra naturam est, quo argumento eos appellavere Agrippas, ut ægre partos*. In istis malum omen, & malorum omnium exemplar, *per utrasque Agrippinas maxime, quæ Cajum & Neronem Principes genuere, totidem faces generis humani*. A cæso matris utero *Cæsares* dicti, & *Cæsones* apud Suetonium, & Plinium, qui *c. 10.* ait: *Vopiscos appellabant e Geminis, qui retenti utero nascerentur, altero interempto abortu*. *Hostus* similiter, ait Valerius, qui peregre apud Hospitem natus. Sacra olim sylva, a qua lucus, ab opacitate, deorumque sedes; ideo in domibus Regum: vel laurus, vel ipsa nemora, occinitque Tibullus *lib. 3. eleg. 3.*

A locis nomina.

Sylvæ in domibus Regum.

Et nemora in domibus sacros imitantia lucos.

Seneca l. 5. *Declam. Alunt in summis culminibus mentita nemora*. Fecit nemus Nero stupidus, & Babylonii pensiles adornarunt sylvas; Seneca Philosophus *epist. 122. Non vivunt contra naturam, qui pomaria in summis turribus serunt, quorum sylvæ in tectis domorum ac fastigiis nutant?* An sylvas, simulque colunt numina? Sive ipse, sive alter Seneca Tragicus in *Thyeste* vers. 464. hunc introducit e throno lapsum ad Plisthenem dicentem,

Sylvarum numina.

——— nulla culminibus meis
Imposita nutat sylva: nec fumant manu
Succensa multa stagna.

Vide Scholiasten eruditum, qui plura refert scitu digna. Est sylva grata deo, quia spontanea, ut oritur viret, fucus abest, nec comta frondescit; An Aula Regum simplex, ut nemus? An monet deum sequi dicentem, pulchritudo agri mecum est? An arcet adulatores adulterantes stilum, leges, naturam? An denotat sine ferro & vomere, id est, procul a tyrannide meliora semper oriri? An sicut sylva volucres, jumenta, & cuncta animantia pascit, ita & domus Regum Milites, Jurisconsultos, Theurgos, ac Telonarios? habes hoc in Arbore Nabuchodonosoris, Deo demonstrante, satis expressum.

Sylvæ & Aulæ comparatio.

Alba condita.

CCV. Igitur Ascanius post triginta annos, juxta omen Trojæ, quæ triginta aluit natos, Albam condidit, a scrophæ colore nuncupatam cælitus Albam, Juvenalis *Sat. 12. vers. 73.*

—— cui candida nomen
Scropha dedit lætis Phrygibus mirabile semen.

A scropha Alba dicta.

Propertius *lib. 4. el. 1.*

Et stetit Alba potens albæ suis omine dicta.

Varro, oppidum primum conditum in Latio stirpis Romanæ Lavinium: nam ibi dii Penates nostri: hinc post triginta annos oppidum alterum conditur Alba; id a sue alba cognominatum. Nec siluit Virgilius tempus & Jovis oraculum in *1. Æn.* vers. 267.

Bellum ingens geret Italia, populosque feroces
Contundet, moresque viris & mœnia ponet,
Tertia dum Latio regnantem viderit æstas,*
Ternaque transierint Rutulis hiberna subactis.
At puer Ascanius, cui nunc cognomen Julo
Additur, (Ilus erat dum res stetit Ilia Regno)
Triginta magnos volvendis mensibus orbes
Imperio explebit, Regnumque a sede Latini †
Transferet, & longam multa vi muniet ALBAM.
Hic jam TERCENTUM *totos regnabitur annos*
Gente sub Hectorea; donec Regina Sacerdos
Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem.

De illa oraculum.

Sensus est: tres annos regnabit Æneas, & Lavinium condet; quo defuncto Ascanius post triginta annos traducet Imperii sedem a Lavinio in Albam longam, quam ipse ædificaturus est; proinde durabit Albæ Imperium annos tercentum usque ad Romulum, Romæ parentem & institutorem: ita Cato, M. Varro, Livius *lib. 1.* Dionysius Halicarnasseus; Eusebius annos computat, & Reges: ,, Latinis, qui ,, postea ROMANI nuncupati sunt, post ,, III. annum captivitatis Trojæ, sive, ut ,, quidam volunt, post VIII. regnavit Æ-,, neas annis tribus: ante Æneam Janus, ,, Saturnus, Picus, Faunus, Latinus, in ,, Italia regnaverunt circiter annis CL. post ,, quem Ascanius annos XXXVIII.

Annos 300. durat.

Regum series, & tempus.

CCVI. Similiter Livius *l. 1. c. 3.* ait: A-,, scanius, ubicumque & quacumque ma-,, tre genitus, (certe natum Ænea constat) ,, abundante Lavinii multitudine, floren-,, tem jam atque opulentam urbem matri ,, seu novercæ reliquit; novam ipse aliam ,, sub Albano Monte condidit, quæ ab situ ,, porrectæ in dorso urbis LONGA ALBA ,, appellata. Mirum de matre & ortus tempore dubitet, quando ipsemet *Creusa matre* genitum paulo ante dicit; occinitque Virgilius, Lucatius, Messala Corvinus, Varro, Lucius Cæsar, & alii plerique multi. Trojæ natum proinde agnovimus cum patre a clade & excidio fugientem; nam erravit

Alba Longa.

De Ascanii matre dubitat Livius.

* Rep. *æstas*. † Rescr. *Lavini*.

Æneas tres aut octo annos, tres ipse regnavit, nec poterat bellum in Mezentium reparare infans, igitur ante Ilii fatum nascitur Trojæ; crevit Lavinium fusis Hetruscis, ut ne morte quidem Æneæ, nec deinde inter muliebrem tutelam, rudimentumque primum puerilis Regni, movere arma Mezentius, Hetruscique, aut ulli alii accolæ ausi sint. Pax ita convenerat, ut Hetruscis Latinisque fluvius Albula, quem nunc Tyberim vocant, finis esset. Hucusque Livius.

Quomodo Lavinium crevit?

CCVII. Portentum sequitur, quod Aurelius Victor in *Orig. Gent. Rom.* narrat: „Civitatem communit, eamque ex forma, „quod ita in longum porrecta est, LON-„GAM, ex colore suis ALBAM cogno-„minavit; cumque illuc simulacra deorum „Penatium transtulisset, postridie apud „Lavinium apparuerunt: rursusque relata Albam, appositisque custodibus, se „Lavinium in pristinam sedem identi-„dem receperunt: itaque tertio nemo au-„sus est amovere ea;ut scriptum est in Annal. Pontificum lib. 4. Cincii lib. 1. Cæsaris 2.& Tuberonis 1.Lusus hic Dæmonum occæcabat Ethnicos:miracula effutiebant, ut Religionis auctu sanguinem effunderent, de quibus alibi opportunior locus, & velitatio. Amat loca nonnulla Dæmon, & choreas suaque sacra satis infanda celebrat, nostris temporibus noctu & in triviis; præcipue teste Bartholomæo de Spina *de Strigibus* cap. 20. *Circa Regionem Jordanis, & circa Nucem Beneventi*; similiter *in Barcho Ferrariæ, in Planitie Mirandulæ, in Monte Paterno prope Bononiam*; sed cur sub nuce? An quia nocet? An quia Ovidio auctore el. *de Nuce* vers. 9. olim sertis colebatur in ea Dæmon?

Deorum simulacra translata redeunt ad sua Lavinii templa.

Loca dilecta habent Dæmones.

Nux Beneventana.

Tunc Domini memores sertis ornare solebant
Agricolæ fructu proveniente deos.

An quia olim nuptæ nuces spargebant irritamentum Veneris, & in conventu obscœno Dæmonum utraque abutuntur Venere? ita Spengerus: An quia nuce ludunt pueri, ita & illusæ striges, dum ludunt sensum deperdunt & animam? An quia officit umbra nucis, & qui sub protectione Dæmonum dormit, male perit? An quia inficit tangentis manus, & quem illa vescitur indicat, ita & ostendit Maleficas Satan inditio unguinis, lapsu, infanticidiis, mola salsa, & circulis? An quia saxorum ictu petitur, nec fructum nisi non verberata donat? equidem Dæmon compulsus magico carmine, exsecratus, vix Magis victum concedit, ut tanquam canes, cum non fuerint saturati, circumeant civitates, & pro obulo philtra component, perdant, enecent.

Cur sub nuce conventus Dæmonum?

CCVIII. Ascanius ducta uxore Julum procreat, *a quo familia Juliorum orta*, inquit Eusebius: sed quia vel sero, vel sterilem duxit uxorem, post annum trigesimum Regni moritur, *& propter ætatem parvuli, quia nec dum regendis civibus idoneus erat*, teste Eusebio, *Sylvium Posthumum fratrem suum reliquit hæredem*. Ita similiter Messala ad Augustum: *Absumto Ascanio frater ejus Sylvius, qui & Julus, a quo & Gens Julia, & antiquum tuæ generosæ prolis derivatum cognomen.* Regnat; non absque altercatione Regnum tenet, & jugi usque ad bella dissidio, enarratque Aurelius Victor *loc. cit.* „Ascanius post-„quam excessisset e vita inter Julum fi-„lium ejus & Sylvium Posthumum, qui „ex Lavinia genitus erat, de obtinendo „Imperio orta contentio est, cum dubita-„retur, an Æneæ filius, an nepos potior „esset, permissa disceptatione ejus rei, ab „universis Rex Sylvius declaratus est. Possent Legulei viri consultissimi disceptationem hanc inquirere juxta legum sanctiones, sed quia Regnum erat Laviniæ Latini Regis filiæ, bonum factum, consalutasse Regem Sylvium; enimvero Princeps e Principe natus consensu eligitur, ut electione & successione tutum possideret Imperium. Tacitus l. 1. *Hist. Nasci & generari a Principibus, fortuitum, nec ultra æstimatur, cooptandi judicium integrum, & si eligere velis, consensu monstratur.* Ceterum puer Ascanii haud capax ad regimen, nam Plato l. 3. & 5. *de Rep.* quinquaginta annos exigit ad gerendum Magistratum, & Romulus Senatum dixit a sene, sicut Spartani suos Judices natu grandiores, senesque vocabant, ac sacræ Scripturæ Judices *Seniores*. Tandem vide Plutarchum in libello, *an senibus Respublica sit gerenda?*

Post Ascanium regnat Sylvius.

Hæres Ascanii.

Consensu populi eligitur.

Quia Regnum erat Laviniæ.

Non pueri, sed senes Imperium teneant & Magistratum.

CCIX. Sylvius tertius Rex imperat anno O. C. MMCCMXII. a quo & reliqui dicti sunt Sylvii, inquit Dionysius, occinitque oraculum Jovis apud Virgilium de Sylvio, quod etiam Messala refert, lib. 6. *Æneid.* vers. 760.

De Sylvio historia & oraculum.

Ille (vides!) pura juvenis qui nititur hasta,
Proxima sorte tenet lucis loca; primus ad auras
Ætherias Italo commistus sanguine surget
SYLVIUS, *Albanum nomen, tua posthuma proles;*
Quem tibi longævo secum * *Lavinia conjux*
Educet sylvis Regem, Regumque parentem,
Unde genus longa nostrum dominabitur Alba.

Ab eo posteri Sylvii vocati.

Ovidius lib. 4. *Fastorum* vers. 41. Latinorum Regum decantat seriem,

Posthumus huic; qui, quod sylvis est natus in altis,
Sylvius in Latia gente vocatus erat.

Ab hoc Sylvium cognomen Albæ regnantibus datum, inquit Messala, & duplex Julii genus, primum ab Ascanio, alterum a Sylvio Ascanii fratre; cujus proles attingit Romulum; illius vero Julium Augustum; etsi alii aliter scribant,& posteritatis ausu antiquitatem invertant.

CCX. Magnanimus Princeps Sylvius Imperium auxit, coloniasque plurimas instituit, asseritque Aurelius Victor, regnante Latino *Sylvio* COLONIÆ *deductæ sunt Præneste, Tibur, Gabii, Tusculum, Cora, Pometia,* LOCRI, *Crustumium, Cameria, Bovillæ, cæteraque oppida circumquaque*. Hinc multiplicatam Albæ gentem novimus ex coloniis. Etenim Isidorus l. 6. *Orig.* ait: *Colonia est, quæ defectu indigenarum novis cultoribus adimpletur; unde & colonia a cultu agri dicta est.*

Coloniæ ab eo deductæ.

Quid est colonia, & cur deducta?

* Leg. *senum.*

Plutarchus *adv. Stoicos*, *urbes abundante multitudine colonias deducunt, ut se exonerent*. Animadvertit Varro l. 4. *L. L. Coloniæ nostræ omnes in litteris antiquis scribuntur urbes, quod item conditæ ut Roma*. Iisdem videlicet cæremoniis, quibus Urbs condita fuit, ut nos in ipso libri vestibulo recensebamus. Cæterum a Sylvio mos invaluit coloniarum, quo *civitates propagatæ, auctumque Romanorum nomen*, inquit Vellejus Paterculus *lib.* I. ubi coloniarum omnium catalogum nectit; cujus in albo curiosus Lector inveniet antiquitatum monumenta.

Æneas Sylvius Rex III.

CCXI. Regnavit Sylvius annos XXIX. & migravit ad plures; ejus filius Æneas Sylvius Rex III. coronatur Albæ anno O. C. MMCCMXLI. istius virtus commendatur ab Anchise apud Virgilium lib. 6. *Æneid.* vers. 768. ubi vaticinia pandit de posteris Æneæ,

——— te nomine reddet
Sylvius Æneas pariter pietate, vel armis
Egregius, si unquam regnandam acceperit Albam.

Pietas arma exaltat & Principem.

Pietas illustrat arma, & Principi immortalitatem parit; bella evincit & regnat. Seneca in *Thyeste* vers. 550.

Nulla vis major pietate vera est.
Opprimit ferrum, manibusque junctis
Ducit ad pacem pietas regnantes.*

Recte Sallustius ad Cæsarem, *cuncta Imperia crudelia magis acerba quam diuturna arbitror*: quod optimum offert Seneca in *Octavia* vers. 474.

Consulere Patriæ, parcere afflictis, fera
Cæde abstinere, tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, sæculo pacem suo.
HAEC SUMMA VIRTUS: PETITUR HAC CAELUM VIA.

Educatio in montibus laudatur.

Laudat hunc Ausonius, tanquam in montibus satum, fortasse ibi vetus deorum cultus & religigio, montes namque altitudine cælo propinquiores syderum puriores excipiunt radios, inquit enim,

Ut quondam in Albæ montibus
Supremus Æneas satus.

Latinus Sylvius Rex IV.

Attamen diis proximior post XXXI. an. moritur; regnavit Latinus Rex. IV. an. O. C. MMCCMLXXII. quo tempore Saul in Regem Israelitis præfigitur, & Moabitas Ammonitas, Syrosque potenter oppressit.

De eo variant historiæ.

Quinquaginta & unum annos regnavit Latinus, inquit Dionysius. At Eusebius hunc quinquaginta annos regnasse scribit; ideoque a Glarcano Dionysius emendatur. Ullum facinus memoria dignum illustre edidit, ideo obscurus moritur. Notat Eusebius: In alia historia reperimus quartum Latinum Sylvium regnasse Laviniæ, & Melampodis filium uterinum fratrem Posthumi, & quintum (qui nunc hic quartus ponitur) Sylvium Æneæ Posthumi filium. Sed nos Dionysii æram sequimur.

Alba Rex V.

CCXII. *Post Latinum*, sequitur Dionysius, *Alba minus uno quadraginta annos*

* Rest. *negantes*.

A *regnat*, anno O. C. MMMCXXIII. consentit Dionysio Eusebius. Ignotus moritur, quo tempore Salomone defuncto anno XXXII. Regni sui recruduit seditio inter Hebræos, & Roboam eligitur Rex III. Judæ, & Hieroboam Israelis Rex primus.

Capetus Rex VI.

CCXIII. Capetus successit Rex VI. ut Dionysius tradit; Livius *Atim* hunc appellat, *Epythum* Ovidius; Eusebius ait, *Sylvius Athys, sive Ægyptus, Albæ superioris Regis filius, regnat ann.* XXIV. Dionysius XXVI. annos regnasse scribit; hunc sequitur Sethus, & anno O. C. MMCMLXII.

B coronatum tradit; istius etiam gesta edax absumsit tempus, & moritur vix proprii nominis compos.

Capys Rex VII.

Regnat Rex VII. Capys ann. XXXII. anno O. C. MMCMLXXXVIII. emendat Dionysium Eusebius, & ann. XXVIII regnasse docet: *Post hunc Calpetus in Regno annum explevit tredecimum*, inquit Dionysius; Eusebius vero Carpentum Sylvium appellat, filium Regis superioris Capys, & Regem IX. in nostra vero serie Rex VIII. invenitur.

Calpetus Rex VIII.

Tyberinus Rex IX.

C CCXIV. Prætererat cunctos post Latinum Reges Aurelius Victor, & post illum Tyberinum reposuerat; sed vel lapsus memoriæ, vel lacuna Reges absorbuit; ad lineam redit: „ Regnavit Tyberinus Sylvius, qui cum adversus finitimos bellum „ inferentes copias eduxisset, inter præliantes depulsus in Albulam fluvium deperiit, mutandique nominis exstitit causa, ut scribunt Lucius Cincius *lib.* I. & Lucatius *lib.* 3. Rex novus regnavit anno O. C. MMMXXIX. Dionysius. „ Hunc periisse dicunt in commisso juxta fluvium

Periit in flumine Albula, qui ab eo Tyberis dicitur.

D „ prælio, abreptumque cum rapidis gurgitibus, fecisse, ut mutato pristino nomine Tyberinus vocaretur pro Albula. Tempus signat Eusebius, regnat ann. VII. „ Sylvius Tyberinus Capeti filius, a quo. „ & fluvius appellatus est Tyberis, quo „ prius Albula dicebatur. Ovidius lib. 4. *Fastorum* vers. 47.

Cumque patris Regnum post hunc Tyberinus haberet,
Dicitur in Tuscæ gurgite mersus aquæ.

E Et in quinto vers. 646. fluvium, ut dicat eleganter, advocat,

Albula, si memini, tunc mihi nomen erat.

Atavorum fortuna posteris adest.

Mirabile fatum; etiam in Numicio arma inter præliandum contrectans Æneas periit; sic ad posteros non semel fortuna redit, & parentum fata deportat. Novimus post centum annos pronepotes cæcorum cæcitate laborasse; & seditiosorum nomina, acta, malam crucem præferre post sæcula.

Parentum vitia, felicitas, mala crux pronepotes insciunt.

Agrippa Rex X.

CCXV. Mortuo Tyberino regnat pro eo Agrippa Rex X. *Agrippa huic successit, regnavitque anno uno & quadraginta*, inquit Dionysius, anno O. C. MMMXXXVII.

F Eusebius annum adimit unum, ut sint XL. & ait: „ In Latina historia ad verbum hæc „ scripta reperimus: Agrippa apud Latinos regnante, Homerus in Græcia claruit, ut testatur Apollodorus Grammaticus & Euphorbus Historicus, ante Urbem Romanam conditam, an. CXXIV. & „ ut ait Cornelius Nepos ante Olympia-

Homerus floret.

„dem primam anno centesimo. De Homero librum edidit Plutarchus, in quo scientiarum omnium notitia præditum illum demonstrat; & de ejus Patria eruditissimus Leo Allatius antiquitatis monumenta describit. Ausonius *Periocham* fecit *in Iliadem* & *Odysseam* Homeri, in qua illum *divinum Poetam* appellat. Plinius *l. 7. c.* 28. Homeri libros, ex fide Alexandri M. *pretiosissimum humani animi opus* nuncupat, & ibi recitat historiam scrinii Regis, *quod erat auro, gemmisque ac margaritis pretiosum, librorum Homeri custodiæ datum*. Macrobius l. 1. in *Somn. Scip.* c. 12. commendat Homeri *divinam prudentiam*: & *l.* 5 *cap.* 13. inquit: *Virgilius acriter in Homerum oculos intendit, ut æmularetur ejus non modo magnitudinem, sed & simplicitatem & præsentiam orationis, ac tacitam majestatem*. Ab Heraclide Pontico in *Allegor*. *Æditaus Deorum* nuncupatur; deinde subjungit: *Valeat & adulator Plato, calumniator Homeri, qui e Republica sua remittit illustrem exsulem lanis redimitum albis*, &c. Sed equidem pro viri insigni excellentia animadvertit: *Si quis contra philosophicam contemplationem & allegoricum sensum ejus carmina accipiat, non alius utique fuerit Homerus, quam Salmoneus, & Tantalus intemperantia linguæ turpissime laborans*. Altum sapiat, qui Homerum legit; divina namque contemplatione philosophica indiget, qui ejus carmina versat.

Ejus laudes. Divinus Poeta. Ejus divina prudentia. A Virgilio secutus. Deorum æditaus. Ejus carmina mystica & allegorica.

CCXVI. Aurelius Victor, non Agrippam, sed *Aremulum Sylvium* reponit, de quo insuper addit: *Tantæ superbiæ, non adversus homines modo, sed etiam deos fuisse traditur, ut prædicaret se* SUPERIOREM ESSE IPSO JOVE, *ac tonante cœlo militibus imperaret, ut telis clypeos quaterent, dictaretque clariorem sonum se facere*. Xiphilinus de Caligula: *Tonabat machinis quibusdam, & fulgurabat, ac quoties fulmen de cœlo caderet, ipse contra jaciebat lapidem, dicebatque cum Homero, aut tu me interficias, aut ego te*. E contra Horatius canit lib. 3. *Carm.* od. 5.

Rex superbus Jove superior.

Cœlo tonantem credidimus Jovem
Regnare.

Similiter Lucanus in *Pharsalia* ait: *Per fulmina tantum sciret, adhuc solum Cœlo regnare tonantem*. Et in Capitolio Jupiter deorum maximus cum fulmine tonans regnabat. Propertius *l.* 4. *el.* 1.

Tarpejusque pater nuda de rupe tonabat. *Tamen præsertim affectus est pœna*, sequitur Victor, *nam fulmine ictus, raptusque turbine in Albanum lacum præcipitatus est*. Igne & aqua pereat deorum spretor Atheus; ita scriptum invenimus l. 6 *Ann. & Epitomarum* Pisonis lib. 2. Aufidius sane in *Epitomis*, & Domitius *lib.* 1. vetustissimi Scriptores, *non fulmine ictum, sed terræmotu prolapsum, simul cum eo Regiam in Albanum lacum, tradunt*; sic pereant inimici tui, Deus; & sicut Sodoma in lacum prorupit, ita ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum tartarum aperiant, & impios in Deum pœna operiant æterna.

Tonat adversus Jovem, sed fulmine perit. Terræmotu una cum Regia absorbetur in lacu.

CCXVII. Hinc mos apud Poetas vocandi Imperatores, Jovis nomine & tonantis: Ita Martialis ad Domitianum *l.* 7. *epigr.* 59.

Tarpejæ venerande Rector aulæ,
Quem salvo Duce credimus tonantem.

Similiter Horatius de Augusto: quo de more nos alibi. Obruto, sive demerso Agrippa, Remulus, sive Romulus Sylvius regnavit Rex XI. ita Livius; Ovidius l. 4. *Fastorum* vers. 49. Remulum hunc vocat,

Remulus Rex XI.

Jam tamen Agrippam natum, Remulumque nepotem
Viderat; in Remulum fulmina missa ferunt.

Eusebius inquit: „Aremulus Sylvius, sive „Remulus, Agrippæ superioris Regis filius, præsidium Albanorum inter montes, ubi Roma nunc est, posuit, qui ob „impietatem postea fulminatus interiit. „Hujus filius fuit Julius proavus JuliiProculi, qui cum Romulo Romam commigrans fundavit JULIAM GENTEM. Quantis ab atavis hæc gens Julia prodit? ut Julius Cæsar Imperator, & cuncti adulatores genus illius antiquissimum jactabant, ut ignores unde exortum. Vixit ann. XIX. Dionysius annum vitæ addidit, & Alladium hunc nuncupat, fortasse non alium ab Aremulo, de quo Victor; sed quia genus mortis aggravat, videamus ut impium percussum a Deo periisse narrat: *Μετὰ δὲ Ἀγρίππαν Ἀλλάδης, τυραννικόν τι χρῆμα, καὶ θεοῖς ἀπεχθόμενον, ἑνὸς δέοντα εἴκοσιν· ὃ περιφρονῶν τὰ δαιμόνια κατεσκευάσατο κεραυνῶν τε μιμήματα καὶ κτύπους βρονταῖς ἐμφερεῖς, οἷς δεδίττεσθαι τοὺς ἀνθρώπους ὡς θεὸς ἠξίου. Ὄμβρων δὲ καὶ κεραυνῶν εἰς τὸν οἶκον κατασκηψάντων, τῆς τε λίμνης, παρ' ἣν οἰκῶν ἐτύγχανε, πλημμύραν οὐκ εἰωθυῖαν λαβούσης, κατακλυσθεὶς πανοίκιος ἀπόλλυται· καὶ νῦν ἔτι διαλειπούσης τῆς λίμνης ἐν μέρει τινὶ, ὅταν ὑπονοστήσῃ τὸ νᾶμα, καὶ σταθερὸς ὁ βυθὸς γένηται, παστάδων ἐρείπια καὶ ἄλλα οἰκήσεως ἴχνη φαίνεται.* *Post Agrippam undeviginti an. Alladius, vir impius & tyrannicus, deorum contemtor, commentus est tonitrua, strepitus ac fragores edens fulmineos, ut* CIVIBUS ATTONITIS HABERETUR PRO DEO: *sed imbribus & veris fulminibus in ejus ædes irruentibus, stagnoque juxta quod habitabat exundante præter solitum, diluvio cum ipsis ædibus absumtus est: & nunc quoque deficiente stagno, & aquis decedentibus per tranquillitatem, spectantur diruta cœnacula & habitationis alia vestigia*. Impius hic Salmoneus insulas induit anno O. C. MMMLXXIIX. post annos XIX. male periit.

Fulminatus interit. Julia gens Julii C. Aug. Alladius commentus est tonitrua, ut haberetur pro deo. Male periit simul cum Regia, quæ adhuc sub mersa videtur.

CCXVIII. Regnavitque pro eo Aventinus Sylvius anno O. C. MMMXCVII. vir strenuus fortiter rem bellicam navavit, an. XXXVII. de quo Victor scribit: *Finitimis bellum inferentibus, in dimicando circumventus ab hostibus prostratus est, ac sepultus circa radices Montis, cui ex se nomen dedit*. Ita etiam Julius Cæsar *l.* 2. Dionysius nomen uni ex septem Collibus dedisse tradit. Eusebius mortis generis non meminit,

Aventinus Rex XII. Ab eo Mons Aventinus.

sed mortuum ac sepultum, ait, æternum Monti vocabulum dedisse. Aventinus deinde Mons ominosus Remo, extra Pomerium remansit; asseritque Livius *l.* 1. *dec.* 5. causam ex Messala refert Seneca libro *de brev. vitæ* c. 4. *Quod plebs eo secessisset; aut quod Remo auspicante, illo loco aves non addixissent*. Messala apud A. Gellium *l.* 13. *c.* 14. Montem hunc *avibus obscœnis ominosum* appellat: neque a Tullio Rege, neque a Sylla, aut D. Julio, qui proferendi Pomerii titulum quæsiverunt, intra fines Urbis inclusum; tandem, testimonio Elidis Grammatici veteris, D. Claudius recepit, occlusitque. An quia ibi sepulchrum Regis infausti ominis? Religio namque vetus extra urbes defunctos componebat: in Urbe Reges, sed fausti nominis. An quia Aventinus inter præliandum ibi occubuit? An quia circumfusus paludibus cælo gravi censebatur? ita Varro, *Olim paludibus Mons erat disclusus*. An quia Cacus furto infecit locum diris ab Hercule petitum? Virgilius ita occinit, & Ovidius in *Fastis* lib. 1. vers. 551.

Cur extra Pomerium?

Cacus Aventinæ timor atque infamia Sylvæ.

Procas Rex XIII.

CCXIX. Procas successit Aventino an. O. C. MMMCXXXII. qui a Sylburgio ex Ovidio *Palatinus* dicitur; sed errat, canit namque in *Fastis* lib. 4. vers. 52.

—— post illum tradita Regna Procæ.

Similiter Dionysius, qui annos XXII. vixisse scribit, Eusebius ann. XXIII. signat: Virgilius, qui ordinem in oraculo non servat, lib. 6. *Æneid.* vers. 767.

Proximus ille Procas Trojanæ gloria gentis.

Inter filios bona sua dividit.

Vixit annos XXIII. & teste Aurelio Victore: *Duos filios Numitorem & Amulium æquis partibus hæredes instituit. Tum Amulius in una parte Regnum tantummodo, in altera totius patrimonii summam atque omnem paternorum bonorum substantiam posuit, fratrique Numitori, qui major natu erat, optionem dedit, ut ex his utrum mallet eligeret. Numitor cum privatum omne cum facultatibus Regno prætulisset, Amulius Regnum obtinuit.* At Plutarchus aliter scribit.

Amulius Rex XIV.

CCXX. Istius historiam cap. seq. dabo. Audiamus Dionysium: Ἀμούλιος οὐ σὺν δίκῃ τὴν βασιλείαν κατασχὼν Νομίτωρι προσήκουσαν, ὃς ἦν αὐτῷ πρεσβύτερος ἀδελφὸς, δύο καὶ τετταράκοντα ἔτη δυναστεύει. Ἀμουλίου δὲ ἀναιρεθέντος ὑπὸ Ῥωμύλου καὶ Ῥώμου, τῶν ἐκ τῆς ἱερᾶς κόρης γενομένων, ἀπολαμβάνει τὴν κατὰ νόμον δυναστείαν Νομίτωρ, ὁ τῶν νεανίσκων μητροπάτωρ. *Amulius majore fratre Numitore pulso quæsitum injuria Regnum per annos quadraginta duos tenuit. Post hunc cæsum a Romulo & Remo natis Vestali virgine, legitimum Regnum rediit ad Numitorem, maternum avum juvenum.* Sequenti anno Numitor Regnum auspicatur post Ilium captum anno CCCCXXXII. Eusebius ann. CDXXX. post excidium signat; Cassiodorus, qui Latinum XXXII. regnasse scribit, Trojamque exustam ann. XV. sui Imperii, Æneam vero post VIII. annos accessisse adit, variat a calculo: sed diversus omnino Eutropius l. 1. *Breviarii* ad Valentem ait: *Romulus octodecim annos natus Urbem exiguam in Palatino Monte constituit* XI. *Kalendas Maii, Olymp.* VI. *anno* III. *post Trojæ excidium, ut qui plurimum minimumque tradunt* CCCXCIV. Falsus computus, quem Cato sapientissimus Romanorum confutat, apud Dionysium Halicarnasseum dicens, *Romæ constitutionem annis quadringentis triginta duobus rebus Iliacis posteriorem fuisse*. Sed de Urbis temporibus denuo infra dicemus.

Numitorem fratrem expellit, & regnat.

Deinde regnat Numitor Rex XV.

CAP. XVI.

De Amulio Tyranno, qui Numitorem Romuli avunculum Regno spoliavit, occidit Ægestum, & Rheam Sylviam inter Vestales adscripsit.

Principum infida societas.

CCXXI. Principum infida societas suadet tyrannidem, fratrumque non semel sanguine tingit purpuram, qua præstantior altum eminens, jura nequam proculcans induitur; suadet Amulii facinus in Numitorem; causam vero indigitat Aurelius Victor in *Origine Gentis Romanæ*, Procam videlicet Amulium & Numitorem *æquis partibus hæredes instituisse*. Prævaluit vis, quæ hominum deorumque legem negligit, & minor maximum natu depressit; asseritque Appianus Alexandrinus apud *Bibliothecam* Photii c. 57. Ἀμούλιος ὁ νεώτερος ὕβρει καὶ βίᾳ τὴν ἀρχὴν κατέσχεν Νεμέτωρι ἀφελόμενος, *Amulius junior vi & per nefas Numitori Regnum ademit*. Livius *l.* 1. *cap.* 3. *Procas Numitori, qui stirpi maximus erat, Regnum vetustum Sylviæ gentis legat; plus tamen vis potuit quam voluntas patris, aut verecundia ætatis: pulso fratre Amulius regnat*. Conon vetustissimus Auctor *l.* 48. scribit: *Numitori fratri ex insidiis necem intulisse*: scilicet attentasse fratricidium, ut tradit Appianus Alexandrinus: *Inferre tentabat, sed haud secuta sceleris ausu innocentis nece; Numitorem fratrem majorem e solio dejecit*; inquit Messala Corvinus: enarrant hæc impietatis monumenta Antiochus Syracusanus, Dionysius Halicarnasseus, & Vennonius, Scriptores fide & antiquitate illustres.

Vis leges contemnit.

Amulius fratrem pellit & regnat.

Tentat illum interficere.

CCXXII. Proh nefas! infandum facinus! equidem apertis tibiis Ovidius l. 1. *Met.* vers. 144. canit,

Vivitur ex rapto. Non hospes ab hospite tutus,
Non socer a genero; fratrum quoque gratia rara est.

Frater a fratre, hospes ab hospite, socer a genero insidias patitur.

Non raram lugemus gratiam, sed juge excidium, de quo Manilius libro 4. *Astronomicorum*, illud hominibus, astris, & Deo invisum occinit,

Mutuaque armati coeunt in vulnera fratres.

Silius Italicus *de Bello Punico* lib. 16

Fratrum impietas.

In numero fratres cavea damnante furorem
Pro sceptro armatis inierunt prælia dextris.
Is genti mos durus erat, patriumque petebant
Orbati solium lucis discrimine fratres.

Quod in bellis civilibus damnat Horatius, & mala Urbis hinc auspicatur,

—— acerba fata Romanos agunt,
Scelusque fraternæ cædis.

Plus pecuniam quam fratres existimant.

CCXXIII. Hinc Socrates, ut refert Xenophon apud Stobæum *Serm.* 82. cum Cherephontem atque Cherecratem sentiret fratres altercari: *Dic mihi, o Cherecrates*, inquit, *num etiam tu ex illis hominibus es, qui chariorem pecuniam quam fratres esse arbitrantur*? Quod Hierocles Pythagoricus inculcat, & Plutarchus in libello *de amore fraterno* maledictis prosequitur: enimvero Euripide teste *Iphig. in Aulide* vers. 376.

Contentiones inter fratres indignæ.

Δεινὸν, κασιγνήτοισι γίνεσθαι λόγους,
Μάχας θ' ὅταν ποτ' ἐμπέσωσιν εἰς ἔριν.

Indigna res est fratrum contentiones fieri, seu verbis,
Seu pugnis, ubi in mutuam inciderunt discordiam.

Pergit proinde sapiens Musonius: *Nonnulli homines per nefas ex cæde fratrum opes suis liberis parant, occidendo fratres, ut patrimonium amplius habeant, nec intelligunt quanto sit potius multos habere fratres, quam multas pecunias: nam pecuniæ insidias a proximis struendas cient, a fratribus insidiatores arcentur.* Ideo Statius damnat *fraternos inhiantem obitus*. Quod in Domitiano, qui exterminium humani generis dicebatur, in Titum vetus ploravit ætas. Sed cur fratres sese interimunt? An quia cupiditas naturam præstat? An quia matres adulterio naturæ pervertunt ordinem? An quia, teste Hesiodo, pecuniæ sanguis politicus censentur, & præcordia occupant, & mentem invertunt? an quia avarus monstrum immane prodit ab orco? An quia Regnum & opes excæcant hominem, ut suum ignoret genus? An vero divites homines esse obliviscunt, & dii se autumant? equidem in Augustis hoc mirum: & Alexander potens in terra, non Philippum patrem, sed Jovem affectabat genitorem inter numina Princeps.

Causæ cur fratres contendant avaritia & cupiditas.

Amulius expulso fratre nepotes interficit, ut regnet.

CCXXIV. Amulius igitur expulso fratre Numitore, ne in posterum nepotes in ipsum sævirent, fratris prolem innocentem interficiendam curavit: Aurelius Victor occinit: *Ut Regnum firmissime possideret, fratris sui filium in venando interimendum curavit*. Livius: *Addit sceleri scelus, stirpem fratris virilem interemit*. Appianus Alexandrinus, & Photius hunc *Ægestum* vocant, cujus historiam enarrat Dionysius lib. 1. *Antiquitatum Rom.* „Amulius postquam fraudato majore fratre Numitore „occupavit Albanum Imperium, præter „alia multa superbe & injuste facta, de„crevit totam germani stirpem tollere, vel „vindictæ metu, vel continuandi princi„patus cupidine: quod consilium cum diu „multumque agitasset animo, primum fi„lium ejus Ægestum pubescentem tunc „maxime, in loco venationis assueto, po„sitis quam latentissimis insidiis peremit: „& post facinus perpetratum sparsit ru„mores, necatum a latronibus adolescen„tulum: nec tamen opinio mendax taci„tæ veritati prevaluit, sed multi etiam suo „periculo scelus id ausi sunt eloqui. Sic Nero Urbem incendio perdidit, & scelus innocentibus Christianis adscripsit, ut etiam Suetonius & Tacitus referunt: at veritas e puteo lucet obruta, sicut Sol & Luna ab imo refulgent. Sequitur Dionysius, & aliud indicat enormissimum facinus: At „Numitor, quamvis rem sciret, rationi ta„men magis quam dolori serviens, dissi„mulabat, in tempus minus periculosum „iram consulto differens. Amulius autem „credens occultum prius facinus, addi„dit & alterum, filiam fratris Iliam nomi„ne nuptiis jam maturam Vestæ Sacerdo„tem aptavit, veritus ne virum cito nacta „pareret ultorem avitæ injuriæ: has puel„las sacratas oportebat non minus quin„quennio puras manere a nuptiis, æter„numque ignem custodire, & obire alias „solennes virginibus cæremonias. Id ho„nesto prætextu fecit Amulius, quasi „ornaturus cognatam: nam honorificum „habebatur apud Albanos nobilissimam „quamque deæ famulari, allectam in sa„crum ordinem. Sensit Numitor non bo„no animo hæc a fratre fieri, indignatio„nem tamen dissimulans ne offenderet, „hanc quoque injuriam celabat silentio. „Hactenus ille: breviter etiam Messala Corvinus: *Numitoris virili prole interemta, filiam Rheam Sylviam, ut partum averteret, Vestalem virginem sacravit*.

Tyranni gesta impia.

Nepotem inter venandum interficit.

Numitoris filiam Iliam inter Vestales adscribit, ut virgo pereat.

Nepotes cur diligendi?

CCXXV. Detestabile scelus; nam nepotes, teste Hierocle Pythagorico, sunt *propagines avorum*, in quorum vita nititur parentum immortalitas; *Nepos* enim, ut scribit Scaliger, *pes, & quodvis fundamentum* interpretatur: est enim vocabulum Græcum νέποδες: quod πὺς ipse, id est, *fundamentum generis*: Theocritus enim & Apollonius usurparunt νέποδας pro nepotibus, quod & Festus adnotarat, ut agnoscimus ex ejus fragmentis, in quibus apparet citasse Callimachum; sicque nepos, *Novus pes ac columna familiæ perpetuandæ* interpretatur, juxta Claudiani & Euripidis carmina: unde Witichindus lib. 1. *Saxon Hist.* & Rigordus, nepotum interfectores *naturæ contrarios* vocant; at Tyranni merito dum lædunt fratres, nepotum vindicias timent: An hoc spectat ad Dei providentiam, ut quæ sunt homini oblectamenta peccandi, sint Deo instrumenta puniendi? ideoque sapiens Euripides in *Heraclid.* vers. 469. ait,

Nepotis atymum.

Nepos pes ac columna familiæ.

Qui fratres lædunt nepotes timent, & interficiunt, ut vindictam superent.

Δεινὸν γὰρ ἐχθροῖς βλαστάνοντες εὐγενεῖς
Νεανίαι τε, καὶ πατρὸς μεμνημένοι
Λύμης.

Res enim formidanda est hostibus surgentes seu germina

Generosi juvenes, & injuriarum memores patris.

Stasimus id ipsum pendit, *Stultus qui patrem occidens, natos sinit evadere*: Ulysses apud Senecam in *Troad.* dum timet, omnem Priami domum tollere suadet,& Andromacham sic alloquitur vers. 527.

—— Grajorum omnium
Procerumque vox est, petere quos feras domos
Hectore a soboles probibet: hanc fata expetunt;
Sollicita Danaos pacis incertæ fides
Semper tenebit, semper a tergo timor
Respicere coget; arma nec poni sinet:
Dum Phrygibus animos natus eversis dabit.

Et *ibid.* vers. 551.

—— magna res Danaos movet,
Futurus Hector.

Surgunt in nepotibus ultores scelerum.

Etenim Julianus desertor sæpissime dicebat, *Nepotum mores avitis affines esse solent*; ideoUlysses versutus replicat *ibid.*vers.536.

—— cujus & stirpem horreo:
*Generosa in ortus germina * exsurgunt suos.*
Sic male relictus igne de magno cinis
Vires resumit.

Tyranni hoc faciunt,perpetrant & hostes, at avunculum esse carnificem, horret natura: hinc Rigordus in *Hist. Philippi Augusti* ait: *Rex tanquam naturæ contrarius carnem & sanguinem suum semper odio habens, nepotem suum Arturum, cui jure primogenituræ debebatur Regnum, manu sua occiderat*; de altero Monstro Domitiano scribit Xiphilinus ex Dione, *Fabium Clementem Consulem, etsi nepos ejus esset, duxissetque uxorem Flaviam Domitillam propinquam ipsius, morte affecit, illato ambobus crimine impietatis.* Hyginus similiter *Fab.* 244. illos recenset, & exsecratur: *Theseus Ægei filius Pallantem filium Nilei fratris occidit: Orestes Ægistum Thyestis filium: Phegeus Alphesibœæ filiæ suæ filiam: Dædalus, Eupalemi filius, Perdicen sororis suæ filium, propter artificii invidiam.* Istos dedimus propriæ carnis immanes tortores, carnifices, monstra, ut Lector sciret, suum esse genus in nepotibus, carnem suam & posteritatem ne despiceret.

Qui impii nepotes interfecerunt.

CCXXVI. Ægestum igitur interfecit, & Rheam Sylviam cœlibatu affectam occlusit: hanc Ælianus *Serviam* appellavit: Dionysius *Rheam nomine, cognomine Iliam*: Aurelius Victor tradit, Rheam Sylviam *Vestæ Sacerdotem præfecit, ut virginitate perpetua teneretur.* Commentum refert antiquissimus Valerius Antias: „Rheam „Sacerdotem Vestæ fieri jussit, simulato „somnio, quo admonitus ab eadem dea „esset, ut id fieret: cum re vera ita faciendum sibi existimaret, periculosum „ducens, ne quis ex ea nasceretur, qui „avitas persequeretur injurias. Cur autem Vestales virginitatem colerent, aperit Ovidius l. 6. *Fastorum* vers. 283. ex Hesiodo in *Theogonia*:

Amulius Rheam Vestalem facrat, & simulat somnium.

Vestales cur virgines?

* Alii, *semina*.

Cur sit virginibus, quæris, dea culta ministris?
Inveniam causas hac quoque parte suas.
Ex Ope Junonem memorant Cereremque creatas
Semine Saturni; tertia Vesta fuit:
Utraque nupserunt: ambæ peperisse feruntur:
De tribus impatiens restitit una viri.
Quid mirum, virgo si virgine læta ministra
Admittit casta in sua sacra manus?

Eleganter Tertullianus in igne & dracone virgines sectatur, & ad uxorem inquit: *Romæ quidem, quæ ignis illius inexstinguibilis imaginem tractant, auspicia pene cum ipso dracone curantes, de virginitate censentur.* Hanc ignis causam pertractat etiam Tullius: *Vestæ colendæ virgines præsunt, ut advigilent facilius ad custodiam ignis, & sentiant mulieres in natura feminarum omnem castitatem pati*; idque Stoici ad rationem physicam conantur traducere, quorum sententiam Cicero *de nat. Deorum* differens posuit apud Lactantium *lib.* 1. *cap.* 12. „Cælestem, inquit, altissimam æ„thereamque naturam igneam, quæ per „sese omnia gigneret, vacare voluerunt ea „parte corporis, quæ conjunctione alte„rius egeret ad procreandum: idcirco vir„ginem putant Vestam, quia ignis inviola„bile sit elementum, nihilque nasci possit „ex eo: quippe omnia quæ arripuerit, ab„sumat. Ovidius in *Fastis* lib. cit. vers.291.

Ex igne nihil nascitur.

Vesta ignis.

Nec tu aliud Vestam, quam vivam intellige flammam,
Nataque de flamma corpora nulla vides.
Jure igitur virgo est, quæ semina nulla remittit,
Nec capit, & comites virginitatis amat.

An ignis generet?

Sunt tamen, qui putent ignem nonnulla generare animalia, unde Seneca ait: *Ignis qui omnia consumit, quædam etiam creat.* Arist. lib. 5. *Hist. anim.* in fornacibus ærariis Insulæ Cypriæ animalia quædam generari narrat. Eadem Strabo & Ctesias Gnidius *de rebus Indicis* commemorant, sed illud, quod citant, non est juxta mentem Aristotelis; ideo Cælius, *lib.* 15. *cap.* 15. commentum rejicit. Etenim Aristoteles in quarto *Meteororum* ait: *In terra & aqua solum animalia sunt, in aere autem & igne nequaquam.* Et in libro de *propr. elementorum*, quisquis sit Auctor, inquit: *Nobis incompertum est animal quodpiam ignem habitare omnino*; quia ignis proprium est absumere, ut duret: divus Thomas in *secundo dist.* 15. *quæst.* 22. *art.* 1. & *in quarto dist.* 44. *quæst.* 3. *art.* 1. docet nullam rem posse diu in igne conservari, ergo nec produci: salamandra namque ob nimiam frigiditatem resistit, non vivit in igne.

Negatur.

Resistit, non vivit in igne salamandra.

CCXXVII. Sed allegoriæ non desunt; adest Phornutus dicens: *Vesta virgo inducitur, quod perpetuus motus rerum gerendarum causa nequeat esse.* Desudant igitur experimentis,non pariunt motus perpetui mo-

Motus perpetuus impossibilis.

molem ingenia, machinas nonnullas vidimus, quæ oculis, non manibus pareant: An quia natura est causa motus & quietis? An quia in præceps cuncta ruunt, nec in eodem statu permanent? An quia esset immortalitatis exemplar, neque ingenio, neque natura comparandum?

Vesta conjugata. CCXXVIII. Nec desunt, qui Vestam conjugatam dicant; Fabius Pictor *Vestam Jani uxorem fuisse* tradit: *quæ prima sacrorum Regina, sempiternum sacrificiorum ignem virginibus credidit*. Lactantius Firmianus ait: *Legi in sacra historia Uranum potentem virum Vestam habuisse uxorem*; Lilius *Cæli uxorem* recitat fuisse. Sed duas fortasse legimus apud Macrobium & Phornutum, hæc ut numen colitur virgo; imo ab obscœno hortorum deo circumventa restitit. Ovidius l. 6. *Fastorum* vers. 333. (Fugit obscœnum hortorum deum, & virgo permanet.)

At ruber hortorum custos, Nymphasque deasque
Captat, & errantes fertque refertque pedes.
Adspicit & Vestam; dubium Nympham-ne putarit,
An scierit Vestam; scisse sed ipse negat:
Spem capit obscœnam, furtimque accedere tentat,
Et fert suspensos corde micante gradus.
Territa voce gravi surgit dea, convolat omnis
Turba; per infestas effugit illa manus.

Lactantius *l. 1. cap. 21. Illam intempestivo clamore aselli, quo Silenus vehebatur, excitatam, libidinem vero insidiatoris esse detectam: hac de causa Lampsacenos asellum Priapo quasi in ultionem mactare consuevisse.* (Insidias agnovit ab asello excitata.)

Ignis Religio in Dardania. CCXXIX. Vigebat Ignis Religio ab usque Dardani temporibus, & in Phrygia numen colebatur, asseritque Prudentius l. 2. *adv. Symmachum*,

——in his quoniam Vestalis origo favillæ
Urbibus, ut memorant, primo de fomite sumta est,
Sacravitque focos, aut Phryx, aut Grajus alumnos.

Et apud Athenas. Hunc Phrygem Dardanum intellige: monetque Dionysius, qui ait: *Servari sacrorum partem*, scilicet Ignis, *e Samothracia, quæ Dardanus Trojam, Æneas in Italiam advexerit*. Silius Italicus Trojanam Religionem in igne decantat, (Ignem devexite Æneas sacrum in Italiam.)

Et vos virginea lucentes semper in ara
Laomedonteæ Trojana altaria flammæ.

Ovidius lib. 3. *Fastorum* occinit id ipsum,

Vesta quoque ut niteat folio velata recenti
Cedit ab Iliacis laurea cana focis.

Papinius Statius de equo Domitiani Imperatoris,

Templa superfulges, & prospectare videris

An nova contemtis surgant palatia flammis
Pulchrius? An tacita vigilet face Troicus ignis,
Atque exploratas jam laudet Vesta ministras.

(Ignis a Troja Troicus.)

A Troja hæc sacra, & ignis numen, transtulitque Æneas una cum Penatibus juxta Hectoris monita; Virgilius lib. 2. *Æneid.* vers. 293. (Sex, aut septem Vestales.)

Sacra suosque tibi commendat Troja Penates.
Sic ait, & manibus vittas, Vestamque potentem,
Æternumque adytis effert penetralibus ignem.

Ovidius denuo in sexto *Fastorum* vers. 365.

Vidimus Iliacæ transferri pignora Vestæ.

Alba proinde condita, cœpit deæ cultus, & lectissimarum puellarum grandior sacra de more peragebat; hæc *Vestalis Virgo maxima*, reliquæ quinque, aut sex tantummodo: post trigesimum Sacerdotii annum nubere fas erat, unde illud Prudentii, (Virgo Vestalis maxima.) (Post trigesimum annum illis nubere fas erat Romæ.)

Nubit anus veterana, sacro perfuncta labore,

Sed notat doctus Lipsius: *Legem Albanam duriorem Romana fuisse*, enimvero ex Livio, Dionysio, & Zonara colligit, *perpetuam virginitatem* sanxisse; ideo prolis spes nulla, & securitas Amulii in cælibatu. (Semper in cælibatu Albanæ Vestales.)

CCXXX. Pergit puella, & Numitor pater silet; sed ficta religio non profuit, etiam invisa Dæmoni; ex corde exeat cultus numinum, non velet impietatem, revelet animum, nec sua, sed Dei commoda quærat; enimvero Altissimus scrutator est cordium; ideo Mars dum pro religione pugnat, virginem comprimit, & e penu Vestæ gravida pergit mulier ad vindictam. Oritur Romulus, & nepos obtruncat avunculum, ut sciant impii, quod sera numinum vindicta tarditatem gravitate compensat. Quo de more vide Plutarchum. (Ficta Religio non prodest.)

CAP. XVII.

Rhea Sylvia Sacerdos, more Vestalium, dum aquam haurit in Luco Martis, stuprum patitur, Romulum Remumque generat. De Incuborum concubitu erudite quæritur.

CCXXXI. RHea Ilia Sylvia, Sacerdotum Vestæ solertissima virgo, & impigerrima sacrorum ministra noctu munia flammæ cum peregisset, præveniens deinde ortum surgentis auroræ currit ad fontem; urnas fictiles olim habebant in sacris, & totum numinum penu, tanquam divinitatis thesaurum, argilla præstabat; hinc puræ expiationes, lustrationesque lauro, verbena, & (Vestalis officia in sacris.) (Urnæ fictiles.)

Fictilia antiquitus in sacris.

sulphure fictilibus urnulis perficiebantur; secuta ætas ad pompam mutavit illas in aurum, & aureæ ætatis gloriam æris rubigine aurique pallore offuscavit. Persius in *Satyr.* 2. commutationem hanc in pejus sic lacrymis prosequebatur.

Ad pompam deinde accessit aurum.

> *Aurum, vasa Numæ, Saturniaque impulit æra,*
> *Vestaleisque* URNAS, *& Tuscum fictile mutat.*

Fictilia vetus habebat religio, eaque vasa Rhea portabat ad sacra; enimvero lucus non procul ab æde, Marti sacer, scatebat inter arborum condensa fontibus, unde Sacerdos, suo adhuc tyrocinio incumbens, petebat aquas; etenim Symmachus in legatione pro Vestalibus *Religionem sacri fontis* perhibet, & Propertius * de Tarpeja Vestali inquit,

Vestalis circa aquas religio.

> *Sacra lavaturas mane petebat aquas.*

Nec siluit Cedrenus *curam aquarum* in Vestalibus: mane namque expiatorias tangebant ad numerum aquas, moremque gens religiosa recoluit usque ad superstitionem. Juvenalis *Sat.* 6. vers. 521.

Ablutio matutina.

> *Ter matutino Tyberi mergetur, & ipsis*
> *Vorticibus timidum caput abluet.*

Ad vota concipienda facit Persius *Satyra* secunda,

> *Hæc sancte ut poscas, Tyberino in gurgite mergis*
> *Mane caput bis, terque, &* NOCTEM *flumine* PURGAS.

Expiatio somniorum.

Cælitibus diis mane erat ad fontem religio, ibi somnia purgabant in undis, asseritque Papinius Statius lib. 9. *Theb.*

> *Ante diem gelidas ibat Ladonis ad undas*
> *Purgatura malum fluvio vivente soporem.*

Æschylus expiationis modum occinit, dicens:

> *Sed mihi famulæ lucernam accendite,*
> *Calefacite autem aquam,*
> *Urnis ex fluviis rorem elevate,*
> *Ut divinum somnium abluam.*

Aqua purgat delicta.

Sic delicta conceptis verbis viva eluit unda, sive pollutas a cæde manus abstergit, purasque reddit; sapiens Æneas apud Virg. l. 2. *Æn. flumine vivo* se a cæde recenti abluit; adde ante libationes, molamque salsam, sive crateris effusionem, & thura, in usu lavacra, unde vulgatum

* Voluit dicere Ovid. lib. 3. *Fastor.* vers. 12. ubi de Sylvia Vestali, non de Tarpeja, ut hic habet Auctor.

illud Plauti in *Aulularia* Act. 3. Sc. 6. vers. 43.

Loti ad sacrificium.

> *Ego nisi quid me vis, eo lavatum, ut sacruficem.*

Nec ad templa accedebant nisi loti, unde Arnobius lib. 2. *adv. Gentes* ait: *Templa cum adire disponitis, ab omni vos labe puros, lotos, castissimosque præstatis.*

Rhea stuprum patitur in luco Martis.

CCXXXII. Hinc Rhea cum ad fontem iret, Martisque lucum, numine compressa geminos concepit; stupri auctorem Veteres Martem fuisse dicunt. L. Florus *l.* 1. *cap.* 1. *Primus ille & Urbis & Imperii conditor Romulus fuit, a Marte genitus & Rhea Sylvia.* Ad Urbis gloriam refert indignum facinus Livius *lib.* 1: *cap.* 4. *Debebatur fatis tantæ origo Urbis, maximique secundum deorum opes Imperii principium: vi compressa Vestalis, cum geminum partum edidisset, seu ita rata, seu quia deus auctor culpæ honestior erat, Martem incertæ stirpis patrem nuncupat.* Recte Livius, & scribit ut sapiens. Enimvero deos adulteros, fures, contentiosos, parricidas sibi fecerunt, ut tali crimine notati numinum comparatione fruerentur: nec aliter D. Prudentius, & Augustinus l. 2. *C. D.* cap. 10. *Diis suis etiam sic assimilari appetunt.*

a Marte.

Hæc Urbis gloria.

Deos impios faciunt impii, ut in malo perseverent.

CCXXXIII. Sed stupri auctorem inquiramus, & tempus modumque perscrutemur: adest Dionysius, qui ait: „ Quarto „ autem post anno Iliæ, sacrorum causa „ puram aquam in Martis lucum petenti, „ stuprum in fano nescio quis obtulit: „ quidam dicunt unum e procis ejus fuisse amore captum virginis: alii vero ipsum Amulium insidiatorem potius „ quam servientem libidini, septumque „ armis, quo magis terrorem puellæ incuteret, nec facile agnosceretur ob insolitam cultus speciem. Marcus Octavius & Licinius Macer apud Aurelium Victorem tradunt: „ Amulium patruum „ Rheæ Sacerdotis, amore ejus captum, „ nubilo cælo, obscuroque aere, cum „ primum illucescere cœpisset, in usum „ sacrorum aquam petenti, insidiatum, „ in luco Martis compressisse eam. Testantium augetur moles, & Amulium damnant reum stupri, per quod dum generat, tortorum suorum fit parens, & a prole necatur; ne tanti sceleris exemplum memoria omnino careat, Domitianus Imperator, inquit Xiphilinus, *palam cum fratris sui filia Julia tanquam cum uxore coibat.* Ætas semper in pejus præceps ruit, ille impie larvatus, hic obscœne palam. Sidonius Apollinaris,

Amulius filiam fratris deflorat.

Armatus illam compressit.

Cælo adhuc nubilo.

Domitiani libido.

> *Non hic Tantaleam domum retexam,*
> *Qua mixtum Pelopeja per parentem*
> *Prolis facta soror, novoque monstro*
> *Infantem genuit pater nepotem.*

CCXXXIV. At juvat pejerare, inquit Varro, ut se homines ex diis genitos mentiantur; asseritque apud D. Augustinum l. 3. *C. D.* cap. 4. *Utile esse civitatibus, ut se viri fortes, etiamsi falsum sit, ex diis genitos esse credant: ut eo modo animus humanus, velut divinæ stirpis fiduciam gerens, res magnas aggrediendas præsumat audacius, agat vehementius, & ob hoc impleat ipsa*

Juvat pejerare, ut se homines ex diis genitos mentiantur.

[A] *ſecuritate felicium*. Hæc Varro; addit D. Auguſtinus: *Ubi intelligamus plura jam ſacra & quaſi religioſa potuiſſe confingi: ubi putata ſunt civibus etiam de ipſis diis prodeſſe mendacia: ſed* UTRUM *potuerit Venus ex concubitu Anchiſæ Æneam parere, vel Mars ex Sylviæ concubitu Romulum gignere, in medio relinquamus*. Ita ille. At noſtra intereſt arcana perſcrutari, & varietate Lectorem allicere; ideo quæro

Et quare?

Quæſtio, an Dæmones poſſint generare?

CCXXXV. An Dæmon poſſit generare? cum expers ſit corporis, nec ſemen coagulare, nec illud emittere Sanctus [B] Thomas docet. An poſito, quod ſumat corpus de inferiori parte aeris, ut ſcribit Ægidius *ſup.* 8. *diſt.* 2. *lib. ſentent.* & Iſidorus *cap.* 1. *lib.* 7. de ſummo bono: occinitque Claudianus apud Ambroſium de Vignate,

Hi velut aereo veſtiti corpore, noſtram
Mentiti ſpeciem, multos phantaſmate ductos
Deludunt homines.

Non poſſunt ſemen emittere.

[C] An aſſumto corpore poſſit ſemen gignere? nequaquam: enimvero ſemen vel ex medullis profluit, ut Hipponi Metapontino placuit, vel ex adipe totaque carne, ut Anaxagoras, Democritus, & Alcmæon Crotoniates ſcribunt. Semper a vivente exhauritur, & vitæ primordia continet, aptum ad generationem viventis; cum autem corpus aſſumtum vita careat, ſemen gignere non valet. At dices, movetur, & hominum munia perficit: Reſpondeo, velut ſpiritus inſtrumentum [D] latentis operatur; quandoquidem nec ſpiritus, nec corpus aſſumtum, virtute pollet ad gignendum ſemen; An Ars ſyderum adjutorio, quo utuntur Dæmones, & ſublunarium corpora, præcipue pecudum, ad illud conficiendum & eliciendum valet? creſcit quæſitum, quia lapides Deucalionis apud Veteres arcanum aliquod artis continent; ſimiliter ex aqua & terra calefacta ortum primum hominis teſtatur Anaximander Mileſius, quod firmat Empedocles, Parmenides, & Democritus [E] Abderita apud Cenſorinum, & denotat terræ vim: unde Epicurus quoſdam *terræ uteros* adſtruit, & Luctatius *prægnantem* quodammodo *terram* occinit, velut præditam anima, animantium omnium parentem & originem; Zenon & Chryſippus Stoici *adminiculum divini ignis* quoddam perhibent, potens ad generandum hominem: Divus Auguſtinus l. 15. *C. D.* cap. 23. ſuper illud Pſalm. 103. *Q ii facit Angelos ſuos ſpiritus, Miniſtros ſuos ignem urentem:* in igne Dæmonum corpora intelligit, quæ Divus Thomas *part.* 5. *quæſt.* 51. *art.* 3. *ad* 6. permiſſione divina *corpora* [F] *craſſa* aſſumere poſſe docet. Quid in Colchide & Bœotia conſitis anguis dentibus, *armati partus*, niſi præſtantem Cadmi artem ad homines procreandos, ſeminis compacti ope, ſine muliere? Adde in Attica Erichthonium ex ſemine Vulcani natum, quem *ignis vim* profitemur: ex ſpuma maris Venerem, *humidi* virtutem omnino præſignante; ex ovo plures, utpote ex potentia generativa animantium, animal homo: ex ſeminibus Chemiſtæ

Neque ſyderum, neque ſublunarium adjumento.

Lapides Deucalionis.

Uterus terræ.

Divinus ignis.

Ex dentibus draconis armati partus.

Semen Vulcani.

Ex ovo nati.

Chemiſtæ laus.

[A] ſpiritum plantarum eliciunt, ut roſam, lilium, & cupreſſum demonſtrent poſt calcinationem in phialis. Cur non ab hominis carne & oſſibus? Reſpondeo, Cadaver non eſſe hominem, anima exutum vermes ex ſe gignere, non hominen,quod fuit. At dices, Neque ſemen animatum, ſed diſpoſitionem ad animam conferre, igitur ſi ſerpentem e ſpina gignit, etiam ars ſemen a cadavere. Nego paritatem: nam ex putri ſerpens & limo Solis concurſu, ut imperfectum reſultans a corruptione, [B] quam abhorret natura: hominis organum, perfectiſſimum naturæ opus indiget ſemine compactum a toto homine, qui gignitur in ſimilitudine naturæ. Dices contra ex Ariſtotele & Æliano: In Africa diverſa animantia ſpecie generant tertium quid ab unoquoque; adde Apulejum in *philoſophica Metamorphoſi* ſcribentem, juxta Lucium Samoſatenum, Lucianumque, mulierem aſini congreſſum flagraſſe, ſemenque excepiſſe: Taurum cum Paſiphae, Cygnum, Arietem, [C] Bovemque ſive Jovem pluribus uſum mulieribus; & nos in libro *de Canum Natura*; igitur diverſum non officit ſemen, ſed generat. Sed diverſum animal. Ideo fallit argumentum: enimvero quæritur ab Hippone, & Diogene, & Parmenide, & Epicuro, *Utrum ex patris tantummodo ſemine partus naſcatur, an etiam ex matris?* Hæc elicit ſemen, & utrumque in matrice generat fœtum, ergo neceſſe eſt in ſimilitudine naturæ ſpeciei conveniant. Jumenta cum conveniant in anima ſenſitiva, [D] quandoque diverſa gignunt; ſed monſtra, quæ patris ac matris commiſtum genus efformant. Non ſic in homine rationali, cujus forma non eſt in ſemine, ſed creatur; ideo generant quandoque mulieres ex brutis, ſed monſtra irrationalia, ſicut male affectus uterus molam non ſemel pro fœtu, quæ projicitur: ſicut & monſtra, ab antiquis uſque Romanorum temporibus, demerſa, deportata, legimus apud Julium Obſequentem in libro *de Prodigiis*, nec Lycoſthenes & Peucerus aliter ſcribunt: differunt monſtra, non- [E] nulla parte corporis carent, & gemini in unum prodeunt, ut olim Plato effutit fuiſſe primum hominem, a Jove deinde in fœminam maremque diviſum. Hoc accidit matris & receptaculi vitio: alia organum perverſum oſtendunt, immutatum, hominis indignum forma, canino rictu, equina juba, &c. Hoc generat mulier, ut animal ſenſitiva præditum anima, non rationali, nam cum brutis ſentimus. Ideo deportatur, & interficitur, ut Polydorus Vergilius l. 3. *de Prodigiis* enarrat. Quod ſi eſſet rationale, leges perimere [F] nefas omnino ducerent. Exemplar offero; in quo neque hominem, neque elephantum agnoſcas, ſed monſtrum.

Cadaver non eſt homo.

Serpentes & vermes ex putri.

Africa parit monſtra.

Mulieres coeunt cum brutis.

Mater concurrit ad generationem.

Mulier cum brutis quandoque generat monſtra irrationalia.

Monſtrorum differentia.



Probatur Dæmones non generare.

CCXXXVI. Ad argumenta superius posita respondeo; ex rosa rosam, non lilium, Chemicos educere, quia vegetabile rosæ potest educi, cum sit in planta: anima vero hominis non est in cadavere, quia cadaver est diversum ab homine, caret namque forma, quæ est illius constitutivum. Calor deinde, & limus, plantæ, & lapides aurum perficere valent, & ex ære illud conficere, quia æs est aurum imperfectum, seu, ut dicunt, in via ad aurum, & illa qua indiget perfectione, ante completur: sed nullum animal semen emittit, aut ex eo confici potest, quod respectu hominis sit tanquam imperfectum ad perfectum, quod perfici possit, quia differunt forma, quæ in homine creatur, in brutis elicitur, illa immortalis, hæc vel divisibilis, vel interitura simul cum bruto.

Argumentis satis fit.

CCXXXVII. Sed demus INCUBOS generare Dæmones sublato hominis calido semine, & intromisso, antequam habescat calor vitalis. Sicut Ciccus Asculanus, Merlinus Britannus, & Saxonum Principes, aliique geniti quamplures feruntur, prout Nider in *Formicario*, & Thomas Brabantinus in libro *de Apibus*, & Sprengerus in *Malleo*, antiquitus hoc facinus in usu, nostrisque temporibus, enarrant. Cujus sunt filii? Respondeo, illius hominis, cujus est semen: quod semen non est demissum ex pollutione nocturna, sed decisum in ipsamet copula viri cum muliere; nam illud ex superfluo manat, nec vim habet omnimodam ad generandum, cum natura expellat abundans ad generationem inhabile, hebefactum, non defæcatum, & validum. Antiquitus isti *Terrigenæ* appellabantur; apud Ulricum Molitorem in l. *de Pythonicis mulieribus*, *Abjecti*; & a Vincentio Bellovacensi in *Spec. Hist.* *Homines absque patre*, qualis fuit Merlinus. De istis etiam Ausonius *epig.* 25.

Filii Incubi cujus sint filii:

Abjecti, Terrigenæ, homines absque patre.

Credo quod illi nec pater certus fuit.

Eosque Veteres apud Censorinum αὐτόχθονας vocabant: quorum genus ignotum. Quærit insuper Divus Thomas in *secundo sent. dist.* 4. *art.* 4. *An geniti ex hujusmodi Dæmonibus sint majoris virtutis quam alii homines.* Respondet affirmative ex contextu *Gen.* 6. *Isti sunt potentes a sæculo.* Adde Alexandrum, Romulum, Cæsarem pro-

A lem Incuborum: ratio est, quia Dæmones validissimum semen transferunt, & cognoscunt, quia scientia adhuc pollent: imo confovent illud semen, ut præstantius generet. Sunt namque herbæ & lapides, de quibus Rueus, Cordus, & Ruellius *de Natura Stirpium*, quæ vim habent augendi virtutem seminis. Vide Divum Augustinum lib. 3. *de Trinitate*: sed heu! recte Divus Petrus in *secunda Canonica* cap. 2. * istas mulierum impiissimas vocat *irrationabilia pecora:* nam cum hircis coeunt & monstris.

Filii Incubi potentes.

B CCXXXVIII. An Succubus Dæmon cum viro generet? omnino negatur; quia inter agens & passum debet esse proportio; sed corpus Succubi est effictum ex aere lutulento & crasso, ut Augustinus & Thomas docent, ergo licet receptacula adamussim sint adinstar veræ mulieris conflata, non valent ad generationem corporis, etiamsi Dæmona muliere alia semen excisum generationis tempore sumat. Fabulæ excisum Saturni semen generasse in mari occinunt: An per mare mulierem insatiabilem intelligunt? An sicut mare omnium terrarum recipit flumina, & non redundat, ita & mulieres? Equidem de una Augusta dicitur, lassa post centum procorum coitum, non saturata.

Succubus Dæmon non generat.

C

Mulier libidinosa ut mare.

CCXXXIX. An virgo cum Dæmone Incubo cubans salva virginitate potest concipere? Affirmat Niger in *Formicario* de malefic. & citat Divum Thomam in *quarto, quæst.* 10. videlicet, potest Dæmon semen immittere intra vas claustro non abrupto, per rimas, & sic concipere: enarrat proinde virginem in somno a juvene conspurcatam semine, intactam concepisse. An matrix appetens attrahit semen? An quia, teste Conciliatore differentia 15. *Generatio fit per spiritum emissum e corde temperatum in quantitate & qualitate*, & hic subtilissimus intrat & fæcundat? Sed Zacchias cum pluribus negat: & fabulam Averrois de puella in balneo, spermate jam delapso, concipiente, cujus meminit Divus Thomas, irridet. Equidem bene: nam semen prolapsum inter aquas effluit, nec spiritum caloris permanentem a corde retinet. Cæterum in ore vulvæ matricem petit, & si non ejaculetur, ob appetentiam naturæ intrat: nec penis quantitatem commensuret Medicus, quia natura quandoque supplet, & defectum proprietate & appetentia reficit. In virgine præcipue nimio calore æstuante, ut fit mater. Ideo non semper hæc accidunt, sed raro, ideo admiranda, nec contemnenda, sunt namque naturæ miracula rationabiliter possibilia.

Virgo absque fractura ut generet.

D

Judicium de puella, qua in balneo recepto semine generavit.

E

CCXL. Habemus igitur Romulum filium Martis, sive armati Dæmonis ad Amulii excidium, similiter Gaufridus Antioderus apud Vincentium in *Speculo Nat.* narrat in Sicilia spectrum e mari exiens progenerasse cum puella infantem: Helimandus *l.* 4. eodem Vincentio auctore, refert juxta Rhenum in Coloniensi Diœcesi, militem per flumen accessisse, rare a cygno argentea catenula protracta, incognitum, uxoremque duxisse, a qua filios

F

Historia spectrorum Dæmonum, qui filios genuerunt.

* Vers. 12. ubi non de mulieribus, sed de hominibus agitur.

habuit, deinde ea adventante navicula ingressum disparuisse spectrum. Merlin mater coram Vortigeno Rege confessa est *De spiritu in specie hominis illum concepisse*, & Navagerus post Vincentium aliud portentum refert præ cunctis mirabile: non absimile illud Ananiæ l. 4. *de Nat. Dæm.* cap. 3. Cum parentes puellam, quam habebant virginem, agnoscerent gravidam, inquirentes reum, puella juvenem noctu adventare solitum ac concumbere, plorans, edixit; hunc perquirunt, nec umbram assequuntur; a famula tandem hominem quendam in cubiculo rem cum filia habere edocti, facibus tædisque accensis accurrentes: *Monstrum horrendum, ingens, ac omnem humanam figuram excedens, maxime terribile, & a filiæ complexibus pendere vident*. Hoc est pulcherrimum delicium seductarum mulierum, attendant Dæmones passæ, illosque expellant. Hoc monstrum depulit Sacerdos probatæ vitæ, Evangelium Divi Joannis cum recitasset, illis potentissimis verbis, VERBUM CARO FACTUM EST. Divus Bernardus *Incubum excommunicavit* & abegit. Apud Cæsarium Monialis dicens, in faciem Incubi, AVE MARIA, conturbavit, exterruit, ad orcum præcipitem dedit. D. Dominicus cum Eucharistico pane Dæmones Succubos e Castro fugavit. Hæc sunt arma militiæ nostræ; cæterum maleficium maleficio expellere, aut curare non licet.

Incubi ut expelluntur.

CCXLI. Tot recensitis exemplis, videamus Martem Sylviam Rheam comprimentem: & prodigia attendamus. Refert Fabius Pictor *l.* 1. & Vennonius: „Solito, institutoque egressam virginem in „usum sacrorum aquam petitum ex eo „fonte, qui erat in luco Martis, subito „imbribus tonitribusque, quæ cum illa „erant, disjectis, a Marte compressam, „conturbatamque: mox recreatam con„solatione dei, nomen suum indicantis, „affirmantisque ex ea natos dignos patre „evasuros. Excitant procellas Dæmones, & inter imbres concursant; sic Virgilius Didonis cum Ænea effingit concubitum, an quia luxum prosequitur planctus? An quia Dæmonum dilectio fulmina excitat & mortis exitium? Alia admiranda profert Dionysius Halicarnasseus lib. 1. *Antiquit. Rom.* „Plurimi fabulantur numen „ipsum, cujus id fanum erat, se obtulis„se puellæ septum armis; simulque acci„disse præter alia prodigia DELIQUI„UM SOLIS, & repentinam caliginem; „spectrumque id forma fuisse augustiore, „ac statura grandiore quam ut videri pos„set humani sanguinis: quin & bono a„nimo jussam esse virginem, ut quæ divi„nis dignata sit complexibus, copula nu„ptiali conjuncta cum ejus Loci Genio, „paritura e violento isto concubitu gemi„nos longe præstantissimos virtute belli„ca: his dictis nube obtectum, & subli„mem ablatum per aerem. Hæc ille; qui an diis sint digna connubia, an Heroibus, inter deos hominesque mediis, disquirendum proponit. Ovidius in *Fastis* lib. 3. vers. 11.

Inter imbres & tonitrua coit Mars cum Rhea.

De stupro Rheæ historia.

*Sylvia * Vestalis (quid enim vetat inde moveri?)*
Sacra lavaturas mane petebat aquas.
Ventum erat ad mollem declivi tramite ripam,
Ponitur e summa fictilis urna coma.
Fessa resedit humi, ventosque accepit aperto
Pectore, turbatas restituitque comas.
Dum sedet, umbrosæ salices, volucresque canoræ
Fecerunt somnos, & leve murmur aquæ.
Mars videt hanc, visamque cupit, potiturque cupita,
Et sua divina furta fefellit ope.
Somnus abit; jacet ipsa gravis, jam scilicet intra
Viscera Romanæ conditor Urbis erat.

Mars ut vidit Iliam compressit.

Sic duplex Solis deliquium ornat ortum mortemque Romuli, & fulgura imbresque Orientem ac Occidentem prosequuntur Institutorem Urbis, Orbis dominæ. An ista portendunt? Equidem Julius Obsequens in libro *de Prodigiis* testatur, adnotabatque Polydor. Vergil. & Camerarius in l. *de Ostentis*; divinat insuper Peucerus, sed superstitiose; dicamus cælos enarrare gloriam Dei, & quam sæpissime, eo jubente, magni nominis Principes, eorumque gesta ostentare. Ideo Augustorum interitum prænuntiasse prodigia ex Suetonio *c.* 94. de Octavio: de Julio *c.* 81. de matre prægnante Tiberii, & somnio, *c.* 14. novimus; & usque modo Campanula D. Thomæ, Sepulchrum Eustochiæ virginis, & Ildebrandi Pontificis, de interitu propinquorum monent, fortasse ut resipiscant morituri. De prodigiis in ortu Principum alibi commodior erit sermo.

In ortu & morte Romuli Solis deliquium.

Prodigia.

CCXLII. Sed ad ornatum tanti operis opportuna censetur ratio temporis genituræ Romuli, adnotabatque Scaliger in l. 4. *Astron.* Manilii. Enimvero L. Tarrutius Firmanus illustris Mathematicus consultus a Varrone, conceptum pronunviavit anno 1. Olympiadis 11. hora tertia die decimo nono Decembris, anno O. C. MMMCLXXIX. cujus Zygonos character 1. 21. 49. Kalendas Octobr. Cyclo Solis 22. Lunæ 9. periodi Julianæ MMMCMXLII. Proinde Toxonis Neomenia fuit feria quinta, Novembris tricesima. Ergo Romulus cum fratre conceptus Toxonos vigesima, penultima Casleu anni Judaici MMCMXC. cum sequentis Tebeth Neomenia, cujus character 3. 8. 240. inciderit in noctem, quæ secuta est vigesimum Decembris. Rursus Neomenia Parthenonos ejusdem anni fuit feria sexta, Augusti ultima. Ergo editus in lucem XXI. Parthenonos. In Virgine igitur, non Libra in lucem editi Remus & Romulus, Sacerdotii Sylviæ Vestalis anno quinto.

Tempus Romuli Remique geniti.

CCXLIII. Postquam concepit, timore surgit correpta, sed plausu boni ominis, dum somnia confert reficitur: ita eleganter Ovidius *Fast.* l. 3. vers. 25.

Post concubitum timet Rhea.

Languida consurgit, nec scit cur languida surgat;
Et peragit tales arbore nixa sonos:
Utile sit faustumque precor, quod imagine somni

Somnium enarrat ominosum.

* *Ilia* legendum esse probat doctiss. Nic. Heinsius Not. ad hunc locum, ubi videsis.

Vidimus: an somno clarius illud erat?
Ignibus Iliacis aderam, cum lapsa capillis
Decidit ante sacros lanea vitta focos.
Inde duæ pariter, (visu mirabile) palmæ
Surgunt; ex illis altera major erat:
Et gravibus ramis totumque protexerat orbem,
Contigeratque sua sydera summa coma:
Ecce meus ferrum patruus molitur in illas:
Terreor a monitu, corque timore pavet †.*
Martia Picus avis gemino pro stipite pugnant
Et Lupa: tuta per hos utraque palma fuit.

Videt duas palmas, quæ Romulum Remumque significant.

Picus & Lupa defenduntur gemi-nos.

CCXLIV. Fingit somnium opportune Ovidius, & paulo ante *Vas* deposuisse dixit, ut somnum caperet: de hoc Vase Vestalium, quod *futile* dicebatur, Luctatius Grammaticus inquit: „ Vas erat lato „ ore, fundo angusto, quo utebantur in „ sacris deæ Vestæ, quia aqua ad sacra „ Vestæ in terra non ponitur; quod si fiat, „ piaculum est. Unde excogitatum est „ Vas, quod stare non posset, sed si de- „ positum statim funderetur. Hæc ille: & „ Festus *Vasa futilia a fundendo vocata*; observabatque Scaliger in *Notis*.

Vas sacrum Vestalium.

Subito vitiata Sacerdos piaculum innumen peragit, ideo in somnio vittæ cadent; Vas illud expiatorium erat, servabatque posteritas expiandi morem in sacris tum Gentilium, cum Christianorum. Tibullus *lib.* 1. *el.* 1.

Expiationes tum Gentilium cum Christianorum.

Casta placent superis, pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Quod ad Christianos pertinet, doctus Baronius tom. 1. *Ann.* messem collegit, quam hinc inde postquam alligassem alienam agnovi, ideo ex illo ut habeas offero. Nam Paulus 1. *Tim.* 2. præcipit: *Volo viros orare in omni loco levantes puras manus.* Tertullianus *manibus ablutis* interpretatur, ut orent, S. Chrysostomus *Hom.* 72. *in Joann. Ingressuri templum manus lavamus.* Et *Hom.* 52. *in Matth. consuetudinem lavandi & orandi* tradit; firmatque Divus Gregorius Pontifex *l.* 12. *resp.* 10. ad Augustinum: *Romanorum semper ab antiquioribus usus fuit, post admixtionem propriæ conjugis, lavacri purificationem quærere*; juxta Persium, ut D. Hieronymus inclamat *ep* 56.

—— noctem flumine purgant.

Meminitque Paulinus in *Carmine ad Aletium*, fontem ante templum Vaticanum describens,

Sancta nitens famulis interluit atria lymphis
Cantharus, intrantumque manus lavat amne ministro.

Nostris proinde temporibus successit lustralis aqua a Sacerdote de more benedicta, de qua vide Marsilium Archiepiscopum Salernitanum.

Pergit Ovidius, & veri somnii tempus sub auroram canit, confirmat sapiens Tertullianus in l. *de Anima* cap. 48. *Certiora & colatiora somniari affirmant sub extimis noctibus, quasi jam emergente animarum vigore producto sopore.* Rationem docet Plinius *l.* 10. *cap.* 75. cum dicit: *A vino & cibis proxima atque in redormitione vana esse visa.* Asseritque Theocritus in *Europa* somniante diluculo,

Εὐρώπῃ ποτὲ Κύπρις ἐπὶ γλυκὺν ἧκεν ὄνειρον,
Νυκτὸς ὅτε τρίτατον λάχος ἵσταται, ἐγγύθι δ' ἠώς·
Ὕπνος ὅτε γλυκίων μέλιτος βλεφάροισιν ἐφίζων,
Λυσιμελὴς πεδάᾳ μαλακῷ κατὰ φάεα δεσμῷ·
Εὖτε καὶ ἀτρεκέων ποιμαίνεται ἔθνος ὀνείρων.

Europæ Venus olim dulce somnium immisit,
Cum tertia pars noctis stabat, & aurora prope erat:
Cum somnus melle dulcior in palpebris sedens,
Membra resolvens oculos dulci vinculo ligat:
Cum & VERACIUM pascitur turba somniorum.

Somnia vera sub ortum auroræ.

Ovidius id ipsum repetit in Epistola *Heronis ad Leandrum*,

Namque sub auroram, jam dormitante lucerna,
Tempore, quo cerni SOMNIA VERA solent.

Cur non noctu? An quia cibus & potus opprimunt animam? ita Tertullianus & Plinius; An quia Luna caput obfuscat, & ita humectat, ut mentem opprimat? ita Macrobius lib. 7. *Sat.* cap. ult. An quia insomnia illudunt sensus, ut dormiant? ita Lactantius Firmianus *de Opificio Dei* c. 18. An quia refectionem corporis primo attendit animus, deinde conservationem? annuit sic Plato apud Ficinum; An quia futura cognoscuntur per quædam mentis idola, quæ sopitis phantasmatum illecebris tandem insurgunt? variat Cardanus, quandoquidem affirmat; An ob sui conservationem mane resipiscit homo a sopore, & prævidet ventura? occinit Artemidorus quam sæpe; An quia sic Deo placet, qui caligante lucerna Samueli pandit arcana? audi Lactantium: *Rationem quietis dat Deus, & facultatem sibi reliquit docendi hominem futura per somnium.*

Cur ita? Ratio disquiritur.

CCXLV. Somniat Rhea Sylvia, laneam ante numinum focos vittam decidere: erat vitta insigne Vestalium, eamque præferebant religionis pompam: Prudentius l. 2. *adv. Symmachum*,

Vitta Vestalium virginitatis decus.

—— sedet & illa verendis
Vittarum insignis phaleris.

Virgilius colorem refert vittarum lib. 3. *Georgicorum* vers. 487.

Lanea dum nivea circumdatur infula vitta.

Alexander *lib.* 5. *cap.* 18. *Vittæ erant insignia pudoris & verecundiæ, quibus mos erat, capillos, aut humeris defluentes, aut*

* In Edit. Nic. Heinsii legitur, *admonitu*. † Ibid *micat*.

reticulo collectos ferre. Phylarchus apud Athenæum *l.* 12. *c.* 6. capillos virginum fluentes dixit,

Χλιδῶν τε πλόκαμος ὥστε παρθένοις ἁβραῖς,
Fluens capillus mollium instar virginum.

Sed ne fluerent inter sacra Vestales ligabant. Ovid. lib. 1. *Metamorph.* verſ. 477.

Vitta coercebat positos sine lege capillos.
Et lib. 2. verſ. 414.
Vitta coercebat neglectos alta † capillos.

Vestales non sparsa coma, sed religata litabant; Prudentius *in Symm.* lib. 2.

*Interea dum tota * vagos ligat infula crines,*
Fatalesque adolet prunas innupta Sacerdos.

Vittas impuræ deponebant. CCXLVI. Hoc igitur Sacerdotii insigne corruptæ deponebant, & Rhea constuprata vittas deperdere somniabat. Monet namque Artemidorus *Symbola* in somnis interpretanda; & Macrobius velata docet somnia; sic Nabuchodonosor arborem vidit & statuam, sub quorum arcano Regna latebant; spicas Pharao & boves opimas & hebetes, ex quibus famen & abundantiam deprehendit. Hæc habent somnia, ut sint symbolica; lapsæ igitur vittas deponebant ad sandapilam deductæ; Dionysius de Opimia Vestali corrupta *lib.* 8. inquit: *Opimiam Pontifices damnarunt, & demtis e capite vittis per forum traduxerunt, & defoderunt vivam.* Ovidius lib. 6. *Fast.* ℣. 457.

Nullaque dicetur vittas temerare Sacerdos
Hoc duce; nec viva defodietur humo.

Palmarum symbola. CCXLVII. Vidit deinde palmas, quas Amulius succendere conabatur: ex quarum una operiebat terrarum orbem; palmæ Romuli Remique hieroglyphicum, Lupa nutrice & Pico adjuvantibus, qui superstites adversus avunculum extenderunt palmas ad orbis confinium; etenim victoriam denotat; Claudianus *in* 2. *Consul. Stilichonis* verſ. 203.

Victoriæ. *—— cum totis exurgens ardua pennis*
Ipsa Duci sacras Victoria panderet ædes!
Et palma viridi gaudens, & amicta trophæis.

Etiam in ortu Apollinis & Dianæ Lycophron portentosum duarum palmarum ortum occinit; Cæsari etiam Romæ, Orbisque triumphum portendit palma; Plinius *l.* 17. *c.* 25. *Nata est Trallibus palma in basi Cæsaris Dictatoris circa bella civilia ejus: nec non & Romæ in Capitolio in capite bis bello Persei enata palma* VICTORIAM, TRIUMPHOSQUE *portendit*. Refert etiam Suetonius *Aug.* cap. 94. *Apud Mundam D. Julius castris locum capiens, quum sylvam cæderet, arborem palmæ repertam conservari, ut omen victoriæ, jussit: ex ea* (Julio Cæsari omen dedit Imperii.)

† Resc. *albæ*. * Alii, *torta*.

A *continuo enata soboles, adeo in paucis diebus adolevit, ut non æquipararet modo matricem, verum etiam obtegeret.* Ante ortum divinarunt ejus Imperium Vates. Unde Publius Nigidius exclamavit, *Dominum terrarum Orbi natum.* Auctor est Julius Marathus ante paucos quam nasceretur menses: *Prodigium Romæ factum publice, quo denuntiabatur, Regem Populi Romani Naturam parturire.* Addit Suetonius *loc. cit. Velitris tacta de cælo parte muri, responsum est, ejus oppidi civem quandoque rerum potiturum.* Sero tandem documentis apparuit ostentum illud Augusti potentiam B portendisse; Xiphilinus ex Dione Nicæo, *Imperium* Vespasiano longo tempore ante Regnum multis prodigiis somniisque significatum est: *Eximia cupressus magna vi ventorum eversa radicitus postero die per se stetit ac floruit: Nero vidit per quietem currum Jovis in æde Vespasiani intromitti.* Etiam Joseph Judæus antiquissimum oraculum de ejus Imperio interpretatus est. & Apollonius Thyanæus evulgavit; Dio proinde scripsit in Julio, *in quo loco pugnatum est, ramus palmæ statim post victo*C*riam natus est.* Hæc fuit postrema victoria adversus Pompejanos. Sed cur palma victoriæ est signum? An quia semper in adversa nititur? An quia folia tanquam gladios porrigit? An quia pondera suffert, nec succumbit? ita Aristoteles in 7. *Problematum*, & Plutarchus in *Symposiacorum* septimo: enarratque Aulus Gellius lib. 3. *Atticarum Noct.* cap. 6. „Si supra palmæ „arboris lignum magna pondera impo„nas, ac tam graviter urgeas oneresque, „ut magnitudo oneris sustineri non que„at; non deorsum palma cedit, nec in„tra flectitur, sed adversus pondus resur„git, & sursum nititur, recurvaturque; „propterea, inquit Plutarchus, *in certa„minibus palmam signum esse placuit victo„riæ.* Jure igitur in palma Romulus exprimitur; nam multa passus, ærumnarumque pondera usque ad exitium sustinens, erexit se supra tyranni solium, & regnavit. De Lupa & Pico infra dicemus. (Cur palma est victoriæ signum?)

CAP. XVIII.

E *Rheam Vestalem Sacerdotium violasse agnoscit Amulius, eamque carcere premit.*

CCXLVIII. Compressus interim uterus, gemino fœtu plenus, concrescentis ad instar botri, tumidus ostentabat detestabile facinus: pallor in facie, vomitus, guttatim manantes lacrymæ, prolis indicia, ream stupri damnabant, nec ipsa Rhea occlusum celare pignus, hactenus excusatum, turgida poterat: accedebat macies, qua decrescen F tibus genis vitiata crescebat alvus, seque prole præditam pluribus ostendebat: inquit enim Nemesianus in *Cynegetico* verſ. 131. (Uterus Rheæ crescit.)

Ex quo passa marem, genitalia viscera turgent, (Signa geniture.)
Fœcundosque aperit partus matura gravedo.

De Myrrha, quæ genuit Adonidem, Ovidius l. 10. *Met.* verſ. 505.

—*media gravidus tumet arbore venter.*
Pendit † *onus matrem: neque habent sua verba dolores.*

Reliqua signa indicat Hippocrates in Periarchon, & 5. *Aphor.* recensetque Laurentius l. 8. *Hist. Anatomicæ* cap. 4. Addamus geminorum conceptionem, quæ magis gestantem urget, ut rigeat, perdoleat,& parens extuberet: quibus ex signis Valerius Antias inquit, *Amulius nepotis stuprum persensisse;* lepide etiam Ovidius in *Fastis* lib. 3. vers. 41.

Vesta obscæquia detestatur, & cadit flamma.

Interea crescente Remo, crescente Quirino,
Cælesti tumidus pondere venter erat.
Quo minus emeritis exiret cursibus annus,
Restabant nitido jam duo signa DEO.
Sylvia fit mater: Vestæ simulacra feruntur
Virgineas oculis apposuisse manus.
Et subiit cineres territa flamma suos.

CCXLIX. Vesta detestatur facinus, & virgo a vitiata cultum respuebat, delectumque virginum etiam flammæ ostendebant; Ovidius l. 4. *Fast.* vers. 296.

Quæque colunt sanctos virginitate focos.

Vittæ virginales probatæ igne.

Enimvero virgines antequam virum ducerent, mos erat vittas per flammas ducere, probatæ virginitatis experimentum: deinde cælibatu probato alias assumebant; quas *Maritales* nuncupabant. Propertius *lib.* 4. *el.* 12.

Vittæ maritales.

Mox ubi jam facibus cessit prætexta maritis,
Vinxit & acceptas altera vitta comas.

Nam religatas ornabant comas, varioque ornatu effingebant: ut scribit Tertullianus in libro *de velandis virginibus.* Statius in *Violantillæ Epithalamio,*

— *celsæ procul adspice frontis honores*
Suggestumque comæ.

Juvenalis *Sat.* 6. hinc caput ædificasse jactat,

Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput.

Tamen circa aras hæc vittarum religio. Jocasta ad Polynicem apud Senecam in *Thebaid.* vers. 507.

— *nec sua lætas faces*
Vitta revinxit.

Valerius Flaccus de Medea, osculari etiam vittas tunc occinit,

Ultima virgineis tum flens dedit oscula vittis.

Probatio veritatis per ignem.

Hinc fortasse mos invaluit castitatis experiri juramentum per ignem candenti vomere, de quo apud Ennodium fit mentio, & vetus nostra probabat Sacerdotum religio, quod Regum in aulis erat frequens.

† Rep. *Tendit.*

CCL. Flamma igitur dum libaret Rhea diffluens occidebat, & prunæ cinerum obductæ nubilo resipiscebant: eleganter Seneca tanti facinoris adversum numen exprimit in *Oedipo* vers. 384.

Immugit aris ignis †, *& trepidant foci.*

Et apud eundem Tiresias Vates & Manto ajunt *ibid.* vers. 306.

Ignis auguria & prodigia.

Jam thura sacris cœlitum ingressi * *focis.*
Quid FLAMMA? *largas jam ne comprendit dapes?*
Subito refulsit lumen, & subito occidit.

Hæc admiranda quam sæpissime in aris Vestalium. Lucanus *l.* 1.

— *Vestali raptus ab ara*
Ignis, & ostendens confectas flamma Latinas
Scinditur in partes.

Statius libro quinto *Thebaid.* vers. 175.

— *niger omnibus aris*
Ignis.

Unde Senecæ Scholiastes deducit *Pyromantiam* a flamma; *Capnomantiam* a fumo; *Hieroscopiam* ab extis in ara: de quibus Rhabanus *de præstigiis Magorum*, & Isidorus l. 8. *Orig. de Magis* cap. 9. & nos alibi luculenter disserimus.

Pyromantia, Capnomantia, Hieroscopia.

CCLI. Videns igitur Rhea numen Vestæ suum respuere cultum, a sacris se abstinuit, & valetudine conficta procul jacebat in lectulo: astum hunc matris recenset Dionysius, cui puella de stupro a Marte sibi illato edixerat, inquit enim Dionysius Halicarnasseus: Ἡ δ' οὖν κόρη μετὰ τὸν βιασμὸν ἀῤῥωστεῖν σκηψαμένη, τοῦτο γὰρ αὐτῇ παρῄνεσεν ἡ μήτηρ. ἀσφαλείας τε καὶ τῆς πρὸς τοὺς θεοὺς ὁσίων ἕνεκα, οὐκ ἔτι προσῄει τοῖς ἱεροῖς, ἀλλὰ διὰ τῶν ἄλλων ἐγίνετο παρθένων, αἷς τὸ αὐτὸ προσέκειτο ἔργον, ὅσα λειτουργεῖν ἐκείνην ἔδει. *Ceterum post vim illatam sibi puella infirmitatem prætexens, matris monitu, quo & ipsa esset tutior & sacrorum lateret injuria, re divina abstinuit; cæteris ejus collegii virginibus vicem ipsius obeuntibus.* Et equidem prægnans male jacebat; proles ipsa infirmitatis causa, unde Phædria puella apud Plautum in *Aulul.* Act. 4. Sc. 7. vers. 10.

Vesta vitiatæ Sacerdotis cultum respuit.

Rhea ab aris se abstinet.

Perii, mea nutrix, uterum dolet.

Hinc vota apud Propertium *libro* IV. *el.* 1.

Idem ego cum Cynaræ traheret Lucina dolores,
Et facerent uteri pondera lenta moram,
Junioni votum facite impenetrabile ‡ *dixi.*

Dolores uteri in prægnantibus.

Ad Lucinam proinde Ovidii preces, lib. 2. *Fast.* vers. 451.

Parce, precor, gravidis, facilis Lucina, puellis;
Maturumque utero molliter aufer onus.

† Alii, *ara segnis.* * Leg. *ingessi.* ‡ Rep. *impetrabile.*

Non

A Non semel, sed denuo iterumque invocata aderat; Horatius l. 3. *Carm.* od. 22.

Quæ laborantes utero puellas
Ter vocata audis, adimisque letho,
Diva triformis.

Fœtus in utero occultari non potest.

CCLII. Sed verum illud adagium, aurum, amor, & proles celari non possunt; novit Amulius stuprum, sive quia ipse intulerat, sive quod audierat: *Cumque comperisset*, inquit Aurelius Victor, *celandi facti gratia per scelus concepti necari jussit Sacerdotem*; recte Dionysius: B „ Amulius, „ sive facti conscientia, sive suspicione verisimili motus, perscrutatus est causam „ intermissi diutius officii: missisque in hoc „ Medicorum fidissimis, cum mulieres secretum morbum & haudquaquam proferendum esse causarentur, uxorem suam „ puellæ custodem apposuit; quæ, postquam rem muliebribus conjecturis deprehensam ad maritum detulit, adhibitis armatis asservari eam jussit, ne clam eniteretur jam partui proxima: ipse vero advocato fratre in concilium stupri fe- C cit indicium dissimulati hactenus, incusans ejus parentes, ut culpæ conscios, & jubens rem totam eos proferre in medium. Ibi Numitor ait, præter omnem exspectationem hæc audire, esseque ab hac culpa alienissimum; simulque temporis spatium postulat, quo possit de iis certius inquirere: quod ubi ægre impetratum est, cognitis ex uxore, quæ puella a principio narraverat, retulit, & a deo se vim perpessam, & quid ille de gemina prole prædixisset, postulabat, ut fides penes eventum esset, si forte partus D responderet oraculo: jam enim parturitionem instare; nec fore fallaciis locum ulterius: famulas quoque asservatrices filiæ offerebat, ad quæstionem nulla recusans indicia: hæc ejus postulata probante Concilio, solus Amulius nihil sani ajebat inesse fratris causationibus, modis omnibus cupiens virginem perdere. Hactenus ille.

Deprehenditur Rhea stupri rea.

Carcere detinetur.

CCLIII. Livius hominis crudelitatem detestatur dicens: *Nec dii, nec homines aut ipsam, aut stirpem a crudelitate regia vindi-* E *cant: Sacerdos vincta in custodiam datur.* Ita etiam Conon apud Photium, & Zonaras *in custodiam datam* scribit, *ne clam ederet*. Distulit capitis pœnam rogatus, servatamque ad tempus ostendit Plutarchus in *Vita Rom.* Καὶ τὸ μὲν ἀνήκεστα μὴ παθεῖν αὐτὴν, ἡ τοῦ Βασιλέως θυγάτηρ Ἀνθὼ παρῃτήσατο, δεηθεῖσα τοῦ πατρός· εἴρχθη δὲ, καὶ δίαιταν εἶχεν ἀνεπίμικτον, ὅπως μὴ λάθῃ τεκοῦσα Ἀμούλιον. *Ne ultimo supplicio afficeretur Regis filia a patre precibus Antho obtinuit, in custodiam tamen, ne inscio Amulio pareret, data est, & remota ab hominum* F *consortio*. Veteres enim Albanorum Antistites sanxerunt, auctore Festo, *probrum virginis Vestalis capite puniatur.* Quod teste M. Catone apud eundem, *Romani in atrio libertatis scripserunt*. Deinde recentior ætas, ne Sacerdotum sanguinem effunderet, vivas humi componebat occlusas, ut Plutarchus *Quæst. Rom.* c. 96. scribit; sic etiam Zonaras, & Ovidius lib. 6. *Fast.* vers. 459.

Olim Vestalis stupri lapsus capitalis.

Deinde vivæ sepultæ.

Sic incesta perit; quia, quam violavit, in illa
Conditur; & Tellus Vestaque numen idem est.

Cellula effodiebatur, quam Plinius *subterraneum cubiculum* vocat; *ædicula humo contecta* a Plucatorco * dicitur; *subterranea cella* a Dionysio; Festus, *Ad portam Collinam Campi scelerati Vestales, quæ incestum fecerunt, vivæ defodiuntur*. Campus sceleratus dicebatur, teste Livio, *ab incesto ei loco nomen factum*. Reliqua notant Gyraldus, Faber, Lipsius, Rosinus, Recentioresque alii post Alexandrum.

Amor erga filios.

CCLIV. Hinc precibus, amicorum ope, astu, ac nimia sollicitudine Numitor Rheæ filiæ sospitem curat vitam; nam prolis amor, & posteritatis desiderium evincit homines, præcipue ad vindictam auspicata prole: audierat geminos a Marte orituros præstantes virtute, rerum bellicarum potentes solertia, quod sibi felix ac regno faustum precabatur: equidem optime Euripides in *Ione* vers. 472.

Ὑπερβαλλούσας γὰρ ἔχει
Θνατοῖς εὐδαιμονίας,
Ἀκίνητος ἀφορμὰ
Τέκνων, οἷς ἂν καρποτρόφοι
Λάμπωσιν ἐν θαλάμοις
Πατρίοισι νεάνιδες ἧβαι·
Διαδέκτορα πλοῦτον
Ὡς ἕξοντές γ᾽ ἐκ πατέρων
Ἑτέροις ἐπὶ τέκνοις.
Ἀλκά τε γὰρ ἐν κακοῖς,
Σύν τ᾽ εὐτυχίας φίλον
Δορί τε γᾷ πατρίᾳ φέρει
Σωτήριον ἀλκάν.
Eximias enim præbet
Mortalibus felicitates
Certa spes, firmumque præsidium
LIBERORUM, *quibus nutrit a frugibus*
Fulget in thalamis
Patriis florida juventus:
Hæreditarias divitias,
Quod a patribus sint habituri,
Alios ad liberos transmittant.
Præsidium enim liberi *sunt* parentibus *in malis*, adversisque rebus,
Et in secundis rebus jucundum sunt solatium,
Armisque solo patrio fert filiorum virtus
Salutarem opem.

Diogenes apud Stobæum inquit, *Beatus ille, qui felix prole fuit*: & Oppianus eximius Vates jucundum occinit eximiumque solatium liberos habere superstites, & animantium cura confirmat.

Numitoris ratio pro incolumitate filiæ.

Adducebat Numitor pro filiæ incolumitate Martis oraculum, & *deum tant. facinoris auctorem*, ait Dionysius. Nam Virg. l. 1. *Æneid.* vers. 276.

Hic jam trecentos totos regnabitur annos
Gente sub H. ctorea; donec Regina Sacerdos
Marte gravis geminam partu dabit illa † *prolem.*

* Rescr. *Plutarcho*, eumque vide in *Vita Numæ*. † Rest. *Ilia*.

Firmat oraculum Papinius Statius lib. 1. *Sylvarum*,

Neglecta.

Quis septemgeminę posuisset mœnia Romę,
Imperii Latiale caput, nisi Dardana furto
Cepisset Martem, nec me probibente, Sacerdos?

Eleganter proinde Tibullus *lib.* 2. *eleg.* 5.

Te quoque jam video Marti placitura Sacerdos
Ilia Vestales deseruisse focos;
Concubitusque tuos furtim, VITTASQUE *jacentes*,
*Et cupi** *ad ripas arma relicta dei*.

CCLV. Sed Tyrannus neque jura naturæ, neque deorum veritus oracula, Rheam perdere instabat gladio: malum factum; imo pessimum facinus: damnatque Aristoteles cap. 2. *Probl.* 29. ubi ait: „ Cur mulierem interficere iniquius sit „ quam virum, quamquam naturæ ratione „ mas fœmina præstantior est? An quia „ mulier imbecillior est, minusque proinde „ injuriam facere potest? Etenim eniti ad„ versus id quod est longe infirmius, est „ nihil virile, imo stolidum ac iniquissi„ mum est. Qua ductus ratione Aurelianus Imperator, ut præstat Vopiscus, Zenobiam interficere interdixit militibus, *indignum existimans mulierem interficere*. Solus Amulius, post quem Nero impiissimus Octaviam interemit, deinde matrem, & tandem Poppæam, quam deperibat, calce necavit: at quia Monstrum Nero fuit, de Octavia inquit Tacitus *lib.* 4. „ Restrin„ gitur vinculis, venæque ejus per omne „ artus exsolvuntur, & quia pressus pavo„ re sanguis tardius labebatur, præfervidi „ balnei vapore enecatur: additurque atro„ cior sævitia, quod caput amputatum la„ tumque in Urbem Poppæa vidit. Isti non Principes, non Tyranni, sed furiæ, & malum Orbis exitium.

Mulieres interficere nefas.

Octavia vinculis mancipata interficitur.

CAP. XIX.

Rhea Sacerdos Vestalis vinculis oppressa Romulum ac Remum, geminos robore ac fortitudine insignes, filios edidit. De varia geminorum fortuna quæritur.

CCLVI. Portentum infandi sceleris Amulium dedimus, in Rheam exsecrandum ac detestabile monstrum; enim vero puellam deo plenam, sive ab ipsomet impiissimo prægnantem carcere opprimere nitebatur, in adytis ne pareret, aut enixa cum prole ut interficeret; tantique facinoris opperiri tempus sanxisse fertur, ut mater una cum fœtu periret in aqua; calculis namque datis Judices edixerunt, *ut juxta legem mater ob violatam pudicitiam virgis cæsa necaretur, proles vero abjiceretur in fluvium*, inquit Dionysius. Interea carcere premebatur, servata ad sacrum victima, ut scribit Fabius Pictor, Vennonius, Æmilius Probus, & Plutarchus in *Romulo*; sic Clytæmnestra Cassan-

Amulius Rheam carcere opprimit.

Ut interficiat.

* Leg. *cupidi*.

A dram obruit, apud Senecam in *Agamemnone* vers. 987.

—— fratrem reddat, aut animam statim,
Abstrusa cæco carcere & saxo exigat
*Ævum, per omnes tota * pœnarum modos.*
Inops, egens, inclusa, pædore obsita,
Vidua ante thalamos, exsul, invisa omnibus.

Carceris pœna.

CCLVII. In custodia & vinculis infelix Rhea peperit; nec mora, necem intentat Amulius, ac deportandos geminos sta-
B tim dat operam: *Primum Amulius Rex, ut comperit Rheam Sylviam Sacerdotem peperisse geminos, protinus imperavit deportari ad aquam defluentem, atque eo abjici*. Occinitque Ovidius l. 3. *Fast.* vers. 49.

Rhea damnata.

Hęc ubi cognovit contemtor Amulius æqui,
(Nam raptas fratri victor babebat opes)
Amne jubet mergi geminos; scelus unda refugit.
In sicca pueri destituuntur humo.

Gemini deportantur.

Carmen historiam refert, ideo inquit, *ra-*
C *ptas habebat opes*. Sciendum, ut diximus, patrem Numitori & Amulio Regnum opesque divisisse, illud obtinuit natu major Numitor, istas Amulius, quibus pollens circumvenit fratrem, surripuitque Regnum. Quod ex Plutarcho enarrat Zonaras: *Pecunia accepta, comparatisque copiis, Amulius etiam Regnum sibi vindicavit*. Caveat Rex, Principes mali genii, præstantes divitiis; nam fraus regnat in aula, & hasta ex auro solium omne perforat ac subvertit.

Dives Amulius tyrannidem affectat.

CCLVIII. Peperit infelix puella malo omine, sibique jugulum protulit: „ Sunt
D „ enim qui confestim necatam puellam tra„ dant, inquit Dionysius Halicarnasseus. „ Nec desunt, qui malint conjectam in oc„ cultum carcerem, eumque perpetuum: „ unde necatam esse vulgo creditum; de„ disse autem hoc Amulium filiæ precibus „ postulantis in suam gratiam remitti con„ sobrinæ supplicium, æquales enim fue„ runt, iisdemque usæ nutricibus, & so„ roris appellatione mutuum se salutare „ solitæ. Justinus ex Trogo *lib.* 43. *Amulius multiplicato metu, proventu duorum, pueros exponi jubet, & puellam* VINCULIS
E ONERAT, *ex quorum injuria decessit*.

Rhea tandem in vinculis perit.

De partu geminorum elegans ænigma edidit Cœlius Symphosius,

Plus ego sustinui quam corpus debuit unum,
Tres animas habui, quas omnes intus habebam,
Discessere duæ, sed tertia pene secuta est.

CCLIX. Peperit ergo Rhea Sylvia post annum quartum Sacerdotii sui inter
F Vestale, anno O. C. 3173. ante C. N. 776. Amulii Regis 27. adnotabatque ita Eusebius: *Cum 27. patrui sui anno geminos edidisset infantes, juxta legem in terra viva defossa est*; errat Eusebius, nam post sæcula hæc Romanorum Lex fuit, apud Albanos virgis cæsæ capite plectebantur vitiatæ stupro: quod animadvertit Dionysius, qui sententiam capitalem refert, *ob*

Rhea virgis cæsa non obruta.

* Refer. *torta*.

violatam pudicitiam, ut virgis cæsa necaretur. Nunc autem vivæ defodi tales jubentur sacratis legibus. Quo tempore stuprum passa est, Sethus Solis eclipsim interfuisse testatur, die quarto Aprilis, feria secunda, minutis quadraginta, fere post meridiem Romæ parall. latitud. 28. 33. vera 25. 50. visa 2. 43. semid. Solis 15. 17. visa latitudo 27. 13. digiti eclipf. 10. 41. Sol in secundo gradu Arietis. At Buthingus Chronologus hanc eclipsin ad ann. 3180. refert die quinto Maii: Romuli Remique conceptum Joannes Georgius Herbarth ad annum 3185. ipsam effert die decimo Februarii mane horis tribus matutinis, minutis 29. 26. ante meridiem, digitorum 10. 45. sed non concludit Romulum hoc anno conceptum: Manilius Astrologorum peritissimus sub signo Libræ geminos feliciter oriri occinit lib. 4. *Astron.*

Eclipsis tempore conceptionis Romuli & Remi.

Signum Libræ.

Hesperiam sua Libra tenet, qua condita Roma,
Et propriis frenat pendentem nutibus Orbem:
Orbis & Imperium retinet; discrimina rerum
Lancibus, & positas gentes, tollitque premitque,
QUA GENITUS *cum fratre* ROMULUS *hanc condidit Urbem.*

Ad quæ Scaliger notat, Rheam peperisse anno Mundi 3179. & quia signavimus ann. 3173. sex annos addidit; An quia decimestter erat annus? fortasse ab incepto Regum variat annus, ut subsequens, & in pluribus sex anni conficiuntur; & quia Scaliger Tarrutii computum sequitur, istius verba depromo, sunt enim apud Plutarchum: *Tarrutius constanter pronunciat Romuli in matris utero conceptum contigisse anno primo Olympiadis secundæ, Mense Choiac die vigesimo tertio ejus mensis hora diei tertia, & eclipsin Solis tunc accidisse.* Et sic ann. O. C. 3178. geminorum fratrum ortus ann. 3179. sed erravit Tabularum corruptis monumentis, inquit Mollerus. Nam annos Nabonassareos in concordiam redire cum Julianis docet Sethus, post annos Julianos 1460. cum igitur ad hunc annum Nabonassarei anni non habeantur, addantur anno Mundi 3178. anni 1460. & descendamus in hanc Chronologiam ad annum 4637. ubi videmus annum Nabonassareum incipere tum die quarto Martii. Dicunt ergo eclipsin factam die vigesimo tertio Mensis Choiac, qui quartus est in ordine Mensium Nabonassareorum, ergo tres Menses præterierant, diesque 22. hoc est in universum dies 112. qui additi ad diem quartum Martii, statuunt diem 23. Choiac, ac in die vigesimo quarto Junii, ubi Novilunium invenimus, ut altitudinem lunarem, quæ possit esse ecliptica, sed quæ tamen hoc anno in climate Romano nullam exhibuit eclipsin; latitudo enim vera propter additam prostaphæresin est gradus unius minut. 5. 51. Parallaxis vera tantum est minut. 21. 10. quæ a latitudine vera subtracta relinquit apparentem latitudinem minut. 44. 41. Septentrionalem, quam summam semidiametrorum Solis & Lunæ attingere nullo modo potest. Nulla igitur hic eclipsis Solis, & Tarrutius Tabulis imperfectioribus astronomicis confisus, falsum pronunciavit; ipsumque impugnat Sethus: ergo si erravit, dicendum Rheam concepisse anno, quo eclipsis interfuit ann. 3172. peperisse deinde ann. 3173.

Tempus conceptionis Romuli & Remi.

De eclipsi quæritur.

Tarrutii error.

CCLX. Oritur ergo gemina proles sub signo Libræ, quæ præstantiam nascentibus, regimen, & Imperii magnitudinem præfert; Manilius l. 4. *Astron.*

Qua genitus cum fratre Remus hanc condidit Urbem.

Sic Virgilius lib. 1. *Georg.* vers. 26. Cæsarem adulabatur, deumque decantabat inter brachia Scorpii & Erigonen, scil. virginem, in quo teste Hygino est Libræ locus:

Signum Libræ Imperium confert Cæsari & Romulo.

—— te maximus Orbis
Auctorem frugum tempestatumque potentem
Accipiat, cingens materna tempora myrto.
An deus immensi venias maris, ac tua nautæ
Numina sola colant; tibi serviat ultima Thule,
Teque sibi generum Thetis emat omnibus undis,
An ne novum tardis sidus te mensibus addas,
Qua locus Erigonem inter Chelasque sequentes
Panditur: ipse tibi jam brachia contrahit ardens
Scorpius, & cæli justa plus parte reliquit.

Ejus genituram in Libra ostendit Scaliger, & Poetam veterem avocat dicentem: *Et Libram quam Cæsar habet*; deinde ex Manilio l. 4. *Astron.*

Sed cum autumnales cœperunt surgere Chelæ,
Fœlix æquato genitus sub pondere Libræ
Judex extremæ sistet vitæque necisque,
Imponetque jugum terris, legesque rogabit:
Illum urbes & regna trement, nutuque regentur
Unius, & cæli post terras jura manebunt.

An hæc ficta, & in Libra Justitiam æquissimam occinit? Vide Suetonium in *Augusto* c. 5. & tempus ad calculum contrahe.

CCLXI. Pulcherrimos infantes edidit, de quibus Plutarchus ait, *Rhea gemellos edidit mira corporis proceritate & specie:* hinc Romulus a robore, & Valerius Antias *a virium magnitudine sic appellatum* tradit; Martis specimen præferebant juxta oraculum, tanta oris pulchritudine, ut divinum numinis offerrent intuentibus genus, ipsaque proceritate patrem ostentabant; Plautus in *Truculento* Astaphium ancillam cum Stratophane milite loquentem introducit vers. 498.

Pulchritudo geminorum.

AS. *Peperit puerum nimium lepidum.*
ST. *Ecquid mihi simili' st?* AS. *Rogas?*
Quin ubi natu' st jam macheram & clypeum poscebat sibi.
ST. *Meus est, scio jam de argumentis, nimium quidem simil' st: papæ!*
Jam magnu' st, jamne electat Regiones, quas spoliare velit.*

Filii parentibus similes.

Hoc summum patris gaudium filios sibi similes procreare; Catullus in *Nuptiis Juliæ & Manlii* hoc habebat in votis,

Sit suo similis patri
Manlio & facile insciis
Noscitetur ab omnibus.

Optabat id ipsum infelix Dido apud Virgilium lib. 4. *Æneid.* vers. 327.

Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset
Ante fugam soboles, si quis mihi parvulus aula
Luderet Æneas, qui te tantum ore referret,
Non equidem omnino capta, aut deserta viderer.

Hæc ille Apollonium secutus l. 4. *Argon.* qui Medeam expostulantem Jasonem occinit; Euripides in *Helena* v. 947.

—— Παιδὶ γὰρ κλέος τόδε
Κάλλιστον, ὅστις ἐκ πατρὸς χρηστοῦ γεγὼς,
Εἰς ταυτὸν ἦλθε τοῖς τεκοῦσι τοὺς τρόπους.
—— *Hæc enim liberis est gloria*
Pulcherrima, quicumque ex bono patre nati,
Eosdem mores habent quos parentes.

Ratio conceptionis geminorum inquiritur.

CCLXII. Nascuntur gemini, qui enixa puerpera Reges non valetudinem maciemque præferunt, sed robur & proceritatem; sic juxta oraculum, quod Virgilius lib. 1. vers. 287. refert,

Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem.

Variis rationibus docent Philosophi geminos efformari, easque Plutarchus exhibet: nam Empedocles oriri putat, *ob abundantiam & divisionem genituræ*; Asclepiades *ob corporum differentiam, sicut hordei spicæ exsistunt duobus aut tribus granorum ordinibus, sic esse semina fœcundissima*; Erasistratus, purgata matrice, superfœtationem admittit; Zeno, Crysippus, & reliqui Stoici, *ob loca quæ sunt in utero, cum enim in primum & secundum inciderit semen, tum fieri superfœtationem, & tergeminos nasci.* Sed de istis locis in utero Andreas Vesalius irridet damnatque Michaelem Schotum, qui, Alberto Magno auctore, scripsisse ex professo videtur, virosque Jurisconsultos & Theologos id ipsum profitentes:

An in utero mulieris septem sint conceptionis loculi?

„ Muliebrem, videlicet, uterum septem
„ cellulas seu loculos obtinere, tres quidem
„ in dextera uteri sede, masculis suscipiendis aptos, tres autem in sinistra fœ-

A „ minis dicatos: septimum vero in horum
„ medio exsistere, Hermaphroditisque consecratum; cum tamen muliebris uteri
„ cavitas nihil minus quam hujusmodi lo- Negatur.
„ culos seu sinus ostendat. Ita ille testis oculatus l. 5. *de corp. hum. fabrica* cap. 15. & antea Galenus in libro *de Anatomia virorum*: ideoque Andreas Laurentius l. 8. *Hist. Anat.* quæst. 21. Avicennam loculos effutientem improbat, & Haliabbatem, dum ait: *Unus in utero sinus, & in ventriculo unica cavitas, qui tamen in dextram & sinistram partem dirimitur: hæ partes nullo*
B *septo, sed linea tantum quadam, quam Aristoteles medianam appellat, dividuntur;* sic ubi abundat semen, crebra jaculatione superaddita, geminorum genitura habetur, qui, auctore Hippocrate, eodem die oriuntur, & si ejusdem sunt sexus iisdem secundinis involvuntur, sua quisque tamen vasa habet umbilicalia; qui vero diversi sunt sexus, diversas tunicas accipiunt; sic natura dividit marem a fœmina, etiam in matris utero, ut discant homines mulierum vitare consortia: sed quid dicendum de Ægyptiis, qui, teste Solino, *septenos uno utero simul gignunt*, si loculi non sunt

Multiplex fœtus.

C in utero? Aulus Gellius *l.* 9. *cap.* 2. tradit *ancillam Cæsaris Augusti in agro Laurente peperisse quinque pueros*. Quod de Ægyptiis Aristoteles & Strabo lib. 15. *Geogr.* scribunt: non multum urget argumentum, si proinde interrogabo, numerosissimam prolem Margaritæ Hertmani Comitis Hennebergiæ uxoris, quæ dies æquabat anni, ut refert Dalnerus p. 7. *de jur. homin.* num. 22. Unde loculos sinusque habuit, si septem sunt in utero? si ad mierculæ imprecationes miraculum referendum putas.
D Quæ novem edidit, quibus in loculis concepit? plura enarrant sobolis multiplicis Albertus Magnus, & Vincentius Bel. in *Sp. hist.* Dicendum igitur uteri concavitatem recipere utrumque parentum semen, & pro quantitate geminos procreare, tergeminos, pluresque, si Regio fœcundat sobolem, ut Hispania, aut aqua Nili, &c. Sic Castorem, Pollucem, & Helenam edidit Nemesis a Jove compressa, ut canit Stasimus, qui res Cypriacas cecinit,

Tergemini.

E *Tertia post illos Helene pulcherrima prodit*
Auricoma hanc Nemesis peperit compressa Tonante.

Si solitum numerum excedit, ut invalidioribus monstrosum tenemus partum; nam proles centuplicatur vel diris, Deo annuente, vel in signum portenti, natura proinde monstra non semel offert, & prodigia inquirimus, ut olim in sacris Sibyllarum libris, non enim frustra opera-
F tur, sed aliquid semper indicat.

Partus Portentosus.

De superfœtatione.

CCLXIII. Nec opus est superfœtationem inquirere in geminis, quia post coitum occluditur matrix, nec aliud admittit ad procreandum semen in iisdem secundinis; ideo plenus brutorum uterus refugit coitum, solæ mulieres admittunt: illoque utitur natura ad extrinsecas partes humectandas, ad levamen secundinæ in fœtus molimine æstuantis; nec officit calidum

* Alii *legiones*, vel rectius, *legionem, quam*.

esse, dum velut unguine humectat. Dices ex Paulo Jurisconsulto: *In Palatio Adriani Imp. Ægyptiam cum quinque liberis visam, ex quibus quatuor eodem tempore enixa dicebatur, quintum post quadragesimum diem;* nec auspicamur hinc superfœtationem, quia in eadem spica non cuncta flavescunt grana, in malo punico rubent plura, alia albescunt, in botris simile videmus, & tamen eadem genitura simul incipiunt; nec diversimode in fœtu mulierum soboles grandior oritur, immatura deinde aperit vulvam; simul concepti non semel, simul prodeunt, tardant quandoque, & partus maturitate completur.

Cur geminorum diversa fortuna.

CCLXIV. Mirum in modum eventus fertur. Duo sunt ejusdem parentum generis, eodem orti tempore, & tamen Romulus regnat, Remus adolescens interficitur; An quia primum affecit cælum, & evolans infecit alterum? secundum Mathematicos *virtus constellationis in ictu puncti est*. Ergo post sydus, quod vitam dispensat & regnum, aliud sequitur infaustum & mortale? An positio loci turbata invertit fata? An recte *in rota figuli bis percussa* Nigidius apud Divum Augustinum l. 5. *C. D.* cap. 3. hoc demonstravit? An dicemus cum Plauto in *Amphitruone* de Alcmenæ geminis.

Eorum Amphitruonis alter est, alter Jovis?

Natalitia fata hinc Persius *Satyr.* 6. premit:

—— geminos horoscope varo
Producis Genio: solis natalibus est qui
Tingat olus siccum muria vafer in calice emta,
*Ipse socrum * irrorans patinæ piper, hic bona dente*
Grandia magnanimus peragit puer.

Carmen expendit vetus Scholiastes Fornutus † *in Sat.* 6. *Licet horoscope sub una bora geminos producas, dissimilibus tamen fatis & voluntatibus eos in vitam trahis. Horoscopus autem est, qui horas nativitatis hominum speculatur.* Æmulatur Persius Horatium in *lib.* 2. *epist.* 2.

Cur alter fratrum cessare, & ludere, & ungi,
Præferat Herodis palmetis pinguibus; alter
Dives, & importunus ad umbram lucis ab ortu,
Sylvestrem flammis, & ferro mitiget agrum,
Scit Genius, natale comes qui temperat astrum.

Unus igitur miser & miserrimus, magnanimus alter, genitura ortuque pares. Audiat Chaldæorum pedissequus; si unus genesis horoscopus, in geminis si mares, si fæmellæ procreantur, cur non ab horoscopo genituræ eadem fata? audi Divum Augustinum lib. 5. *C. D.* cap. 5. „Si tanta di„stantia est temporis in nativitate gemi„norum, ut per hanc oporteat eis constel„lationes fieri diversas, propter diversum „horoscopum; & ob hoc diversos omnes „cardines, ubi tanta vis ponitur, ut hinc „etiam diversa sint fata: unde hoc acci„dere potuit, cum eorum conceptus di„versum tempus habere non possit? Cardines quatuor sunt, *Horoscopus* oriens signum: signum occidens distans ab illo per diametrum gradibus CLXXX. *Medium cæli* inter horoscopum & occasum: & *Imum Cælum*. Invenio apud Firmicum libro primo *Mathefeos*: *In genituris cardines sunt Ortus, Occasus, Medium cæli, & Imum cæli. Quæ loca a Græcis solent appellari Anatole, Clisis *, Mesuranium, Orogeon †:* Manilius l. 2. *Astron.*

Horoscopus.

Cardines.

Ergo age noscendis animum compone sagacem
Cardinibus, qui per Mundum sunt quatuor omnes, &c.
Hæc loca præcipuas vires, summosque per artem
Fatorum effectus referunt; quod totus in illis
Nititur æthereis veluti compagibus Orbis

Adduntur & quatuor alii Cardines in 2. 6. 8. 12. ab horoscopo signis, & significant *deum, deam, bonam Fortunam, & bonum Dæmonem*. Sunt Cardines *cælestia signa, quæ ad judicandum spectantur*. Quorum primus est horoscopus, ab illo cæteri numerantur. Cardo horoscopi est *Vitæ*, secundus *Pecuniæ*, vel *Spei*, tertius *Fratrum*, quartus, *Parentum*, quintus *Filiorum*, sextus *Valetudinis*, septimus *Conjugis*, octavus *Mortis*. Hæc ille ex nugis Meterni: Manilius vero libro secundo, & ex eo Scaliger, diversa tradit: sicut Firmicus, & deinde Junctinus, aliique Recentiores divinant.

CCLXV. Sed redeat unde exiit oratio. Si in genitura unum genesis punctum, cur non eadem fata? An quia ortum lucis prospectant sydera? sed syderum labor in utero, & Lunæ motu astrorumque influxu vivit & exultat, vel fit hebes fœtus, igitur potens adhuc in vulva cælum. Cur geminorum dispar vitæ & fati ratio? Dicamus cum Phavorino, qui apud Gellium l. 14. *Atticarum Noct.* cap. 1. Chaldæos invehit: „Si idcirco gemini quoque non „eadem vitæ sorte sunt, quoniam non eo„dem temporis puncto editi sunt; peto, „inquit, respondeant, cursum illud tem„poris transvolantis, qui vix cogitatione „animi comprehendi potest, quonam pa„cto aut consulto assequi queant, aut ipsi „perspicere & deprehendere, cum in tam „præcipiti dierum noctiumque vertigine „minima momenta ingentes facere dicant „mutationes? Argumentum conatur infringere Cardinalis Aliacensis, dicens, deprehendere Astrologum puncta ab eventu; sed respondeo, eventum varium a voluntate quandoquidem adulti pendere, fortuitis externisque casibus. Ideo fallax conjectura. Respondent alii; momenta nihil ad rem, cum situs Planetarum præstet,

Punctum astrorum ut deprehenditur?

* Rest. *sacrum*. † Rep. *Cornutus*.

* Leg. *Dusis*. † Rep. *Upogeon*. Græce sic, Ἀνατολή, Δύσις, Μεσουράνια, Ὑπόγειον.

& influant juxta dispositiones & adspectum præcellentium majorumq; syderum. Respondeat Plinius *lib. 7. cap. 49. Homerus eadem nocte natos Hectorem & Polydamanta tradit, tam* DIVERSÆ SORTIS *viros; C. Mario, Cn. Carbone* III. *Coss. ad quintum Kalendas Junias M. Cæcilius Rufus & C. Licinius Calvus eadem die geniti sunt, Oratores quidem ambo, sed tam dispari eventu: hoc etiam iisdem horis nascentibus in toto Mundo quotidie evenit, pariterque Domini ac Servi gignuntur, Reges & inopes.* Sacer contextus effutientes moramque redarguit, etenim Esau Jacob tenuit fratris gemelli plantam, nec ante prodiit ille, quam hic extra uterum lucis teneret usuram: dispar genius, utriusque vitæ ratio dispar: An aperto utero influxus idem syderum, qui Esavum præmovisse dicitur, ingredi non potuit ad Jacob præmovendum? fortasse tenebræ impellunt vim astrorum, aut fecundinæ secunda sydera avertunt? bonum dictum, sed fatuum. Secundo dicant Mathematici, Punctum, in quo fata decidunt, unde desumitur? vel ab egressu infantis, incipientem enim egredi obverso capite, obtortis vel cruribus punctum fatale adest, & vis syderum. Vel ab exortu totius infantis, qui ut primum terram tangit, fit Mundi civis; si ab illo, Esau & Jacob simul recepere fata; si ab isto, assignent momentum geneseos, & dicant. An vertigines astrorum sistunt, an transvolent ultra rapidissime? non primum, ergo decursu syderum divinant potius, quam ratiocinari adamussim valeant; etenim nonnullus horæ spatium pendet ab alvo semiexutus utero; toto hoc tempore agunt-ne sydera, an torpent? Si agunt, in quonam momento? Dicamus rationabiliter, An vulva reserata, ac obstetricante mulieris manu, cum sui juris fit soboles, agunt sydera? nihil impedit, panditur alvus, intrat manus, cur non influxus? si intrat influxus, geminos, quos invenit, inficit, si geminos inficit, cur diversum in geminis vitæ mortisque genus? quia sic Creatori placuit, dum Jacob dilexit, Esau odio habuit.

Eodem puncto nati dispares.

CCLXVI. Dices, duo fuisse, quorum morbus eodem tempore gravior leviorque apparebat amborum. *Medicinaliter inspiciens Hippocrates geminos suspicatus est*, inquit Divus Augustinus, de quibus pariter ægrotantibus geminis Possidonius magnus Astrologus, idemque Philosophus respondebat: *Ideo fieri, quod eodem tempore fuissent nati, eodemque concepti.* Hoc cum dixisset Possidonius, deinde Augustinus ait: *Fœminam nisi uno momento geminos concipere non posse.* Baptista Pius insulsus Pædagogus & Grammaticus insipiens *Annotat. prior.* c. 3. injuriis Divum Augustinum impetit, ut mirum sit delirasse ferula præstantem virum: ait namque Augustinum *fide fœdeque lapsum, hallucinatum, balatronem mente excidisse.* Sed fatuus audiat, ut resipiscat. Ex uno semine sunt gemini, ergo eodem tempore geniti. Superfœtat mulier, sed non in eodem vase; nec distat hæc ratio a doctrina Aristotelis, *l. 4. de gen. anim.* quod ex infra dicendis patet, nec Anatomia ita Aristoteli illuxit, ut in ipso sit omnimoda veritas; imo equidem assen-

Gemini eodem tempore morbo & valetudine laborant.

A tior; eodem tempore conceptos, docente Hippocrate in libr. *de superfœtatione, utrosq; pueros in una secundina* genitos, quam novum semen non aperit; certissimum est enim, uterum seminis avidum conceptione facta ita contrahi, ut nullum inane spatium relinquat, ejusque ostium interius ita clauditur, ut ne vel minimum quidem dehiscat: hoc docuit pluribus in locis Galenus, & Hippocrates *Aphor.* 51. sect. 5. & And. Laur. l. 8. *Anat.* & quia teste Plutarcho in libro *de Homero*, Poetæ altum sapiunt; inquit Theon Alexandrinus in

B *Aratæis, Helenam & Dioscuros Pollucem & Castorem ex ovo exiisse:* Hyginus Nemesin ovum edidisse ait, quod a Neptuno in Ledæ gremium projectum, fœtum tergeminum exclusit; Plutarchus in *Symposiacis Tyndareum ovum de cælo lapsum* scribit: Neocles Crotoniata scripto prodidit, *Ovum illud e Luna fuisse delapsum.* Sed si fabulæ arcanum inquirimus, Clearchus in *Amatoriis* per ovum *cœnaculum*, locumve editiorem domus indigitat; fortasse per ovum *secundinam* intellexerunt viri sapientes, quæ semel concepto fœtu occluditur, nec intra

Dioscuri & Helena ex ovo, quod secundinam denotat.

C aliud admittit semen: ne inceptum naturæ opus novo molimine perdat, & si os vulvæ quandoq; aperiatur ad semen recipiendum, & generet, ut plerique ex Aristotele apud Bonaventuram, & Laurentium, & Varandæum l. 2. *de affectibus mulierum*, qui superfœtationem tenent, seorsim concipit. Sed cur in utrisque præter valetudinem, non eadem fortuna, opes, Genius, felicitas in dicendo, filii, casus, & vitæ exitus? igitur punctus hinc fatalis opinatus, non verus; edidit de istis *Declamationem*

D Quintilianus, quam vide. Addere poteris ad effugium, non eodem puncto geminos fuisse genitos: etenim narrat Aristoteles *Hist. Anim.* cap. 4. l. 7. *Adulteram quandam, alterum suo marito, alterum adultero similem peperisse.* Respondeo non diversum semen, aut tempus, sed imaginatio diversitatem fecit: potens est enim ad efformandam hanc similitudinem, & animam cooperantem avocare, ut perficiat similitudinis opus simul cum corpore, ab ea affecto juxta idolum, seu ideam, quam retinet; similiter Plinius *l. 7. cap. 2.* ait: *Proconnesia an-*

Gemini diversas imagines præferunt.

E *cilla ejusdem diei coitu, alterum Domino similem, alterum Procuratori ejus genuit.* Non diversos coitus, sed imaginatio varias edidit imagines. De geminis languentibus simulque ægrotantibus audiamus Quintilianum: *Nihil in rebus humanis voluit esse Natura tam simile, quod non aliqua proprietate secerneret. Quid refert an ex eisdem prima illa duorum corporum animorumque compago seminibus oriatur? sibi quisque firmatur, sibi quisque componitur, & duo pluresve fratres nascuntur fato singulorum.* Divus Augustinus l. 5. *C. D.* cap. secundo: *Novimus geminos non solum actus & peregrinationes ha-*

Suo quisque fato perstat.

F *bere diversas, verum etiam dispares ægritudines perpeti: de qua re rationem redderet Hippocrates, diversis alimentis & exercitationibus, quæ non de corporis temperatione, sed de animi voluntate veniunt, dissimiles eis accidere potuisse valetudines.* Sed quid fatum, & fatalitas? Plato, Chrysippus, & Zeno, *Vim positionis syderum, qualis est, quando quis nascitur, aut concipitur*, dixerunt.

Fatum est positio syderum in nativitate.

Unde Lucretius * *lib. 2. verf. 9.*

Finxit † in æternum caufas, qua cuncta coercet.

Et *ibid.* verf. 11.

Fatorum immoto divifit limite Mundum.

Falfa & ftulta *hæc opinio quid aliud agit*, tefte Auguftino l. 5. *C. D.* cap. 1. *nifi ut nullus omnino colatur, aut rogetur Deus?* & tamen Tertullianus teftimonium animæ proponit Deum invocantis, a quo omnia, per quem omnia; cujus providentia fatum; cujus voluntas fatalitas; cujus difpofitio vis fyderum: cæterum ab horofcopo, five ea parte Signiferi, quæ fupra noftrum hemifphærium adfcendit, illa diei illuxit hora, quam Deus in manibus fuis abfcondens lucem, illuminavit; Venus, Jupiter, Saturnus, non dii, fed Dei operantis in Orbis Cardine figna; inquit igitur Tertullianus in l. *de teft. animæ* c. fecundo: „ Tibi „ anima de confcientia fuppetit domi & „ foris, nullo irridente, vel prohibente „ prædicare, DEUS videt omnia: & DEO „ commendo: & DEUS reddet: & DEUS „ inter nos judicabit. Unde hoc tibi o A„ nima non Chriftiana? atque id plerum„ que, & vitta Cereris redimita, & pallio „ Saturni coccinata, & deæ Ifidis linteata; „ in ipfis denique templis Deum Judicem „ imploras, fub Æfculapio ftans, Juno„ nem in aere exorans, Minervæ calceans „ furvis galeam formis, & NEMINEM „ DE PRÆSENTIBUS DEIS contefta„ ris, in tuo foro aliunde Judicem appel„ las, in tuis templis alium deum pateris. O Teftimonium Veritatis! Sequamur animam. Venus fulget, fed Dei irradiata fulgore; Jupiter dat vitam, inftrumentum Spiritus Dei, qui cuncta vivificat; Mars prælia ac triumphos cum Sole indicat, Dei fignum, cui Sol & Luna deferviunt. Difponunt ifta, inclinant, non trahunt.

Animæ teftimonium verum de Deo.

CCLXVII. Sic oritur gemina proles, ex qua regnat Romulus, Deo volente, per quem Reges imperant, & Legum Conditores jufta decernunt. Occidit adolefcens Romulus, quia mors & vita in manu Dei; ab hoc horofcopi cardine cuncta aufpicamur, & hoc veneramur fatum, quod portat Orbem.

Deus.

Verum fatum.

CCLXVIII. Geminos igitur peperit Rhea filios; & obfervo, deorum concubitum plerumque geminos generare folitum; de Caftore & Polluce fcribit Hyginus *Fab. 77. Jupiter Ledam Theftii filiam in cygnum converfus ad flumen Eurotam compreffit, & ex eo peperit Pollucem & Helenam; ex Tyndareo autem Caftorem & Clytæmneftram.* At Catullus in fuo *Phafelo* Caftorem & Pollucem geminos canit,

Deorum concubitu gemini concipiuntur.

Pollux, Caftor, Helena.

—— —— feque dedicat tibi
Gemelle Caftor, & gemelle Caftoris.

Qui a Varrone & Nigidio *Samothraces dei* dicuntur; ex quibus alter *Pugil*, apud Homerum, *Equorum* alter *Domitor*, & Caftor ab Ida interfectus, a Polluce fepelitur; Germanicus *in Aratum* diverfa iftorum fata refert: *Cum unus cecidiffet in pugna, quam adverfus Athenienfes gerebant, alter immortalitatem accepit: quos Jupiter utrofque cælo intulit, fyderibufque Geminos nominavit.* De ipforum matre vide Junium *Animadverforum* l. 1. cap. 15. Tyndaridæ nuncupantur ab Homero in *Hymnis*, & Gemini ob cælefte femen numinis,

Ἀμφὶ Διοσκούρους ἑλικώπιδες ἔσπετε Μοῦσαι
Τυνδαρίδας, Λήδης καλλισφύρου ἀγλαὰ τέκνα.
Τοὺς ὑπὸ Ταϋγέτου κορυφῇ ὄρεος μεγάλοιο,
Μιχθεῖσ᾽ ἐν φιλότητι κελαινεφέϊ Κρονίωνι.

Caftora Pollucemque mihi nunc pandite Mufæ
Tyndaridas, Jovis e cælefti femine natos:
Taygeti peperit quondam hoc fub vertice Leda
Clam conjuncta Jovi, cæleftia Regna tenenti.

CCLXIX. Denuo Jupiter impuriffimi amoris antefignanus, & adulter Alcumenam trinoctio concubitu fub Amphitruonis fpecie implevit, & tefte Theocrito *Eidul.* 25. geminos edidit Iphiclum & Herculem,

Alcumena geminos ex Jove adulterio parit.

Ἡρακλέα δεκάμηνον ἐόντα ποχ᾽ ἁ Μιδεᾶτις
Ἀλκμήνα, καὶ νυκτὶ νεώτερον Ἰφικλῆα.

Alciden decimo prognatum menfe decora
Alcmena, atque una juniorem nocte Iphiclum.

Facinus enarrat Hyginus *Fab.* 29. *Amphitryon cum abeffet ad expugnandum Oechaliam,* (Retoliam *) *Alcumena, æftimans Jovem conjugem fuum effe, eum thalamis recepit,* &c. rediens deinde victor maturum invenit conjugis uterum, onuftum geminis; quod eleganter Plautus edidit, enarratque partum, *Amphitr.* Act. 5. Sc. 1. verf. 36.

Omnium primum Alcumena geminos peperit filios.
Amphit. *Ain'tu geminos?* Bro. *Geminos.*
Amph. *Dii me fervent.* Bro. *Sine me dicere;*
Ut fcias tibi, tuæque uxori deos effe omnes propitios.
Amph. *Loquere.* Bro. *Poftquam parturire hodie uxor occœpit tua,*
Ubi utero extorti dolores, ut folent puerperæ,
Invocat deos immortales, ut fibi auxilium ferant,
Manibus puris, capite operto: ibi continuo contonat
Sonitu maximo, ædes primo ruere rebamur tuas,

Ejus partus.

* Rep. *Lucanus.* † Alii rectius, *Fixit.*

* Voluit dicere *Ætoliam*, vel potius *Ætolicam*, ut diftinguatur a cæteris ejufdem nominis, de quibus Strabo *Geogr. lib.* 10.

Ædes totæ confulgebant tuæ, quasi essent aureæ.
Ita profectò sine dolore peperit.

Sic inquit Apollodorus l. 2. *Bibl. Alcumena duos peperit filios, Jovi quidem Herculem una nocte grandiorem, atque Amphytrioni Iphiclem*: ita etiam Aristoteles l. 7. *Hist. Anim.* Infamis Jupiter tanta peregit facinora, & colebatur ab impiis, ut similia impune facerent; audi Senecam in *Octavia* vers. 202.

Jupiter transformatus ut coeat adulter.

—— se formas
Vertit in omnes Dominus cæli,
Divumque pater;
Et modo pennas sumsit oloris;
Modo Sidonii cornua tauri;
Aureus idem
Fluxit in imbri: fulgent cælo
Sydera Ledæ, patrio resîdet
Bacchus Olympo, &c.

Hæc sunt mali genii obscœna numinum scelera, ut damnes.

CAP. XX.

Romulus & Remus damnantur ad Tyberim, restagnat aqua, & sub Ficu Ruminali a Lupa & Pico aluntur. De Pico Rege Historia enarratur.

CCLXX. INfantes ut primum editos sensit Amulius, religionis prætextu, qua sua sæpissime callidiores Tyranni scelera obtegunt, ambos deportari jussit, ac mergi; ex Vennonio & Fabio Pictore vetus Auctor Aurelius Victor facinus refert: „ Primum igitur Amulius Rex, ut comperit Rheam „ Sylviam Sacerdotem peperisse geminos, „ protinus imperavit deportari ad aquam „ profluentem, atque eo abjici; tum illi, „ quibus id imperatum erat, impositos alveo pueros, circa radices Montis Palatii „ in Tyberim, qui tum magnis imbribus „ stagnaverat, abjecerunt. Sic etiam Florus & Messala: addit Dionysius Halicarnasseus libro primo *Antiquitatum Romanarum*, Lucium Cincium, Porcium Catonem, & Calpurnium Pisonem, ex quibus historiam adamussim sic recitat: „ Infantes Amulii jussu in alveo delatos a ministris quibusdam, projiciendos in fluvium „ distantem ab Urbe ferme CCXX. stadiis; „ cum accessissent, animadvertissentq; exundantem in campos, & restagnantem præ „ continuis imbribus Tyberim, degressis „ a Palantii vertice ad aquam proximam „ quod non daretur ulterius procedere, „ illos projecerunt, &c. Eleganter proinde Ovidius l. 2. *Fast.* vers. 383. ubi de Lupercalibus, puerorum fata denarrat:

Romulus & Remus deportati.

Sylvia Vestalis cælestia semina partu
Ediderat patruo Regna tenente suo,
Is jubet auferri parvos, & in amne necari:
Quid facis? ex istis Romulus alter erit;
Jussa recusantes peragunt lacrymosa ministri;
Flent tamen, & GEMINOS in loca jussa ferunt;
Albula, quem Tyberim mersus Tyberinus in undis
Reddidit, hybernis forte tumebat aquis.
Hic, ubi nunc Fora sunt, lintres errare videres,
Quaque jacent valles, Maxime Circe, tuæ;
Huc ubi venerunt (neque enim procedere possunt
Longius) ex illis unus, & alter, ait,
Ah quam sunt similes! ah quam formosus uterque!
Plus tamen ex illis iste vigoris habet:
Si genus arguitur vultu, (nisi fallit imago)
Nescio quem e vobis suspicor esse deum.
At si quis vestræ deus esset originis auctor,
In tam præcipiti tempore ferret opem:
Ferret opem certe, si non ope mater egeret,
Quæ facta est uno mater & orba die.
Nata simul, moritura simul, simul ite sub undas
Corpora: desierat: deposuitque sinu:
Vagierant ambo pariter: sensisse putares.
Hi redeunt udis in sua tecta genis:
Sustinet impositos summa cavus alveus unda:
Heu quantum fati parva tabella tulit!
Alveus in limo sylvis appulsus opacis,
Paulatim fluvio deficiente, sedet.

Historia geminorum eleganter ab Ovidio descripta.

Puerorum similitudo, & decor.

Dii videbantur.

Aqua facinus detestatur, & refugit.

CCLXXI. Hactenus ille; & quia tantæ molis erat Romanam condere gentem, prodigia adsunt, adsunt miracula: etenim qui Mosen a Nili illuvie sustulit, Romulum ne mergeretur erexit, & inter aquarum inundantes alveos siccum dedit vestigium, velut salutis munimentum; cessit alluvies, unda refugit, & arbor utrosque collegit, sospitatis felicissimum omen; prodigium refert Livius: „ Pueros in profluentem aquam mitti jubet; forte quadam „ divinitus super ripas Tyberis effusus lenibus stagnis, nec adiri usquam ad justi „ cursum poterat amnis, & posse quamvis „ languida mergi aqua infantes spem ferentibus dabat: ita velut defuncti Regis „ Imperio in proxima alluvie, ubi nunc „ Ficus Ruminalis est (Romularem vocatam ferunt) pueros exponunt; vastæ „ tum in iis locis solitudines erant: tenet „ fama cum fluitantem alveum, quo expositi erant pueri, tenuis in sicco aqua „ destituisset, &c. Hæc Livius; nec caret omine: nam ubi adversus Dionysium Dion Syracusanus arma ex animi sententia Platonis ferret, mare refugit, & confligens tumentes fluctus suos littora sicca dedit, Tyranni exitium, & victoriæ Dionis omen: ad tanti prodigii memoriam Plutarchus in *Romulo* nominis loci meminit: *Τοῦ δὲ ποταμοῦ κατακλύζοντος, ἡ πλημμύρα τὴν σκάφην ὑπολαβοῦσα καὶ μετεωρίσασα πράως, κατήνεγκεν εἰς χωρίον ἐπιεικῶς*

Ficus Ruminalis.

κῶς μαλθακὸν, ὃ νῦν Κερμανὸν καλοῦσι, πάλαι δὲ Γερμανὸν, ὡς ἔοικεν. *Fluvio evagato ſuſcipiens alveum alluvies, & leniter ſubvehens in loco deſtituit ſatis molli, Cermanum vocant nunc, quondam mea opinione Germanum a fratribus.* Ita etiam Zonaras P. 2. *Ann.* Ovidius lib. 3. *Faſtorum* verſ. 51.

Scelus unda refugit.

Amne jubet mergi geminos, ſcelus unda refugit.

In ſicca pueri deſtituuntur hamo.

CCLXXII. Fecit ad fatum caprificus, quæ pueros excepit in ulnis; obſervabat Conon in *Bibliotheca* Photii num. 186. Σκάφη δὲ μετὰ πολλὴν φορὰν περὶ προὔχουσαν ἠιόνα κατίσχεται ῥίζαις ἐρινεοῦ, ὃς μέγας ἐκεῖσε πεφύκει· καὶ ἡ σκάφη ἐκεῖθεν τὰ παιδία πρὸς τὴν ἠιόνα ἐκβάλλει, ἐπὶ μαλακῆς καὶ ψαμμώδους γῆς. *Alveus poſt multam jactationem, tandem circa prominentem ripam caprifici cujuſdam, quæ ingens ibi excreverat, radicibus inhæſit; atque inde pueros in ripam molli & arenoſo ſolo injecit.* Vere Ruellius lib. 1. *de nat. ſtirp. Caprificus ulli ſurculo denegat hoſpitium*; ex hoc dicamus, nec Heroum ſoboli. Addamus ex Plutarcho *ferociam comprimere*: quod Ægyptii Sacerdotes inter hieroglyphica ediderunt, & Pierius *lib.* 3., Caprifico ea vis eſt, ut laſci„vientium taurorum & quantumvis fe„rocientium naturam uſque adeo com„peſcat, eorum collo circumdata, ut im„mobiles propemodum eos reddat. In tauris vero expreſſa flumina apud Ælianum & Pauſaniam, nemo eſt qui ignoret. Ideo tanti beneficii memores illam notis colluſtrare ſuadet religio; occinit enim Ovidius *Faſt.* lib. 2. verſ. 411.

Caprifici natura.

Ferociam comprimit.

Arbor erat; remanent veſtigia; quæque vocatur

Rumina nunc ficus, Romula ficus erat.

Ficus Rumina, Romula.

Ait Livius, *Romularem vocatam ferunt*: Plutarchus in *Romulo Ruminalem* nuncupat: Ἢ διὰ τὸ τὰ μηρυκώμενα τῶν θρεμμάτων ἐκεῖ διὰ τὴν σκιὰν ἐνδιάζειν, ἢ μάλιστα διὰ τὸν τῶν βρεφῶν θηλασμόν· ὅτι τήν τε θηλὴν ῥοῦμαν ὠνόμαζον οἱ παλαιοὶ, καὶ θεόν τινα τῆς ἐκτροφῆς τῶν νηπίων ἐπιμελεῖσθαι δοκοῦσαν, ὀνομάζουσι Ῥωμυλίαν, καὶ θύουσιν αὐτῇ νηφάλια, καὶ γάλα τοῖς ἱεροῖς ἐπισπένδουσι. *Vel quia pecora ruminantia illic captabant umbram; vel, quod maxime probatur, propter puerorum lactationem; mammam enim vocabant Rumam Priſci, & deam infantium educationis præſidem Rumiliam dicunt, eique ſacrificium faciunt abſque vino, & lac libant.* Varro *de Re Ruſt.* & de Liberis educandis: *Hiſce Manibus lacte fit, non vino, Cuninæ propter Cunas, Ruminæ propter Rumam*: de quo more vide Nonium Marcellum, & Plutarchum in *Probl.* Divus Auguſtinus lib. 4. *C. D.* cap. 2. *Diva Rumina mammam parvulo immulgeat, quia Rumam dixerunt Veteres mammam*: Feſtus, *Mamma Rumis dicitur, ſive Ruma, & Rumen*: apud Romanos colebatur longa temporum ſerie, præcipue a paſtoribus, qui ſacra quotannis ad eam peragebant; de ejus cultu Plinius *lib.* 15. *cap.* 18. „ Colitur ficus arbor „ in Foro ipſo ac Comitio Romæ nata; „ ſacra fulguribus ibi conditis; magiſque „ ob memoriam ejus, quæ nutrix fuit Ro„muli ac Remi conditoris appellata; quo„niam ſub ea inventa eſt Lupa infantibus „ præbens rumen (ita vocabant mam„mam) miraculo ex ære juxta dicato, tan„quam in Comitium ſponte tranſiſſet. Poſt CCMXL. annos, areſcente trunco, diminutam, prodigii omine, refloruiſſe dicunt. Tacitus *Ann.* lib. 14. Claudio Nerone, Tertio Valerio Meſſala Coſſ. ait: „ Ruminalem arborem in Comitio, quæ ſuper „ octingentos & quadraginta annos Re„mi Romulique infantiam texerat, mor„tuis ramalibus, & areſcente trunco, di„minutam; prodigii loco habitum eſt, „ donec in novo fœtus reviviſceret. An portendit in Nerone exſtinctam Auguſtorum domum, in Veſpaſiano renovatum Imperium? Plinius continuum offert prodigium: *Adacto navigio illico areſcit, rurſuſque cura Sacerdotum ſeritur*: in Regione VIII. in qua Forum Romanum perſtabat, monumentum perennitatis; erat ibi olim aqua, quæ fluitans, teſte Varrone, in Comitium infantes detulit; Propertius *l.* 4. *eleg.* 4.

A mamma, & Rumilia dea.

Ruma.

Ruminalis ficus colitur.

Prodigia edidit.

Bellicus ex illo fonte bibebat equus.

Tandem Romani rerum Domini, & *Lupercal*, in qua Lupa geminos aluit, & templum Quirini, ac ſimulacra ex ære ſumtu mirifico inſtituere, aſſeritque Dionyſius Halicarnaſſeus: Κατὰ τὴν ἐπὶ τὸν Ἱππόδρομον φέρουσαν ὁδὸν, καὶ τέμενός ἐστιν αὐτοῦ πλησίον, ἔνθα εἰκὼν κεῖται τοῦ πάθους, λύκαινα παιδίοις δυσὶ τοὺς μαστοὺς ἐπέχουσα, χάλκεα ποιήματα παλαιᾶς ἐργασίας. *Via qua itur ad Circum, templumque ei proximum, in quo eſt* LUPA *præbens pueris duobus ubera antiqui operis ſimulacra ærea.* Fuit templum Quirini, teſte Vitruvio, *ſtructura Dorica*, ubi nunc Ædes D. Theodori, inquit Marlianus: ibi myrti duæ, quarum meminit Plinius, Plebeja una, & altera Patritia, quæ ſuo omine & ipſæ admirandæ, ut infra dicemus, cum de Quirino cum diis agente.

Lupæ ſimulachrum.

CCLXXIII. Apud hanc arborem repertos geminos Lupa nutrivit; feritatem domitam refert Dionyſius, infantum vagitu mirabilem: Τὰ μὲν δὴ κνυζόμενα κατὰ τοῦ τέλματος ἐκυλινδεῖτο, λύκαινα δέ τις ἐπιφανεῖσα, νεοτόκους σπαργῶσα τοὺς μαστοὺς ὑπὸ γάλακτος, ἐδίδου τὰς θηλὰς τοῖς στόμασιν αὐτῶν καὶ τῇ γλώττῃ τὸν πηλὸν, οὗ κατάπλεῳ ἦσαν, ἀπελίχμα. *Vagientes dum volutantur in cœno, lupa forte ſuperveniens, diſtentis a recenti partu uberibus, mammas eis præbuit, lingua ſimul abſtergens lutum, quo ſe inquinaverant.* Similiter Livius inquit: „ Lupam ſitientem ex „ montibus, qui circa ſunt, ad puerilem „ vagitum curſum flexiſſe; eam ſummiſſas „ infantibus adeo mitem præbuiſſe mam„mas, ut lingua lambentem pueros magi„ſter regii pecoris invenerit. Vox infantilis domat fameſcentes ad interitum lupas, Amulium a feritate non avocat; ſic feræ præcellunt humanitate homines, ut erubeſcant & reſipiſcant; cecinit namque apud Ovid. *Epiſt.* XI. Canace ad Marcareum ſimile facinus Amulii perpetratum ab Æolo:

Lupa alit pueros.

Lambit geminos.

Jamque dari parvum canibusque avibusque nepotem
Jusserat, in solis destituique locis.
Vagitus dedit ille miser: sensisse putares:
Quaque suum poterat voce rogabat avum.

Simile exemplum a feris.

Quid mihi tunc animi credis, germane, fuisse?
(Nam potes ex animo colligere ipse tuo)
Cum mea me coram sylvas inimicus in altas
Viscera montanis ferret edenda LUPIS.
Exierat thalamo; tunc demum pectora plangi
Contigit, inque meas unguibus ire genas.

Olim vulgata Arcadum Fabula, homines in lupos verti, de qua fides apud Fabium, quem infidelem Plinius arguit; itaque Agriopas, qui res Olympionicas scripsit, narrat: *Demænetum Parrhasium in sacrificio, quod Arcades Jovi Lyceo humana etiam tum hostia faciebant, immolati pueri exta degustasse, & in lupum convertisse.* Hæc ille apud Plinium *lib.* 8. *cap.* 22. Audiant homicidæ, qui dum interficiunt innocentes, eorum carnes devorant, ejulante Jobo *carnibus meis saturamini*; interficite, ut libet, enecate, sanguinem fundite, & bibite, non homines, sed lupi tandem in stagno gehennæ moriemini; lupi dum vestros alunt consanguineos, simulacris æternum vivunt, vestramque inhumanitatem damnant ad orcum.

Homines in lupos conversi.

CCLXXIV. Jacebant in cœno pueri, manusque innocentes elevantes nuncupabant, infantili vagitu, homines, parentes, numina; absunt, auxiliatrix adest natura a Deo præmota, & lupam concitat, ut relictis catulis, succurrat piissimæ humanitatis parens; *Lupa circumgressa*, inquit Conon apud Photium, *vagientibus manusque tendentibus præbet mammas*; Justinus ex Trogo Pomp. *lib.* 43. *cap.* 2. „Fortuna, origini Romanæ prospiciens, „ pueros lupæ alendos obtulit; quæ amis„ sis catulis, distenta ubera exinanire cu„ piens, nutricem se infantibus præbuit; „ sæpe ad parvulos velut ad catulos rever„ tebatur. Bonum factum: inquit enim Dio Chrysostomus in *Orat.* 64. „Magnum „ quidem momentum, imo totum, ut „ quidam dixit, Fortuna est; & Pinda„ rum invenit expositum in Bœotia, & „ Telephum in Arcadia, & Romanorum „ Reges in Italia: & huic submisit apes; „ illis autem pastores; Telepho vero cer„ vam; Cyro autem canem, vel mulie„ rem. Deum sentio, & illum veneror; est namque dives in omnes qui invocant illum: producit jumentis in montibus fœnum, & pullis corvorum invocantibus eum dat panem de cælo, rorem, suavissimum vitæ manna; nec obliviscetur hominibus misereri, cunctorum parens, qui propter hominem fecit omnia; infelices Ethnici hoc Fatum dicebant, Deum dico, & supplex adoro. Plinius enimvero *lib* 8. *cap.* 7. ubi de pantheræ Demetrii Physici humanitate, & Thoante in Arcadia a dracone servato, inquit: „Quæ de infanti„ bus ferarum lacte nutritis, cum essent „ expositi, produntur, sicut de Condi„ toribus nostris a lupa, magnitudini „ FATORUM accepta ferri æquius, „ quam ferarum naturæ arbitror. Similiter Plutarchus, *de Virtutibus Romanorum, Fortunæ beneficio* geminorum sospitatem agnoscit; Ovidius lib. 2. *Fastorum* vers. 413.

Lupa a Deo missa.

Fortunæ admiranda.

Deo adscribenda.

Venit ad expositos (mirum) lupa fœta gemellos:
Quis credat pueris non nocuisse feram?
Non nocuisse parum est; prodest quoque quos lupa nutrit,
Perdere cognatæ sustinuere manus.
Constitit, & cauda teneris blanditur alumnis,
Et fingit lingua corpora bina sua:
Marte satos scires: timor abfuit, ubera ducunt;
Nec sibi promissa lactis aluntur ope.

Puerorum constantia.

Miratur pietatis grande opus Propertius *lib.* 4. *eleg.* 1.

Optima nutricum nostris lupa Martia rebus,
Qualia creverunt mœnia lacte tuo!

Virgilius libro 1. *Æneidos* vers. 278. oraculi meminit, occinitque lupam nutricem:

Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem:
Inde lupæ fulvo nutricis tegmine lætus
Romulus excipiet gentem.

Lupa nutrix ex oraculo.

Sidonius Apollinaris in *Panegyri*, quam Majorano dixit,

—— videas hic crasso fusa metallo
Antra Rheæ, fœtamque lupam, quam fauce relicta
Blandiri quoque terror erat, quamquam illa vorare
Martigenas, & picta timet.

Maximus Vatum Virgilius l. 8. *Æneid.* vers. 628. historiam hanc, in clypeo a Venere Heroi dato expressam, elegantissimo carmine occinit:

—— illic genus omne futuræ
Stirpis ab Ascanio, pugnataque in ordine bella
Fecerat, & viridi fœtam Mavortis in antro
Procubuisse lupam; geminos huic ubera circum
Ludere pendentes pueros, & lambere matrem
Impavidos; illam tereti cervice reflexam
Mulcere alternos, & corpora fingere lingua.

Plurimorum carmina lupam extollunt.

Eleganter etiam Claudianus in *Panegyri Olybrii & Probi* vers. 94.

Et formidato clypeus Titana lacessit
Lumine, quem tota variarat Mulciber arte.
Hic patrius Mavortis amor, fœtusque notantur
Romulei: post amnis inest, & bellua nutrix:*
Electro Tyberis, pueri formantur in auro;
Fingunt æra lupam; Mavors adamant coruscat.

* Rest. *pius*.

Heroas feræ alunt expositos.

CCLXXV. Felices auſpicato infantes alit lupa, ſicut de Lycaſtro & Parrhaſio, qui in Regnum Arcadicum ſucceſſerunt, refert Zopyrus Byzantinus; nec ſolus Romulus Remuſque ex Heroum ſobole ferarum ubera ſuxerunt; etenim Hyginus *Fab.* 252. plures recenſet: „ Telephus „ Herculis & Auges filius a cerva: Ægi- „ ſtus Thyeſtis & Pelopiæ filius a capra: „ Æolus & Boetus Neptuni & Menalip- „ pes filii a vacca: Hippothous Neptuni „ & Alopes filius ab equa: Antilochus „ Neſtoris filius, expoſitus in Ida monte, „ a cane: Harpalice Harpalici Regis A- „ mymneorum filia a vacca & equa: Ca- „ milla Metabi Regis Volſcorum filia ab „ equa. Apes expoſitum Hieronem aluerunt portendentes Regnum. Quod enarrat Juſtinus *lib.* 23. *cap.* 4. Hujus futuræ majeſtatis ipſa infantis educatio quaſi prænuntia fuit; quippe genitus erat patre Hieroclyto † nobili viro, cujus origo a Gelone, antiquo Siciliæ Tyranno, manabat; ſed maternum illi genus ſordidum atque adeo pudibundum fuit; nam ex ancilla natus, & propterea *a patre, velut dehoneſtamentum generis, expoſitus fuerat: ſed parvulum, & humanæ opis egentem, apes congeſto circa jacentem melle multis diebus aluere*; ob quam rem reſponſo Aruſpicum admonitus pater, qui Regnum infanti portendi canebant, parvulum recolligit, omnique ſtudio ad ſpem majeſtatis inſtituit. Hæc Juſtinus. Plura etiam enarrat Ælianus l. 12. *Var. Hiſt.* c. 45. Φρύγιοι καὶ ταῦτα ᾄδουσι λόγοι· Μίδου τοῦ Φρυγὸς ἔτι νηπίου καθεύδοντος, μύρμηκας εἰσέρπειν εἰς τὸ στόμα, καὶ πάνυ φιλοπόνως καὶ φιλέργως εἰσφέρειν τοὺς πυρούς. Πλάτωνος δὲ μελίττας εἰς τὸ στόμα κηρίον ἐργάζεσθαι. Καὶ Πινδάρῳ, τῆς πατρῴας οἰκίας ἐκτεθέντι, μέλιτται τροφοὶ ἐγένοντο, ὑπὲρ τοῦ γάλακτος παρατιθεῖσαι μέλι. *Ex Phrygia manavit hæc fama: Infante adhuc Mida, ſomnum carpente, formicas in os ejus irrepſiſſe, magnoque ſtudio & labore frumenta importaſſe. De Platone vero dicitur, quod apes in ipſius ore favum effecerint. Pindarum etiam, cum e patria domo fuiſſet expoſitus, aluerunt apes, pro lacte mella præbentes.* Hactenus ille. Paridem expoſitum urſa nutrivit, ut ex Apollodoro diſcimus. Semiramidem ſimiliter columbæ aluerunt, enarratque Diodorus lib. 3. *Bibliotheces* cap. ſecundo: „ Venerem ali- „ quando obviam Dercete Deæ factam, „ amorem cujuſdam adoleſcentis ſpecioſi „ ſacrificantis ſibi injeciſſe, exque eorum „ eſſe coitu filiam natam, deam ſui erro- „ ris pudore ductam amoviſſe adoleſcen- „ tem, filiam vero in loca quædam deſer- „ ta ac ſaxoſa, in quibus aves erant pluri- „ mæ, expoſuiſſe; ibique quaſi divino nu- „ tu ab avibus infantem nutritam: tra- „ dunt rem mirandam Syri, aves infantem „ alis confoventes nutriiſſe coagulato la- „ cte ex proximis paſtorum mapalibus ra- „ pto: octavo anno cum firmiori cibo ege- „ ret, caſeum ori infantis admoviſſe. Inter Heroum genus addamus Jovem; hunc namque a capra nutritum legimus apud Ovidium in *Faſtis* lib. 5. verſ. 115.

Imperium portendunt. — *Hieroni:* — *Midæ:* — *Semiramidi:* — *Jovem lactat capra.*

† Rep. *Hierocle*.

A

Nais Amalthea Cretæa nobilis Ida
Dicitur in ſylvis occuluiſſe Jovem;
Huic fuit hædorum mater formoſa duorum
Inter Dictæos conſpicienda greges;
Cornibus aereis, atque in ſua terga recurvis,
Ubere, quod nutrix poſſet habere Jovis.
Lac dabat illa deo, &c.

Etenim Amalthea & Themis Nymphæ dicuntur a Muſæo apud Hyginum, quibus a matre Ope Jupiter alendus eſt traditus, a Palæphato *mulier honeſta & formoſa* cenſetur, quam deinde Hercules vitiavit, & Capræ inſignitam nomine poſteritas indigitavit ob quæſtum: Germanicus Cæſar in *Aratæis* ait: *Datur Jovis infans nutriendus Themidiæ Altheæ, quæ fuit Domina Capræ, quæ ex ea Jovem nutrivit.* Hæc ille ex Muſæo. Aratus in *Phænomenis* verſ. 163.

B — *Ejus hiſtoria*

—— una putatur
Nutrix eſſe Jovis; ſi vere Jupiter infans
Ubera Cretææ mulſit fidiſſima Capræ.

Interpretatur.

C

Parmeniſcus vero putat Amaltheam Capram fuiſſe Regis Meliſſei inter ſydera a Jove ſubvectam, fulgereque decem ſtellarum nitore inclytam. Fabulam an fingit Veritas? An juxta Euemerum Jupiter infans laboravit fame, inter mortales fata paſſus, ut homo? An occulitur numen, ut arcanum veneretur in ſacris? An lac ſugit a capra, ut venenata impiorum depellat facinora, candore gaudeat, & innocentiæ cultu? Vide Diodorum Siculum & Strabonem.

D

CCLXXVI. Nec ſola pietatis monumenta præfert Lupa, Picus avis advolat, & pueros alarum umbra fovet, & alit melle ac rore; Vetus Cæſar *libro* ſecundo portentum refert, & Aurelius Victor ait: *Fauſtulo inſpectante, Picum advolaſſe, & ore pleno cibum pueris ingeſſiſſe*; Plutarchus ex Diocle inquit: *Ad pueros ibi jacentes Lupam tradunt lactantem curſum flexiſſe, & Picum Martium nutriendis & ſervandis præſto fuiſſe.* Occinitque Ovidius lib. 3. *Faſt.* verſ. 53.

Picus alit pueros. — *De Pico Rege fabula.*

Lacte quis infantes neſcit creviſse ferino,
Et Picum expoſitis ſæpe tuliſſe cibos?

E

Fuit olim Picus eximiæ virtutis Princeps, quem infanda meretrix in avem convertit, aſſeritque Virgilius in 7. *Æneid.* verſ. 189.

Picus equum domitor; quem capta cupidine conjux
Aurea percuſſum virga, verſumque venenis,
Fecit avem Circe, ſparſitque coloribus alas.

Fabulam proinde Ovidius offert expenſam lib. 14. *Metam.* verſ. 386.

F

Tum bis ad Occaſum, bis ſe convertit ad Ortum;
Ter juvenem baculo tetigit; tria carmina dixit.
*Ille fugit, ſed ſe ſubito * velocius ipſe*
Currere miratur, pennas in corpore vidit:
Seque novam ſubito Latiis accedere ſylvis

Transformatio.

* Alii rectius, *ſolito*.

Indignatus avem duro fera robora rostro
Figit, & iratus longis dat vulnera ramis.
Purpureum chlamydis pennæ traxere colorem:
Fibula quod fuerat, vestemque momorderat aurum,
Pluma fit, & fulvo cervix præcingitur auro:
Nec quidquam antiquum Pico, nisi nomina, restat.

De Circe. Hanc fabulam Homerus *Odyss.* 10. perhibet, & Plutarchus de Brutis, quæ ratione præstant, ingeniose depromit; nam in Circe Dio Chrysostomus voluptatem venatur, quæ homines in bruta deformat; pharmaca præfert meretrix, & virga magiæ fit compos; quia utplurimum scorta superstitiose agunt, ut alliciant veneficiis, quos illecebris oblectare non valent. *Ejus pharmaca.* Unde Horatius *ep.* 2. *l.* 1.

Sirenum voces & Circes carmina nosti.

Rex potentissimus dum prælia tractat, Regiam victor augustam obtinet, at sub jugo muliercula, exsulat inter aves, fuga & ignominia infelix. Sic Nabuchodonosor procul ab hominum consortio fit monstrum, & brutescit in sylvis.

Pici pietas erga pullos. CCLXXVII. Sed avem Martiam prolis amore præstantem videamus. Inquit Ælianus libro primo *Hist. Anim.* cap. 45. Ζῷον δὲ ὁ δρυοκολάπτης, ἐξ οὗ ἄρα καὶ κέκληται· ἔχει μὲν γὰρ ῥάμφος ἐπίκυρτον, κολάπτει δὲ ἄρα τούτῳ τὰς δρῦς· καὶ ἐνταυθοῖ κοιλάνας τὸν τόπον, ὡς εἰ καλιὰ τοὺς νεοττοὺς ἐντὸς τίθησιν· οὐκοῦν εἴ τις λίθον ἐνθεὶς ἐπιφράξει τοῦ ὀρνέω τοῦ προειρημένου τὴν εἴσδυσιν ὁ δὲ συμβαλὼν τὴν ἐπιβουλὴν τὴν κατ᾽ αὐτοῦ, κομίζει πόαν ἐχθρὰν τῷ λίθῳ, καὶ κατ᾽ αὐτοῦ τίθησιν· ὁ δέ, οἷα βαρούμενος καὶ μὴ φέρων, ἐξάλλεται, καὶ ἀνέῳγεν αὖθις τοῦ προειρημένου ἡ φίλη ὑποδρομή. *Picus Martius nomen apud Græcos sortitur ab eo quod facit; nam eminente rostro arbores percutit, & excavato in eis loco pullos suos tanquam in nidum imponit; si quis lapide immisso ei foramen obstruxerit, ille ex his conjectura assecutus insidias sibi oppositas esse, herbam lapidi contrariam affert, eamque lapidem ponit; lapis velut offensus, & non facile ferens vim herbæ, exsilit, atque rursus foramen Pico aperitur.* *Herba potens virtute in lapidem.* Pietas erga pullos sollicitat avem, ut sapiat, seseque in prole post fata sustineat. Hoc animi ingentis hieroglyphicum ostendit Virgilius in Pico Rege, qui majorum illustres Regum effigies in Regia servabat, ut genus suum immortalitati commendatum redderet, *Regia Pici Regis Majorum effigies ostentat.* lib. 7. *Æneid.* vers. 170.

Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis,
Urbe fuit summa, Laurentis Regia Pici,
Horrendum sylvis, & relligione parentum.
Hinc sceptra accipere, & primos attollere fasces
Regibus omen erat: hoc illis Curia templum:
Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua ex cedro, Italusque paterque Sabinus
Vitisator, curvam servans sub imagine falcem,
Saturnusque senex, Janique bifrontis imago
Vestibulo adstabant, aliique ab origine Reges,
Martia qui ob patriam pugnando vulnera passi.

CCLXXVIII. Qui atavos servabat simulachrorum pompa Reges, posteros haud negligere operis erat pretium, in ave occurrit, & pascit pueros, protegit, *Pueros curat in ave.* fovet, ac pastorum principem erudit, monetque de geminorum salute; An in ave Manes intellexere, post obitum posteritatis curantes aulam? An sicut Hector Æneam sollicitat, ne Penates inter excidium urbis perirent, & genus Teucrorum incolume Italiam peteret, ita & Picus? An illustres parentum animæ ab orco exeunt, & filiorum monumenta conservant? hoc totum superstitiosi credebant Gentiles, quos Tertullianus in libro *de Anima* redarguit, docetque nul- *An animæ exeant ab orco?* lum ab inferis regressum; verum puto Dæmones quandoque simulachra mortuorum proferre, monere, vel diu noctuque in somnis, ut persistant in impietate parentum; adsunt apud Homerum exempla, recensetque plura Dio Nicæus, & ipse Tertullianus depromit; nonnunquam ficta leguntur, ut Somnium Scipionis apud Tullium, & Lælii oracula ad instructionem & politicum sapien- *An curam gerunt viventium?* tum regimen: adde in Euangelio miserum de resipiscentia fratrum sollicitum, ut superstites saperent, & intelligerent ventura sub igne. Ceterum in orco sua fata sustinent, nec exeunt tormentorum pondere pressi.

CCLXXIX. Picus igitur & lupa pro pietate concertant, voracissima cunctorum animantia, ut damnent parentum impietatem, & homines doceant huma- *Picus & Lupa Martis nomen cur habent?* nitatem erga prolem; hinc *Martia* dicuntur ab Ennio & Cæsare; Aurelius Victor inquit, *Addunt inde Lupam & Picum Martiæ tutelæ esse*; Plutarchus in *Romulo*: Νομίζεται δ᾽ Ἄρεος ἱερὰ τὰ ζῷα· τὸν δὲ δρυοκολάπτην καὶ διαφερόντως Λατῖνοι σέβονται καὶ τιμῶσιν. *Marti ea animalia sacra habentur; & Picum Martium præcipuo honore venerantur Latini.* An quia, servata Martis prole, ab eo nomen præferunt? sic Capitolinus apud Valerium, a servato Capitolio fertur: An quia vicerunt homines, & triumphum egisse credimus, in quo Martis soboles dedit nomen ad gloriam? ita Africani olim & Germanici; nec Urbs Romanorum bruta ab honore seclusit, ut inde cives discerent, Rempublicam quibuscumque fortiter recteque agentibus honorem juste riteque impendere.

CAP XXI.

De Lupa Romuli ac Remi nutrice, quam Accam Larentiam quamplures fuisse autumant, puerosque pulcherrimos aluisse ex quæstu meretricio. Quæritur de Pulchro & Bono; Larentalia festa recensentur.

Dei ultio in impios.

CCLXXX. IN lupa & pico aves, ferasque, imo terræ cælorumque fata concertasse vidimus; & e sinu mortis puerorum immortalitatem portento erupisse, adversus Amulii impiissimam tyrannidem novimus; præest namque syderibus Numen, & bruta quandoque hominesque excitat ad ultionem: demonstrant non semel Vates *Virgam vigilantem* in manu Dei, quam Ægyptii apud Horum Apollinem & Macrobium *oculato in sceptro* effingunt, & Persæ ac Indorum sapientissimi Gymnosophistæ, si Ctesiæ Gnidio fides, *in manu præstante oculo*: quot sunt sydera, inquit Anaximander, tot sunt regnantis super astra oculi; caveat videntem impius; enimvero inclamat oraculum, *Excœca cor prævaricantium, ut videntes non videant.* Amulius deportatos ut primum vidit pueros, sospitatem tyrannidis sibi augurabatur, & tamen ab illuvie denuo exorta proles nutricem invenit ex brutis, ut cresceret felix ad Regnum.

Virga vigilans in manu Dei.

CCLXXXI. Sed quia præsentissimum Dei Numen recolimus, factum religionis censu enarramus. Inquit enim Dionysius Halicarnasseus in libro primo *Antiquitatum:* ,, Interea pastoribus armenta pastum ,, agentibus, quidam ex his visa lupa in- ,, fantulos complectente, aliquandiu hæ- ,, sit miraculo, vix satis credens suis oculis: ,, deinde convocatis quotquot poterat e ,, proximo sociis, cum fidem verbis non ,, impetraret, adducit ipsos ad spectacu- ,, lum; illi profecti comperiunt hanc velut ,, ex se natos complexam, hos pendentes ,, velut a maternis uberibus: moxque rati ,, hæc non sine aliquo numine fieri, undi- ,, que confluunt, feramque absterrent cla- ,, moribus; ac lupa nihil exasperata incur- ,, su hominum, ceu mansueta sensim ab- ,, stitit quasi contemnens pastorum strepi- ,, tum. Grande monstrum, fera demulcet, quos Amulius prodidit; & lupa relictis catulis fit hominum nutrix. Sic non semel brutescente homine, brutum fit homo. Incipe parve puer Romule risu cognoscere matrem, vagitu inclama, præeunte Octavia apud Senecam vers. 85.

Pastores Romulum Remumque vident sub lupa.

Lupa puerorum nutrix.

——Vincam sævos
Ante leones, tigresque truces,
Fera quam sævi corda Tyranni.
Odit genitos sanguine claro
Spernit superbos, humilesque † simul,
Nec fortunam capit ipse suam.

Tyranni feris pejores.

Contendant feræ, & homines regnandi cupidine elati, vincet brutorum pietas,

† Alii melius, *superos, hominesque.*

A quæ Deum sequitur; istorum enimvero in Numen elatio perdet utrumque animi, ac rationis decus, ut in uno Nabuchodonosore ferarum compendium deploret vir sapiens, & Deus: inquit enim Lucius Florus *lib.* 1. *cap.* 1. ,, Quum Amulii imperio ,, abjectus Romulus in profluentem cum ,, Remo fratre non potuit exstingui; siqui- ,, dem & Tiberinus amnem repressit, & ,, relictis catulis lupa vagitum secuta, ube- ,, ra admovit infantibus, matremque se ,, gessit. Sic repertos apud arborem Regis ,, pastor tulit in casam, atque educavit.

Deus pueros servat.

Cedit unda Tyberis.

B Aqua sensu carens caros excepit pueros, sensit lupa, & lactavit; proinde Faustulus, Simmam æmulatus pastorum principem, qui Semiramidem ab undarum eluvie eripuit, numen passus occurrit, & sospites adhuc vagientes elevat; innuitque Conon apud Photium *cap.* 186. Θεῖον νομίσας ἀναλαμβάνεται, καὶ ὡς ἑαυτοῦ τρέφει τὰ παιδία, *divinum quid latere ratus pueros tollit, & pro suis educat.* Hoc numen pastoribus illuxisse testatur Dionysi-

Faustulus numen præsentit.

C us: Ὡς δὲ ἀπέστη τὸ θηρίον αἴρουσιν οἱ νομεῖς τὰ βρέφη, σπουδὴν ποιούμενοι τρέφειν, ὡς θεῶν αὐτὰ σώζεσθαι βουλομένων: *Post feræ discessum pastores tollunt infantulos, rati dignos alimentis, qui servati divinitus fuerint.* Hoc totum *forte divinitus* factum putat Livius, *& locum miraculo datum*: occinitque Valerius Antias *opus fatale*: enimvero ait Justinus, *fortunam origini Romanæ prospexisse.*

CCLXXXII. Perficit numen opus, & enixæ Faustuli uxori prolem enecat, ut nova esset soboles Rheæ Sylviæ partus:

Fortuna populi Romani.

D quod Dionysius sic refert: ,, In his erat ,, quidam Regis subulcorum magister, vir ,, probus, nomine Faustulus; qui ob quod- ,, dam negotium in Urbe fuerat, quo tem- ,, pore de Iliæ vitio partuque compertum ,, est; & postea dum infantes deportaren- ,, tur ad fluvium, deo sic volente, idem ,, cum ministris pueros ferentibus iter fe- ,, cit in Palantium; hic ceu ignarus omni- ,, um impetravit pueros communi consen- ,, su sociorum sibi traditos, eosque do- ,, mum ad uxorem pertulit, mœstam tunc ,, ob infantem, quem mortuum ediderat;

Historia enarratur.

E ,, simulque solatus mulierem persuasit, ut ,, illatos pro suo supponeret, denarratis ,, prius eorum casibus. Zonaras & Plutarchus in *Romulo, clam sublatos* a Faustulo scribunt. Messala Corvinus: *Fama est in lupam geminos lambentem regium pastorem Faustulum, casu quodam incidisse, qui uxori Laurentiæ nutriendos dedit.* Variat Aurelius Victor, & opem humanam vestigat, Numitorisque industriam; idque ex Valerio sic tradit: *Pueros ex Rhea Sylvia natos Amulium Faustulo servo necan-*

Faustuli uxor puerum mortuum edidit, accepitque in suos Rom. & Remum.

Numitoris cura

F *dos dedisse, sed eum a Numitore exoratum, ne pueri necarentur, Accæ Larentiæ amicæ suæ nutriendos dedisse.* Faustos excepit mulier, & veluti cælo delapsos in ulnis constringens deosculabatur; miræ pulchritudinis tunc radium illuxit, & os deo simile, nitore conspicuum, fata dictabat, & ut occinit Quintus Smyrnæus *lib.* 2.

Pulchra facies ex fronte amabili reluxit.

Puerorum pulchritudo.

Nam, teste, Valerio Antia libro secundo, *erant ingenti corpore, & mira pulchritudine præditi, renidebatque suavis color in membris, ut ætatem superasse viderentur.* Recte cum Ovidio dices,

—— eorum
In toto nusquam corpore menda fuit.

Fortasse Larentia ex l. 4. *Dionysiacorum* Nonni Panapolitani vocem extulit:

Vidi ego manum roseos digitos habentem: vidi frontem
Suave mel stillantem, amorem vero generantis vultus:
Tanquam rosæ rubent genæ in summitate vere apparentia
Duplicem colorem habentia, nivearum fulgent vestigia,
In medio purpurea, & tanquam lilia sunt manus:
Si quando volvens mentes oblectantem circulum frontis
Oculos convertit, universa resplenduit Luna
Luce radianti.
Labra tacebo, ipsum vero os velut fretum amorum
Suada inhabitans fudit mellitam vocem,
Et Gratiæ sequuntur totum corpus.

Pulchri descriptio.

Tibullus eleganter Ovidium secutus *lib. 3. eleg. 4.*

Candor erat qualem præfert Latonia Luna,
Et color in niveo corpore purpureus.
Ut cum contexunt amaranthis alba puellæ
Lilia, & autumno candida mala rubent.

Claudianus in *Raptu Proserpinæ**, *Niveo lucet in ore rubor.* Heliodorus de Theagene inquit lib. 1. *Æthiop.* cap. 1. Ἡ παρειὰ καταῤῥέοντι τῷ αἵματι φοινιττομένη, λευκότητι πλέον ἀντέλαμπεν, *gena fluenti sanguine purpurata albore magis enitebat;* Aristænetus, *illi misti candore ac tenui rubore nativum rosarum splendorem referunt;* Achilles Tatius de Leucippe & Licophrone † sub fin. *l.* 1. Ναρκίσσου μὲν τὸ πρόσωπον ἔστιλβε χροιὰν, ῥόδον δὲ ἀνέτελλεν ἐκ τῆς παρειᾶς, *in fronte narcissi, in genis rosarum color renidebat;* Propertius *l.* 2. *eleg.* 3.

Ut Mæotica nix minio si certet Ibero,
Utque rosæ puro lacte natent folia.

Callistratus in Statua occasionis, *Genæ ipsi Solis instar rubentes juvenili decore fulgebant tenerum oculis ruborem adjicientes.* Achilles Tatius iterum in quinto: Ἦν δὲ τῷ ὄντι καλὴ, καὶ γάλακτι μὲν ἂν εἶπες αὐτὴν τὸ πρόσωπον κεχρῖσθαι, ῥόδον δὲ ἐμπεφυτεῦσθαι ταῖς παρειαῖς. *Pulcherrima erat, & lacte quidem diceres illam illivisse vultum, rosam vero genis innatam.* Papinius Statius lib. 1. *Achill.*

Lactea Messagetæ veluti cum pocula fuscant
Sanguine puniceo.

Sponsa similiter speciosum forma præ filiis hominum describens ait; *Dilectus meus candidus & rubicundus.*

CCLXXXIII. An candor & roseus color pulchritudinem comparant? Socrates a Diotima fatidica artem amatoriam didicit, per quam sciebat per corporum pulchritudinem, quasi per vestigia quædam, sagaciter venari, tum animi, tum mentis angelicæ, Deique pulchritudinem, eamque artem ubique docebat; de hac ejus arte Plato, & sæpe alibi, & in *Symposio*, ac *Phædro* præcipue pertractavit, ut notat Ficinus in *Protagora*: at Plotinus, & antea Plato, pulchritudinem *in forma* statuunt, ut sit in corporibus *Flos formæ materiam superantis, propter imperium idealis rationis super materiam.* Ex quibus Ficinus illam sic finit, *Pulchritudo in corporibus est absoluta perfectio, gratiaque formæ.* Similiter Alcinous corporalem in homine pulchritudinem, *Rectam membrorum compagem ac suavitatem colorem* describit; a Seneca in *Hippolyto formæ decus* nuncupatur: Heliodorus libro secundo *rerum Æthiopicarum, ostendit puellam insigni ac divina forma præditam;* & paulo post, *formæ excellentiam* ipsius pulchitudinem vocat. Tullius & alii *formam*, *speciem*, & *figuram* appellant: quæ in cutis colore ac vultu, inque apta atque decora lineamentorum conformatione consistit, ut sit in utrisque consona suavitas & proportio; innuit Divus Ambrosius libro tertio *Hexaem.* cap. septimo, ubi effingit *adolescentem validum pubescentis ætatis virtute florentem, grata specie, suavi colore.* Chrysostomus ad Theodorum *bonam formam* vocat Hermionis pulchritudinem: an dixit formam, quia ab anima temperamentum inducitur; equidem Nemesius in libro *de hom. nat.* cap. secundo Dinarchum refert, qui *animam harmoniam esse definivit*: Galenus ex Hippocrate probat animam esse corporis *temperamentum*: & post pauca, *anima est harmonia suavitatis, & roboris, & pulchritudinis.* Unde Socrates summum bonum, summum esse pulchrum adstruit, a quo pulchra, quæ videmus, cuncta procedunt. Plato ex Diotima Sibylla, *quid est pulchrum? vivificus actus e primo fonte bonorum affluens:* ex eo Ficinus, *pulchritudo nihil aliud est, quam summi boni splendor fulgens præcipue in his rebus, quæ oculis, auribus, mente percipiuntur;* similiter Plotinus Platonicorum Coryphæus, expenditque Dionysius Areopagita in libro *de divinis nominibus*, *Pulchritudinem nominamus participationem quandam causæ primæ, pulchra omnia facientis.* Recte proinde Latinus Pacatus in *Panegyrico ad Theodosium Imp.* ait: *Non frustra plane opinione Sapientium, qui naturalium momenta causarum subtilius scisc itati, arcanis cælestibus nobiles curas intulerunt, augustissima quæque SPECIES plurimum creditur trahere de Cælo.* Enimvero, si Chalcidio fides, a sum-

Roseus color & candor.

Pulchritudo ad Deum refertur.

Quid est pulchritudo?

In quo consistit.

An ab anima procedit?

Summum bonum, summum pulchrum.

* Memoriæ lapsus, istud etiam hemistichium est Ovidii in *Epist. Acont. Cyd.* ℣. 120.

—— niveo lætus in ore rubor.

† Iterum perperam pro *Clitophonte.*

mo bono communicatur animæ venuſtas quædam perfecti allicientis illam ad amorem bonitatis; anima deinde corporis temperamentum ordine congruo illud diſponit debitis partium intervallis, ut docet Porphyrius, apta magnitudine, decenti colore, tractiſque decentibus ac lineamentis conformat: unde Nemeſius, *Membrorum apta diſpoſitio, cum coloris ſuavitate, corporis pulchritudinem gignit.* Totam hanc philoſophiam Platonis in *Phedro* tradit Plutarchus in *Quæſtionibus Platonicis*: Πῶς ποτε ἐν τῷ Φαίδρῳ λέγεται, τὸ τὴν τοῦ πτεροῦ φύσιν, ὑφ' ἧς ἄνω τὸ ἐμβελθὲς ἀνάγεται, κεκοινωνηκέναι μάλιστα τῶν περὶ τὸ σῶμα τοῦ θεοῦ; Πότερον ὅτι περὶ ἔρωτος ὁ λόγος ἐστὶ; κάλλους δὲ τοῦ περὶ τὸ σῶμα ὁ ἔρως· τὸ δὲ κάλλος ὁμοιότητι τῇ πρὸς τὰ θεῖα κινεῖ καὶ ἀναμιμνήσκει τὴν ψυχήν. *Quomodo in Phædro dicitur, naturam alæ, qua id quod grave eſt ſurſum evehitur, maxime eorum fieri participem quæ ſunt circum corpus dei? An quia de amore ſermo eſt? amor autem eſt pulchritudinis corpori inhærentis: pulchritudo ſimilitudine rerum divinarum movet animum, eique res in memoriam redigit.* Hinc ſapiens Virgilius, ubi nube ſciſſa coram Didone Æneam oſtendit, pulchritudinem ipſius, dei comparatione demonſtrat; & Dio Chryſoſtomus *Orat.* 29. *Ego primum eum beatum duco ob pulchritudinem, quæ humanorum bonorum illuſtriſſimum eſt & jucundiſſimum tam diis quam hominibus*; ſed diis eſſentiale, hominibus participatum: illis æternum, iſtis temporale, & prope momentaneum; hinc Phavorinus iſtam appellat, *modici temporis tyrannidem*; ſimiliter Socrates, qui Alcibiadem forma præſtantem deperibat apud Laertium; & Divus Hieronymus *epiſt.* 139. *Repente dum neſcit incaneſcit caput, rugatur facies, cutis prius extenta contrahitur.* Divus Ambroſius *loco cit. qui pridie tibi lautiſſimus decore formæ viſus eſt gratia, alio die miſerandus apparet ægritudinis alicujus infirmitate reſolutus*; ratio eſt, quia organum animæ ad tempus fertur & reſolvitur, ut anima libera evolet ad ſuperos, dum conſtruitur caro in pueritia nitet, dum in virilitate ſtat, veluti occaſura flaceſcit, & tandem hebetudine reſoluta deficit; *Quæ putatur eſſe ſublimis*, inquit Ambroſius, *exigua quaſi herba eſt, præmatura ut flos, caduca quaſi fœnum; pleroſque aut labor frangit, aut inopia macerat, aut cruditas vexat, aut vina corrumpunt, aut ſenectus debilitat, aut eviratos deliciæ reddunt, luxuria decolorat.* Vere altum inclamat Vates, *omnis caro fœnum.*

Alæ amoris

Pulchritudo a deo, dei ſpecimen.

Pulchritudo humana caduca.

Cur evaneſcit tam cito?

De colore in cute?

CCLXXXIV. Sed unde color candore purpuraſcit in cute? An a luce colorum cauſa? equidem Avicenna, Albertus in *ſumma de ſubſt. col.* Cæſalpinus in *Quæſt. Peripateticis*, & alii docent, *colorem eſſe lumen variis corporibus receptum, quo abeunte color in potentia remanet*; ſic lumen formam ſpeciemque colori confert, ut patet ex collo columbæ, & ſtamine araneæ telæ e ſuſcepto lumine diverſimode colorum varietate depictis. Sed quia teſte Ariſtotele 2. *de An.* t. 73. novimus, *lumen eſſe actu diaphani, coloremque in actu diaphani motivum*, lumen coloris forma nequit eſſe. Etenim diaphanum corpus effingit, non ponit; An a luce & opacitate? Scarmilionius *libro* 1. *cap.* 6. inquit, *Color realis eſt lux opaca.* Probat ex apparentiis Lunæ, quæ in magna Solis eclipſi rubra conſpicitur: quia tenebris lux præpeditur ac veluti obtegitur, & clare dixit Philoſophus 3. *Meteor.* tex. 2. cap. 3. *Fulgidum nigrum videri puniceum.* Sed non omne opacum dum lucem excipit coloratum efformat varium, ſed illud, quod ex nigro reſultat; opacum namque eſt inviſibile, & color a Pythagora in *corporis ſuperficie* ſtatuitur; Theophraſtus, ſive Ariſtoteles *de ſenſu & ſenſili* cap. 3. *Colorem in extremo, vel extremum* poſuit; diſpoſitum videlicet adeſſe perſpicuum in eo, quod ex compoſitione reſultat; unde Plato in *Menone* colorem definit, *defluxionem figurarum meatibus oculorum congruam*: & in *Timæo* flammulam quandam, *fulgoremque e corporibus emanantem*: Empedocles colorem eſſe ait, *aliquod oculorum meatibus proportionatum*; Galenus in *hiſtoria Philoſophica*, quam Andreas a Lacuna edidit, cap. 20. inquit, *Color eſt corporis viſibilis qualitas.* Zeno Stoicus *materiæ poros* colorem eſt arbitratus. Potius ex contextu *corporis* dixiſſet; Gorgias, quem refert Socrates, commendatque in *Menone* Plato, ait, *eſt color defluxus quidam rerum viſui congruens atque ſenſibilis.* Eſt igitur color in extremo corporis ſuo fulgore aptus ad recipiendam lucem, ut perſpicuus niteſcat viſui.

Variæ opiniones.

Coloris deſcriptio.

Color albus ex igne.

CCLXXXV. Redeat intra lineam calamus. Color candidus rubore perfuſus pulchritudinem ſua perſpicacitate conformat; ex igne album oriri docet Ariſtoteles; expendit Themiſtius, ex ignis permixtione cum pellucido elemento: Averroes igni addit diaphanum maxime opacum, occinitque Plato apud Scarmilionium *lib.* 2. *cap.* 7. ſic teſte Cornelio Gemma in primo *Coſmocrit.* cap. 8. a caliditate potiſſimum provenire contendit: & Scaliger *exerc.* 325. cap. 8. *in ſicco* albedinem ſtatuit: nam carbones rubeſcunt in igne, & cinis ac cera exſuccata a Sole candore nitent. Sunt tamen, qui ab humido album adſtruunt, ut Porta l. 3. *Phyſiog.* cap. 18. aliique quamplures. etenim putredinem ab humido procedere Macrobius in *Saturnalibus* demonſtrat, tunc cuncta fluore albeſcunt, ſic lignum dum putreſcit. Sic cochlearum ora livore conſperſa, ſic Luna, quæ humiditate præſtat, inter aſtrorum ignes alba coruſcat; teſte Ariſtotele lib. 5. *gen anim.* cap. 5. pilum humiditas afficit, vertitque in canitiem: & ſpuma alba eſt, flos humidi, ut ab Oribaſio nuncupatur. Hinc rubedo apud Platonem in *Timæo*, *ex ſplendore ignis & humiditate* conſurgit, ait enim *ex ipſa ignei radii ad humorem admixtione, ſanguineum creante colorem, rubeum nominamus; rubeum cum albo nigroque purpureum generat*; vere Plato, ut pulcher tanto pulchritudinis bono ſe hominem agnoſcat, ex albo nigroque morboſum, nam Hippocrati in ſomnis nigrum viſum vitæ periculum denunciat, & Pythagoras illum abominat velut mortalitatis ſymbolum. Ad atram bilem Ficinus colorem hunc rejicit, & melancholica a [illegible]

Et ſicco

An ab humido?

Color rubeus.

Purpureus.

reddit, teſte Galeno. De coloribus vide A. Gellium *lib. 2. cap. 26.*

CCLXXXVI. Dicamus igitur, ex humido & calido, bile intermedia, temperamentum pulchritudinis conformatur, quo præſtant adoleſcentes & viri inceſſu, ſpecie, ac partium conformatione deo ſimiles. Nam Jovis, qui Delus * cognominatur, coliturque Apameæ civitate Syriæ, Severo adhuc privatam agenti vitam, hos verſus ex ſecundo *Iliadis* Homeri forte cecinit verſ. 478.

Similitudo dei.

Ο'μματα ϗ κεφαλω̃ ἴκελος Διὶ τερπικεραύνῳ,
Α'ρεϊ δὲ ζώνω, ςέρνον δὲ Ποσειδάωνι.
Os oculoſque deo ſimilis qui fulmina torquet,
Et Marti latus, & Neptuno pectora.

Allicit pulchritudo.

Iſta primum carmina ad Æneam Virgilius ſapiens detulit, ac pulcherrimum effinxit; allicit hæc forma, quæ a Platone *naturæ privilegium* nuncupatur: *naturale philtrum* a Leone Hebræo: *divina ſpecies* a Chalcidio: ideoque Dei comparatione utuntur, qui pulchros inſigni præditos forma deſcribunt. Hinc Athenæus libro 13. cap. 2. *Deipnoſoph.* inquit: *Οἱ παρ' Ο'μήρῳ δὲ δημογέροντες, θαυμάζοντες τῆς Ε'λένης τὸ κάλλος, φάσιν,*

Οὐνέμεσις Τρω̃ας ϗ ἐϋκνημίδας Α'χαιὺς,
Τοιῇ δ' ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν,
Αἰνω̃ς ἀθανάτῃσι θεῇς εἰς ὦπα ἔοικεν.

Apud Homerum e vulgo ſeniores ajunt, ob Helenæ pulchritudinem mirabundi,

Pulchri diis comparantur.

Haud reprehendendum, quod Trojani & armis conſpicui Achivi
Pro hac fœmina labores diu perpetiantur.
DEABUS *prorſus immortalibus ore ſimilis eſt.*

Eadem fere verba militum, qui Judithæ pulchritudinem extatim paſſi admirabantur: obſtupuit etiam Priamus ad illius mulieris ſpeciem, quamvis adverſis rebus conflictaretur; miratur & idem Agamemnonis formam præſtantem divina ſpecie.

CCLXXXVII. Sed cur ab hac laude ſilemus? Pulchros diximus juxta Platonem mira concinnitate decoris, colorumque ſuavitate, lineamentis decentibus conformatos; hoc ſingulare Dei opus laudandum ac venerandum cenſet ſapientiſſimus Mercurius in *Pimandro*: „ Age, fili, circumſpice humani corporis opificium, cujus admonitione perdiſce, QUIS tam PULCHRÆ IMAGINIS CONDITOR, „ quis oculorum pictor, quis nares aureſque tornavit, quis labia diſtendit oris, „ quis nervos tetendit atque ligavit, quis „ irrigavit venas, quis oſſa conceſſit ſolida, quis carnem pellicula tenui circumtexit, quis digitos articuloſque diſcrevit, „ quis fundamenta pedum extendit, quis „ perforavit poros atque meatus aperuit, „ quis ſplenem coegit atque compreſſit, „ quis pyramidalem impreſſit cordi figuram, quis jecoris porro texit fibras, quis „ pulmonum ſculpſit fiſtulas, quis alvo „ capacem amplitudinem dedit, quis honoranda corporis membra in propatulo „ figuravit, quis obſcœna in obſcuro prorſus abdidit, eaque adſpectu cernentium „ voluit ſecreta jacere? Vide quot DIVINÆ artis opera in una materia demonſtrantur, ſingulaque PULCHRA, recteque dimenſa, nec non propriis invicem officiis differentia. Quiſnam ſingula „ finxit? qualis mater, qualis pater? nonne hæc ſolus ipſe inviſibilis DEUS, „ cuncta propria voluntate molitus eſt? Uſque modo Triſmegiſtus. Poſt quem Tullius lib. 4. *de Rep.* cum id deſcribere tentaſſet, nihil prorſus effecit, & materiam late patentem anguſtis finibus terminavit: etiam lib. 1. *de Legibus* ſummatim, & in *Scipione* levi calamo, ſicut lib 2. *de Natura Deorum* exſequi conatus eſt; opus ſimiliter aggreſſus eſt Lactantius Firmianus in lib. *de Opificio Dei*: impares in cunctis Mercurio.

Pulchræ imaginis conditor Deus.

Corporis humani admirandum opificium.

* Leg. *Belus.*

CCLXXXVIII. Quid mirum ſi ſpecies illa decoris, conſonum ſummi boni opificium, Dei ſimulachrum, commendatur, & colitur? vix viſa intuentes allicit forma, & digna Imperio fulget. Teſte Athenæo *loco cit.* *Εὐριπίδης ἔφη,*

Pulchritudo digna Imperio.

Πρω̃τοι μὲν εἶδος ἄξιον τυραννίδος.

Euripides inquit,

Egregiam pulchritudinem, & quæ omnes alias vincit, dignam eſſe Regno.

De Agamemnonis forma Rex Ilii Priamus apud Homerum lib. I. *Iliad.* verſ. 170.

Καλὸν δ' οὔπω ἐγὼν οὔπω ἴδον ὀφθαλμοῖσιν,
Οὐδ' οὕτω γεραρὸν· Βασιλῆϊ γὰρ ἀνδρὶ ἔοικεν.
Oculis adeo formoſum nondum ſum intuitus,
Aut ſic venerabilem & auguſtum: regiam dignitatem ille præ ſe fert.

Addit Bion in *Æthiopicis*: *Καθίςων δὲ ϗ πολλοὶ τοὺς καλλίςυς Βασιλέας, ὡς μέχρι νυ̃ν οἱ Α'θάνατοι καλούμενοι Αἰθίοπες. Pulcherrimis viris plurimæ gentes Regnum deferebant, ut etiam noſtra memoria Æthiopes, quos & Immortales vocant.* Athenæus rationem perhibet: *Ω'ς ἔοικε γὰρ τὸ κάλλος βασιλείας cixea ἐςι, etenim ut par eſt pulchritudo maxime Regibus convenit.* Latinus Pacatus in *Panegyrico* Romæ Theodoſio Imperatori dicto inquit: „ Virtus „ tua meruit Imperium, ſed virtuti addidit forma ſuffragium: illa præſtitit, ut „ oporteret te Principem fieri, hæc ut deceret; hunc Romani faſtigii apicem non „ ſolum fortitudine atque ſapientia, ſed „ decore etiam corporis & dignitate potuiſti æquare, velut tua hæc FORMA „ venerabilis, quam fortunæ tuæ par eſt, „ quam longe lateque conſpicua commendat Imperium, ut plane in ambiguo ſit, „ utrum-ne te magis noſtris mentibus virtus, an obtutibus VULTUS inſinuet? Hæc ille, & optime: nam egregia formæ ſpecies etiam corda ſibi vindicat, ut Alcibiades de Socrate triumphet, & Phaſelitis diſcipuli facies Ariſtotelem ſuperet in cunctis præſtantem, in hoc uno pulchri intuitu victum; Quid ſi Heroes, & ficta numina? audi Athenæum *loco cit.* *Διὰ κάλλος δὲ ὁ μέγιςος τῶν θεῶν διὰ κεράμων χρυσὸς ἔρχεται, ταυ̃ρος γίνεται, αἐτὸς πτερου̃ται, πολλάκις πυ̃ρ ἐπ' Αἰγίνῃ. Ob pu chr. nai-nem Jupiter nunc per tegulas aurum fluit, nunc taurus mugit, nunc aquila pennis volat, nunc ignis prope Æginam lucc'.* &c.

Probatur.

Pulchritudo vincit etiam deos.

CCLXXXIX.

CCLXXXIX. Itaque pulchritudo Romuli, Remique species, pastores primum, deinde Faustulum & Accam Larentiam ita devinxit, ut mirum in modum geminos alerent ac diligerent, imo conscii Regis impietate vitæ subiere periculum; amor namque foras mittit timorem, spem auget, & flagrat.

Cur Acca dicta Lupa? CCXC. Accam hanc, Faustuli amicam, sunt qui putent *Lupam* dixisse Veteres, occinitque Aulus Gellius *lib.6.cap.7. ex* Valerio Antia, *Acca Larentia corpus in vulgus dabat, pecuniamque emeruerat ex eo quæstu uberem*. Historica fides hinc denuo Numitoris pietatem commendat, a qua salus puerorum elicitur; inquit enim Valerius vetus Auctor apud Aurelium Victorem: „Pueros e Rhea Sylvia natos Amulium „Regem Faustulo servo necandos dedisse, „sed eum, a Numitore exoratum ne pue„ri necarentur, Accæ Larentiæ amicæ suæ „nutriendos dedisse, quam mulierem, eo „quod pretio corpus esset vulgare solita, „LUPAM dictam: notum quippe ita ap„pellari mulieres quæstum corpore facien„tes, unde & hujusmodi loci, in quibus „hæ consistunt, LUPANARIA dicta.

Meretrix Lupa.

Faustuli genus. Addit Dionysius in primo *Antiquitatum* Faustuli genus, & uxoris Lupæ nomen expendit, ait namque: „Faustulum ge„nus duxisse ab Arcadibus Evandri comi„tibus, Palatini Montis incolam, & ma„gistrum pecoris regii, gratificatumque es„se Numitori in educandis pueris suasu „fratris sui, armentis Numitoris in Aven„tino præpositi. Cæterum nutricem pue„rorum, quæ mammas eis præbuit, Lu„pam fuisse ajunt, sed mulierem, Faustu„li conjugem, nomine Larentiam, cui „ob prostratam quondam pudicitiam in„colæ cognomen Lupæ indiderant: ea „Græcis prisca est appellatio venalem vo„luptatem veneream prostituentium, quas „nunc honestiore vocabulo AMICAS vo„care solent. Et antea tradit, suppostitios occidisse pueros, ut Romulum ac Remum eximeret a gladio; ejusmodi vocabuli meminit Athenæus libro 13. cap. 4. *Deipnosoph.* ex Cynulco, & Apollodoro, & Sappho: *Amicas vocant meritorias fœminas, quæ corpus mercede vulgare dicunt, ut honestior sit nomenclatura, non ad significatus proprietatem referentes.* Nec aliter Menander. Prudentius, in *Psychomachia*, Viginis triumphum occinit adversus Lupam,

De Lupa & scorto.

Sed dextram furiæ flagrantis, & ignea diræ
Tela Lupæ saxo ferit imperterrita virgo,
Excussasque sacro tædas depellit ab ore.

Catullus *ad Juventium* de meretricis saliva,

Nequidquam nostro contractum ex ore maneret,
Tanquam commixtæ spurca saliva Lupæ.

Martialis similiter id ipsum pendit *lib.1. epigr.35.*

*Abscondat * spurias hæc monumenta Lupas.*

* Rest. *Abscondunt spurcas,*
Sallen. Tom. II.

A Fulgentius Placiades in *Gloss.*, *Lupam meretricem a rapacitate, vel libidine hujus animalis dicunt*; Messalina infami nomine luxuriæ monstrum, & imperatoriæ majestatis dedecus, *Lyciscam* se appellabat, & Juvenalis eleganter *Sat.6.* vers. 123.

Meretrix Lupa ob rapacitatem & libidinem.

Messalina Lycisca.

——*tunc nuda papillis*
Constitit auratis nomen † *mentita Lyciscæ.*

De Lycisca, quæ canis ex lupa gignitur, Petronius Arbiter ait, *

B

At lupus & catula formant coeundo Lyciscam.

Asseritque Servius, sed male Plinii sententiam torquet; potius ex Aristotele libro octavo *Hist. Anim.* cap.28. *Lupi coeunt cum canibus fœminis*. Hinc Lycisca rapax, & miræ libidinis monstrum, ut diximus in libro *de Natura Canum*; quo nomine gaudebat Messalina, de qua Xiphilinus ex Dione in *Claudio* inquit, *Temeritate atque* C *intemperantia omnes fœminas suæ ætatis superavit*. Meminit *salivæ Lupæ* ad maleficium fortasse Catullus: etenim meretrices, ut plurimum magiæ indigitamentis ob philtra laborant; an ideo *Lupæ* dictæ? non immerito, nam lupos superstitiosi inquirunt ad maleficium; Plinius *Hist. Nat.* l.8. c.22. *Lupis creditur vulgo inesse amatorium virus exiguo in villo, cumque capiatur abjici, nec idem pollere nisi viventi direptum*; ejus barba infamis quæritur ad amorem, inculcatque Horatius *lib.1. Sat.8.*

Ob luxum.

Meretrices maleficæ.

Ex Lupo maleficia.

D

Utque lupi barbam variæ cum dente colubræ
Abdiderint furtim terris, & imagine cerea
Largior arserit ignis.

Plinius *l.2. c.42.* de lupi dextero dente inquit, *in magnis habetur operibus*. Sic ars meretricia, & maleficium simul a Lupa nomen infaustum protrahit; Tullius *pro Milone*, *Clodius semper secum scorta, semper Lupas ducebat*. Plautus in *Epidico* Act.3. Scen.3. vers.22.

Divertunt mores virgini longe ac Lupæ.

E

Prudentius *in Symmachum* Urbis Præfectum de Priapo inquit,

Ruricolas vexare lupas, interque salicta
Et densas sæpe ‡ *obscœna cubilia inire.*

Manasses Græcus Auctor de eadem Acca in *Politicis*.

Sunt qui Lupam altricem utriusque pernegant,
Sed Faustuli pastoris istam conjugem,
Quod corporis faceret sui aliis copiam,
F *Linguæ Latinæ more vocitatam Lupam,*
Hoc est meretricem; ambigua nam dictio
Est Ausonia; quæ belluam & scorta notat.

† Rep. *titulum*. * Inter Petronii *Pseudepigrapha* reperitur iste versus, & tribuitur D. Evantio V.C. at Bas. Faber in suo *Thes.* illum tribuit Eugenio Toletano Carm.22. ‡ Leg. *sepes*.

Q

CCXCI. Nihilominus grati animi Romanorum posteritas Accæ Larentiæ monumenta coluit, erexitque in signum gratitudinis simulachra pientissimæ mulieris, quæ religiosa superstitione inter aras & thura perstant. Unde Lactantius in libro *de falsa religione* cap.20. ait: „ Romuli nutrix Lupa honoribus est affecta divinis. „ Auctor est Livius, Larentiæ esse simulachrum, & quidem non corporis, sed „ mentis ac morum: fuit enim Faustuli „ uxor, & propter vulgati corporis vilitatem Lupa inter pastores, id est, meretrix vocata est: unde etiam lupanar dicitur: exemplum scilicet Atheniensium „ in ea figuranda Romani secuti sunt, „ apud quos meretrix quædam nomine „ Leæna, cum Tyrannum occidisset, quia „ nefas erat simulachrum constitui meretricis in templo, animalis effigiem posuerunt, cujus nomen gerebat. Equidem laudo commentum: enimvero non quia meretrix semper enormissimorum altrix facinorum, obscœna damnantur gesta, pia commendantur. Hinc *Larentinæ feriæ*, de quibus Varro l.5. *L.L.* „ Accalia feriæ publicæ Laurentinæ; hunc diem quidam in „ scribendo Laurentalia appellant, ab Ac„ca Laurentia nominatum, cui sacerdotes „ nostri publice parentant sexto die; hoc „ sacrificium fit in Velabro, qua in novam „ viam exitur, ut ajunt quidam ad sepul„chrum Accæ. Apud Festum Pompejum, *Larentalia, conjugis Faustuli, nutricis Remi & Romuli, Larentiæ festa.* Signat hæc Calendar. die 30. Aprilis.

Accam Lupam coluit Romanorum Posteritas. — Colitur ut numen. — Apud Athenienses Leænæ cultus. — Larentinæ feriæ.

CCXCII. Non uno die hæc festa recensebant Veteres, sed variis nominibus, temporibus variis recolebantur; unde Ovidius in *Fastis* lib.3. vers.55.

Non ego te tantæ nutrix Larentia gentis,
Nec taceam vestras, Faustule pauper, opes:
Vester honos veniet cum Larentalia dicam,
Acceptus Geniis illa December habet.

Erudite etiam Alexander *lib.*1. *cap.* 26. Larentiæ, quæ Flavia dicta est, mense Aprili solennes dies, & Sacra ab Anco instituta Romani assidue celebrant, quæ Larentalia dicta sunt, & decimo Kalendas Januarias, qui dies Jovi feriatus erat; cui Martis Flamen plerumque Pontifices in Velabro, ubi Larentiæ ara & statua erat, Sacrum anniversarium facere, ad ejusque sepulchrum Decembri mense convenire frequentes, & dare inferias solebant, quod Populum Romanum decedens hæredem fecerat: cujus rei causa ejus dies inter fastos relatus est. Hæc ille. Et observare licet gratitudinem Romanorum, qua præstabant, dum mulierum plurimarum optima gesta referrent ad Accam Larentiam, quæ Romulum aluit, & Romæ primordia fecit; Plutarchus in *Romulo*: „ Laurentiæ Sacra faciunt Romani, & mense A„prili Flamen Martialis libat, Laurentalia „ vocant festum. Alteram item colunt „ Laurentiam ex causa hujuscemodi. Her„culis Æditmus, forte otii fallendi causa, „ alea cum deo ludere statuit, hac lege, „ si vicisset, ut ille quippiam sibi confer-

Larentiæ ara & statua. — Larentia hæredem instituit Populum Romanum.

A „ ret doni; victus ut deo ipse lautum epu„lum, & concubitum præberet formo„sæ mulieris. Victus cœnam deo instru„xit, lectum ei statuit, & Laurentiam formosam puellam obtulit. Cum hac concubuit numen, & mane facto Tarrutius „ dives & opulentus mulierem in uxorem „ duxit, suaque bona moriens mulierculæ „ reliquit, quæ Populum Rom. deinde hæredem instituit. Hæc ille. Sed discrepat in *Quæstionibus Romanis*, ubi festa mense Decembri signat; deinde non *aleæ lusum*, sed potius *talorum ac cuborum* refert. Nomen variat Lactantius *loc. cit. Nec hanc solum Romani meretricem colunt, sed Faulam quoque, quam Herculis scortum fuisse Verrius scribit.*

Altera Larentia, cum qua Herculis concubuit. — Faula scortum.

B CCXCIII. Utcumque sit, Romanorum pietas erga illos, qui Rempublicam auxerunt, irradiat; etenim neque meretrices obliti sunt, sed frequenti populorum concursu quotannis illarum memoriam recensuisse compertum est; audi Lactantium: „ Flora cum magnas opes ex arte meretri„cia quæsivisset, Populum Romanum „ scripsit hæredem, &c. Deam finxerunt

C „ esse, quæ floribus præsit, eamque oportere placari, ut fruges cum arboribus „ aut vitibus bene prosperque floresce„rent. Eum colorem secutus in *Fastis* „ Poeta *, non ignobilem Nympham fuisse enarravit, quæ sit Chloris vocitata, „ eamque Zephyro nuptam, quasi dotis „ loco id accepisse muneris a marito, ut „ haberet omnium florum potestatem. P. Victor Floræ templum & Floralia in sexta Urbis Regione Quirinali collocat; ejus simulachrum in Æde Castoris & Pollucis

D recenset Plutarchus, summa industria formatum multiis coloribus, tunica indutum, in cujus deæ dextra flores fabarum & ciceris fuerunt: etenim, ut notat doctus Lilius, scribit Porphyrion, *in Floralibus Ædiles cicer & fabam populo spargere solitos*: addit Alexander in *Genialibus*, *lepores, capreas, aliaque minuta animalia*, Suetonius in *Galba*, *funambulos elephantos* in Floralibus promit, aliaque spectacula admiranda; Vopiscus in *Carino*: quæ pluribus eleganter occinit Ovidius in quinto *Fastorum*. Insti-

E tuere Floralia an. ab V. C. IↃXXC. Posthumio Albino, M. Popilio Lænate Coss. de quibus vide Plinium *lib.* 18. *cap.* 28. sunt enim qui Floralia eadem ac Laurentalia putent, Floramque eandem Accam Laurentiam; Vives in cap. octavo lib. quarti *Civ. Dei* Divi Augustini ait, Floram existimant quidam fuisse Accam Larentiam; alii Meliboeam Niobes filiam, quæ cum Apollinis & Dianæ metu colorem mutasset, Chloris est dicta: quod scitu dignum existimo, adnotasse Divum Augustinum lib.4. *C. D.* cap. 8. quanta numina ad segetum curam Veteres instituissent: „ Nec

F „ agrorum munus uni alicui deo commit„tendum arbitrati sunt: sed rura deæ Ru„finæ; juga montium deo Jugatio; collibus „ deam Collatinam, vallibus Valloniam „ præfecerunt, nec saltem potuerunt unam „ Segetiam talem invenire, cui semel sege„tes commendarent, &c. Præfecerunt ergo Proserpinam frumentis germinantibus

De Flora & Floralibus. — Templum Floræ & simulacrum. — Floralia non diversa ab Laurentalis. — Quanta numina segetum fuisse D. Augustinus recenset.

* Ovidius scil. l. 5. *Fast.* vers. 195.

„ geniculis nodisque culmorum, deum Nodotum; involumentis folliculorum deam „ Volutinam: cum folliculi patescunt, ut „ spica exeat, deam Patelenam; cum segetes novis aristis æquantur, quia Veteres æquare hostire dixerunt, deam Hostilinam: florentibus frumentis deam Floram: lactescentibus deam Lacturtiam: „ maturescentibus deam Matutam: cum „ runcantur, deam Runcinam: nec omnia commemoro; quia me piget quod „ illos non pudet.

CCXCIV. Tandem, quia satis de Lupa meretrice diximus juxta mentem Plutarchi, Zonaræ, Livii, Cedreni, Photii, aliorumque Scriptorum, de *Lupa* aliquid dicendum restat; etenim Lucum & statuam & ipsa obtinuit, jugi religionis censu memoranda; scribit enim Dionysius Halicarnasseus in primo *Antiquitatum*: „ Lupa „ nihil exasperata hominum incursu, ceu „ mansueta sensim abstitit, quasi contemnens pastorum strepitum. Non longe inde aberat Lucus opacus densitate arborum, & rupes cava manans fontibus. Is „ ferebatur Pani sacer cum ara inibi posita. Huc se fera condidit; & Lucus quidem non superest, sed antrum, ex quo „ aqua promanat, visitur Palatinis conjunctum ædificiis secundum viam, quæ in „ Circum fert; & in propinquo est sacellum „ servans expressum hunc casum ære anti- „ qui operis, LUPAM videlicet submittentem mammas duobus puerulis. Consecratus autem dicitur is locus olim ab Arcadibus Evandri sociis. Hunc locum Rex Evander Æneæ indicat l. 8. *Æn.* vers. 343.

Lupæ statua & Ædes.

—— gelida monstrat sub rupe Lupercal,
Parrhasio dictum Panos de more Lycæi.

Lupercal.

Arcadum morem in dedicatione templi innuit, olim fortasse religiosum. Deinde Romana pubes locum Lupæ cultui dicavit; nec siluit Ovidius in libro 2. *Fastorum* vers. 419. ubi causas nonnullas recenset:

Ob Lupæ cultum.

Marte satos scires: timor affuit; ubera ducunt,
*Nec sibi promissa * lactis aluntur ope.*
Illa loco nomen fecit: locus ille Lupercis
Magna dati nutrix præmia lactis habet.

Justinus *lib.* 43. templi meminit vetustissimi antiquitus cum simulachro ab Evandro dicati: „ In Palatini radicibus templum „ Lycæo, quem Græci Pana, Romani „ Lupercum appellant, constituit, ipsum „ dei simulachrum caprina pelle amictum „ est, quo habitu nunc Romæ Lupercalibus decurritur. Ad hæc Simon Grynæus, „ Lupercal a Lupa dicitur, locus sub Palatino Monte sacratus ab Evandro Pani deo Arcadiæ: Quidam ita appellatum „ volunt, quod Lupa ibi Remum & Romulum nutriverit. P. Victor in *Regione* x. *Lupercal in Theatro*; nunc, Marliano auctore, Divi Theodori ædes. Romulus tandem Lupæ memor locum & Sacra coluit: Romani similiter simulachra, tanti facinoris monumenta, erexere. Etenimvero Tullius Lupæ ac puerorum simulachri meminit: *Tactus est etiam ille, qui hanc Urbem condidit, Romulus, quem inauratum in Ca-*

Pan ejusque simulachrum.

Lupæ simulachrum Romæ.

* Alii rectius, *permissi*.

A *pitolio parvum & lactentem uberibus inhiantem fuisse meministis*: hoc factum recenset Julius Obsequens in libro *de Prodigiis*, M. Cæsone, Cajo Antonio Coss. anno V. C. CMXCI. ante C. N. LXI. *Inter alia relatum biennio ante in Capitolio* LUPAM REMI ET ROMULI *fulmine ictam, signumque Jovis cum columna retectum*. Hinc cœpit Catilinæ conjuratio. Remanet usque modo apud Romanos in aula Capitolii Lupa, de qua Marlianus *lib.* 2. *cap.* 9. inquit: *In porticu anteriori prope aulam æneum Lupæ* B *est simulacrum, ex cujus uberibus pendent Romulus & Remus Urbis conditores.*

CAP. XXII.

De Casa sive Tugurio Romuli ac Remi, singulari antiquitatis monumento. Obiter antiquorum Romanorum paupertas enarratur.

CCXCV. Sapientum oracula posteritati innotuisse, simulque vetustissimorum Heroum gesta ingenti sæculorum commendatione ac plausu viguisse compertum est; & tamen illa Amphiarai, Jovis Dodonæi, Apollinis, ac Sibyllarum monumenta in foliis servata vicerunt tempora; & ista illustrium magnarumque animarum trophæa adhuc arboribus dicata restorescunt, tanto immortalitatis decore, ut sint temporum numina; sic palea repurgat aurum, quo viri præstantissimi virtutum pondere emunt gloriam; & stipula ac culmen Casæ Romuli præstat Orbis terrarum Imperio; Memnonis domus aurea corruit; Pyramis, portentosa Ægyptiorum moles abolito Regum nomine periit; Obelisci, admiranda Thebarum miracula, quandoquidem linguarum præferunt formam, & tamen silent Ægyptiorum Principum facinora; sola proclamat Romuli Remique Casa, & Capitolii parens, Imperium a robore exsiluisse sub rupe demonstrat. Ideo sapienter Seneca l. 1. *Contr.* declamat. 6. „ Inter hæc tam effusa mœnia, NIHIL EST ROMULI CASA NOBILIUS: fastigiatis supra tectis auro puro „ fulgens prælucet Capitolium: potes objurgare Romanos, quod cum humilitatem suam obscurare possint, ostendunt; „ sed hæc non putant magna, nisi apparuerit ex parvis surrexisse. Et Valerius Maximus, enarrata Quintii Cincinnati Dictatori, Q. Ælii Tuberonis, & Æmilii Scauri magnorum Principum paupertate, inquit: „ Exsurgamus potius animis, pecuniæque „ adspectu debilitatos spiritus pristini temporis memoria recreemus. Namque per „ ROMULI CASAM, perque veteris „ Capitolii HUMILIA TECTA, & æternos Vestæ focos fictilibus etiamnum „ vasis contentos juro: nullas divitias talium virorum paupertati posse præferri.

Antiquitatis monumenta in tuguriis.

Pyramides & Obelisci perierunt.

Casa Romuli superstes.

Paupertas divitias omnes superat.

CCXCVI. Primam Romuli Casam illam recensemus, in qua Faustulus pastorum princeps degebat: inquit enim Lucius Florus: *Repertos apud arborem, Regis pastor tulit in* CASAM, *atque educavit*; locum indigitat Solinus *cap.* 1. *Roma vetus incipit a Sylva, quæ est in area Apollinis, & ad supercilium Scalarum Caci habet*

Faustuli Casa, in qua Romulus & Remus educantur.

terminum, ubi TUGURIUM *fuit Faustuli. Ibi Romulus mansitavit*;&c. Varro prope *Curiam Calabram* Romuli Casam ostendit, indigitatque Macrobius lib. 1. *Sat.* cap.15. ubi sacra de more a Pontifice peracta tradit. Becmanus apud Græcos Casam esse *Focum* notat, Hebræosque Casam *Tugurium* a tegendo dixisse. Scaliger ex Varrone potius Casam a *cogendo* putat; at nostra interest Antiquorum exquirere sapientiam, qui ab etymo rerum naturam edixerunt: ideo observo apud F. Pompejum, *Casam a cavatione* dictam; describitur ab Isidoro lib. 14. *Orig.* cap. 12. *Casa est agreste habitaculum palis atque virgultis arundinibusque contextum, quibus possint homines tueri a vi frigoris, vel caloris injuria*; apud Virgilium Corydon *Ecl.* 2. vers. 28.

Casa unde dicta.

Ejus forma.

O tantum libeat mecum tibi sordida rura,
Atque humiles habitare casas, & figere cervos!

Seneca *epist.* 90. casam offert antiquam: *Furcæ utrinque suspensæ fulciebant casam spissatis ramalibus ac fronde congesta, & in proclive disposita decursus imbribus quamvis magnis erat*; Calpurnius *Ecl.*2. ad Crotalen,

Ne contemne casas & pastoralia tecta.

Casa igitur Romuli talis erat, occinitque Ovidius l.3. *Fast.* vers. 183.

Casa Romuli straminibus & cannis erecta.

Quæ fuerit nostri si quæris Regia nati,
Adspice de canna straminibusque domum.

Propertius *lib.*4.*el* 1. totam Urbis originem & domorum antiquitatem canit:

Hoc, quodcumque vides, hospes, quam maxima Roma est,
Ante Phrygem Æneam Collis, & herba fuit;
Atque ubi navali stant sacra palatia Phœbo,
Evandri profugæ procubuere boves.
FICTILIBUS CREVERE DEIS HAEC AUREA TEMPLA,
Non fuit opprobrio facta sine arte CASA.
Tarpejusque Pater nuda de rupe tonabat;
Et Tiberis nostris advena bobus erat.
Quo gradibus domus ista REMI *se sustulit, olim*
Unus erat fratrum maxima regna FOCUS.
Curia, prætexto quæ nunc nitet alta Senatu,
Pellitos habuit rustica corda Patres.

Dii fictiles.

Vetus Roma.

Tibullus *lib.*2.*el.*5.

Romulus æternæ nondum formaverat Urbis
Mœnia, consorti non habitanda Remo;
Sed tunc pascebant herbosa palatia vacuæ, *
Et stabant humiles in Jovis arce casæ.

Virgilius l. 8. *Æn.* vers.347. Evandrum indigitantem Urbis loca Æneæ occinit:

Hinc ad Tarpejam sedem & Capitolia ducit,
Aurea nunc, olim sylvestribus horrida dumis.

A

Jam tum relligio pavidos terrebat agrestes
Dira loci: jam tum sylvam saxumque tremebant.

Et tamen undique dii hominesque Heroum illa tentabant tuguria, & fata post Ilii excidium numinum generi Romæ concinebant loca; imo Conon in libello narrationum ad Archelaum Philopatorem Regem, cujus epitomen Photius in *Bibliotheca* cap.186 edidit, animose inquit: Καλύβη τις ἐν τῷ τοῦ Διὸς ἱερῷ γνώρισμα τῆς Φαυστύλου διαίτης, ἣν ἐκ φορυτῶν καὶ νέων φρυγάνων συνιστῶντες διασώζουσιν. *Tugurium in Jovis templo, argumentum illius vivendi formæ; quam Faustulus tenuit, e quisquiliis & tenerioribus virgultis structum conservant.* Vitruvius, qui magnificentiam novæ Urbis extulit arte, eodem Scriptoris prudentissimi censu scripsit: *In Capitolio commonefacere potest, & significare mores vetustatis Romuli* CASA *in arce Sacrorum stramentis tecta.* Parva equidem erat, sed plena Jove: ars nulla molem erigebat, attamen firmabat virtus, ut cum numine degerent homines. Crevit deinde Roma,& turguria enormia in palatia transierunt, in columnas columina, stramenta in aurum, sed robur inter sectilia evanuit saxa, gemmarumque fulgore periit; hinc Petronius Arbiter altum inclamat,

B

Forma vivendi apud Veteres.

C

Urbs deinde mutata auro & gemmis lite:

Non satis est, quod nos mergis furiosa juventus,
Transversosque rapit fama sepulta probris?
Anne etiam famuli cognata fæce sepulti
In testa mersas luxuriantur opes?
Vilis servus habet Regni bona: cellaque capti
Deridet festam †, ROMULEAMQVE CASAM.
Idcirco VIRTUS MEDIO IACET OBRUTA COENO,
Nequitiæ classe candida vela ferunt.

D

Servi, & e fæce vulgi, filii telluris, qui adhuc in pedibus lutum occultant, enormia mœnium fastigia incolunt; magnitudine scelerum, ut olim Liberti & Eunuchi, quos Claudianus & Juvenalis carminibus inurunt, maximi nebulones,vel fœneratores, raptoresque bonorum Reipublicæ, vel pupillorum, palatia & aulas occupant, eo quo tempore viri omni virtutum genere præstantissimi, neque foveas, & tandem neque funera habent; sed opes contemnere virtutis est census. Quibus spretis dives animus divinitatem pertingit, & Heros in deum transit: hanc Philosophiam Evander Rex pauper Æneam docuit, cum primum Romana tuguria ostendebat in octavo *Æneid.*vers.364.

Servi & Liberti palatia occupant.

Patritii foveas optant.

F

Aude, hospes, contemnere opes, & te quoque dignum
Finge deo,rebusque veni non asper egenis.
Dixit, & angusti inter fastigia tecti
Ingentem Æneam duxit, stratisque locavit
Effultum foliis, & pelle Libystidis ursæ.

Paupertatem qui colit, deum colit.

Hæc antiqua Roma, talis Rex Evander, & Regum hinc series Caput, & Orbis ab

* Leg. *vaccæ*,

† Alii melius, *festram*.

orbo; & ab ursæ pelle toga ac paludamentum. Janus proinde l. 1. *Fastorum* Ovidii Romam antiquam occinit vers. 195.

Roma antiqua.

Tempore crevit amor, qui nunc est summus, habendi;
Vix ultra, quo jam progrediatur, habet;
Pluris opes nunc sunt, quam prisci temporis annis,
Dum populus pauper, dum nova Roma fuit.
Dum Casa MARTIGENAM CAPIEBAT PARVA QUIRINUM,
Et dabat exiguum fluminis ulva torum.
Juppiter angusta vix totus stabat in Æde,
Inque Jovis dextra fictile fulmen erat.

Romuli Casa.

Casa Romuli præcunctis miraculis.

Hæc ille de Æde Jovis Capitolini & Casa Romuli, quam venerabundi e toto terrarum orbe advenæ admirabantur, & Urbis miracula, tantæ paupertatis monumento, posthabita, profitebantur reduces, Romuli CASAM vidisse: quod fecit Divus Hieronymus, scripsitque in *Epistola*, quam Operibus Didymi præfixit: „Illico ego „velut postliminio Hierusalem sum rever„sus, & post ROMULI CASAM, & „ludorum Lupercalia, diversorium Mariæ „& speluncam Salvatoris adspexi. Silet Obeliscos, quos Am. Marcellinus *Miracula* nuncupat, theatra, thermas, templa, Capitolium, *Molem portentosam* Mario ac Dioni, & tantum Casam Romuli visu commendat.

CCXCVII. Hinc, ni fallor, Virgilius lib. 8. *Æneid.* vers. 652. dum historiam Porsennæ, volentis restitui Tarquinium, denarrat, Manlii alteram defendentis Capitolium a Gallorum robore describit, & Romuli ac Jovis, ut erant, occinit Ædes,

Culmus in casa Romuli.

In summo custos Tarpejæ Manlius Arcis
Stabat pro templo, & Capitolia celsa tenebat,
Romuleoque recens horrebat Regia culmo.

Ad mores recenset hæc Vitruvius *lib.* 2. *cap.* 1. ROMULI CASAM *in Arce sacrorum stramentis tecta*; ideo fortis Dux, in laboribus præliorum constantissimus, semper victor trophæa erigebat, non palatia; hoc Romæ monimentum: unde Alexander *lib.* 6. *cap.* 2. subinfert: „Romuli „Casa in memoriam vetustatis e culmo „fuit & stramentis: quo mos Veterum, „& humilis ille cultus notaretur, sicut „Areopagus Athenis ad antiquitatis e„xemplar LUTO & PALEA tegebatur.

Areopagus e culmo & luto.

Juxta illam Macrobius *loco cit.* Curiam recenset, quam Virgilius *Regiam* appellat; & Servius: *Curiam Calabram dicit, quam Romulus texerat culmis, ad quam calabatur, id est, vocabatur Senatus, & Populus a Rege sacrificulo.* Ingressi Patres non auro rutilantia videbant fastigia, nec stantes columnas, sed culmina paleasque contrectabant, ut spretis opibus culmen Imperii mente versarent & manu: Varro lib. 4. *L. L. Ab spe spicæ, ubi & culmi, quod in summo campo nascuntur, & summum culmen.* Servius in lib. primum *Georg.* Virg. *Culmus dicitur ipse calamus, stipulæ vero folia quæ ambiunt culmum;* Isidorus lib. 15. *Orig.* cap. 8. *Culmina dicta sunt, quia apud Antiquos tecta tegebantur culmo, ut nunc rustica: hinc tecti summitas culmen dicitur:* Vitruvius extendit hunc morem *lib.* 2. *cap.* 1. *Ex his rebus ædificia constituuntur, ut in Gallia, Hispania, Lusitania, Aquitania, scandulis robusteis, aut stramentis:* unde Sidonius Apollinaris ad Volusianum in nænia S. Abrahæ cecinit,

De culmine.

Angulus iste placet, paupertinusque recessus
Et Casa cui culmo culmina pressa ferent.

Istis stabat olim Romuli Casa, occinitque Prudentius lib. 2. *ad. Symmachum*,

Ipsa CASAS *fragili texat gens Romula culmo,*
Sic tradunt habitasse Remum; Regalia fœno
Fulcra supersternant, aut pelle Libystidis ursæ
Compositam chlamydem villoso corpore gestent:
ROMA ANTIQUA SIBI NON CONSTAT, *versa per ævum*
Et mutata sacris, ornatu, legibus, armis,
Multa colit, quæ non coluit sub Rege Quirino, & quæ
Pridem condiderat jura, in contraria vertit.

Roma mutat cultum dum mores antiquos mutat.

Sic luxus superstitionem peperit, ornatus jura subvertit, & aurum perdidit Urbem, asseritque Sallustius *in Catilinam*; Nero, sub quo Imperii majestas corruit, *quasi offensus deformitate veterum ædificiorum, & angustiis, flexurisque vicorum,* teste Suetonio, *incendit Urbem*; fraudem facis humani generis deprehendit Dio Nicæus, ex eoque Xiphilinus, ubi Neronis incendia enarrat: „Cupivit Urbem „incendio funditus perdere, quam qui„dem ob causam ipse quoque Priamum „mirum in modum beatum fuisse dicebat, „quod Patriam simul cum Regno perdi„tam vidisset: igitur paucos homines, quasi „ebrii essent, aut alia maleficia facerent, „clam in varias partes Urbis dimisit; hi „primo unum & alterum locum, plurave „incenderunt, &c. Enormissimum dicendi genus a Tiberio relatum habuit, qui carmen illud usurpabat,

Veterem Romam comburit Nero.

Me mortuo terram ignis undique bauriat.

Et teste Dione: *Sæpenumero Priamum fortunatum dicebat, quod ei una cum Patria perire contigisset.* Sic Roma vetus exusta evanuit, simulque cum ea robur & Imperium: hoc cecinit oraculum temporibus Tiberii decantatum.

Oraculum de Nerone, qui Urbem perdidit.

His ter trecentis circum volventibus annis
Seditio perdet Romanos.

Aliud ex Sibylla edidit ipse Nero apud Xiphilinum,

Ultimus Æneadum matrem necat Induperator.

A Et hic fuit Nero antiquæ Urbis demolitor; quem fortasse Seneca *ep.* 91. sub Timagenis nomine *fœlicitati Urbis inimicum* appellat, *& matrem interfecit* *.

CCXCVIII. Postquam adolevit Rheæ soboles, Romulus Remusque Casam alteram, eamque pauperem, incoluere; de qua Dionysius Halicarnasseus in *Antiquitatibus Romanorum* sic scribit: „ In montibus „ plerumque e lignis & arundine compin„ gentes humiles absque ulla contignatio„ ne casulas, vitam degebant, quarum „ UNA usque ad nostram ætatem durat in „ sinu, qui e Palatio deflectit ad Circum, co-

B „ gnominata Romuli, QUAM UT SA„ CRAM servant: quibus id mandatum „ est, nihil ea augustius exædificare sata„ gentes, quod si quid temporum, aut „ tempestatum injuria vitiatum fuerit, sar„ citur quantum fieri potest ad formam „ pristinam. Marlianus *l.* 2. *c.* 20. qui in Palatio recenset: „ Ex antiquissimis CA„ SAM ROMULI, qui cum pastoralem „ ageret vitam cum fratre ex lignis arundi„ nibusque sæpe tabernas struxit: quarum „ una fuit in angulo ex Palatio in Circum

Remanet apud Romanos Casa Romuli, & reparatur.

C „ ducente: angulum intellige, qui imminet Velabro: hanc Publius Victor in *Regione* x. describit, & in Palatio ait, ROMULI CASA, qua in Regione addit Panvinius TUGURIUM FAUSTULI, quod alii ad Capitolium indigitant. Hoc antiquitatis monumentum servabat Roma recens, unde trophæa totius terrarum Orbis sumserunt originem; restaurabat, colebat, admirabatur veluti virtutum exemplar, & fortitudinis penu; audiamus vel sero Horatium l. 2. *Carm.* od. 15.

D *Jam pauca aratro jugera regiæ*
Moles relinquent: undique latius
Extenta visentur Lucrino
Stagna lacu, platanusque cælebs
Evincet ulmos: tum violaria, &
Myrtus, & omnis copia narium
Spargent olivetis odorem,
Fertilibus Domino priori;
Tum spissa ramis laurea fervidos
Excludet ictus: NON ITA ROMULI
PRAESCRIPTUM, ET INTONSI CATONIS

E *Auspiciis, Veterumque norma.*
Privatus illis census erat brevis,
Commune magnum: nulla decempedis
Metata privatis opacam
Porticus excipiebat Arcton:
Nec fortuitum spernere cespitem
Leges sinebant.

Adversus divitias sui sæculi Horatius Romuli præscriptum occinit.

F Cruquius in *Commentariis* expendit præscriptum Romuli, castigatio Romanæ luxuriæ ab auctoritate & institutis majorum, apud quos religio erat inauspicato quicquam fieri, & citra modum. Vetus Scholiastes, contra majorum laboriosam frugalemque vitam Romuli & Catonis dicit luxum esse præsentem; quam normam viri potentissimi ab initio assecuti servaverunt, dum Roma pugnabat & vincebat; unde Latinus Pacatus in *Panegyrico* Theodosio Augusto eleganter dicto inquit: „ Sic „ agrestes Curii, sic veteres Coruncani, „ sic nomina reverenda Fabricii, cum in„ duciæ bella suspenderant inter aratra vi-

Romuli præscriptum.

Antiqui inter fasces & palmatam versabant tellurem.

*Hæc tria ultima verba non sunt Senecæ.

„ vebant; & ne virtus quiete languesceret, „ depositis in gremio Capitolini Jovis lau„ reis, triumphales viri rusticabantur; inde „ est, quod accepimus datos ferentibus „ fasces, & missas cum curulibus suis per „ rura palmatas, quod agricolas Consulares „ pastoresque trabeatos, & Dictatores in„ ter armenta vestitos. Plura Valerius Maximus *lib.* 4. *cap.* 4. de paupertate laudata; interim, Lector, hoc monitum tibi occinit Horatius lib. 2. *Carm.* od. 14. accipe, & illud pende,

Linquenda tellus, & DOMUS, & placens
Uxor: neque harum, quas colis, arborum
Te præter invisas cupressos
Ulla brevem Dominum sequetur.

Post mortem sola cupressus.

CAP. XXIII.

Gabii viri sapientes disciplinas liberales Romulum Remumque docent, & præcipue Auguria. De Romuli Lituo velitatio.

Parentum cura in educatione puerorum.

CCXCIX. CURA parentum, insignium aquilarum exemplo, ursæ sollicitudine, elephantorumque ingenio, pueros ad domus ac Reipublicæ res œconomicas bonarum artium institutione conformat; hinc viri principes filiorum illustres animas geniosque exercitatione firmant ad Regnum; Lycurgos, Catones, aliosque recenset Macrobius in secundo *Somn. Qui & Philosophiam hauserunt altius, & firmamentum Reipublicæ præstiterunt.* Pergit deinde ad Scipionem Africanum: *Qui statum publicum virtutibus fulcit.* Unde Quintilianus in *Dialog. de sui sæculi Orat.* inquit: „ Sic „ Corneliam Gracchorum, sic Corneliam „ Cæsaris, sic Attiam Augusti matrem „ præfuisse educationibus, ac produxisse „ liberos Principes accepimus. Stultus namque caret anima, sive, Anaximandro auctore, animæ præstantiam opprimit, ut sit in corpore tanquam sydus in nubilo, vel Sol eclipsim patiens, qui non lucet, sed inficit orbem: nec semper *e cratere sydereo Liberi Patris*, qui, teste Macrobio, *inter Cancrum est & Leonem locatus*, descensuræ Principum animæ merum putumque bibunt, ut non fæcem insuper exhauriant, oblivionis & ignorantiæ philtrum: isti cum Artaxerxe, qui ab Ægyptiis *Ocbus*, id est, Asinus, ob imperitiam & impietatem in recalcitrando dicebatur, sunt monstra, Regnorum exterminium, & Orbis pernicies; ideo inquit sapiens Hierocles, sicut monstrosa puerorum membra arte reficiuntur, & partium lineamenta conformantur in corpore, ita & ingenia studiorum ope & industria excitantur. Exemplum proponit Tullius in *Scipione*, unde Macrobius *lib.* 2. *cap.* 17. ubi de exercitatione scribit, Romulum Herois ideam proponit: „ Sæpe evenit, ut idem pectus „ & agendi & disputandi perfectione su„ blime sit, & cælum utroque adipiscatur „ exercitio virtutum. ROMULUS nobis „ in primo genere ponatur, cujus vita vir„ tutes nunquam deseruit, semper E„ XERCUIT.

Stultus vix habet animam.

Exercitatio pueros ad virtutem ducit.

CCC. Sic Numitor altum sapiens, nepotes, qui infantiam excesserant, a pastorum contubernio, rudium, agrestiumque hominum conversatione sepofuit, misitque ad Gabios, ut ediscerent: tradit hanc bonæ mentis operam Ælius Tubero, ac Calphurnius; & Dionysius in primo *Antiquitatum* ait: „ Amotos a nutricis uberibus „ pueros, Gabios, ajunt, (urbem non „ longe a Palantio dissitam) a nutriciis de„ portatos, ut Græcis ibi disciplinis imbue„ rentur: ibique apud Faustuli hospites „ educatos litteris, & MUSICA, tractan„ disque armis institutos, donec pubertatis „ annos attigissent. Aurelius Victor rem firmat: *Cum pueri libertatis disciplinæ capaces facti essent, Gabiis Græcarum Latinarumque litterarum ediscendarum gratia commoratos; Numitore avo clam omnia subministrante*; nec aliter Diocles Peparethius ac Fabius Pictor; ex quo Plutarchus, *conscio Numitore, & alimenta suppeditante secreto Remo ac Romulo, pueros litteris omnique liberali disciplina Gabiis tradunt instituendos*. Sic de Moyse apud Philonem & Clementem Alexandrinum legimus, & Apostolus ac Martyr Stephanus omnem Ægyptiorum eruditionem didicisse tradit, ita ut Justinus Martyr etiam Hieroglyphica, sapientum ac divinitatis arcana adamussim apprehendisse testetur; de Cyro Xenophon similia scribit; & erudite Julianus Desertor in *Orat.* prima ad Const. Imp. ait: „ Tibi Regia educatione opus „ erat, quæ partim CORPUS IPSUM ad „ firmitatem, ac robur, optimumque ha„ bitum, ac pulchritudinem conformaret; „ partim animum ad fortitudinem, & ju„ stitiam, temperantiam, ac prudentiam „ scite compararet. Hoc est apud Phavorinum *recentem indolem configurare*.

Romulus & Remus apud Gabios erudiuntur.

Musicam addiscunt.

Et Græcas literas.

Numitor alit pueros.

Pueri indigent exercitiis virtutum.

CCCI. Erant apud Veteres puerorum Gymnasia, in quibus corpora & animi exercerentur; præcipue apud Lacedæmones simul puellæ exercebantur, illæque nudæ una cum adolescentibus palæstram inire consertis viribus cogebantur; etenim Plutarchus de Lycurgo scribit: *In Lyceo Gymnasium fecit, ac plantavit, Palæstramque ædificavit.* Similiter apud Athenienses, qui loca illa Gymnasia nuncupabant: Græcorumque fuit mos simul pueros erudire & exercere: Ælianus lib. 6. *Hist. Anim.* cap. 15. *Jasensium Gymnasium mari imminet: illic ephebi post cursus & palæstras mare ingressi, antiquitus recepto more, lavabant, & natationi indulgebant*. Alexander *lib.* 3. *cap.* 9. illa recenset: „ In Xy„ stis velut in Gymnasiis nudi exerceban„ tur: Xystos autem longas fuisse porti„ cus ampla latitudine, & Gymnasium, „ ubi ambulationes essent, & arbores ple„ rumque digestæ, in quibus Athletæ hy„ bernis sæpe temporibus luctabantur, „ quas Græci Hypætras, seu Paradromidas „ dicunt, instar illorum, quæ in Attica „ fuere Gymnasia, quæ tria vel maxime „ memorantur, Lyceum, Cynosarges, & „ Academia. De quibus Vitruvius *lib.* 5. *cap.* 2. plura depromit. Cynosarges apud Athenienses, teste Pausania in *Atticis*, *ab alba cane* dicebatur; *templum Herculis ubi Gymnasium & lucus erat*, inquit Livius *l.* 1. *dec.* 4. ibi exercebantur juvenes; testa-

Gymnasia puerorum.

Eorum exercitia.

Xystus.

Lucta.

Cynosarges

A turque Plutarchus: *Themistocles nonnullos induxit ex nobilitate juvenes, ut se in Cynosarges comitarentur*; ad hæc virtutum studia pueros olim mittebant; præcipue Romani, exemplum Romuli alta mente secuti; asseritque Valerius Maximus *lib.* 1. *E florentissima tum & opulentissima civitate decem Principum filii SC. singulis Etruriæ populis percipiendæ sacrorum disciplinæ gratia tradebantur*; Pythagoras in *Carminibus* ait, *Potuesque cibique modus sit exercendi*: ad quæ Hierocles, *Exercitationes docile corpus ad virtutum opera efficiunt*.

Romanorum cura erga pueros.

B CCCII. Olim Gabii Græcorum institutis præstantissimi censebantur, ad quos Romulum ac Remum misisse Faustulum legimus; de istis scribit Strabo lib. 5. *Geogr. A sinistro Latinæ Viæ latere, inter eam & Valeriam jacent Gabii in Via Prænestina*: a Stephano Volscorum urbs dicitur LXX. mill. pass. a Roma distans. Solinus Catonem secutus a Siculis eorum urbem ædificatam credidit, scribit enim *c.* 2. *Gabios a Galato & Bio Siculis fratribus ædificatos*; istorum terræ pars semper tre-
C more concutitur, unde Plinius *lib.* 2. *c.* 94. ait: *Quædam terræ ad ingressus tremunt: sicut in Gabiensi agro non procul ab Urbe Roma, jugera ferme ducenta, equitantium cursu*. Gens armorum pondere ferox usque ad Tarquinium Romanorum Regem semper restitit; fraude tandem non vi militum corruit; de istis Virgilius lib. 7. *Æneid.* vers. 685.

Gabii.

Eorum urbem Siculi ædificant.

—— non illis omnibus arma,
Nec clypei, currusque sonant: pars maxima glandes
Liventis plumbi spargit; pars spicula gestat
D *Bina manu, fulvosque lupi de pelle galeros*
Tegmen habet capiti; vestigia nuda sinistri
Instituere pedis; crudus tegit altera pero.

Eorum arma.

Tandem Tarquinii fraus, cum Romanus miles repulsam non semel cladem que pateretur, præstantes robore vicit; enarratque Livius dolum *l.* 1. *dec.* 1. „ Tarquinius „ primus Volscis bellum in ducentos am„ plius post suam ætatem annos movit: „ Suessamque Pometiam ex his vi cepit:
E „ excepit deinde eum lentius spe bellum, „ quo Gabios propinquam urbem nequic„ quam vi adortus, cum obsidendi quoque „ urbem spes pulso a mœnibus adempta es„ set, postremo minime arte Romana, „ fraude ac dolo aggressus est. Zonaras etiam scribit, *Gabios infeliciter adortus dolo superavit*: fraudem refert Lucius Florus *l.* 1. *c.* 7. „ Neque filium verberare dubita„ vit, ut simulanti transfugam apud ho„ stes hinc fides esset: cui Gabiis, ut vo„ luerat, recepto atque per nuncios con-
F „ sulenti, quid fieri vellet, eminentia for„ te papaverum capita virgula decussit, „ quum per hoc interficiendos esse Princi„ pes intelligi vellet. Hoc Gabiorum excidium, quandoquidem absque capite corpus civitatis corruit.

Tarquinius astu & dolo Gabios vicit.

Historia captivitatis Gabiorum.

Papaverum capita Principes denotant

CCCIII. Ad Gabios igitur missi, disciplinas liberales perceperunt, Græcorumque more exercitationes quam maximas, inter alios genio ac virtute præcellentes, habuere; enimvero teste Plutarcho in

Gymnasia apud Græcos.

Quæst. Rom. apud Græcos Gymnasia & Palæstra cœperunt, juvenumque exercitationes: hinc apud Athenæum l. 14. *Deipnosoph.* inquit Amphion Thespiensis lib. secundo de Museo, quod est in Helicone: *Ambo hæc præstiti, saltavi, & musicam docui homines:* quam Dionysius Romulum cum fratre ex Gabiis didicisse scribit, & a Conone *Musicus peritissimus* nuncupatur; hæc olim in pretio apud Veteres, rationemque Athenæus *l.c.* tradit: *Figurationes corporis probas choris adaptabant, & ex choris assumtas Palæstris, Musica, & sedula corporis exercitatione ad nanciscendam animi fortitudinem proficientes.* Cantabant & stabant: unde corpus exercitatione vigebat, & animus ad numeros compositus augebatur; ob id videlicet in suis *Poematibus* Socrates inquit, eos qui optime saltant ad bellicas res esse idoneos: *Qui choris religiosissime deos venerantur sunt in bello strenuissimi;* Archilochus eximius Poeta gloriatur quod civilia possit obire certamina,

Musicam addiscunt Romulus & Remus.

De Musica & Palæstra.

Qui optime saltant bene prælia conficiunt.

Martis Regis cultor sum,
Amabile Musarum donum ego quoque didici.

Asseritque Athenæus, *apud Priscos hortamentum ad virtutem Musica fuit.* Alcæus Poeta, si quis alius Musices scientissimus, pugnacem strenuitatem anteponit Poeticæ, plus justo bellicosus,

Musica & bellum.

Splendet mea magna domus ære.
Totum tectum Mavortiis ornatum est galeis nitidis:
Ex his cassibus nutant candidæ, ex equino pilo cristæ,
Hominum fortium insignia: occultis muro clavis
Undique affixæ sunt ocreæ splendidæ, munimenta
Contra sagittas: tum etiam linei thoraces novi,
Cavaque scuta superinjecta, & hæc prope enses Chalcidici,
Balthei multi, & paludamenta non silenda,
Quandoquidem eorum cura imprimis habenda est.

Gymnasii armorum apparatus.

Hoc erat Gymnasium Alcæi: qui Musicæ armisque operam dabant, nec sine cantu bellum, idque observabat Athenæus: *Fortissimi quidem Lacedæmonii cum tibia sub signis sunt: Cretenses cum lyra: cum fistulis & tibiis Lydi,* quod scribit Herodotus. Ex Barbaris multi Legatos ad hostes cum tibiis & cithara mittunt: Theopompus libro 46. *Historiarum* tradit: *Getarum Legatos citharas pulsantes advenire;* unde verisimile est Homerum priscum illum Græciæ statum & morem conservantem dixisse,

Ad bellum cum Musica procedentes.

* Φόρμιγγος θ', ἣν δαιτὶ θεοὶ ποίησαν ἑταίρην,
Citharæ quam sociam epularum dii fecerunt.

* Sic iste versus legitur apud Athenæum *l.* 14. *c.* 6. at paulo aliter in Edit. Homeri effertur, *Odyss.* 8. vers. 99.

Φόρμιγγος θ', ἣν δαιτὶ συνήορός ἐστι θαλείῃ.

A Tanquam utilis etiam convivantibus ars musica sit; ostenditque Romulus in bello & conviviis Alexandro major, ad utrumque sobrie ac fortiter promtus.

Musica in conviviis belloque opportuna.

CCCIV. Insuper Juri dederunt operam, occinitque Ovidius lib. 3. *Fast.* vers. 61.

Juri dederunt operam.

*Omnibus agricolis armentorumque ministris**
Iliadæ fratres JURA *petita dabant.*

Vetus jus Naturæ servabat ordinem, sibi & Patriæ consulens, quod Scipio in *Somnio* Tullii didicit, expenditque Macrobius *l.* 1. „ Justitiæ est, servare unicuique „ quod suum est; de Justitia veniunt inno„centia, amicitia, concordia, pietas, reli„gio, affectus, humanitas. Hæc a primo jure proveniunt, ideo Tullius *de Leg.* lib. 1. docet, Juris disciplinam ex intimis Philosophiæ esse hauriendam: quam Pythagoras intra cancellos legum occlusit; Claudianus l. 2. *de laudib. Stilichonis* vers. 103.

B

Justitia laus.

Justitia utilibus rectum præponere suadet,
Communesque sequi leges, injustaque nunquam
Largiri sociis.

C

Et denuo de *Consulatu Mallii Theod.* vers. 192.

Te propter colimus leges, animosque ferarum
Exuimus.

CCCV. Addamus exercitationes, cursu, lucta, & equo, ad omnia promti juvenes præstabant; testatur vetus Auctor Diocles, cujus fragmentum sic recitant: *Apud Gabios in Gymnasiis exercitati, mirum in modum currendo ac luctando coætaneos vincebant, equorumque fræna tractabant.* Ad hæc notandum ex Platone Dialog. 7. *de Legibus*: Οἰκοδομίαι μὲν εἴρηνται γυμνασίων ἅμα καὶ διδασκαλείων κοινῶν τριχῆ κατὰ μέσην τὴν πόλιν· ἔξωθεν δὲ ἵππων αὖ τριχῆ περὶ τὸ ἄστυ, γυμνάσιά τε καὶ εὐρυχώρια, τοξικῆς τε καὶ τῶν ἄλλων ἀκροβολισμῶν ἕνεκα διακεκοσμημένα, μαθήσεώς τε ἅμα καὶ μελέτης τῶν νέων ..... διδασκάλους ἑκάστων πεπεισμένους μισθοῖς, οἰκοῦντας ξένους, διδάσκειν τε πάντα ὅσα πρὸς τὸν πόλεμον ἐστὶ μαθήματα τοὺς φοιτῶντας, ὅσα τε πρὸς μουσικήν, *Gymnasiorum doctrinarumque publica ædificia tripartito in media urbe locanda sunt: foris quoque equorum gymnasia in suburbiis similiter tripartito; loca insuper ampla ordinata, ubi juventus ad arcum & telorum jactum instruatur exerceaturque ...... illorumque omnium peregrini* MAGISTRI *pretio conducendi, qui illic habitantes, & ad* REM MILITAREM, *& ad* MUSICAM *venientes instituant.* Expenditque Platonem magnus Facinus†: „ Distinguit numerosum motum in duo genera, in Musicam scilicet „ & Gymnasticam: prima enim spiritum „ atque animum, secunda vero humores „ membraque componimus. Sub nomine

D

Exercebantur cursu, lucta, &c.

E

Gymnasia.

F

Music.

* Alii, *magistris*.
† Rep. *Ficinus*.

„ qui-

„ quidem Musicæ, non modo cantum & „ sonum, sed Poesim etiam, & quæ ad „ figurarum ordinem pertinent, comprehendit; sub nomine vero Gymnasticæ, „ motus omnes corporis in præludiis ludisque certaminum atque præliis. At „ choream saltationemque ex utrisque „ quodammodo mixtam intellige. Hæc ille, quibus omnibus navasse operam infra videmus, ubi choreas, certamina, equorum concursum, & prælia excellenter peregit.

Gymnastica.

Lingua Græca.

CCCVI. Addamus ex Dionysio *Linguam Græcam* addidicisse; quam *dulcissimam* Stephanus vocat, & *lepore plenam* Cælius. Ideo Latini Græcas voces affectasse videntur, etiam in carminibus, notabatque Macrobius lib. 6. *Sat.* cap. 4. Virgilium more majorum verba ex Græcis transtulisse: *Inseruit Operi suo Græca verba, sed non primus hoc ausus: hac licentia largius sunt usi Veteres, parcius Maro, quippe illi dixerunt, & pausam, & machæram, & acaciam*, & malacen, & alia similia; Auctorem enim veterum delectum secutus est: Dependent lychni laquearibus aureis*, occinit; sicut Ennius antea *Lychnorum lumina bis sex:* Lucretius *lib.* 5. verf. 295.

Quin etiam nocturna tibi, terrestria quæ sunt,
Lumina, pendentes lychni.

Verborum delectus e Græcia.

Lucilius in primo, *Porro Chænopodas, Clinopodas, Lychnosque*: dixit insuper, *Nec lucidus æthra syderea polus:* Ennius prior dixerat in decimo sexto, *Oceanumque rubra tractim obruit æthra:* addidit dicens *Dædalam Circen:* quia Lucretius dixerat † *Dædala tellus.* proinde, *Reboant sylvæ, & magnus Olympus*, quia est apud Lucretium ‡,

Nec cithara reboant laqueata aurataque tecta.

Erat tunc in pretio, quia Italiam Græci tenuere, ut Plinius *lib.* 3. *cap.* 5. de Italia tradit. Nam Cato & Sempronius apud Dionysium Halicarnasseum lib. 1. *Antiquitatum, opinati sunt a Græcis oriundam nationem Aboriginum*, quæ Italiam occupavit, & Urbem Romam *Valentiam* ab illis nuncupatam dicunt. Igitur tanquam Linguam principem illam habebant præcipue in sacris, & deinde qui Rempublicam curabant, illam addiscere conabantur, ut de Augusto inquit Suetonius.

Mathematica.

CCCVII. Mathematicam omnium fere necessariarum domi militiæque præstantissimam apprehendisse, demonstrant Urbis munimenta, moles domorum, castrametationesque: Livius enim ait: *Romulus Palatinum primum, in quo ipse erat educatus, muniit.* Platurchus *Orbem & fossam* offert, *Urbemque Quadratam:* hac in re magistrum fortasse habuit Pallantem, si Manasses Græcus Auctor non mendax occinit,

Pervenit inde Romulus locum ad oppidi
Pallantium dicti suo a ductore, qui
Pallas vocabatur; situm designat hic,
Urbisque formam mente mox delineat.

Mathematici cur dicta.

Designasse Archimedem, quæ mente deprehenderat, novimus; & Cæsar suis in *Commentariis* hanc sibi arrogat artem, Duci opportunam ac omnino necessariam; A. Gellius lib. 1. *Noct. Attic.* cap. 9. „ Quo- „ niam Geometriam, & Gnomonicam, „ Musicam, cæterasque item disciplinas „ altiores μαθήματα veteres Græci appel- „ labant; vulgus autem, quos gentilitio „ vocabulo Chaldæos dicere oporter, Ma- „ thematicos dicit. Exinde his scientiæ „ studiis ornati ad perspicienda Mundi „ opera & principia naturæ procede- „ bant.

Anni computus.

CCCVIII. Hinc Mundi, cælorumque ordinem, & astrorum motus Romulus ingeniosissimus assecutus, etiam Annum reformavit, & sub albo dierum revolutiones depromsit. Testantur Ovidius, Macrobius, Dionysius, & alii, quos infra dabimus. Hanc Astronomiæ partem laudat Plato in *Epinomide* dicens: Ἀστρονομίαν ἀγνοεῖτε ὅτι σοφώτατον; ἀνάγκη τὸν ἀληθῶς Ἀστρονόμον εἶναι, μὴ τὸν καθ' Ἡσίοδον ἀστρονομοῦντα, καὶ πάντας τοὺς τοιούτους, οἷον Δυσμάς τε καὶ Ἀνατολὰς ἐπεσκεμμένον· ἀλλὰ τὸν τῶν ὀκτὼ περιόδων τὰς ἑπτὰ περιόδους, διεξιούσης τὸν αὐτὸν κύκλον ἑκάστης. *Nolite ignorare Astronomiam sapientissimum quiddam esse; nempe necesse est verum Astronomum esse, non eum, qui secundum Hesiodum, omnesque hujusmodi, Occasum Ortumque consideret, sed eum potius qui circuitus octo, & quomodo septem cum primo versentur, quove ordine circulos suos singuli peragant.* Calluit cælesti hac disciplina ita eminenter Romulus, ut Annum mensium confinio referret ad calculum; quod tandem Cæsar a fenissimo quodam Ægyptio didicit, & Romæ, teste Suetonio, Princeps ac Pontifex Calendarium edidit. Manilius ad regales animos tantum pertinere opus occinit in primo *Astronomicorum*,

Regales animos primum dignata movere,
Proxima tangentes rerum fastigia cælo.

Astronomiæ laus.

Istos Plinius *Viros ingentes* appellat: Ovidius *Felices animas*. An quia a Regibus Chaldæorum ortum habuit? equidem Suidas affirmat. An quia Regum filii a Chaldæis illam discentes profitebantur? ex Platone testatur Ficinus. An quia Mercurius apud Ægyptios Rex Astronomiam adinvenit & docuit? sic Firmicus inquit, *Æsculapio & Anubi potentissimum Mercurii numen istius scientiæ secreta commisit;* & Manilius *lib. cit.*

Augur Romulus.

Tu Princeps, Auctorque sacri Cyllenie tanti;
Per te jam cælum in terris, jam sidera nota.

CCCIX. Hinc ab Astrono[illegible] Astrorum superstitio & Magia, [illegible] Bactriano, Osthane, & Zoroastr[illegible]

* Alii, *asotian.*
† lib. 1. verf. 228.
‡ lib. 2. verf. 28. ubi pro *cithara* legitur *citharis*, & *templa* pro *tecta*.

De lituo. enimvero Augur Romulus, insignitus lituo, admiranda peregit; enarratque Plutarchus: Τὸν Ῥωμύλον διαφερόντως θεοσεβῆ, ἔτι δὲ μαντικὸν ἱστοροῦσι γενέσθαι, καὶ φορεῖν ἐπὶ μαντικῇ τὸ καλούμενον λίτυον. *Romulum tradunt fuisse mire religiosum, augurandique peritum, atque ob eam scientiam* LITUUM *gestasse*. A. Gellius *lib.* 5. *cap.* 8. & Hyginus, quid sit lituus, perhibent: *Lituus est virga brevis, in parte, qua robustior est, incurva, qua* AUGURES *utuntur:* Plutarchus eodem pacto ait: Ἔστι δὲ λίτυος καμπύλη ῥάβδος, ᾗ τὰ πλινθία καθεζόμενοι ἐπ᾽ οἰωνῶν διαγράφειν, *Est lituus bacillum incurvum, quo qui auspicantur templa capiunt.* Videlicet terrarum Orbis partes, cælorumque Regiones, quæ apud Varronem templa dicuntur. Lituum pro sceptro gestabat Picus, occinitque Virgilius lib. 7. *Æneid.* verf. 187.

Ipse Quirinali lituo, parvaque sedebat
Succinctus trabea, lævaque ancile gerebat.

Expendunt apud Macrobium carmen, ac si *Quirinalem lituum* Vatum maximus cecinisset, analogia deducta a Romulo: hinc A. Gellius exquirit: „ Utrum lituus auguralis a tuba, quæ lituus appellatur, an „ tuba a lituo augurum lituus dicta sit? „ Utrumque enim pari forma, & pariter „ in capite incurvuum est: sed si, ut quidam putant, tuba a sonitu lituus appellata est ex Homerico versu, Λίγξε βιός, „ necesse est ita accipi, ut virga auguralis „ a tubæ similitudine lituus vocetur: utitur autem vocabulo isto Virgilius * pro „ tuba,

An ex tuba dictus?

Et lituo pugnas insignis obibat & hasta.

Hucusque Aulus Gellius: similiter Horatius *ad Mæcenatem* lib. 1. *Carm.* od. 1.

Lituus, Tuba.

Multos castra juvant, & lituo tubæ
Permistus sonitus. ——

Juvenalis *Satyr.* 14. verf. 198. litui etiam meminit,

—— *aut longos castrorum ferre labores*
Si piget, & tepido † solvunt tibi cornua ventrem
Cum lituis audita.

Urbe conflagrante Romuli lituus non uritur. Litui Auguris Romuli historiam scribit Tullius in lib. 1. *de Divinat.* „ Quia lituus iste vester, quod clarissimum est insigne auguratus, unde vobis est traditus? Nempe eo Romulus Regiones direxit tunc cum Urbem condidit; qui quidem Romuli lituus (id est, incurvum & leviter a summo inflexum bacillum, quod ab ejus litui, quo canitur, similitudine nomen invenit) cum situs esse in Curia Saliorum, quæ est in Palatio, eaque deflagrasset, INVENTUS EST INTEGER. Cessit ignis lituo,

* Lib. 6. *Æneid.* verf. 167.
† Rest. *trepidum*.

A quia cum Inferno pepigerat fœdus, & flamma non combussit lignum auctorem incendii, quo æstuaverat Augur; hanc historiam refert Plutarchus in *Romulo:* Λίτυον ἐν Παλατίῳ φυλαττόμενον ἀφανισθῆναι ἱστοροῦσι παρὰ τὰ Κελτικὰ τῆς πόλεως ἁλούσης· εἶτα μέντοι τῶν βαρβάρων ἐκπεσόντων, εὑρεθῆναι κατὰ τέφρας βαθείας, ἀπαθὲς ὑπὸ τοῦ πυρὸς, ἐν πᾶσι τοῖς ἄλλοις ἀπολωλόσι καὶ διεφθαρμένοις. *Lituum in Capitolio ferunt servari solitum, sed capta a Gallis Urbe perditum: mox ejectis illis inter cætera incensa omnia & corrupta, multo obrutum cinere inventum fuisse, intactum autem ab igne.* An erat ista virga, qua Magi utebantur ad sacra? equidem Picus a Circe maleficio affectus præter alia hanc habuisse fertur, ut Augur, & Rex præstaret in Latio. Alexander *lib.* 1. *cap.* 28. ait: *Romanis Regibus lituus cuspide incurva, qui etiam virga auguralis erat, sceptri loco est habitus.* Servius in 7. *Æneid. Regium baculum* vocat, *in quo potestas erat dirimendarum litium*, & male a lite lituum fecit: potius a tuba lituus, & ad auguria ac magica aptus: unde Martianus Capella *lib.* 2.

Lituus sceptrum erat, & virga auguralis magica.

Cujus vigente virga
Dirum stupet venenum.

Statius lib. 2. *Theb.* virgam medicam occinit,

It tamen, & medica firmat vestigia virga.

Virgilius lib. VII. *Æneid.* verf. 189. de Circe, quæ Picum transformavit in avem:

Picus equum domitor, quem capta cupidine conjux
Aurea percussum virga versumque venenis
Fecit avem Circe.

Ovidius lib. 14. *Met.* verf. 387. de eodem Pico & Circe,

Ter juvenem baculo tetigit, tria carmina dixit.

Usque modo virga utuntur Magi, & venenata exquirunt pharmaca, de quibus Apulejus in *Apologia* 1. ex Lævio Poeta *:

Veneno & virga utuntur Magi.

Antiphates illud quæritur
Trochiscili, iynges, tæniæ,
Radiculæ, herbæ, surculi,
Aureæ ilices, bichordilæ,
Hinnientium dulcedines.

Virgilius Medeæ facinus secutus occinit lib. 4. *Æneid.* verf. 514.

Pubentes herbæ nigri cum lacte veneni.

Memorare possem proinde Theocriti paria, & alia Homeri, & Orphei plurima, & ex Comœdiis, & ex Tragœdiis, & Historiis multa repetissem, nisi obvia prosta-

* Videsis doctiss. Casauboni in hunc locum notas.

rent in triviis. Sed quid *venena* juvant? An Diabolus immutat hominum corpora in bruta, herbarum lapidumque vi? ita putat Plutarchus in libello *de Anim. loq.* Apulejus in *Philosophica Metamorphosi*, & Virgilius lib. VII. *Æneid.* vers. 19. præeunte Circe homines in feras conversos occinit,

An venena transforment homines arte Dæmonum?

Quos hominum ex facie dea sæva potentibus herbis
Induerat Circe in vultus ac terga ferarum.

Et Plinius *lib.* 25. *cap.* 2. „Certe quid non „replevere fabulis Colhis Medea, aliæ„que, inprimis Itala Circe, diis etiam „adscripta? Unde arbitror natum, ut „Æschylus, e vetustissimis in poetica, „refertam Italiam herbarum potentia „proderet. Sed an in herbis hæc potentia? dementare posse arbitror, dum organa mentis perturbant, efformare aliud corporis organum nego; ideo herbas & cantamina nectunt: ut Plato lib. 4. *de Republica* statuit, & in *Charmide incantationem cum medicamento* conjungendam esse profitetur; Ammianus Marcellinus *lib.* 16. *cap.* 8. *anile incantamentum Medicinæ admittere auctoritatem* ait. Sed an Diabolus potest vim herbarum ita augere, ut corpora transformet? negatur omnino; sed potius evertit imaginationem illorum, ut bruta se miserrima credant, quod in fatuis plerumque videmus; circumspicientium vero fallit idolis obtutum, ut brutum pro homine videant; hæc illusor peragit; nam in homine Dei imago recolitur, etiam in externa corporis forma, ut probamus in nostris *Comment. super Gen.* quam Diabolus permutare non valet; alioquin ordo, quo processit Creator, & bruta subjecit pedibus hominum, & hominem templum Dei, in quo Spiritus Sanctus inhabitat, effecit, tanto molimine ad nihilum redigeretur. Imo quia Diabolus bruta ex se generare non potest, neque ex hominibus depromere bruta posse dicendum; sed species illudit & fallit.

Ad medicinam cantamina an conferunt?

Divinatio.

CCCX. Fuit proinde Augur Romulus, & auspicato Urbem condidit, quam lituo designasse fertur; An quia divinavit Orbis Imperium? equidem in *Phædro* Plato divinationem augurio nectit: „Sane inve„stigationes futuri sanorum hominum „per aves & alia ostenta utpote a conje„ctura humanæ intelligentiæ proceden„tes, mentem, historiamque auguralem „cognominaverunt; & Tullius *de Divinatione*, *opinabilem divinationem* existimavit non procul ab auguriis, quæ non solum a Gabiis, sed insuper ab Etruscis didicisse fatemur.

CAP. XXIV.

Romuli Remique exercitationes, cursus, venatio, lucta, præda, ludi, quibus inter pastores imperii specimen victores ostendebant.

Exercitationes Romuli & Remi.

CCCXI. CUM primum præstanti specie, ac robore insigni, disciplinarumque omnium censu, adoleve- A re juvenes, patris numen geniumque secuti, præ cæteris illustria quæque facinora aggrediebantur; hinc sylvarum condensa ac montium juga lustrabant, feras venatione, coætaneos adolescentes cursu vincebant, cunctisque admirantibus, velut Heroum genus imperabant; quod Dionysius Halicarnasseus lib. I. *Antiquitatum* non siluit: Οἱ δὲ ἀνδρωθέντες γίνονται κατά τε ἀξίωσιν μορφῆς καὶ φρονήματος ὄγκον, οὐ συοφορβοῖς καὶ βουκόλοις ἐοικότες, ἀλλ' οἵους ἄν τις ἀξιώσειε τοὺς ἐκ βασιλείου τε φύντας γένους, καὶ ἀπὸ δαιμόνων σπορᾶς γενέσθαι νομιζομένους. B *Ubi ad viriles annos pervenerunt, non illi subulcis bubulcisque similes erant; sed (ut par erat)* FORMAE DIGNITATE, ANIMIQUE MAGNITUDINE *viros Regum ac numinum satu editos referebant.* Sicut Sol inter nubila radiis occlusus coruscat, ita Principum soboles paupertatis indumento adversus fortunæ tenebras genio splendet & forma; nobilitatis incrementa educatio auget, asseritque in prole Martis sapiens Livius: „Ita geniti, ita EDUCATI, cum pri- C „mum adolevit ætas, nec in stabulis, „nec ad pecora segnes, VENANDO per„agrare saltus: hinc robore corporibus „animisque sumto, jam non feras tantum „subsistere, sed in latrones præda onustos „impetum facere, pastoribusque rapta „dividere: & cum his crescente in dies „grege juvenum FERIAS AC JOCOS „celebrare. Plutarchus idipsum enarrat in *Romulo*: Ἡ μὲν οὖν ἐν τοῖς σώμασιν εὐγένεια, καὶ νηπίων ὄντων, εὐθὺς ἐξέφαινε μεγέθει καὶ ἰδέᾳ τὴν φύσιν· αὐξόμενοι δὲ, θυμοειδεῖς ἦσαν ἀμφότεροι καὶ ἀνδρώδεις, καὶ D φρονήματα πρὸς τὰ φαινόμενα δεινὰ, καὶ τόλμαν ὅλως ἀνέκπληκτον ἔχοντες. *Geminorum in prima ætate corporis præstantia indolem* ex PROCERITATE ET FORMA *ostendit, & cum adolescerent acres ambo & fortes, atque ad objecta pericula magnanimi fuerunt, planeque intrepidi.* Zonaras describit Remum, *adolescentem magnitudine & robore præstantem.* Ovidius geminorum formam lib. 2. *Fast.* describit vers. 397.

Ut filii Martis se gerebant.

Corporis proceritas.

Forma digna Imperio.

Si genus arguitur vultu, (nisi fallit imago)
Nescio quem e vobis suspicor esse deum.

E

Enimvero a vultu cognoscitur vir Heroum genere conspicuus: Seneca in *Hippolyto* vers. 829. de Theseo inquit,

Sed iste quisnam est REGIUM *in vultu decus*
Gerens, & alto vertice attollens caput?

F

Addit Claudianus *in Nupt. Honorii & Mariæ* vers. 262.

—— quamvis aliena fuisses
Principibus, Regnum poterat hoc ore mereri;
Quæ proprior sceptris facies? quis dignior aula
Vultus erit?

Lucanus de Pisone canit,

Sed super ista movet plenus gravitate serena
Vultus, & insigni præstringit imagine visus.

Æmilius Probus de Iphicrate scribit: *Fuit animo magno ac corpore Imperatoria forma, ut ipso adspectu cuivis injiceret admirationem sui.*

CCCXII. Adnotabat, majestatem a forma & corporis præstantia promanare, Plinius Secundus in *Panegyrico ad Trajanum*: *Jam firmitas, jam proceritas corporis, jam honor capitis, & dignitas oris, nonne longe lateque Principem ostentant?* Unde Eumenius ad Constantinum inclamat: *Nec frustra doctissimi viri dixerunt, naturam ipsam magnis mentibus digna corporum domicilia metari.* Et Latinus Pacatus ad Theodosium Imperatorem, *virtus meruit quidem Imperium, sed virtuti addidit forma suffragium.* Vere decet Principem virili præstantem forma imperare, ut Xenophon in *Cyropædia* asseruit. Venustas enim, teste Tullio lib. 2. *de Officiis*, *dignitatem virilem præfert.* De Turno Virgilius occinit lib. 7. *Æneid.* vers. 784.

Principis imago.

Ipse inter primos præstanti corpore Turnus
Vertitur arma tenens, & toto vertice supra est.

Ad quæ calculum sacer contextus addidit, ubi Absalonem pulcherrimum perhibet, virorum corda sollicitasse ad Imperium: & de Saulo primo Hebræorum Rege inquit, super omnes sustulisse humeros, ideoque dixit Samuel ad universum populum, *certe videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo.* An quia corpus est animæ domicilium, grande, & pulchrum denotat illustre animæ grandis specimen? An quia ab externo interna argumentari licet? An potius insigne corporis decus & proceritas optimum temperamentum demonstrant ad ingentia compactum? An quia allicit pulchritudo, & forma præstans Imperium sibi affectat? An quia bonum, quod videtur, Creatoris bonitatis, quæ est ipsa pulchritudo, præ cæteris particeps ostentat, ut regnet? Audiamus Athenæum lib. 13. cap. 2. *Deipnosoph.* Ἐπαινῶ δὲ καὶ αὐτὸ τὸ κάλλος· καὶ γὰρ ἐν ταῖς εὐανδρίαις τοὺς καλλίστους ἐκκρίνουσι, καὶ τούτους πρωτοφορεῖν ἐπιτρέπουσιν. Ἐν Ἤλιδι δὲ καὶ κρίσις γίνεται κάλλους, καὶ τῷ πρώτῳ τὰ τοῦ θεοῦ φέρειν τεύχη δίδοται. *Pulchritudinem equidem magnifacio; nam quibus in civitatibus magnus est virorum bonorum fortium ac bellicosorum numerus, pulcherrimos seligunt, & obtinere primas illos sinunt. In Elide pulchritudinis etiam fit judicium, quem pulcherrimum esse Judices pronunciarunt, dei vasa ferenda illi traduntur.* Heraclides Lembus narrat: Κατὰ τὴν Σπάρτην θαυμάζεται μᾶλλον ὁ κάλλιστος καὶ γυνὴ ἡ καλλίστη. *Apud Lacedæmonios virum pulcherrimum in admiratione magis fuisse, quam venustissimam fœminam.* De Hierone, quem deportatum eodem Romuli fato legimus, Justinus *lib. 23. cap. 4.* inquit: „Pulchritudo ei corporis insignis, „vires quoque in homine admirabiles fue„re: in alloquio blandus, in negotio ju„stus, in imperio moderatus; prorsus ut „nihil ei regium deesse præter Regnum „videretur. Etiam Neronem post obitum coluere, infamis memoriæ, sed formæ pulcherrimæ Principem, ait Suetonius.

Corpus pulchrum animæ domicilium.

Pulchritudinis vis & commendatio.

Privilegia.

CCCXIII. Pulchritudine, proceritate, & virtutum omnium laude præstabant gemini, enarratque eorum gesta Justinus *lib. 43. cap. 2.* „Martis pueros fuisse, sive, „quod in luco Martis enixi sunt, sive „quod a lupa, quæ in tutela Martis est, „nutriti, velut manifestis argumentis cre„ditum. Nomina pueris, alteri Remo, „alteri Romulo fuere. Adultis inter pa„stores virtute quotidiana certamina, „& vires, & pernicitatem auxere; non mollis vitæ cultus, non inertia, ac turpitudo pueros hebetavit, sed rustica quæque facinora ita durarunt membra, ut cunctos præcellerent: hæc olim exercitamenta Italorum gens prætulit, eaque dedicerunt a Gabiis pueri; jactabatque in Trojanos viriliter Numanus, cujus verba occinit Virgilius l. 9. *Æneid.* vers. 603.

Romulus & Remus pulchri, proceri, virtute præditi.

Exercitationes in usu apud Latinos.

Durum a stirpe genus; natos ad flumina primum
Deferimus, sævoque gelu duramus & undis.
Venatu invigilant pueri, sylvasque fatigant:
Flectere ludus equos, & spicula tendere cornu;
At patiens operum, parvoque assueta juventus,
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello:
Omne ævum ferro teritur, versaque juvencum
Terga fatigamus hasta: nec tarda senectus
Debilitat vires animi, mutatque vigorem:
Canitiem galea premimus, semperque recentes
Convectare juvat prædas, & vivere rapto.

Educatio puerorum.

Durum vitæ genus.

Hunc secuti morem Principes, qui Rempublicam agebant, etsi inter fasces, & gemmas, auroque fulgentes, velut numina Imperium inirent, nihilominus publico Oratorum plausu pueritiam inter ardua peregisse gestiebant; sic de Anthemio Sidonius in *Panegyrico* occinit:

In Principibus etiam laudabile commendatur.

At postquam primos infans exegerat annos,
Reptabat super arma patris: quamquam arcta terebat
Lamina cervicem, gemina complexus ab ulna:
Livida laxatis intrabat ad oscula cristis;
Ludus erat puero raptas ex hoste sagittas
Festina tractare manu, captosque per arcus
Flexa reluctantes, in cornua trudere nervos:
Nunc tremulum tenero jaculum torquere lacerto,
Inque frementis equi dorsum cum pondere conti
Indutas chalybum saltu transferre catenas;
Inventas agitare feras, & fronde latentes
Quærere: deprensas modo claudere cassibus arctis:
Nunc torto penetrare veru: tum sæpe fragore

Venatio.

Laudari comitum, frendens cum bellua ferrum
Ferret, & intratos exirent arma per armos;
Conde Pelethronios, alacer puer, & VENATOR
Æacida, titulos.

Ab *Æacide* laus, Achillis generosi progenie, qui postquam puellarum stamina abjecit, Dux gloriosi nominis pugnavit, & vicit Ilium. De Thracibus idem Sidonius altum canit:

Thraces.

Thracum terra tua est, HEROUM *fertilis ora;*
Excipit hic natos glacies, & matris ab alvo
Artus infantem molles, nix civica durat:
Pectore vix aliter quisquam, sed ab ubere tractus
Plus potat per vulnus equum, sic lacte relicto
VIRTUTEM GENS TOTA BIBIT: *crevere parumper?*
Mox pugnam ludunt jaculis, hoc suggerit illis
Nutrix plaga jocos: pueri venatibus apti
Lustra feris vacuant: rapto ditata juventus
JURA COLIT GLADII: *consummatamque senectam*
Non ferro finire pudet; tali ordine vitæ
CIVES MARTIS *agunt.*

Eorum pueritia.

Venatio belli præludium.

CCCXIV. Hinc belli præludium & armorum gloriam provenire, viri sapientissimi testati sunt; cumprimis Athenæus lib. 1. cap. 19. *Deipn.* ait: Καὶ ἐπὶ κυνηγεσία ἐξιᾶσιν οἱ νέοι πρὸς μελέτην τῶν πολεμικῶν κινδύνων, καὶ ἐπὶ θήρας παντοίας, ἀφ' ὧν ῥωμαλεώτεροι καὶ ὑγιεινότεροι διετέλουν, ὥς ὅ τε πυργηδὸν σφέας αὐτοὺς ἀρτυώωσι, καὶ ἀντίον ἱςάμενοι ἀκοντίζουσι. *Ad venationem ferarum omnigenarum tanquam ad meditationem periculorum, quæ in bello adeuntur, juvenes procedunt, indeque facti robustiores ac saniores,* TURRIUM *modo adversus hostes se comparant, illosque objectis corporibus ac collato pede telis incessunt.* Ab hac Palæstra Ascanius didicit hostem necidare, & ut feras, ita transfigere adversarios: nec siluit maximus Vatum Virgilius lib. 9. *Æneid.* vers. 590.

Tum primum bello celerem intendisse sagittam
Dicitur, ante feras solitus terrere fugaces
Ascanius, fortemque manu fudisse Numanum.

Quod totum summa elegantia disseruit Dio Chrysostomus in *Orat.* 7. & quia Xenophon altum sapit, Socratis doctrina celebris, librum *de Venatione* edidit, cujus oracula referre operæ eximiæ pretium duco: „ VENATIO & canes deorum inventio fuit Apollinis atque Dianæ; hac „ vero propter justitiam donarunt ornaruntque Chironem, qui illo accepto dono lætus utebatur: hinc & venationis & „ bonarum aliusmodi artium discipuli fuere Cephalus, Æsculapius, Melanion, „ Nestor, Theseus, Hippolytus, Palamedes, Ulysses, Menestheus, Diomedes, „ Castor, Pollux, Machaon, Podalirius, „ Antilochus, Æneas, & Achilles, qui „ per id tempus chari diis fuerunt. Hæc ille; & Pausanias de Alphæo & Arethusa peritissimis venatoribus totum hoc refert; nec vacat cælum a venationis gloria, & ipsa numina venantur; enarratque Arnobius in tertio *adv. Gentes*: *Sunt in sydereis montibus sylvæ, sunt lustra, sunt nemora, venationum præpotens habetur in expeditionibus Diana*: Heraldus *montibus* scribit, sed citra dubium *sedibus* reponendum, vel utrumque alludit; enimvero opinionem Anaxagoræ & Democriti sequitur, qui teste Plutarcho *de facie in orbe Lunæ*, & in *Philosophorum placitis*, docuerunt, *Lunam esse firmamentum ignitum, quod in se contineat planicies, montes, & convalles.* Heraclitus *terram caliginosam nube contectam* esse existimavit: Philolaus cum Pythagoricis similia effutiunt; fortasse symbolica virtutum monumenta cælorum in vertice collata demonstrant, cum Orion inter sydera præster Venator & Lepus: hanc sedem venatoribus ostentarunt, illustrium laborum finem & immortale decus.

Venationis laus eximia.

Venatio in cælis.

In orbe Lunæ.

CCCXV. Nostri adolescentes inertiam proculcantes currunt, incursant feras, debiles opitulantur, & parta quæque opima dividunt; hic ludus virtutum parens & belli; enarratque Plutarchus in *Romulo* illorum exercitationes fuisse: *Amplecti labores, venationem, cursus, facere in latrones impetum, & afflictos ab injuria vindicare*; bonum factum, commendatque Plautus in *Bacchid.* Act. 3. Sc. 3.

Exercitatio virtuosa.

Ibi cursu, luctando, hasta, disco, pugillatu, pila,
Saliendo se exercebant magis, quam scorto.

Sic Lycurgus, teste Plutarcho, *corpora virginum cursu, lucta, discorum & talorum jactu exercuit.* Xenophon *de Republica Lacedæmoniorum* idipsum tradit: *Cursus & roboris certamina instituit.* Pausanias in *Laconicis*: *Leges Lycurgus tulit, tum ad universam Rempublicam pertinentes, tum etiam ad ephebeorum pugnas.* Exstat Simonidis de Diophonte carmen lib. 1. *Anthol.* cap. 8.

Commendatur.

Ἴσθμια καὶ Πυθοῖ Διοφῶν ὁ Φίλωνος ἐνίκα
Ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην·

Isthmia & Pythia Diophon Philonis filius vicit,
Saltu, cursu, disco, jaculo, lucta.

Commendatque Tullius in 2. *Tusculanarum* hanc legem, tanquam opportunam juvenibus Reipublicæ necessariam: „ Illi „ qui Græciæ formam Rerumpublicarum „ dederunt, corpora juvenum firmari robore voluerunt; quod Spartiatæ etiam „ in fœminas transtulerunt, quæ cæteris „ in urbibus mollissimo cultu parietum „ umbris occuluntur: illi autem voluerunt, „ nihil horum simile apud Lacænas virgines, quibus magis palæstra, Eurotas, „ Sol, pulvis, militia in studio est, quam „ fertilitas barbara; recte Horatius in *Arte Poet.*

Etiam mulieres exercebantur in Palæstris.

Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitque puer, sudavit, & alsit,
Abstinuit Venere, & vino.

Ingens hæc laus, & regia ad immortale nomen via, & Socrates apud Lucianum commendat, nec siluit Virgilius Latinorum hunc morem veterem, dum coram Æneæ Oratore pueros lusisse canit lib. 7. *Æneid.* vers. 160.

Jamque iter emensi, turres ac tecta Latinorum
Ardua cernebant juvenes, muroque subibant.
Ante urbem pueri, & primævo flore juventus,
Exercentur equis, domitantque in pulvere currus,
Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent, cursuque ictuque lacessunt.

Quid mirum si Orbis Imperium Latinorum robori cessit? similiter vicerunt Lacones, enarratque Ælianus *lib.* 14. *Var. Hist.* cap. 7. legem, quam iidem præclarissimam sanxerunt: Μηδένα Λακεδαιμονίων ἀνανδρότερον ὁρᾶσθαι τὴν χρόαν, ἢ τὸν ὄγκον τοῦ σώματος ἔχειν ὑπὲρ τὰ γυμνάσια. Εδόκει γὰρ τὸ μὲν ἀργίαν ὁμολογεῖν, τὸ δὲ οὐχ ὁμολογεῖν ἄνδρα. Προσεγέγραπτο δὲ καὶ τῷ νόμῳ, καὶ διὰ δέκα ἡμερῶν πάντως τοῖς Ἐφόροις τοὺς ἐφήβους παρίστασθαι γυμνοὺς δημοσίᾳ· καὶ εἰ μὲν ἦσαν εὐπαγεῖς, καὶ ἐῤῥωμένοι, καὶ ἐκ τῶν γυμνασίων οἱονεὶ διαγλυφέντες, καὶ διατορευθέντες, ἐπῃνοῦντο· εἰ δέ τι χαῦνον ἦν αὐτοῖς τῶν μελῶν, ἢ ὑγρότερον, ὑποιδούσης καὶ ὑπαναφυομένης διὰ τὴν ῥαθυμίαν πιμελῆς, ἀλλ᾽ ἐνταῦθα μὲν ἐπαίοντο, καὶ ἐδικαιοῦντο. *Ut nemo Lacedæmoniorum mollitiem aliquam colore præ se ferret, aut corporis mole crassiore, quam ut exercitiis conveniret, præditus esset. Nam hoc pigritiam, illud non virum ostendere, videbatur. Adscriptum etiam hoc erat in lege, ut decimo quoque die ephebi ad unum omnes publice nudos Ephoris sese exhiberent: quod si essent solida corporis habitudine, valentesque & quasi sculpti ex certaminibus, atque tornati, laudibus vehebantur; sin aliquod membrum inveniretur delicatius, & mollius ob suppositam aut succrescentem ex otio pinguedinem, verberabantur & mulctabantur.* Hactenus ille; sic ad viri specimen juvenes se conformabant, ut Reipublicæ proficerent adjumento, & otia, malorum omnium fomitem, depellerent; sic Hunnorum gens robustissima ab incunabulis armorum pondera patitur, quorum genitrix ad galeæ usum nares comprimit, auresque religat: tantum facinus occinit Sidonius in Anthemio:

Lacedæmonum.

Membra puerorum ad militiæ usum Hunni componunt.

Tum ne per malas excrescat fistula duplex,
Obtundit teneras circumdata fascia nares,
Ut galeis cedant: si propter prælia natos
Maternus deformat amor, quia tensa genarum

Non interjecto fit latior area naso;
Cetera pars est pulchra viris; stant pectora vasta,
Insignes humeri, succincta sub ilibus alvus.

Quorum gesta domi militiæque præclara refert Ammianus Marcellinus *lib.* 31. & Zosimus *lib.* 4. at præ cunctis accuratior Jornandes ex Prisco Rhetore, Theodosii ad Attilam Legato.

Cursus.

CCCXVI. Romulum cursu cunctos præcellere subulcos scripserunt Vennonius & Fabius; etenim Livius ait geminos se exercitasse ad Lupercalia, quod Festum Euandrus Lycæo numini instituit, *ut nudi juvenes Lycæum Pana venerantes per luxum atque lasciviam currerent: quem Romani deinde vocarunt Inuum.* Cursu præstabat, an quia splene carebat? equidem notat Alexander lib. 2. *Gen. Dier.* cap. 21. *qui splene deficiunt cursu valere contendunt.* Plutarchus autem tradit Orchomenium Laomedonta, ob vitandum splenis morbum, consilio Medicorum longissimis cursibus uti solitum: at Plinius *lib.* XI. *cap.* 37. ad pulmonem hoc refert; Ladas longum itineris spatium cursu tam citatissimo emensus est, ut nulla pedum vestigia exstarent: de Aria cursorum velocissimo occinit Antipater Auctor Græcus lib. 1. *Anthol.* cap. 3.

Spleno laborantes currunt.

Ἢ γὰρ ἐφ᾽ ὑσπλήγγων, ἢ τέρματος εἶδέ τις ἄκρου
Ἠΐθεον, μέσσῳ δ᾽ οὔποτ᾽ ἐνὶ σταδίῳ.
Aut enim in carceribus, aut meta vidit aliquis ultima
Illum juvenem, medio autem nunquam in stadio.

Plinius *lib.* 7. *cap.* 20. „Cucurrisse MCLX. „stadia ab Athenis Lacedæmonem biduo „Philippidem magnum erat: donec Anistis Cursor Lacedæmonius, & Philonides Alexandri Magni, a Sicyone Elin „uno die MCC. stadia cucurrerunt. Nunc „quidem in Circo quosdam CLX. M. passuum tolerare non ignoramus: nuperque Fontejo & Vipsano Coss. annos IX. „genitum puerum a meridie ad vesperam „LXXV. millia passuum cucurrisse. Lasthenes Thebanus pernicitatis eximiæ a Choromo Thebas usque cum equo cursore victor contendebat; Hyginus in *Astronom.* ait: *Phyclo † datum dicitur, ut super aristas curreret, nec eas comminueret,* plura Cælius *Ant. Lect.* lib. 5. cap. 5. Alexander, a Delphino id putat in genitura provenire; cur non ab exercitatione & cursu? equidem dum se exercent perniciores evadunt juvenes, & splenis magnitudo contunditur, & pulmo contrahitur, & crura valentiora firmantur, quod in Romulo Remoque profitemur, scribit enim Vegetius *lib.* 2. *cap.* 23. *Velocitas usu ipso acquiritur corporis.*

Pernici cursu qui valuerant?

CCCXVII. Hinc Romulus ad Imperium ortus se ostentabat Regno præ cunctis dignum; de utrisque Dionysius: Οἵους ἄν τις ἀξιώσειε τοὺς ἐκ βασιλείου τε φύντας γένους, καὶ ἀπὸ δαιμόνων σπορᾶς γενέσθαι νομιζομένους, ὡς ἐν τοῖς πατρίοις ὕμνοις ὑπὸ Ῥωμαίων ἔτι καὶ νῦν ᾄδεται.

Regium genus referebant gemini.

† Leg. *Iphiclo*, ut monet Cælius loco citato.

Animi ac formæ indole referebant genus regium, ut decebat diis genitos: quemadmodum celebratur etiam nunc in patriis Romanorum carminibus; Zonaras tom. 2. *An.* „ Cum primum adolevit ætas, ambo „ animosi & fortes evaserunt: sed Romu- „ lus ingenio præstare visus, & ad impe- „ randum quam ad obtemperandum apti- „ or habitos est. Regni specimen præfert non semel indoles, & genius caracteres suos imprimit, ut cognoscantur, qui regnent; Aurelius Victor a nomine divinat Imperium: „ Romulum, *ait*; a virium „ magnitudine appellatum, nam Græca „ Lingua ῥώμη virtutem dici certum est; „ alterum vero Remum dictum videlicet a „ tarditate; quippe talis naturæ homines „ ab Antiquis Remores dicti. At etymum diversimode Plutarchus venatur: *Κληθῆναι ἀπὸ τῆς θηλῆς ἱστοροῦσι Ῥωμύλον καὶ Ῥῶμον, ὅτι θηλάζοντες ὤφθησαν τὸ θηρίον. Quia sugentes visi essent lupam, a papilla Romulum & Remum vocarunt:* hanc nominis originem irridet Festus: „ Romulum quidam a Ficu Ruminali: alii „ quod Lupæ Ruma nutritus est appella- „ tum esse ineptissime dixerunt: credibile „ est a virium magnitudine, itemque fra- „ trem ejus, appellatos; Paulus ex eo inquit: *Romulus & Remus a virtute, hoc est, a* ROBORE *appellati sunt.* Sequitur proinde Plutarchus: *Ὁ Ῥωμύλος γνώμῃ τε χρῆσθαι μᾶλλον ἐδόκει, καὶ πολιτικὴν ἔχειν σύνεσιν, ἐν ταῖς περὶ νομὰς καὶ κυνηγίας πρὸς τοὺς γειτνιῶντας ἐπιμιξίαις, πολλὴν ἑαυτοῦ παρέχων κατανόησιν ἡγεμονικοῦ μᾶλλον ἢ πειθαρχικοῦ φύσει γεγονότος. Romulus præcellentior consilio & civili prudentia habebatur: in pascendo venandoque vicinis, quibuscum haberet commercium, magnam de se opinionem præbens, ad imperandum se quam ad parendum natum potius esse.*

Præstabat Romulus.

Ejus nomen.

Remus a remora & tarditate.

Romulus & Remus a virtute & robore.

CCCXVIII. Hanc virtutem censeo a labore promanasse, quo victum juvenes promerebant in sylvis; *vitam degebant pastoritiam, victum sibi parantes manibus*, inquit Dionysius Halicarnasseus, prædones infestabant, raptasque cum pastoribus prædas dividebant; sic, teste Messala, *finitimis pastoribus dominari cœperunt:* Ovidius in *Fastis* lib. 3. vers. 63.

Sæpe domum veniunt prædonum sanguine læti,
Et redigunt actos in sua jura boves.

Si cuncta apud se avare retinuissent, odium, non pastorum gratiam plausumque obtinuissent, sed in morem verterunt, *in latrones præda onustos impetum facere, pastoribusque rapta dividere*, ait Livius. Sic animos militum illexere viri principes, qui Imperii fastigium affectabant; de Juliano Spartianus ait: „ Cum vicena „ quina millia militibus promisisset, tre- „ cena dedit; inde habita concione mili- „ tari, factoque Senatusconsulto, Im- „ perator est appellatus. Recte Thucydides *lib.* 1. *expensis & sumtibus efficacia arma & utilia fieri* dixit. Et Claudianus altum occinit lib. 2. *in Rufinum* vers. 311.

Prædam dividunt.

Nunc epulas tempus, socii, nunc larga parare
Munera, donandumque novis legionibus aurum.

Munera Imperium parant.

Fecit sic Cæsar & vicit, expilatoque ærario purpuram sibi emit; Augustus, ut Tiberium ad Imperii culmen extolleret, teste Tacito lib. 1. *Ann.* cap. 8. „ Populo & „ plebi CDXXXV. prætoriarum cohortium „ militibus singula nummum millia, legio- „ nariis autem cohortibus civium Roma- „ norum tricenos nummos viritim dedit: & tamen eodem Tacito auctore Percennius seditionem excitavit, & veluti concionabundus interrogabat *lib. cit.* cap. 17. „ Cur paucis Centurionibus, paucioribus „ bus Tribunis in modum servorum obe- „ dirent? .... Enimvero militiam ipsam „ gravem, infructuosam: denis in diem „ assibus animam & corpus æstimari: hinc „ vestem, arma, tentoria, hinc sæviti- „ am Centurionum, & vacationes mu- „ nerum redimi..... nec aliud levamen- „ tum, quam si certis sub legibus militia „ iniretur, ut singulos denarios mererent. Ad hanc compescendam Drusus mittitur, Tiberii filius, qui milites alloqueretur. Responsum est a concione, mandata Clementi Centurioni, quæ præferret: is orditur de missione a sexdecim annis, *de præmiis finitæ militiæ, ut denarius diurnum stipendium foret.* Hæc curant milites, & opes pro se quisque intentat, ut non solum unus rerum opumque partarum, potiretur, sed in partes etiam commilitones venirent; quod sciens ac volens Romulus primum cum pastoribus parta a prædonibus dividebat, deinde Jovi opima obtulit; sic Imperii culmen adscendit, & inter exercitationes dignum Regno animum extulit.

Seditio unde oritur?

Milites pro opibus pugnant.

CCCXIX. Fuerunt etenim hæc exercitia belli præludia & munimentum: enimvero docet Vegetius *lib.* 2. *cap.* 23. „ Ab exercitio exercitus nomen accepit. „ Firmat etymum, quia juniores, & no- „ vi milites mane & post meridiem ad „ omne genus exercebantur armorum, „ veteres autem, & eruditi, sine inter- „ missione semel in die exercebantur ar- „ mis: neque enim longitudo ætatis, aut „ annorum numerus artem bellicam tra- „ dit, sed post quanta volueris stipendia „ inexercitatus miles semper est tyro. Bellum hoc pacis honore censetur, commendatque Janus, si Claudiano canenti in VI. *Consulatu Honorii* vers. 638. fidem adhibemus,

Exercitus nomen ab exercitio.

Janus bella premens, lætæ sub imagine pugnæ,
Armorum innocuos paci largitur honores.

Pax belli præventio.

In Circensium pompa exercebantur similiter juvenes; asseritque Livius *lib.* 4. *d.* 5. „ Inter cætera sexageni ferme ju- „ venes, interdum plures, Apparitori- „ bus ludi armati inducebantur; ho- „ rum inductio in parte simulachrum de- „ currentis exercitus erat, ex parte ele- „ gantioris exercitii; quod eleganter occinit Claudianus, quem dedimus, *ibid.* vers. 621.

In ludis.

*Hic * & belligeros exercuit area* LUSUS:
Armatos hic sæpe choros, certaque vagandi

Textas lege fugas, inconfusosque recursus,
Dum exercentur juvenes.
Et pulchras errorum artes, jucundaque Martis,
Cernimus; insonuit, cum verbere † magister,
*Mutatosque edunt pariter tunc * pectora motus,*
In latus inlisis clypeis, aut rursus in altum
*Vibratis; grave parva ‡ sonat mucronis acutum***
Murmur, & umbonum pulsu modulante resultans:
Ferreus alterno concentus clauditur ense, &c.

Ætatis discrimina apud Romanos.
CCCXX. Hæc puerorum ludicra dedimus, Romanorum more post Romulum celeberrima, & quia varia ætas apud exteros tempora præfert; animadverto cum A. Gellio lib. 10. *Noct. Attic.* cap. 28. „Servium Tullium Regem P. R. cum „quinque classes, juniorum census faciendi gratia, instituerent, PUEROS „esse existimasse, qui minores essent annis septemdecim: atque inde ab anno „XVII. quos idoneos jam esse Reipub. „arbitraretur, milites scripsisse: eosque „ad annum quadragesimum sextum JU„NIORES, supraque eum annum SE„NIORES appellasse. Eam rem propte„rea notavi, ut discrimina, quæ fue„runt judicio moribusque majorum, „pueritiæ, juventæ, ac senectæ nosce„rentur.

CAP. XXV.

De Ludis Lupercalibus, quos Romulus & Remus in honorem Lupæ & Accæ Larentiæ sibi posterisque, dum exercerentur, sanxerunt.

CCCXXI. Robur hinc ex cursu ludicrisque bellorum imaginibus fortissimorum juvenum, virescque per saltus ac ferarum vestigia & prædonum augebantur; tandem ex animi sententia numina simulque parentum memoriam excolere, gratissima animadversione, præcellentes viribus, ductusque sanxerunt: enimvero olim ludi ad sacra percelebres habebantur, deorumque cultus præstabat in ludis, de quibus Valerius Max. oraculorum monitu & Macrobius post Varronem scripserunt. Igitur Romulus Remusque Gabiorum disciplina religiosi, *Crescente in dies grege juvenum, ferias ac jocos celebrabant*, inquit Livius *lib.* 1. *cap.* 4. & Festus Pompejus, *Feriæ a feriendis victimis appellatæ.* De Festis vero audiendus Macrobius, qui lib. 1. *Saturn.* cap. 16. ait: „Numa ut in men„ses annum, ita in dies mensem quem„que distribuit, diesque omnes aut fe„stos, aut profestos, aut intercisos vo„cavit; festi diis dicati sunt; profesti „hominibus ob administrandam rem pri„vatam publicamque concessi; interci-

(Margin: Deorum ac parentum memoria. — Feriæ. — Festum, profestum, intercisum.)

* Alii melius *Hæc*.
† Excidit vox, *signa*.
* Alii, *tot*. ‡ Rep. *parma*.
** Juxta alios, *acuti murmure*.

A „si deorum hominumque communes sunt: „festis insunt sacrificia, epulæ, LUDI, „feriæ. Sed annum correxisse Romulum post Plutarchum & Dionysium omnes profitentur, a quo etiam feriæ & dies festi; apud posteros reor alia feriarum genera, *Stativæ*, *Conceptivæ*, *Imperativæ*, ac *Nundinæ*: de quibus Varro: inter Stativas *Lupercalia* recenset Macrobius, *Agonalia*, & *Carmentalia*, quæ ludis perficiebantur.

(Margin: Feriarum genera.)

CCCXXII. Insuper sacrificia caprarum albarum & canum in Lupercalibus
B recenset Veteres: ac testatur Plutarchus Romulum sacra peregisse inter juvenum ludicra; Ovidius similiter ludos occinit in 1. *Fast.* vers. 363.

(Margin: Sacrificia in Lupercalibus.)

Dumque Sacerdotes verubus transsuta salignis
Exta parant, medias Sole tenente vias;
Romulus, & frater, pastoralisque juventus,
Solibus & campo corpora nuda dabant,
C *Cæstibus & jaculis, & missi pondere saxi,*
Brachia per lusus experienda dabant.

(Margin: Exercitia in sacris.)

De istis ludis agit Mercurialis in libello *de Arte Gymnastica*, sed luculentam satis Eruditorum ac feracissimam scribendi materiam in capita distributam coegit, luxuriantemque restrinxit intra Galeni cancellos.

CCCXXIII. Ut juvenes ediscant, præmoneo, Herculem victo Geryone prope Romam boves egisse, ibique post Caci interitum aras dicasse; occinit Euander apud Virgilium in 8. *Æneid.* vers. 200.

(Margin: Herculis adventus.)

D *Attulit & nobis aliquando optantibus ætas*
Auxilium, adventumque dei: nam maximus ultor
Tergemini nece Geryonis spoliisque superbus
Alcides aderat: taurosque hac victor agebat
Ingentes, vallemque boves amnemque tenebant.

Tanti facinoris memoriam servavit proinde vetus Roma; ut Macrobius lib. 3. cap.
E 6. *Sat.* observat, *idem † curavit Herculem vocando victorem,*
Hæc, inquit, *limina victor*
Alcides subiit.

Varro rerum divinarum lib. 4. *victorem Herculem putat dictum, quod omne animalium genus vicerit. Romæ autem victoris Herculis ædes duæ sunt, una ad Portam Trigeminam, altera in Foro Boario.* Hæc illæ; post victoriam sacra docuit; & præcipue quæ ipse instituerat Olympica; de quibus post Pausaniam, Diodorum Siculum, Strabonem, & Plutarchum Cæli-
F us *lib.* 13. *c.* 17. inquit: „Ex Græcis tra„dunt nonnulli, Herculem post debella„tum Augeam Elidis Regem, Solisque ac „Thelebocs filium, a quo Aula expurga„ta, præmio exuebatur merito, quum E„lim esset depopulatus, ex manubiis Jovi „Olympicum instituisse certamen, quod „quinto quoque celebraretur anno; vel

(Margin: Hercules victor. — Initia Olympicorum.)

† Virgil. scil. lib. 8. *Æneid.* vers. 362.

„quin-

„ quinquagesimo quoque mense. Initio au„ tem quum in Palæstram Hercules mul„ tos prolectaret, nec auderet tamen ali„ quis, luctatorem assimulans Jupiter illi se „ obtulit; cumque nutans diu stetisset vi„ ctoria, filio demum se aperuit pater: „ hinc Lycophron in *Alexandra Palæsten* „ vocavit *Jovem*. Quinque diebus celebra„ bantur Olympia post Lunæ undecimam „ quinta decima tenus: verum prælusia „ erant diebus triginta: in Olympicis vero „ certaminibus principem omnium legi„ mus vicisse Stadium Licymnii filium „ Oeonum; Palæstram Echemum Thegea„ tem; at Cæstu primas tulisse Doryclum; „ Quadrigis Samum Mantineum; Jaculo „ præsignis Phrastor fuit; Disco Eniceus. Propertius istorum meminit in Laconum plausu *lib. 3. el. 13.*

Victores Olympici.

Nunc ligat ad cæstum gaudentia brachi[a] *loris*,
Missile nunc disci pondus in orbe rotat.

Lupercalia ab Euandro instituta.

CCCXXIV. Hæc igitur ludicra agebat Romana pubes, & Lupercalia olim ab Euandro Pani deo instituta, Lupæ, sub Lycæi nomine, & Accæ Larentiæ, nutrici pientissimæ Romulus dicare satagebat; a veteri patrum religione non recessere, sed nudi concursantes, duos juvenum cœtus elegerunt, quos Aurelius Victor in *Origine Gentis Romanæ* recenset: „ Redi„ vina facta eo in loco, qui nunc Luper„ cal dicitur, ludibundi discurrerant, pel„ libus hostiarum occursantes quosque sibi„ met verberantes: utque solemne sacrifi„ cium sibi posterisque id esset, sanxerunt; „ separatimque suos appellaverunt, Remus „ Fabios, Romulus Quintilios. Morem hunc Arcades tenuisse dicunt, & numen pro cultu illum servasse; asseritque Fenestella *de Sacerd.* cap. 1. *Hunc Pana nudos pastores, quorum tunc præcipuum numen fuit ..... loraque præ manibus ferre, quibus obvios quosque cæderent, larvisque tectas faces portare*. Pomponius Lætus de prima Religione apud Latinos addit: *In Lupercalibus nobiles adolescentes faciem sanguine sibi fœdant, & alii accurrunt cum lana lacte madida tabum abstergentes*. Ex Plutarcho & Livio historiam fere totam expendit Alexander *lib. 4. cap. 10.* „ Capræ candidæ „ in Lupercalibus velut solennis victima „ habentur, quibus immolatis viri honesto „ loco nati, quos Lupercos dicunt, duo „ ibi sistunt, quorum frontes & ora cultro „ sanguine hostiarum infuso invicem con„ tegerent *, mox lana lacte madida san„ guinem detergunt, quibus de more in „ risum effusis dum cachinnant tergora in „ lora incidunt, nudique & uncti, amicti „ caprina pelle, in orbem discurrunt, vul„ tu hilari usque ad ineptias, obviamque „ turbam eisdem loris impetunt. Prudentius etiam Senatores ad obscœnum hoc ludicrum Lupercos convenisse occinit,

Lupercorum habitus.

Luperci ex patriciis.

Capræ candidæ.

Facies fucata sanguine.

Ipsa & Senatus lumina
Quondam Luperci aut Flamines.

Furius Albinus apud Macrobium in *Saturn.* lib. 3. cap. 13. scribit, *Nobilium filios, & quod dictu nefas est, filias quoque*

* Refer. *intingerent*, vel potius *intingunt*
Sallen. Tom. II.

A *virgines cum Lupercis † saltasse*: quod Scipio Africanus Æmilianus in Oratione contra leg judic. Tib. Gracchi sic reprehen„ dit: Docentur præstigias inhonestas cum „ cinædulis, & sambuca psalterioque eunt „ in ludum histrionum; dicunt * cantare, „ quæ majores nostri ingenuis probro du„ cier voluerunt: eunt, inquam, in ludum „ saltatorium inter cinędos virgines pueri„ que ingenui. Hæc cum mihi quisquam „ narrabat, non poteram animum inducere „ ea liberos suos nobiles docere, sed cum „ ductus sum in ludum saltatorium, plus „ medius fidius in eo ludo, &c. M. Cato B visu manuque hæc stulta damnabat, & vulgus ludicrum illud, apud Ovidium, *Stultorum festum* vocabat; cui puellæ innuptæ superstitioso quodam religionis cultu occurrebant, ut fœcundiores percussæ fierent, traditque Fenestella, & alii plerique, quos infra dabimus, cum de Ludis Lupercalibus erit sermo.

Improbatus Lupercorum ludus.

CCCXXV. Itaque ob Lupæ gratitudinis monumentum festa peraguntur a Romulo, & ludicrum a Lupa nomen præfert in sacris; inquit enim Divus Augustinus ex Varrone ad Marcellinum lib. 18. C *Civ. Dei* cap. 17. LUPUS *Græce λύκος dicitur, unde λυκαία nomen apparet inflexum: Romanos etiam Lupercos ex illorum mysteriorum veluti semine dicit exortos*: conjecturam ab ipso libamine offert Fenestella, ex eoque Pomponius Lætus: *Romani in Lupercalibus canem immolant, quoniam naturaliter canis lupis adversatur, ob quod* ROMULUS LUPAE NUTRICI *gratias habere videtur*. Lupa etiam nomen dedit, occinitque Ovidius l. 2. *Fast.* vers. 421.

Lupæ Sacrum & Accæ Larentiæ.

D *Illa loco nomen fecit, locus ille* LUPERCAL †:
MAGNA DATI NUTRIX
PRAEMIA LACTIS HABET.

An Parentalia Accæ Larentiæ sint adhuc hæreo; enimvero ex Plutarcho & Varrone diximus ad Accæ sepulchrum sacra peregisse Veteres; addit Macer *Histor.* lib. 1. „ Faustuli conjugem Accam Larentiam „ Romuli & Remi nutricem fuisse: hanc „ regnante Romulo Carutio * cuidam Tu„ sco diviti denuptam, auctamque hæredi„ tate viri, quam post Romulo, quem edu„ casset, reliquit, & ab eo Parentalia, diem„ que festum pietatis causa statutum. De Parentalibus satis diximus, festum nunc diem recolimus Lupercalia: opes proinde quam multas non solum a viro, sed quæstu meretricio compilasse Cato apud Macrobium lib. 1. *Sat.* cap. 10. tradit: *Larentiam meretricio quæstu locupletatam post excessum suum Populo Romano agros Turacem, Semurium, Lincerium ††, & Solinium reliquisse*.

Acca Larentia geminorum nutrix.

E

F CCCXXVI. Sic meretrix culta nitet, & obscœno ludicro colitur: novum hoc non putet, nec singulare, qui Veterum gesta perquirit; enimvero scribit Arno-

† Errat Auctor, nihil enim de his apud Macrobium loco cit. qui tantum dicit, *virgines inter studiosa numerasse saltandi meditationem* * Leg. *discunt*. ‡ Rep. *Lupercis*. * Apud Plutarchum in *Rom.* est *Tarrutius.* †† In Edit. Steph. legitur *Lutirium*.

Meretrices earumque cultus in facris.

bius lib. 1. *adv. Gentes*: *In civitatibus maximis atque in potentioribus populis sacra publice fiunt scortis meritoriis, atque in vulgarem libidinem prostitutis*: quas Tertullianus in libro *de cultu fœminarum* nuncupat *publicarum libidinum victimas*: & denuo in libro *de Pallio* cap. 4. „ Adſpice „ LUPAS ſingularium libidinum nundi„ nas, ipſas quoque fictrices: & ſi præſtat „ oculos abducere ab ejuſmodi propudiis „ occiſæ in publico caſtitatis: adſpice ta„ men, vel ſublimis jam: Matronas vide„ bis, cum latrinarum Antiſtes ſericum „ ventilat, &c. In lupa olim veteres Solem venerabantur, & obſcœnum mulierum facinus, meretricis nomine, deteſtabantur, ut ſub ancipiti ſymbolo religio ſuperſtitioſe præiret. Ideoque Antipater Stoicus *Lycium Apollinem* nuncupatum ſcribit: addit rationem Cleanthes, *quod veluti lupi pecora rapiunt, ita ipſe quoque humorem eripit radiis*. Macrobius lib. 1. *Sat.* cap. 17. ex Homero lucis arcanum expendit; Romam namque, ut pleraque alia, ex Græco, ita & lucem videntur a *lyce* figuraſſe: „ Λύκον autem Solem vocari etiam Lyco„ politana Thebaidos civitas teſtimonio „ eſt, quæ pari religione Apollinem, item„ que LUPUM, hoc eſt, λύκον, colit, in „ utroque Solem venerans; quod hoc ani„ mal rapit & conſumit omnia in modum „ Solis, ac plurimum oculorum acie cer„ nens tenebras noctis evincit; Philoſtratus in primo *de Imaginibus* introducit Palamedem adverſus Ulyſſem pejerantem, quia juſſerat lupos occidi Lycio ac Phyxio Apollini ſacros. Pauſanias in *Corinthiacis*, ut notat Lilius, Danaum in lupo regnaſſe ait apud Argivos, & quia lupum putabant ab Apolline miſſum, Lycium numini dederunt nomen; at vana omnino vetus religio ſibi non conſtat: enimvero inquit Feſtus, *Lycii Apollinis oraculum in Lycia maximæ claritatis fuit ob luporum interfectionem*; hinc Lycoctonos Apollo apud Lilium, hoc eſt, *Lupicida*, ex lege quadam ab Athenienſibus lata, qua cavebatur, ut qui in Attica lupi catulum occideret talento donaretur; qui lupum ipſum duobus: meminitque Sophocles in *Electra*, & Heſychius. Ariſtarchus vero & Phornutus exiſtimabant hunc deum ſic nuncupatum, quia Nomius eſt, & paſcuorum cuſtodiam ipſe gerit, dum lupos interimit. Fuit & Lycæi Apollinis templum apud Sicyonios, quia dum lupi eorum greges infeſtarent, dono Apollinis, arborem coluere, cujus cortex lupos interficiebat. Sic colunt lupos & necant; cum Sole & Orco comparant: eodemque in Apolline Lycius, & Lycoctonos invenitur; An quia, quod bonum animadvertunt cum numine adorant, malum cum numinum fulmine damnant? An quod lucet in lupo vita, & immortalitate dignum extollunt, quod obſcœnum vident, abominantur? Sic meretricium quæſtum Accæ Larentiæ ſilentio obruunt, pietatis proinde monumenta commendant; ideo ludi, dies feſtus, & lupæ delubrum; quo pacto ſcribit Pamphilius, *Veneris Meretriciæ delubrum eſſe Abydi*: cauſam præſtat Cleanthes, cum ſervitute premeretur ea civitas, cuſtodes præſidiarii aliquando, ſacro

Meretrices Lupæ.

Lupus, & Apollo, & Sol.

Lupus Apollini facer.

Apollo Lupicida.

Obſcœna damnant, virtutem commendant Veteres etiam in meretricibus

peracto, temulenti multas ſuæ commeſſationi meretrices adhibuerunt, e quibus una ſopitos illos conſpicata furtim avectis portarum clavibus, muros tranſgreſſa id Abydenis ſignificavit, qui extemplo correptis armis, & concurſu facto, præſidiariis occiſis, muri potiti libertatem recuperarunt, *& meretrici gratiam ut redderent, templum Meretriciæ Veneris exſtruxerunt*; Alexis Samius lib. 2. *de Samiorum finibus* ſcribit: *Ædem Veneris in Samo, quam in arundinibus quidam vocant, alii in paluſtribus*, meretrices Periclem ſecutas, cum obſideret Samum, ædificaſſe, ingenti quæſtu, proſtituta forma, dicatas; Eualces in *Epheſiacis* tradit, *Epheſi quoque ſcorta Meretriciæ Veneri templa conſtruxiſſe*: Chamæleon Heracleotes in libro *de Pindari vita* vetuſtam legem Corinthi fuiſſe refert, ut cum Veneri civitas magnis de rebus ſupplicaret accirentur in ſupplicationum pompam meretrices multæ, quæ deum precarentur, & poſt aliorum diſceſſum in templis permanerent: hinc Theopompus & Timæus *lib.* 7. perhibent, cum Perſarum Rex Græciam armis tentaret, Corinthias meretrices in templum Veneris conveniſſe, & *pro ſalute totius Græciæ deam oraſſe*: qua de re Tabulam dicarunt numini, cui Simonides carmen inſcripſit;

Templa meretricibus & Veneri ſacra.

Meretrices pro ſalute civium orant Venerem.

Αἱ δ᾽ ὑπὲρ Ἑλλήνων τὲ καὶ ἀγχεμάχων πολιητᾶν
Ἔσταθεν εὔχεσθαι Κύπριδι δαιμονία.
Οὐ γὰρ τοξοφόροισιν ἐμήσατο δῖ᾽ Ἀφροδίτα
Πέρσαις Ἑλλάνων ἀκρόπολιν προδόμεν.

Hæ pro Græcis, & bellicoſis civibus
Conſtiterunt divæ opem Veneris imploraturæ:
Itaque Veneri non eſt viſum ſagittariis
Perſis Arcem Græciæ prodere.

Xenophonti reverſo ab Olympiis victori, quem laudavit Pindarus, & Veneri divinam rem facienti *meretrices adſtiterunt*, *ſimulque ſacrificarunt*. Carmen vero illud ſic aggreſſus eſt Pindarus:

Laudat Pindarus meretrices orantes pro populo.

Peregrinæ & hoſpitales juvenculæ, miniſtræ ſacrorum,
In opulenta Corintho, flavas manibus thuris lacrymas tenentes,
Sæpius nobis amorum cæleſtem MATREM placarunt,
Menteque & animo ad Venerem provolantes,
Nobis illam a ſuperis adjutricem præbuere.

Plura Athenæus lib. 13. *Deipnoſ.* quem vide.

CCCXXVII. Igitur ſummo gratitudinis cultu, religioneque, more majorum, ſapiens Romulus feſtum inſtituit Lupæ, quæ mammas deportato præbuit, uno eodemque nomine utramq; nutricem Lupercalibus honoravit, luſumq; quotannis voto peregit, imo arcanum regiæ ſobo-

A lis obtegens, Lupercalia excoluit, & quæ Pani deo sacra venerabatur pubes, transtulit ad nutrices; quod posteritati post Romuli Regnum innotuit, & Lupercalia nedum Arcadiæ numini, sed Accæ Larentiæ Lupæque dicata dixerunt; tradit Fenestella idipsum: „ Nonnulli templum „ ipsum, in quo Pan deus colitur, LU„ PERCAL vocant, quocirca Virgilius, „ & gelida, inquit, monstrat sub rupe „ Lupercal: eique loco a Lupa Romuli „ nutrice, quod in eo loco Romulum & „ Remum parvulos educare reperta sit, „ factum nomen Lupercalis putant. Facinus dignum memoria edidit Lupa, oblivione nequaquam prætereundum, sed commendatum posteris exhibendum, sicut Pausanias refert apud Delphos Lupi simulachrum dicasse Veteres; rationemque enarrat in *Phoc.* cap. 14. Δελφῶν ᾗ ἀνάθημά ἐστιν αὐτῶν πλησίον τοῦ βωμοῦ τοῦ μεγάλου, λύκος χαλκοῦς. Λέγουσι δὲ τῶν τοῦ θεοῦ χρημάτων συλήσαντα ἄνθρωπον, τὸν μὲν ὁμοῦ τῷ χρυσίῳ κατακρύψαντα ἔχειν αὐτὸν, ἔνθα τοῦ Παρνασσοῦ μάλιστα ἦν συνεχὲς ὑπὸ ἀγρίων δένδρων· λύκον δὲ ἐπιθέσθαι οἱ καθεύδοντι, καὶ ἀποθανεῖν τε ὑπὸ τοῦ λύκου τὸν ἄνθρωπον. Καὶ ὡς ἐς τὴν πόλιν ὁσημέραι φοιτῶν ὠρύετο ὁ λύκος, ἐπειδὴ οὐκ ἄνευ θεοῦ παραγίνεσθαι σφίσιν ὑπελάμβανον, οὕτως ἐπακολουθοῦσι τῷ θηρίῳ, καὶ ἀνευρίσκουσί τε τὸ ἱερὸν χρυσίον, καὶ ἀνέθεσαν λύκον τῷ θεῷ χαλκοῦν. *Apud Delphos prope aram maximum est donum lupus æneus: hominem quendam ajunt sacram pecuniam, quam compilasset, abdidisse in ea Parnassi parte, quæ maxime esset sylvestribus arboribus condensa; lupum vero in dormientem impetu facto illum occidisse: ac deinde quotidie cum ululatu solitum intra urbem penetrare. Id cum non nisi divinitus fieri existimare homines cœpissent, feram secuti, aurum sacrilegio ereptum repererunt, & ad rei memoriam lupum ex ære dedicarunt.* Gaudent enim bona hominum gratia bruta, nostraque gratitudine fruuntur; depromit namque Antigonus historiam satis mirabilem *cap.* 33. ex Aristotele: Φησὶ περὶ Κωνώπιον τῆς Μαιώτιδος λίμνης, τοὺς λύκους παρὰ τῶν ἁλιέων λαμβάνοντας τροφὴν, φυλάττειν τὴν θήραν· ἂν δ' ὑπολάβωσί τι ἀδικεῖσθαι, λυμαίνεσθαι τὰ λίνα καὶ τοὺς ἰχθύας αὐτῶν. *Apud Conopium ad Lacum Mæotidem*, inquit, *lupos accipere a piscatoribus alimenta, & eorum piscationis instrumenta custodire: quod si aliqua se affectos injuria putent, lina & pisces eorum tunc infestare.* Plura Pausanias in *Corinthiacis*, Manasses in *Politicis*, & Dio, quem vide.

Lupa & Acca Larentia inter numina.

Lupus pecuniam furatam a templo ostendit, furemque occidit.

Lupus socius piscatorum.

CCCXXVIII. Festum itaque Lupæ dicatum nudos exhibebat juvenes concursantes, seseque vapulantes, faciebus cruore larvatis. An quia Pan nudus colebatur? ita censet Justinus *lib.* 43. *cap.* 1. ex Trogo: *Ipsum Panis simulachrum nudum caprina pelle amictum est, quo habitu nunc Romæ Lupercalibus decurritur.* An nuditas exercenti se confert ad salutem? occinit Martialis *lib.* 3. *epigr.* 68.

Pan nudus.

Gymnasium, thermæ, stadium est hac parte; recede;
Exuimur, nudos parce videre viros.

Cur nudi currunt.

Per poros livor sudore manat, auraque corpus reficitur, ut currendo respirent præcordia. An expeditiori pernicitate & agiliores in lucta nudi se agitant? apud Lacones hæc lex commendatur, puellasque denudant, ut pugnent, asseritque Propertius *lib.* 3. *el.* 13.

B *Inter luctantes nuda puella viros.*

An quia oculis Dei cuncta sunt nuda, & primum hominem nudum statuit, ut esset princeps terrarum? assentitur Proclus ex Pythagora, *nudus oritur homo, nudum inspicit Deus: cur veste te occultas, si te videt?* An quia homo est ludus Dei? ita Plato in septimo *de Legibus*: *Homo jocus est, ludusque deorum.* Ideo ludis deos colebant Veteres; & in *Cratylo* addit, deos interdum jocari ac ludere: expendit Ficinus: *Jocantur quidem nos circa divina, jocantur & dii circa nostra:* quomodo? illi dum nostra curant, nos cum primum numina colimus. Nam a *lusu* dicitur ludus, ut notat Isidorus ex Varrone, licet a Lydis, qui ex Asia in Hetruria consederunt, Timæus etymum referat: at Tertullianus in libro *de Spectaculis* inquit: „ Sed si Var„ ro ludos a ludo, id est, lusu, interpre„ tatur, sicut & Lupercos Ludos appel„ lant, quod ludendo discurrant; tamen „ eum lusum juvenum, & diebus festis, & „ templis, & religionibus reputat; Divus D Augustinus lib. 4. *C. D.* cap. 1. ait, *Varro in rebus divinis posuit ludos scenicos*: addit Valerius Maximus lib. 2. *de Spectaculis* cap. 4. „ Theatra sæpenumero animosas acies in„ struxerunt, excogitataque CULTUS „ DEORUM & hominum delectationis „ causa, non sine aliquo pacis rubore vo„ luptatem & religionem civili sanguine, „ scenicorum portentorum gratia macula„ runt: nam olim dii dæmones ingenti conatu ludos petierunt ad cultum, religionisque monumentum, testaturque Lactantius Firmianus *de vetere cultu* cap. 20. E „Ludorum celebrationes deorum FESTA „ sunt, siquidem ob natales eorum, vel „ templorum novorum dedicationes, sunt „ constituti: & primitus quidem VENA„ TIONES, quæ vocantur Munera, Sa„ turno attributæ sunt: Ludi autem SCE„ NICI Libero: CIRCENSES Neptu„ no: paulatim vero & cæteris diis idem „ honos tribui cœpit, singulique LUDI „ numinibus eorum consecrati sunt. Hæc ille; & antea Sigilinnius * Capito in libris *Spectaculorum* docuit.

Nuda sunt omnia coram Deo.

Homo Dei lusus.

Ludi etymum a Lydis.

A lusu.

Ludi sacri diis dicati.

Ludi deorum festa.

F CCCXXIX. Igitur ludorum institutio consecratio Deorum est, probatque Tertullianus post multa, ubi de Spectaculis ait, *nihil jam de causa vocabuli, cum rei causa idololatria sit.* Addit simile consecrationis proinde facinus: *Dehinc Equiria Marti Romulus dixit, quamquam & Consualia Romulo defendunt, quod ea Conso dicaverit deo, ut volunt, Consiliis:* ergo sicut Equiria,

Deorum consecratio.

* An *Sisinnius*.

Accæ Larentiæ consecratio.

& Consualia diis, ita Lupercalia Accæ Larentiæ Lupæ, quam inter numina adscripsit; nec eo inficias, dum Pontifex sacra ad Accæ aram de more litaret, ejusque meminit Tullius *ad Brutum*, dum ait: *Hunc honorem mulieri Larentiæ tribuerunt, ut in Fastis ejus nomen adscriberetur, cujus Pontifices ad aram in Velabro sacrificium facere solent*; quod V. Antias scriptum reliquit; & Varro hoc sacrum ad Larentalia describit, & ait: *Hujus sacrificium fit in Velabro, non longe a Porta Romanula*: SextusPompejus hanc, ut plerique putant, *Romanam* appellat: Plutarchus *circa descensum ex Palatio in Circum Maximum* statuit: sed antiquior Varro a Roma dictam tradit, *quæ habet gradus in Navalia ad Volupiæ sacellum*: & ex S. Ruffo Panvinius in Regione VIII. signat, *sepulchrum Romuli, & sepulchrum Accæ Laurentiæ in Via Nova*: quæ licet defuncta, inter numina ludus Lupercorum demonstrat; nec officit loculus; enimvero Jovis sepulchrum in Creta recolitur, & nihilominus Deus Optimus Maximus votis nuncupatur; erat fortasse ab antiquis usque temporibus mos superstitiosus consecrationis apud Latinos; etenim Æneam dixerunt deum indigetem ad ripas Numici; quem ritum secuti juvenes nutricem suum pastorum principis uxorem in deorum albo scripserunt: commendo pietatem erga parentem, & posteros ad gratitudinem advoco tantæ religionis exemplo: nam prima idola pietas erexit, sed stulta: sit memor parentum Heros, & Deum genitorum patrem & Orbis agnoscat; huic sacra & aræ, imo corda dicata fulgeant; etenim ipsius genus sumus, & in ipso vivimus, movemur, & sumus. O vita, o Parens, in te bonum, in te pulchrum, cuncta in te agnosco, & veneror; si possem, si haberem quicquam quod in te non esset, dicarem tibi, offerrem lubenter, etiamsi deus essem, Deum te esse profiterer; quod habes do, meipsum, totumque hominem, ex animi sententia Deo meo vivo & vero offero, & precor; Opus manuum tuarum ne despicias.

Porta Romanula. — *Jovis sepulcrum.* — *Pietas erga parentes.* — *Erga Deum vera pietas.*

CAP. XXVI.

De Remi ab Amulii ac Numitoris subulcis captura, ac Lupercaliorum die festo, quo Remus inter Sacra vulneratus vinculis cessit. De LUSTRATIONE *Veterum narratio.*

Inter sacra Remus fit captivus.

CCCXXX. DUm sacra Panis ludicra, Lycæi numinis, in Lupæ obsequium juvenes prestantissimi, sacrorumque Antistites prosequuntur, prædones invigilant, abactam inhiantes prædam, undique insidias instruunt, & Remum cominus concursantem aggrediuntur, victumque abducunt. Annum octavum supra decimum tunc Romulus cum fratre agebat, robore ac virtutum gloria erant insignes, mira pernicitate ac militari industria conspicui præcellebant, ita ut eorum nomen male operantibus pavor, manusque cunctorum incursantium exterminium esset; idque Ovidius in tertio *Fastorum* occinit vers. 59.

Romulus & Remus 18. annorum juvenes.

> *Martia ter senos proles adoleverat annos,*
> *Et suberat flavæ jam nova barba comæ,*
> *Omnibus agricolis, armentorumque magistris*
> *Iliadæ fratres jura petita dabant:*
> *Sæpe domum veniunt prædonum sanguine læti,*
> *Et redigunt actos in sua jura boves.*

Prædones exspoliant pauperes.

CCCXXXI. Hæc causa dissidii & seminarium odii virtus fuit; enimvero inter sylvarum condensa, antra erant prædarum receptacula, in quibus pauperum spolia fures occultabant; moremque Antiquorum secuti prædones furabantur: at sicuti olim vetus ætas Herculem attulit, Caci impiissimi exterminatorem monstri, ita & recens Romulum Remumque dedit in fures; de spelunca Caci Evander Rex apud Virgilium lib. 8. *Æneidos* vers. 193. Æneam alloquitur,

Fures.

> *Hic spelunca fuit vasto summota recessu*
> *Semi-hominis Caci; facies quam dira tegebat,*
> *Solis inaccessam radiis, semperque recenti*
> *Cæde tepebat humus, foribusque affixa superbis*
> *Ora virum tristi pendebant pallida tabo:*
> *Huic monstro Vulcanus erat pater; illius atros*
> *Ore vomens ignes, magna se mole ferebat.*

Spelunca Caci furis.

De isto Propertius *el.* 10. *lib.* 4. canit,

> *Incola Cacus erat metuendo raptor ab antro.*

Ovidius similiter lib. 1. *Fastorum* concinit vers. 551.

> *Cacus Aventinæ timor atque infamia sylvæ.*

Hunc tandem post Geryonis victoriam interfecit Hercules, & aram ab incolis, quam maximam dicunt, de more rituque sacrorum, summo omnium plausu obtinuit:

Cacus ab Hercule interfectus.

> *Et domus Herculei custos Pinaria sacri,*
> *Hanc aram luco statuit, quæ MAXIMA semper*
> *Dicetur nobis, & erit quæ maxima semper.*

Ara Maxima.

ait Virgilius *lib. cit.* vers. 270. At soboles inclyta Martis iisdem in locis aram regnumque promeruit; enimvero a prædonibus subulcisque compressi inter insidias, & vinculis aggravatus Remus solvit Gordii sive Fortunæ nexum, & cum fratre regnavit; Historiam dignam scitu refero, & Lector vices fortunæ, Deo cooperante, animadvertat, ut sapiat.

CCCXXXII. Scribit namque Dionysius Halicarnasseus l. 1. *Antiquitatum*: Ἐπεὶ δὲ ἀμφὶ τὰ ὀκτωκαίδεκα ἔτη γεγονότες ἦσαν, ἀμφίλογόν τι περὶ τῆς νομῆς αὐτοῖς γίνεται πρὸς τοὺς Νομίτορος βου-

κόλυς, οἳ περὶ τὸ Αὐέντιον ὄρος ἀντικρὺ τῦ Παλαντίυ κείμενον εἶχον τὰς βυςάσεις ..... ἐκ δὲ τῆς ἀψιμαχίας ταύτης ἐγένοντο πληγαί ποτε διὰ χειρῶν, εἶτα δ' ὅπλων. Τραύματα δὲ πολλὰ πρὸς τῶν μειρακίων λαμβάνοντες οἱ τῦ Νομίτορος, καὶ τῶν χωρίων κατὰ κράτος ἐξειργόμενοι, παρασκευάζονται δόλον τινὰ ἐπ' αὐτὺς. *Annum ingressi octavum supra decimum controversiam habuerunt de pascuis cum Numitoris bubulcis in Aventino e regione Palatini Montis stabulantibus ..... ab his pugnæ seminibus ad manus, & ad arma demum ventum est. Numitoris pars multis affecta vulneribus, cum vi a pascuis expulsa esset, ad dolum vertitur.* Quod factum recenseo an. O. C. MMMCXCI. Ludis Lupercalibus præstante in sacris Romulo. Dolum insidiasque refert Livius, sed causam diversam, inquit enim *lib. 1. cap. 4.* „ Huic „ deditis ludicro cum solenne votum esset, „ insidiatos ob iram prædæ amissæ latro„ nes, cum Romulus vi se defendisset, „ Remum cepisse: captum Regi Amulio „ tradidisse, ultro accusantes, crimini „ maxime dabant, in Numitoris agros ab „ his impetum fieri: inde eos collecta „ juvenum manu hostilem in modum præ„ das agere. Insidiarum Auctores ab Amulio missos docet liber secundus *Pontificalium*, & quia timebant in robustissimos fratres impetum facere, commentum ad securitatem tentare ausi sunt, & inter sacra sacrilegium perpetrare, recensetque ex eo Aurelius Victor in *Origine gentis Romanæ*: „ Proditur missos ab Amulio, qui Re„ mum pecorum pastorem attraherent, „ cum non auderent ei vim afferre, oppor„ tunum tempus sibi ad insidiandum na„ ctos, quod tum Romulus aberat, ge„ nus lusus simulasse, quinam eorum, ma„ nibus post terga ligatis, lapidem, quo „ lana pensitari solebat, mordicus subla„ tum quam longissime perferret. Tum „ Remum fiducia virium in Aventinum „ usque se perlaturum spopondisse: dein „ postquam vinciri se passus est Albam ab„ stractum. Vires si non præditæ virtutum pondere ruunt ad necem: etiam Samson præsumens de viribus occidit; Milon Crotoniata, qui Olympiis taurum quadrimum per stadium gestavit, & ictu nudæ manus illum cecidit, cum arborem diffindere tentasset, occluso robore periit; Polydamas Athleta adeo viribus confidebat, ut ruentem speluncam, diffugientibus aliis, conatus sit humeris sustinere, jacuitque sepultus cum tumulo. Inter hostes lusus illudit incautos, & si ludicrum illud antiquum cognoscamus apud Vegetium lib. 1. *de re militari* c. 9. recensetque Plinius *lib. 7. c. 20.* „ Fusium Salvium duo centenaria ponde„ ra pedibus, totidemque manibus, & „ ducenaria duobus humeris contra scalas „ tulisse: *addit post hæc*: Nos quoque vi„ dimus Athanatum nomine prodigiosæ „ ostentationis, quinquagenario thorace „ plumbeo indutum, cothurnisque quin„ gentorum pondo calciatum, per scenam „ ingredi; at Remus ludicro ut manus dedit, captivus abducitur Albam, ubi accusatur et reus plectendus capite.

Controversia pro pascuis.

Vincit Romulus cum fratre.

Insidias victi parant.

Remum capiunt.

Accusant.

Dum ludunt, decipiunt Remum.

Fortissimi ut temerarii pereunt.

Exercitatio vetus.

CCCCXXXIII. Sed vindicias pro Remo agere operæ erit pretium: enimvero non manus extendit ad lora, sed adortus multitudini cessit; Zonaras namque ait: „ Ex„ orta inter Numitoris & Amulii pastores „ rixa, fratres illos cædunt, & magnam „ armenti partem abigunt; postridie Nu„ mitoris pastores Remum cum paucis aliis „ ambulantem ex insidiis adortis ad Numi„ torem trahunt; Dionysius noctu aggressa fratrum stabula tradit, fortiter a Remo usque ad animi deliquium defensa: „ Posi„ tis enim in angusta quadam & obscura „ valle insidiis ad præstitutum tempus „ magna manu invadunt noctu stabula ju„ venum. Aberat tum Romulus sacrorum „ causa cum vicanorum præcipuis Cæni„ nam profectus. Remus vero mature cum „ paucis ad opem ferendam accurrit, non „ tamen impetum ejus tulerunt adversarii, „ sed fuga receperunt se ad jam structas in„ sidias: at Remus ignarus doli diu fu„ gientes prosecutus, impetu ultra infes„ sum locum evectus est: moxq; aliis a tergo „ insurgentibus, aliis eodem tempore a „ fronte in pugnam revertentibus, undiq; „ saxis impetitus intercipitur, & captivus „ abducitur: sic enim mandatum fuerat a „ Dominis, ut juvenes vivos in potestatem „ suam redigerent, atque hoc modo Re„ mus abductus est. Hæc ille. Plutarchus aggressum victumque offert: „ Invadunt „ Numitoris pastores iter cum parvo comi„ tatu facientem Remum, dum ictus & „ vulnera utrinque inferuntur, vincunt „ pastores Numitoris, ac Remum cupiunt. Caveat qui plures offendit: nec solus incedat a multis quæsitus ad necem: sic Machabæorum Principes ceciderunt, corruitque Israel inter trophæa.

Remus multitudini cessit.

Noctu aggressus.

Vulneratur.

CCCCXXXIV. Nihilominus quia Scriptores variant, Ælius Tubero gravis Auctor & Scriptor diligens tradit: „ Numi„ toris pastores insidiis elegisse tempus, quo „ juvenes solenne Arcadium, olim ab E„ vandro in honorem Lycæi Panis insti„ tutum erant celebraturi, quando mos „ erat incolas Palatini Montis peracto sa„ cro nudos circum vicum discurrere, suc„ cinctos tantum pudenda recens macta„ torum pecorum exuviis: id erat LU„ STRATIONIS genus quoddam vicanis „ receptum usu patrio, quod nunc quoque „ solet fieri. Hac occasione collatis circa an„ gustum quendam callem insidiis ad in„ tercipiendos ludicrum agentes juvenes, „ in primum agmen, in quo Remus erat, „ factus est impetus, longe relicto cum aliis „ Romulo: nam per intervalla agmina tria „ fuerant, & priusquam cæteri possent suc„ currere, insidiatores universi cohorti cir„ cumventos petebant saxis, jaculis, aliis„ que telis, ut quodque in manus venerat: „ illi nec opinato casu attoniti, & incerti „ quid faciant inermes armatis expositi, „ facile in potestatem redacti sunt. Hactenus ille: & Plutarchus *in sacrificio* occupatum Romulum fuisse scribit; Ovidius simul ad Lupercal sacrum peregisse occinit, monitosque ab exploratore cursu utrumque præcipitasse, lib. 2. *Fast.* ℣. 369.

Locus insidiarum & tempus.

Pastor ab excelso, per devia rura juvencos,
Romule, prædones, & Reme, dixit, agunt.
Longum erat armari: diversis exit uterque

Dum sacra faciunt, hostes insultant.

Partibus; occursa præda recepta Remi est:
Ut rediit, verubus stridentia detrahit exta.
Atque ait, Hæc certe nonnisi victor edet:
Dicta facit, Fabiique simul; venit irritus illuc
Romulus, & mensas ossaque nuda videt.
Fabii Remum sequuntur, Quinctilii Romulum. *Risit; & indoluit, Fabios potuisse Remumque*
Vincere: Quinctilios non potuisse suos.
Fama manet facti; posito velamine currunt;
Et memorem famam, qui bene gessit, habet.
Forsitan & quæras, Cur sit locus ille Lupercal,
Quæve diem tali nomine caussa notet?
Sylvia Vestalis cælestia semina partu
Ediderat, &c.

CCCXXXV. Itaque dum Lupercalia Romulus cum fratre de more perageret, hostes ex insidiis irruentes Remum vinctum abduxerunt ad Amulium; ita Pomponius Lætus, Ælius Tubero, & proclamans Liviana Historia: & quia annum orbis conditi 3191. adnotabamus, tempus diemque capturæ animadvertere opportunum existimo, fuit namque mense Februa-
Mense Februario lustrationes. rio, in quo LUSTRATIONES habebantur, asseritque Festus Pompejus: „ Februarius mensis dictus, quod extremo „ mense anni Populus februaretur, id est, „ lustraretur ac purgaretur: vel a Junone „ Februata, quam alii Februalem, Roma-
Origo lustrationum. „ ni Februlim vocant, quod ipsi eo mense „ sacra fierent, ejusque feriæ erant LUPERCALIA, quo die mulieres februa- „ bantur a Lupercis amiculo Junonis, id „ est, pelle caprina: quam ob causam is „ quoque dies Februatus appellabatur;
Dies Februatus. Varro Auctor Festo antiquior inquit: „ Lupercalia dicta, quod in Lupercali Luper- „ ci sacra faciant; Rex cum ferias menstruas Nonis Februariis edicit, hunc diem „ Februatum appellat. Ovidius lib. 2. *Fastorum* vers. 31.

Denique quodcumque est, quo corpora nostra piantur,
Hoc apud tonsos nomen habebat avos:
Mensis ab his dictus, sancta quia pelle Luperci*
Omne solum lustrant, idque piamen habent.

Virgilius similiter occinit lib. 1. *Georg.* vers. 345.

Terque novas circum felix ea† hostia fruges, &c.
*Quam circum ** tota redimitus tempora quercu,*
Det motus incompositos, & carmina dicat.

Februus deus expiationum. A Numa Macrobius putat Februum deum nuncupatum: *Qui lustrationum potens creditur; lustrari autem eo mense civitatem necesse est.* Hæc ille *Sat.* l. 1. cap. 7. observabat proinde *l.* 3. *cap.* 6. *Quod lustrare signi-*

* Rest. *secta*. † Leg. *eat*. ** Rep. *Cereri, torta.*

A *ficat circuire*, ex eo Virgilii *loco* mox *cit.* Lustrare est circuire.

Terque novas circum felix eat hostia fruges.

Et in *Bucolicis*, ubi de apotheosi Daphnidis loquitur *ecl.* 5. vers. 74.

Hæc tibi semper erunt, & cum solennia vota
Reddemus Nymphis, & cum lustrabimus agros.

B Propertius *libri* 4. *elegia* 6.

Terque focum circa laneus orbis eat.

Tibullus *elegia* 1. *libri* 2.

Quisquis adest faveat, fruges lustramus & agros,
Ritus ut a prisco traditus exstat avo.

Ritumque in *Pharsalia* Lucanus occinit lib. 1. vers. 592.

C
Mox jubet, & totam pavidis a civibus Urbem
Ambiri; & festo purgantes mœnia lustro,
Longa per extremos pomœria cingere fines
Pontifices, sacri quibus est permissa potestas: Urbis lustratio.
Turba minor ritu sequitur succincta Gabino,
Vestalemque chorum ducit vittata Sacerdos.

Pomponius Lætus consonat, *a purgando*
D *dicitur dies Lupercaliorum februata*: antea Varro antiquorum consensu Patrum: *Februum Sabinis purgamentum, & id in sacris nostris verbum: nam & LUPERCALIA Februario, ut in Antiquitatum libris demonstravi.* Modum, simulque originem Ovidius lib. 2. *Fastorum* vers. 19. offert,

Februa Romani dixere piacula ‡ Patres; Lustrationis modus.
Nunc quoque dant verbo plurima signa fidem:
Pontifices a Rege petunt & Flamine lanas,
E *Queis veteri in Lingua Februa nomen erat,*
Quæque capit lictor domibus purgamina certis
Torrida cum mica farra, vocantur idem:
Nomen idem ramo, qui cæsus ab arbore pura
Casta Sacerdotum tempora fronde tegit.

Modum lustrandi & sacra erudite Alexander refert *lib.* 5. cap. 27. „ Vitula præce-
F „ dente, aut agna coronata, messis, ager, „ fundus, terra, grex, vel pecus ter cir- „ cumlustrabantur, prosequente agrestium „ turba cum fistula solennique psaltatu „ & clamoribus deam deumve, cui sacra „ fiunt, invocante, uti morbos, vastitudi- „ nem, calamitates, & intemperies pro- „ hiberent, frumentaque grandire & bene Ritus in lustrando.

‡ Alii melius, *piamina*

„ venire finerent, pastores pecoraque ser- „ varent. Hinc Apulejus preces solennissimas Sacerdotes præfari tradit, *tæda lucida, ovo, & sulphure*: Plinius *lib.* 35. *cap.* 15. religiosum putat sulphur in sacris, *habet & in religionibus locum ad expiandas suffitu domos*. Satyricus * occinit,

Sulphur.

—— cuperent lustrari, si qua darentur
Sulphura cum tædis, & si foret humida laurus.

Occinitque Ovidius lib. 6. *Metam.* ver. 261.

Terque senem flamma, per aqua, ter sulphure lustrat.

Aqua maris expiatrix.

Quo ritu addita ex mari aqua quæ violata sunt expiari putantur, ut probat Cælius *lib.* 11. *cap.* 22. Homerus etenim ait *Iliad.* lib. 1. vers. 314.

—— καὶ εἰς ἅλα λύματ' ἔβαλλον,
—— in mare sordes rejiciebant.

Et Euripides in *Iphig. in Tauris* vers. 1193.

Θάλασσα κλύζει πάντα τἀνθρώπων κακά,
Cuncta mortalium mala abluit mare.

Ovum.

Ob quod Lycophron in *Alexandra* vers. 135. ἀγνίτην πάγον, *lustralem salem* vocat: & Proclus ait, *ad purificationem adhiberi sulphur & maris aquam.* Sed quid in OVO? An Mundi simulachrum? ita Macrobius lib. 7. *Sat.* cap. ultimo: „ Consule initia- „ tos sacris Liberi Patris; in quibus hac „ veneratione ovum colitur, ut ex forma „ tereti ac pene sphærali, atque undique „ versum clausa, & includente intra se „ vitam, MUNDI SIMULACHRUM „ vocetur. Sic Sacerdotes etiam expiari orbem ausu ingenti contendebant, & singula deinde: unde exercitum lustrari legimus: Virgilius proinde lib. 6. *Æn.* vers. 229. ramum olivæ perhibet;

Ramus olivæ.

Idem ter socios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi, & ramo fœlicis olivæ:
Lustravitque viros, dixitque novissima verba.

Lustrum militare.

CCCXXXVI. Hinc lustratio militaris, quæ a Censoribus vel Ducibus fiebat in recensendis militibus olim post quinquennium, unde *Lustri* nomen apud Veteres, præcipue apud Tullium lib. 1. *de Divin.* Cæsarem *de Bello Gallico* lib. 8. Livium *l.* 8. *dec.* 4. *Lustratus exercitus*, recensitus dicitur. Lustrum quinquennale similiter ad censum pertinebat, de quo Livius *lib.* 9. *dec.* 3. Hunc morem a Græcia ad Romanos promanasse canit Ovidius lib. 2. *Fastorum* vers. 29. & Romulus a Gabiis inter reliquos Græcorum ritus edidicit:

Ejus origo a Græcia.

Denique quodcumque est, quo corpora nostra piantur,
Hoc apud intonsos nomen habebat avos:
Mensis ab his dictus, secta quia pelle Luperci
Omne solum lustrant: idque piamen habent.
Aut quia placatis sunt tempora pura sepulchris,
Tunc cum ferales præterieve dies:
Omne nefas, omnemque mali purgamine causam
Credebant nostri tollere posse Senes.
Græcia principium moris dedit; illa nocentes
Impia lustratos ponere facta putat:
Actoridem Peleus, ipsum quoque Pelea Phoci
Cæde per Hæmonias solvit Acastus aquas:
Vectam frænatis per inane draconibus Ægeus
Credulus immerita Phasida fovit ope:
Amphiaraides Naupactoo Acheloo,
Solve nefas, dixit; solvit & ille nefas.
Ah nimium faciles, quia tristia crimina cædis
Fluminea tolli posse putatis aqua!

Probatur exemplis.

* Juvenalis *Sat.* 2. vers. 157.

Extrema carmina satis vera, occinitque Hippolytus apud Senecam vers. 712.

Quis eluet me Tanais? aut quæ barbaris
Mæotis undis Pontico incumbens mari?
Non ipse toto magnus Oceano pater
Tantum expiarit sceleris.

Hebræorum ritus in lavacris.

At vetus ætas expiationem credidit, fortasse a mari æneo, quod Salomon condidit: aut a sanctificatione Judæorum, quæ vestimenta nova & lavacra præferebat in sacris; de labro æneo vide *Exodum* c. 29. v. 28. ubi nos plura. An Dæmon aquam baptismalem est æmulatus? sicut in Mitra Eucharisticum sacrum, sic fortasse in aqua lustrali & expiatoria: benedicitur namque aqua, ut PP. in Concilio Nicæno 1. *Can.* 68. docent: *Ad mundationem immunditiæ eorum, qui comederunt morticinium*: Gregorius Nyss. in *Orat. de Bapt. Aqua, quæ benedicitur, purgat & illum hominem*: Sanctus Cyprianus *ep.* 70. ad Januarium: *Oportet mundari & sanctificari aquam prius a Sacerdote, ut possit baptismo suo peccata hominis qui baptizatur abluere.* Sanctus Augustinus *Serm.* 181. *Signo Crucis sanctificatur fons baptismalis.* Modum rationemque enarrat Sanctus Paulin. *ep.* 14. ad Severum:

Aqua baptismalis.

Hic reparandarum generator fons animarum
Vivum divino lumine flumen agit;
Sanctus in hunc cælo descendit Spiritus amnem,
Cælestique sacras fonte maritat aquas:
Concipit unda DEUM, *sanctamque liquoribus almis*
Edit ab æterno semine progeniem.

CCCXXXVII. Sed quia satis de Lustratione & Lupercis diximus, diem Lupercaliorum inquirimus, ut capturæ Remi tempus in lucem prodeat: Ovidius & Dionysius annum decimum octavum juvenes attigisse scribunt, sed annus decem mensium circulo claudebatur; quinquaginta etenim dies addidit Numa, ut trecentos quinquaginta quatuor dies, quibus duodecim Lunæ cursus confici credidit, annus

Anni ratio apud Veteres.

A extenderetur; atque his quinquaginta adjecit alios sex retractos illis sex mensibus, qui triginta habebant dies, id est, de singulis singulos, factosque quinquaginta & sex dies in duos novos menses pari ratione divisit: ac de duobus priorem Januarium nominavit, & anni initium esse voluit: teste Macrobio *lib. 1. cap. 13. Tanquam bicipitis dei mensem, recipientem † ac prospicientem transacti anni finem, futurique principia:* Ausonius ubi *de Mensibus*,

Januarius a Jano.

Jane bifrons spectans tempora bina simul.

B

An Noe fuit Janus?

Ideo mendax Berosus Annianus asserit, Noe eundem esse cum Jano vitifero, quem dixere bifrontem, quia seculum ante diluvium vidit, & post illud vixit; sequebatur Januarium Februarius pari ratione a Numa additus; sed Ovidius lib. 2. *Fastorum* vers. 47.

Sed tamen (antiqui ne nescius ordinis erres)
Primus, ut est, Jani mensis & ante fuit;
C *Qui sequitur Janum, veteris fuit ultimus anni:*
Tu quoque sacrorum, Termine, finis eras:
Primus erat Jani mensis, quia janua prima est;
Qui sacer est imis manibus, imus erat:
Postmodo creduntur spatia distantia longo
Tempora bis quini continuasse viri.

Februarius olim ultimus.

Postea secundus.

Itaque ab antiquo ultimus erat mensium Februarius, deinde a Numa recensitus primo successit, servavitque ordinem Decemviris
D præeuntibus: observatque Macrobius *loco cit. Solus Februarius viginti & octo retinuit dies; quasi Inferis & diminutio, & par numerus contineret* *. Ideo *imus* ab Ovidio dictus; a Sexto Pompejo *extremus anni*; a Columella *feralis*,

Cappadocamque premit ferali mense Lupercus.

Est Cappadoca herba, quam Plinius *lib. 26. cap. 4. Artbemisiam*, sive *Ambrosiam*
E vocat. Ausonius monosticha *de Mensibus* edidit, juxta Calendarium Numæ,

Primus Romanas ordiris, Jane, Calendas:
Februa vicino mense Numa instituit.

Addit idem,

Dat Numa cognatis Manibus inferias.

Eo mense Inferiæ.

CCCXXXVII. Igitur Lupercalia a Romulo ultimo anni mense recolebantur, qui
F tunc Februarius erat, Plutoni sacer, ut Isidorus scripsit; ejus nomen a *februo* Censorinus refert, quod expiare Veterum auctoritate indicat; Lilius etymum elicit e sale, quem calidum in Lupercalibus *Februum* vocabant; & ex Plutarcho, Ovidio, ac Varrone signat Lupercalia XV. *Cal. Martii*. Sic in Calendario tempore Constantini Magni edito, & in Fastis Calendaribus, quos Gneus Flavius publicavit F. LUPER.

Februarius Plutoni sacer.

Dies Lupercaliorum.

† Rest. *respicientem*. * Leg. *conveniret*.

AP. addamus Calendarium Rusticum, quo olim veteres vicani utebantur, eodem mense signata Lupercalia invenimus;

Kalendarium Rusticum.

MENSIS.
FEBRVARIVS.
DIES XXVIII.
NON. QVINT.
DIES. HOR. XIII.
SOL. QVARTO.
TVTEL. NEPTVNI.
SEGETES.
SARIVNTVR.
VINEARVM.
SVPERFIC. COLIT.
HARVNDINES.
INCENDVNT.
PARENTALIA.
LVPERCALIA.
CARA. COGNATO.
TERMINALIA.

Exstat in marmore quadrato quatuor lateribus inscriptum Romæ in acie † Campi Floræ apud Farnesios.

CCCXXXIX. Itaque eo ipso die Lupercaliorum festus a Numa signatus exhibetur, quo a Romulo peractus, & Remus ab Amulii Numitorisque pastoribus captus fuit, die decimoquinto Februarii: juvenum ætatis ann. XVIII. O C. MMMCXCI. Sole in Piscibus ventorum inconstantiam excitante per dies sex, adnotabatque Ovidius in *Fastis* lib. 2. vers. 453.

Annus & dies, quo Remus captus fuit.

Sub Piscibus ventorum inconstantia.

Orta dies fuerit, tu desine credere ventis:
Perdidit illius temporis aura fidem.
Flamina non constant; & sex reserata diebus
Carceris Æolii janua lata patet.

Captus Remus vulneribusque affectus accusatur ut reus; Dionysius *lapidibus contusum* describit: Ælius Tubero *circumventum saxis, aliisque telis* vulneratum: asseritque Plutarchus: Ex tunc inter ardua cœpit Romanorum virtus proprio cruore purpurata virescere, & vulnera pulchritudinem Heroumque ostentabant; occinitque Sydonius Apollinaris *carm. 23.* ad Consentium, qui in bello vulneratus deformitatem præferebat in ore:

Remus vulneratus.

Inter vulnera crevit Romanorum virtus.

Sed non hinc videare sorte turpis,
Quod te machina crebra perforavit:
Namque in corpore fortium virorum
Laus est amplior, amplior cicatrix.
In Castris Marathoniis merentem
Vulnus non habuisse, grande probrum est,
Inter Publicolas manu feroces
Trunco Mutius eminet lacerto:
Vallum Cæsaris opprimente Magno
Inter tot facies ab hoste tutas,
Luscus Scæva fuit magis decorus.
LAUS EST ARDUA DURA SUSTINERE.

Hinc Alexander Macedo, ut refert Curtius *lib. 4. Spondere pro se quot cicatrices totidem corporis decora solebat.* Claudianus *de Bello Getico* versic. 586. de Alanis occinit,

† Forte, *area*.

Vul-

Vulneribus pars nulla vacat, recisaque * *cunctis*
Gloria fœdati splendet jactantior oris.

Denuo idem Claudianus *ibid.* verſ. 481. de Getis,

——pellita Getarum
Curia; quos plagis decorat numeroſa cicatrix.

Silius Italicus lib. 1. *Belli Punici*,

Virtus ex vulnere.

—— virtus te ſæva jubebit
Per medias volitare acies, mediosque per ignes;
Hæc patrem, patruumque tuos, hæc prodiga Paulum,
Hæc Decios Stygias Herebi detruſit ad undas.

CCCXL. Virtus ſanguine alitur, & inter vulnera degit; mortem non timet immortalitatis parens, unde cicutam ſorbente Socrate pallent carnificum ora, Socratis vultus ridet, timent illi, iſte imperterritus urget iter ad ſidera: ſic Remus, Livio auctore, accuſatus, *Numitori ad ſupplicium datur*, nec curat prædonum vota; tanta proinde magnanimitate præſtat, ut victor triumphum, non patibulum adſcendat; & vere vicit, dum vulnera vulneribus addere flagrat, juxta Lacedæmonum morem, qui cicatrices augere gloriabantur, & ut Seneca ſcribit: *Ipſi illos patres adhortantur, ut ictus flagellorum fortiter perferant, & laceros ac ſemianimos rogant perſeverent, vulnera præbere vulneribus*; & ex Italis Dux ille inclamat,

Lacedæmones laudati.

Son tutto ſangue, al lacerato petto
Fan' al ferir le ſol ferite ſcudo:
Mi laceri, mi sbrani, e demoſtri
Tormentato un tormento agli occhi voſtri.

Martyrum laus.

Quid Martyres? inter ſartagenas † & aculeos cantabant canticum Domini; prunas præ floribus contemnebant, ignemque pro aura; audet talia virtus, ſed fortitudine prædita. Cæterum quid pro mundo laborantes immundi audetis ad necem? Barathrus en patet, aut pro Deo certandum, aut a certamine reſipiſcendum.

CAP. XXVII.

Numitor Romulum ac Remum nepotes cognoſcit, & præ gaudio plorat: Rheam Sylviam monet & ſolvit; adverſus Amulium Tyrannum arma undique parat. De cauſa lacrymarum velitatio.

Sortes hominum variæ.

CCCVLI. Fatorum ordinem ſatis imperſcrutabilem admirantur, qui altum ſapiunt; enimvero viæ, quibus Numen humana dirigit, arcanæ omnino latent, & mentem ita ſuperant, ut ab hominibus Mundi ſapientia præditis cognoſci non poſſint; captus Remus, accuſatus ut reus, damnatus, malam crucem ut vidit, thronum

Remus damnatus trahitur ad ſupplicium, & Regnum occupat.

* Alii, *reſciſſaque*. † An non, *ſartagines*.

A Regni adſcendit, & imperat; enarrat Dionyſius Halicarnaſſeus hiſtoriam in primo *Antiquit.* „ Remus captus Albam „ vinctus perductus eſt; & qui eum ab- „ duxerant, ad tribunal Regis ſiſtunt, ob- „ jicientes injurias acceptas a juvenibus, „ oſtentanteſque ſua vulnera, & ni dedan- „ tur ſibi ad ſupplicium, minitantes reli- „ cturos ſe pecuaria. Tum Amulius volens „ agreſtibus catervatim accurrentibus rem „ gratam facere, & Numitori quoque qui „ forte aderat; indigne ferens læſam clien- „ telam, cupienſque pacem inter ruſticos

B „ componere, cum etiam ſuſpecta eſſet ju- „ venis intrepida oratio, condemnavit ho- „ minem, pœnæ modum permittens fra- „ tris arbitrio, quod æquum videretur, „ penes eum eſſe jus ſupplicii, ad quem „ pertineret injuria. Itaque revinctis a ter- „ go manibus Remus ducebatur a Numi- „ toris paſtoribus, illudentibus obiter & „ convicia jactantibus, proſequente inte- „ rim avo, & demirante CORPORIS „ DECUS plane regium, ſimulque gene- „ roſum ac conſtantem in rebus duris ani-

Conſtantia Remi.

C „ mum, præter communem damnatorum „ morem nullis precibus ſollicitantis ſpe- „ ctatorum miſericordiam, ſed cum mode- „ ſto ſilentio euntis ad ſupplicium. Hactenus ille; inter adverſa firmatur animus, & mortem non timet, equidem Lucanus *l.* 8. verſ. 395. ait,

Inter adverſa animus conſtantia firmatur.

—— mors ultima pœna eſt,
Non metuenda viris.

Andromacha apud Senecam in *Troad.* verſ. 423.

D *Hic mihi malorum maximum fructum abſtulit,*
Nil timere: proſperis rebus locus
Ereptus omnis, &c.
Miſerrimum eſt timere, cum ſperes nihil.

Et in *Oedipo* verſ. 386.

Solent extrema * *facere ſecuros mala.*

Denuo Seneca in *Thebaid.* verſ. 188. Antiochen † ad Oedipum reſpondentem ſic facit,

Timorem expellunt viri fortes.

E *Et hoc decebat roboris tanti virum,*
Non eſſe ſub dolore, nec victum malis
Dare terga. Non eſt, ut putas, virtus, pater,
Timere vitam, ſed MALIS INGENTIBUS
Obſtare, nec ſe vertere, ac retro dare.

Pericula etenim probant virorum corda, & mortis diſcrimen firmat ad gloriam; ideo miſerrimos appellat, quorum ſub Judice pallent ora; eoſque vituperat veluti immortalitatis immemores, dum

F turpem adhuc vitam deprecantur, honeſtate, ac fortitudinis decore poſtpoſito; inter timidos recenſere libet Vitellium, de quo Xiphilinus ex Dione inquit: „ Cum exercitus Veſpaſiani Romam adventaret, ita perterritus obſtupuit, „ ut nihil certi ageret, aut ſentiret, „ ſed temere ſurſum deorſum ferre- „ tur, veluti in maxima tempeſtate;

Imbelles vitam obſecrant turpem.

* Alii, *ſuprema.* † Reſcr. *Antigonen.*

„ modo enim Imperium arcte tenere, ac-
„ curateque defendere conabatur; modo
Vitellii infelicitas.
„ ultro deponebat; interdum ferebat chla-
„ mydem purpuream, accingebatque gla-
„ dium; interdum pulla veste induebatur;
„ concionem habebat in Palatio, ferroque
„ ac milites nonnunquam ad pacem fa-
„ ciendam cohortabatur: partim devove-
„ re se pro salute Reipublicæ; partim ca-
Despondet animum.
„ ptare misericordiam, ejusque rei causa
„ FILIUM, quem tenebat in manibus,
„ amplexari, & ante oculos eorum pone-
„ re: dimittere Prætorianos, rursum ac-
„ cersere: domum fratris se recipere, reli-
Inconstantia.
„ cto Palatio, mox eodem reverti: sic cum
„ maximo furore huc & illuc concursaret,
„ eum irridebant, præcipue, quod in con-
„ cionibus gladium tradebat Consulibus
Irrisio.
„ & Senatui, ut ex eo summum Imperium
„ deponeret, quem dum nemo ex Senato-
„ ribus auderet capere, ii qui aderant mul-
„ to magis ridebant. Tandem imbellis ho-
mo, timidus, insanus, ac demens, „ sor-
„ dido attritoque sagulo amictus se abdi-
„ dit in obscurum locum, ubi canes ale-
„ bantur: sed investigatus, inventusque,
„ pannis obsitus, & sanguine profusus,
„ quod eum canes læserant, deprehendi-
Ludibria.
„ tur: deinde veste ejus scissa, vinctisque
„ a tergo manibus, ac laqueo in collo re-
„ ligato, Cæsarem e Palatio, ubi magnas
„ voluptates ceperat, deducunt, trahunt-
„ que in forum: ubi ei colaphos impin-
„ gunt, alii barbam vellunt, illudunt o-
„ mnes, ac contumeliose maledicunt. In-
fandum fortunæ ludum, sed timentis stul-
titiam hominis exsecrandam scripsimus,
ad Remi commendationem satis insignem.
Enimvero istius constantia, vultus imper-
territus, & in ultimo mortis discrimine
fortitudo, a supplicio vindicavit; inquit
Remi fortitudo admirabilis.
enim Zonaras *p.* 2. *An.* „ Amulius Re-
„ mum Numitori ad supplicium dedit, qui
„ domum regressus, quum adolescentem
„ magnitudine & robore præstantem vi-
„ deret, ejus fidentiam & minime servilem
„ indolem mirabatur; ita ille ex Plutar-
cho, qui ait: „ Corporis eximiam præter
„ cæteros speciem & robur miratus, simul
„ animadversa in vultu audacia, & confi-
„ dentia animi, imperterritaque & invi-
„ cta præsenti periculo constantia: facta
„ deinde & gesta ejus audiens, eaque cum
Deo duce cognoscitur.
„ corpore & animo comparans, ad caput
„ magnarum rerum, DEO haud dubio in
„ primis præsente & auctore, perducitur.
Tanta fuit juvenis constantia, & virtus ad-
mirationem contulit, ut dum mori fortiter
non timeret, Heroum genus agnoscere-
tur; Chabrias, teste Cornelio Nepote, „
„ præstare honestam mortem turpi vitæ e-
„ xistimans, cominus pugnans telis hostium
„ interfectus est. Tacitus in *Agricola*, „
„ Proinde & honesta mors turpi vita potior,
„ & incolumitas ac decus eodem loco sita
„ sunt: ad Catonem conversus Valerius M.
Præstat mori quam turpiter vivere.
l. 3. *cap.* 2. inquit: „ Constantissime in
„ gladium incumbendo, magnum homini-
„ bus documentum dedisti, quanto potior
„ esse debeat probis dignitas sine vita, quam
„ vita sine dignitate: at & ignavi pluris qua-
lemcumque vitam honesta morte æstimant.

CCCXLII. Interim Romulus certior
factus capturæ Remi fratris sui aram undi-
A que parat & bellum: genus suum a Fau-
stulo agnoscit, animum erigit ad Regnum,
& audet Tyrannum obtruncare; Aurelius
Victor ex l. secundo *Pontificalium* prodit
facinus: „ Quod postquam Romulus com-
Romulus pastores armat.
„ perisset, coacta pastorum manu, eaque
„ in centenos homines distributa, perticas
„ MANIPULIS FOENI varie formatis
„ in summo junctas dedisse, quo facilius eo
„ signo suum quisque Ducem sequeretur:
„ unde institutum, ut postea milites, qui
Erigit manipulos
„ ejusdem signi essent, MANIPULARES
„ dicerentur. In itinere secretum suæ ori-
B ginis Romulo Faustulum aperuisse scribit
in primo *Antiquitatum* Dionysius, mo-
nuitque ne præceps rueret: „ Romulus, ut
„ fratris cognovit infortunium, cum sele-
„ cta manu pastorum abeuntes insequi vo-
„ luit, ratus Remum ex itinere se posse re-
„ trahere; sed ab hoc consilio ut insano
Faustulus enarrat Romulo genus suum.
„ Faustuli auctoritate cohibitus est: hacte-
„ nus enim existimatus pater juvenibus se-
„ cretum nunquam prodiderat, ne ante
„ tempus adirent periculum, priusquam
„ satis esset virium: tunc vero necessitate
C „ compulsus, semotis arbitris, Romulo
„ rem totam aperit: at juvenem edoctum
„ de omnibus jam inde a principio suis ca-
„ sibus, tum matris miseratio, tum Numi-
„ toris cura subiit: & post longam consul-
Ad bellum comparat.
„ tationem cum Faustulo habitam a præ-
„ senti conatu destitit, malens majori ap-
„ paratu paternam domum vindicare ab
„ injuriis Amulii, & de maximis præmiis
„ aleam jacere; de materni etiam avi con-
„ silio. His ita decretis, vicanos omnes
Virtus militaris.
„ convocat, rogatque, ut Albam prope-
„ rent, non tamen eadem porta, neque si-
D „ mul introgrediantur, ne qua oppidanis
„ oriatur suspicio, ibique circa forum ad
„ imperata facienda præsto sint; deinde i-
„ pse primus in Urbem proficiscitur. Hæc
Dionysius. Zonaras addit: „ Faustulum
„ simul cum Romulo Urbem ingressum
„ Numitori rem edixisse: Faustulus, Remi
„ captivitate cognita, Romulum ad opem
„ fratri ferendam hortatur, aperteque do-
„ cet, ut nati essent: nam prius per amba-
„ ges id significarat, ne humilibus essent
„ animis. Conon apud Photium in *Biblio-
theca*, Faustulum a pastore eventum pue-
E rorum didicisse scribit, adultisque enarras-
se: Χρόνῳ δ' ὕστερον περιτυγχάνει Φαιςύλος
τῷ ἐκθεμένῳ ποιμένι· κὴ ἅπαιτα παρ' αὐτȣ̃
μαθὼν τὰ περὶ τ̃ παίδων, ἀπαγγέλλει τȣ́-
τοις ἡβήσασιν ἤδη, ὡς εἴησαν βασιλείȣ τε
γένȣς, κὴ Αρεος γοναὶ, κὴ ὅσα ἡ μήτηρ κὴ μη-
τροπάτωρ πάθοι. *Longo post tempore in
eum forte Faustulus pastorem incidit, qui
illos exposuerat; reque omni de pueris cogni-
ta, narrat jam adultis regio illos esse stem-
mate natos, Martisque sobolem, quæque
tum matri, tum avo materno acciderant.*
Non clare, sed inter ambages, ut animo
F adessent; Ovidius lib. 3. *Fast.* ℣. 65.

*Ut genus audierant, animos pater editus
auget,
Et pudet in parvis nomen habere casis.*

Similia habet Plutarchus in *Vita Ro-
muli*: Ο δὲ Φαιςύλος ἀκȣ́σας τήν τε
σύλληψιν τȣ̃ Ρώμȣ καὶ τὴν παράδοσιν,
τὸν μὲν Ρωμύλον ἠξίȣ βοηθεῖν, τότε σα-

φῶς διδάξας περὶ τῆς γενέσεως· πρότερον δὲ ὑπηνίττετο, καὶ παρεδήλου τοσοῦτον ὅσον προσέχοντας, μὴ μικρὸν φρονεῖν. Faustulus ut captum Remum ac deditum accepit, Romuli implorat opem, eique tandem veram originem ipsius aperit; quam obscure ante & obiter hactenus indicaverat, quatenus illis (si animum adverterent) animos facere posset.

Faustulus genus Romulo Remoque enarrat, ut virtutem colant.

Nobilitas ingenuorum auget animum, & parentum imagines componunt mores ad illorum gesta, ut altum sentiant; ideo Juvenalis *Satyra* 8. vers. 2. inculcat,

Nobilitas avorum imagines sequitur, quas præ oculis habet.

—— pictos ostendere vultus
Majorum, & stantes in curribus Æmilianos.

Papinius Statius libro 2. *Thebaid.* vers. 215.

—— species est cernere avorum
Cominus, & vivis certantia vultibus ora.*

Virgilius lib. 7. *Æneid.* vers. 177. de Regia Pici, ejusque parentum serie:

Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua ex cedro, Italusque, paterque Sabinus, &c.
Vestibulo adstabant, aliique ab origine Reges,
Martia qui ob patriam pugnando vulnera passi.

Seneca l. 3. *de Beneficiis* c. 28. *Imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ suæ longo ordine ac multis stemmatum illigata flexuris in parte prima ædium collocant.* Idque pluribus enarrat Plin. *l.* 35. *c.* 2. ubi cera expressos majorum vultus depromit. excitant hæc virtutum simulachra, inquit Phavorinus, & movent animos, juxta majorum exempla, ad bene agendum; aquila namque Solem intuetur, secuta parentum solertiam, & elephas parvulus certamina magna aggreditur post patrum vestigia. Hinc Thyestes apud Senecam in *Agamemnone* vers. 51. ait,

Quid ipse temet consulis, torques, rogas,
An deceat hoc te? Respice ad matrem; decet.

Hæc semina Faustulus inspersit, ne Romulus cum fratre inter pastores vilesceret; regium a matre genus, divinum a patre, Martios conformabat juvenes, ut Heroum gloria illustres auderent animo, ut Hierocles in *Carm.* Pythagoræ expendit.

Remi species, & animi magnitudo, memoriam excitat Numitoris.

CCCXLIII. Dum pergit Faustulus, dum Romulus audet, Numitor fortitudinem ac decus Remi secum versat, & nepotum fata revolvit: „ Forte & Numitori, cum in custodia Remum haberet, „ *inquit Livius*, audissetque geminos esse „ fratres, comparando eorum ætatem, & „ ipsam minime servilem indolem, tetigerat animum memoria nepotum; sciscitando„ que eodem pervenit, ut haud procul „ esset, quin Remum agnosceret. Hinc Dionysius in primo *Antiquit.* ait: „ Numitor, secedere jussis aliis, solum relictum interrogat, quisnam esset, & quibus parentibus ortus; neque enim sibi „ videri natum e vulgaribus: ad hæc cum „ ille hoc se tantum scire ex fide altoris „ retulisset, infantem se recens natum, „ cum fratre eodem partu edito, in sylvam „ expositum, collectumque, & educatum „ a pastoribus. Tacitus aliquantisper Numitor, sive rationem verisimilem reputans, sive secretum prodente aliquo NUMINE, sic juvenem alloquitur; Esse te „ in mea potestate, Reme, meamque exspectare sententiam, cognoscis, si te „ absolutum & immunem ab omni pœna „ pronunciavero, referes-ne mihi gratiam, & operam navabis in re utrique nostrum commoda? Cum annuisset juvenis, avus, solutis prius vinculis, & ablegatis qui aderant, suam fortunam ei „ denarrat: fraudatum se Regno a fratre „ Amulio, orbatumque liberis, altero in „ venatu oppresso per insidias, altera conclusa in perpetuum carcerem; cæteris „ quoque in rebus eum haud aliter se uti „ quam mancipio. Hæc effatus cum multis lacrymis, orabat ut vellet ulcisci domesticas injurias: illo vero facile annuente, & jam gestiente ad exhibendam operam, Numitor collaudata promtitudine; Tempus, inquit, rei gerendæ ego „ dispensaturus sum; interim ad fratrem „ nuntium occultum mittito, salvum te „ esse, & jubere, ut ipse quamprimum „ veniat: moxque repertus quidam ad hoc „ ministerium idoneus, adventanti non „ procul Urbe occurrens Romulo mandata renuntiat. Hactenus Dionysius. Sic confœderati occurrunt Tyranno, & promtus adolescens avo operam suam offert; nec aliter Antigone Oedipum patrem, cui filius Thebarum abstulit Regnum, apud Senecam in *Theb.* vers. 51. alloquitur:

Secreta prodit numen.

Numitor enarrat quæ patitur.

Dolum in Amulium nectit.

Fœdus & pietas suadent ut simul vivant.

Vis nulla, genitor, a tuo nostram manum
Corpore resolvet; nemo me comitem tibi
Eripiet unquam: Labdaci claram domum,
Opulenta ferro Regna germani petant;
*Pars magna * patris optimi e Regno mea est,*
Pater ipse: non hunc auferet frater mihi,
Thebana rapto sceptra qui Regno tenet, &c.
In plana tendis? vado: prærupta expetis?
Non obsto, sed præcedo; quo vis utere
Duce me: duobus omnis eligitur via.
Perire sine me non potes: mecum potes.

CCCXLIV. Dum Numitor Remum alloquitur, Faustulus pergit, & signa infantum portat, ut ex alveolo disceret Amulius, Numitorque sospites adhuc esse nepotes; cum quo a militibus prope portam interceptus ad Amulium defertur: factum offert Plutarchus in *Romulo*: „ Faustulus „ simul temporis necessitate festinabundus „ ac perculsus, cum alveo contendit ad „ Numitorem. Venit autem in suspicionem „ regiæ ad portam stationi, & cum culos „ in eum intenderent, atque ille trepidaret „ ad interrogata, detectus est quem pallio „ operuerat alveus. Erat forte inter eos

Faustulus Remi periculum cognoscit, & præstat opem.

Rest. *æra*.

* Alii, *summa*.

„quidam ex illis, qui projiciendos acceperant pueros, & exponendis interfuerant: hic ut alveum adſpexit, agnovit

Deprehenditur cognito alveo.

„eum ex forma & LITERIS, remque „ſuſpicione attigit, quam non neglexit, „ſed aperuit Regi, & ad quæſtionem vocavit. Fauſtulus imperterritus pueros „eſſe fatetur ſuperſtites, ſed procul Alba „paſcere: alveum ſe ad Iliam ferre, quæ „& certiorem de liberis ſpem videre, & „contrectare eum ſæpe cupierat. Mirum

Belli tempore portæ urbis ſervatæ.

Providentiæ Divinæ fatum! vere Mens Deus, vere Numen, vere in virga vigilante oculus, ut retribuat in tempore. Animadvertit Dionyſius: *Quod erat tunc belli ſuſpicio, & portæ ſervabantur per Regis fidiſſimos*. Addit, alveum adduxiſſe, ut fidem apud Numitorem inveniret, cum

Coram Amulio interrogatur.

quo ad Amulium deductus, intentatis a Rege tormentis cuncta edixiſſe fatetur: ad quæ fictus Amulius: „Age, inquit, „quandoquidem hactenus vera faſſus es, „dic ubinam nunc inveniri poſſent? non „enim æquum eſt eos inter paſtores inglo„riam vitam degere, cum ſint mihi co„gnati, & inſuper ſervati deorum provi„dentia. Etiam perdere illos tentabat, ac morte afficere; montes deſignat Fauſtulus, & ut mittat ex fidiſſimis celeriorem deprecatur, ut moneat, accerſiri Regem illos jubere: prudentia aſtum ſuperat, & fraus detecta ultimum Tyrannis eſt fatum; flagrat inſontes Amulius interficere, & jugulum præbet ab eiſdem trucidatus: nam nuntius Numitorem ob Fauſtuli ſolertiam certiorem facit, & contractis undique viribus, juvenes Tyrannum adoriuntur ac perdunt; Zonaras ex Dionyſio & Plutarcho id ipſum enarrat, addit vero:

Deus Judex juſtus Amulium in impietate deprehendit.

„Turbatus Amulius quendam ad Numi„torem mittit percunctatum, an ſuperſti„tes eſſe pueros audiviſſet? Is vero quem „miſerat Numitoris amicus erat, qui cum „ſenem in Remi amplexu inveniſſet, eis „animos addidit, & rem maturare juſſit, „atque ipſe rei adjumento fuit. Corda hominum ſollicitat, imo mutat Deus, adverſus quem non eſt conſilium, & ſapientes deſipiunt. Hinc Amulius, dum nuntium fratri mitit, ſibi carnificem comparavit.

De alveo, in quo occluſi infantes expoſiti fuerant.

CCCXLV. Admiror fortunæ vices, & veneror in alveo divinitatis arcanum; eſt alveus *arcula*; unde *alveolus* apud Feſtum *tabula aleatoria*: hinc *alvearia* apum loculi, ſi Conſtantino fides; deportati infantes in eo occluſi ferebantur, ſignatis ſigillo tabulis, etiam caracteribus & litteris, ut fides tutior præſtaret; reſeratus fortaſſe, ut canit Ovidius, a curioſis miniſtris ante funus infantium, dimittitur, & pignus ad arboris radicem deponit: ut viſi a lupa & paſtoribus parvuli alimenta inve-

De Moyſe ejuſque fiſcella ſcirpea.

nirent. Sic olim Moyſes inter Nili undas, ut iſti ad Tyberim, projicitur, inventus ſimul regnat, & Tyrannum exturbat; de Moyſis matre, inquit ſacer contextus: „ „Cumque jam celare non poſſet, ſumſit „fiſcellam ſcirpeam & linivit eam bitumi„ne & pice; poſuitque intus infantulum, „& expoſuit eam in carecto ripæ fluminis: LXX. ac ſi Romuli Remique fatum enarrarent legunt: *Ελαβεν αὐτῷ ἡ μήτηρ αὐτȣ̃ θίβην παπύρȣ, καὶ ἐνέβαλε τὸ παιδίον εἰς αὐτὴν, καὶ ἔθηκεν αὐτὴν εἰς τὸ ἕλος παρὰ τ̃ ποταμόν*. *Accepit illi mater ejus arculam papyri, & impoſuit in ea puerum, & poſuit eam in palude juxta fluvium*. Origenes hunc alveum *tegimen ex papyro contextum* vocat; *ſitulam* Cyrillus; Joſeph Hebræus *lectulum*; Regia Editio Græca *thecam*; Diodorus Tarſenſis *arculam*; Heſychius in *Lexico* illam deſcribit, *fiſcellam e vimine plexam, circuli in modum, & tanquam marſupium oblongum, quo viatores utuntur*: Suidas in morem *cophini* factam putat: ex junco namque & papyro olim Ægyptum etiam naves fabricaſſe ſcribit Herodotus *l.* 2. & ex eo Plinius *l.* 13. *cap.* 2.

Remus matris lineamenta ſpeciemque præfert in facie.

CCCXLVI. Ex recenſitis colligi poteſt, Numitorem cognoviſſe nepotem ex ſignis alvei & lineamentis faciei, quæ Rheam in vultu referebant; de iſtis Juſtinus ex Trogo *l.* 43. „Numitor adoleſcen„tia juvenis permotus, & in ſuſpicionem „expoſiti nepotis adductus, cum eum „nunc LINEAMENTORUM FILIAE „ſimilitudo, nunc ætas expoſitionis tem„poribus congruens, anxium tenerent, re„pente Fauſtulus cum Romulo ſupervenit. Proinde teſtatur Plutarchus Remum dixiſſe avo cuncta quæ audierat a Fauſtu„lo: Conceptum noſtrum prodigioſum ac„cipimus, incunabula, & lactationem „infantium, etiam magis novam: aves „enim & feræ, quibus objecti eramus, in„primis Lupa & Picus Martius, quum ad „magnum fluvium in alveo jaceremus, „minutis cibariis nos nutrierunt; exſtat „ALVEUS, & ſalvus eſt, æneis vincu„lis circumductus, LITERIS inſcriptus „exoleſcentibus, quæ parentibus eſſent

Flet avus Numitor, ut nepotes agnovit.

„interitus noſtri inutilia indicia. Addit Valerius Antias, re mature conſiderata & evidenti indicio ſimul comperta, *Numitorem præ gaudio* FLEVISSE. Simile effingit Sophocles, apud quem Pædagogus apud Phocenſes Oreſtem docuit, Regnum ab Ægiſto fratre ſibi ac patri præreptum, eumque ab Electra educatum & miſſum procul, ut Clytæmneſtræ inſidias declinaret, tandem ut reducem fratrem cognovit Electra, exclamavit, in *Trag.* cognomine verſ. 1235.

Ιὼ γοναὶ γοναί σω-
μάτων ἐμοὶ φιλτάτων,
Εμόλετ᾽ ἀρτίως;
Εφεύρετ᾽; ἤλθετ᾽; εἴδεθ᾽ οὓς ἐχρῄ-
ζετε;

O ſoboles clariſſimorum corporum,
Veniſti tandem?
Inveniſti? veniſti? vides quos volebas?

At verſ. 1230. Chorum mulierum indigenarum Electra alloquitur,

Ωφίλταται γυναῖκες, ὦ πολίτιδες,
Ορᾶτ᾽ Ορέστην τόνδε μηχαναῖσι μὲν
Θανόντα, νῦν δὲ μηχαναῖς σεσωσμέ-
νον;

O cariſſimæ mulieres, o cives,
Videtis Oreſtem hunc arte
Mortuum ſimulatum, & eundem arte
ſervatum?

Chorus verſ. 1233.

Ορῶμεν ὦ παῖ, κἀπὶ συμφοραῖσί μοι
Γεγηθὸς ἕρπει δάκρυον ὀμμάτων ἄπο.
Videmus o filia, & quidem in hoc caſu
lacrymæ
Præ gaudio nobis ex oculis erumpunt.

Gaudium lacrymas excitat.

Narrat Tralliani Phlegontis Hiſtoria *de Mirabilibus* cap. 1. Charitonem & Nicoſtratem † poſt funus Philinnii filiæ illam domi aſſidentem vidiſſe, at mater Charito, παράδοξον λόγον ἀκούσης, συνέβη τὴν ψυχὴν τὸ μὲν πρῶτον ἐκπλαγῆ γενομένην ἐκλυθῆναι διὰ τὸ μέγεθος τῆς ἀγγελίας, καὶ διὰ ταραχὴν τῆς τροφοῦ μετὰ μικρὸν δὲ μνησθεῖσαν τῆς θυγατρὸς κλαίειν, *cum ſermonem incredibilem audiviſſet, principio nuncii magnitudine, & tumultuatione nutricis, conſternata, animi paſſa eſt deliquium: mox filiæ recordata* FLEVIT. Plutarchus etiam refert, matres fleviſſe cum primum inopinato filios vivos reduceſque, quos in bello mortuos deploraverant, videre contingeret, imo præ gaudii magnitudine obiiſſe: ſunt enim lacrymæ amoris & gaudii indicium; Propertius *lib.* 1. *ad Cynthiam eleg.* 12.

Lacrymæ amoris indicia.

Felix qui potuit præſenti flere puellæ:
Nonnihil adſperſis gaudet amor lacrymis.

Divus Paulinus eleganter cantabat,

—— multo merſi mea lumina flet u.
Non ſolum damno, ſed & inter gaudia plorans.

Concinit ſimiliter lepide Prudentius in *Apoth. contra Homunt.*

Gaudia concipiunt lacrymas, dant gaudia fletum.

Claudianus *de Bello Getico* verſ. 405.

—— properantibus undique ſignis
*Conveniunt, viſoque uninimi * Stilichone recepti*
Singultus varios lacrymoſaque gaudia miſcent.

Plautus in *Sticho* Act. 3. Sc. 2. verſ. 12.

—— ut ego te nunc conſpicio libens!
Ut præ lætitia lacrymæ præſiliunt mihi!

Terentius in *Adelphis* Act. 4. Sc. 1. ℣. 20.

—— homini illico lacrymæ cadunt,
Quaſi puero, præ gaudio.

Senſus voluptatis in lacrymis.

An gaudent, qui flent, quia teſte Ariſtotele in primo *Rhetor. In lacrymis ineſt quidam ſenſus voluptatis?* unde Apulejus in primo *Metamorph.* ait, *Lacrymæ ſæpicule de gaudio prodeunt;* rationem reddit Divus Ambroſius in Obitu Valentiniani, *eſt enim piis affectibus quædam flendi voluptas, & plerumque gravis evaporat dolor.* Hinc Statius in Priſcillam *ſolamen* venatur: Sidonius Apollinaris in *epiſtola* XI. libri 4. ad Petrejum de Obitu Claudiani Mamerci, *deſideratiſſimam flendi occaſionem* vocat, Pacatus in *Panegyrico* Theodoſio dicto, *calamitatum delinimentum:* Apulejus in ſexto *Metamorph. ſolatium:* & Pindarus in *Pyth.* Ode 4. Arceſilai Cyrenæi, Jaſone reverſo ex Chironis Centauri Schola, Æſonem patrem fleviſſe ſic occinit,

—— Τὸν μὲν ἐσελθόντ' ἔγνω ὀφθαλμός πατρός·
Ἐκ δ' ἄρ' αὐτοῦ πομφόλυξαν
Δάκρυα γηραλέων γλεφάρων·
Ἂν περὶ ψυχὰν ἐπεὶ
Γάθησεν ἐξαίρετον
Γόνον ἰδὼν κάλλιστον ἀνδρῶν.

Eum autem ingreſſum invenerunt oculi patris; & ex ejus ſenilibus palpebris lacrymæ manarunt inſtar bullarum: ſuo in animo poſtquam gaviſus eſt ſupra modum, filium cum conſpexiſſet PULCHERRIMUM MORTALIUM. Sophocles in *Electra* verſ. 909.

Χαρᾷ δὲ πιμπλημ' εὐθὺς ὄμμα δακρύων.
Præ gaudio lacrymis oculos implebam.

Euripides in *Hercule Furente* verſ. 742.

Χαρμοναὶ δακρύων
Ἔδοσαν ἐσβολάς.
Gaudia lacrymarum
Dederunt rivulos.

Homerus vatum Græcorum Princeps,

Sic ait, & flendi dulcedine perculit omnes.

Lacrymæ pietatis indices.

Sacer contextus libri *Exodi* enarrat Joſeph cognoviſſe fratres ſuos, & ait, *avertitque ſe parumper, &* FLEVIT. Vere Divus Auguſtinus in obitu Satyri, *babet & lætitia lacrymas ſuas, & lacrymæ plerumque pietatis indices, non illices ſunt doloris.*

Cur gaudium lacrymas movet?

CCCXLVII. Sed unde probatur gaudium excitare lacrymas? An quia docente Alexandro *l.* 2. *quæſt.* 101. lacrymas dicemus eſſe expreſſionem humoris a cerebro, quas ſpiritus ſurſum effundit? ſed ſicut cœcutientes guttatim plorant ob oculi vitium, qui occluſis meatibus ſpiritum hunc non admittit, ita ſpiritum cerebrum ſolvere negamus: confortat ſpiritus, non relaxat, & iſtis præſtantes juvenes, minus poroſi aerem patiuntur. An lacrymæ *e viſceribus per affectum animi perturbatis* emanant? ita Nyſſenus *de hominis opificio,* Meletius, & Nicetas apud doctum Raynaudum, qui ait, Nolim ita accipi, quaſi immediata lacrymarum materia ſit tantum humor ad eum modum ſubvectus; nam illi, qui, ut Divus Auguſtinus l. 14. *C. D.* cap. 24. refert, *flent cum volunt,* itemque mulieres, quæ

Quoque volunt, plorant tempore, quoque modo.

Et alii, qui ſimul ac mœrent, lacrymantur, non proliciunt lacrymas aliunde

† Rep. *Demoſtratum.* * Leg. *animi.*

quam ex humore jam collecto intra caput. Quid si dum turbantur adscendit humor, sicut una cum turbine e convallibus aqua, & per rivulos canalesque oculorum affunditur? nemo plorat, nisi commotis ant ea præcordiis, quæ in plerisque statim quiescunt, ut splene rideant. Videmus etenim mulierum facies, ut primum plorant, pallore suffusas, ardentesque oculos rubescere: hoc ob acrimoniam humoris, sed si semper a cerebro, non genas & ora immutasset evectus ab alto. Quod sentio depromo: Collectum humorem in cavo cerebri doloris gaudiique motum elicere, simulque in commotione vapores adscendere, in quibus & humor ex officina sanguinis, qui alteratur & fumat: novus namque calor commovet, excitatque ut adscendat; sicut aqua, quæ nubibus fertur, instante pluvia, dum vapores alta petunt & aquam gestant, cogitur, unaque cum adscendente illabitur: enimvero cerebrum veluti totius corporis caminus, substantia medullosum, temperamento frigidum & humidum, pituitoso sanguine alitur, dum trahit ac sorbet exspirationes, vaporibus oppletur, & assiduis eorum haustibus, excrementis abundat, ut docet Hippocrates in libello *de Glandulis*: quæ, edocente Galeno, tenuia sunt, aut crassa, illa vaporis ac fuliginis instar per ductus fere insensiles exspirant sursum, ait Andreas Laurentius: crassa sunt quædam pituitosa, aquea, serosa, quædam biliosa, & melancholica, & naturaliter deorsum ferri debent; assignatque Hippocrates in libro *de Locis* in homine septem canales ductusque, per quos fluit e cerebro humor, *aures*, *oculos*, *nares*, *palatum*, *guttur*, *gulam*, *venas*, per quas in sanguinem & medullam spinalem diffluit: Galenus in *Arte parva* ad quatuor coercet, ut sint *palatum*, *nares*, *aures*, *oculi*: idem sentit l.2. c.3. *de Locis affectis*, & primo *de Sanitate tuenda*: sed *Commentariis in Aphor.* 21. sect. 1. palatum & nares numerat tantum. Primo *de Symptom. causis*, & octavo *de Usu partium*, solum palatum vult esse idoneum expurgationis locum. Ad hæc concilianda Laurentius excogitavit ductus ordinarios & extraordinarios; pituita purgatur per nares & palatum: biliosa per aures expurgantur continuo; extra ordinem proinde cerebrum humoris copia oppressum se exonerat per oculos, per spinalem medullam, & nervos, unde paralysis; perque venas, &c. Quibus enarratis constat, lacrymas non solum, nec semper a cerebro effluere, sed plerumque a commotis partibus.

Ratio disquiritur.

Ductus, per quos cerebrum se expurgat.

CCCXLVIII. Circa præcordia humores excitant, qui accensi adscendunt, & inter anfractus cerebri diffusi calore meatus laxant, & instillant lacrymas. Divus Basilius in *homilia de gratiarum actione* inquit: *Lacrymari contingit cum particulæ cerebri concavæ, evaporationibus ex tristitia collectis differtæ, quasi per elices quosdam, canalesve, per meatus oculorum, pondus ejus collectitii humoris egerunt*. Cælius *l.* 12. *c.* 3. fontem lacrymarum *cor* agnoscit: in humano etenim corpore tres sunt fumidæ evaporationes stomachi, jecinoris, ac lienis, & cordis, quibus tria respondeant membra item superne, oculorum, narium, aurium: narium mucum a stomacho esse: aurium sordes ab jecinore, organorum indicare situm, sic & lacrymas ex oculis demanantes ab corde profluere: ideo præfocato corde in rerum acerbitate, oculus stupet, nec fluunt lacrymæ; Homerus quoque calidas subinde lacrymas pronuntiat, & in mœstitia æstuant, in infirmitate rigent, ebulliunt in ebrietate, in lætitia hærent, quandoquidem compressum cerebrum instillat, conturbatum evaporat cor, splen humorem emittit, sic lacrymæ in ira, & risu, ac mestitia prorumpunt ex spiramentis duobus in fine pilorum, & in angulis promicant; quorum unum in superiore sit gena, in inferiore alterum prope domesticum angulum.

Lacrymæ a corde promanant.

Earum exitus.

CCCXLIX. Hac ratione cum plorasset Numitor, Remum amplectitur, osculatur, & ad vindictam excitat: *Avum juvenum denarratis cunctis eorum casibus adhortatum, ut vindictæ occasionem, qualis nulla ad eam diem oblata sit, arriperent, moxque rem aggressum pastorum multitudinis auxilio*. Hæc scribit Dionysius ex Catone: juxta fidem Fabii ait, *cum multis lacrymis orabat Remum, ut vellet ulcisci domesticas injurias*; addit, consilio cunctos magni ponderis rem perpetrasse, *ut vero agniti sunt invicem, continuo consultabatur de modo & opportunitate aggrediendi negotii*. Præceps facinus sapientes damnant; cunctando ardua quæque superant consulto proceres; nec evanuit Numitoris ac nepotum consilium; enimvero, ut Diocles scribit, undique arma & turmas movent, Tyrannumque obtruncant; factum enarrat „ Plutarchus: Romulus jam aderat, ad „ quem odio & metu Amulii globus se ef„ fuderat civium: manum etiam non con„ temnendam ipse adducebat in Centurias „ distributam; singulas unus ducebat, gra„ minis & fruticum manipulum conto al„ ligatum ferens; (inde manet in hodier„ nam diem, ut in exercitu hos Manipu„ lares appellent) at Remus cum cives ad „ se traheret, Romulus vero adoriretur fo„ ris, torpidus Tyrannus & attonitus ni„ hil est contra molitus, nec quicquam sa„ lubris consilii cepit, itaque deprehensus „ obtruncatur. Inertiam Tyranni etiam Zonaras refert, *Amulius nihil salutaris consilii operisve molitus occiditur*; Aurelius Victor Remum usque ad Amulii interitum in vinculis fuisse tradit, tandem a Romulo exsolutum abiisse, *a Romulo oppresso Amulio, fratrem vinculis liberatum, avum Regno restitutum*. Dissentit Messala Corvinus in libello *de Augusti progenie*, & ait, *a Numitore mox, & ipsi nepotes præsidio pastorum in Regiam facto impetu, Amulium obtruncant, & restituunt Numitori Regnum*. Paulus Orosius Librariorum incuria inquit, *Romulus interfecto primum avo Numitore arripuit Imperium*. Amulium ipse interfecit, qui malis artibus Regnum sibi fecit ex Numitoris solio. Quod addit *Regnum parricidio imbuisse*, compertum est, sicut deinde fratricidio illud sibi firmavit; Eusebius autem scribit, *Pueri cum adolevissent, collecta pastorum ac latronum manu, interfecto apud Albam Amulio, avum Numitorem in Regnum restituunt*. Recte Juvenalis, qui consulto cecinit, *Sat.* 10. *vers.* 112.

Numitor Remum ad vindictam excitat.

Amulius aggrediuntur.

Manipuli.

Disponunt cædem.

Varia historia de cæde Amulii Tyranni.

Tyranni semper ut plurimum interfecti.

Ad generum Cereris sine cæde & vulnere pauci
Descendunt Reges, & sicca morte Tyranni.

Etenim in votis habent illos trucidare: Hercules Furens apud Senecam vers. 920.

Utinam cruorem capitis invisi deis
Libare possem! gratior nullus liquor
Tinxisset aras: victima haud ulla amplior
Potest, magisque opima mactari Jovi,
QUAM REX INIQUUS.

Hinc Agyllini cæso capite Mezentii litabant apud Virgilium lib. 8. *Æneid.* vers. 489.

At fessi tandem cives infanda furentem
Armati circumsistunt, ipsumque, domumque;
Obtruncant socios, ignem ad fastigia jactant.

Equidem Tyrannorum Regnum intolerabile evertitur communi populorum consensu, utpote Deo invisum; ideo timent, & munimenta undique parant, ac si mortem præ oculis instantem videant; canitque Claudianus in 4. *Honorii Consulatu* vers. 290.

Convenit, invideant claris, fortesque trucident,
Muniti gladiis vivant, septique venenis,
*Ancipites habeant artes *, trepidique minentur.*

Phalereus apud Stobæum de Tyrannis inquit: *Metuunt turbam, metuunt solitudinem, metuunt satellitii absentiam, metuunt etiam ipsos custodes, nec armatos illos apud se, nec inermes vident libenter.* Rationem Ennius venatur,

Quem metuunt oderunt, quem quisque odit perisse expetit.

Ovidius,

Quem metuit quisque perire cupit.

Tyranni cur timent?

Tyranni solium non amor civium firmat, sed dira libido, & potentia, quæ liberos opprimit, ut timeant fulminantem in capita gladium: non prævalet alienum a jure Regnum, sed impotens potentes timet, proculcatque generosos ingenuorum animos, ut desipiant perculsi metu; sic ubique timor, in promtu angustiæ, *occurrat tibi Laberianus ille versus*, inquit Seneca in libro *de Ira*, *qui medio civili bello in Theatro dictus, totum in se populum non aliter convertit, quam si missa esset vox publici affectus*,

Necesse est multos TIMEAT, QUEM MULTI TIMENT.

Macrobius libro secundo *Sat.* cap. septimo hunc Laberium vocat *asperæ libertatis Equitem Romanum*, quem Cæsar quingentis millibus invitavit ut prodiret

* Leg. *arces*.

A in scenam, & ipse ageret Mimos, quos scriptitabat: in ipsa quoque actione subinde se, qua poterat, ulciscebatur, inducto habitu Syri, qui velut flagris cæsus, præripientique se similis exclamabat,

Porro Quirites libertatem perdimus.

Et paulo post adjecit,

Necesse est multos timeat, quem multi timent.

B *Quo dicto universitas Populi ad solum Cæsarem oculos & ora convertit, notantes ejus impotentiam hac dicacitate lapidatam.*

CAP. XXVIII.

Numitor cum copiis Romuli Remique ductu Amulium fratrem Tyrannum obtruncat, Rheamque Sylviam libertate donat. Inquiritur de sera numinum vindicta.

C

CCCL. MAgnæ molis opus Romanam gentem condere, fortes, & rerum admiranda varietas, præeunte Deo, pro Roma certabant; hinc Rutilius Gallicanus occinit,

Deus Romam extulit ab ipso Urbis exordio.

Sollicitosque habuit Roma futura Deos.

Plutarchus in *Romulo*, adamussim enarratis Urbis æternæ primordiis, juxta Fabii & Peparethii Dioclis monumenta, quam-
D plures objurgat historiarum obtrectatores, qui fabulas conseruisse putabant, dicens: Ὕποπτον μὲν ἐνίοις ἐστὶ τὸ δραματικὸν καὶ πλασματῶδες· οὐ δεῖ δὲ ἀπιστεῖν, τὴν τύχην ὁρῶντας οἵων ποιημάτων δημιουργός ἐστι, καὶ τὰ Ῥωμαίων πράγματα λογιζομένους, ὡς οὐκ ἂν ἐνταῦθα προὔβη δυνάμεως, μὴ θείαν τινὰ ἀρχὴν λαβόντα, καὶ μηδὲν μέγα μηδὲν παράδοξον ἔχουσαν. *Suspectam quidam habent fabulam & commentum: nos, cum cernamus quanta vis sit fortunæ, non debemus ei fidem derogare, reputantes animo rem Romanam, sine divino aliquo*
E *auspicio*, & MAGNO MIRACULO *non fuisse eo potentiæ progressuram*. Fortunam Veteres appellabant, quam Mercurius Trismegistus Jovem, proindeque Jovis ministros, administratores rerum mundanarum Principes vocat; etenim in *Asclepio* inquit: „Cæli vel quidquid est, quod eo „nomine comprehenditur, οὐσιάρχης est „Jupiter: per Cælum enim Jupiter omnibus præbet vitam, Solis οὐσιάρχης est lu„men: bonum enim luminis per orbem So„lis nobis infunditur: XXXVI. (quorum vo„cabulum est Horoscopii) in eodem loco
F „semper defixorum syderum, horum Prin„ceps est, quem Pantomorphon vel O„mniformem vocant, qui diversis specie„bus diversas formas facit. Septem sphæ„ræ, quæ vocantur erraticæ, habent suos „Principes, quam FORTUNAM di„cunt. Redit intra lineam, & omnia quæ mutantur *lege naturæ stabilitate firmissima & sempiterna agitatione variata* demonstrat. Hinc Imperatores Romano-

rum, teste Julio Capitolino, *Fortunam auream* in cubiculis habebant; & inter vexilla, ac in sinu Jovis Capitolini, una cum numine sacris de more colebatur. Sic variat statum Alba; Numitor Rex opprimitur, regnat Amulius, gemini deportantur, adolescunt, ac Tyrannum exturbant, simulque cum avo regnant: hoc Fortunæ ludicrum Deo jubente fuit in fatis, ut Romæ primordia inter admiranda & illustria miracula adscribantur.

CCCLI. Numitor a fratre deceptus, postquam Regnum amisit, secessit, & procul ab Urbe degebat segetum arborumque colonus; est in agrorum cultura regnandi Genius, & arbores, quæ hominum præferunt symbola, excultæ Regni specimen, penes Xenophontem & Tullium viros sapientissimos, præbent: asseritque Sextus Aurelius Victor in *Origine Gentis Romanæ*, *Numitorem privatum omne cum facultatibus Regno prætulisse*. Fortasse vires deerant, & æquo animo rerum vicissitudines perferebat; unde Dionysius Halicarnaseus ait: Ο δὲ Νομίταρ, αἰσθόμενος ὐκ ἀπὸ τῦ βελτίσου ταῦτα πράττοντα τ̓ ἀδελφὸν, ὀργὴν φανερὰν ὐκ ἐποιεῖτο, ἀπόρρητον ἔγκλημα ἐφύλαττε. *Sensit Numitor non bono animo hæc a fratre fieri, indignationem tamen dissimulans, injuriam celabat silentio*. Sic vir innocentia præditus, dum virtuti ex animi sententia operam daret, Regnum aliud conquisivit sui ipsius, inventumque sapienter excoluit; recte Claudianus in 4. *Consulatu Honorii* ℣. 258.

Cultura arborum Regni specimen.

Dissimulatio Principibus necessaria.

Si metuis, si parva cupis, si duceris ira,
Servitii patiere jugum: tolerabis iniquas
Interius leges: tunc omnia jure tenebis
CUM POTERIS REX ESSE TUI.

Regnum in homine internum.

Et altum sapit ille apud Senecam in *Thyeste*, dum procul a Regia felix nimia securitate confidenter occinit vers. 468.

—— non timemus: tuta sine telo est domus;
Rebusque parvis alta præstatur quies,
Immane Regnum est, posse sine Rege† pati.

De Plautiano, qui sub Severo Regnum affectabat, inquit Xiphilinus: „ Plautianus „ magnus, vel summus potius erat, ita ut „ Populus aliquando diceret in Circo, „ Quid tremis? Cur palles? tu quidem „ certe plusquam tres isti possides: significabant autem tres viros Severum cum „ duobus filiis Antonino & Geta. Pallebat „ vero Plautianus, & tremebat semper „ propter spem metumque futurarum re„rum, in quibus erat. Vere Tacitus in quarto *Annalium*: *Si Tyrannorum mentes recludantur, possint adspici laniatus & ictus, quando ut corpora verberibus, ita sævitia, libidine, malis consultis animus dilaceratur*. De Othone, qui Galbam occidit, ut regnaret, inquit Xiphilinus: *Noctu adeo in somnis perterritus est, ut ceciderit de lecto, & Excubitores perterruerit: neque tamen potuit Imperium deponere, sed in eo permansit, ac pœnas dedit*: nam sibi ipsi manus intulit. Et Boetius *metro* 2. *l*. 4.

† Rescr. *Regno*.

Detrahit si quis superbis
Vani tegmina cultus,
Jam videbit intus atras
Dominos ferre catenas.
Hinc enim libido versat
Avidis corda venenis:
Hinc flagellat ira mentem
Fluctus turbida tollens.
Mœror aut captos fatigat,
Aut spes lubrica torquet;
Ergo tum caput tot unum
Cernas ferre Tyrannos.
Non facit, quod optat ipse
Dominis pressus iniquis.

CCCLII. Est in homine mundus, summo Creatoris molimine, præ orbis magnitudine, conditus, ut anima in vertice regnet, potentias exerceat, bella cum sensu conferat, passiones, quæ Imperium detrectant, subigat, acquirat virtutum agmina sub rationis vexillo potens; externum dum stupidus Regnum affectat, homo seipsum perdit, fit mancipium cupidinis, ut pereat: habes Amulium a fastigio Regni vulneribus proculcatum; & si Cæsarum historias versas Dionis, Zonaræ, Vopisci, Aurelii Victoris, aliorumque Scriptorum, vides exaltatos a militibus ab iisdemque confossos, ut lugeas potius quam legas hominum miserias, qui sandapilam in solio, & vulnera inter purpuram procurabant; audiamus Boetium,

Tyranni timent semper & tremunt.

Regnum ut habet homo.

Qui se volet esse potentem
Animos domet ille feroces,
Nec victa libidine colla
Fœdis submittat habenis:
Etenim licet Indica longe
Tellus tua jura tremiscat,
Et serviat ultima Thule;
Tamen atras pellere curas,
Miserasque fugare querelas
NON POSSE, POTENTIA NON EST.

Seipsum vincere.

Unde merito Saturninus Imperator, cum fasces trabeamque offerrent ei milites, stans & altum intonans dixit: „ Nescitis, Ami„ci, quid mali sit imperare; nam & gla„dii & tela NOSTRIS CERVICIBUS „ impendent, imminent hastæ, undique „ spicula: ipsi custodes timentur, ipsi co„mites formidantur; non cibus pro volu„ptate, non iter pro auctoritate, non bel„la pro judicio, non arma pro studio; nam „ quod Imperatorem me cupitis, IN „ MORTIS NECESSITATEM me tra„hitis. Ideo Seneca in *Thyeste* Regnum a bonæ mentis Palæstra quærendum docet vers. 380.

Regni mala.

Mens Regnum bona possidet,
Nil ullis opus est equis,
Nil armis, & inertibus
Telis, quæ procul ingerit
Parthus, cum simulat fugas:
Admotis nihil est opus
Urbes sternere machinis,
Longe saxa rotantibus.
REX EST, QUI METUIT NIHIL.

Mens bona possidet Regnum.

CCCLIII.

CCCLIII. Observabat Tacitus lib. 15. *Annalium* post conjurationem Pisonis Neronem semper pavidum, munitumque inter milites, „ magis magisque pavido Ne„rone, quamquam multiplicatis excubiis „semet sepsisset, quin & Urbem per ma„nipulos occupatis mœnibus, insesso et„iam mari & amne, velut in custodiam „dedit; volitabantque per fora, per do„mos, rura quoque, & proxima muni„cipiorum pedites equitesque permixti „Germanis, quibus fidebat Princeps qua„si externis; nec mirum; enimvero a numinum aris dicata diis arma præferebant, ut Tyrannum litarent ad orcum: „ Scevi„nus pugionem templo Salutis in Etru„ria, sive, ut alii tradidere, Fortunæ Fe„rentano in oppido detraxerat, gestabat„que velut magni operis sacrum, inquit Tacitus *lib. cit. cap.* 53. Hinc undique insidiæ, mater, Seneca Præceptor, Piso, Consulares ac Senatorii viri, Epicharis mulier, *scelera Principis, & finem Imperii, diligendumque qui fessis rebus succurreret*, pertractant armati ac genus mortis turpissimum consulunt; adversus tanta populorum molimina arces militesque manipulares vix juvant; unde Seneca in *Thyeste* vers. 338.

Stipatus undique Nero timet.

Conjuratio adversus Tyrannos.

Arces Tyranni sibi comparant.

Quis vos agitat furor,
Alternis dare sanguinem,
Et sceptrum scelere aggredi?
Nescitis cupidi arcium,
Regnum quo jaceat loco.

Apollodorus Comicus de sorte Tyrannorum occinit,

Tyrannorum crux.

Habent per ampla dona Fortunæ metum,
Periculoque non carent præclustria,
Nec ulla celsa tuta sunt mortalibus,
Quæ evertere vel invidia, vel tempus
solet.

Euripides similiter in *Ione* canit vers. 621.

Timor.

Jucunda gestat ora, quam laudant nimis,
Regia potestas: at molesta quæque latent;
Quis enim beatus, aut potens censebitur
Semper timore qui prematur, ne qua vis
Inimica vitam rapiat & Regnum sibi?

Thyestes denuo ad Plisthenem apud Senecam vers. 447.

*—— Deum * excelsus steti*
Nunquam pavere destiti, atque ipsum mei
Ferrum timere lateris: o quantum bonum est
Obstare nulli! capere securas dapes
Humi jacentem! scelera non intrant casas,
Tutusque mensa capitur angusta cibus,
VENENUM in auro bibitur, expertus
loquor,
Malam bonæ præferre fortunam licet.

Privatæ vitæ felicitas.

Asseritque Juvenalis *Satyra* 10. vers. 25.

—— nulla aconita bibuntur
Fictilibus, tunc illa time, cum pocula sumes
Gemmata.

* Rep. *dum.*

A An timor ipse Larvas excitat, ut paveant? An qui timet, tanquam fatuus, carnifices sibi effingit, & riget? An Tyrannus suæ injustitiæ conscius piacula dum somniat, tortores patitur? An suspecta subditorum fides, etiam obsequium, velut malæ fidei figmentum ostentat? equidem Numitor deperditum a longe explorat Regnum, & patienter exspectat, ut corruat Amulius, quem provexit ambitio.

Timoris effectus.

CCCLIV. Tempus opportunitatem obtulit, & sapiens occasionem prudenter arripuit; inquit enim Vegetius *lib. 3. Occasio in bello solet amplius juvare quam virtus*; Polybius *lib. 9. Valet in omnibus humanis rebus, & pollet occasio, sed maxime in bellicis.* Capturam Remi fuisse in fatis inquit Plutarchus: concursus Romuli, Remique stipata manus, pondus fortunæ fecit; Faustulus dum genus aperuit, Regiam & Martis prolem ex alveo ostendit, Martem evocavit ad arma; unde Ovidius lib. 3. *Fast.* vers. 65.

Occasio non spernenda.

Ut genus audierant, animos pater editus
auget;
Et pudet in parvis nomen habere
casis:
Romuleoque cadit trajectus Amulius ense,
Regnaque longævo restituuntur avo.

Sunt qui putant, Numitorem rixam inter pastores concitasse, ut collecta agrestium manu Tyrannum interficeret; enarratque stratagema Dionysius lib. 1. *Antiquitat.* Πολλῶν δὲ συνελθόντων ἅμα τοῖς ὑπαιτίοις ἐπὶ φράσει τῆς δίκης, φράσαντα τοῖς νεανίσκοις τὴν μητροπάτρα πᾶσαν τὴν καταλαβοῦσαν αὐτοὺς τύχην, καὶ τιμωρίαν φήσαντα νῦν καιρὸν εἶναι λαβεῖν, αὐτίκα ποιήσασθαι σὺν τῷ νομαδικῷ πλήθει τὴν ἐπίθεσιν. *Cumque præter reos multi ad agendam causam convenissent, avum juvenum denarratis cunctis eorum casibus, adhortatum, ut vindictæ occasionem arriperent, moxque rem aggressum pastorum auxilio.* Multitudo semper suspecta, præcipue ex plebe, quæ nova molitur & optat. Adsunt igitur subulci, & pastorum cohors arma sub veste gladiosque occultans forum occupat & Regiam, inquit Dionysius: Παρῆν ἄγων ὡπλισμένους ἐπὶ τὰ βασίλεια τῶν τε ἄλλων πελατῶν, καὶ ἑταίρων, καὶ θεραπείας πιστῆς χεῖρα οὐκ ὀλίγην. Ἧκον δὲ καὶ οἱ ἐκ τῶν ἀγρῶν συνελθόντες εἰς τὴν πόλιν, ἐκλείποντες τὴν ἀγορὰν, ἔχοντες ὑπὸ ταῖς περιβολαῖς ἑαυτῶν ξίφη κεκρυμμένα, στῖφος καρτερόν· βιασάμενοι δὲ τὴν εἴσοδον ἀθρόᾳ ὁρμῇ πάντες, οὐ πολλοῖς ὁπλίταις φρουρουμένην, ἀποσφάττουσιν εὐπετῶς τὸν Αμούλιον, καὶ μετὰ τοῦτο τὴν ἄκραν καταλαμβάνονται. *Correptis armis cum clientum, amicorum, famulorumque fidissimorum manu non exigua, Regiam petit. Quin & illi, qui ex agris in Urbem confluxerant, & sub veste gladios occultarant, relicto foro, advolant, cobors non invalida: itaque omnes uno impetu, oppressis in aditu custodibus, qui pauci cum armis*

Stratagema Numitoris.

Conjurati gladios sub veste gestant.

Excubiæ urbium, & Principis. *ibi stabant, Amulium facile jugulant, & Regiam occupant.* Habent Tyranni stationes militum in januis, habent etiam Reges, qui confluentes coercent, præcipue si suspecta ingredientis fides exploratur: asseritque ex Dione Xiphilinus in *Severo: Janitores, qui erant ad cancellos, Plautianum solum intrare permiserunt, prohibitis his qui consequebantur*; antiquitus Janitores dicebantur, postmodum Cohortes Prætoriæ, quia in Prætorio excubabant, aulam Principis ipsumque Principem munientes; instauravit post bellum civile Cohortes istas Julius Dictator, & Augustus, Imperiique post Rempublicam molitores: Tiberius proinde castra ædificavit in extrema Urbis parte, teste Suetonio, *Quibus Prætorianæ Cohortes, vagæ ante id tempus, per hospitia dispersæ, continerentur*; ab Herodiano *l.5. Corporis custodes* ac *stipatores* dicuntur: a Xiphilino in *Pertinace Janitores* & *Excubiæ*: idem in *Severo, Erat consuetudo, ut stipatores Principis Itali, Hispani, Macedones, & Norici tantum essent.* Suetonius de Augusto: „ Certum „ numerum partim in Urbe, partim in sui „ custodiam, allegit. Dimissa Calaguri- „ tanorum manu, quam usque ad devi- „ ctum Antonium; item Germanorum, „ quam usque ad cladem Varianam inter „ armigeros circa se habebat: ex istis, ut apud Turcas modo Jannizeri, nonnulli Urbem, ejusque portas, alii Regiam servabant excubiis; privatas domos etiam servatas legimus a Servis, qui catena religati præ foribus stabant. Ovidius lib. 1. *Amor.* eleg. 6. vers. 1.

Janitores.

Stipatores.

Janitor indigne dura religate catena.

Tibullus ad hunc morem respexit, dicens *lib.* 1. *eleg.* 6. vers. 37.

At mihi servandam credas; non sæva recuso
Verbera, detrecto non ego vincla pedum.

Portarum custodes. Ad quæ Parrhasius ait: *Veteri Romanorum more in catena pro foribus excubabant.* Et quia sub Amulio belli timor invaserat cives, portarum custodes intuebantur armorum genus ingredientium, advenas quosque ut scirent quid gestarent, & causam: sic deprehensus cum alveo Faustulus, & pastores clam singuli ingredientes arma sub vestibus occultabant ad facinus. Conon apud Photium in *Bibliotheca* ait: *Extemplo pugiones arreptos vestibus tegunt, Albamque accedunt:* nam gladios deferre intra Regis aulam capitale censebatur, qui mos etiam apud exteros invaluit; & Dionysium seniorem Tyrannum qui adibant, cogebantur vestes summutare in foribus, ut nudi explorarentur: Claudium Rom. Imperatorem postea id rigorose ut exsequeretur jussisse tradunt Dio *lib.*57.& Manasses in *Politicis*: Petronius Arbiter, declinante jam Romanorum Imperio, suspectum insuper Urbi gladium describit, tantum militibus permissum.

Gladii sub veste.

Gladios gestare coram Tyrannis capitale.

CCCLV. Consulto aggrediuntur Tyrannum, signa manipulis data agrestibus patent, undique dolus nectitur, concursantesque Regiam adoriuntur; signa, inquit Aurelius Victor, erant manipuli, sive hastilia, quorum apicibus fasciculi fœni alligabantur, *Pertica manipulis fœni variε formatis, in summo junctæ, quo facilius eo signo suum quisque Ducem sequeretur.* De quibus Ovidius l.3. *Fastorum* vers.113.

Pastores Manipulares centuriati.

Non illi cælo labentia signa tenebant,
Sed sua; quæ magnum perdere crimen erat;
Illa quidem fœno: sed erat reverentia fœno;
Quantam nunc Aquilas cernis habere tuas.
Pertica suspensos portabat longa maniplos;
Unde MANIPLARIS *nomina miles habet.*

De manipulis & manipularibus.

Hinc Manipulares dicti milites; luditque *in Eutropium* Claudianus lib. 1. vers. 254.

Pro victore redit: peditum vexilla sequuntur.
Et turnæ similes, eunuchorumque manipli.

Cæsar lib. 6. *Belli Gall. Calones se in signa manipulosque conjiciunt:* Livius *lib.* 27. *c.* 15. Marcellum ad milites orantem facit: „ Non equidem mihi cum exercitu meo „ loqui videor, nec cum Romanis militi- „ bus: corpora tantum atque arma eadem „ sunt; an si eosdem animos habuissetis, „ terga vestra vidisset hostis? Signa ali- „ cui manipulo, aut cohorti abstulisset? Plutarchus *Centurias* sub manipulis recenset; Wolphangus, quo auctore equidem ignoro, *ad manipulum*, ait, *tria contubernia, hoc est, triginta milites confluere solebant*; asseritque, *Signa contuberniorum, peculiari voce manipuli Romanæ Reipublicæ dicebantur.* Ita ille ex Varrone & Vegetio; Cincius apud Agellium *lib.*16. *cap.* 5. scribit, legionem cohortes x. habuisse, manipulos xxx. centurias LX.

CCCLVI. Igitur suorum delectu ductuque Ducum arma movent, Regiam paucis munitam custodibus aggrediuntur, ferrum clades undique efferata agrestium manu perpetratur, ita ut exterritis excubiis Tyrannus stupore affectus attonitusque in gladium rueret. Pericula, quæ mentem superant, infatuant homines. Quies illudit Tyrannos, ut cœcutiant; quiescentes post multa dormiunt, & mortem sibi consciscunt. De Pertinace inquit Xiphilinus ex Dione: „ Ducenti milites au- „ daciores cæteris in Palatium districtis „ gladiis contendunt; quo cognito faci- „ nus, sive forti viro dignum, sive stulto, „ ut quis volet appellare, fecit: nam cum „ posset facillime irruentes concidere, sal- „ tem aufugere, ratus se adspectu eos esse „ perterrefacturum processit obviam: cui „ prosiliens unus, Hunc tibi, inquit, mi- „ lites gladium mittunt; quo dicto, sta- „ tim irruit, eumque percussit. Hæc stupiditas genii præfert specimen, quia Regnum ferro conquisitum instabile corruit: Lycus apud Senecam in *Hercule Furente* occinit ℣. 341.

Tyrannus attonitus.

—— rapta, sed trepida manu
Sceptra obtinentur: omnis in ferro salus.
Quod civibus tenere te invitis scias,
Strictus tuetur ensis: alieno in loco
HAUD STABILE REGNUM EST.

Ferro acquisita ferro tuentur.

Ferro cadunt.

Et Petrarcha lib. 1. *de remediis utriusque fortunæ* ait: *Ferro mihi tyrannidem acquisivi, ferro quæsitam, ferro etiam servaturus, ferro forsitan etiam amisurus*. Timeant igitur Tyranni; nam una cum Romulo ejusque commilitonibus cives consenserunt ad necem: unde Curtius *l.* 9. scribit: *Omnis multitudo, maxime militaris, mobili impetu fertur*. Occinitque Alciatus emblema 38. Concordiæ symbolum,

Consensu Populi, stantque, caduntque Duces.

Amulio interfecto Rhea Sylvia solvitur.

CCCLVII. Amulio igitur interfecto, Numitor Rex faustis cunctorum ominibus salutatur, filiamque Rheam Sylviam monet de filiorum incolumitate, quorum manu Tyrannum vel tandem interfecerat: erat adhuc in vinculis, ut Dionysius Halicarnasseus perhibet; enimvero Faustulus Amulio edixerat, alveum portare, ut mater de filiis sciret; firmatque Zonaras in secundo *Annalium*: *Amulius nihil salutaris consilii operisve molitus occiditur: Romulus & Remus, Albana re Numitori avo permissa, & justo honore* MATRI *habito, suo more vivere decreverunt*; periisse vulgo putabant, ait Fabius, Tyranni genium rati: *Nec desunt, qui malint*, teste Dionysio, *conjectam in occultum carcerem, eumque perpetuum, unde necatam esse vulgo creditum*. Honorant matrem juvenes, a qua vitæ usuram agnoscunt & Regnum: inquit enim Aristoteles lib. 2. *Ethic.* c. 12. *Parentes amant liberos, quasi ex se quiddam sint; liberi autem parentes, quasi ex illis quippiam sint*. Ideo Valerius scripsit *lib.* 5. *cap.* 4. *Diligere parentes prima naturæ lex est*: & *ib d.* ubi de Scythis adversus Darium illustre facinus recenset, ait: „Prima & optima rerum natura pietatis est „magistra, quæ nullo vocis ministerio u„suque litterarum indigens, propriis ac „tacitis viribus charitatem parentum pe„ctoribus liberorum effudit †. Quid ergo „doctrina proficit? ut politiora scilicet, „non ut meliora fiant ingenia: quoniam „quidem solida virtus nascitur magis „quam fingitur. Equidem bene; etenim format natura fœtum, effingit, effert, ex suo præstat, ut vivat & sit; tanta molimina adstruit amor, qui ut perpetuet matrem in sobole, charitatem effudit, totumque id figmentum pietatis oritur, ut amet: unde Phavorinus, quem laudat Aulus Gellius, ait: „Solertia naturæ evidens „est, quod postquam sanguis ille OPI„FEX in penetralibus suis omne corpus „effinxit, adventante jam partus tempo„re in supernas se partes profert, ad fo„venda vitæ atque lucis rudimenta præsto est. Hinc pietatis orta virtus agnoscit incrementa virtutum, quas expolire quisque potest, non adipisci; cecinitque Juvenalis *Sat.* 6. vers. 238.

Honor erga matrem.

Cur parentes honorandi?

Pietas erga parentes.

Scilicet exspectas, ut tradat mater honestos,
Aut alios mores, quam quos habet?

Concludit Hierocles Pythagoricus, *Est igitur verus ille parentum* HONOR, *quem exhibet virtutum scopus*: & Pythagoras, qui *aureis Carminibus* primordia Decalogi inseruit,

Αθανάτυς μὲν πρῶτα Θεὺς, νόμῳ ὡς διάκειται,
Τίμα· καὶ σέβυ ὅρκον· ἔπειθ' Ηρωας ἀγαυύς·
Τὺς τε καταχθονίυς σέβε Δαίμονας, ἔννομα ῥέζων·
Τύς τε γονεῖς τίμα, τὺς τ' ἄγχις' ἐκγεγαῶτας.
Primum immortales divos pro lege colunto,
Et jusjurandum: Heroas, clarum genus inde:
Dæmones hinc terris mixti sua jura ferunto:
Inde parentis HONOS *sequitur: tum sanguinis ordo.*

Pythagoras Moysen æmulatur.

Pythagoram diximus, in nostris præludiis *de Venatione Heroum*, arcanis Hebræorum navasse operam: etenim Lex sancta præcipit, *Unum cole Deum, ne jures vana per ipsum, habe in honore parentes*. Hæc oracula a Tertulliano, in secundo *adversus Marcionem*, *pietatis principalia consilia* dicuntur: ideo Salomon, ut primum Regni culmen adscendit, matrem suam a dextris sedentem in solio honoravit.

Tyranni arx occupata.

CCCLVIII. Ita Numen vindicias peregit, & mater diu orbata lucem tandem & filios vidit: hinc observo Dionysii verba, *Amulium nullo negotio jugulant, &* ARCEM *occupant*. Cumprimis Tyrannus arcem munitissimam instituit, quæ civibus servitutem, sibi munimentum deferret: eodem genio Dionysius Tyrannus arcem exstruxit, quam protinus Timoleon, libertatis Siciliæ vindex, potenti manu disjecit, enarratque Cornelius Nepos in *Timoleonte*: *Arcem Syracusis, quam munierat ad urbem obsidendam, a fundamentis disjecit; cætera tyrannidis propugnacula demolitus est; deditque operam ut quam minime servitutis vestigia manerent*. Seneca in *Thyeste* Tyrannos *arcium cupidos* vocat; & Scholiastes animadvertit, antiquitus, teste Lucretio, Reges in arcibus habitasse, & ideo a Græcis *Tyrannorum niduli* arces vocabantur: *Cupidi ergo arcium*, id est, *Cupidi tyrannidis*. Similiter Romulus, Livio auctore, arcem condidit, quam Tarpei filia Sabinis prodidit; teste Cælio *l.* 18. *c.* 27. *In Attica historia legimus, in arces quosdam damnatos, donec mulctam solvissent, ignominiæ obnoxios*; sed de istis alibi opportunior erit sermo.

De Tyrannorum arce.

Cohors amantium sacra.

CCCLIX. Vicit pastorum cohors exercitum Amulii, militesque veteranos, jugi sub Tyranno exercitatione insignes, subulcorum manipuli contriverunt. An juvenum cohors dilectionis constipata vinculis inexpugnabilis censenda? equidem assentior, eo quia inquit Plutarchus in *Pelopida*: Τὸν δ' ἱερὸν λόχον συνετάξατο Γοργίδας πρῶτος, ἐξ ἀνδρῶν ἐπιλέκτων τριακοσίων, οἷς ἡ πόλις ἄσκησιν καὶ δίαιταν ἐν τῇ Καδμείᾳ στρατοπεδευομένοις παρεῖχεν, καὶ διὰ τοῦτο ἐκ πόλεως λόχος ἐκαλοῦντο . . . . Ενιοι δὲ φασιν ἐξ ἐραστῶν καὶ ἐρωμένων γενέσθαι τὸ σύστημα τοῦτο . . . . . . Τὸ δ' ἐξ ἐρωτικῆς

† Rescr. *infundit*, Sallen. Tom. II.

A φιλίας συνηρμοσμένον στίφος ἀδιάλυτον εἶναι καὶ ἄρρηκτον, ὅταν οἱ μὲν ἀγαπῶντες τοὺς ἐρωμένους, οἱ δὲ αἰσχυνόμενοι τοὺς ἐρῶντας, ἐμμένωσι τοῖς δεινοῖς ὑπὲρ ἀλλήλων. *Sacram cohortem Princeps Gorgidas ex trecentis delectis viris conscripsit: habebant hi in Cadmia castra; ubi ea quæ ad exercitationem pertinerent, & victus iis publice præbebatur, unde cohors urbana cognominabatur.... Sunt qui ex* AMANTIBUS *& adamatis hunc globum constitisse referant...... Indissolubilem vero & infractum esse ex amatoria contractum necessitudine cuneum, ubi hi amore dilectorum, verecun* B *dia illi amantium discrimina per se mutuo perferant.* Similiter Sesostris Rex Ægypti puerorum agmina simul educanda statuit, quibus orbem subegisse Diodorus Siculus in *Bibliotheca* testatur: amor namque, quo se prosequebantur, flagrantes in palæstra exercebat, ut vincerent hostes, ne ab hostium concursu victos viderent amantes, amasiosque peremtos; ex fide Aristotelis subjungit Plutarchus: *Λέγεται δὲ καὶ τὸν Ἰόλεων τοῦ Ἡρακλέους ἐρώμενον ὄντα, κοινωνεῖν τῶν ἄθλων καὶ παρασπίζειν .... διότι* C *ἐπὶ τοῦ τάφου τοῦ Ἰόλεω τὰς καταπιστώσεις ποιεῖσθαι τοὺς ἐρωμένους καὶ τοὺς ἐραστάς· εἰκὸς οὖν καὶ τὸν λόχον ἱερὸν προσαγορεύεσθαι, καθ᾽ ὅτι καὶ Πλάτων ἔνθεον φίλον τὸν ἐραστὴν προσεῖπεν. Ferunt etiam amasium Herculis Iolaum socium certaminum fuisse, & in dimicando latus ejus claudere solitum ... ideo ad tumulum Iolai fidem sancire adamatos & amantes solere: quare verisimile est vocatam quoque eam cohortem fuisse* SACRAM, *quatenus & Plato* DIVINUM AMICUM *nominat amatorem.* Fama est permansisse hanc usque ab bellum Chæro- D nense, ac Philippum Regem commendasse; cui non Laii casus originem apud Thebanos dedit, sed Legislatores; semper insuperabilem in certaminibus existimatam novimus: eodemque pacto cohortem manipulosque Romuli ex adolescentibus, qui mutua dilectione fortissimi mortis proculcantes arma concertabant pro singulorum incolumitate, ut vincerent, & vicerunt Tyranni potentiam, robur, arcem, Regiamque subverterunt.

Amor invictus.

Jolaus Herculem defendit, quem amat.

Cohors sacra.

Divinus amicus.

E CCCLX. Culpant plerique numina, quæ tanti impiissimi facinoris auctorem Amulium cumularunt ope & Regno; enimvero Ægistum in venatione nepotem peremisse, exsecrandum omnino censetur malum, sed enormissimum, infantes deportandos ad necem sanxisse: scribit namque Lactantius Firmianus lib. 6. *de vero cultu* cap 20. „In hoc præcepto, NON „OCCIDES, nullam prorsus exceptio„nem fieri oportet, quin occidere homi„nem sit semper nefas, quem Deus SAN„CTUM ANIMAL esse voluit. Ergo-ne F „illud quidem concedi aliquis existimet, „ut recentes natos liceat oblidere, quæ vel „maxima est impietas: ad vitam enim „Deus inspirat animas, non ad mortem: „exspectet vero aliquis, ut alieno sangui„ne parcant, qui, non parcunt suo, sed „hi sine ulla controversia scelerati & in„justi. Quid illi, quos falsa pietas cogit „exponere? Non possunt innocentes e„xistimari, qui viscera sua in prædam ca„nibus objiciunt, & quantum in ipsis est, „crudelius necant quam si strangulassent. Sub hac censura, impium, sceleratum, injustumque etiam Natura & Deus Amulium damnant, & tamen regnat: & tamen sub jugo innocentem fratrem premit. An quia est sera numinum vindicta, & tarditatem gravitate compensant? homines, quibus arcana providentiæ non illuxere, inter ærumnas Deum non esse fatentur, aut providentiæ nequaquam compotem, super cardines cæli ambulare, & nostra non prospicere: occinitque cum stultis Claudianus lib. 1. *in Ruffin.* vers. 12.

Homo sanctum animal

Impii suos infantes perimunt & exponunt.

Sed cum res hominum tanta caligine volvi
Adspicerem, lætosque diu florere nocentes,
Vexarique pios; rursus labefacta cadebat
Relligio, causæ viam non sponte sequebar
Alterius, vacuo quæ currere semina motu
Affirmat, magnumque novas per inane figuras
Fortuna, non arte, regi, quæ numina sensu
Ambiguo, vel nulla putat, vel nescia nostri.

Injusti exaltati, depressi justi, deos non esse indicant.

Varro, ut primum Catonis viri præstantissimi, omnique virtutum genere ornatissimi, sepulchrum vidit, non absque bile, apud Fornutum * Persii Scholiastem exclamat,

Marmoreo Licinus tumulo jacet, & Cato parvo,
Pompejus nullo: Credimus esse deos?

Ovidius lib. 3. *Amorum* eleg. 9. & ipse occinit,

Cum rapiant mala fata bonos: ignoscite fasso,
Sollicitor nullos esse putare deos.

Innocentia calumniata.

Chorus apud Senecam plorat Hippolyti innocentiam a noverca Phædra falso contaminatam stupro apud Theseum genitorem, ad deum conversus ait vers. 971.

—— sed cur idem
Qui tanta Regis, sub quo vasti
Pondera mundi librata suos
Ducunt orbes, hominum nimium
Securus ades; non sollicitus
Prodesse bonis, nocuisse malis?
Res humanas ordine nullo
Fortuna regit, spargitque manu
Munera cœca, pejora fovens:
Vincit sanctos dira libido:
Fraus sublimi regnat in aula:
Tradere turpi fasces populus
Gaudet; eosdem colit, atque odit:
Tristis virtus perversa tulit
Præmia recti: castos sequitur
Mala paupertas; vitioque potens
Regnat adulter.
O vane pudor falsumque decus!

Fortuna cœca.

Similia Philocteta Sophoclis ore inter deliria cecinit vers. 445.

Ἀλλ᾽ οὐ περιστέλλουσι αὐτὰ δαίμονες,
Καὶ πῶς τὰ μὲν πανοῦργα καὶ παλιντριβῆ,

* Rest. *Cornutum*.

Χαίρουσ' ἀναστρέφοντες ἐξ ᾅδου, τὰ δὲ
Δίκαια καὶ τὰ χρηστ' ἀποστέλλουσ' ἀεί;
Πῶς χρὴ τίθεσθαι ταῦτα, πῶς δ' αἰνεῖν, ὅταν
Τὰ θεῖ' ἐπαινῶν, τοὺς θεοὺς εὕρω κακούς;
Curæ id Diis videtur esse atque studio,
Ut sceleribus contaminatos turpibus,
Ut fraude, qui fas atque commiscent nefas,
Illos specus subire Tartareos vetent.
Qui fas, & animo justitia sedet, statim
Mergant acerbo funere: at quid de his, cedo,
Esse statuendum existimas? quonam deum
Laudemus ore facta? multa perperam
Si statuere, malos si esse deprehendimus?

Dii cœlorum sede indigni.

Statuit vesana Ethnicorum impatientia deos non esse cum Epicuro & Chrysippo, utpote otiosos & injustos tanti ætherei culminis omnino indignos; a qua Stoicorum sententia Cornelius Tacitus Historicorum fortasse princeps, cum impios prosperitate maximopere frui & alta divitiarum tenere fastigia novisset, l.6. *Annalium* c.22. scripsit: „Sed mihi hæc & talia au„dienti in incerto judicium est, Fato-ne „res mortalium & necessitate immutabili, „an forte volvantur: quippe sapientissi„mos Veterum, quique sectam eorum æ„mulantur, diversos reperies; ac multis „insitam opinionem, non initia nostri, „non finem, non denique homines diis „curæ esse. IDEO CREBERRIMA & „TRISTIA IN BONOS, LÆTA APUD „DETERIORES ESSE. Hactenus ille; & Pedo Albinovanus ad Liviam Augustam in calamitate Drusi;

Nostra non curant dii.

Heu modu tantus ubi est? tumulo portaris & igni,
Hæc sunt in reditus dona paranda tuos?
Siccine dignus eras oculis occurrere matris?
Sic ego te reducem digna videre fui?
Cæsaris uxori si talia dicere fas est,
Jam dubito magnos an rear esse deos.

Quia boni opprimuntur, mali lætantur.

Lucanus in *Pharsalia* lib.7. vers.445. de Pompejo, qui Senatus & optimorum civium partes agebat, a Cæsare tandem infeliciter victo,

—— *sunt nobis nulla profecto*
Numina: cum cœco rapiantur singula casu!*
Mentimur regnare Jovem; spectabit ab alto
Æthere Thessalicas, teneat cum fulmina, clades? †

Et vers. 454.

—— *mortalia nulli*
Sunt curata Deo.

Ideo dii segnes, improvidi.

Unde Plutarchus *deos segnes* ideo nuncupatos refert, Patrocles, *humana non curantes*, Theodorus Prodromus in expostulatoria ad providentiam, *baud in terris regnantes*: ille etiam apud Plutarchum, *tarditas fidem providentiæ derogat*; isti, inquit Hierocles Pythagoricus in *Carm* Pythagoræ, *casibus humanis indignantur, & modis omnibus Providentiam destruunt*: & Tertullianus *de Testimonio Animæ*: *Sunt qui etsi Deum non negent dispectorem plane, & ar-*

A *bitrum, & Judicem non putent*. Nam teste Lactantio Firmiano in libro *de divino præmio, justitia rarescit, impietas, & avaritia, & cupiditas, & libido crebrescunt; boni prædæ sunt sceleratis, ac divexantur undique ab injustis: soli autem mali opulenti sunt, boni vero in omnibus contumeliis atque in egestate jactantur*; nec siluit David in *Ps.* 72. *Ipsi peccatores abundantes in sæculo obtinuerunt divitias: non est respectus morti eorum & firmamentum in plaga eorum: in labore hominum non sunt, ideo tenuit eos superbia*: expendit Chaldæus, *non terrentur, neque*
B *conturbantur propter diem mortis suæ*: Hieronymus ex Symmacho, *Non cogitant de morte sua*: addit Genebrardus, *Non renuunt mortem præ dierum multitudine: & in sinu suorum moriuntur sine cruce: perveniunt ad extremam senectutem*: & Aquila vetus Interpres, *Nulli cruciatus interveniunt morti eorum*: LXX. ἀνάνευσιν, quod Hebraice חרצבות *Harzzuboth*, ex quo Agellius Episcopus, *Non sunt in morte iniquorum hominum vincula; tantum abest, ut dum vivunt infelices sint*: de impio teste Job. *cap.* 21. *Iste moritur robustus, & sanus,*
C *& dives, & felix*: & apud *Ecclesiasten* cap. secundo, *Exsultant in malis, & consenescunt in malo*: ex quibus concludit Vatum maximus, *Ideo tenuit eos superbia*: Chaldæus versum sic reddit, *Propterea coronavit eos superbia, quam imponunt capitibus suis e rapina sua*: unde concludit, *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum*; impinguati, videlicet, ingrassati, & dilatati recalcitraverunt, elevaruntque calcaneum suum super omne, quod est Deus; Græcus Theodosius † apud Agellium, *Cum tam magna felicitate uterentur, sine ullo*
D *metu iniquitatem admittebant*: concinitque Esdras *cap.*9. *Comederunt, & saturati sunt & impinguati sunt, abundaverunt deliciis in bonitate tua magna, & recesserunt a te, & projecerunt legem tuam post terga sua*; Genebrardus vero impiorum prosperitatem poetice descriptam putat, & rerum affluentia efficiat, ut sint iniqui & improbi.

Probatur.

Impii consenescunt felices.

Coronati procedunt rapinis bonorumque omnium affluentia.

CCCLX. Hinc justorum querimonia fertur ad astra, ut inquirant arcanam hanc felicitatis causam, inclamatque Hieremias, *Justus quidem tu es, Domine; quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui*
E *prævaricantur & injuste agunt?* Divus Joannes Chrysostomus in Catena G. PP. apud Ghislerium ecphrasin facit, *Scio quod justus es, sed justitiæ rationem non invenio*: & Græcus Auctor, *Humanæ turbatæque mentis istos sermones* esse putat: nam inique agentes ex Pagnino & Vatablo, inquit Ghislerius, *Pacifici, tranquilli, felices, fortunati sunt*; quod Habachuc cum ferre non posset, *capit* 1. ait ad Deum, *Respicere ad iniquitatem non poteris. Quare*
F *respicis super iniqua agentes, & taces, devorante impio justiorem se?* Job similiter postquam Sophar audivit adversus justos percussos a Deo, expostulationem hanc Deo edidit *cap.*21. „Quare impii vivunt, „sublevati sunt, confortatique divitiis? „Semen eorum permanet coram eis, pro„pinquorum turba & nepotum in conspe„ctu eorum: domus eorum securæ sunt,

Hac de re justi conquerantur.

Describitur impiorum felicitas.

* Alii, *sæcula*. † Rep. *cædes*.

† Leg. *Theodotion*.

„ & pacatæ, non eſt virga Dei ſuper illos: „ bos eorum concepit, & non aborti- „ vit; vacca peperit, & non eſt privata „ fœtu ſuo: egrediuntur quaſi greges par- „ vuli eorum, & infantes eorum exſul- „ tant luſibus: tenent tympanum & ci- „ tharam & gaudent ad ſonitum organi, „ ducunt in bonis dies ſuos. Hæc Job conterritus verborum ambitu amicorum congeſſit, ac teſte Divo Ambroſio paucis, ut diſſereret: *Si propter peccatum meum hoc patior, quare impii vivunt?*

Si juſti puniuntur, quare impii vivunt?

CCCLXI. Dolentis hæc expoſtulatio, quæ tamen niſi ratione infringitur, providentem e cælo inficit. Dicamus igitur, *juſtus eſt Dominus, & rectum judicium ejus*; ante cujus oculos mille anni tanquam dies externa, * quæ præteriit, nec longum eſt, quod tranſit, immo momentaneum, ac prope nihil; etenim enarratis tot tantiſque impiorum bonis, concludit Job. *cap. cit. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt*: expendit Nicetas: *In momento ad inferorum ſedes demigrant*: & eſt juxta verſionem LXX. *In requie inferni dormiunt*. Sunt tamen cum Tertulliano, qui patientiam Dei exhibent, ut cunctando damnandos ſalvet: aſſeritque Divus Auguſtinus impios diu vivere ut convertantur, dum exſpectat Altiſſimus, & reſipiſcant; moram hanc eodem argumento Plutarchus in libello *de his qui ſero a Numine puniuntur* pertingit; inquit enim apud eum Patrocles ex Euripide: *Cunctatur; hæc quippe eſt natura Numinis*; & alibi idem Vates,

Cur exſpectat Deus, & impios non interficit?

Trepidare noli: non te accedens comminus
Juſtitia jecur feriet, aut alium improbum:
Sed tacita, lento tardeque adrepens pede,
Suo malos aliquando tempore obruet.

Tarditatem gravitate compenſat, niſi converſi fuerunt.

Cunctatur, ut in melius corrigantur, ſcelerumque actores reſipiſcentes bene ſapiant: conſidera quam multorum hominum mores & vita fuerit mutata; qua occaſione Græci mores τρόπως *tropous* a mutando, & ἔθη *ethe* a conſuetudine nominant; Cecropem *Biformem* a Priſcis nuncupatum legimus, non quod e bono Rege immanis & draconis ſecutus naturam Tyrannus ſit factus, ſed contra, quod perverſus ab initio & terribilis, poſtmodo benigne humaniterque imperaverit. Certe Gelonem novimus & Hieronem Siculos, & Piſiſtratum, qui tyrannide per malitiam parta uſi ſunt, ſecundum virtutis rationem, Patriæ tandem patres vixerunt: Megalopoli Tyrannus fuit Lydiades; is ipſa in tyrannide conſilio immutato, & improbata injuſtitia, civibus Rempublicam & leges reſtituit. Jam ſi quis Miltiadem in Cherſoneſo tyrannidem gerentem interfeciſſet, aut Cimonem cum ſorore concumbentem, aut Themiſtoclem laſcive commeſſantem, petulanterque per forum bacchantem Athenis expuliſſet, ſicut poſtmodum de Alcibiade reo facto ſtatutum fuit, nonne periiſſent Marathon, Eurymedon, Dianium, ubi

Pleiique poſt ſcelus ſancte vixerunt ex Plutarcho.

—— pubes Attica jecit
Illuſtre fundamentum libertatis?

Dum exſpectat Deus, meliora depoſcit.

* Reſt. *heſterna*.

Patrocles poſt hæc addidit plura, rationeque & exemplis confirmavit; enimvero ſi præcox ac cita Numinum eſſet vindicta, maleſactorum pœnitentia, morum converſio, virtutum æmulatio omnino deſperent, & tanto ſub carnifice periret orbis. Si de Dionyſio ſub initium tyrannidis ſumtum fuiſſet ſupplicium, nemo utique Græcorum Siciliam fuerat inhabitaturus, a Carthaginienſibus evaſtatam; neque Apolloniam, vel Anactorium, vel Peninſulam Leucadiam quiſquam Græcorum bonis artibus illam imbuendam incoluiſſet, ſi Periandri pœna non fuiſſet in bene longum dilata tempus; exiſtimo etiam Caſſandro obtigiſſe moram debiti ſupplicii, ut rurſus Thebæ civibus frequentarentur. Imo ex ſacris addamus, genus humanum penitus fuiſſet abolitum, ſi poſt Adæ & Evæ lapſum Numen mortis pœnam irrogaſſet ad necem; David poſt adulterium ſi ſtatim cum Uria periiſſet, neque pœnitentiæ exemplar, neque Templi decus, ac Salomonis ſapientiam pertingeret ſæculum; dicat Thucydides, præceps de impiis ſupplicium impietatem radicitus evellere: quandoquidem malo e ſemine pejora inſurgunt germina: & apud Romanos rerum dominos, Ducum Imperatorumque cæde quam ſæpiſſime tyrannidem affectabant; & ſicut e Gigantum cruore virus & aconitum, ita feſtinata a clade ſceleſtorum impietas. Sunt tamen qui optent vindictam ſuis videre temporibus, & ideo moleſtam ferre moram; unde illud Biantis dictum, quod dixiſſe fertur cuidam malo: *Non metuo ne non ſis daturus pœnas, ſed ne ego id non ſim viſurus*. Quid enim utilitatis rediit ad Meſſenios ante interfectos, quam de Ariſtocrate ſumtum eſt ſupplicium? qui prodita in Cypro pugna, cum ſupra viginti annos delituiſſet, totoque eo tempore Arcadum Rex fuiſſet, tandem deprehenſus, Meſſeniis pridem peſſundatis, pœnas dedit. Aut quid ſolatii attulit Orchomeniis, qui proditione Lyciſci liberos, amicos, & familiares ſuos amiſerunt, morbus, qui longo poſt tempore Lyciſcum invaſit, corpuſque ejus depaſtus eſt? quod de Herode Innocentium interfectore dicendum, ſua ſe vermium clade peremto, poſtquam matres, amiſſis liberis, diem ſuum obierunt.

An juvat illico impios puniri?

Vindictam differt ad tempus Numen.

CCCLXII. Nihilominus ſi homo punitos non videt impios, videt Deus: & homo interim compoſitis animi paſſionibus, dum Numen æmulatur, patientiæ longanimitate fit Heros, Deo ſimilis. Agricola male exuberantia non ſemel germina ad tempus ut vireſcant patitur, opportuno quoque tempore recidit, & mittit in ignem; ſed apprime Auguſtinus, impium vivere ut juſtus exerceatur, edixit; addamus, ut impii per impium puniantur; ſic reus legum permiſſu quandoquidem carnifex eligitur, ut reos morte afficiat, aliud ſimile refert Plutarchus: *Quemadmodum fel hyænæ, & phocæ, aliorumque fœdorum animalium coagula aliquid habent ad morbos ſanandos utile; ſic nonnullis morſu & pœna ind gentibus deus injiciens tyranni alicujus ſævitiam implacabilem, aut magiſtratus moleſtam aſperitatem, non ante id, quod excruciabat ac turbabat, ſuſtulit, quam vitioſos morbo liberaſſet ac purgaſſet*. Tale

Impii vivunt tortores malorum.

medicamentum fuit Agrigentinis Phalaris, Marius Romanis, & Sicyoniis deus disertis verbis prædixit, flagella incutientibus urbem opus habere, quando ii Teletiam puerum ludis Pythiis coronatum tanquam suum civem Cleonæis auferentes discerpserunt. Philistæi Hebræorum contumaciam, licet Idololatræ, in Palæstina compresserunt: occinitque Vates Regius: *Constitue super eum peccatorem, Diabolus stet a dextris ejus.* Genebrardus *in Psal.* 108. *Impium, qui eum vexet, & malis premat, ei præfice: Tyranno impio & crudeli subjice*, & alibi: *Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra*: expendit Agellius Episcopus: *Chaldæos, Medos, ac Persas, qui nobis tanquam jumentis insiderent*: ex Hebræo Genebrardus: *Homines tyrannos, duros dominos imposuisti, & equitare fecisti super capita nostra, id est, regnare*; nec aliter Euthymius.

Inimici Dei inimicos Dei puniunt.

CCCLXIII. Addamus aliam rationem post perpetratum immane flagitium, impium in corpore vivere tanquam in carcere, supplicium exspectantem a Numine; suadetque vir sapiens apud Plutarchum: „Tempus longum cum dixi intelligendum est hoc, ut ad humanam refertur naturam: nam diis quidem omne humanæ vitæ spatium pro nihilo est, & quod nunc, non ante triginta annos tale est, atque hoc quod non mane, sed vesperi cruciatur aut suspenditur sceleratus; maxime qui in hac vita captivus detineatur, tanquam in carcere, unde migrare aut effugere non possit, utcumque interim multum conviviorum, negotiorum, munerum, officiorumque obtingat: scilicet ea sunt similia ludorum, quos alea aut talis in carcere captivi ludunt, fune super capita pendente. Hæc ille. Nec impedit dicere, eos qui ad mortem inclusi in carcere tenentur, puniri antequam cervices præcidantur; & qui apud Athenienses cicutam bibebant, in ergastulis ambulabant colloquia peragentes, & tamen mors intus ut carnifex parabat exitium; imo animi intervenientes tumultus, terrores, metus, pœnitentia (quibus malorum unusquisque commissa culpa devincitur) deprehensium demonstrant impium & excruciant; falso igitur ratiocinatur, qui piscem, hamo captum adhuc in mari colluctantem, liberum putat, nec credit captum, antequam assatum, & in frusta concisum videt: Cainus fugit a facie Dei, sed Numinis non effugit satellites, ubique ad vindictam præstantes: maria metitur Jonas, & fugit ac dormit, at vigilat Deus, ut puniat: vivit Nero post parricidium, & regnat carnifex: *Neque tamen*, ait Suetonius, *sceleris conscientiam, quamquam, & Militum, & Senatus, Populique gratulationibus confirmaretur, aut statim aut unquam postea ferre potuit, sæpe confessus exagitari se materna specie, verberibus furiarum, ac tædis ardentibus*. Caracalla fratrem inter matris ubera proclamantem post immania portenta scelerum interfecit, nec inultus destitit cruor, nam larvis manibusque conterritus in insaniam incidit, asseritque ex Dione Xiphilinus: *Cum profectionem pararet ex Antiochia, pater ei cum gladio adstitit in somnis, &*

Nemo fugit de manu Dei ultrice.

Furiæ & Dæmones insequuntur impios.

Neronem.

Caracallam.

A *ut tu, inquit, fratrem tuum interfecisti, ita ego te interficiam*. Pausanias Cleonicam virginem liberam Byzantii per libidinem ad se vocavit, ut ea per noctem potiretur, deinde accedentem perturbatione quadam & sinistra suspicione concitus interfecit; testatur Plutarchus: *Hanc sæpe vidisse in somnis sibi dicere* PERGE AD SUPPLICIUM; Timoleon, teste Cornelio Nepote, *quum Dionysium interficere posset, noluit: tutoque ut Corinthum perveniret effecit, ut non solum auribus acciperetur, sed etiam oculis cerneretur, quem & ex quanto Regno, ad quam fortunam detraxisset*. Nero deseritur ab omnibus, ac sumto a Locusta venefica in auream pyxidem condito veneno, cum vellet mori, non potuit, uno etiam proclamante,

Pausaniam.

B

Usque adeone mori miserum est?

Recte Tacitus l.4. *Historiarum*: *Cui quanto longiorem vitam, tanto plus supplicii fore*: Avidius Cassius, si Vulcatio Gallicano credimus c.4. dicebat: *Majus exemplum esse viventes miserabiliter criminosi quam occisi*.

C CCCLXIV. Calculum addidit eloquentissimus Tertullianus in *Apologetico*, & seram Numinis vindictam approbat: *Deus æternum judicium destinavit post sæculi finem: non præcipitat discretionem, quæ est judicii conditio ante sæculi finem; æqualis est interim super omne hominum genus indulgens & increpitans, communia voluit esse, & commoda profanis, & incommoda suis, ut pari consortio omnes, & lenitatem ejus, & severitatem experiremur; quia æquitatem didicimus apud ipsum, diligimus lenitatem, metuimus severitatem*. Bonum dictum; etenim in *Apocalypsi* agnus est & leo; quandoquidem misericordia superexaltat judicium, ut sit miserator & misericors Dominus, nec tamen fulmen ita cum face commutat, ut non sit *Deus ultionum Dominus*: hinc Minucius Felix Octavium Cæcilio Ethnico dicentem inducit: *Forte vos decipit, quod Deum nescientes divitiis affluant, honoribus floreant, polleant potestatibus: Miseri!* IN HOC TOLLUNTUR ALTIUS, UT DECIDANT ALTIUS, *hi enim ut victimæ saginantur, ut hostiæ coronantur*; etiam apud Indos jugulandus ad aras saginatur, & tandem impinguatus, ingrassatus occiditur & comburitur. Hostias curabant olim Pontifices, ut a Popis post dira percussæ, saginam litarent in igne; Agricola spinas non exscindit, imo fovet, ut crescant, donec sumto ex eis asparago comburat; exaltat Deus, fateor, impios, super astra elevat, ut ponant in cælum os suum, & super sidera, inquit ille apud Isaiam: *Exaltabo solium meum*, ut inde altius cadat, præceps ad inferos; rem tangit Valerius Maximus: *Leni gradu ad vindictam sui divina procedit ira, sed tarditatem supplicii* GRAVITATE *compensat*. De Sejano Juvenalis *Satyra* 10. vers.140. ait,

Cur differt Deus vindictam?

D

Impii altius tolluntur, ut ruant.

Saginantur ut victimæ.

E

F

—— *qui nimios optabat honores,*
Et nimias poscebat opes, numerosa parabat
Excelsis terris tabula, †*unde* ALTIOR ESSET

† Rest. *tabulata*.

CASUS, *& impulsæ præceps immane ruinæ.*

Ita Amulius Tyrannus corruit.

CCCLXV. Firmant jam dicta Amulii supplicium, qui per nefas & parricidia solium Albæ occupavit, a quo dejectus, gladiorum multorum acie occubuit; traditque Conon ad Archelaum Regem apud Photium: *Ἐπιτυχόντες Ἀμολίῳ ἀφυλάκτῳ, ἐπάγουσι τὴν τιμωρίαν ξίφεσιν ἀνελόντες· καὶ τὴν μητέρα λύουσι τῶν δεσμῶν. Amulium sine corporis custodibus reperiunt, pœnasque exigentes ferro confodiunt; &* MATREM *e custodia educunt*. Videt, quamvis sero, mulier ultionem numinis, & eum, qui miseram obtruserat in carceris foveam, confossum deplorat, & inter vindicias tanti numinis stupet, ac Providentiam, quam diu culpaverat in vinculis, collaudat libera, commendatque cum filiis, populorumque concursantium plausu.

CAP. XXIX.

Numitor Rex Albæ XVI. *ingenti omnium plausu Regnum obtinet, Urbem reficit, quæve sub Amulii tyrannide irrepserunt scelera punit, & novam* URBEM *Romulo ac Remo nepotibus permittit ut ædificent.*

Acta post Amulii mortem.

CCCCLXVI. JAM deorum omnium providentia commendabatur a civibus, ac peractis de more sacris, numina inter sacrum, & saxum, hymnorum plausu ac libaminibus nitebant ab alto; enimvero ad Regiæ fores conculcatus jacebat Tyrannus, & cruoris immersus illuvie proclamabat immane flagitium deportatorum ad Tyberim: inter cancellos, tyrannidis munimentum, adhuc exspirans cadaver colluctabat ad necem, ostentabatque scelus in Rheam Sylviam pessime perpetratum: nec interim Numitor desipit, sed concione advocata, facinorum Tyranni seriem ab antiquo denarrat, & Regni fasces communi omnium consensu obtinet; offert hæc Livius: „ Romulus cum grege „ juvenum ad Regem impetum facit, & „ a domo Numitoris alia comparata manu, adjuvat Remus: ita Regem obtruncant; Numitor inter primum tumultum „ hostes invasisse Urbem, atque adortos Regiam dictitans, cum pubem Albanam in „ arcem præsidio armisque obtinendam „ advocasset, posteaquam juvenes perpetrata cæde pergere ad se gratulantes vidit; extemplo advocato consilio, scelera „ in se fratris, originem nepotum, ut geniti, ut educati, ut cogniti essent, cædem deinceps Tyranni, seque ejus auctorem ostendit; juvenes per mediam „ concionem agmine ingressi, cum avum „ REGEM salutassent, secuta ex omni „ multitudine consentiens vox, ratum nomen, Imperiumque Regi effecit; Aurelius victor omnem Romulo victoriam adscripsit, videlicet: *Ab eo oppresso Amulio, fratrem vinculis liberatum, avum Regno restitutum*. Sed Livii proclamans historia fidem magis auget, & Fabii viri antiquissimi oracula sequitur, quæ Dionysius Halicarnasseus edidit.

Post Tyranni mortem fit Numitor Rex.

Armati Romulus Remusque non rogant, sed imperant.

CCCLVII. Armati juvenes Regem salutant, totoque agmine concionem ingrediuntur, eorumque vox excipitur, consensum Principum, & unanimiter Imperium Numitori deferunt. Armatus miles non rogat, sed imperat: & ferrum extorquet consulentium vota: nulla vis legum, ubi gladius imperat, & ab ore gladii consulta exeunt, quæ jubent, & laudantur. Sic Didius Julianus, teste Dione apud Xiphilinum, *armatis militibus septus, & munitus, in ipso Senatu quamplures habebat armatos, itaque adeptus Imperium & confirmatus Senatus auctoritate in Palatium proficiscitur*; hunc indignum Imperio cuncti exsecrantur, sed comitatus magno numero Prætorianorum, quibus signa aderant, Imperii culmen adscendit: similiter Caracalla, generis humani fax & exitium, cum audiret a Senatu odio haberi, pluresque illum ab Imperio exturbandum censuisse, auctore Xiphilino, scripsit in hanc sententiam: *In armis sum, & habeo apud me milites, ut possim rumores, qui de me perferuntur, contemnere*. Recte Vellejus Paterculus *l.2. Pompejum Senatus auctoritas, Cæsarem militum armavit fiducia*; ideo vidit, ac Rempublicam ad Monarchiæ specimen redegit; occinitque Ovidius lib. 4. *de Ponto* eleg. 9. vers. 93.

Gladius Imperium extorquet.

—— hic, ubi barbarus hostis,
Ut fera plus valeant legibus arma, facit.

Leges arma ferunt, datas violant; nec siluit in primo *Georgicorum* Virgilius vers. 510.

Vicinæ ruptis inter se legibus urbes
Arma ferunt, sævit toto Mars impius Orbe.

Regem salutant.

CCCLXVIII. Salutant igitur fausto omine cuncti Numitorem, & de more acclamant Regem; ad quem protinus carmina & panegyris conversa extulit Principem solio ac cælo dignum; sic Apollinaris Sidonius ad Anthemium bis Consulem eleganter occinit:

Commendantur Principum gesta & virtutes.

Hic est, o Proceres, petiit quem Romula virtus,
Et quem vester amor: cui se ceu victa procellis,
Atque carens rectore ratis, Respublica fractam
Intulit, ut digno melius flectenda magistro,
Ne tempestates, ne te, pirata, timeret.
Te prece ruricola expetiit, te fœdere junctus
Assensu, te castra tubis, te Curia plausu,
Te punctis scripsere tribus.

Ritus Gabinus in coronatione Regum.

Erat olim juxta ritum Gabinum inaugurartio, quem Claudianus decantat in 4. *Consulatu Honorii* vers. 6. usque ad posteros religione summa servatum in fastis Romanorum,

Cernis, ut armorum proceres, legumque potentes,

Pa-

Patricios sumunt habitus, & more Gabino
Discolor incedit Legio, positisque parumper
Bellorum signis sequitur vexilla Quirini,
Lictori cedunt Aquilæ, ridetque togatus
Miles, & in mediis effulget Curia castris.

Apud Gabios Romulus cum fratre jura dicerant, eorumque vexilla manipulos fuisse compertum est; Lictor vero fasces Imperii gestabat insignia, & miles festivus una cum plebe exsultans togatus ridebat; quem morem ultima ætas tenuit, & Tacitus in *Tiberio*: *Imperator a legionibus salutabatur: prisco erga Duces honore, qui bene gesta Republica, gaudio & impetu victoris exercitus conclamabantur*; Cæsar lib. 2. *de Bello Civili*; *Curio se in castra ad Bagradam recepit, atque universi exercitus acclamatione Imperator acclamatur*; Corippus de Justiniano & Justino Imperatoribus:

Mos salutandi Principes.

Intonuit Patrum subitus fragor, inde clientum
Clamores crescunt, clamoribus adsonat æther,
Laudibus innumeris regnantum nomina tollunt,
Justino vitam tercentum vocibus optant,
Felices annos Dominis felicibus orant.

Coronationis tempus inquiritur.

CCCLXIX. Interficitur Amulius fratris Numitoris interfector prolis, Regnique impiissimus invasor An. O. C. MMMCXCI. ante C. N. DCCLXXII. Sol. 12. Lun. 8. Olymp. VII. regnante Agas †; & Charope Archonte primo Decennali apud Athenienses; Asychide, qui juxta Herodotum Pyramidas ædificaverat, Ægypti Rege, Artica apud Medos, & Theopompo Spartarum Principe, qui Ephoros Regum Consiliarios instituit, regnantibus: sic vir sanguinum & dolosus cecidit, suoque involutus sanguine periit; enimvero Hesiodus recte occinit Vates *Op. & Dies* vers. 263.

Malus mala sibi congerit.

Οἷ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων·
Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.
Sibi ipsi mala fabricatur vir alii mala fabricans:
Malum vero consilium consulenti pessimum.

Et Seneca Tragicus servum Atreo dicentem sic facit in *Thyeste* vers. 312.

Sæpe in magistrum scelera redierunt sua,

Quod Pausanias in *Corinthiacis*, agens de Philippo Macedonum Rege, premit, simulque Plutarchus *de iis qui sero a Numine puniuntur*; ac Ælianus lib. 8. *Var. Hist.* cap. 9. exemplo comprobat, ubi refert Crateuam amasium interfecisse amatorem suum Archelaum Regem Macedonum, quem Plato Tyrannum appellat: *Ὡς τύραννός τε καὶ εὐδαίμων ἀνὴρ ἐσόμενος. Τρεῖς δὲ ἢ τέσσαρας ἡμέρας τὴν τυραννίδα κατασχὸν τὸ μειράκιον, πάλιν αὐτὸς ἐπιβουλευθεὶς ὑφ' ἑτέρων ἐτελεύτησεν. Εἴη δὲ πρεπωδέστατον ἐπειπεῖν τῷ δὲ τῷ Μακεδονικῷ δράματι τὸ ἔπος ἐκεῖνο. Τεύχων ὡς ἑτέρῳ τις, ἑῷ κακὸν ἥπατι τεύχει. Ea spe quod sperabat se Tyrannum beatumque imposterum fore. Atqui cum vix tres aut quatuor dies Imperium tenuisset amasius, ipse rursus per insidias ab aliis circumventus & occisus est. Aptissime autem quadrat huic Macedonico dramati versus ille, qui struit insidias aliis, sibi damna dat ipsi.*

CCCLXX. Regnum obtinet Numitor, die quo Amulius vulneribus confossus inferos adiit, nulla funeris pompa, & humus inhumanum vix tegit: Alba undique nitet, concursant cives, plaudunt, solium ornant, Regemque Numitorem proclamant: de Neronis interitu scribit Suetonius *cap.* 57. *Obiit triginta & secundo ætatis anno, die quo quandam Octaviam interemerat: tantumque gaudium publice præbuit, ut plebs pileata tota urbe discurreret*; Galbam deinde omine dextero proclamant es Imperatorem deferebant; cecinitque Claudianus in Honorii Augusti pompa, *de* 4. *Consul.* vers. 583.

Pompa in coronatione Regum.

Portatur juvenum cervicibus aurea sedes,
Ornatuque novo gravior Deus: asperat Indus
Velamenta lapis, pretiosaque fila smaragdis
Ducta virent: amethystus inest, & fulgor Iberus
Temperat arcanis hyacinthi cærula flammis,
Nec rudis in tali suffecit gratia textu:
Auget acus meritum, picturatumque metallis
Vivit opus, multaque ornatur jaspide vultus *
Et variis spirat Nereia bacca figuris.

Corona.

Coronam olim Trojanorum fuisse ornamentum Virgilius tradit, ubi ab Ænea Didoni collatam canit lib. 1. *Æneid.* vers. 657. a quo apud Albanos, Lavinii Coloniam, in usu fuisse compertum est,

—— sceptrum, Ilione quod gesserat olim
Maxima natarum Priami, colloque monile
Baccatum, & duplicem gemmis auroque coronam.

Vitta.

Sed vittam fuisse antiquitus putant ex *lib.* 6. Silii Italici,

—— regnique insigne vetusti
Gestat læva decus, cinguntur tempora vitta.

Sidonius Apollinaris in *Panegyrico Aviti Augusti*.

Concurrunt proceres, ac milite circumfuso
Aggere composito statuunt, ac torque coronant
Castrensi mœstum, donantque insignia regni.

Torques.

Prudentius *in Symmachum* lib. 2. cum pluribus diadema appellat,

Diadema.

—— caput augustum diademate cinxit,
Appellans Patrem Patriæ, Populi atque Senatus

† Leg. forte, *Achaz*.

* Alii, *cultus*.

Rectorem, qui militiæ sit Ductor, & idem
Dictator, Censorque bonus, morumque Magister,
Tutor opum, vindex scelerum, largitor honorum.

Nomina boni Principis.

Hunc sequitur Corippus vetus Auctor *lib. 2.*

—— feruntque
Auratas vestes, pretiosaque cingula gemmis,
Et capitis diadema sacri

Nam quæ Dardanus sanxit apud Ilium, Æneas intulit Albæ, quæ ex Lavinio, Ascanio conditore, monumenta Veterum secuta, surrexit: ritusque Gabinos juxta Græcorum morem etiam Alba colebat, tenuitque postmodum Urbs plena regno.

Renovat Numitor, quæ Amulius pessime contempsit.

CCCLXXI. Itaque bonis avibus, ut primum Regni habenas contrectavit Numitor, expulsam ab antiquo virtutem evocavit in rostris & Regia, quæ deinceps justitiæ sacrum fuit; immania quæque facinora expulit, instar Solis, qui oriens depellit umbras, & horrida quæque sub noctis tyrannide luci conformat; asseritque Dionysius Halicarnasseus lib. 1. *Antiquitatum*: Ἐπειδὴ γὰρ Ἀμουλίου τελευτήσαντος, ἀνεκτήσατο τὴν ἀρχὴν ὁ Νομίτωρ, ὀλίγον ἐπισχὼν χρόνον, ἐν ᾧ τὴν πόλιν ἐκ τῆς πρότερον ἐπισχούσης ἀκοσμίας εἰς τὸν ἀρχαῖον ἐκόσμει τρόπον. *Postquam Amulio defuncto principatum recepit Numitor, quamprimum turbatum diutina tyrannide statum Reipublicæ composuit*: similia de Timoleonte, qui Dionysium exturbavit, perhibet Cornelius Nepos: *Tyrannidis propugnacula demolitus est, deditque operam, ut quam minime vestigia servitutis remanerent*: addidit & alia post tyrannidis exterminium satis opportuna: *Civibus veteribus sua restituit, novis bello vacuefactas possessiones divisit; urbium mœnia disjecta, fanaque deleta refecit; civitatibus leges libertatemque reddidit*: nam Tyrannus Religionis contemtum præfert, & fana deorum, ubi populorum fit conventus, odit: si cum Thyeste Senecæ Amulium comparamus, inquit ille sapiens vers. 221.

Omnia crimina sub malo Principe.

Quid enim reliquit crimine intactum? aut ubi
Sceleri pepercit? Conjugem stupro abstulit,
Regnumque furto, specimen antiquum Imperii
Fraude est adeptus, fraude turbavit domum.

CCCLXXII. Major cura nepotum, a quibus Regnum acceperat; vir sapiens juvenum illustres animas fovere instituit, & ut imperarent, novam Urbem instituere molitur: Εὐθὺς ἐπενόει τοῖς μειρακίοις ἰδίαν ἀρχὴν κατασκευάσαι, ἑτέραν πόλιν οἰκίσας. Ἅμα δὲ καὶ τοῦ πολιτικοῦ πλήθους ἐπίδοσιν εἰς ἀνδρίαν ἐσχηκότος, ἐπαναλῶσαί τι καλῶς ἔχειν ᾤετο, καὶ μάλιστα τὸ διάφορον αὐτῷ πότε γενόμενον, ὡς μὴ δι' ὑποψίας αὐτὸς ἔχοι. *Mox cogitavit*, in-

Novam Urbem condit, ut factiones deprimat.

A quit *ibid.* Dionysius, *de paranda propria ditione juvenibus, novaque Urbe in hac condenda; simulque urbanam multitudinem vehementer auctam numero minuendam censebat; semotis potissimum adversæ factionis hominibus, ut liber a suspicione degeret.* Prudentiam veneramur & consilium optimum senis sapientissimi; non exstinguuntur factionum incendia, etsi sopita lateant; etiam Nero, qui Urbem gladio & igne perdidit, post interitum in votis fuit, sic hominum genius fluctuat; viventes odit, defunctos Tyrannos commendat:

B „Non defuerunt, qui per longum tempus, *ait Suetonius*, vernis æstivisque floribus tumulum ejus ornarent, ac modo imagines prætextatas in rostris proferrent, modo edicta, quasi viventis & brevi magno inimicorum malo reversuri: quin etiam Vologesus Parthorum Rex, missis ad Senatum Legatis de instauranda societate, hoc etiam magnopere oravit, ut Neronis memoria colеretur. Ideo diversas factiones Numitor timuit, etsi defunctum videbat Amulium, habebat præ oculis insurgentem factio-

Post mortem Neronis cultus.

C nem in novi Regis perniciem, ait Livius; *Factiones fuere, eruntque pluribus populis magis exitio quam bella externa, quam fames, morbive, quæque alia in deum iras, velut ultima publicorum malorum, vertant*; caveat internum hoc malum Princeps, & regnabit.

CCCLXXIII. Aliam occasionem condendæ Urbis Plutarchus depromit, videlicet a nepotibus concessum avo Regnum, sed cum hac conditione, ut & ipsi imperarent: Ἀμουλίου δὲ ἀποθανόντος, καὶ τῶν πραγμάτων καταστάντων, Ἄλβην μὲν οὔτ'

D οἰκεῖν μὴ ἄρχοντες, οὔτ' ἄρχειν ἐβούλοντο, τοῦ μητροπάτορος ζῶντος, ἀποδόντες δὲ τὴν ἡγεμονίαν ἐκείνῳ, καὶ τῇ μητρὶ τιμὰς πρεπούσας, ἔγνωσαν οἰκεῖν καθ' ἑαυτούς, πόλιν ἐν οἷς χωρίοις ἐξ ἀρχῆς ἐνετράφησαν κτίσαντες· αὕτη γὰρ εὐπρεπεστάτη τῶν αἰτιῶν ἐστι. *Interfecto Amulio, rebusque compositis, Albæ habitare, & vivo regnare avo non induxerunt in animum: quare permisso illi Regno, matrique debito habito honore, ipsis consilium fuit seorsum Urbis, ubi primum fuerant educati, condendæ: & hæc causa mihi potissima probatur.*

Romulus & Remus concedunt avo Regnum, & aliud sibi comparant.

E Etenim ad imperium nati servitutem pati indigne ferebant, nec successionem operiri sinebat animus; quod firmat Zonaras lib. 2. *Annalium*: *Albana re Numitori avo permissa, & justo honori matri habito, suo more vivere (neque enim ferebant imperium) decreverunt*: Livius tradit idipsum: *Romulum Remumque cupido cepit in iis locis, ubi expositi, ubique educati erant, Urbis condendæ*: inter se de condenda Urbe tractasse testatur Aurelius Victor,

F *in qua ipsi pariter regnarent*; hæc cupido præstantes virtute torquet, & quanto altius sapiunt excruciantur. Jocasta ad Polynicem apud Senecam inquit *Theb.* vers. 662.

Cupido regnandi.

—— pro Regno velim
Patriam, Penates, conjugem flammis dare:
Imperia PRECIO *quolibet constant bene.*

Dionysius Halicarnasseus *lib.* 4. ubi enorme Tulliæ flagitium enarrat, quæ ad Regiam capessendam super patris cadaver, horrentibus equis facinus, cucurrit, subjungit: *Vetus ac pridem insita mortalibus Imperii cupido, cunctis affectibus flagrantior trudit & rap t, non allicit, non trahit*.

Confluunt novum Principem secuti pessimi totius Regni.

CCCLXXIV. Permisit Urbem novam condere, quia agmina pastorum servorumque multitudo ad Romulum Remumque confugerant, quorum favore Alba periclitabatur; audi Plutarchum: Ἦν δὲ ἀναγκαῖον, οἰκετῶν καὶ ἀποστατῶν πολλῶν ἠθροισμένων πρὸς αὐτοὺς, ἢ καταλυθῆναι παντάπασι, τούτων διασπαρέντων, ἢ συνοικεῖν ἰδίᾳ μετ' αὐτῶν. *Quum jam servi atque exsules confluxissent frequentes ad ipsos, reliquum erat, ut aut res illorum plane corruerent, si dissipati hi essent, aut separatim cum his conjungerent domicilium*. ASYLUM namque instituere moliebantur, quo audito undique exsules, servi, ac laborantes inopia confluebant, ita ut Alba facinoribus plena nutaret; sicut corpus ne æstuet ad mortem emittit sanguinem, & villicus amputat arborum ramos ne pereant; ita Principes multiplicatas civium familias decimant ad Reipublicæ perennitatem: facit & similiter Rex Regum Dominus, in cujus manu sunt omnes fines terræ, & pestilentia, fame, ac bello homines imminuit, unde a Tertulliano pestilitas *tonsura inolescentis generis humani* appellatur: legunt alii *insolescentis*, quia multiplicatum genus hominum insolescit in Deum & homines. Igitur Coloniam deducere statuerunt Numitor & nepotes; Lipsius *præsidium in subjectos* Romulum prospexisse tradit, *ut Coloniæ essent arces & propugnacula Imperii*: ergo jure optimo Paterculus reprehenditur, qui Colonias, a Gracchis extra Italiam missas, perniciosissimas appellavit, cum potius monumentum Reipublicæ Romanæ essent & arces.

Coloniarum ratio necessaria.

Sed Paterculi ratio, quæ a Lipsio arguitur, *ne qua Colonia potentior matre sua fiat, sic longinqua*, bona censetur experimento, ac cæcutit Lipsius, dum illam impugnat: Colonia Albanorum fuit Roma, & tamen crevit in Orbem, Albanosque in servitutem redegit: Constantinopolis Romanorum Colonia, Nova Roma olim Imperium sibi vendicavit, & Capitolium corruit; timorem prudentissimi Paterculi nullum existimabat Lipsius, & tamen habebat præ oculis exempla dirutæ Albæ, Romæque destructæ: ait enim Augustinus l. 3. c. 14. *Civ. Dei*, *Ab Urbe filia mater Alba eversa est*.

Sed quandoque Coloniæ urbem, a qua exeunt, superant.

Paucis contentus felix.

CCCLXXV. Addamus elogium virtuti Numitoris, qui paucis contentus in tuto degere prudenter gaudebat: auget Imperii cupidinem Imperium ipsum, & Alexander Græcia sub jugo missa Corinthum, Syriam, Persas, Medosque subjugavit, proinde ad Indos exercitum duxit, Dionysi, Semiramidis, ac Herculis secutus vestigia, extra Orbem ferebatur, ut regnaret, imo audita de altero Orbe Philosophi opinione, infelix ploravit; An quia *in pusillo nemo magnus*? equidem Mundum in puncto ostendit Tullius in *Somnio Scipionis*. An quia anima Deo similis, Deo tantummodo censetur plena? An quia cupiditas cœca, tanquam talpa, dum montium corrodit viscera, Orbem affectat, ne indigeat? An quia regnandi cupiditas est morbus, quæ ipso haustu sitim auget, & cupit externa, ut quiescat, dum receptis æstuat, & dira patitur? Xenophon apud Stobæum *Serm.* 5. *Incurabili ipsos paupertate laborare dicebat, nempe animi morbo, non possessionis*. An quia homo quærit felicitatem, quæ exsulat ab Orbe, & miser dum ignorat plus ultra cupit, nec requiem invenit? hinc sapiens seipsum vincit, & parvo contentus divitias omnes animi assequitur, quibus indigens, etiam qui Orbem occupat, semper est pauper: unde Ausonius *epigr.* 126.

Infelix, qui cuncta affectat.

Dives semper pauper dum semper cupit.

Non est dives opum dives: nec pauper inopsque
Infelix: alio nec magis alter eget:
Dives eget gemmis, Cereali munere pauper:
Sed cum egeant ambo, pauper egens minus est.

Quare? quia cupiditas ditissimos semper excitat ad alia sibi comparanda, quæ desiderat, semperque pauperes facit; idque post multa concludit Demetrius Philosophus Cynicus apud Senecam in septimo *de beneficiis*: „Si quem delectat sui patrimonii liber magnus, & vasta spatia terrarum colenda per vinctos, & immensi gregis pecorum per Provincias ac Regna pascendi, & familia bellicosis nationibus major, & ædificia privata laxitatem urbium magnarum vincentia; cum bene ista, per quæ divitias suas disposuit ac fudit, circumspexerit, superbumque se fecerit, si quicquid habet, & quod CUPIT comparet, PAUPER EST. Numitor hæc in animo consultans, paucitatem præposuit cupidini, & restrinxit se in Alba, concessa Regni parte nepotibus, ut felix & absque suspicione degeret senex: opportune cecinit Lucretius *lib.* 5. vers. 1116.

Veræ divitiæ, vivere parce.

*Quod si quis veram * vitam ratione gubernet,*
Divitiæ grandes homini sunt, vivere parce
Æquo animo, neque enim est penuria parvi.

Claudianus de Fabricio *in Ruffin.* lib. 1. vers. 200.

—— contentus honesto
Fabricius parvus † spernebat munera Regum.

Totam hanc philosophiam, si Pomponio Rufo apud Valerium Maximum credimus, Cornelia Gracchorum mater edocuit: enimvero, „Cum Capuana †† mulier apud illam hospita ornamenta sua illo sæculo pulcherrima ostenderet, traxit eam sermone quousque e schola redirent liberi: Et hæc, inquit, ornamenta mea sunt. Omnia nimirum habet, qui nihil concupiscit: eo quidem certius, quam qui cuncta possidet: quia dominium rerum collabi solet, bonæ mentis usurpatio nullum tristioris fortunæ recipit incursum. Hæc ille *lib.* 4. *cap.* 4.

* Rep. *vera*.
† Rest. *parvo*.
†† Rescr. *Campana matrona*.

Apparatus condendæ Urbis.

CCCLXXVI. Auget Numitoris decus condendæ Urbis apparatus, & gens, quam migrare jussit, de quibus Dionysius lib. 1. *Antiquit.* ait: „Communicato cum „nepotibus consilio, postquam & id illis „probatum est, dat eis agrum ubi educati „fuerant in pueritia; populi quoque suspectam partem, nequando rebus novis „studeret, & si quibus sponte migrare libebat, eis attribuit: in his erat magna „plebis pars, non pauci etiam ex optimatibus nobiles; Trojani quoque generis „quisque optimus, unde aliquot gentes „ad nostram ætatem supersunt, quinquaginta ferme Familiæ. Acceperunt autem „juvenes pecuniam, arma, frumentum, „mancipia, jumenta deportandis sarcinis, & si quid aliud ad apparatum Urbis „erat accommodum. Albanæ deinde multitudini miscuerunt indigenas, quotquot circa Palantium & Saturniam erant reliqui, diviso in duas partes populo; id visum est ad æmulationem conducere, ut operantibus certatim absolverentur opera citius. Hæc ille: juvenum ingenium satis maturum hinc licet agnoscere, dum æmula contentione Urbem ædificant, quod Didonem in molienda Carthagine instituisse occinit Virgilius lib. 1. *Æneid.* vers. 425.

Accolæ novæ Urbis.

Ædificatæ urbis descriptio.

Miratur molem Æneas, magalia quondam,
Miratur portas, strepitumque & strata viarum.
Instant ardentes Tyrii; pars ducere muros,
Molirique arcem, & manibus subvolvere saxa:
Pars optare locum tecto, & concludere sulco.
Jura, magistratusque legunt, sanctumque Senatum.
Hic portus alii effodiunt; hic alta theatris
Fundamenta locant alii: immanesque columnas
Rupibus excidunt, scenis decora alta futuris.

Concursus multorum, & æmulatio facit ad opus, ut cresceret; nam segnes exemplo excitantur, cunctique feruntur studio gloriæ, & Urbis molimina perficiuntur.

CAP. XXX.

Romulus Remusque Urbem designant; dum quisque imperare cupit. Discordant; deinde avo jubente conveniunt; Asylum reserant profugis servisque refugium.

Locus novæ Urbis.

CCCXXVII. NUmitore ac Rhea Sylvia Regnum Albæ feliciter auspicantibus, Romulus Remusque Coloniam ducunt, & Urbis condendæ fundamenta pertractant: ideo a Tertulliano *Sylvestris Roma* nuncupatur; eo namque in loco, ubi olim sylvæ & durum vitæ genus peregisse juvenes ab infantia diximus, surrexit Urbs æterna, terrarum omnium caput. Fata semper circa Palatium dedere oracula Imperii, tum Jovis, cum Carmentæ, Herculisque altum insonuit numen; hinc Jupiter Venerem osculatus, apud Virgilium lib. 1. *Æneid.* vers. 261. fata promulgat, & Urbis incrementa a primis incolarum sæculis ordine promit;

Fata.

Jovis oraculum de Roma.

Parce metu Cytherea; manent immota tuorum
FATA *tibi; cernes Urbem, & promissa Lavini*
Mœnia, sublimemque feres ad sidera cæli
Magnanimum Æneam: neque me sententia vertit;
Hic (tibi fabor enim, quando hæc te cura remordet
Longius, & volvens FATORUM ARCANA MOVEBO)
Bellum ingens geret Italia, populosque feroces
Contundet, moresque viris & mœnia ponet:
Tertia dum Latio regnantem viderit æstas,
Ternaque transierint Rutulis hyberna subactis.
At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo,
Triginta magnos volvendis mensibus orbes
Imperio explebit, Regnumque a sede Lavini
Transferet, & Longam multa vi muniet Albam:
Hic jam trecentum totos regnabitur annos
Gente sub Hectorea: donec REGINA SACERDOS
Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem;
Inde lupæ fulvo nutricis tegmine lætus
ROMULUS *excipiet gentem, & Mavortia condet*
Mœnia, ROMANOSQUE *suo de nomine dicet.*
Hic ego nec metas rerum, nec tempora pono:
IMPERIUM SINE FINE DEDI.

Romuli Remique ortus.

Romani dicti a Romulo.

Alia dedimus Fatorum oracula, quibus loci fortuna vetustissimis temporibus nota ferebatur; tempus post sæcula adest, & Urbis monumenta consurgunt.

Fratrum discordia.

CCCLXXVIII. Sed fratrum discordia Urbis primordia tardat, & loca uterque diversa signat, ut imperet; factum varie enarrant, Scriptorumque placita dabo: „Cum inter se Romulus & Remus de „condenda Urbe tractarent, in qua ipsi „pariter regnarent, Romulusque locum, „qui sibi idoneus videretur, in Monte Palatino designaret, Romamque appellari „vellet; contraque item Remus in alio Colle, qui aberat a Palatio millibus quinque, „eundemque locum ex suo nomine Remuriam appellaret, neque ea inter eos finiret „contentio, avo Numitore arbitro adscito, „placuit disceptatores ejus controversiæ „immortales deos sumere. Parentum auctoritas discordantes confœderat, & quæ insurgunt inter nepotes jurgia arbiter avus concordat, præcipue deorum monitu, ne unum præ alio fovisse videretur. Sic Cæsaris soror cum Antonio dissidia componit, & Pompeii inimicitias ad meliorem frugem necessarii redigunt. Cum Coriolanus maximi vir animi & altissimi consilii

Discordias depellunt parentes.

ad Volſcos infeſtos tunc Romanis confugiſſet, Urbemque diripiendam inſtaret, Veturia mater & Volumnia ipſius uxor ad pacem revocarunt; ſcripſitque Valerius Maximus *lib.* 5. *cap.* 4. *Unius parentis ad ſpectus bellum atrox ſalutari pace mutavit*. Animoſius Claudiæ Veſtalis Virginis factum, *quæ cum patrem ſuum triumphantem e curru violenta Tribuni manus detrahi animadvertiſſet, mira celeritate utriſque ſe interponendo, ampliſſimam poteſtatem inimicitiis accenſam depulit:* inquit idem Valerius *loco cit.* proprium munus parentum eſt inimicitias depellere, inferre pacem; quod & Numitor fecit. Non ad Urbis fundamenta illud diſſidium refert Meſſala Corvinus, ſed regnandi profert cauſam, ait enim: *Palatino in Monte, ubi adulti & a paſtoribus culti gemini erant, auſpicato parva mœnia ponunt, & ubi alter alterum non patitur, cui regnandum augurio permittunt.* Vere duos una non capit Regia; unum Solem cælum patitur; apes unum ſequuntur Regem; Roma Pompejum & Cæſarem vix ſuſcipit, & ab uſque Urbis exordio Romulum Remumque ſuſtinere non potuit: enimvero optime Archeſtratus Athenienſis apud Plutarchum in *Alcibiade* declamabat, *ὡς ἡ Ἑλλὰς οὐκ ἂν ἤνεγκε δύο Ἀλκιβιάδας*, *duos Alcibiades in civitate Athenienſium tolerari non poſſe*: & Ælianus libro undecimo *Var. Hiſt.* cap. ſeptimo idem refert, firmatque Eteoclis oraculo, *ἔλεγεν Ἐτεοκλῆς ὁ Λάκων, δύο Λυσάνδρους τὴν Σπάρτην μὴ ἂν ὑπομεῖναι*, *Eteocles Lacedæmonius dicebat, duos Lyſandros Spartam ferre non poſſe*: ideo ſcribit Xiphilinus ex Dione, *Otho ſæpenumero cohortatus Vitellium ad ſocietatem principatus, ei perſuadere non potuit*; quod neque Nero a Galba obtinuit; revera diviſum Romanorum Imperium ſemper præceps corruit, ſub uno Principe dilatum ad uſque extrema terrarum, intonuit namque Sapientiæ divinæ oraculum, *Regnum diviſum deſolatur*.

Una aula, unum Regnum, duos Principes non patitur.

CCCLXXIX. Hinc diſſidium inter fratres, quod loci ac nominis velamine tegebant, revera uterque Regnum affectabat; aſſeritque Livius: „Intervenit deinde his „cogitationibus avitum malum, Regni „cupido, atque inde fœdum certamen co„ortum a ſatis miti principio: quoniam „gemini eſſent, nec ætatis verecundia diſ„crimen facere poſſet. Latet intus cupido, innata cunctis hominibus, ſuadetque regnandi jura, & velut ignis ſcintillam excitat ut devoret, ita illa inſurgit cum clade, evolatque ut diſſipet ac orbem perdat: quod Seneca eleganter in *Thyeſte* Atreum adverſus fratrem Regnum præ viribus affectantem, inducit dicentem verſ. 189.

Diſcordia ob regnandi cupidinem.

Hinc clades & exitium.

Etiam Regni ruina & fratrum.

Tegit ac tuetur, clade funeſta occidat;
Hac ipſa pallens † inclyti Pelopis domus
Ruat vel in me, dummodo in fratrem ruat;
Age anime, fac quod nulla poſteritas probet;
Sed nulla taceat, aliquod audendum eſt nefas,
Atrox, cruentum; tale, quod frater meus
Suum eſſe malit: ſcelera non ulciſceris
Niſi vincis: & quid eſſe tam ſævum poteſt,
Quod ſuperet illum? numquid abjectus jacet?
Numquid ſecundis patitur in rebus modum,
Feſſis quietem? Novi ego ingenium viri
Indocile: flecti non poteſt, frangi poteſt.
Proin antequam ſe firmet, aut vires paret,
Petatur ultro, ne quieſcentem petat,
Aut pendet †, AUT PERIBIT, *in medio eſt ſcelus*
POSITUM OCCUPANTI.

Non fratres, ſed hoſtes, dum cupiunt furunt, & humanitatis immemores, ſanguinem ex paternis viſceribus deſumſiſſe obliviſcuntur, ſed ut fundant, & purpuram ſibi colorent contendunt.

CCCLXXX. Longam facit litteram Dionyſius Halicarnaſſeus in primo *Antiquitatum*, & jurgium compoſitis verbis enarrat: „Ipſi quoque non jam concor„des, neque fraterna mente præditi, ſibi „quiſque principatum affectabant, & æ„qualitate contemta tendebant ad præcel„lentiam: ea principatus uſurpatio latens „aliquandiu, tandem erupit occaſione „hac. Locus condendæ Urbis non idem „utrique placebat: Romulo viſum eſt mu„nire Palantium, præter alias cauſas, ob „loci fortunam, quæ eis incolumitatem & „educationem præbuerat; Remus male„bat Remuriam condere, quæ nunc quo„que ejus ſervat vocabulum: ſita eſt ad „Tyberim, trigeſimo ferme ab Urbe ſtadio: „ex ea contentione ſatis apparebat prin„cipatus cupiditas. Utervis enim tum „ceſſiſſet, eum ſemper alteri cedere opus „erat in poſterum. Elapſo deinde aliquan„to temporis ſpatio, manente diſſidio, „convenit inter eos, ut rem totam avo „committerent: amboque ea de cauſa Al„bam profecti ſunt; is monuit, ut deo„rum judicio permitterent, utrius colo„niam dici oporteat. Hactenus ille: Plutarchus nonnulla ſcitu digna enarrat, quæ offero: „Intentis condendæ urbi, illico „de loco diſcordia intervenit, Romulus „quadratam Romam condidit, atque eo „in loco ſtatuere voluit Urbem: Aventini „Remus munitiorem deſignavit partem, „quod ab eo eſt Remonium dictum, nunc „Rignarium vocitatur. Plerique de hac quadrata Roma ſcribunt, & nos in principio nonnihil diſſeruimus; nam non Urbem, ſed Aſylum, & in ſaxo ſunt, qui putent Romam quadratam, quos Magius *lib.* 3. *cap.* 13. redarguit, & nos denuo infra dicemus.

Hiſtoria diſſidii ob Regnum.

Remuria in Aventino.

Diſcordiæ ortus.

Romam quadratam ſignat Romulus, Remus aliam in Aventino Urbem.

CCCLXXXI. Nunc loca luſtrari ſuadet religio, eorumque nomina diſquirere: Plinius *lib.* 4. *cap.* 6. ubi Arcadiæ loca deſcribit, ponit *Palantium, unde Palatium Romæ*: at Conſtantinus Manaſſes in *Annalibus*, Palatium a ſuo ductore nuncupatum occinit: Solinus vero in *Polyhiſtore* ex Fileno * etymum diverſimode verſat, „Sunt qui velint a balatibus ovium, mu„tata littera, vel a Pale paſtorali dea: aut, „ut Silenus probat, a Palantho Hyper„borei filia, quam Hercules ibi compreſ-

Collis Palatii nomen.

† Leg. *pollens*.

† Rep. *perdet*. * Leg. *Sileno*.

„ fiſſe viſus eſt, nomen Monti adopra-„ tum ⱶ. Congerit antiquitatis inſignia monumenta Varro in libro 4. *Linguæ Latinæ*, & ait: „Quartæ Regionis Palati-„ um, quod Palantes cum Euandro ve-„ nerunt, aut quod Palatini, qui & Ab-„ origines, ex agro Reatino, qui appel-„ latur Palatium, ibi conſederunt: ſed hoc „ alii a Palatia uxore Latini putarunt: „ eundem hunc locum a pecore dictum „ putant quidam; itaque Nævius Balantium appellat. Tibullus occinit *lib.2. el.5.*

De eo variæ opiniones.

Sed tunc paſcebant herboſa Palatia
vaccæ.

Germalum Plutarchus appellavit a germanis fratribus Romulo & Remo, quod idem Varro docet; fere ſimilia profert Feſtus Pompejus, etſi in Veneta Editione paulum diverſus, a Scaligero emendatur; ſcribit Dionyſius Palantem Herculis filiam fuiſſe, & Laviniæ Euandri filiæ, quam tandem Fauno Aboriginum Regi nuptum dedit, a quo nomen Collis effluxit: ibi enim habitaſſe Euandrum, pecuſve paviſſe, Ovidius cecinit in primo *Faſtorum*; Virgilius lib. 8. *Æneidos* verſ. 51.

Arcades his oris, genus a Pallante profectum,
Qui Regem Euandrum comites, qui ſigna ſecuti,
Delegere locum, & poſuere in montibus urbem,
Pallantis proavi de nomine Pallanteum.

Hunc locum infantes tenuiſſe a Tyberi expulſos, Plutarchus aliique ſcribunt; ibique Populi Romani fortunam olim coluiſſe Veteres, juxta oraculorum fidem, quæ fata cecinerunt, diximus.

De Aventino.

CCCLXXXII. Remus econtra Aventinum curabat munire, Urbemque Remuriam ſuo ex nomine appellare: de Aventino ſcribit Varro lib. 4. *Linguæ Latinæ*: „ Aventinum aliquot de cauſis dicunt; „ Nævius ab avibus, quod eo ſe ab Ty-„ beri ferrent aves: Alii a Rege Aventino „ Albano, quod ibi ſit ſepultus: Alii ab „ adventu hominum, quod commune La-„ tinorum ibi Dianæ templum ſit conſti-„ tutum: Ego maxime puto ab advectu; „ nam olim paludibus Mons erat ab reli-„ quis diſcuſſus*: itaque eo ex Urbe qui „ advehebantur ratibus, quadrantem ſol-„ vebant, cujus veſtigia, quod ea, qua „ tum itur, Velabrum dicitur a vehendo: „ velaturam facere etiam nunc dicuntur, „ qui id mercede faciunt. Ibi Antrum furis impiiſſimi Caci: at Lauretum Fauſto omine virebat. Plinius *lib.* 15. *cap.* ult. *Loretum in Aventino vocatur, ubi ſylva lauri fuit*: hinc apud P. Victorem *Vicus Loreti*, in Regione XII. in qua etiam *Lucum Laurentinum* Panvinius ſignat; de iſtis plura jam diximus. Eſt etiam ibi REMURIA: aſſeritque Feſtus Pompejus: *Remurinus Ager dictus, quia poſſeſſus eſt a Remo, & habitatio Remi Remona, locus in ſummo Aventino Remoria*. Paulus ex Feſto, *Habitatio Remi Remuria in Aventino dicta*; nam poſt cædem Amulii Romulus Palatium (addit Feſtus Pompejus) *Aventinum, in quo habitaret, elegiſſe Remum dicunt*. In ejus ſummo Lucus erat, qui Remoria dicebatur, ubi Remus de Urbe condenda fuerat auſpicatus: quem Montem Romulus neminem paſſus eſt habitare, ſacrum fratri eſſe voluit uſque ad Hylernam: deinde Cæſar Auguſtus hunc Montem unam ex XIV. Regionibus fecit: ita ſcinditur, ut duo Montes videantur, ideo Plinius *lib.* 19. *cap.* 4. *Aventinos Montes iratæ plebis ſeceſſus* appellat: deſcribitur a Panvinio; Ad Orientem in Meridiem declinantem reſpicit mœnia Urbis & Portam Capenam, altera parte Viam Appiam, ad Meridiem Campum Teſtaceum & Portam Oſtienſem, ad Occidentem fluvium Tyberim, ad Septentrionem Circum Maximum & Palatium.

Ejus nomen. Remuria. Aventini Collis deſcriptio.

CCCLXXXIII. Licet diſcordi animo ob cupiditatem Urbis loca captarent, unanimiter vero ASYLUM aperire ad reorum confugium ſtatuerunt: enimvero Romulus in Palatio & Remus in Aventino locum refugii devoverunt libertatis numini: probatur ex P. Victoris deſcriptione Urbis Regione XII. ibi etenim *Atrium Libertatis in Aventino* ſtatuit, & Panvinius ex S. Rufo, *templum Libertatis, & atrium Libertatis in Aventino* indigitat. Plutarchus in *Romulo* inquit: Ἔπειτα τῆς πόλεως τὴν πρώτην ἵδρυσιν λαμβανούσης, ἱερόν τι φύξιμον τοῖς ἀφισαμένοις κατασκευάσαντες, ὃ θεοῦ Ἀσυλαίου προσηγόρευον, ἐδέχοντο πάντας, οὔτε δεσπόταις δοῦλον, οὔτε θῆτα χρήσαις, οὔτε ἄρχουσιν ἀνδροφόνον ἐκδιδόντες, ἀλλὰ μαντεύματι Πυθοχρήστῳ πᾶσι βεβαιοῦν τὴν ἀσυλίαν φάσκοντες. Ὥς τε πληθῦσαι ταχὺ τὴν πόλιν. *Mox jactis Urbis fundamentis Aſylum aperuerunt profugis & fugitivis, quod dei Aſylæi appellaverunt, omneſque recipiebant; neque ſervum dominis, nec creditoribus nexum, neque Magiſtratibus debebant homicidam, verum inviolatum locum ex oraculo Apollinis præſtare ſe aſſerebant. Ita Urbs brevi frequentata*. Ovidius lib. 3. *Faſt.* verſ. 431.

Aſylum aperiunt profugis reiſque confluentibus.

Romulus ut ſaxo lucum circumdedit
alto,
Quilibet †, *huc, inquit, confuge;*
tutus eris.

Dictum Aſylum, ait Servius, quaſi *Aſyrtum*: libertatem denotabat, impunitatemque ob loci ſanctitatem, unde Græci ἀσύλους dicebant homines *a violentia tutos & ſacroſanctos*: apud Cælium *lib.* 21. *c.* 16. teſte Euſtathio, *Caduceatores & Cerycas* ἀσύλους, *id eſt, nefas fuiſſe a quoquam violari*, quod *crederentur* θεῖον γένος *divinum genus*: & *lib.* 7. *cap.* 23. *Theſei templum & Erinnyarum aſyliam habebat, quoniam ex eo revelli nullus poterat ſupplex*: Zenobius de templo Proſerpinæ id ſcribit: *In Hermione Peloponneſi civitate templum erat Proſerpinæ & Cereris ſecuritatem præſtans eo confugientibus*. Morem hunc ob Herculis filios introduxiſſe apud Athenienſes, ſunt qui putent, Reipublicæ rectores, quærebantur namque ad necem ob patris facinora: Statius in ſeptimo *Theb.*

Ejus nomen. Quia a violentia tutos ſervabat.

Fama eſt defenſos acie poſt buſta paterni

ⱶ Reſt. *adaptatum*. * Alii, *diſcluſus*.

† Alii melius, *Cuilibet*.

Numinis Herculeos ſedem fundaſſe nepotes, &c.

Ara Miſericordiæ. Ibi *Miſericordiæ ara*, inquit Servius *in* 8. *Æneidos*, aſſeritque Pauſanias, & Lilius, poſtquam Hercules migravit e terris, nepotes ejus timentes inſidias eorum, quos avus afflixerat, Athenis ſibi primum Aſylum, hoc eſt, templum Miſericordiæ collocarunt, unde nullus poſſet abduci. Hæc ille. Denuo Pauſanias in *Laconicis* cap. 5. de templo Minervæ apud Tegeatas: Ἦν δὲ ἄρα τὸ ἱερὸν τοῦτο ἐκ παλαιοῦ Πελοποννησίοις πᾶσιν αἰδέσιμον, καὶ τοῖς αὐτόθι ἱκετεύουσιν ἀσφάλειαν μάλιστα παρείχετο. *Templum illud fuit antiqua religione Peloponneſo univerſæ ſacroſanctum, neque violari eos fas erat, qui illuc confugiſſent.* Ita enim apud Ægyptios, ut ex Herodoto diximus, ſervos Paridis & Helenæ, regnante Proteo, ad templum Libertatis confugiſſe.

CCCLXXXIV. Antiquorum ſecuti morem Aſylum aperuere confugientibus munimentum; locum indigitat Euander apud Virgilium lib. 8. *Æneid.* verſ. 342.

Hinc Lucum ingentem (quem Romulus acer Aſylum
Rettulit) & gelida monſtrat ſub rupe Lupercal.

Aſyli locus. Locum inſuper demonſtrat Strabo lib. 5. *Geogr.* Ὁ Ῥωμύλος ἀποδείξας ἄσυλόν τι τέμενος μεταξὺ τῆς ἄκρας καὶ τοῦ Καπιτωλίου, τοὺς ἐκεῖ καταφεύγοντας πολίτας ἀποφαίνει. *Romulus Aſylum aperiens inter collem & Capitolium, huc perfugientes civitate donatos deſignat.* Varios terminos habuiſſe idem Auctor ſcribit: templum & nunc & olim Aſylum erat, cujus Libertatis termini ſunt mutati: Alexander ad ſtadium extendit, Mithridati vero dimiſſa ab angulo Cerami ſagitta viſum eſt paulum ipſum ſtadium tranſcendere. Antonius huic proxime acceſſit, & cum eo termino Urbis partem comprehendit: poſtea Cæſar Auguſtus, cum id damnoſum exiſtimaret, & nihil aliud eſſe quam multis malefaciendi cauſam exhibere, irritum fecit. Suetonius de Tiberio loquens ait, *abolevit & vim moremque Aſylorum, quæ uſquam erant.* Itaque Romulus Remuſque juxta Trojanorum morem antequam Urbem conderent Aſylum inſtituerunt; eratque apud Ilium Apollinis templum, in quo victores ſpolia quæque direptæ urbis opima velut in tuto poſuere; occinitque Virgilius lib. 2. *Æneid.* verſ. 761.

Termini

Apollinis Aſylum apud Trojanos.

Et jam porticibus vacuis Junonis Aſylo
Cuſtodes lecti Phœnix & dirus Ulyſſes
Prædam aſſervabant; huc undique Troia gaza
Incenſis erepta adytis, menſæque deorum,
Crateresque auro ſolidi, captivaque veſtis
Congeritur.

Etiam hoſtes immunitatem ab Aſylo exciſæ urbis tutandam putabant. Junonis enim Aſylum colebant Trojani; Romulus cui numinum ſacraverit non conſtat; inquit enim Dionyſius, *incertum cui deo Aſylum dicatum fuerit.* His verbis Alexander Donatus divinat dicens, fortaſſe ad initia retulit, cum a Romulo ſtatutum eſt; Hiſtorici enim ætate conſtabat Jovis dedicatum eſſe, adſitis luci quercubus, item Jovi dicatis: ſed divinat, quia Plutarchum non vidit, tantummodo ex recentioribus ſarcinam ſibi fecit; *Deo Aſylæo* ſacrum fuiſſe ait Plutarchus; additque *ex oraculo Apollinis.* Cauſam refert Meſſala Corvinus, *Aſylum aperuit complendæ Urbis gratia.* Quod pluribus teſtatur Livius: „ Ne vana Urbis „ magnitudo eſſet, adjiciendæ multitudi- „ nis cauſa, vetere conſilio condentium „ urbes, qui obſcuram atque humilem „ conciendo ad ſe multitudinem, natam e „ terra ſibi prolem ementiebantur: locum, „ qui nunc ſeptus denſis ſentibus inter „ duos lucos eſt, Aſylum aperit: eo ex „ finitimis populis turba omnis ſine diſcri- „ mine, liber an ſervus eſſet, avida nova- „ rum rerum perfugit: idque primum ad „ cœptam magnitudinem roboris fuit. Ita etiam Sextus Aurelius Victor.

Cauſa aperiendi Aſylum.

Urbis magnitudo.

CCCLXXXV. Hinc adverſus Urbis primordia Scriptores calamum acuunt, & Romam peſſimorum omnium Aſylum fuiſſe ſcribunt; cumprimis Juvenalis *Sat.* 8. verſ. 272. Romanos pungit,

Et tamen ut longe repetas, longeque revolvas
Nomen, AB INFAMI GENTEM *deducis Aſylo*.

Divus Cyprianus adverſus Idola inquit: „ Cæterum ſi ad originem redeas, erubeſ- „ cas; populus de ſceleratis & nocenti- „ bus congregatur, & Aſylo conſtituto „ facit numerum impunitas criminum: „ nunc ut Rex ipſe principatum habeat „ ad crimina, fit Romulus parricida: at- „ que ut matrimonium faciat rem concor- „ diæ per diſcordiam auſpicatur: non ita acerbe Lactantius Firmianus lib. 2. *de origine erroris* cap. 7. „Romulus Urbem con- „ diturus paſtores inter quos adoleverat „ convocavit; cumque is numerus colen- „ dæ Urbi parum idoneus videretur, con- „ ſtituit Aſylum; eo paſſim confugerunt „ ex finitimis locis peſſimi quique ſine ullo „ conditionis diſcrimine; ita conflavit ex „ his omnibus populum.

Hominum peſſimi in Aſylo confugiebant.

CCCLXXXVI. Nihilominus tantæ Urbis ortum dehoneſtaſſe ſervos reoſque ad Aſylum confugientes haud arbitror: quia per Aſylum incrementa urbium, quas orbis coluit admirandas, fuiſſe teſtantur Strabo, Plutarchus, Pauſanias, aliique quamplures, quos ſequitur Alexander lib. 3. cap. 20. *Gen. Dier.* „ Primum Cadmus, „ dum Thebas conderet, Aſylum aperuiſ- „ ſe fertur: ad quod fugientes ſine diſcri- „ mine ſervi, aut liberi, ab omni pœna „ tuti erant. Nonnulli a prognatis Her- „ culis Aſylum Athenis primo inſtitutum „ ferunt, ad quod a patribus oppreſſis „ confugere fas erat: poſt quod in Rhetæo „ littore fuit Ajacis Aſylum, & in Sigæo „ Achillis; quorum exemplo Romulus & „ alii Aſylum aperuere, quo accedentes „ impunitate donabantur. Apud Moloſ- „ ſos, Samothraces, Crotoniatas, & Meſ- „ ſenios, ac pleroſque ad deorum aras „ confugiſſe pro Aſylo habitum eſt: veluti „ Ithacenſibus Jovis Servatoris ara. Hæc ille: igitur urbium magnarum fata ſi ab Aſylo ſumſerunt exordia, ut creſcerent ad orbis Imperium, non jure Romanorum incunabula damnant, & apud Dionyſium,

Defenditur Romæ principium ex Aſylo.

in secundo *Antiquitatum*, *Romam Barbarorum, ac fugitivorum, & lare carentium refugium faciunt*. Non enim servi semper e furfure plebis, sed in bello capti magnos spiritus ingenuis orti parentibus gerunt; eosque commendant Scriptores apud Athenæum lib.4. *Deipnosophistarum*: quorum numerus felicitatem, deo respondente, contulisse olim fertur, asseritque Epitimæus lib. 3. Historiarum apud eundem *lib.6. cap.* 20. Οὕτως εὐδαιμονῆσαι τὴν Κορινθίων πόλιν, ὡς κτήσασθαι δούλων μυριάδας ἓξ καὶ τεσσαράκοντα· δι' ἃς τὴν Πυθίαν αὐτοὺς κεκληκέναι Χοινικομέτρας. *Corinthiorum oppidi fuisse tantam felicitatem, ut servorum myriades quadraginta sex possiderent; quamobrem vocatos a Pythia Chænicometras*; addit Ctesicles lib. 3. *Chronic.* Τῇ δεκάτῃ πρὸς τῇ ἑκατὸν φησὶν Ὀλυμπιάδι, Ἀθήνησιν ἐξετασμὸν γενέσθαι ὑπὸ Δημητρίου τοῦ Φαληρέως τῶν κατοικούντων τὴν Ἀττικὴν, καὶ εὑρεθῆναι Ἀθηναίους μὲν δισμυρίους πρὸς τοῖς χιλίοις, μετοίκους δὲ μυρίους, οἰκετῶν δὲ μυριάδας τεσσαράκοντα. *Centesima & decima Olympiade Demetrium Phalereum Atticæ incolas recensuisse, inventasque Athieniensium duas myriadas fuisse, ac insuper mille, inquilinos decies mille, servorum autem quadraginta myriadas*. Vides servorum turbam præcellere Atticos cives, qui toto terrarum orbe præclarissimi censebantur. Aristoteles apud eundem Athenæum *loc. cit.* refert: Ἐν Αἰγινητῶν πολιτείᾳ γενέσθαι ἑπτὰ καὶ τεσσαράκοντα μυριάδας δούλων. *In Æginetarum Republica servorum* XLVII. *myriadas fuisse*. Agatharchides Cnidius lib. 38. *rerum Europæ* scribit: Δαρδανεῖς δούλους κεκτῆσθαι τὸν μὲν χιλίους, τὸν δὲ καὶ πλείους. *E Dardanis aliquem servos mille possedisse, quendam etiam plures*. Nicias Nicerati filius, ut Xenophon testatur, servos mille Sosiæ Thracio ad fodinas argentarias locavit; similiter apud Romanos rerum Dominos servorum multitudo legitur, de qua Plutarchus, Cæsar, Appianus, & Athenæus *ibid.* qui ait: Ῥωμαίων ἕκαστος πλείστους ὅσους κεκτημένος οἰκέτας· καὶ γὰρ μυρίους, καὶ δισμυρίους, καὶ ἔτι πλείους δὲ πάμπολλοι κέκτηνται, οὐκ ἐπὶ προσόδοις δὲ, ὥσπερ ὁ τῶν Ἑλλήνων ζάπλουτος Νικίας, ἀλλ' οἱ πλείους τῶν Ῥωμαίων συμπροϊόντας ἔχουσι τοὺς πλείστους. *Romanos quamplurimos servos possedisse; ex illisque permultos habuisse mancipiorum, & decem millia, & viginti millia, atque etiam plura, non quæstus & proventus gratia, qua spe Nicias Græcorum ditissimus servos comparabat, verum magna ex parte, ut Romanorum cuique comitum, anteambulonum, & assectarum ingens sit numerus*. Qui numerus ex captivis effluxit, inter quos nonnulli ipsis Romanis illustriores sanguine & antiquitate præstabant; ideo non contemnendi, etsi Prætextatus apud Macrobium in primo *Saturnal.* cap. 11. dicat, *totidem nobis hostes quot servi*; enimvero ex Seneca Macrobius *ibid.* inquit: „Servi sunt, imo homines; servi „sunt, imo conservi, si cogitaveris tantundem in utrosque licere fortunæ, tam „tu illum videre liberum potes, quam ille „te servum: nescis qua ætate Hecuba servire cœpit, qua Crœsus, qua Darii mater, qua Diogenes, qua Plato ipse: postremo quid ita nomen servitutis horre-„mus? servus est quidem, sed necessitate. Quod argumentum Libanius *pro Demosthene* eleganter pertractat, ubi deos serviisse hominibus meminit; sic Hercules, sic Apollo Admeto Regi, sic Neptunus Laomedonti, & alii plerique servierunt hominibus, ut deorum exemplo servitutis infortunium homines non contemnant: homines sunt, & sua sidera sequuntur etiam in ergastulis: militant, disponunt Rempublicam, pro qua pugnasse non semel legimus. Petronius Arbiter Provinciarum Rectores ac ditissimos illos appellat, & sub Libertis Romanorum Imperium stetit. Plinius *lib. 33. cap.* 18. enumerat Chrysogonum Syllæ, Amphionem Q. Catuli, Heronem L. Luculli, Demetrium Pompeii, Hipparchum M. Antonii, Menam & Menecratem Sexti Pompeii, aliosque, quos *adeo potiri rerum vidimus*, ait, *ut Prætoria quoque ornamenta decerni a Senatu, jubente Agrippina, C. Cæsaris viderimus Libertis*: quod si nutantem Rempublicam sustinuisse dicamus? Adest Macrobius *loc. cit.* & scribit: „Bello Punico cum deessent qui scriberentur, servi pro dominis pugnatores se polliciti in civitatem recepti sunt; & VOLONES, quia sponte hoc voluerunt, appellati. Ad Cannas quoque victis Romanis octo millia servorum emta militaverunt: sed & post calamitatem apud Thrasumenum notæ cladis acceptam Libertini quoque in sacramentum vocati sunt. Bello sociali cohortium duodecim ex Libertinis conscriptarum opera memorabilis virtutis apparuit. C. Cæsarem, cum milites in amissorum locum substitueret, servos quoque ab amicis accepisse, & eorum forti opera usum esse comperimus. Cæsar Augustus in Germania & Illyrico cohortes Libertinorum quamplures legit, quas *Voluntarias* appellavit. Plura refert Macrobius; Seneca illustriora servorum facinora exhibet; & Aulus Gellius *Noctium Attic.* lib. 2. cap. 18. inquit: „Phædon Elidensis ex cohorte illa Socratica fuit, Socratique & Platoni perfamiliaris fuit: ejus nomini Plato illum librum divinum de immortalitate animæ edidit. Is Phædon servus fuit forma atque ingenio liberali, & (ut quidam dixerunt) a lenone domino puer ad merendum coactus: eum Cebes Socraticus, hortante Socrate, emisse dicitur, habuisseque in Philosophiæ disciplinis: atque is postea Philosophus illustris fuit, sermonesque ejus de Socrate admodum elegantes leguntur. Aliique non pauci servi fuerunt, qui post Philosophi clari exstiterunt; ex quibus ille Menippus fuit, cujus libros M. Varro in *Satyris* æmulatus est, quas alii Cynicas, ipse appellat Menippeas: sed & Theophrasti Peripatetici servus Pompilius †, & Zenonis Stoici servus, qui Persæus vocatus est, & Epicuri, cui nomen Mys, *vel Irus*, fuit, Philosophi non incelebres vixerunt. Diogenes etiam Cynicus servitutem servivit, sed is ex libertate in servitutem venum ierat; quem cum emere vellet Xeniades Corinthius, & quid is artificii novisset percunctatus

Servi quandoque ingenuis præclariores.

Multitudo servorum.

Myrias numerus decem [illegible].

[illegible] apud Romanos.

Servorum laus.

Ditissimi Rempublicam curant.

Pugnant fide & fortitudine insignes.

Philosophiam profitentur.

Mys dicitur a Macrobio.

† Alii rectius, *Pompylus*.

foret,

„ foret, *Novi*, inquit Diogenes, *homini-* „ *bus liberis imperare*: tum Xeniades re- „ sponsum ejusdem miratus emit & manu- „ misit; filiosque suos ei tradens, *Accipe*, „ inquit, *liberos meos*, *quibus imperes*. De „ Epicteto autem Philosopho nobili, quod „ is quoque servus fuit, recentior est me- „ moria, quam ut scribi quasi obliteratum „ debuerit: ejus Epicteti etiam de se scri- „ pti duo versus feruntur, ex quibus la- „ tenter intelligas non omnes omnimodis „ diis exosos esse; qui in hac vita cum „ ærumnarum varietate luctantur, sed esse „ ARCANAS CAUSAS, ad quas pauco „ rum potuit pervenire curiositas. Hactenus ex Aulo Gellio; carmina insuper exhibeo scitu equidem digna,

Cur homo fit servus, ad sapientiam Dei spectat.

Δῦλος Επίκτητος γενόμην, καὶ σώματι πηρὸς,
Καὶ πενίην Ιρος, καὶ φίλος ἀθανάτοις.

Servus Epictetus fueram, qui corpore mancus,
Pauperie pressus, charus eram Superis.

CCCLXXXVII. Addamus servorum manu Duces confecisse certamina, & vicisse; ut Romulum ex Asylo, tanquam e Gymnasio, milites eduxisse injuria non sit, neque Urbi ignominia, idque pluribus enarrat Macrobius lib. I. *Saturn.* cap. II. ubi alia plura post Senecam & Athenæum viros doctissimos congerit, quem vide.

CAP. XXXI.

Hasta Romuli in Palatii vertice floret; inde Urbis & Imperii omen. Lupercalia agunt, & Loci Genium de more coronant.

Princeps Dei imago ut Sol.

CCCLXXXVIII. IMPERII majestas magnum divinitatis arcanum, homines elevat, &, teste Plutarcho, *Dei in ipsis simulacra* conformat; est in Sole *Dei imago*, & Sol Principes refert: sapienter namque Vatum maximus David, ubi Messiæ principatum occinit, *Posuit*, inquit, *in Sole tabernaculum suum*: & Regem Regum cum præmonstrassent oracula, Propheta plenus Numine edixit, *Orietur vobis Sol justitiæ*: enarrat similia Plutarchus *ad Principem indoctum*, ut erudiat; edisferitque arcana Mercurius Trismegistus in *Asclepio*, nec Pimander abdita siluit; itaque Sol ante ortum, Hespero luminum ductore, declaratur Oriens ab alto, ut animadvertant consopiti umbris & somno, venientemque plausu salutent & excipiant; ideo sanxit sacer contextus, *prævenire Solem in benedictionibus*. Similiter omnia prodigia, admiranda utique, futuros ostentant Principes, ut a Deo missos credant homines: etenim futura enuntiare, ait Daniel, & Isaias Prophetarum columen, ad Deum spectat, in cujus potestate cuncta sunt tempora. Palma sponte circa castra erumpens principatum Augusti portendit. Primus Imperator Julius Cæsar, inquit Suetonius, *visus erat per quietem matri stuprum intulisse: Conjectores ad amplissimam spem incitaverant, arbitrium Orbis terrarum portendi interpretantes*. Sergius Galba, quem inter pueros Augustus Regem consalutavit, & Dione auctore Tiberius regnare prædixit, præsagium & ipse obtinuit, ait Suetonius: „ Avo ejus fulgur procuranti, quum exta „ de manibus aquila rapuisset, & in frugi- „ feram quercum contulisset, summum „ sed serum Imperium portendi familiæ „ responsum est; & ille ridens, Sane, in- „ quit, quum mula pepererit, nihil æque „ postea Galbam tentantem res novas con- „ firmavit, quam mulæ partus. Vespasiano Imperium detulere prodigia, quæ Joseph Hebræus & Egesippus enarrant: Xiphilinus etiam scribit: *Vespasiano longo tempore ante Regnum multis prodigiis somniisque significatum est*: imo Titi & Domitiani principatus, simul cum suo præsagia edidit quercus: *Post Neronem, Galbamque, Othone atque Vitellio de Principatu certantibus*, scribit Suetonius in *Vespas.* cap. 5. „ in spem Imperii venit, jam pridem sibi „ per hæc ostenta conceptam; in suburba- „ no Flaviorum quercus antiqua, quæ „ erat Marti sacrata, per tres Vespasiæ par- „ tus, singulos repente ramos a frutice de- „ dit, haud dubia signa futuri cujusque fati. De Tacito Romanorum Imperatore refert in *ejus Vita* Flavius Vopiscus: *Vitis, que uvas Amineas albas ferebat eo anno, quo ille Imperium meruit, purpurascere plurima purpura cœpit*. Sic auspicia tanquam numinum oracula Imperii omen dederunt, quæ etiam in Romulo admiranda censemus; ut recte Titus Imperator apud Aurelium Victorem per gladium edoceat, *Potestates Fato dari*.

Prodigia quæ principatum portendunt.

Portenta plura enarrantur.

Eventus firmat præsagia.

Regna fatis præsignat.

CCCLXXXIX. Hastam gestabat Romulus, ferro de more præditam adversus hostes; hanc cum ex Aventino Monte in Capitolium jecisset, solo protinus fixa cœpit florere, floribusque vernantibus circumligari; portentum canit Ovidius l. 15. *Metam.* vers. 552. ubi de Tage Hetruscorum Vate e gleba exorto portentum concinit:

Tagis ortus inter sulcos & aratrum.

At Nymphas tetigit nova res, & Amazone natus
Haud aliter stupuit, quam cum Tyrrhenus arator
Fatalem glebam mediis adspexit in arvis,
Sponte sua primum, nulloque agitante moveri;
Sumere mox hominis, terræque amittere formam,
Oraque venturis aperire recentia fatis:
Indigenæ dixere Tagen, qui primus Hetruscam
Edocuit gentem casus aperire futuros:
UTQUE PALATINIS HÆRENTEM COLLIBUS OLIM
CUM SUBITO VIDIT FRONDESCERE ROMULUS HASTAM.
Quæ radice nova, non ferro stabat adacto,
Et jam non telum, sed lenti viminis arbor
Non exspectatas dabat admirantibus umbras.

Expendit Sabinus hoc hastæ prodigium dicens: „ Romulus captato augurio, cum ha- „ stam ex Aventino Monte in Capitolium „ injecisset, hasta solo infixa repente cœ- „ pit frondescere, quod prodigium signifi-

„ cavit statum Imperii Romani hasta, id „ est, armis fore florentem. Hæc ille: Pontanus divinat in venatione apri hastæ præsagium, & ait: *Magnopere miratus est Romulus, cum aprum insequens hastam jecit, quæ in Colle Palatino hærens, repente ferro cuspidis in radicem abeunte, arbor evasit, & frondibus umbram dedit.* Hactenus Pontanus, qui venationem fingit, augurii tempore satis importunam. Marlianus *l.*2. ubi de Palatio scribit: *Fuit & arbor ex hasta Romuli, quæ, captato augurio ex Aventino in Palatinum ab eo missa, terræ fixa dicitur, ac frondes emisisse crevisseque in arborem.* Igitur non dum venaretur, nec casu, sed dum auspicia religiose captabat.

Hastæ prodigium expenditur.

Hasta florens Imperium portendit.

CCCXC. Sed quia e gleba hominem Tagem, & ex hasta arborem vetus ætas vidit, utrumque portentum cecinit Ovidius, quod expendere operæ erit pretium: similiter de arbore & Imperii omine nonnulla dicere; enimvero Hieremias Imperium *in virga florente* vidit, & Sacerdotium Regale Aaronis Pontificis *nux reflorescens* in sacris portendisse fertur: Suetonius inter præsagia & signa Imperii Vespasiani, de arbore evulsa ac florescente meminit, dicens: *Arbor quoque cupressus in agro avito sine ulla vi tempestatis avulsa radicitus, atque prostrata in sequenti die viridior ac firmior resurrexit;* ita in ramo lauri, & gallina alba, quam aquila in sinum Liviæ dimisit, Imperii omen erat: *Ramus lauri, in qua baccæ erant,* inquit ex Dione Xiphilinus, *magnum aliquid significare videbatur;* Imperium videlicet Orbis terrarum: & Suetonius in *Octavio Augusto* inter Regni præsagia cap.94. nectit: „ Continuo enata palmæ sobole adeo in paucis „ diebus adolevit, ut non æquipararet mo„ do matricem, verum etiam obtegeret, „ frequentareturque columbarum nidis: „ quamvis id avium genus duram & aspe„ ram frondem maxime vitet. Ex quibus omnibus colligimus Imperii omen in plantis arboribusque auspicato exortis, ut hasta Romuli, similiter Regnum portendat.

CCCXCI. Sed ut aliquid de Tage dicamus; enarrat Tullius portentum illud ex gleba ortum lib. 2. *de Divinatione*, & ait: „ Tages quidam dicitur in agro Tarqui„ niensi, cum terra araretur, & sulcus al„ tius esset impressus, exstitisse repente, & „ eum affatus esse, qui arabat. Is autem „ Tages, ut est in libris Etruscorum, pue„ rili specie dicitur visus, sed senili fuisse „ prudentia: ejus adspectu cum obstupuis„ set bubulcus, clamoremque majorem „ cum admiratione edidisset, concursum „ esse factum, totamque brevi tempore in „ eum locum Etruriam convenisse; tum „ illum plura locutum multis audientibus, „ qui omnia ejus verba exceperint, litteris„ que mandaverint; omnem autem oratio„ nem fuisse eam, qua Aruspicinæ disci„ plina contineretur, eam postea crevisse „ rebus novis cognoscendis, & ad eadem „ illa principia referendis. Hucusque Tullius; ut noscamus apud Veteres hinc superstitionis exordia, disciplinamque Etruscorum, quam, teste Valerio Maximo, adolescentes ingenui profitebantur, ut nihil inauspicatum gererent, & per signa quædam in sacris numinum fata assequerentur; enimvero hinc avium, hinc victimarum, hinc prodigiorum, ac fulminum interpretatio, totaque Antiquorum religio ab istis auspicato pendebat; in sacris etenim eorum libris Pontificalibus sancitum, majorum cura, studium erga hanc disciplinam legimus,

Columbæ nidificant in palma.

Aruspicinæ disciplina apud Etruscos.

Discunto ignari a publicis Sacerdotibus,
Hetruriæ Principes disciplinam docento,
Quibus divis creaverint procuranto.
Et iidem fulgura & obsita pianto.

Hanc curam Numitor, sive Faustulus, putatus geminorum pater, apprime peregisse fertur, dum Romulum cum fratre apud Gabios misit, ut ediscerent auguria ritusque sacrorum, quos in Etruria Sacerdotes edocebant; hunc morem posteritas sancte servavit; asseritque ex Tullio Valerius Maximus libro 1. de Religione, cum ait *cap.* 1. „ Majores nostri statas solennes„ que cæremonias Pontificum scientia; be„ ne gerendarum rerum auctoritates Au„ gurum observatione; Apollinis prædi„ ctiones Vatum libris; portentorum de„ pulsa, Etrusca disciplina explicari solve„ runt*. Prisco etiam instituto rebus di„ vinis opera datur; cum aliquid com„ mendandum est, precatione; cum ex„ poscendum, voto; cum solvendum, gra„ tulatione; cum solenni ritu peragendum, „ sacrificio: quo etiam ostentationes, ac „ fulgurum denunciationes procurantur; ob quod, inquit Tullius *de Divinatione* l.1. Senatus decrevit, ut de Principum filiis sex singulis Etruriæ populis in disciplinam traderentur, ne ars tanta propter tenuitatem hominum a religionis auctoritate abduceretur ad mercedem, aut questum.

Ediscunt sacrorum ritus, ut de more sacra peragant.

CCCXCII. His omnibus imbutus Romulus, dum exerceretur, hastam projecit in Palatium, fixaque floruit, Regni faustum fortunatumque auspicium; fortasse noverat Herculis hastam floruisse; hanc *clavam* cum Pisandro Poetæ vocant, & ab hospite Molorcho accepisse, ex ære solidam, scribunt; *alii*, teste Lilio, *ex oliva trinodem fuisse contendunt, eandem & floruisse Pausanias scribit* †. Idque eodem in loco, ubi Herculis ara compertum, Romulum non latuit; ideo simile tentare aggressus, omen ex hasta tulit, crevitque in arborem usque ad Cæsaris Regnum, ut Plutarchus in *Romulo* scribit: „ Romulus „ habitabat ad pulchri littoris quos vo„ cant gradus, circa descensum ex Palatio „ in Circum Maximum: quo loco referunt „ sacram cornum fuisse, & fabulam atte„ xunt, exercentem se Romulum torsisse „ lanceam, cujus erat corneum hastile; „ alte defixam cuspidem convellere cum „ multi niterentur, neminem valuisse, la„ scivientem autem, quæ lignum erat am„ plexa, humum, RAMOS & stipitem cor„ ni eximia germinasse proceritate; eam „ posteri, ut rem sacratissima religione ve„ nerantes, muro cinxerunt. Quæ si cui „ minus visa esset frondescere, sed marce„ scere, & exarescere, id clamore illico „ significabat obviis quibusvis, qui sicut ad „ restinguendum incendium aquam con„ clamabant, simul concursus fiebat, undi„ que vasa plena eo aquæ portantium. Cajo „ autem Cæsare gradus instaurante, cum

Romuli hasta floret.

Herculis clava floruit.

Hasta Romuli ex corno.

Fit arbor.

Colitur.

De corno arbore.

* Refer *voluerunt*. † In *Corinth* cap.31.

„ Opifices tellurem adhærentem arbori „ circumfoderent imprudentes plane cor- „ ruperunt radices, ac contabuit arbor. Huc usque Plutarchus.

Duplex mas & fœmina. CCCXCIII. Cornus arbor describitur a Dioscoride *lib.* 1. *Cornus dura arbor est, baccas ferens olivæ modo oblongas, quæ primum virent, deinde per maturitatem rubescunt.* Hæc ille. Græcis κρανία, *crania*, teste Ruellio, arbor sæpe duodecim cubitorum, cortice nervoso, tenui: caudice aut ita crasso, neque semper recto, atque etiam nodoso, sed ita solido, ut cornibus spissitate respondeat: folio amygdalæ, sed crassiori, pinguiorique flore, & fructu oleæ, dulci, grato odoratu pluribus cornis singulari pediculo dependentibus. Est cornus fœmina, quæ a Theophrasto θελυκρανία, *thelycrania*, quasi *fœminicornus*, nuncupatur: hæc futilis, fructu acerbo, cunctisque animantibus nociva, de qua Plinius libro decimo sexto capite vigesimo sexto: *Ex eo genere fœmina post autumnum fert baccas acerbas & ingustabiles cunctis animantibus: ligno quoque fungosa, & inutilis, cum mas e fortissimis quoque sit*; ideo ex eo venabula & tela, asseritque Ruellius: *Masculæ robustior est materies, excors, & firmissima in modum ossis prætensa.* Fœmina *infirma, hians, mollis, medulla prægnans, fistulosa, & inutilis venabulorum usu damnata.* Ex mare igitur hasta Romuli robustissima; sed cur Regnum portendit? an sicut uva alba rubescens Imperii omen prætulit, ut diximus, ita & fructus in corno? de isto Plinius scribit, *cornus circa solstitia reddit primo candidum, postea sanguineum.* Dioscorides *rubescere* scribit, & purpuræ ferre omen. Sed arbores nonnullas apud Romanos fatales Imperii fuisse auspiciis, testatur Tacitus de *Ficu Ruminali*, & Plinius, ac Suetonius, & Xiphilinus de *Lauro Cæsarum*: quæ pereunte Nerone, contabuit. Addamus & cornum, quæ sub fine Reipublicæ emortua, mutationem in Urbe designavit.

Mas fortior.

Hasta olim pro sceptro. CCCCXIV. Olim Veteres hastam pro sceptro Reges gestasse, infra ex pluribus, nec sine Eruditorum nota, dicemus: similiter QUIRINI nomen ortum ab hasta; etenim hasta *Quiris* priscis Sabinorum Lingua dicebat, adest Festus, qui ait: *Quirinus ex hac causa Romulus est appellatus, quod curi, id est, hasta, uteretur, a qua Romani eo nomine Romulum appellave runt*; Verrius addit: *Curres Sabinæ hastæ appellatæ*: & F. Pompejus, *Quirites dicti Sabini a Curi dea*; qua de re suo loco plura.

Romulus Quirinus dictus ab hasta.

Martis hastæ. CCCXCV. Hinc sacras hastas coluere, præcipue Martis, qui Romuli pater dicebatur; ex corno Itala illas conflabant bello opportunas adversus hostes; moremque Regionis sapiens Virgilius lib. 9. *Æneid.* vers. 695. expressit in jaculo Turni, quo ruens ad Portam Dardaniam Antiphatem cæterosque confodit:

Jaculum Turni ex corno.

Dardaniam ruit ad portam, fratresque superbos,
Et primum Antiphatem, (is enim se primus agebat)
Thebana de matre nothum Sarpedonis alti,
Conjecto sternit jaculo; VOLAT ITALA CORNUS
Aera per tenuem, stomachoque infixa sub altum
Pectus abit; reddit specus atri vulneris undam
*Spumantem, & fixum * ferrum in pulmone tepescit.*

Claudianus lib. 2. *in Eutropium* vers. 166.

Tunc adamante gravem, nodisque rigentibus hastam,
Telum ingens, nullique adeo † jaculabile, torsit.

Virgilius de Tolumnio hastam in Trojanos vibrante in 12. *Æneidos* vers. 266.

Dixit, & adversos telum contorsit in hostes
Procurrens; sonitum dat stridula CORNUS, *& æra* ‡
Certa secat.

Idem in 2. *Georgicorum* vers. 447. de his, quæ præstant sylvæ,

At myrtus validis hastilibus, & bona bello
Cornus; Ityræos taxi torquentur in arcus.

CCCXCVI. Hinc hastæ laureatæ, frondibus & baccis in Triumpho, ut Romuli hastam æmulari possent, quæ frondescens fortissimæ Reipublicæ omen, victricis terrarum orbis ostendit; ex tunc enim cœpit, ut arcano carmine Virgilius in *Daphnide*, sive Ecl. 5. vers. 32. cecinit, Hastæ laureatæ.

—— *foliis lentas intexere mollibus hastas.*

Lentas, id est flexibiles; ac præpotentes, validas: Virgilius lib. 12. *Æneid.* vers. 488. de Messapo,

—— —— *duo forte gerebat*
Lenta levis cursu præfixa hastilia ferro;
Horum unum certo contorquens dirigit ictu,

CCCXCVII. An *sub hasta* mittere victos, ab hoc omine hastæ sumsit exordium? An Marti hastæ proinde dicatæ? An ab illis auguria auspicari religiosum? equidem Aulus Gellius *lib.* 4. *cap.* 6. M. Antonio A. Posthumio Coss. ait: *C. Julius L. filius nunciavit in Sacrario* HASTAS MARTIAS *movisse: de ea re ita censuerunt, uti M. Antonius Consul hostiis majoribus Jovi & Marti procuraret.* L. Cæcilio L. Aurelio Coss. V. C. ann. 637. inquit Julius Obsequens, *hastæ Martis in Regia motæ*: item Q. Fabio M. Verrucoso IV. M. Claudio Marcello III. Coss. *Hasta Martis Præneste sua sponte mota:* denuo P. Crasso Q. Scævola Coss. iterum *hastæ Martis in Regia motæ.* Quin & in T. Livii historia *lib* 40. legitur, nuntiasse Pontifices inter prodigia *hastas motas*: & libro primo secundi Punici belli, sive *l.* 21. *c.* 62. *Lanuvii hastam se commovisse:* quam scilicet Junonis signum tenebat. Erat Urbs Roma sub tutela Martis, utpote a Romulo Martis filio condita, & hasta perstabat in manu numinum, signum Imperii. De hastis plura. Hastæ Martis motæ inter prodigia.

* Rep. *fixo.* † Rest. *deo.* ‡ Rescr. *auras.*

A CCCXCVIII. Miscellam de hastis agit Cælius *lib.* 21. *cap.* 16. ubi plura scitu digna depromit; legimus namque Regii fastigii, *diadematis loco* fuisse, & tanquam *numina* cultas: item observatum est, deorumque simulachris additas; Cæneus *per hastam* cives jurare compellebat, inquit Eustathius: Curitin dictam Junonem tradunt a Sabinis, qui hastam *curin* * dicebant. Lancea quoque donari solitos, qui in bellis acriter strenueque pugnantes laudem meruissent: id ideo institutum Sex. Pompejus refert, *quia hasta summa armorum, & Imperii erat:* Sicinium Dentatum Plinius scribit fuisse donatum *hastis puris* duodeviginti: unde Virgilius lib. 6. *Æneid.* vers. 760.

Belli signum.

B Donum militibus.

Ille vides pura juvenis qui nititur hasta.

Hasta pura.

Donatus puram accipit sine ferro, *pacis signum*: Chæroneos legimus ex diis omnibus præsertim *sceptrum* colere, quod Vulcanum affabre fecisse Homerus scribit, datumque Jovi, a quo diu post ad Agamemnonem pervenerit, & appellant δόρυ, id est, *hastam*: apud Pausaniam *hastam & caduceum mittere*, ut pro arbitrio quis bellum ineat, vel pacem amplexetur.

Sceptrum, ejusque cultus.

C CCCXCIX. Tempus, quo hasta floruit, post devictum Amulium recensetur, dum novæ Urbis molimina agitabant; & fortasse dum sacra Pani inter Lupercos agebant: enimvero eo tempore Lupercalia lusisse juvenes scribit Valerius Maximus *lib.* 2. *cap.* 2. „ Lupercalium mos a Romulo & Remo inchoatus est, tunc cum „ lætitia exsultantes, quod his avus Numitor Rex Albanorum eo loco, ubi educati erant, Urbem condere permiserat sub „ Monte Palatino, hortatu Faustuli educatoris sui, quem Evander Argivus consecraverat; facto sacrificio, cæsisque caD „ pris, epularum hilaritate, ac vino largiore provecti, divisa pastorali turba, cincti „ pellibus immolatarum hostiarum, jocantes obvios petiverunt: cujus hilaritatis „ memoria annuo circuitu feriarum repetitur. Posteritas tanti Herois memoriam deinde coluit, eodem ludorum ordine, ut obvios quosque pulsaret, præcipue puellas, ut fœcundiores evaderent; Ovidius in *Fastis* Junonis oraculo Lupercalia culta refert, moremque servat ab Augure Etrusco novo carmine decantatum l. 2. v. 443.

Lupercorum habitus.

Luperci pulsant puellas, ut sint fœcundæ.

E

Augur erat, (nomen longis intercidit annis)
Nuper ab Etrusca venerat exsul humo;
Ille caprum mactat, jussæ sua terga puellæ
Pellibus exsectis percutienda dabant.

Exsectis capræ pellibus pulsabant puellas, & obvios.

Juvenalis veterum morum impudicorum irrisor *Sat.* 2. vers. 142.

—— *agili palmas præbere Luperco.*

Prudentius Vates in *Passione Romani Martyris*,

F

Quid illa turpis pompa? nempe ignobiles
Vos esse monstrat, cum Luperci curritis,
Quem servulorum non rear vilissimum,
Nudus plateas si per omnes cursitans
PULSET PUELLAS VERBERE *actas* † *ludicro.*

* Sic Ovidius lib. 2. *Fast.* vers. 477.
Sive quod hasta curis priscis est dicta Sabinis.

† Alii, *ictas*.

Papinus Statius in *Patris Epicedio* canit,

—— cui Chalcidicum fas volvere carmen,
Lanea cui Phrygii est coma Flaminis, & tua multum
Verbera succincti formidavere Luperci.

Propertius pompam Antiquorum & ipse occinit *lib.* 4. *el.* 1.

Verbera pellitus setosa movebat arator,
Unde licens Fabius sacra Lupercus habet.

Ovidius denuo de Evandro & Carmenta lib. 5. *Fast.* vers. 99.

Lupercalia a Fauno, qui & Pan.

Sacraque multa quidem, sed Fauni prima bicornis
Has docuit gentes, alipedisque dei
Semicaper, coleris cinctutis, Faune, Lupercis,
Cum lustrant celebres vellera secta vias.

Silius Italicus lib. 3. *Belli Punici*,

Pan Jove missus erat servari tecta volente
Troja pendenti similis, Pan semper, & uno
Vix ullo inscribens terræ vestigia cornu,
Dextera lascivit cæsa Tegæatide capra
Verbera læta movens per compita cauda,
&c.

Pan non alius a Fauno ludicrum docuit, asseritque Servius, *Pan quoque etiam Faunus appellatus est.* Hic nudos Lupercos edocuit, ob sui nuditatem & lasciviam; nam cum furtivos tentaret noctu amores, jacuit nudus, puellæ cunctisque videntibus ludibrium; idque eleganter cecinit Ovidius in *Fastis* lib. 2. vers. 331.

Noctis erat medium: (quid non amor improbus audet?)
Roscida per tenebras Faunus ad antra venit:
Utque videt comites somno vinoque gravatos,
Spem capit in dominis esse soporis idem;
Intrat, & huc illuc temerarius tentat * *adulter;*
Et præfert causas †*, subsequiturque manus.*
Venerat ad strati captata cubilia lecti;
Et felix prima sorte futurus erat:
Ut tetigit fulvi setis hirsuta leonis
Vellera, pertimuit, sustinuitque manus;
Attonitusque metu rediit; ceu sæpe viator
Turbatum viso rettulit angue pedem.
Inde tori, qui vinctus * *erat, velamina tangit*
Mollia, mendaci decipiturque nota.
Adscendit, spondaque sibi propiore recumbit:
Et tumidum ‡ *cornu durius inguen erat;*

Fabula de Fauno nudo.

* Leg. *errat.* † Rescr. *cautas.* * Rep. *junctus.* ‡ Rest. *rigido.*

Interea tunicas ora subducit ab ima,
Horrebant densis aspera crura pilis:
Cætera tentantem cubito Tyrinthius Heros
Reppulit; e summo decidit ille toro:
Fit sonitus, & Comites inclamat, lumina poscit
Mæonis; illatis ignibus acta patent;
Ille gemit lecto graviter dejectus ab alto,
Membraque de dura vix sua tollit humo:
Ridet & Alcides, & qui videre jacentem;
Ridet amatorem Lyda puella suum:
VESTE DEUS LUSUS *fallenter lumina vestes*
NON AMAT, ET NUDOS AD SUA SACRA VOCAT.

Cur nudos Lupercos Faunus concursare jubet?

Hinc mos currendi in lusu nudos; traditque originem Pomponius Lætus, ubi de Lupercis: *Traditur alia causa, quare nudi Luperci, eo quod Faunus per vestes delusus fuerit.* Similiter Fenestella factum longa littera enarrat, puellamque *Iolen* appellat. Faunus deinde numen impudicum lascivumque ex Tamiridis carmine fuisse novimus; *Ephialtes*, sive *Epialtes incubus* ab Artemidoro in secundo *Onirocriticon* dictus est, ab Ægyptiis *Mendes* vocabatur, quia sub hirci lasciva effigie colebatur, ut tradit Suidas, & Diodorus in *Bibliotheca*: hinc nuditas a lascivia; quam simulachrum Panis præferebat, & a capræ lascivientis pelle: *Nudus* namque colebatur, *caprina pelle amictus*, inquit Justinus ex Trogo Pompejo: quo habitu Romæ Lupercalibus decurritur. Cur verberentur, hinc elicitur causa a Plutarcho in *Romulo*, αἱ δ' ἐν ἡλικίᾳ γυναῖκες οὐ φεύγουσι τὸ παίεσθαι, νομίζουσαι πρὸς εὐτοκίαν καὶ κύησιν συνεργεῖν, *mulieres adultæ non declinant verbera, proficere ea ad conceptionem & partum ratæ*: Ovidius in *Fastis* lib. 2. vers. 445.

Faunus impudicus, ejusque nomina.

Percussæ puellæ fœcundiores evadebant.

Ille caprum mactat, jussæ sua terga puellæ
Pellibus exsectis percutienda dabant.
Luna resumebat decimo nova cornua motu;
Virque pater subito, nuptaque mater erat:
Gratia Lucinæ.

Antequam urbem conderent epulum parabant festumque diis sacrum.

CCCC. Festum, & libatio antequam urbs ædificaretur opportuna, & Genio loci de more sacra; enimvero solebant Veteres antequam urbem conderent epulis vacare, numina quæque propitia evocare ab orco & Olympo, quod ab Ænea similiter factum occinit Virgilius lib. 7. *Æneid.* vers. 135.

Sic deinde effatus, frondenti tempora ramo
Implicat, GENIUMQUE LOCI, PRIMAMQUE DEORUM
TELLUREM, *Nymphasque & adhuc ignota precatur*
Flumina, tum Noctem, Noctisque orientia signa,
Idæumque Jovem, Phrygiamque ex ordine matrem
Invocat, & duplices cæloque Ereboque parentes.
Hic pater omnipotens, ter cælo clarus ab alto,
Intonuit, radiisque ardentem lucis & auro,
Ipse manu quatiens ostendit ab æthere nubem.
Diditur hic subito Trojana per agmina rumor,
Advenisse diem, quo DEBITA MOENIA CONDANT;
Certatim instaurant epulas, atque OMINE MAGNO
Crateras læti statuunt, & VINA CORONANT.

Hæc ille; & morem occinit Antiquorum, qui post choreas & festa loca urbium designabant, placatis solenni ritu numinibus, ut omen haberent in votis; tradit hoc Pythocles Samius in libro *de Rebus Rusticis*, ubi de Elæunte scribit apud Plutarchum in *Parall. Hist.* Ἡγησίστρατος ἀνὴρ Ἐφέσιος ἐμφύλιον φόνον δράσας ἔφυγεν εἰς Δελφοὺς, καὶ ἠρώτα τὸν θεὸν ποῦ οἰκήσειεν. Ὁ δὲ Ἀπόλλων ἀνεῖπεν, ἔνθα ἂν ἴδῃ χορεύοντας ἀγροίκους θαλλοῖς ἐλαίας ἐστεφανωμένους· γενόμενος δὲ κατὰ τὸν τόπον τῆς Ἀσίας, καὶ θεασάμενος φύλλοις ἐλαίας ἐστεφανωμένους γεωργοὺς καὶ χορεύοντας, ἔκτισεν αὐτοῦ πόλιν, καὶ ἐκάλεσεν Ἐλαιοῦντα. *Hegesistratus Ephesius civili nece perpetrata Delphos fugit, sciscitatusque deum est, ubinam locorum sedem poneret? Respondit Apollo, ibi ubi choreas ducere frondibus olivæ coronatos rusticos visurus esset; quod cum ille in quadam Asiæ Regione deprehendisset, urbem ibi condidit, & ab oleis Elæuntem appellavit.* Hactenus ille. De Prinisto item urbe Aristocles lib. 3. *rerum Italicarum* apud eundem Plutarchum *ibid.* sic refert: Τηλέγονος Ὀδυσσέως καὶ Κίρκης, ἐπὶ ἀναζήτησιν τοῦ πατρὸς πεμφθεὶς, ἔμαθε πόλιν κτίσαι ἔνθα ἂν ἴδῃ γεωργοὺς ἐστεφανωμένους καὶ χορεύοντας· γενόμενος δὲ κατά τινα τόπον τῆς Ἰταλίας, καὶ θεασάμενος ἀγροίκους πρινίνοις κλάδοις ἐστεφανωμένους καὶ ὀρχήσει προσδιατρίβοντας ἔκτισε πόλιν, ἀπὸ τοῦ συγκυρήματος Πρίνιστον ὀνομάσας, ἣν Ῥωμαῖοι παραγώγως Πραίνεστον καλοῦσιν. *Telegonus Ulyssis e Circe filius, missus ad indagandum patrem, monitus est, ut ibi* URBEM CONDERET *ubi serta gerentes agricolas saltare videret; cumque in quendam Italiæ locum venisset, offendit colonos ramis iliginis redimitos, choreis vacare, itaque urbem ibi condidit; & ab eventu Prinistum* (est enim ilix Græcis πρῖνος) *nominavit; Romani ea voce detorta Præneste appellant.*

Exemplis probatur.

CCCCI. Non omnes eodem sacro festoque gaudent, sed varia numina varios ritus deposcunt; Loci Genius Romæ Lupercalia, juxta majorum sanctiones exigebat, ut olim a Pane, sive Fauno, & Evandro peracta, deorum consensu tenuere: alii alia peragebant, de quibus Apulejus in Isidis cultu, & ipse Sacerdos, in libello *de deo Socratis* inquit: „Religionum „diversis observationibus & sacrorum va„riis suppliciis fides impertienda est; etsi „nonnulli sunt ex horum divorum nume„ro, qui nocturnis vel diurnis, promtis vel „occultis, lætioribus vel tristioribus hostiis, „vel cæremoniis, vel ritibus gaudeant, uti „Ægyptia numina * ferme plangoribus;

Varia numina variis ritibus gaudent.

* In Edit. legitur, *Minerva*.

„ Græca plerumque choreis; Barbara autem strepitu cymbalistarum, & tympanistarum, & choraularum. Itidem pro „ Regionibus & cætera in sacris differunt, „ longa varietate pomparum agmina, mysteriorum silentia, Sacerdotum officia, „ sacrificantium obsequia. Huc usque ille. Quam diversitatem diversa denotare numina, ab uno Deo vero & vivo satis aliena, compertum est, demonstratque Theodoretus *serm.* 4. eo quia *cantabant Iulum Cereri, Rheæ Lityersam, Baccho Dithyrambum, Pythio Pæana, Dianæ Hypæpum.* His nihilominus urbium institutio, & amplitudo habebatur, factoque libamine, Loci Genius evocabatur ad omen: Horatius *de Arte Poet.* vers. 208.

Genius loci colitur sertis & vino.

Postquam cœpit agros extendere victor, & urbem
Latior amplecti murus, vinoque diurno
Placari Genius FESTIS *impune diebus.*

Vini de more meminit Virgilius, poculisque coronatis, quæ Urbis condendæ primordia essent, ob Loci Genium; de quo Tibullus *lib.* 1. *eleg.* 7. ad rem festive occinit,

Huc ades, & centum ludos, Geniumque choreis
Concelebra, & multo tempora funde mero.

Serta addit Vates, quæ Genios coronant, & aras. Horatius *lib.* 2. *epist.* 1.

—— piabant
Floribus & vino Genium.

Apulejus ad Critiam in 1. *Apol.*

Aræ coronatæ.

Florea serta, merum, mel, & hæc tibi carmina dono,
Carmina dono tibi, serta tuo Genio.

Ovidius lib. 3. *de Tristibus* el. 13.

Fumida cingatur florentibus ara coronis.

Virgilius in mystica *Ecloga* 8. vers. 64.

Effer aquam, & molli cinge hæc altaria vitta.

Idem Vatum maximus lib. 1. *Æneidos* ℣. 421.

*Jure * calent aræ, sertisque recentibus halant.*

Propertius & ipse amorum sacrorumque Antistes, *lib.* 3. *el.* 9.

Inde coronatas ubi ture piaveris aras,
Luxerit & tota flamma secunda domo.

Euclio apud Plautum in *Aulularia* Act. 2. Sc. 8. vers. 15.

† Hunc trusculum emi, & hasce coronas floreas;
Hæc imponentur in foco nostro Lari.

* Leg. *Ture.* † Rep. *Nunc tusculum.*

Silius Italicus lib. 4. *Belli Punici,*

Gramineas undis stravi socialibus aras.

Ovidius lib. 15. *Metamorph.* vers. 574.

Placat odoratis herbosas ignibus aras.

Et denuo lib. 5. *Trist.* el. 5.

Et velet tepidos nexa corona focos.

Itaque concesso a Numitore loco condendæ Urbis Romulo ac Remo nepotibus, Lupercalia celebrant, festumque deo Pani, cujus in tutela antiquitus Locus erat, consecrant, & ut felix fortunatumque sit monumentum perennitatis, Genio libant merum, aras coronant, extisque fumantibus ornant: de quibus scribit Livius: *Sacra diis aliis Albano ritu, Græco Herculi ut ab Evandro instituta erant, facit,* &c.

CAP. XXXII.

Die sacra Palis, anno primo septimæ Olympiadis, Romulus auspicato cum fratre Remo Urbis mœnia signat. Quæritur de Olympiadum initiis.

CCCCII. PERACTIS Lupercaliorum & numinum sacris Romulus Remusque Gabiorum ritu præstantes, ac Etruscorum disciplinis, religiosissima superstitione, imbuti, Urbis novæ grande opus aggrediuntur, & signant aratro Pomerium, fossas, mœnia, Urbem quadratam, arcanumque boni ominis penu; dies faustissimus sacra Palis monumenta agebat, uti Ovidius in *Fastis* occinit lib. 4. ℣. 819.

Festus dies Palis.

Apta dies legitur, qua mœnia signet aratro:
Sacra Palis suberant; inde movetur opus;
Fossa fit ad solidum, fruges jaciuntur in ima,
Et de vicino terra petita solo est:
Fossa repletur humo, plenæque imponitur ara,
Et novus accenso fungitur igne focus.

XI. Kalend. Majas erant Palilia: & in Kalendario, Constantini Magni temporibus Principis, Sacerdotumque auctoritate signato, post Christum natum An. 335. die 21. Aprilis notatur N. URBIS: etenim inquit Varro lib. 5. *Ling. Lat. Palilia dicta a Pale, quod & feriæ ei deæ fiunt, ut Cerealia a Cere.* Nutant Scriptores de institutione festi ac tempore, & ingenue Dionysius Halicarnasseus inquit, Ταύτην ἔτι καὶ εἰς ἐμὲ τὴν ἡμέραν Ῥωμαίων ἡ πόλις ἑορτῶν οὐδεμιᾶς ἥττονα τιθεμένη, καθ' ἕκαστον ἔτος ἄγει, καλοῦσα Παρίλια· θύουσι δ' ἐν αὐτῇ περὶ γονῆς τετραπόδων οἱ γεωργοὶ καὶ νομεῖς θυσίαν χαριστήριον ἔαρος ἀρχομένου. Πότερον δὲ παλαίτερον ἔτι τὴν ἡμέραν ταύτην ἐν εὐπαθείαις ἐπιτηδειοτάτην οἰκισμῷ πόλεως ἐνόμισαν, ἢ τοῦ κτίσματος ἄρξαντος ἱερὰν ἐποιή-

Dies natalis Romæ.

σαντο, ϗ θεὺς ἐν αὐτῇ τὺς ποιμέσι φίλυς γεραίρειν ᾤοντο δεῖν, ὐκ ἔχω βαβαίως εἰπεῖν. Diem hunc, si ullum alium, Romana Civitas nostro quoque tempore singulis annis festum celebrat, vocatque Parilia; cum ineunte Vere pro partu quadrupedum agricolæ grati pastoresque sacra faciunt. Utrum vero diem hunc jam ante prosperis successibus festum auspicatum etiam condendæ Urbi duxerint, an propter Urbis initia consecraverint, deosque pastorales in eo honorandos sanxerint, affirmare certo non possum.

Parilia festa rusticorum.

Sacrum absque sanguine.

CCCCIII. Ne in ambiguis & ignotis laboremus, Scriptorum monumenta ingredi suadet religio, eorumque oracula proferre: etenim scribit Censorinus cap. 4. *de Die Natali*: *Ex Parilibus Urbis anni numerantur*. L. Tarrutius Chaldaicis disciplinis eruditus, quem laudant summopere Varro & Tullius, hunc diem novæ Urbis primum signat in Fastis, ex quo Solinus in *Polyhistore* inquit: *Romulus auspicato fundamenta murorum jecit undecimo Kalendas Majas*: & Plutarchus in *Romulo*; *Ὅτι μὲν οὖν ἡ κτίσις ἡμέρᾳ γένοιτο τῇ πρὸ ἕνδεκα* Καλανδῶν Μαίων, *ὁμολογεῖται· ϗ τὴν ἡμέραν ταύτην ἑορτάζυσι* Ῥωμαῖοι, *γενέθλιον τῆς πατρίδος ὀνομάζοντες*. Ἐν *ἀρχῇ δ', ὡς φασὶν, οὐδὲν ἔμψυχον ἔθυον, ἀλλὰ καθαρὰν ϗ ἀναίμακτον ᾤοντο δεῖν τῇ πατρίδι τὴν ἐπώνυμον τῆς γενέσεως ἑορτὴν φυλάττειν. Conditam Urbem in confesso est* XI. *Kal. Majas; quem diem Romani Patriæ* NATALEM *appellant, habentque festum. Initio, ut fama est, nihil immolabant animatum, purum censebant & incruentum decere natalibus Patriæ solenne consecratum conservare*.

Sacrificii enarratio.

Hæc ille, moremque firmat Solinus *cap.* 2. & causam offert: *Observatum deinceps ne qua hostia Parilibus cæderetur, ut dies iste a sanguine purus esset, cujus significationem* DE PARTU ILIAE *tractam volunt*. Sospites infantes evaserunt in alveo, nec jus juxta & fas censebant sanguinem eo die fundere, a quo etiam dira se abstinuere a nece. Sacrum in numinis ara ritumque occinit Ovidius lib. 4. *Fastorum* vers. 735.

> *Pastor oves saturas ad prima crepuscula lustret;*
> *Unde * prius spargat, virgaque verrat humum;*
> *Frondibus & fixis decorentur ovilia ramis,*
> *Et tegat ornatas longa* CORONA *fores:*
> *Cærulei fiant puro de sulphure fumi,*
> *Tectaque fumanti sulphure balet ovis:*
> *Ure mares oleas, tædamque herbasque Sabinas,*
> *Et crepet in mediis laurus adusta focis.*
> *Libaque de milio milii fiscella sequatur,*
> *Rustica præcipue est hoc dea læta cibo:*
> *Adde dapes mulctramque suas, dapibusque refectus*
> *Silvicolam tepido lacte precare Palen.*

Dapes quid significent?

Quibus in carminibus haud vestigium sanguinis cæsæve hostiæ decantat, & quamvis *dapem* superstitiosissimov icanorum cultu misceat, *daps* rem divinam in arcano religionis indicat: asseritque Festus Pompejus: *Daps apud Antiquos dicebatur res divina, quæ fiebat aut hyberna semente; aut verna*; cujus exemplar legitur apud Catonem *de Re Rustica*; observabatque proinde Festus Pompejus: „ Dapis vocabulum ex Græco deducitur, apud quos id „ genus epularum δαὶς dicitur, itaque & „ daptice se acceptos Antiqui dicebant, significantes magnifice: & dapticum ne„ gotium amplum, & magnificum.

* Rep. *unda*, vel *uda*, ut vult doctiss. Heinsius.

Palis Deæ simulachrum cum falce.

CCCCIV. Erat eo in loco Pales & Pan, a quibus omen Urbis, deam pastores colebant, rusticorum numen, cujus simulachrum falcem habuisse Tibullus sic cecinit *lib.* 2. *eleg.* 5.

> *Romulus æternæ nondum formaverat Urbis*
> *Mœnia, consorti non habitanda Remo;*
> *Sed tunc pascebant herbosa palatia vaccæ*
> *Et stabant humiles in Jovis Arce casæ:*
> *Lacte madens illic suberat Pan ilicis umbræ,*
> *Et facta agresti lignea falce* PALES.

Sacrum denuo superstitiose peractum Ovidius exhibet lib. 4. *Fast.* vers. 715.

Liba Pali.

> —— *& nos faciamus ad annum*
> *Pastorum dominæ grandia liba Pali;*
> *His dea placanda est: hæc tu conversus ad Ortum*
> *Dic quater, & vivo perlue rore manus.*
> *Tunc licet, apposita veluti cratere camella **
> *Lac niveum potes, purpureamque sapam,*
> *Moxque per ardentes stipulæ crepitantis acervos*
> *Trajicias celeri strenua membra pede.*

Ablutio in sacris

Addit insuper Virgilius in *Culice* juxta Pithœi codicem,

> *Et tu sancta Pales, ad quam ventura recurrit*
> *Agrestum bona sors curas secura, tenesque*
> *Herbiferos saltus, nemorum silvasque virentes.*

Dies Palis incertus.

Attamen adhuc dies sub judice, & varii festum variant, quorum sententias coercet & offert breviter Lilius: *Huic deæ sacra solvebantur* XI. *Kal. Majas, vel melius, ut alii*, XII. *ut in Fastis notavimus*. Hæc ille.

Quo anno Romulus Urbem fundavit?

CCCCV. Major velitatio de anno; enimvero vetustas Fastos non ita corrosit in saxis, ut adhuc monumenta non superfint; ideo inquirendum tempus Olympiadum, earumque annus. Cumprimis Solonius scribit: „ Romulus auspicato fundamenta mu„ rorum jecit, duodeviginti natus annos, „ XI. Kal. Majas, hora post secundam, an„ te tertiam, sicut L. Tarrutius prodidit, „ Mathematicorum nobilissimus, Jove in „ Piscibus, Saturno, Venere, Marte, Mer„ curio in Scorpione, Sole in Tauro, Lu„ na in Libra constitutis, dies Palis. Horoscopum Tarrutii nonnulli damnant, &

Tarrutius circa hunc annum divinat.

* Rescr. *camella*.

Plutarchus Antimachum Teium Poetam Lyricum errorem de annis Urbis prænotasse scribit; quo permotus Varro a Tarrutio viro sapientissimo petiit, ut ex rerum eventu verum annum signaret; audi Plutarchum de re tota differentem: „ Eundem „ diem illi & ante Urbem conditam festo „ pastorali habebant sacrum, & Palilia vo„ cabant. Cæterum Kalendæ hac tempe„ state apud Romanos nihil quadrant cum „ Græcorum interluniis. At diem illum, „ quo condidit Urbem Romulus, plane „ in trigesimum mensis apud Græcos tra„ dunt incidisse; quo subiens Solis orbem „ Luna defecit, quem defectum Antima„ chum vidisse Teium Poetam Lyricum „ arbitrantur, cum incurreret in tertium „ VI. Olympiadis annum. Varroni Philo„ sopho, qui Romanorum plurimæ fuit in „ historia lectionis, familiaris erat Tarru„ tius, Philosophus ille quidem & Mathe„ maticus, atque etiam Genethliacus, cui „ scientiæ ita se speculandi gratia dederat, „ ut in ea videretur excellere: huic posuit „ Varro, ut Romuli natalem designaret, „ ex eventis ejus ducens rationes, sicut „ quæstionum Geometricarum docent con„ textus: ejusdem esse enim disciplinæ, „ quum diem natalem acceperis, vitam cu„ juspiam prænunciare, ac vita proposita „ exquirere natalem. Suscepit provinciam „ Tarrutius, positisque ob oculos Romuli „ casibus, factisque, ac vitæ spatio, & „ mortis genere, atque istis comparatis o„ mnibus, confidenter & intrepide conce„ ptum a matre pronunciavit anno primo „ secundæ Olympiadis, mensis quem vo„ cant Ægyptii Choeac (December is sit) „ tertio & vigesimo die ad tertiam horam, „ qua Sol omni ex parte defecit; in lucem „ editum mensis Thoth (quem dicas Se„ ptembrem) vigesimo primo circa Solis or„ tum; die nono mensis Pharmuthi (qui „ respondet Aprili) Urbis incunabula fuis„ se inter secundam & tertiam horam: si„ quidem non minus Urbis quam hominis „ fortunæ certum est tempus, quod ex pri„ mis incunabulis ad stellarum capitur po„ sitiones. Hactenus ille. sed quia exactior supputatio Dionysii Halicarnassei in primo *Antiquitatum*, ab eo antiqua temporum monumenta petenda existimo.

Genethliaci ut genesim inveniant?

Urbis & hominum horoscopus.

CCCCVI. Variant enimvero plerique; Timæus Siculus nescio quam regulam secutus, ait Romam congruere in tempus, quo Carthago est condita, *trigesimo octavo anno ante primam Olympiadem;* sed Appianus Alexandrinus in *Libycis* tradit, conditam Carthaginem ante Trojæ excidium annis quinquaginta: quo tempore neque Hercules, neque Olympiades. Justinus *l.* 18. *c.* 6. *condita est Carthago* LXII. *annis ante quam Roma;* ergo præcessit Urbem: asseritque Vellejus Paterculus an. 65. Dionysius Halicarnasseus an. XXXVIII. ante primam Olymp. Ephesius ex Tyrorum monumentis, quæ supputat Joseph Hebræus *contra Appionem*, conditam refert post Templum Salomonis quadraginta quinque annis, mensibus 8. Eusebius autem regnante David ædificatam fuisse scribit: *Carthago condita est, ut quidam volunt, a Carchedone Tyrio, ut vero alii, a Didone filia ejus, post Trojanum bellum an.* CXLIII.

Annus condite Carthaginis.

A Sed ut redeamus ad Urbem, antequam nox obscuræ antiquitatis nos opprimat, ædificatam Urbem fuisse putat Lucius Cincius *in quartum annum Olymp. duodecimæ*: Porcius Cato Græcam temporum rationem non indicat, alioquin cum esset diligens collector antiquæ historiæ, dicit quadringentis triginta duobus annis posteriorem bello Iliaco; quod tempus dimensum juxta Eratosthenis Chronographias *incidit in annum primum Oliymp. septimæ*; Polybius Megalopolitanus circiter secundum annum septimæ Olymp. Romam conditam perhibet. B Probat Dionysius conditam fuisse juxta Eratosthenis computum anno primo septimæ Olympiadis; quia Gallorum expeditio, qua Roma capta, est, fuit, Athenis summum Magistratum gerente Pyrgione, circiter primum an. XCVIII. Olymp. quod si retrorsum tempora supputes, usque ad Lucium Junium Brutum, L. Tarquinium Collatinum, primos Romanorum, post expulsum Regium dominatum, Consules, complectentur annos CXX. idque apparet C ex Censoriis Commentariis: in quibus notatur insuper L. Valerio Potito, T. Manlio Capitolino Coss. post expulsos Reges ann. CXXI. Gallorum irruptionem accidisse; quod temporis intervallum triginta Olympiadas facere compertum est, & necessario sequitur, primos Consules Magistratum iniisse Archontis Athenarum Isagoræ tempore, circa primum annum LXVIII. Olympiadis. Constat autem inter expulsos Reges & initium Regni Romuli annos CCXLIV. intercessisse: nam Romulus Urbis D conditor septem supra triginta annis administrationi rerum præfuisse dicitur; post cujus obitum Interregnum fuisse per annum integrum. Deinde Numam Pompilium, electum suffragiis populi, regnasse annis quadraginta tribus; post hunc Tullum Hostilium XXXII. hujus deinceps successorem Ancum Marcium XXIV. post quem Tarquinium Priscum XXXVIII. deinde Servium Tullium XLIV. huic a se occiso successit Lucius Tarquinius vir tyrannicus, & propter Juris contemtum cognominatus Superbus, regnavitque ad annum E usque quintum supra vigesimam. Sic supputatis Regum an. CCVLIV. Olymp. vero LXI. necesse est, ut primus Romanorum Rex Romulus Regnum auspicatus sit an. primo septimæ Olymp. primo item Charopis decennalis Magistratus Atheniensium.

Probatur Romam condidisse Romulum an. 1. septimæ Olymp.

Tempus quo Reges Romæ vixerunt

CCCCVII. Auctor Fastorum Capitolinorum, quem nonnulli Verrium Flaccum Libertinum putant, qui nepotes Augusti Cajum & Lucium in Palatio docuit, meruitque Præneste statuam, ut Suidas scribit, vel prope Vestæ Ædem, ut Critici divinant, id ipsum signant, ROMVLVS. F REX. VRBEM. CONDIDIT. ANNO. PRIMO. OLYMPIADE. VII. QVA. VICIT. IN. STADIO. DAICLES. MESSENIVS. REGNANTE. ATHENIS. CHAROPE. A. D. XI. KAL. MAIAS.

Probatur ex Fastis Capitolinis.

CCCCVIII. Duo adhuc animadvertenda restant, quæ paucis absolvam. Ætas primum Romuli & Remi diversa censetur, in eaque Scriptores discrepant: Messala Corvinus, *de Augusti progenie*, multorum profert testimonia, & annum XXII. cum

Ætas Romuli quæritur.

cum agerent, Urbem condidisse testatur: *Ferunt anno vigesimo secundo ætatis, undecimo Kalendas Majas, quadringentesimo trigesimo tertio post captam Trojam, Romulum Urbis fundamenta jecisse*: concinit Solinus in *Polyhistore*: *Romulus auspicato fundamenta murorum jecit duodeviginti natus annos*. Discrepat Dionysius Halicarnassæus, qui anno XVIII. ævi juvenum scribit Amulium deturbatum, peremtumque a nepotibus: & sic post annum primum Regni Numitoris Urbis cœpisse ædificium, cum XIX. annum ducerent: Zonaras ait: *cum XIIX. annum agerent, Urbem dicunt condidisse*.

Variat Dionysius.

CCCCIX. Altera velitatio circa tempus primæ Olympiadis, quam signavimus ann. XX. Amulii Sylvii Regis Albanorum; asseritque Eusebius, qui ait: „ A captivitate Trojæ usque ad Olympiadem primam anni CMV. Æschyli Atheniensium Judicis ann. II. prima Olympias acta, quo erat agon Gymnicus, in quo Corœbus Heliensis exstitit victor: Helii agunt quinquennale certamen, quatuor annis in medio expletis, in quibus Principes annui constituuntur quatuor. Quam Olympiadem Iphitus filius Praxonidis, sive Hemonis, primus constituit: ab hoc tempore Græca de temporibus historia vera creditur: nam ante hoc, ut cuique visum est, diversas sententias protulerunt. Huc usque Eusebius in *Chronico*. Primam Olympiadem Africanus *temporibus Joatham Regis Hebræorum* fuisse scribit; circa annos Scriptores dissentiunt, nam Tatianus post Trojæ excidium ann. CDVII. primam Olympiadem recenset. Addit annum Diodorus Siculus, ut sint ann. CDVIII. duos Marianus demit, signatque CDVI. Tunc *Lacedæmoniorum Reges defecerunt*, inquit Eusebius, Bochori Regis Ægyptiorum (*sub quo agnus locutus est*) ann. V. Ardiso Lydorum Rege III. Sosrami Medorum R. XVI. Oziæ Regis Juda L. Amulii Sylvii Latinorum Regis XXI. ab Abraham ann. MCCXLI. videat Lector Strabonem l. 8. *Geog.* Paterculum, Pausaniam, Diodorum lib. 4. *Bibliotheces*, plerosque Antiquos, Recentioresque, qui primam Olympiadem die XXIII. Julii celebratam contendunt. Clemens Alexandrinus lib. I. *Stromatum* ex Sosibio Lacone in descriptione temporum ait, ann. XXXIV. Nicandri Regii filii Charilli Polydecti, primam Olympiadem cœpisse. Variant alii, præcipue Vellejus Paterculus libro primo *Historiarum* dicens: *Clarissimum omnium ludicrum certamen, & ad exercitandam corporis animique virtutem efficacissimum, Olympiorum initium habuit auctore Iphito Elio; is eos ludos mercatumque instituit: hoc sacrum eodem loco instituisse fertur abhinc annos ferme* DCCL. *quo quidem in ludicro omnis generis certaminum Hercules victor exstitit*: his recensitis inquit: *Sexta Olympiade post duos & viginti annos quam prima constituta fuerat, Romulus Martis filius ultus injurias avi Romam Urbem Parilibus in Palatio condidit*. Hanc discrepantiam licet plerique concordare præsumserint, æram temporum variantem instituisse videntur, ut potius nodum in scripto fecerint. Tantum ex Varrone animadverto cum Censorino *cap.* 21. tria discrimina temporum fuisse: *Primum ab hominum principio usque ad cataclysmum priorem, quod propter ignorantiam vocatur* ἄδηλον: *Secundum ab illo ad Olympiadem primam, quod, quia in eo multa fabulosa referantur,* μυθικὸν *nominatur: Tertium a prima Olympiade ad nos, quod dicitur* ἱστορικὸν, *quia res in eo gestæ veris historiis continentur*.

Primæ Olympiadis annus.

Annorum diversitas.

Tria Tempora ab orbe condito.

Velitatio pro Olympiade.

CCCCX. Similiter in *Breviario* Adonis notatur sub Joachaz filio Oziæ: *Olympias prima ab Eliensibus constituta; Remus & Romulus generantur matre Ilia*. Si Chronologiam prosequitur, errat; nam ab Eusebio anno primo secundæ Olympiadis eorum genitura signatur, & non juvenes, sed viri jam fratres Urbem condidissent: nec Eusebio convenit Dionysius, qui anno primo septimæ Olympiadis Urbem fundasse scribit, cum vigesimum annum agerent: nec Solino ac Messalæ, qui ætati geminorum duos addiderunt annos. Tricas insuper nectit Paulus Orosius, vir judicio Divi Augustini eruditissimus: hic lib. 2. *de mutatione Regnorum* ait: *Anno post eversionem Trojæ* CDXIII. *Olympiade* VI. *quæ quinto demum anno, quatuor in medio expletis, apud Elidem Græciæ civitatem agone & ludis exerceri solet, Urbs Roma in Italia a Romulo & Remo condita est*. Sequitur computum Eutropii, qui Olympiade VI. Urbis primordia notat, dicens: *Sexta Olympiade post duo & viginti annos quam prima constituta fuerat, Romulus Martis filius ultus injurias avi, Romam Urbem Parilibus in Palatio condidit*. Hinc diversitas annorum, quibus Olympias constat; sunt namque cum Pausania plerique, quinque annorum spatium putantes conficere Olympiadem; cum primis Alexander lib. 5. *Genial. Dier.* cap. 8. *Quinque annorum tempus Olympiadem dixere, unde Græci annorum curricula & tempora dinumerant*. Phornutus, sive Porphyrio, *in od. primam Horatii*, pulverem Olympicum colligit, & inquit: *Olympias dicebatur tempus quinque annorum, siquidem expletis quatuor annis, quinto quoque anno celebratur festivitas in honorem Jovis Olympici, ab Olympia campo sic dicti*; erat certamen juxta Alpheum fluvium apud Elim & Pisam ad radices Montis Olympi, quod quidem certamen, ut Lycophronis Interpres Isaacius ait, *quinquagesimo quoque mense* magna celebritate frequentabatur: hinc Cornelius Vitellius Corinthius, in Libello *de diebus & mensibus*, inquit, Lustrum sive Olympias quamvis quatuor expletos annos contineant, tamen pro quinquennio accipiuntur, quia principio quinti anni & lustrum conderetur, & Olympica certamina fierent; Ovidius,

Anni Olympiadi.

Quinque annorum spatio Olympias

Expletis videlicet quatuor annis.

Lustrum pro Olympiade.

Quinquennale ludicrum.

Et qui Penelopæ rescribere fecit Ulyssem
Errantem sævo per duo lustra mari.

Et decem annos errasse compertum est: Martialis utrumque nectit *lib. 4. epigr. 45*:

Ut qui prima novo signat quinquennia lustro:
*Impleat innumeras Irus * Olympiadas*.

* Rep. *Burrus*.

Cum lustro an conveniat *Agon Capitolinus* a Domitiano constitutus, quem Suetonius *Quinquennale certamen* appellat, alii videant: nos alibi nonnulla diximus, quae satis superq; Antiquorum monumenta declarant; nunc ex Tacito lib. 16. *Ann.* c. 1. an post falsos thesauros, quos somniaverat Nero ex promisso Cesellii Bassi, *Quinquennale ludicrum secundo lustro celebrabatur, Oratoribusque præcipua materia in laudem Principis assumta est:* videlicet ob aurum, quod Dido Phœnissa, Tyro profuga, condita Carthagine abdiderat, ne novus populus nimia pecunia lasciviret, Neroni tandem cessurum.

Ante Urbem conditam altera fuit Roma.

CCCCXI. Tantum restat apud Veteres animadvertere, ante Urbem, alteram fuisse Romam, quam scribunt post multa Romulum excitasse. Sed hanc tertiam plerique existimant; enimvero inquit Dionysius Halicarnasseus lib. 1. *Antiquit.* „ Alii „ dicunt Ænea defuncto Ascanium ex asse hæredem Regni relictum, assumto „ Principatu, agros & opes Latinorum tripartito divisisse cum Romulo & Remo „ fratribus: ipsum deinde Albam condidisse, & alia quædam oppida: Romulum vero Capuam dictam a Capy proavo, Anchisam de Anchisæ avi sui nomine, de patris autem nomine Æneam, „ quæ post fuit Janiculum, Romam quoque de suo; hanc aliquanto post desolatam, rursum Albanis aliam Coloniam „ eo Romuli & Remi ductu mittentibus „ accepisse habitatores. Ut jam EADEM „ URBS INTELLIGATUR BIS CONDITA; semel, non multo post Belli Trojani tempora; iterum, ætate exinde quintadecima. Quod si quis velit rem altius „ etiam repetere, TERTIAM QUANDAM ROMAM his antiquiorem inveniet, ut quæ ante Æneæ Trojanorumque in Italiam adventum fuerit. Hoc autem nec vulgaris aliquis, nec recens „ Scriptor prodidit, sed Antiochus Syracusanus: is ait: *Morgete in Italia regnante* (Italia tum erat ora quam longa, quæ a „ Tarento Pæstum usque protenditur) *venisse ad eum a Roma quendam Romanum exsulem nomine Siculum* .... „ Atque ita ex „ auctoritate Syracusani hujus Scriptoris „ inveniatur quædam ANTIQUA ROMA TROJANIS TEMPORIBUS „ SUPERIOR: utrum autem eodem loco sita fuerit, ubi nunc Roma habitatur, „ an alius locus idem nomen habuerit, conjicere non valeo. Hactenus ille, & nos, ubi de Urbis nomine, satis dixisse compertum est. Fortasse locus ob cæli temperiem, frugesque uberrimas, aquarum beneficio opportunus, non semel palantes excepit, ut simul degerent, sed paucitate, morbisque, sive hostium incursu ad paucos, nullosque tandem redactus prostabat; observo Virgilium antiquitatis peritissimum Scriptorem lib. 8. *Æneid.* ℣. 97. hæc, quæ disseruimus, demonstrasse, ubi Æneam occinit ad Evandrum accessisse:

Roma prima · *Secunda.* · *Tertia.* · *Ante Urbem locus habitatus.*

Sol medium cæli conscenderat igneus orbem,
Cum muros, arcemque procul, & rara domorum
Tecta vident, quæ nunc Romana potentia cælo
Æquavit; tum res inopes Evandrus habebat.

Ad hæc nihil Pontanus, Cerda nihil ad rem, ideo ab antiquioribus facem desumo, ut lux oriatur. Distat a Tyberi Palatium; montemque vidisse Æneam, ait Servius: *Nullis obstantibus ædificiis, & Tyberi per Lupercal fluente facile Mons poterat videri Palatinus.* Erat in Palatio oppidum ab Arcadibus ædificatum ubi postea Romulus Urbem ædificavit: historiamque præfert Donatus: „ Evander Arcas fuit nepos Pallan- „ tis Regis Arcadiæ; hic cum patrem suum „ occidisset, suadente matre Nicostrata, „ quæ etiam Carmentis dicta est, quia carminibus vaticinabatur; demissa Provincia sua venit ad Italiam, & pulsis Aboriginibus tenuit loca, in quibus nunc ROMA est, ET MODICUM OPPIDUM „ FUNDAVIT IN MONTE PALATINO. Semper Romam sanguine manasse legimus; Evander parricida, Numitor fratricida, Romulus avi fratrisque interfector, si Orosius verum scribit, ut jure post tot interfectos omni ævo viros præclarissimos, imo Martyres pro Christo, Gladiatoresque Dæmonum victimas, *Civitas sanguinum* dicatur. Et tamen hunc locum elegit proinde Deus terrarum orbis verticem, & Dæmones syderum peritia, sive Angelorum revelatione, Urbis Imperium pertingentes, auspiciis, auguriis, ominibus, oraculorumque prædictionibus evulgabant: hinc notant Augustinus & Orosius *lib.* 2. corruisse Babyloniam, quando Roma surrexit, ut Imperium ab Occidente a Deo translatum in Urbe discamus: nec desunt prodigia, quæ Romæ magnitudinem demonstrent, quæ infra recensere suadet Religio.

Idque Dæmones prædicunt. · *Surrexit Roma cum primum Babylon cecidit.*

CAP. XXXIII.

Romulus a tauro, fulmine, ac aquilis omen Regni excipit; deinde per ignem, expiatis incolis, signat mœnia; Fossam & Pomerium numinibus dicata sacrat.

Post festum excipiunt omina.

CCCCXII. UT primum Palis venerandum in sylvis festum pastoribus illuxit, Romulus Gabiorum ritu, Hetruscorum disciplina Sacerdos, Remusque sacris initiatus, numinum vota persolvunt, & omnia superstitiosissimo religionis cultu deprehendunt; tantam sollicitudinem enarrat Dionysius Halicarn. lib. 1. *Rom. Antiquit.* Προειπὼν ὁ Ῥωμύλος ἐν ᾗ τοὺς θεοὺς ἀρεσάμενος ἔμελλε τὴν ἀρχὴν τῶν ἔργων ποιήσασθαι, παρασκευασάμενός τε ὅσα εἰς θυσίας καὶ ὑποδοχὰς τοῦ λεὼ χρησίμως ἕξειν ἔμελλεν, ὡς ἧκεν ὁ συγκείμενος, χρόνος αὐτός τε προθύσας τοῖς θεοῖς, καὶ τοὺς ἄλλους κελεύσας κατὰ δύναμιν τὸ αὐτὸ δρᾷν. *Romulus in dicta die, qua placatis diis opus auspicaretur, præparatisque omnibus ad sacrificium & epulum necessariis, ubi ea dies illuxit, ipse primum sacris operatus, deinde cæteros idem pro virili facere jussit.* Hunc religionis cultum cecinit Virg. lib. 7.

Festum. *Æneid.* verſ.144. ubi epulum & ſacra, antequam Trojani Urbem ædificarent, occinit:

A

Diditur hic ſubito Trojana per agmina rumor
Adveniſſe diem, quo debita mœnia condant.
Certatim inſtaurant epulas, atque OMINE MAGNO,
Crateras læti ſtatuunt, & vina CORONANT.

Sed epulum & feſtum Romuli, antequam Romam conderet, Urbs ipſa quotannis agebat ingenti plauſu, populorumque concurſu hilari; occinitque Tibullus *lib.2.eleg.* 5. de Urbis natali:

Mos edendi in prato.

Tunc operata deo pubes diſcumbet in herba,
Arboris antiquæ qua levis umbra cadet:
Aut e veſte ſuæ tendent umbracula ſertis
Vincta, CORONATUS STABIT ET IPSE CALIX.
At ſibi quiſque dapes & feſtas exſtruet alte
Ceſpitibus menſas, ceſpitibuſque torum.

Epulones Jovi epulas indicere ſolebant.

Erat enim ſolenne epulum, Jovi fortaſſe ſacrum, cui epulones ſacerdotes ſacra epulumque indicebant. Feſtus aſſerit: *Datum eſt his nomen, quod epulas indicendi Jovi cæteriſque diis poteſtatem haberent.* Cui deo hoc epulum? ſive ignoto Urbis numini, quod in ſacris enunciari vetitum: ſive loci Genio, vel deæ, cui ruſtici ſacra ferebant; nec eo inficias, ſi quis Marti conditorum parenti a filiis dicatum contendat; ſolebant namque Jovi illud inſtituere, deinde cætera convocare numina: hunc morem offert Valerius Maximus *cap.* 1. *lib.* 2

Numina ad epulum invitata.

„ Fœminæ cum viris cubantibus ſedentes „ cœnitabant: quæ conſuetudo ex homi- „ num convictu ad divina penetravit: „ nam Jovis epulo ipſe in lectulum, Ju- „ no & Minerva in ſellas ad cœnam invi- „ tantur. In feriis Latinis Dionyſius lib. 4. *Antiquit.* Jovi epulum ſanxiſſe Tarquinium ſcribit: ipſique Epulones Triumviri primum, deinde Septem, Decemque viri a Tullio in *Oratione de Aruſpicum Reſponſis, Jovis Opt. Maximi* dicuntur Sacerdotes, ipſæque *epulæ ludorum publicorum*. Addamus Jovis munus urbem condere, ut de Didone canit Virgilius lib. 1. *Æneid.* verſ. 526.

O Regina, novam cui condere Juppiter urbem,
Juſtitiaque dedit gentes frenare ſuperbas.

Ideo Jovi epulum ſacrum fuiſſe exiſtimo: utpote pro Urbe condenda obſequium.

CCCCXIII. Sacris peractis Romulus Sacerdos auguria inter libamina poſcit, & omnia cælitus immiſſa excipit. Cumprimis taurorum omen, quod Sibylla apud Tibullum *loco* quem dedimus, & ipſe Phœbus Vates edito decantat oraculo:

Tauri ubi olim Roma?

Te quoque jam video Marti placitura ſacerdos
Ilia, Veſtales deſeruiſſe focos,
Concubituſque tuos furtim, vittaſque jacentes,
Et cupidi ad ripas arma relicta dei.
CARPITE NUNC TAURI *de ſeptem Montibus herbas,*
Dum licet. HIC MAGNÆ JAM LOCUS URBIS ERIT.

Oraculum taurorum omen offert, quod Carthagini profuit, amplitudinis olim ac belli inſigne augurium, ſurrexit ante Romam, ſi Vellejo fides, an. LXV. nec corium in tenuiſſimas partes exſectum arcem urbemque ampliſſimas dedit; fabuloſum Virgilii commentum arcano plenum lib. 1. *Æn.* verſ. 371.

B

Mercatique ſolum, facti de nomine Byrſam,
Taurino quantum poſſent circumdare tergo.

Tergus tauri diſſectum locum ſignat urbis.

Aſtu a Iarba ſolum occupaſſe Euſtathius ſcribit, concinitque Appianus Alexandrinus: variat Livius *lib.* 44. *Advenis quantum ſecto bovis tergo amplecti loci potuerit, tantum ad urbem communiendam precario datum*: ex quo tergore Servius XII. ſtadia extendiſſe ſomniat, quandoquidem prudenter Donatus inquit *omnia hæc fabuloſa eſſe*: etiam pecuniam ex corio, etſi plerique adſtruant ad loci pretium: vel fraudem exſecti ex tergore tauri: nam ſi conſideremus Portum, Theatra, Scenas, Templa, Senatum, Moles, Arcem, quæve occinit Vates, ingentia mœnia, *inveniemus tanta ac tam magna non potuiſſe niſi locis latioribus condi*, ait Donatus, *quæ comparari ſine dubio non poſſent ex unius corii utraque parte:* adde Urbis mutaſſe locum, ut ſcribit Juſtinus *lib.*18. *cap.* 5. nam in primo *caput bubalum* inventum eſt, inauſpicatum, ſatiſque laborioſum. Potius ex animi ſententia adhiberem ſuſpicanti fidem, taurum juxta oraculum (inauſpicatum namque opus apud Veteres non reperitur, imo ait Appianus *de Bello Punico, urbem Carthaginem deorum oraculo conditam*) ibi litaſſe, coriumque ob omen extendiſſe circa locum Arcis, quam *Byrſam* nuncupant, Punica Græcaque appellatione *corium* ſignificantem; etenim *acris equi caput* fuit in omine, de quo Juſtinus ait:

C

D

Carthago oraculo condita.

E

Caput equi omen belli.

„ In alium locum urbs fuit tranſlata; ibi „ quoque caput equi repertum, bellico- „ ſum potentemque populum futurum ſi- „ gnificans, urbi AUSPICATAM SE- „ DEM dedit. Silius Italicus lib. 2. *de Bello Punico* occinit,

Oſtentant caput effoſſa tellure repertum
Bellatoris equi, atque OMEN CLAMORE SALUTANT.

F

CCCCXIV. Ut redeat ad tauri omen oratio; Conſtantinus Manaſſes, Græcus Auctor, augurium cecinit, dum Urbis fundamenta Romulus ſignabat:

——ſitum deſignat hic,
Urbiſque formam mente mox delineat,
Junctis juvenco cum juvenca protinus,
Taurus quidem poſcebat ad campi ſata,
Juvenca verterat ſe ad Urbis paſcua:
His OMINATUS *Romulus* SIGNIS *erat,*

Fore, ut viri terrore clari essent foris,
Et prole fœcunda futuras fœminas,
Domusque custodes fideles & catas.

Apis bos apud Ægyptios ventura præmonstrat signis & indiciis.

Sic apud Ægyptios Apis bos Regni numen, quem Clemens Alexandrinus inter septa templorum religiosissimo cultu veneratum describit, motu tantummodo ventura præmonstrat, & juxta modum quo vescitur Hierophantæ fata divinant. De signis inquit Ammianus Marcellinus *lib. 22. cap. 14.* „ Conjecturis apertis signa rerum futurarum dicitur demonstrare, & „ adeuntes quosdam indiciis averti videtur „ obliquis, ut offerentem cibum aliquando GermanicumCæsarem aversatus por- „ tenderat paulo post eventura. Ælianus *de natura Animalium* lib. 11. cap. 10. *hunc bovem præsentire futura* scribit; nec solum motu, quo pueri subsaltant, sed colore insuper ventura monstrare, frugum ubertatem, ac Nili eluviem; Macrobius lib. 1. *Saturn.* taurum cum Sole comparat, ob cultum Ægyptiorum in Heliopoli, *vel quia in templo Apollinis taurum Bacin cognominant insignem miraculis*, in eoque templo vaticinia, toto terrarum orbe celeberrima, enarravimus in oraculo & tauro.

Colore & motu.

Taurus & Sol.

Vacca uxoris symbolum.

CCCCXV. Similiter in vacca fœcunditatem, uxoresque fideles Romulus sapiens intellexit; non enim amasium suum derelinquit, ut aliena exquirat connubia, sed flagrat dilectum taurum, quem quærit, & sequitur: Virgilius in *ecloga* 8. vers. 85.

Talis amor Daphnin, qualis cum fessa juvencum
Per nemora atque altos quærendo bucula lucos
Perdita; nec seræ meminit decedere nocti.

Quintus Calaber *lib.* 2 Diadamiam plorantem cum vacca occinit quærente taurum,

Uti vacca in montibus horrende immugit
Juvencum suum quærens, & montis ardui resonant juga.

A Hinc apud Ægyptios vacca Veneri sacra ob amorem, asseritque Ælianus lib. 10. *Hist. Anim.* cap. 27. Κώμη Αἰγυπτία Χυσαὶ τὸ ὄνομα, τελεῖ δὲ εἰς Ἑρμοπολίτην νομὸν, καὶ μικρὰ μὲν δοκεῖ, χαρίεσσα μὴν, ἐν ταύτῃ σέβουσιν Ἀφροδίτην, Οὐρανίαν αὐτὴν καλοῦντες· τιμῶσι δὲ καὶ θήλειαν βοῦν, καὶ τὴν αἰτίαν ἐοικυῖαν λέγουσιν· πεπιστεύκασιν αὐτὰς προσήκειν τῇδε τῇ δαίμονι. ποίαν γὰρ εἰς Ἀφροδίσια ἰσχυρὰν ἔχει ἐκεῖνος βοῦν θῆλυς, καὶ ὀργᾷ τοῦ ἄρρενος μᾶλλον. Ἀκούσασα γοῦν τοῦ μυκήματος, εἰς τὴν μῖξιν θερμότατα ἐξοινέμωται, καὶ ἐκπέφλεγται, καὶ οἱ ταῦτά γε B συνιδεῖν δεινοὶ, καὶ ἀπὸ τεττάκοντα σταδίων ἀκούειν ταύρου βοῦν ἐρωτικὸν σύνθημα καὶ ἀφροδίσιον μυκωμένου φασί· καὶ αὐτὴν δὲ τὴν Ἶσιν Αἰγύπτιοι βούκερων καὶ πλάττουσι καὶ γράφουσι. *In Ægypti vico Schussa nuncupato, non magno quidem, sed certe eleganti, qui in Hermopolitanam Præfecturam censetur, Venerem religiose & sanctissime colunt, quam Uraniam appellant: atque* VACCAM *ideo etiam venerantur, quia affinitatem & convenientiam cum dea ipsa habere existimetur: etenim hujuscemodi bestia tantopere ad Venerem incitata est, (& appetit eam multo magis quam mas) ut cum maris mugitum audit,* C *ad coitum vehementissime exardescat: atque adeo taurum triginta stadiis ipso mugitu amatoriam significationem, quasi tesseram Veneris dantem, exaudiat: itemque Isim bubulis cornibus Ægyptii & fingunt & pingunt.* Hæc ille. Observo inter signa Zodiaci Venerem cum Tauro, ut Macrobius scribit in primo *Saturn.* cap. 12. & in primo *Somnii Scipionis* ait: *Taurus Veneri datur*: asseritque Lucianus Samosatensis: *Apis apud Ægyptios sacra sortitus est, eique oraculum* D *dicarunt, divinationis videlicet, quam a cælesti Tauro petunt, indicium.* Hoc totum expressit vetus Nummus in Europa & Tauro, qui motu corporis portendit eventus.

Vacca Veneri sacra ob amorem veneratur.

Tauri audit mugitum vacca.

Isis in vacca.

Venus & Taurus in Zodiaco.





Ducis imago.

Habes indicium apud Veteres a Tauro & E Venere, sicut Romulus a tauro & vacca; qua de causa exstat propheticus sermo non passim omnibus notus, inquit Ælianus *Hist. Anim.* lib. 11. cap. 10. Ὅτι ἄρα ὁ Μνεύις τῶν Αἰγυπτίων βασιλεὺς ἐπενόησε ζῶον ὥστε σέβειν ἔμψυχον, εἶτα μέν τοι προείλετο ταῦρον. *Mnevin videlicet Ægyptiorum Regem, cum inquireret, quodnam potissimum animal esset colendum, cæteris omnibus taurum* F *prætulisse.* An quia fortissimi Ducis præfert imaginem? ita occinit Homerus in *Iliade* lib. 2. vers. 480.

Ἠΰτε βοῦς ἀγέληφι μέγ᾽ ἔξοχος ἔπλετο πάντων
Ταῦρος, ὁ γάρ τε βόεσσι μεταπρέπει ἀγρομένῃσι.
Taurus in armento præcellit ut omnibus unus
Dux gregis & princeps.

An quia robur præfert, & pugnat ut miles? ita in *Georg:* Virgilius. An quia vaccam init, & amat ut sponsus? ita Servius. Cætera in ipso libri vestibulo ediximus, & plura infra dicenda restant.

militis.

Sponsi.

CCCCXVI. Præter ex tauro & vacca

omen, dum Jovis, Vestæ, ac Martis implorabat fausta cælitus numina, intonuit Jupiter, & auspicia dedit ab alto: hoc totum Ovidius lib.4. *Fastorum* occinit vers. 825.

Inde premens stivam designat mœnia sulco:
Alba jugum niveo cum bove vacca tulit.
VOX FUIT *hæc Regis, Condenti Jupiter Urbem,*
Et genitor Mavors, Vestaque mater ades:
Quosque pium est adhibere deos, advertite cuncti:
Auspicibus vobis hoc mihi surgat opus;
Longa sit huic ætas, dominæque potentia terræ:
Sitque sub hac oriens, occiduusque dies.
Ille PRECABATUR: TONITRU DEDIT OMINA LÆVO
Jupiter, & lævo FULMINA *missa polo.*
AUGURIO LÆTI JACIUNT FUNDAMINA CIVES;
Et novus exiguo tempore murus erat.

Fulmen lævum bonum omen.

Omen a tonitru Romulo dedit Jupiter, fulmenque lævum fausta numinum auspicia firmavit; enimvero dum orat Anchises, & portat Penates novam conditurus Urbem, inquit Virgilius lib.2. *Æneid.* vers. 691. firmasse ab alto numen auspicia:

Da deinde auxilium pater, atque hæc OMINA FIRMA.
Vix ea fatus erat senior; subitoque fragore
INTONUIT LÆVUM.

Lævum augurium fatale & auspicatum.

Sinistrum namque apud Festum Pompejum accipitur pro salutari & prospero; unde Ennius majorum disciplina vir consultissimus,

Contonuit lævum bona tempestate serena.

Statius lib.3. *Theb.* occinit,

Signa feras, lævusque tones.

Maximus Vatum Virgilius lib.9. *Æneid.* vers. 630.

Audiit & cæli genitor de parte serena
INTONUIT LÆVUM.

Et *lib.* 7. vers. 141. clara omina felicitatis personat,

Hic pater omnipotens ter cælo clarus ab alto
Intonuit.

Causa cur sinistra auguria sunt prospera.

Cur vero lævum felicissimum vetus Romanorum religio statuit: divinat cumprimis ex Plinio Donatus, ubi ait: *Fulmina læva prospera, quia sacrificantis, vel precantis latus lævum dextrum est ejus, qui postulata largitur:* asseritque Tullius in secundo *de Divinatione: Fulmen omnibus rebus optimum auspicium habemus si sinistrum fuerit:* aliam causam Varro perhibet, ad sinistram videlicet partes Mundi *orientes* esse, ad dexteram *occidentes*; ideo felix faustumque a læva omen, dirum ab Oc-

A casu; in Ortu natura namque floret, occiditque malis horrentibus undique signis. Addamus a læva cor, a quo vitæ initium, ac Dei imago & sedes, ut ex Trismegisto & Plotino Chalcidius Philosophus Platonicus probat. Nec male ad rem Psaltes Regius Deum alloquitur: *Cadent a latere tuo mille, decem millia a dextris tuis.* Rationem reddit Agellius Episcopus ex Theodoreto, quia præstantiora, quæ a sinistris, fortiora sunt & admirabiliora: fortasse sicut Joseph cancellavit manus suas, & a læva nepos dexteram obtinuit, ita & Deus dum B a sinistris fulminat meliora mortalibus infert. Tandem Servius *in lib.2. Æneidos* inquit: *Sinistrum est prosperum, quia cæleste, quantum ad auguria pertinet, est a sinendo dictum, quod nos agere aliquid sinat;* ratio & etymum simul frigent, ut sæpe Grammaticorum ferula, quæ a Sole sapientiæ inauspicata torpet.

CCCCXVII. Sed ut fulmen sit omine faustum, plura genera recensent ex Varrone Plinius & Seneca; Labeo quoque & Verrius antiquitatis viri consultissimi; affirmat proinde Varro durare fulminum auC spicia, totius vitæ tempore, perpetuumque servare omen, inquit enim: „Perpetuorum fulminum significatio in totam „vitam pertinet, nec unam rem id enuntiat, sed contextum rerum per omnem „ætatem: hæc sunt fulmina, quæ primo „accepto patrimonio, & in NOVO HO- „MINIS ET URBIS STATU fiunt; rationem non refert, sed apud Veteres observatum, quod in sacris habebant, ratum firmumque suadebat religio, videlicet Æneæ lævum intonuit; aliisque Ro- D muli majoribus, ominosum ideo sinistrum fulmen & faustum: *Familiaria fulmina in totam vitam fatidica vocant,* inquit Plinius *lib.2. cap.* 52. *quæ prima fiunt familiam suam cuique indepto:* primordia curant cælites, & significant omine sive dextero, sive sinistro faustum, nefastumque auspicium, ut sciant homines, quæ sunt numinum vota, & fata unusquisque sequatur. Sed quomodo durent, velitatio non inutilis, neque futilis adhuc pendet; An sicut stellarum influxus in ortu hominum & urbium, ita & fulmen? sed ille E natum inficit, hoc tantum significat; ergo in fulmine decreta numinis Veteres habebant, quæ jugi observatione tempus denotasse credebant, docetque Plinius *loco cit.* „Existimant non ultra decem annos „portendere privata, præterquam aut ma- „trimonio primo facta, aut natali die: „publica non ultra trigesimum annum „præterquam in deductione OPPIDO- „RUM. Asseritque Seneca in *Quæstionibus Nat.* lib.2. quem vide. Igitur in Roma perpetuum omen.

Auguria quarto tempore durant.

Ratio cur durent.

F CCCCXVIII. Sed firmitatem ominis non uno tantum credebant auspicio, ideo plura exquirebant ab alto: uti Servius & Donatus *in 2. Æneidos* docent: adest numen, & post tauri & fulminis addidit aliud aquilarum, omnium fortasse maximum, de quo Dionysius lib. 1. *Antiquit.* ait: Ὡ'ς ἧκεν ὁ συγκείμενος χρόνος, αὐτός τε προθύσας τοῖς θεοῖς.... ὄρνιθας μὲν πρῶτον αἐτὰς λαμβάνει. *Ubi ea dies illuxit, ipse primum sacris operatus* .... AQUILA-

Aquilarum auguria.

RUM *ante omnes usus est auspicio ;* quod auspicium Jovi olim faustum fortunatumque Veteres crediderunt ; ac refert Aglaosthenes, in clade adversus Gigantes aquilam vidisse victoriæ signum, asseritque ex eo Germanicus Cæsar *in Phænomena Arati :* „ Jovem in aquilam transfi-„ guratum, Naxiam Regionem, ubi nu-„ tritus fuerat, petiisse, & Regnum acce-„ pisse : egresso vero de Naxo, cum ad-„ versus Titanas proficisceretur, & sacri-„ ficium faceret, AQUILAM EI IN „ AUSPICIO apparuisse, quo * bono o-„ mine acceptam suæ tutelæ subjecisse. Hyginus etiam *Astron.* lib. 2. scribit apparuisse *sacrificanti Jovi* AQUILAM *auspicatam, quo auspicio usum esse, & eam inter astra collocasse ;* Lactantius Firmianus *lib.* 1. *cap.* 11. id ipsum refert, dicens : *Aquilam Jovi in auspicium advolasse, quam victor bono omine acceptam tutelæ suæ subjugavit ;* remansit apud posteros superstitiosissimo religionis cultu in sacris aquila, ut Imperii felix auspicium ; & Romani aquilam gestabant adversus hostes, tamquam Imperii terrarum orbis insigne, a qua & auspicia captabant Legiones, ductoresque militum : imo aquila ipsa Principibus Imperium portendebat ; quod plerique scribunt, ut Vopiscus *Aureliano ;* Capitolinus *Gordiano ;* Suetonius *Tiberio ;* Plutarchus *Alexandro ;* Justinus *Hieroni :* unde Tacitus lib. 2. cap. 17. *Annalium* in ancipiti certamine bellique eventu aquilas ostendisse victoriam perhibet : „ In-„ terea pulcherrimum augurium OCTO „ AQUILÆ petere sylvas, & intrare vi-„ sæ Imperatorem advertere, exclamat, „ IRENT, SEQUERENTUR RO-„ MANAS AVES, propria LEGIO-„ NUM NUMINA : simul pedestris acies „ infertur, & præmissus eques postremos „ ac latera impulit ; mirumque dictu, duo „ hostium agmina diversa fuga, qui syl-„ vam tenuerant in aperta, qui campis ad-„ stiterant in sylvam ruebant. Hæc ille de Vespasiano : & Dio *lib.* 43. belli civilis auguria enarrat : „ Aquilæ legionum ejus „ alas concutientes, & fulmina, quæ non-„ nullæ earum aurea pedibus tenent, abji-„ cientes, Pompejo exitium palam denun-„ ciabant, ipsæque ad Cæsarem quasi avo-„ labant : hinc Petronius,

Aquila Jovis.

Imperium portendit.

—— de cœlo Delphicus ales
Omnia læta dedit, pepulitque mentibus †
auras.

Sidonius Apollinaris in *Panegyrico*, Anthemio Augusto dicto,

Multos cinxerunt Aquilæ, subitumque per Orbem
Lusit ventura famulatrix penna CORONAS.

Ejus pulli prænuntiant Regnum.

Appianus Alexandrinus lib. 2. *Bellorum Civilium* inquit : *Mario puero fuerunt in usum septem aquilæ pullos defluxisse, & aruspices dixisse, eum septies ad magistratum evehendum ;* Albino etiam, septima postquam natus est hora, cum inter convivium de ejus nomine loquerentur, septem aquilæ parvæ

* Alii leg. *quam.* † Rep. *meatibus.*

A de nidis oblatæ sunt, inquit Pierius *lib.* 19. Et quamvis Plutarchus augurium deludat, ea ductus ratione, qua fertur aquilam duos pullos excludere, vel, ut Musæus, tres, tamen dum excedit, portentum est, juxta Varronis doctrinam, quo Magistratum portendere compertum est. Sed unde habuit aquila, ut sit fatidica ? Respondet Varro, illam suæ tutelæ Jovem dicasse, quod Pherecydes antea scripsit ; Physicam vero rationem perquirentes, non absurde reor, animal hoc solare, a Sole ventura portendere præ cunctis habuisse : etenim a Sole
B Aratus, Seneca, Anaxagoras, & alii plerique prognostica occinunt, utpote ab illo, qui cælorum orbes implet & regit ; Solem namque intuetur, & circa Solis orbem suam probat generosam sobolem : Veteres donum hoc a Jove Orbis rectore habuisse scribunt, a quo oracula cuncta pendent : etenim Virgilius, qui teste Macrobio rerum divinarum arcana novit, ubi oraculum & augurium Æneæ de Urbe condenda occinit, Venerem canit rogantem Jovem, deinde ab illo auspicia & oraculum ;
C ideo apud Pindarum vides aquilam *in sceptro Jovis* præfigi solitam. Sunt tamen qui Thebanorum disciplinam secuti, aquilam Reginam avium putent, quo hieroglyphico Imperium numina denotent : aquilæ enim Rex deorum Jupiter *Regnum permisit in aves vagas*, inquit Horatius ; quinetiam, ait Pierius, invenies homines eo naso præditos, cujusmodi aquilæ rostrum est, pro Regiis æstimari solitos : quod Plato tradit, & Plutarchus receptum asseruit ; attamen si a fronte curvari incipit, Aristoteles, ex corvi figura, impudentis animi signum hoc
D ponit ; qui circa medium intumescit, & in unci speciem exit, magnanimitatis præfert indicium ; & ejusmodi fuisse Cyrum historiarum Scriptores tradunt, similiter Augustorum quamplures : proinde milites cum Pyrrhum aquilam nuncuparent, Regem potentissimum, reique bellicæ peritissimum : *Per vos*, inquit, *aquila sum, qui vestris armis veluti pennis sublevor.*

Aquila fatidica.

Nasus aquilinus magnanimitatis & Imperii signum.

CCCCXIX Hinc Romulus aquilarum augurio Regnum auspicatur, Urbisque, quam moliebatur, Imperium terrarum orbis ingenti omine excipit ; hæc refert lib. 1.
E *Antiquit.* Dionysius Halicarnasseus dicens : *Aquilarum ante omnes usus est auspicio : mox* PIACULI *causa jussit* PER FLAMMAS SALIRE POPULUM. *Piaculum*, inquit Isidorus *lib.* 5. *cap.* 26. *dictum quod expiari potest.* Hinc apud Nonium Marcellum, *piare dicitur, impiare, contaminare :* Virgilius lib. 6. *Æneidos* vers. 569.

Quid sit piaculum.

Distulit in seram commissa piacula mortem.

F Quandoquidem sumitur pro *expiare*, & *purefacere :* Virgilius *ibid.* vers. 153.

Duc nigras pecudes : ea prima piacula sunto.

Similiter *piare* est condere ac consecrare. Virgilius *lib. cit.* vers. 379.

Prodigiis acti cælestibus ossa piabunt.

Fiebat per sacerdotem, sive per sagam, asseruitque Festus : „ Piatrix dicebatur sa-„ cerdos, quæ expiare erat solita, quam

A „quidam simulatricem, alii sagam, alii „expiatricem vocant: & piamenta etiam „dicebantur, quibus in expiando utitur. Erat Romæ Piacularis Porta, ut ait Cluentius, ubi *ex sacro facto per aliquem piaculo solvitur; cum alicujus piandi propitiandique causa immolatur*: Paulus ex Festo ea vocat *piacula*: differunt a piacularibus auspiciis, quæ sacrificantibus tristitia portendebant, cum aut hostia ab ara profugisset, aut percussa mugitum dedisset, aut in aliam partem corporis, quam oporteret, decidisset; hoc est apud Veteres *piaculare sacrum*, vel ut Ammianus scribit *ominosum*; suis partibus omnino non constans. Ritus expiandi offert Virgilius in Didone lib. 4. *Æneid.* vers. 634.

Piacularia.

B

Annam chara mihi nutrix huc siste sororem,
Dic corpus properet fluviali spargere lympha,
Et pecudes secum, & monstrata PIACULA *ducat.*
Sic veniat: tuque ipsa pia tege tempora vitta;
Sacra Jovi Stygio, quæ rite incepta paravi,
Perficere est animus, finemque imponere curis,
Dardaniique rogum capitis permittere flammæ.

Didonis piacula magica.

C

Sic Dido ad Barcen Sichæi nutricem, quam secum duxerat, postquam in Tyro sua obierat, rogum parat, & fluvialem aquam, pecudesque nigras Plutoni sacras: vocat in hoc carmine Servius piacula *Purgationes, alias Sacrilegia*: Ascensius: *Purtamina*, aut Purgamina*, quæ a Maga didicerat, occinitque Vates lib. 4. *Æn.* vers. 504.

D

At Regina pyra penetrali in sede sub auras
Erecta ingenti tædis, atque ilice secta,
Intenditque locum sertis, & fronde CORONAT
Funerea: super exuvias, ensemque relictum,
EFFIGIEMQUE *toro locat, haud ignara futuri:*
Stant aræ circum, & crines effusa sacerdos
Ter centum tonat ore deos, Erebumque Chaosque,
Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ:
Sparserat & latices simulatos fontis Averni;
Falcibus & messæ ad Lunam quæruntur ahenis
Pubentes herbæ nigri cum lacte veneni,
Quæritur & nascentis equi de fronte revulsus,
Et matri præreptus amor.
Ipsa mola, manibusque piis altaria juxta
Unum exuta pedem vinclis in veste recincta
Testatur moritura deos, & conscia fati Sidera.

In rogo effigies Æneæ.

E

Saga sacerdos.

F

Hoc fuit piaculum, sacerdos vero expiatrix, ut ex Festo diximus, ad levandas Didonis curas sacrum curavit, facinusque expiatione luit; fuit vere illud piaculum, an fictum ad illudendam Annam sororem, sunt qui hærent; affirmant plerique cum Servio, licet Vates *simulatos latices Averni* occinit: etenim *in Sacris quæ exhiberi non poterant*, ait Servius, *simulabantur, & erant pro veris*. Negant alii, fallaces mulierum genios agnoscentes, ut decipiant, præcipue dum æstuant odio, & amore flagrant.

* Forte, *purgamenta*.

CCCCXX. Romulus hinc fertur Magiæ compos; suaque scelera & reorum, qui ad Asylum confugerant, piacula igne purgat, aris circumpositis, sacrisque e more peractis, expiationes proponit, ut in opere condendæ urbis purgati manus admoveant; & dii propitii sint; unde Ovidius lib. 4. *Fastorum* vers. 781. ubi quærit originem expiationis per ignem, canit primo ritum modumque:

Romulus Magus.

—— per ardentes stipulæ crepitantis acervos
Trajicias celeri strenua membra pede.
Expositus mos est; moris mihi restat origo.
Turba facit dubium, cœptaque nostra tenet:
Omnia purgat edax ignis, vitiumque metalli
Excoquit, idcirco CUM DUCE PURGAT OVES.

Quærit proinde, an quia ignem & undam junxere Patres? An quia Phaethontis perstat in aqua ignis memoria? An quia ex saxis pastores ignem eduxerunt Pali deæ sacrum? An vero quia cessit Æneæ ignis, & iter ostendit? hæc Veteres recensebant: sed Ovidius sententiam profert *ibid.* vers. 801.

Mos expiandi per ignem.

Hoc tamen est vero propius; cum condita Roma est,
Transferri jussos in nova tecta Lares?
Mutantesque domum tectis agrestibus ignem,
Et cessaturæ suppofuisse casæ:
Per flammas saliisse pecus, saliisse COLONOS
Quod fit Natali nunc quoque, Roma, tuo:
Ipse locum Vati casus facit; Urbis origo
Venit: ades factis, magne Quirine, tuis.

Super flammas saltabant Veteres.

Tibullus, ubi Urbis originem canit, meminit ignis *lib.* 2. *el.* 5.

Ille levis stipulæ solenneis potus acervos
Accendet, flammas transilietque sacras.

Dum saltant, cinerem e faba ac vitula sumunt, postea transiliunt ter in ordine flammas, ac puro latice loti expiantur; cecinitque morem Ovidius lib. 4. *Fastorum* vers. 725.

Ritus expiationis cum cinere fabæ & vitulæ.

Certe ego de vitulo cinerem, stipulamque fabalem
Sæpe tuli plena februa tosta manu:
Certe ego transilii positas ter in ordine flammas,
Udaque rorales laurea misit aquas.

Ignis erat e stipula, observabatque eleganter Propertius *lib.* 4. *el.* 1.

Annuaque accenso celebrare Parilia fœno.

Persius vero ait, *fumosa Parilia fœno*: ad quæ Lilius ait: ovilia, & oves, & pecudes purgabantur fumo ex sulphure, rosmarinumque, ac herbam Sabinam, & laurum cremabant. Addamus circa numen observationem scitu dignam: Palilia, inquit Varro, dicta a Pale: scribit Servius Palen ab aliis *Vestam*, ab aliis *Matrem deum* existimatam: itemque genere fœminino appellari, ab aliis masculino; ab hac dea, quæ inter Penates ab Arnobio recensetur, *Palilia*, quæ & litteræ mutatione *Parilia* vocata fuere.

Vesta

CCCCXXI. His rite e more peractis grande opus aggreditur, & Urbem designat: „Satis deinde propitia ratus nomina, inquit Dionysius Halicarnasseus, „convocatis in destinatum locum omnibus, „circumscripsit Collem figura quadrangula, continentem sulcum aratro ducentibus sub idem jugum junctis bobus mare „atque fœmina, in quo fundanda erant „mœnia: unde Romanis hic mos circum„arandi loca durat in condendis Urbibus. „Hoc exacto & bubus mactatis ambobus „una cum multis aliis victimis operi populum adhibuit: quem diem si ullus alius „Romana Civitas, nostro quoque tempo„re, singulis annis festum celebrat, vocar„que Palilia. Nonnulla reliquit superstitiosa equidem, sed opportuna historiæ Dionysius, ideo audiendus Plutarchus, qui in *Romulo* ait: „Accivit Etruscos, qui velut „in mysteriis, ut quidque faciundum erat, „cæremoniis quibusdam & scriptis præ„scripserunt, docueruntque; Comitio fos„sa est rotunda circumducta; in eam pri„mitias detulerunt omnium, quæ de mo„re ut bonis, natura utebantur, ut neces„sariis. Postremo ex qua quisque advene„rat Regione ejus terræ portiunculam col„latam, eo conjecerunt, & commiscue„runt. FOSSAM hanc eodem, quo CÆ„LUM nomine vocaverunt MUNDUM: „hinc Urbe sicut circulo centrum circum„scripsere: conditor aratro æreum vome„rem adjungit, junctisque bobus mare & „fœmina ipse circum lineamenta profun„dum inducit sulcum: sequentium munus „est, ut excitatas ab aratro glebas intro„vertant, nec ullam sinant extra ferri, ita „mœnia linea definiunt, idque elisis ali„quot litteris POMERIUM dicitur, quasi „post, vel pone mœnia: ubi PORTAM „designare visum est, vomere exemto, „atque aratro sublato, spacium relin„quunt; unde totum habent murum, præ„ter Portas, SACRUM: nec eas si duce„rent sacras, religiosum esset necessaria & „impura in Urbem recipere, & exportare. Hæc Plutarchus; cujus verba tamquam commentariis expendere Eruditorum gratia licet, ut hinc antiquitatis monumenta elicere possimus.

Urbis descriptio superstitiosa.

Pomerium sacrum.

Comitium.

CCCCXXII. Et ut a *Comitio* incipiamus, Varro lib. 4. *L. L.* sic dictum putat a *simul coeundo*: sed hoc potius spectat ad Comitium, in quo Equites & Populus Romanus conveniebant diebus comitialibus, Reique publicæ negotia pertractabant, & a *simul veniendo* dictus, inquit Festus; & Plinius eo in loco statuam Horatii positam refert, Pythagoræ insuper, & Alcibiadis, ac Hermodori Ephesii, legum,

Statuæ in eo virorum illustrium.

A quas Decemviri scribebant, Interpretis: sed FOSSAM comitium dixit, quam Livius *Quiritium* appellat; Ovidius lib.4. *Fastorum* vers.821.

Fossa fit ad solidum: FRUGES *jaciuntur in ima*,
Et de vicino terra petita solo.

Hoc est, portiunculam terræ suæ unde venerat unumquemque conjecisse ac commiscuisse, ut ex pluribus una esset Patria,
B Urbs una; hanc *Fossam* vocaverunt *Cœlum*, ac *Mundum* communiter Scriptores *Olympum*: ita Fabius Pictor Scriptor consultissimus *lib.2.* inquit: *Adscito ex Hetruria Vate atque Sacerdote Olympum fecit, Pomeriumque sacravit, & aratro ab Olympo in Vico Thusco per Palatium circumducens ab imo Collis ad verticem* QUADRATAM *Urbem signavit*. Convenit, & idem nomen fossæ perhibet; enimvero Varro lib.6. *Linguæ Latinæ* ait: *Cælum dicunt Græci Olympum*: quod teste Xenophonte in *Æquivocis* est *omne circulare*: nec discrepat a Mun-
C do, quia Macrobius lib.1. cap.20. *Somnii Scipionis* scribit: *Cælum vere Mundus vocatur*; nomenque confert fossæ novæ Urbis, quia teste Varrone lib.4. *L. L. Circumagebant sulcum: hoc faciebant Religionis causa die auspicato, ut fossa & muro essent munita: terram unde excluserant, fossam vocabant, introrsum factum murum: quodque postea fiebat orbis & urbis principium*. Hinc fossa sacra, ut canit Ovidius *loco cit.* ℣.823.

Fossa Urbis.

Olympus.

Fossa repletur humo, plenæque imponitur ara,
D *Et novus accenso funditur igne focus*:
Inde premens stivam designat mœnia sulco;
Alba jugum niveo cum bove vacca tulit.

Igitur fossa ex ritu prima occurrit, quæ excavata impletur denuo sacrorum primitiis, quæ in ea occultantur, sicut & ara, & alia circa Urbis loca numinum sacra: hinc fortasse Mundus, ut ait Capito Atejus lib.6. *Pontificalium*, afferitque Festus Pompejus: *Ter in anno patere solet, postridie Volcanalia, & ante diem sextum Idus Novembris*: addit Paulus ex Festo, *& an-*
E *te diem tertium Nonas Octobris*: & Cato in *Commentariis Juris Civilis* inquit: *Mundo nomen impositum ab eo mundo, qui supra nos est: ejus inferiorem partem clausam omni tempore nisi his diebus, qui supra scripti sunt: quos dies etiam religiosos judicaverunt*; quæve occulta & abdita iis manibus dicata erant.

Mundus in sacris non patet nisi ter in anno.

CCCCXXIII. Fit fossa, in qua unusquisque partem aliquam suæ terræ nativitatis, primitiasque reponit, miscetque, ut ex pluribus religione ac voluntate com-
F mixtis unum cresceret Regni corpus; aliam cæremoniam effingit Constantinus Manasses in *Annalibus*, quos Morellus e Græco conversos edidit:

Romulus postea arrepto LUTO *hoc extrinsecus*
Projicit intra Civitatem, ut cresceret
Respublica orans ab alienis commodis*.

Lutum erat commixtum ex pluribus terrarum partibus, quas attulerant confu-

Lutum superstitiosum.

* Forte, *ovans*.

gien-

gientes ad Asylum, de quo partem abdidit diis inferis sacram, partem projecit intra Civitatem, ut cresceret. An est in luto aliquod Magiæ commentum? Nonnulli *lutum* herbam projecisse putant: alii lutum a Magis quæsitum ad amorem ac necem: non enim unius sors felix augetur, nisi rivalis fortuna pereat; sic Urbs crevit, reliquis terrarum in Orbe ruentibus, omniumque ruinæ unius Imperium Urbis ædificarunt; hæc Magorum massa, teste Juvenale, *fervet adipata veneno*: solet namque non semel, ut cum Horatio scribam *Epod.* od. 17.

A Magis exquisitum in sepulchris.

> — *in sepulchris pauperum prudens anus*
> *Novendiales dissipare pulveres.*

Herbas commiscet, & carmine Erebum evocat; occinitque lib. 2. vers. 129. *Georg.* Virgilius, *herbas & non innoxia verba*: has herbas ex primitiis habuit, quales, ignoro: de Medea canit Seneca vers. 731.

> *Mortifera carpit gramina, ac serpentium*
> *Saniem exprimit; miscetque & obscœnas aves,*
> *Mœstique cor bubonis, & raucæ strigis*
> *Exsecta vivæ viscera.*

Plura enumerat Lucanus lib. 6. *Pharsaliæ*, quæ ad rem non faciunt, nisi Magum dicamus Romulum, ac perdita sagarum disciplina præditum: quod scio, hoc unum profiteor, Festum Pompejum scribere: *Quadrata Roma in Palatio ante templum Apollinis dicitur locus, ubi reposita sunt quæ solent* BONI OMINIS *gratia in Urbe condenda adhiberi*. Ista quænam sint, fateor usque modo non percepisse: spero nihilominus ab Eruditis, sive Scriptoribus petere & invenire.

Æs excantatum in sacris.

CCCCXXIV. Vomere æneo Romulus arator signat Urbem; non quia ferrum in usu apud Albanos non fuisset, sed superstitioso quodam Etruscorum ritu: enimvero æs Magis sacrum, & ferrum non semel abhorrent; nam Marcus apud Psellum ferro Dæmonas constrinxit, suoque devinxit Imperio; Maga, quæ Samuelem excitavit, si Rab. Selomoni fides, Saulum sine gladio in cubiculum admisit; & Æneas cum ramo aureo Tartara petiit. Cæterum *falces æneæ* apud Sophoclem, *cœti ænei*, *cultrique ænei* prostant; ad Romuli superstitionem Carminii curiosissimi & docti viri verba faciunt, quæ refert Macrobius l. 5. *Saturn.* c. 19. *Tuscos æneo vomere uti, cum conderentur Urbes, solitos in trajectitiis eorum sacris invenio.* Hæc ille in lib. 2. *de Italia*: quo de more & ære supra, ubi de Urbis nomine, satis diximus. An æs sonitus evocat Manes, expellitque ne noceant? *Græcorum vetustissimi*, inquit *ibid.* Macrobius, *æris sonos tanquam rem validissimam adhibere soliti sunt*. Aphrodisæus libro secundo *probl.* 43. æris sonitu *malos infectosque spiritus repelli posse & coerceri* scribit; Ovidius lib. 5. *Fastorum* vers. 441.

Pulsatum Manes exire compellit.

> *Rursus aquam tangit, Temesæaque concrepat æra,*
> *Et rogat ut tectis exeat umbra suis.*

A CCCCXXV. Locum proinde exquiro unde cœpit sulcus, & circulus, quem perfecit; indigitat Fabius Pictor *lib.* 2. *Herculis ara ubi Olympus, & initium* SACRI ARATRI; sacrum dicit aratrum, quia æneo vomere terram proscindebat, & æs ad Magiæ cultum, Etrusca disciplina, carminibus quibusdam excantatum præstabat, ut alibi diximus multorum consensu; Tacitus lib. 12. *Annalium* cap. 24. *a Foro Boario sulcum designandi oppidi cœptum* offert; P. Victor signat *Forum Boarium* in Regione VIII. ibique insuper

Urbis signatæ principium.

B Onuphrius *æreum tauri simulacrum* refert, a quo fortasse Fori nomen apud Veteres; perhibetque Marlianus *lib.* 4. *Forum Boarium nomen obtinuisse, aliqui volunt, ab æreo tauri simulacro ibi statuto, ubi Romulus sulcum Urbis condendæ designare cœpit*; variat Blondus in *Romæ triumphantis* lib. 1. aitque: „ Hercules cum Evandrum Caci timore liberasset, ob memoriam vaccarum quas eo mactato ceperat, bovem æneam in Foro obtinuit, quod inde BOARIUM appellarunt: fuitque ad id

C „Forum ab ipso deo templum ædificatum, „ ARA MAXIMA appellatum, eo in loco, vel prope contiguo, ubi Ecclesiam „ Sancti Georgii ad Velabrum esse videmus. Hactenus ille; sed Marlianus alia refert Scriptorum oracula; nam Plinius ait *lib.* 34. *cap.* 2. *Proxima laus* (*æris*) *Æginetico fuit. Insula & ipsa, nec æs gignens, sed officinarum temperatura nobilitat: bos æreus inde captus in Foro Boario est Romæ*; a quo plerique Foro inditum credidere nomen: alii cum Festo & Varrone, quod ibi boves venundarentur; a tauro immo-

Forum Boarium a quo dictum?

D lato ab Hercule Caci victore Ovidius nomen auspicatur in *Fastis**.

> *Pontibus & magno juncta est celeberrima Circo*
> *Area, quæ posito de bove nomen habet.*
> *Immolat ex illis taurum tibi Jupiter unum*
> *Victor: & Evandrum ruricolasque vocat.*

Ibi etiam ara maxima, in qua Herculis

E statua, teste Fulvio, inventa fuit; nam Tacitus sulcum inde ait deduxisse, ut Herculis ara lectaretur: *Inde certis spatiis interjecti lapides per ima Montis Palatini ad aram Consi; mox Curias veteres, tum ad sacellum Larium, Forumque Romanum*; ita processit sulcus, orbeque circumducto, signavit postea mœnia Romæ quadratæ: ritus vero ac cæremonias, quibus Plutarchus meminit, exprimit Zonaras in parte secunda *Annalium*: „ Romulus tauro vaccæ juncto, æreoque vomere aratro in-

Romulus aratro Urbem signat.

F „ serto, ipse sulcum profundum in orbem „ terræ impressit; qui sequebantur, glebas „ ab aratro eversas omnes intra sulcum reposuerunt: nam OMNEM MURUM „ SANCTUM censent; si vero portas etiam sanctas censerent, non utiq; res necessarias & immundas per eas, vel inferre, „ vel efferre liceret. Hæc ille. Murorum

* Lib. 1. vers. 579. ubi vide; aliter enim leguntur duo primi versus.

ſanctitatem occinit. Ovidius lib. 4. *Faſtorum* verſ. 839. pœnamque tranſgreſſoribus ab initio decantatam:

> *Neve quis aut muros, aut factam vomere foſſam*
> *Tranſeat, audentem talia dede neci.*

Portæ novæ Urbis tres. De Portarum numero in ipſo libri principio diſſeruimus; tres fuiſſe plerique cenſent, *Romanam, Carmentalem, Pandanam*: quartam ſunt qui addant apud Plinium; primam prope Titi Amphitheatrum tradit Feſtus Pompejus in infimo Clivo Victoriæ: *Carmentalem* dictam a matre Evandri, ſitam ſub Capitolio, inter ſaxum Tarpejum & Tyberim, verſus Circum Flaminium: ſed alii negant hunc Portæ ſitum, quia a Tatio Capitolium munitum legimus, Romulus vero in prima Urbis inſtitutione Palatium in Urbem redegit: Onuphrius prudenter hanc quartam Plinii fuiſſe conjectat, quæ regnante adhuc Romulo a Tatio aperta fuit: de ea Virgilius lib. 8. *Æn.* verſ. 338.

> *Et Carmentalem Romano nomine Portam.*

Porta Carmentalis infauſta. Ovidius in *Faſtis* ob Fabiorum necem ominoſam hanc occinit lib. 2. verſ. 201.

> *Carmentis Portæ dextro eſt via proxima Jano;*
> *Ire per hanc noli, quiſquis es; omen habet.*
> *Illa fama refert Fabios exiſſe trecentos;*
> *Porta vacat culpa; ſed tamen omen habet.*

Pandana. *Pandanam* olim dixere Saturniam, aſſeritque ex Junio Terentius Varro: *Saturnia Porta, quam nunc vocant Pandanam*: erat in Velabro ſita, ſic appellata, ut ſcribit Feſtus Pompejus, quia ſemper pateret: tres iſtas recenſet Marlianus, quartam vero, ſi Plinio *lib.* 3. *cap.* 5. placet, *Porta Janualis a Jano.* *Janualem* offert, a Jano, qui Tatium immiſſa aquarum illuvie repulit, nuncupatam; prodigium narrat Macrobius in *Saturnalibus*, poſt raptas Sabinarum puellas, & Ovidius in primo *Faſtorum*: at Onuphrius ex Varrone *Mucionis Portam*, *Romanulam*, & *Janualem* deſcribit: hanc clauſit Numa Pompilius, ut ſcribit in *Annalibus* L. Piſo, nec patet niſi belli tempore; eſt in ea ſignum Jani; & Livio *Porta vetus Palatii* appellatur. Diſcrepant ſimiliter Fulvius & Varanus, Recentioreſque hunc vel illum ſequuntur, tanquam cæcutientes ad umbram divinant: quod puto ex animi ſententia perhibeo, Portarum nomina, ſicut & loca ab antiquitate conſumta, Scriptoribus nequaquam innotuiſſe; ſed circa illarum veſtigia vetuſtatis aliquod monumentum depromere, quod potius undique indiciis multiplicatis veſtigia obruat, & monumenta confundat: etenim Feſtus Pompejus, Varro, Lucius Piſo, Plutarchus, & Livius indicant Portarum ſitum, & quam ſæpe nomina, quæ ſi cuncta redigerentur in una Urbe, ſuper quatuor & decem fuiſſent Portæ. Scribunt tamen juxta rationem temporum, quibus crevit Urbs; & mutata antiquitatis forma, ſitus, magnitudo, viarumque commeatus novis indigebant Portis, demolitis fortaſſe primis.

CCCCXXVI. Quod obſervo, Portas aperuiſſe, ut per illas ingrederentur, quæve ad uſum hominum, etiam mali ominis & polluta, ut Zonaras & Plutarchus ſcribunt; muri namque ſacri erant & ſancti: *Muri Urbis ſacri.* Trebatius lib. 10. *Religionum* refert: *Sanctum interdum idem quod ſacrum, idemque quod religioſum*: Macrobius lib. 3. *Saturn.* cap. 3. ex Virgilio variat, & ſanctum veluti incorruptum vocat, *unde & ſanctæ leges, quæ non debent pœnæ ſanctione corrumpi*: at Opilius Aurelius apud Feſtum Pompejum *ſanctum* dici teſtatur, quod nec ſacrum, nec religioſum; Ælius vero *De ſacro, & ſancto.* utrumque eſſe fatetur; probatque ex eo quod *ei qui id violavit pœna ſit, mulctave ſancita*; ſed olim ſacrum, quod a Magiſtratu & Pontificibus conſecratum erat; aſſeritque Gallus Ælius: *Sacrum eſſe quocumque modo atque inſtituto civitatis conſecratum ſit, ſive ædes, ſive ara, ſive ſignum, ſive locus, quod diis dedicatum atque conſecratum ſit*; addit Trebatius lib. 1. *de Religionibus*: *Sacrum eſt quicquid eſt, quod deorum habetur*. Gallus vero ſequitur, quod autem privati ſuæ religionis cauſa aliquid earum rerum deo dicent, id Pontifices Romani non exiſtimare ſacrum; at ſi quæ ſacra privata ſuſcepta ſunt, quæ ex inſtituto Pontificum ſtato die, aut certo loco facienda ſint, ea ſacra appellari, tanquam ſacrificium: ille locus, ubi ea ſacra privata facienda ſunt, vix videtur ſacer eſſe. Hæc Gallus apud Feſtum. Erant ergo mœnia & foſſa ſacra ex inſtituto Principis, Vatiſque Sacerdotis ab Etruria evocati, ideo per illa tranſire piaculum cenſebatur. Portas non ſignavit ſacrum aratrum, cunctiſque ingreſſus patebat, abſque religionis contemtu: nam *Porta*, auctore Iſidoro *Porta.* l. 15. *Orig. dicitur, quia poteſt importari, vel exportari aliquid. Propria autem Porta, aut urbis, aut caſtrorum vocatur.*

CCCCXXVII. POMOERIUM eodemque pacto ſacrum proinde ſignavit; de quo Varro lib. 4. *de Lingua Latina*: *Quod erat poſt murum Pomœrium dictum,* *Pomœrium.* *ejuſque auſpicia urbana finiuntur: Cippi Pomœrii ſtant, & circum ARÆ quædam, & circum Romam*: iſtas Aras Tacitus ſcribit *Aram Maximam Herculis & Aram Conſi* fuiſſe, aliaſque puto religionis gratia erectas, fortaſſe *Jano* & *Apollini*: nam Jani nomen Porta præfert; imo primus auctor & inventor Pomœrii fuit Janus, ut Fabius Pictor *lib.* 1. ſcribit: *Primus Aras, & Pomœria, & Sacra Janus docuit.* Cæterum Aulus Gellius *lib.* 13. *cap.* 14. inquit: „Pomœrium quid eſſet, Augures Populi Romani, qui libros de Auſpiciis ſcripſerunt, iſtiuſmodi ſententia definierunt: Pomœrium eſt locus intra agrum effatum per totius Urbis circuitum pone muros, regionibus certis determinatus, qui facit finem urbani auſpicii. Etenim Varro Pomœrium interpretatur, quaſi *poſt mœrum*: Antiqui non *murum*, ſed *mœrum* dicebant; ideoque Lucretius *lib.* 6. verſ. 926. occinit,

Æquoris exesor mœrorum littora propter.
Et Virgilius lib. 10. *Æn.* vers. 23.
—— *atque ipsis prælia miscent*
Aggeribus mœrorum.

Festus etiam nomen etymumque expendit: *Pomœrium, ubi Pontifices auspicabantur, dictum est quasi pomurum*, id est, proximum murum.

CCCCXXVIII. Sed quia Antiquorum auctoritate de Pomœrio diximus, restant Recentiorum oracula, ut ex velitationibus veritas prodeat; cumprimis Onuphrius ait, Pomœrium locus erat tam intra quam extra Urbis murum, quem Antiqui in condendis urbibus augurato consecrabant, neque in eo ullum fieri ædificium patiebantur. Hæc ille; & ultima verba sunt Livii, quem silentio premit; enimvero Livius Urbem a Servio Tullio amplificatam scribit, qua occasione arrepta eleganter prosequitur *l.* 1. *c.* 44. „Pomœ- „rium, verbi vim solam intuentes, post „mœrium interpretantur esse; est autem „magis circa murum locus, quem in con- „dendis urbibus quondam Etrusci, qua „murum ducturi erant, certis circa ter- „minis inaugurato consecrabant; ut ne- „que interiore parte ædificia mœnibus „continuarentur, quæ nunc vulgo etiam „conjungunt, & extrinsecus puri aliquid „ab humano cultu pateret soli: hoc spa- „tium, quod neque habitari neque arari „fas erat, non magis quod post murum „esset, quam quod murus post id, Po- „mœrium Romani appellarunt: & in „Urbis incremento semper quantum mœ- „nia processura erant, tantum termini hi „consecrati proferebantur. Sed Pomœrium intra muros ullo modo Magius in eruditissimis *Miscellaneis* admittit, & licet Lælius Felix apud Gellium *l.* 15. *c.* 27. scribat: *Centuriata Comitia intra Pomœrium fieri nefas esse; quia exercitum extra Urbem imperari oporteat; intra Urbem imperari jus non sit.* Constanti eruditione nixus Pollucem insuper redarguit, & inquit: Hæc tamen nihil me movent, cum Pomœrium Urbis appellatione, tametsi extra Urbem sit, comprehendatur; equidem libris Augurum, Varroni, & Tacito, ut de Ubico Christiano homine, nec adeo antiquo, nihil loquar, magis quam Livio, Plutarcho, & Polluci crediderim; ideoque arbitror unum dumtaxat apud Priscos fuisse Pomœrium, idque post muros, id est, extra muros, eamque ob rem Plutarchum, qui de antiquo Pomœrio loquitur, errare; item Pollucem, qui exterius Pomœrium non agnoscit; postea vero & intra muros relinqui consuevisse. Cæterum de Pomœrio vide Alexandrum lib. 6. *Genialium Dier.* cap 14.

Locus Pomœrii ex Livio.

CCCCXXIX. Tandem animadverto ex Aulo Gellio, quod habebat jus proferendi Pomœrii, qui Populo Romano agro de hostibus capto auxerat: propterea quæsitum est, quam ob causam ex septem Urbis Montibus, cum cæteri sex intra Pomœrium sint, Aventinus solus sit extra Pomœrium? Neque id Servius Tullius Rex, neque Sylla, qui proferendi Pomœrii titulum quæsivit, neque postea D. Julius, cum Pomœrium proferret, intra effatos Urbis fines incluserit: ex Messala respondet ob

Cur Aventinus extra Pomœrium?

A Remi infausta auspicia, tanquam ominosum illum seposuisse: tamen D. Claudius illum recepisse fertur, & intra Pomœrii fines observasse, sicut legitur in *Commentario* Elidis Grammatici, uti supra animadvertebamus. Si ambitus, sive area consecranda forent, Tacitus ritum depromit lib. 4. *Hist.* cap 53. quem pro coronide adsertum volo: „Serena luce spatium omne, „quod templo dicabatur, evinctum vit- „tis coronisque. Ingressi milites, quibus „fausta nomina, felicibus ramis; deinde „Virgines Vestales cum pueris puellisque

B „patrimis matrimisque, aqua rivis & fon- „tibus, amnibusque hausta perluere. Tum „Helvidius Priscus Prætor, præeunte „Plauto Eliano Pontifice, lustrata bove „taurisque area, & super cespitem reddi- „tis extis, Jovem, Junonem, Minervam, „præsidesque Imperii deos precatus, uti „cœpta prosperarent, sedesque suas pie- „tate hominum inchoatas divina ope at- „tollerent; vittas, quibus ligatus lapis in- „nexique funes erant, contigit. Simul „cæteri Magistratus, & Sacerdotes, &

Ritus consecrandi areas.

C „Senatus, & Eques, & magna pars po- „puli, studio lætitiaque connixi, saxum „ingens traxere; passimque injecti sunt „fundamentis argenti aurique stipes, & „metallorum primitiæ nullis fornacibus „victæ, sed ut gignuntur. Prædixere A- „ruspices ne temeraretur opus saxo auro- „ve in aliud destinato. Sic fundamenta felici omine cœpta surgebant ad opus; quem morem fortasse in Urbis molimine Romulum peregisse consentaneum est asserere.

CCCCXXX. Quod scitu dignum arbitror, aratrum ac sulcum contrectasse Romulus fertur;

D peractis deinde sæculis Commodus Imperator, altum sentiens, morem ritumque cœpit, & novæ Urbis institutor, quam superbe moliebatur, Romam Commodianam nuncupare satagebat: „Jussus est autem Romam ipsam Commo- „dianam, inquit Xiphilinus ex Dione, „& exercitus Commodianos, denique „diem, quo decernebantur, Commodia- „num appellare: multa enim cognomina „sibi sumsit, sed præsertim Herculis, Ro- „mamque immortalem, fortunatam, Co- „loniam orbis terrarum appellavit; vole-

Commodus novus Romulus & Hercules.

E „bat enim omnino Urbem, suam esse Co- „loniam videri: ad hæc ei statua aurea „mille librarum cum TAURO & VAC- „CA facta est. Etiam in nummis hoc ip- „sum expressit, tanta ambitione, ut novus „Romulus videretur & esset; hoc præ illo „excepto, quod Hercules simul venerare- „tur, magnæ virtutis Heros & Divus.

F





De hac statua meminit Zonaras tomo secundo *Annalium*, similiter Herculei nominis: *Statua aurea mille librarum pondo*

ei decreta est: multas quoque statuas Herculis habitu erexerunt, est & decretum, ut ejus sæculum ab eo aureum sæculum diceretur: nam præter alia nomina etiam aureus DEUS *vocabatur*.

CCCCXXXI. Hinc Herodianus *lib.* 1. *cap.* 46. inquit: Εἰς τοσοῦτόν τε μανίας καὶ παροινίας προὐχώρησεν, ὡς πρῶτον μὲν τὴν πατρῴαν προσηγορίαν παραιτήσασθαι, ἀντὶ δὲ Κομμόδου καὶ Μάρκου υἱοῦ, Ἡρακλέα τε καὶ Διὸς υἱὸν αὐτὸν κελεύσας καλεῖσθαι· ἀποδυσάμενός τε τὸ Ῥωμαίων καὶ βασίλειον σχῆμα, λεοντῆν ὑπεστρώννυτο, καὶ ῥόπαλον μετὰ χεῖρας φέρειν. *Eoque vecordiæ petulantiæque processit, ut paternum primo cognomen repudiaret, ac pro Commodo Marci filio* HERCULEM SE JOVIS FILIUM *jusserit appellari; depositoque Principum Romanorum cultu, leonis pellem substerneret, manuque clavam gestaret*. Cuncta hæc sparsim Lampridius in *Commodo*, enarratque hominis deliria, Urbis malo & Orbis; etenim inquit: *Fuit ea dementia, ut Urbem Romam Coloniam Commodianam vocari voluerit; eo tempore, quo ad Senatum retulit de Commodiana facienda Roma, non solum Senatus per irrisionem hoc libenter accepit, sed etiam seipsum Commodianum vocavit, Commodum Herculem & Deum appellans. Appellatus est etiam Commodus Hercules, quod feras Lavinii in amphitheatro occidisset*. Quod mirum usque ad dementiæ portentum, quia dicitur Hercules cum Monstris & Gigantibus pugnasse, & vicisse, voluit novus hic Hercules Romanus Gigantes occidere; perhibet facinus ipse Dio Senator, qui genus infandum occisionis vidit: „ Multi ex plebe ne introibant quidem in theatrum; plerique „ ubi paulum spectassent discedebant, partim pudore adducti; partim quod rumores sparsi erant constituisse Imperatorem tela in aliquot plebejos conjicere, „ ut Hercules olim in Stymphalidas fecerat; idque ex eo credebatur futurum, „ quod ante omnes, qui in Urbe morbo, „ aut alia de causa pedibus carebant, unum in locum conduxerat, cumque eorum genua quibusdam rebus serpentibus simillimis complicavisset, dedissetque eis spongias quas jacerent pro lapidibus, omnes CLAVA, ita ut si GIGANTES essent, percussit atque interfecit. Hæc Dio Prusæus. De Gigantibus enim Ovid. occinit l. 5. *Fast.* vers. 37.

Urbs Commodiana.

Commodus Herculem æmulatur.

Clavam gestabat, & debiles Gigantum loco interficiebat.

Mille manus dedit illis, & pro cruribus ANGUES.

Similia ex Mario Maximo refert Lampridius: ex quibus se Herculem esse, adamussim somniasse dicitur. Menses quoque in honorem ejus pro Augusto Commodum, pro Septembri Herculem, adulatores vocabant: nominatus inter Cæsares quarto Iduum Octobrium, quas *Herculeas* postea nominavit, Pudente & Pollione Coss. appellatus *Germanicus* Idibus Herculeis, Maximo & Orphito Coss. classem quoque Africanam, *Commodianam Herculeam* dixit: Colosso Solis signo caput suum addidit, & insignia Herculis: Severus proinde Imperator odio Senatus, & nominis Commodi amantissimus, inter deos illum retulit, Flamine addito, quem ipse vivus sibi paraverat, *Herculaneo Commodiano*: tandem sic obiit, malis avibus, dirisque occurrentibus undique signis; inter prodigia recenset Lampridius, *Herculis signum æneum sudasse in Minutia per plures dies*. Vetus adhuc Nummus restat cum effigie Commodi & clava Herculis, quem exhibeo.

Sudat simulacrum Herculis.





CCCCXXXII. Nihilominus operæ erit pretium quærere, cur Commodus Herculis sibi nomen arrogasset; ob fortitudinem, inquit Marius Maximus; ferarum autem diversarum manu sua occidit multa millia, ita ut elephantos occideret; & virium ad conficiendas bestias tantarum fuit, ut elephantum contro transfigeret. Et orygis cornu hasta transmiserit: addit Lamprid. referri in litteras pugnasse illum sub patre trecenties sexagies quinquies. Item tantum palmarum gladiatoriarum confecisse, vel victis Retiariis, vel occisis, ut mille contingeret; *pugnasse autem dicitur septingenties tricies quinquies*. Sed hæc pugna nihil ad Herculem; enimvero in Theatro cum feris pugnabat ab alto, vel cum Gladiatoribus, *ob hanc causam gloriabatur, quod Scæva esset*, inquit Xiphilinus, *utebatur namque armis Secutoris, tenebatque scutum dextera, gladium ligneum sinistra*: quandoquidem Hercules magna inibat certamina, & Trojam ad sulcum retulit, Colchicum Regnum expoliavit, contudit inferos; sub Commodo victi Daci, Pannoniæ quoque compositæ, in Britannia, in Germania, & in Dacia Imperium ejus recusantibus Provincialibus, quæ omnia per Duces sedata sunt; Militum hæc laus, illorum, non Commodi. Igitur alia inquirenda de Herculis habitu causa, quæ omnino referenda ad illam, quam recensuimus de Urbe Commodiana; Novam urbem condidisse, & Romam Coloniam suam, autumabat, ideoque ad Herculem se convertit, & illustria Herois facinora, licet malis artibus, æmulabatur.

Commodi fortitudo.

Pugnæ.

Victoriæ.

Commodi Herculis habitus.

CCCCXXXIII. Urbem namque Romulum condidisse eo in loco, ubi Hercules sacra peregit, compertum est; ibi ara Herculis maxima, & monumenta victoris perhibet vetus historia, quam pluribus Virgilius cecinit, Dionysius Halicarnasseus similiter enarravit, sed elegantior Livius paucis edidit; nec eo inficias; illam offero scitu dignam, & opportunam Commentariis, ut nihil imposterum Lector desideret; inquit enim Livius *lib.* 1. *cap.* 7.

Historia Herculis circa ea loca, ubi nunc Roma est.

„ Romulus Palatinum primum, in quo „ ipse erat educatus, muniit; Sacra diis „ aliis Albano ritu, Græco Herculi, ut „ ab Evandro instituta erant, facit. HER- „ CULEM in ea loca, Geryone interem- „ to, boves mira specie abegisse memo- „ rant, ac prope Tyberim fluvium, qua „ præ se armentum agens nando trajece- „ rat, loco herbido, ut quiete & pabulo „ læto reficeret boves, ipsum fessum via „ procubuisse; ibi cum cibo vinoque gra- „ vatum sopor oppressisset, pastor accola „ ejus loci, nomine Cacus, ferox viri- „ bus, captus pulchritudine boum, cum „ avertere eam prædam vellet, quia si a- „ gendo armentum in speluncam compu- „ lisset, ipsa vestigia quærentem domi- „ num eo deductura erant; aversos boves, „ eximium quemque pulchritudine, cau- „ dis in speluncam traxit. Hercules ad „ primam auroram somno excitus, cum „ gregem perlustrasset oculis, & partem „ abesse numero sensisset, pergit ad pro- „ ximam speluncam, si forte eo vestigia „ ferrent, quæ ubi omnia foras versa vidit, „ nec in partem aliam ferre, confusus at- „ que incertus animi ex loco infesto agere „ porro armentum occepit: inde cum a- „ ctæ boves quædam ad desiderium, ut fit, „ relictarum mugissent, reddita inclusa- „ rum ex spelunca boum vox Herculem „ convertit, quem cum vadentem ad „ speluncam Cacus vi prohibere conatus „ esset, ictus clava, fidem pastorum ne- „ quicquam invocans, morte occubuit. „ Evander tum ea, profugus ex Pelopon- „ neso, auctoritate magis quam imperio „ regebat loca: venerabilis vir miraculo „ litterarum, rei novæ inter rudes artium „ homines, venerabilior divinitate credi- „ ta Carmentæ matris, quam fatiloquam, „ ante Sibyllæ in Italiam adventum, mi- „ ratæ hæ gentes fuerant: is tum Evan- „ der concursu pastorum trepidantium „ circa advenam, manifestæ reum cædis „ excitus, postquam facinus facinorisque „ causam audivit, habitum formamque „ viri aliquantum ampliorem augustio- „ remque humana intuens, rogitat, qui „ vir esset? Ubi nomen, patremque, ac „ patriam accepit: Jove nate Hercules, „ Salve, inquit: Te mihi mater veridica „ interpres, deum auctorum cœlestium „ numerum cecinit; tibique ARAM hic „ dicatum iri, quam opulentissima olim „ in terris gens MAXIMAM vocet, tuo- „ que ritu colat. Dextera Hercules data, „ accipere se omen, impleturumque fata, „ ara condita atque dicata, ait. Ibi tum „ primum bove eximia capta de grege, sa- „ crum, adhibitis ad ministerium dapem- „ que Potitiis ac Pinariis, quæ tum fami- „ hæ maxime inclytæ ea loca incolebant, „ factum. Forte ita evenit, ut POTI- „ TII ad tempus præsto essent, iisque ex- „ ta apponerentur; PINARII extis ade- „ sis ad cæteram venirent dapem; inde in- „ stitutum mansit, donec Pinarium genus „ fuit, ne extis solennibus vescerentur. „ Potitii ab Evandro edocti, Antistites „ sacri ejus per multas ætates fuerunt; „ donec tradito servis publicis solenni fa- „ miliæ ministerio, genus omne Potitio- „ rum interiit. Hæc tum sacra Romulus „ una ex omnibus peregrina suscepit, jam „ tum immortalitatis virtute partæ, ad „ quam eum sua fata ducebant, fautor.

Cacus boves Herculis furatur.

Hercules colitur ut deus.

Huc usque Livius, qui Herculis historiam, sacrum, loca, aram maximam, ejusque Sacerdotes depromit; & quia hunc ritum suscepit Romulus, in eoque loco Urbem condidit, Commodus novæ urbis Commodianæ Institutor, Herculis formam suscepit, & inter deos Commodianum se finxit Herculem.

CCCCXXXIV. Sed quia Manilius, *Astronomicorum* Auctor ingenuus, sed ejusdem farinæ Arati & Nicandri, qui ea scripserunt, quorum ipsi ignarissimi fuerunt, ut notat Scaliger, Hipparchum fortasse & Eudoxum in Astronomicis, vel non vidit, aut dissentientes nequaquam ad scopum collimavit, Urbis natalem canit diverso die, astroque diverso, *lib.* 4.

Roma an sub Libra.

Quod potius regat Italiam, si seligis astrum,
Quam quod cuncta regit, quod rerum pondera novit,
Designat summas, & iniquum separat æquo,
Tempora quo pendent, cedunt quo noxque diesque?*
Hesperiam sua Libra tenet, QUA CONDITA ROMA,
Et propriis frenat pendentem nutibus Orbem,
Orbis & Imperium retinet; discrimina rerum
Lancibus, & positas gentes tollitque, premitque
Qua genitus cum fratre Remus HANC CONDIDIT URBEM.

Ad hæc carmina censuram edidit Scaliger, contra aliorum omnium sententiam, qui Palilibus, hoc est, XI. Kalend. Maii natalem Urbis ponunt: sed pari supinitate potuit Romæ Urbis Horoscopum ignorare, qua Augusti Cæsaris: cui tamen opus suum dicavit. Lannonius simulque Junius primum carmina transportant, proinde in variis Lectionibus excusant Vatem, *Roma condita in Libra dicitur ratione Regionis, non autem natalium, de quibus inter Auctores constat.* Sed si multum sapiunt, ut arbitror, ostendant unde hauserit Manilius Romam sub Libra conditam fuisse: Tarrutius fratrum natalem, si Varroni credimus, ab eventu divinavit; An eodem modo Manilius? Sed signum hoc urbes condere non promovet, nec astra concordant in Urbis molimine.

Manilii error.

* Refer. *coeunt*.

CAP. XXXIV.

De loco Urbis novæ, & numero incolarum, qui una cum Romulo & Remo Romam ædificaverunt.

CCCCXXXV. URbium mœnia Veteres ædificasse legimus, ipsasque a fundamentis auspicato urbes utplurimum Heroum genus excitasse, antiquissimi Scriptores perhibent: fertur namque a Geographis Eratosthenis grande illud oraculum, urbes a deorum sobole institutas fuisse, ut Heroes simulque dii regnarent in illis; concinit Hygini historia, & ubi recenset oppidorum conditores *fab.* 275. ait: Jovis in India Thebas condidit Thebaidas nomine nutricis suæ, quæ Hecatompylæ appellantur, ideo quod centum portas habent: Minerva in Chalcide Athenas, quas ex suo nomine appellavit: Epaphus Jovis filius in Ægypto Memphim: Arcas Jovis filius in Arcadia Trapezunta: Apollo Jovis filius Arnas: Eleusinus Mercurii filius Eleusinem: Dardanus Jovis filius Dardaniam: Castor & Pollux Jovis filii Dioscorida: Nilus Solis filius Carmentum: Liber in India Hammonem: Ephyre Nympha Oceani filia Ephyren, quam postea Corinthum appellarunt: Perseus Jovis filius Mycenas: Semiramis Derceti filia in Syria Babylonem. Hæc Hyginus, vir antiquitatis peritia doctus, qui a diis ac numinum filiis urbes ædificatas maximopere commendat: eodemque superstitionis censu, Romulus cum fratre Martis filius Romam condidit; nec male observat Manilius, urbium monumenta ab astrorum influxu pendere, occinit namque in quarto *Astronom.*

Ab Heroum sobole urbes ædificatæ. — *Ipsi etiam dii.* — *Sub Scorpio nati urbium conditores.*

Scorpius extremæ cum tollit lumina caudæ,
Si quis erit stellis tum suffragantibus ortus,
Urbibus augebit terras; JUNCTISQUE JUVENCIS
Mœnia subcinctus CURVO DESCRIBET ARATRO,
Aut sternet positas urbeis, inque arva reducet
Oppida, & in domibus maturas reddet aristas.
Tanta erit & virtus, & cum virtute potestas.

An vere, adhuc ab eventu anceps non suadet fides: nam Romulus Romam condidit, urbesque proximas hostili aratro insolens evertit, & tamen sub Scorpio Horoscopum non habuit; obtinet Scorpius fere partes LX. Zodiaci: primum dodecatemorion complent Chelæ, inquit Scaliger: eæ Libræ dantur, nam Chelæ sæpe pro Libra ponuntur. Alterum dodecatemorion est corpus ipsum Scorpii, cujus extremum cauda, quæ lucidissimis stellis constat, quarum in ortu Scorpii potior habetur ratio. Ea igitur cauda oriente, qui tunc nascentur urbium conditores erunt & vastatores.

Locus Romæ commendatur.

CCCCXXXVI. Romulus igitur cum fratre Remo locum elegerunt in Septimontio, auspicatum insuper fortunatumque ad

A Imperium; enimvero ibi numinum oracula cecinit Carmenta mater Evandri, Sibyllis vaticinatrix antiquior; ibi Janus sacra de more peregit: ibi fatalis ara maxima cum Herculis simulachro stetit ad omen: Locum hunc Livius *herbidum* appellavit, Tertullianus *sylvestrem*, unde sylvestris Roma dicta; Ovidius lib. 3. *Fastorum* vers. 179.

Ut crevit Roma.

Parva fuit, si prima velis elementa referre,
ROMA; sed in parva spes tamen Urbis erat.

B Concinit Lucius Florus, qui *imaginem Urbis magis quam Urbem* Romulum fecisse scribit: Propertius *lib.* 4. ubi de Tarpeja, *eleg.* 4.

Quid tum Roma fuit, tubicen vicina Curetis
Quum quateret lento murmure saxa Jovis?
Atque ubi nunc terris dicuntur jura subactis,
*Stabant Romana pila * foro?*
MURUS ERANT MONTES, ubi nunc est Curia septa,
C *Bellicus ex illo fonte bibebat equus.*

Idem Vates eodem *lib.* 4. *el.* 1. primordia Urbis Romæ cecinit:

Hoc, quodcumque vides, Hospes, quam maxima Roma est,
Ante Phrygem Æneam collis & herba fuit:
Atque ubi navali stant sacra Palatia Phœbo,
Evandri profugæ procubuere boves:
Fictilibus crevere deis hæc aurea templa;
Non fuit opprobrio facta sine arte casa:
D *Tarpejusque pater nuda de rupe tonabat,*
Et Tyberis nostris advena bubus erat:
Quo gradibus domus ista Remi se sustulit, olim
Unus erat fratrum maxima regna focus.

Tibullus similiter *lib.* 2. *eleg.* 5.

Sed tunc pascebant herbosa palatia vaccæ,
Et stabant humiles in Jovis arce casæ.

Ovidius lib. 1. *Fastorum* vers. 243.

Hic ubi nunc Roma est, ‡ ardua sylva virebat,
E *Tantaque res paucis pascua bubus erant.*

Maximus Vatum Virgilius fata Carthaginis cecinit, & mapalia olim eo in loco depromit, ubi Imperii sedem oracula dabant ab alto; etenim post discessum Veneris Æneas cum sociis petiit Carthaginem, lib. 1. *Æneid.* vers. 423.

Locus Romæ vetus.

Jamque adscendebant Collem, qui plurimus Urbi
F *Imminet, adversasque adspectat desuper arces.*
Miratur molem Æneas, mapalia † quondam.

Sic parva crescunt in urbes oppida, & in-

* Vox *Sabina* excidit. ‡ Rep. vox *tunc*, vel pro *ardua* leg. *incædua*, ut censet doctiss. Heinsius. † Alii, *magalia*.

crementa gentium auget Numen, ut glorificetur in illis: monetque facer contextus Machabæorum, *non propter locum gentem, sed propter gentem locum*, admirandis Deum portentis elegisse.

CCCCXXXVII. Livius *lib. 1. cap. 6.* credidit, ob multitudinem gentium, quæ post Amulii cædem advenerat, neque Lavinium, neque Albam, antiquas Latii urbes, capaces fuisse, ideo Coloniam nepotibus instituendam Numitorem excogitasse: *Supererat multitudo Albanorum Latinorumque: ad id pastores quoque accesserant; qui omnes facile spem facerent, parvam Albam, parvum Lavinium præ ea Urbe, quæ conderetur, fore*. Recenset lib. 2. *Antiquit.* numerum Dionysius Halicarnasseus: Ἀριθμὸς δὲ τῶν μετασχόντων αὐτοῖς τῆς ἀποικίας ἀπὸ πολλȣ̃ τȣ̃ κατ᾽ ἀρχὰς ἐξαποσαλέντος ὀλίγος ἦν ὁ καταλειφθεὶς, τρισχίλιοι πεζοὶ ϗ ἱππεῖς τριακόσιοι. *Numerus Colonorum missorum magnus a principio ad parvum reductus est, tria millia peditum, ccc. equites*. Hinc Eutropius in *Breviario Historiarum* inquit: *Romanum Imperium, quo neque ab exordio ullum fere minus, neque incrementis toto Orbe amplius humana potest memoria recordari, a Romulo exordium habet*. Prævaluit solertia inopiæ, & deficientibus incolis evocavit a finitimis, totoque terrarum orbe; enimvero Asylum aperuit, & coacta in unum multitudine populum sibi fecit; idque Jornandes lib. *de Regnorum ac temporum successione* tradit: *Imaginem Urbis magis quam Urbem fecerat, incolæ deerant: erat in proximo Lucus: hunc Asylum facit, & statim mira hominum vis, Latini, Tuscique pastores, etiam transmarini Phryges qui sub Ænea, Arcades qui sub Evandro construxerant. Itaque ex variis quasi elementis congregavit corpus unum, Populumque Romanum ipse fecit*. Ita ille ipsissimis L. Flori verbis. Vellejus Paterculus animadvertebat, statum Urbis stetisse Numitoris ope, manuque militum; recte namque dum philosophatur ait: *Romulus Martis filius ultus injurias avi, Romam Urbem Parilibus in Palatio condidit; id gessit Romulus adjutus Legionibus Latini avi sui, cum aliter firmare Urbem novam, tam vicinis Vejentibus, aliisque Etruscis, ac Latinis, cum imbelli ac pastorali manu vix potuerit; quamquam jam Asylo facto inter duos lucos auxit*. Nihilominus si gentem bello aptam una cum Plutarcho recensere quisque voluerit, validam inveniet ac præpotentem adversus hostes; scribit Plutarchus in *Romulo*: Πρῶτον μὲν ὅσον ἦν ἡλικίᾳ πλῆθος εἰς συντάγματα στρατιωτικὰ διεῖλεν· ἕκαστον δὲ σύνταγμα πεζῶν τρισχιλίων ἦν, ϗ τριακοσίων ἱππέων· ἐκλήθη δὲ Λεγεὼν, τῷ λογάδας εἶναι τȣ̀ς μαχίμȣς ἐκ πάντων. Ἔπειτα τοῖς μὲν ἄλλοις ἐχρῆτο δήμῳ, ϗ ποπȣ̃λȣς ὠνομάσθη τὸ πλῆθος. *Juventutem in militares ordines centuriavit: singuli ordines peditum habebant* TERNA MILLIA, TRICENOS EQUITES: *quia vero ex omnibus bellicosi lecti erant*, LEGIO *dicta*. *Hinc reliquum cœtum habuit, & dixit populum*. Servavit posteritas Legionis nomen, ejusque etymum expendit Varro lib. 4. *L. L. Legio, quod leguntur milites in delectu: Exercitus, quod exercitando fit melior*.

Numerus incolarum Romæ.

Legiones.

Legionis etymum.

A Crevit deinde numerus, & multiplicatus apud Romanos recentiores, aucta militavit; observabatque Isidorus lib. 9. *Orig.* cap. 3. „ Legio sex millium armatorum „ est, ab electo vocata, quasi lecti, id „ est, armis electi: proprie autem Mace„ donum phalanx; Gallorum caterva; „ nostra Legio dicitur: quæ habet sexa„ ginta centurias, cohortes duodecim, „ turmas ducentas. Centuria est pars ex„ ercitus in centenos milites divisa, unde „ & qui iis præsunt Centuriones dicun„ tur. Huc usque Isidorus. Ex Vegetio, B qui lib. 1. *de re militari* cap. 2. ait: „ Macedones, Græci, Barbari phalanges „ habuerunt, ut in una phalange octo „ millia armatorum censerentur: Galli „ atque Celtiberi, plurefque barbaricæ „ Nationes, catervis utebantur in præ„ lio, in quibus erant sena millia armato„ rum: Romani Legiones habent, in „ quibus singulis sena millia, interdum „ amplius militare consueverunt. Hæc ille de peditibus; adde equites MCCXXX. deficiente hoc numero vocabantur imperfectæ: Livius *lib. 8. cap. 8.* C *Scribebantur quatuor Legiones quinis millibus peditum, equitibus in singulas Legiones trecenis*. Similiter reliquæ præscripto numero carentes: primas Vegetius *lib. 2. cap. 7. plenas* appellat & *quadratas*: ait enim, *decem cohortibus Legio plena fundatur*, &c. quas posterior ætas vocabat Prætorianas, Veteranas, &c. a Regionibus nomen habuere Macedonicæ, Lucanæ, Ponticæ, Germanæ, Gallicæ; etiam a Principibus dictas recensemus; Claudianus *de Bello Gildonico* vers. 422.

Numerus militum in Legione.

Legio plena.

A Principibus appellata.

D

Dictaque ab Augusto Legio, nomenque probantes
Invicti, clypeoque animosi teste Leones.

Pompejanarum, & Juliarum, Antonianarumque meminit Cæsar in libris *de Bello Civili*, quem alibi damus.

CDXXXVIII. Ex quibus colligitur, postquam Asylum aperuerunt, tantam gentium multitudinem ad illos confugisse, ut Legiones legerent, virosque præpotentes, qui distributi plures (excepta plebe) Legiones efferent, enarratque Zonaras: E „ Quo tempore memorant Romu„ lum XVIII. annorum fuisse, & Urbem „ eo in loco, ubi Faustulus habitarit, qui „ Palatium diceretur, condidisse: ea per„ fecta, qui militari ætate erant, eos in „ Legiones inde dictas, quod bello apti ex „ omnibus legerentur, distribuit; reliqui „ populi nomine censebantur, & apud „ Jurisconsultos plebeja educatio popula„ ris vocatur: habebat autem tum Legio „ ter millenos pedites & trecentos equi„ tes. F Si apes, Cleanthe auctore, Reipublicæ formam sequuntur, aperto alveolo convolant centuriatæ, ducemque mirum in modum obaudiunt, & undique congregatæ multiplicantur: ita & homines Asylo patefacto festinant, Urbemque sub Rege novam augent, & militiæ classicum sequuti vigilant circa ostia, hostesque depellunt. Prudens Romulus Legiones scribit, & arma præfert, dum pax viget, & quies; sunt etenim arma munimenta urbium, &

Divisio populi in milites & plebem.

Miles pacem colit.

miles pacem colit, dum se exercet ad arma: occinitque *ad Pisonem* Ovidius *:

—— nec enim si bella quierunt
Occulit & virtus: licet exercere togatae
Munera militiae; licet & sine sanguinis haustu
Mitia legitimo sub judice bella movere.
Hic quoque servati continget gloria civis,
Altaque victricis intexunt limina palmae.
Olim turba vias impleverat agmine denso,
Ardua nunc eadem stipat fora.

Morem in Didone, quae novam urbem aedificabat, offert Virgilius lib. 1. *Æn.* vers. 509.

Tum foribus divae, media testudine templi
Septa ARMIS, *solioque alte subnixa, resedit.*

Facit namque domesticum praesidium locum immunem ab incursu hostium, vicinorumque depellit arma; quod Justinus ex Trogo *lib.* 43. *cap.* 4. suadet, enarrata fabula quadam pro Massiliensibus: *Canem aliquando partu gravidam locum a pastore precario petiisse, in quo pareret; quo obtento, iterato petiisse ut sibi educare eodem loco catulos liceret; ad postremum, adultis catulis, fultam domestico praesidio, proprietatem loci sibi vendicasse.* Non aliter novi Coloniarum incolae, si praesidium sibi comparant, post urbem conditam, potentissimos hostes sustinent, & sua tuentur arva, aggressoresque adoriuntur, ut superent. Commodum † ferunt in Ægypto urbem fundasse, & protinus draconis dentium apparatu milites consurrexisse armatos. *Cadmus juxta oraculi responsum condidit in Boeotia Thebas*, inquit Diodorus lib. 5. *Bibliotheces*: Palaephatus fabulae arcanum enarrat: *Cadmus cum in Lerna draconem interfecisset, dentes ejus seminavit, ex quibus postea nati sunt* VIRI ARMATI; videlicet fati bellatores, strenui, fortesque viri. Similiter noster Siculus Diodorus lib. 4. *Bibl.* scribit: *Ædificata urbe sacrisque institutis, Dionysio ferunt in primis de exercitu oraculum consuluisse.* De Nino quamplures scribunt tum sacri, cum profani Scriptores, urbemque *Niniven* aedificasse in Atruriae ‡ Campis, quam Strabo *majorem Babylonia* fuisse scribit, juxta Euphratem, si Ptolomaeo credimus: cujus area 400. stadiis amplissima, moenia centum pedum altitudine elevabantur, ita ampla, ut murorum fastigia ternis plaustris pervia essent: turres in orbem mille & quingentae; portentum fere omnium urbium militia Niniven crevit; etenim Justinus lib. 1. perhibet: *Primus omnium Ninus Rex Assyriorum intulit bella finitimis*; quo pacto Romulus Legiones conscripsit, Sabinisque bellum intulit, vicit, occisoque Tatio regnavit.

Miles sua tuetur arva.

Urbes novae indigent milite.

Ninive describitur.

CDXXXIX. Tantam Urbem oracula praecinerunt; cumprimis Carmenta, quam Livius Sibyllis antiquiorem perhibet; haec

Oracula de Urbe Roma.

* Vel potius *Lucanus*, ut probat illustriss. Jos. Scaliger *Not. in Catalecta* p. m. 279. ubi hi versus paulo aliter scribuntur. † Leg. *Cadmum*: ‡ Rep. *Aturiae*, ut est apud Strab. lib. 16. *Geogr.* initio.

deum passa coram Evandro Romanam gentem *in terris opulentissimam* fore occinit, suoque ex nomine *Carmina* dixere Veteres; Venus, dum adhuc in Africa tempestatum turbine classis Æneae quateretur, Jovem complexa, suo ex numine oraculum insigne edidit, apud Virgilium lib. 1. *Æn.* vers. 280.

Romulus excipiet gentem, & Mavortia condet
Moenia, Romanosque suo de nomine dicet.

Addit Jupiter, & Romanorum gentem extollit, *ibid.* vers. 286.

Romanos rerum dominos, gentemque togatam.

Tibullus *lib.* 2. *eleg.* 5. Phoebum invocat nitidum, triumphali devinctum lauro, ut cum cithara carminibusque canat Urbis admiranda, quae Helenus apud Ovidium in *Metamorphosi* occinit:

Tu procul eventura vides; tibi debitus † AUGUR
Scit bene quid FATI *provida cantet avis.*
Tuque regis sortes; per te praesentit Aruspex,
Lubrica signavit cum deus exta notis:
Te duce ROMANOS *nunquam frustrata Sibylla est,* Sibylla.
Abdita quae senis fata canit pedibus.
Phoebe sacras Messalinum sine tangere chartas
VATIS: *& ipse precor, quod canat illa, doce;*
Haec dedit Æneae sortes, postquam ille parentem
Dicitur, & raptos sustinuisse Lares.
Haec fore credebat Romam, cum moestus ab alto Ex Ilio Roma oritur ad Imperium.
Ilion, ardentes respiceretque deos.

Sed audiamus oraculum numinis, quo vera canere Vates ipsa canit apud eundem Tibull. *loco cit.*

ROMA *tuum nomen terris fatale regendis,*
Qua sua de coelo prospicit arva Ceres;
Quaque patent ortus, & qua fluit antibus undis.
Solis anhelantes abluit amnis equos.
VERA CANO: *sic usque sacras innoxia lauros*
Vescar, & aeternum sit mihi virginitas.

Similiter Propertius *lib.* 4. *eleg.* 1. de Urbe Roma Vatum decantat oracula, quibus Trojae exitium in Urbe Romuli fatale ad Imperii incrementum, una cum Sibyllis, concinit,

Si modo Avernalis tremulae cortina Sibyllae Sibylla id firmat.
Dixit Aventino rura pianda Remo;
Aut si Pergameae sero rata carmina Vatis
Longaevum ad Priami vera fuere caput.
Vertite equum Danai: male vincitis: Ilia tellus
*Vincet**, *& huic* CINERI *Jupiter arma dabit.*

† Rest. *deditus*. * Rescr. *Vivet*.

SI-

Similiter Divus Augustinus lib.3.*Civit. Dei* ad Marcellinum cap. 2. inquit: *Neptunum Homerus de stirpe Æneæ, a cujus posteris condita Roma est, cum ante illam Urbem conditam idem Poeta fuisse dicatur, inducit magnum aliquid* DIVINANTEM. Ipse vero Neptunus apud Homerum *Iliados* 20. vers. 305. occinit:

Neptunus divinat.

Ἤδη γὰρ Πριάμου γενεὴν ἤχθηρε Κρονίων·
Νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει,
Καὶ παῖδες παίδων, τοί κεν μετόπισθε γένωνται.

At postquam Priami gentem jam Juppiter odit;
Viribus Æneas & majestate verendus
Jura dabit Phrygiis; natique & cuncta propago
Æternum accipiet Regnum illa in gente vetustum.

Concordat cum Propertii oraculo, cujus carmen veneror ac deosculor.

A Troja Roma & Venetiæ.

CCCCXL. Recte Vates, imo optime, numinum oracula cecinit; enimvero ab eversa Troja ac Ilii reliquiis duæ ingentes Respublicæ surrexerunt ad Orbis Imperium, ROMANORUM, VENETORUMQUE, grandior illa Orbem occupavit, sed dum aliena inconsulto quærebat, seipsam perdidit, & in Coloniam Constantinopolis evanuit; hæc grandis, suique compos, auget virtute Imperium, & stat adversus temporum injurias, Barbarorum concursu invicta, potens bello, pacis laurea florens, fidei monumentum immobile, perpetuum, æternum; vicit ævo suo stantem Romam, & præter Lipsii vota, qui de Regnorum inconstantia constanter scripsit, Deo auspice, stabit cum Orbe; firmamentum namque urbium virtutes sunt, corruitque sub Nerone palæstrita, succubo, incendiario, adultero Urbs potentissima, quæ Divo Augustino auctore Mundum a Deo victum obtinuit ob præmium bonarum artium ac virtutum illorum civium, qui Heroum illustres animæ, genus missum ab alto, Romam Urbem Regum cum diis ad astra tulerunt: post Neronem cadaver illud Vespasianus & Titus animare tentabant, sed Domitianus obtruncatum denuo in civibus Regnum exterminavit. Commodus postmodum ut Commodianam faceret Romam fecit prostibulum. Non sic apud Venetos: ab antiquo justitia imperat, pietas magnanimitatis suffulta genio floret, regnat decus militiæ, togæ laus commendatur, unusquisque pro suo insignis genio extollitur, & virtus, quæ Principem efformat, est forma regiminis: vivat, æternumque vivat, Christianorum adversus Turcas monimentum fidei: vivat libertatis asylum, virtutumque omnium Phœnix: etenim invicta inter cineres Trojæ reluxit, ut scribit ex Trogo Pompejus* lib. 20. cap. 1. *Venetos, quos incolas superi maris videmus, capta & expugnata Troja, Antenore Duce misit*. Messala Corvinus in libello *de Augusti progenie* de Comitibus Antenoris inquit: *Hi in proxima finitorum† prædia longe lateque diffusi, quia multitudine cuncta compleverant, ex se gentibus nomen dedere, & VENETIÆ REGIO dicta*. Cætera de Urbe oracula dedimus.

Ob vitia destructio Romæ.

VENETORUM laus.

Votum pro Venetorum incolumitate.

* Voluit, *Justinus*. † Leg. videtur *finitimorum*.

CAP. XXXV.

An Urbs Roma fuit quadrata a Romulo condita? Antiquorum Recentiorumque sententiæ expenduntur.

Urbs quadrata.

CCCCXLI. Quadratam formam perfectissimam Pythagorici commendabant, utpote, e quaternario provenientem, quod plenum numine Philolaus asserebat; talem super astra sibi Deus Urbem creavit, *Civitatem in quadro positam*, Empireum bonorum omnium culmen, beatitudinisque firmamentum; similiter Roma Urbs oraculorum omnium numinibus auspicata a Romulo condita fuit *quadrata*: asseritque Cato vir sapientissimus dicens: *Romulus in Palatio* QUADRATAM ROMAM *condidit*: occinitque Ennius Vates antiquitate illustris, & præclara eruditione insignis,

Empireum.

Et quis exstiterit Romæ regnare quadratæ?

Solinus etiam Plinii lectione eruditus Auctor, Festus Pompejus ex Verrio, & Plutarchus in *Romulo*, quadratam Urbem indigitant: quorum sententias secuti Recentiores formam Urbis quadratam demonstrant, etsi plerique orbicularem putent, vel quadrangulam, ut ex Græco contextu Plutarchi divinant.

CCCCXLII. Sed quia varie expendunt Scriptorum veterum sententias, cumprimis Petrum Crinitum avoco, qui *de honesta disciplina* libros conscripsit, & in quarto rem totam adamussim perquirit: Scriptum est Julio Solino Romam fuisse primo quadratam vocatam, quoniam *ad æquilibrium* esset posita: in quo a viris doctioribus quæsitum est, quid eo loco Solinus intelligat, cum voce duriuscula situm ac positionem tam augustæ Urbis ad æquilibrium factam retulerit: sed enim putamus non aliter accipiendum, quam ut ipsam dicamus Romam ad æqualem regulam, & quasi ἰσονομικῶς in quadratam speciem constructam; quod & Sextus Pompejus ex Verrio testatur, ratione loci ac mœnium habita; unde Plutarchus etiam, vir in perquirendis Romanis antiquitatibus diligens, quadrangulam vocat: nam & in cæteris quoque ædificiis dicimus aliquid ad æquilibrium compositum, quod æqua ratione absolutum & undecumque perfectum appareat: tametsi hanc vocem, quæ est æquilibrium, ex tabulis decemviralibus scimus profectam; quo loco lex talionis continetur, quando & Sextus Cæcilius pœnam talionis ad æquilibrium factam exposuit, hoc est, habita injuriarum ratione; ut ipsam videlicet talionem, quasi adamussim, & libellam æquiparent atque expendant, hæc enim verba sunt legis: *Si membrum rupit meum e pacto talio esto*: quod & Gellius vir Romanus e Phavorini Philosophi disputatione recensuit: sed & M. Cato ἰσονομίαν Latino verbo exponens,

Urbs ad æquilibrium.

Urbs quadrangula.

Pena talionis.

æquilibritatem appellat in libro *de Natura Deorum*, cum de atomis illis Democriti agit; *Confugis*, inquit, *ad æquilibritatem*, sic enim ἰσονομίαν si placet appellemus, tametsi sciam in vulgatis illis codicibus *æquabilitatem* perperam scriptum. Nostri vero Jurisconsulti inter Urbem & Romam differentiam haud inelegantem ponunt, ut *Urbem* videlicet locum dumtaxat intra mœnia intelligamus, *Romam* vero & ipsa etiam suburbia quæque circa Urbem circumvisantur, eoque id afferunt, aut intelligi facilius possit, quæ aut Romæ, ut in Urbe jure legationis comprehendantur. Ne quid Roma autem quadrata ejusque ratione commodius egimus, ne illud Q. Ennii carmen minus a nostris intelligatur,

Differentia inter Urbem & Romam.

*Et quis tum * curat Romæ regnare quadratæ?*

Hæc ille: & quid concludat ignoramus, ut recte a Scaligero reprehendatur, ac si scripsisset, ut scriberet. Audacter Marlianus *lib.* 1. *cap.* 2. ait, Urbis novæ figuram quadratam Romulum designasse auctores sunt Plutarchus & Dionysius, & de forma certa est opinio apud Scriptores. Ad hoc probandum expungit Tacitum scribentem, *Capitolium non a Romulo, sed a Tatio additum Urbi*; adversus quem offert Strabonem curiosæ Geographiæ Auctorem; & munit se demonstratione dicens: Adde & illud, quod ipse Mons Palatinus quadratam non sustinuisset formam, qualem fuisse a Romulo positam demonstratum est; iccirco existimamus Urbem a C. Tacito descriptam, T. Tatio falso attributam, Romuli esse monimentum.

Urbs quadrata.

CCCCXLIII. Qua suffultus auctoritate Magius, elapsi sæculi Eruditorum decus, firmat sententiam de Urbe quadrata, & Crinitum enarrat, dicens, Romæ in Palatio conditæ ex Antigono *Italicæ historiæ* Scriptore Sextus Pompejus lib. 16. meminit, sic etiam Varro lib. 5. *de Lingua Latina*, Plutarchus in *Romulo quadrangulam* vocavit, qualem Crinitus a Julio Solino significatam existimat, dum ille *ad æquilibrium* eam factam fuisse scriptum reliquit; cum ex his meridiana luce clarius constet Romam fuisse a Romulo *quadrata* forma designatam & constructam; impugnat Magium Alexander Donatus, & cum Annio, qui portenta edidit & mendacia nullo credenda sæculo, sicut & alii Plagiarii, qui vetustates Etruscas somniarunt, a Leone Allatio, viro eruditissimo, flagro & talione mulctati, *quadripartitam* effingit. Sed Cajus Sempronius in *divisione Italiæ*, Auctor suppotitius, quem Annius Commentariis fingit illustrare, cum & Sempronium centonibus Macrobii aliorumque stylo & eloquio variantibus ipse composuit; hic igitur Sempronius ait: *Romulus solum ex oppidulo Roma in Palatino Colle* QUADRATAM & REGIAM *reddidit; cujus quatuor portiones erant Roma, Velleja, Germallia, ubi Ficus Ruminalis, & ædes Romuli, a dei occulta derivatione postmodum Romuli. Condidit autem eam accitis amicis Vatibus Etruscis, qui fossa, ubi caput Erti tauri est, Pomœrioque ad prudentis Vatis auspicium sacratis, circum Palatinum Collem sacro aratro cingi jussit* XI. *Kalendas Majas, hora inter secundam & tertiam, Sole in Tauro, Luna in Libra, Saturno, Venere, Marte, Mercurio in Scorpione, & Jove in Piscibus, ut tradit Lucius Tarrutius Mathematicorum peritissimus. Sunt qui tradant illam conditam* XII. *Olympiade: placet aliis octava, septima quibusdam. Prævalet omnibus his Eratosthenis invicta regula, ut ajunt. Sed cum Pomponius Atticus coram Senatu atq; doctissimis viris conferret Græcorum certissima tempora, compertum est, quod ab Ænea & Troja excisa per tempora Regum Latinorum usque ad Romulum Regem jam creatum fluxerunt anni circiter* CDXXX, *quare haud dubio condita est Roma Olympiade* VII. *aut ejus anno secundo.*

Firmatur ex Solino.

Urbs Annii quadripartita.

* Alii, *nunc*.

CCCCXLIV. Ad quæ objici possunt plura. Primo, qui Astronomiæ studium colunt, conferre tempori nequaquam horoscopum agnoscunt: Secundo, annum Olympiadis divinat, aut septimæ, inquit, aut secundo Olympiadis septimæ, quam incertitudinem Tarrutius non reliquisset in medio, si verum cæli adspexisset punctum: Tertio, *Velliam* civitatem ex antiquissimis nemo perhibet, nec *Germalliam* urbem; sed ubi Ficus ruminalis nemus & arva demonstrant; imo eluviem prope arborem indigitant: Quarto, si quatuor portiones describit præter Velliam & Germalliam, non invenio reliquas. Succurrit Annio Alexander Donatus, & ait: Certe Fabius Romam primo Tetrapolim, tum Quadratam appellat, quatuor videlicet diversis locis constantem in Palatino Monte constitutis, nempe Roma oppidulo versus Esquilias antiquiore, quam esset Romulus: exstructa Vellia versus Cœlium: Germallia fundata versus Circum Maximum, quo germanos Romulum & Remum Tyberis detulit in alveolo expositos: Romano Foro ædificato, quod aliqua sui parte spectaret Esquilias, ex quibus quatuor Tetrapolis Roma & Quadripartita est, rotundæ tamen & obliquæ figuræ. Hæc ille; at quadratam in forma rotunda non assequor: tum Sempronius, tum Fabius *quadratam* appellant; poterat namque quatuor ex partibus illam effingere, ut felix Panhormius perstat, simulque quadratam tot Auctorum oraculis contonam; inquit enim Onuphrius vir apprime doctus lib. 1. *Descriptionis Urbis*: *Romulus Sylvius Rex primus Urbem* QUADRATAM *in Monte Palatino condidit, Montes Saturnium, post Tarpejum, qui & Capitolinus dictus est, ac Quirinalem additis præsidiis munivit, non tamen Urbis Pomerio inclusit.* Hæc ille; enimvero Dionysius & Plutarchus Capitolium a Romulo munitum fuisse ante Tatii adventum scribunt: Strabo Collem insuper Quirinalem munivisse affirmat, asseritque Dionysius in secundo *Romanarum Antiquitatum*, Romulum Palatium & Capitolium muris & fossa communisse, receptoque T. Tatio, duos statim Colles Urbi adjecisse, Quirinum & Cœlium, Palatio propinquum, quod intelligendum omnino Panvinius putat, tantum Colles munitos a Romulo adversus hostium incursus, ut tradit Strabo: cum Palatium tantummodo fossa ac Pomerio circumdedisset aratro. Semper tamen

Impugnatur Annius.

Ejus errores.

Colles a Romulo muniti.

Urbem quadratam condidisse putandum boni Auctores censent, etsi varient in Urbis magnitudine, cum Plutarchus tantum mille domus ab initio veterem Romam habuisse scribat; sic expendo Aurelium Prudentium in *agone D. Romani Martyris*,

Divum favore puer Mavortius
Fundavit Urbem septicollem Romulus.

Probatur Romam quadratam Romulum condidisse.

Romam videlicet in Palatio, reliquis in Montibus munitionem: nec Rosinus hanc Urbis formam diluit: *Romulus primum Romam quadratam condidit in Monte Palatino, atque Pomœrio clausit*; claudicat Dempsterus, qui dum centonem consarcinat, etenim Rosini verba ut ex Criticis confirmet, ait, *circularis prima Romæ forma*: idque probat Portio Catone auctore, qui *quadratam Romam* Romulum condidisse tradit, Julio Solino, Plutarcho, & Ennio, cujus carmen suo ex codice restituit,

Et quis exstiterit Romæ regnare quadratæ.

Dempsterus correctus.

Ut unde formam circularem somniet nemo videat: in sequenti vero capite de Urbis nomine Pierium citat lib. 42. *Hieroglyph.* qui formam urbium antiquarum rotundam fuisse perhibet: sed claudicat, quia *lib.* 43. ubi turritum matris deorum caput expendit, juxta carmen Lucretii Vatis tangit morem, non affirmat, diversumque a ritu urbis condendæ cuncti vident: sed ipsemet cum id alio institutæ orationis capite Dempsterus promat, quod in primo assertum præstare debebat, remque variam confudit cum Urbe & Orbe Isidori.

CAP. XXXVI.

De Urbis nomine, quod altercantes Romulus Remusque auspicato ut imponant, auguria in Palatio & Aventino exquirunt. QUÆRITUR *in numero vulturum numerus annorum Romæ regnantis, ejusque excidium.*

Concertant fratres, ut nomen Urbi imponant.

CCCCXLV. Urbis vix rude monimentum surrexerat: parva adhuc ex fimo, & stramentis stabant mœnia: Pomœrium saltu incursantibus obvium: mapalia Palatini Montis instar antra culminibus vix oppleta eminebant; & fratres ob regnandi cupidinem flagrantes concertabant, Urbem Romulam, an Remuriam suo quisque ex nomine nuncuparet; Lucius Florus prima Urbis molimina *imaginem urbis* appellat; Ovidius in tertio *Fastorum*, *Mœnia parva fuerant*; Messala Corvinus *auspicato parva mœnia posita* scribit; Fabius Pictor Annianus *oppidulum* vocat Romam, pro quo contendisse Romulum Remumque usque ad vitæ exitium legimus; causam cumprimis enarrat Livius, asseritque convenisse: „Quum gemini essent, nec ætatis verecundia discrimen facere posset, ut dii, in quorum tutela ea loca essent, auguriis legerent, qui NOMEN NOVÆ URBI DARET, qui conditam Imperio regeret; Palatinum Romulus, Remus Aventinum ad inaugurandum templa capiunt.

Auspicia captant.

Primam urbem ædificavit Cain anno quingentesimo ab Orbe condito, cum plures jam genuisset filios, uti Joseph adnotabat, vocavitque *Henochiam* ex filii sui nomine, qui in illa major natu imperabat; nomina namque a Principe desumuntur, ut postea a Nino Niniven; & juxta Majorum morem, cum Roma teste Divo Augustino Trojæ sit filia, Dardania a Dardano, ab Ilio Ilium, Troja a Troo, Ænea ab Ænea, sic a Romulo vel Remo nomen novæ Urbis altercabatur: unde Ennius apud Tullium lib. 1. *de Divinatione*:

*Certabant: Urbem Romane *, Remuriamve vocarent,*
Omnis cura viris uter esset INDUPERATOR:
Exspectant veluti Consul cum mittere signum
Vult, omnes avidi spectant ad carceris oras:
Qua mox emittat pictis ex faucibus currus:
Sic exspectabat populus, atque ore timebat
Rebus, utri magni victoria sit data Regni.

Remus Remuriam, Romulus Romam vocare Urbem satagit.

CCCCXLVI. Rem scitu dignam refert Sextus Aurelius Victor, & multorum consensu firmat: „Cum inter se Romulus & Remus de condenda urbe tractarent, in qua ipsi pariter regnarent, Romulusque locum, qui sibi idoneus videretur, in Monte Palatino designaret, ROMAMQUE appellari vellet; contraque item Remus in alio Colle, qui aberat a Palatio millibus quinque, eundemque locum ex suo nomine Remuriam appellaret; neque ea inter eos finiretur contentio: avo Numitore arbitro adscito, placuit disceptatores ejus controversiæ immortales deos sumere, ita ut utri eorum priori secunda auspicia obvenissent, urbem conderet, eamque ex suo nomine nuncuparet, atque in ea Regni summam teneret: cumque auspicaretur Romulus in Palatio, Remus in Aventino, sex VULTURES pariter volantes a sinistra Remo prius visos: tumque ab eo missos, qui Romulo nunciarent, sibi jam data auspicia, quibus condere urbem juberetur; itaque maturaret ad se venire. Cumque ad eum Romulus venisset, quæsivissetque, quænam illa auspicia fuissent, dixissetque ille, sibi auspicanti sex vultures simul apparuisse: At ego, inquit Romulus, jam tibi duodecim demonstrabo, ac repente DUODECIM VULTURES apparuisse. Huc usque Aurelius Victor, qui *secunda auspicia* expostulasse scribit, & postea vultures a sinistra augurium fecisse, sicut de fulmine jam disseruimus. Dionysius Halicarnasseus lib. 1. *Antiquit.* plura enarrat, quæ historiæ lucem præbent; nam jussu Numitoris secessisse compertum est, modum proinde refert: „Præstituta die jussit seorsum quemque ubicumque libuisset considere, peractisque legitimis sacris, observare faustos alites, & utri felicius contigerit auspicium, eum haberi auctorem

Remus sex vulturios vidit.

Romulus duodecim.

* Rest. *Romamne*.

„ Coloniæ. Comprobato consilio, digressi „ juvenes, ad statutam diem ex pacto af- „ fuerunt: Romulus templum observandis „ alitibus optavit Palantium, ubi animus „ erat Coloniam condere: Remus vero „ Aventinum contiguum, aut, ut aliis pla- „ cet, Remuriam: adhibiti sunt utrinque „ CUSTODES, qui non finerent pronun- „ ciari aliud auspicium quam observatum „ apparuerit. Ut vero suam quisque sedem „ cepit, paulo post Romulus præ nimia „ festinatione & invidia, (fortasse deus „ quoque huc illum impellebat) prius- „ quam ullum vidisset signum, nuntiat fra- „ tri, ut celeriter veniat, jam se priorem „ vidisse addicentes alites. Dum nuntii, „ quos doli pudebat, non admodum pro- „ perant, interim Remo SEX VULTU- „ RES A DEXTRIS volantes oblati sunt; „ quibus conspectis gavisus brevi post a „ fratris nuntiis abductus est Palantium: „ mox ubi illum convenit, rogabat ecquod „ prior vidisset auspicium: quo hærente, „ nec habente quod responderet, interim „ ei duodecim VULTURES volantes ad- „ dixerunt; quibus visis confirmatus, osten- „ dens Remo, quid, inquit, quæris præ- „ terita? en ipse vides has alites. Ipse in- „ dignabundus negavit se deceptum cessu- „ rum ei Coloniam. Hoc augurio uterque dignus Regia conclamatur Rex, hinc seditio in ipso Urbis limine & arma, non procul a clade; *utrumque Regem sua multitudo consalutaverat*, inquit Livius; Fabii namque factionem Remi, Quintilii Romuli sequebantur partes. Cum istis plerique ex plebe concursantes altercabantur: negat Ovidius lib. 4. *Fastorum* contendisse fratres, & ab historica narratione solutus occinit vers. 809.

Decepit Remum.

Jam luerat pœnas frater Numitoris, & omne
Pastorum gemino sub duce vulgus erat;
Contrahere agrestes, & mœnia ponere utrique
Convenit: ambigitur nomina ponat uter:
Nil opus est, dixit, certamine, Romulus, ullo:
Magna fides avium est; EXPERIAMUR AVES.
Res placet; alter init nemorosi saxa Palati:
Alter Aventinum mane cacumen init;
Sex Remus, hic volucres bis sex vidit ordine: PACTO
STATUR; *& arbitrium Romulus* URBIS *habet*.

Avium auctoritate contentiones sedantur.

Avibus fidem Apollo fecerat, cui Tibullus *lib.2. eleg.5.* canit:

Tu procul eventura vides: tibi deditus augur
Scit bene, quid fati provida CANTET AVIS,
Tuque regis SORTES, *per te præsentit Aruspex*,
Lubrica signavit cum deus exta notis.

Seditio.

CDXLVII. Nihilominus fidem historicam sequimur, & in seditione corruisse quamplures, quod Dionysius sic enarrat lib. 4. *Antiq.* „ Hinc seditio priore major exoritur, utroque potiorem se esse clam „ cupiente, quo vero minus cederet, pro- „ palam defendente jus suum: prædixerat „ enim avus ejus fore Coloniam, cui prio- „ ri meliores oblatæ fuissent alites. Cæte- „ rum cum idem genus ambobus conspe- „ ctum esset tempore alter præcepto, alter „ majore numero avium, Regnum ad se „ trahebat; accendit eorum contentionem „ vulgus, exorsum pugnam non exspecta- „ to Ducum imperio: ita certatum est acri- „ ter, multis utrinque cadentibus. Vulgus semper mobile insanit, & illorum, quos sequitur, partes tanquam proprias versatili tuetur gladio, ut non pro Duce, sed suo genio contendat; hinc bellum civile & urbium excidia: gladium verset manus, sed juxta imperium voluntatis, quæ prudenter ad bonum publicum suique met ipsius illum acuat & impellat; exemplum perhibet exsecrandum præsens historia, etenim Licinius Macer *lib.1.* inquit, *contentionis illius perniciosum exitum fuisse; namque ibidem obsistentes Remum & Faustulum interfectos*. Quod probat Aurelius Victor ex Livio, qui ait: *Inde cum altercatione congressi certamine irarum ad cædem vertuntur, ibi in turba ictus Remus cecidit.* Confirmat utriusque necem Dionysius *loco cit.* „ In hoc prælio quidam ajunt Fau- „ stulum altorem juvenum, dum frustra „ conatur litem dirimere, inermem se con- „ jecisse in medio, mortis desiderio; voti- „ que sui factum compotem: nec desunt „ qui effigiem lapideam LEONIS, dedicati „ pro Rostris in loco Romani fori præci- „ puo, dicant impositam corpori ejus, in- „ vento & sepulto ubi occubuerat. Recte „ educatori atque parenti leonis simula- „ chrum apposuere, quia apud Pierium, hieroglyphicum leonis est *natorum obsequium erga parentes*. Et matri magnæ leones addixerunt, de quibus Lucretius *lib.2.* vers. 604.

Excitatur a vulgo.

Leonis simulacrum in sepulchro Faustuli.

Ejus hieroglyphicum.

Adjunxere feras, quod quamvis effera proles
Officiis debet molliri victa parentum.

In Nummo Faustinæ Cybelen turritam vidimus leoninæ sellæ insidentem, quæ orbem intra manum & genu tenet, addito lemmate, MATRI MAGNÆ.

CCCCXLVIII. Sunt tamen qui putent in ea contentione Remum non fuisse occisum, sed Regno per fraudem privatum vixisse; ita A. Victor, & ex pluribus Plu- „ tarchus: „ Quidam Remum vere sex vi- „ disse, Romulum mentitum; sed quum „ accessisset ad eum Remus, tunc duode- „ cim Romulo visos: quapropter mansisse, „ ut in augurio capiendo Romani habeant „ vultures præcipuos. Nec Dionysius aliter scribit, dum Remum ait, *se deceptum negasse cessurum in Coloniam*. Tandem re infecta, ne clades sequeretur, teste Egnatio *lib. 1.* apud A. Victorem, privatam elegit vitam, diuque vixit; quod an verum sit, infra restat videndum.

Remus decipitur.

CCCCXLIX. Nunc de avium augurio arcana expendimus; Ennius Vates antiquitate illustris facinus tempusque eleganter occinit, apud Ciceronem lib.1. *de Divin.*
Interea Sol albus recessit in infera noctis,
Exin candida se radiis dedit icta foras lux,

Avium auguria.

Et simul ex alto longe pulcherrima præpes
Læva volavit avis: simul aureus exoritur Sol,
Cedunt ter quatuor de cælo CORPORA SANCTA
AVIUM *præpetibus sese, pulchrisque locis dant,*
Conspicit inde sibi data Romulus esse priora,
Auspicio Regni stabilita summa, solumque.

Remum aves sex primum vidisse plerique testantur: Aurelius Victor scribit, *sex vultures pariter volantes a sinistra Remo prius visos*: occinitque Plutarchus in *Romulo* & Livius: vultures *corpora sancta* vocat Ennius tanquam dicata deo & auguriis apta; Lucius Florus inquit: *Prior remus sex vultures, Romulus postea sed duodecim vidit, sic victor augurio, Urbem excitat plenus spei bellatricem fore, ita illi assuetæ* SANGUINE ET PRÆDA AVES POLLICEBANTUR. Origo hujus augurii ab Hercule ducitur, cujus religionem servabat in ara Romulus; asseritque Herodorus Ponticus, *Herculi lætum augurium fuisse, si vultur se obtulisset ei in re agenda*: ex quo Plutarchus in *Romulo* ait: „ Est hoc animal „ præter cætera innocentissimum, nec satis, vel plantis, vel pecori incommodat; „ cadaveribus tantum vescitur, nihil quod „ vivat perimit, neque ei nocet; volucribus ob cognationem abstinet etiam mortuis; cum aquilæ, noctuæ, & accipitres „ sui generis aves invadant & interimant „ vel vivas; licet, ut Æschylus ait,

Vultures gaudent sanguine.

Describuntur.

Immunda avis sit, si qua avem depascitur.

„ Jam volucres aliæ oculis nostris observantur. Vulturis rarum est spectaculum, „ neque quemquam temere, qui pullos „ vulturinos conspexerit, invenias; sed „ raritas eorum nonnullis, & insolentia „ opinionem invexit novam, EX ALIO „ ORBE huc eos commigrare; cujuscemodi Vates contendunt id esse, quod non „ natura duce, nec sponte se profert sua, „ sed mittitur divinitus. Hæc ille, & Hermes Astrologus, *qui vulturis cælestis afflatum ab horoscopo fortitus fuerit, sapientem & providum in negotiis obeundis futurum*, asserit, *Imperiumque suum* (nam & Regem fore pollicetur) *valido munimine, consilioque, animo, & providentia optime valiturum.. Quod si privatæ vitæ fuerit, pecuniosum omnino futurum, multos ejus auspiciis bene res gesturos, magnasque divitias comparaturos*. Sed si horoscopii in medio cardines reliquimus: vultures prædivinare clades cuncti affirmant, & ex Ægyptiis atque Horo Apolline Pierius *lib.* 18. Plautus Dinarchum in *Truculento* introducit dicentem Act. 2. Sc. 3. vers. 16.

Vultur in horoscopo sapientes facit ac Principes.

Divinant exercituum clades vultures.

——*jam quasi vulturii triduo*
Prius prædivinant quo die esuri sint.

Afferuntque Sacerdotes Ægyptiorum, qui *præsagituram* ex vulturis simulachro significabant, consuesse priscos Reges belli tempore exploratores dimittere, qui observarent in quamnam exercitus partem vultures imminerent, inde commonefacti stra-

A gem ibi futuram, ubi earum volucrum grex frequentior incubuisset; Philes Græcus Poeta: *Vaticiniam habent vultures naturam, etiam comitantur pugnantes corporum spe, quæ in bello ceciderunt*: quod ad sensum refert Divus Hieronymus *in cap.* 24. *Matthæi*, odoratu namque præstant, *naturali sensu tantis terrarum spatiis & maris fluctibus separati parvum cadaver sentiunt, ubi jaceat*: ad vim fatidicam hanc præsagituram sunt qui reducant, quia vivi hominis fatum prænoscunt & demonstrant, unde Sanctus Ambrosius lib. 1. *Hexaemer.* cap.
B 23 ait: „ Solent vultures mortem hominis „ quibusdam signis annunciare; cum enim „ instat lacrymabile bellum, acies inter se „ instruunt, multo vultures sequuntur „ agmine, & eo significant, quod multa „ hominum multitudo bello casura sit, futura præda vulturibus: hinc mordax apud Senecam scomma, *Si vultur es, cadaver exspecta*: videlicet præsentire poteris cibum a longe. An divinant, quia præsentiunt? unde Ægyptii in vulture *cor* significasse Veteres apud Horum Apollinem
C docent: imminentia præsentire hominum corda præter Platonem Divus Augustinus asseruit. An quia ex aura concipiunt? equidem præ cunctis admiranda hæc avis censetur, etenim concipit absque mare, *vultures fœminas tantum parere ajunt*, inquit Tertullianus: Philes,

Et hominis mortem.

Cur præsagiunt?

Fœmina est omnis vultur, & absque coitu gignit.

Horus Apollo lib. 1. *Hieroglyph. inter vultures mas non est*: idque refert Ælianus lib. 2. *Hist. An.* cap. 46. & Divus Ambrosius l.
D 5. *Hex.* „ Negantur vultures indigere concubitu & conjugali quodam usu, nuptialisque copulæ sorte misceri: atque „ concipere semine, & sine conjunctione „ generare, natosque ex his in longam ætatem vitæ protendere, & usque ad centum annos: D. Basilius *Oratione* 19. *de providentia*, Deum exaltat, qui *vultures sine concubitu fœtus edere facit*. Magnum exemplar Deiparæ, quæ de spiritu Sancto concepit; hinc Aretius Impresam edidit, addito lemmate, VIRGO CONCIPIET. Ego olim Virginem ab Angelo salutatam
E expressi in vulture, hoc hemistichio, CONCIPIET DE SPIRITU. Firmat portentum in Deipara Lactantius Firmianus: „ Si „ animalia quædam vento, aut aura concipere solere omnibus notum est; cur „ quisquam mirum putet cum Spiritu „ Dei, cui facile est quicquid velit, gravatam esse Virginem dicimus? quod sane incredibile posset videri, nisi hoc futurum ante multa sæcula Prophetæ cecinissent. Ejus ova quia ex vento generantur *zephyria* & *hyponemia* vocantur,
F quasi subventanea dicere velint; nam Aristoteles vultures volare versus Austrum, atque ita ab Aquilone iniri, prægnantesque fieri, tradit: observat ex Horo Pierius, quod perdurat vultur quinque dies pertinacissimo jejunio macerata: tale est ejus in concipienda prole studium atque cupiditas: nec mirum, cum equas pacto eodem gignere Probus ex comperto referat, innuatque Divus Augustinus; & Virgilius arcanum fabula tegit lib. 7. *Æneid.* vers 281.

B.V.Mariam significant.

Vento concipiunt.

ubi occinit Latinum Regem Æneæ misisse per legatos ex Solis semine duos equos,

Semine ab ætherio spirantes naribus ignem.

Expendunt, Circen mortalem equam submisisse uni equorum Solis, ut sobolem perniciſſimam crearet; veritas offert equas, quæ in Asturia vento concipiunt incomparabili velocitate præstantes. Addamus vultures etiam dira sicut & prospera portendere; nam teste Xiphilino ex Dione in Vitellio: *Peracto sacrificio, cum ejus causa apud milites concionaretur, magnus numerus vulturum irruit, discerpsitque exta, ac ipsum fere de tribunali deturbavit.* Hæc prodigia Vitellio exitium, præcesserunt Philippensem pugnam, cladem que Cassio & Bruto volatu prædivinasse dicuntur.

Sicut equæ Hispanorum.

Vitellio mortem designant.

CCCCL. Sed quia ex Horo Apolline novimus apud Ægyptios denotare vultures annum, idque ex illarum partu, Umbricio teste, apud Plinium conjicitur, plerique existimant duodecim vulturios portendisse tempora stantis Romæ, ejusque Regnum duodecim sæculorum; firmat hanc opinationem Censorinus *de Die Natali* cap.17. ex Varrone & Vettio antiquissimis Scriptoribus: „ Quot autem sæcula „ Urbi Romæ debeantur, dicere meum „ non est; sed, quid apud Varronem legerim, non tacebo: hic libro *Antiquitatum* duodevigesimo ait, fuisse Vettium „ Romæ in augurio non ignobilem, ingenio magno, cuivis Doctori * in disceptando parem; eum se audivisse dicentem: si ita esset, ut traderent Historici, „ de Romuli Urbis condendæ auguriis, ac „ XII. vulturibus; quoniam CXX. annos incolumis præteriisset Populus Romanus, „ ad MCC. perventurum. His fere enarratis subjungit Cælius lib. 27. *Antiq. Lect.* c. 8. „ Conjectasse Romanum Imperium ad mille & ducentos annos perseveraturum: „ quod & verum comparuit, siquidem cum „ imperarent Cæsares Constantii, Romanorum dignitas dilapsa corruit, Byzantium translata, irruentibus in Italiam „ Hunnis, Vandalisque, ac Gothis. Hactenus ille, & sequitur ex Paulo Diacono enarrare, Hodoacris Heduorum † Principis victoriam adversus Augustulum, ob quam Romanorum robur evanuit; nec aliter Petrus Crinitus *lib.* 16. *cap.* 5. Augurii rationem tradit Brunettus Latinus in *rerum orbis thesauro*; Centum annos denotare vulturios, quia sæculum vivunt, ut ex Divo Ambrosio diximus, occinitque Pierius, quia a Genserico Urbem internecione civium vastatam refert anno a Roma condita MCCVIII. ut Paulus Diaconus in his, quæ addidit Eutropio, ac Orosius recensent, peneque tunc periit Romanum nomen; ad nihilum redactum sub Augustulo ann. V. C. MCCXXIX. Imperii Caii Cæsaris DXVII. Orbis redemti CCCLXXV. licet Carolo Magno imperante post annos CCCCXXX. iterum Regnum Occidentale resumsit purpuram, ac Regis Romanorum revixit nomen. Vetus Roma periit circa ea tempora, quibus Urbs corruit; nec silet D. Augustinus in *Præfat.* ad Marcellinum, *Roma Gothorum irruptione agentium sub Alarico atque impetu magnæ cladis eversa est*: etenim teste Procopio, vel trecenti juvenes, quos Alaricus Principibus Romæ dono miserat, *Portam Asinariam* aperuere; vel a Proba illustri fœmina opulentissima, *cum fame & morbis miseraretur cadentem plebem, patefacta*: facta est direptio juxta Procopium ann. CDXII. post Christum natum. De qua scribit Divus Hieronymus ad Principium: *Capitur Urbs, quæ totum capit Orbem: imo fame perit antequam gladio, dum mater non parcit lactanti infanti, & recipit utero, quem paulo ante effuderat.* Ingens exterminium, sed a Deo factum: enimvero cum quidam vir venerabilis Alaricum monuisset, ne auderet in Urbem pergere, teste Paulo Diacono in *Honorio*, respondit: *Non ego volens Romam proficiscor, sed quidam quotidie molestus est, torquens, & dicens, perge & Romam destrue Civitatem.* Capta est Roma IX. Kal. Septembris anno V. C. MCLXIV. Alaricum, qui depopulata Græcia in Epiro morabatur, Stilichonis jussu venisse Zosimus scribit: sed Honorius, ut ab Italia discederet, Gallias & Hispanias habitandas ei concessit. Interim a Saulo die Paschæ Duce aggressus vicit, & Romam expugnavit; sed interim Stilicho, cum post Theodosii obitum Imperium affectaret, jussu Honorii cervices dedit. De Urbis clade vide Orosium *lib.* 7. *cap.* 39. Nicephorum *lib.* 13. *cap.* 35. Prosperum in *Chronico*, Jornandem, Marcellinum, ac Zosimum.

Portendunt vultures Romæ tempus quo regnabit, videlicet XII. sæcula.

Romæ excidium post annos 1200

Annorum differentia parum distat a vero

Sub Alarico Gothorum Rege Roma capta.

CCCCLI. Etiam Octaviano augurium in primo Consulatu captanti, ut Romulo XII. vultures affuerunt omen Imperii, quod ex Dione Xiphilinus in *Augusto* scribit: *Primo die Comitiorum in Campum Martium ingressus* SEX VULTURES *vidit; & paulo post cum apud milites concionaretur,* DUODECIM, *quod ille ad Romulum, atque ejus auguria referens, speravit sibi Regium futurum.* Similiter Suetonius in *Octavio Augusto* cap. 95. scribit: Primo „ Consulatu ei augurium capienti duodecim se vultures, ut Romulo, ostenderunt: & immolanti omnia victimarum „ jecinora replicata intrinsecus ab ima fibra patuerunt, nemine peritorum aliter „ conjectante, quam læta per hæc & magna portendi. Ideo apud Xiphilinum Romuli gaudebat nomine; sunt qui ab Octavio usque ad Fridericos Imperatores hoc auspicium referant; præcipue cum plerisque Pierius, quem vide. Ego firmandum sequor augurium juxta Vatum carmina: Sidonius Apollinaris, in *Panegyrico Aviti Augusti* carmine septimo, Romam avocat incomtam ac supplicem, illustri prosopopœja, Jovi edicentem pro Avito:

Vultures Augusto Imperium portendunt.

Octavius Augustus alter Romulus.

Cum procul erecta cæli de parte trahebat
Pigros Roma gradus, curvato cernua collo
Ora ferens: pendent crines de vertice tecti
Pulvere non galea: clypeusque impingitur ægris
Gressibus, & pondus non terror fertur in hasta;
Utque pii genibus primum est effusa Tonantis,

Roma depressa juxta vulturum auspicia

* Alii, *Docto.* † Rep. *Herulorum.*

A *Testor, sancte parens, inquit, te numen, & illud*
Quicquid Roma fui summo satis obruta fato,
Invideo abjectis, pondus non sustinet ampli
Culminis arta domus, nec fulmen vallibus instat.
Quid rogo, bis seno mihi VULTURE *Thuscus Aruspex*
Portendit jaciens primæ cur mœnia genti,
Omnibus jam celsa fui dum collis Hetrusci
Fundamenta jugis aperis mihi Romule pauper, &c.

Hanc Panegyrim edidit Romæ Sidonius in auspiciis Consulatus Aviti Augusti Kalendis Januariis, post Christum natum Ann. CCCCLVI. declinante jam Imperio juxta vulturum duodecim auspicia; nec siluit omen Claudianus *de Bello Getico* ℣. 262. ubi ait:

Sed malus interpres rerum metus omne trahebat
Augurium pejore via, truncataque membra,
Nutricemque Lupam, Romæ Regnoque minari.
Tunc reputant annos, interceptoque volatu
VULTURIS, *incidunt properatis sæcula metis.*

De sæculo.

CCCCLII. Nec abs re puto disquirere, cur vulturum unaquæque sæculum portendat; est sæculum, teste Varrone libro quinto *L. L. spatium annorum centum, dictum a sene, quod longissimum spatium senescendorum hominum id putarunt*. Attamen apud Romanos indeterminatum sæculi spatium fuisse, testatur Censorinus cap. 17. *de Die Natal. Nostri Majores, quod naturale sæculum quantum esset exploratum non habebant, ad certum annorum modulum centum statuere*: testis est Piso lib. 7. *Annalium*: Titus Livius scribit: *Ludos sæculares Cæsar ingenti apparatu fecit, quos centesimo quoque anno (is enim terminus sæculi) fieri mos*. Utque contra CX. quoque anno repetantur, tam Commentarii XV. Virorum, quam Divi Augusti edicta testari videntur: adeo ut Horatius Flaccus in carmine, quod sæcularibus ludis cantatum est, id tempus signaverit:


Variæ sententiæ.

*Certus undenos * decies per annos*
Orbis & cantus, referatque ludos
Ter die claro, totidemque grata
Nocte frequentes.

Ludi sæculares.

At enim, temporum veterum si revolvantur annales, longe magis in incerto invenietur. Primos enim ludos sæculares, exactis Regibus, post Romam conditam ann. CCLV. a Valerio Poplicola institutos esse novimus: recensetque proinde Censorinus usque ad Octavos Ludos, cunctosque varios; non tamen religione, sed tempore: est Nummus, qui sacra sæcularia denotat, & aras insigni cultu, superstitioseque depromit;

* Ita Censorini Edit. at apud Horat. legitur *ut denos*.



B Nihilominus sæculum a spatio vitę dictum Scriptores vetustissimi testantur; sed quia variat in senibus periodus vitæ, variat etiam annorum computus, sed utplurimum centum annorum confinio esse putatur. Refert Varro, & Dioscorides Astrologus scripsit: „ Alexandriæ inter eos, qui mortuos solent conservare, constare, hominem plus centum annis vivere non posse: id cor humanum declarare eorum, qui integri perierunt sine corporis tabe: ideo quod multis annis pependit cor hoC minis, incrementa ætatis & diminutiones conservent: & anniculi pendere duas drachmas, bimi quatuor, & sic in annos singulos, usque ad quinquesimum accedere binas; ab his centum drachmis ab anno quinquagesimo, item decedere in unoquoque binas: ex quo perspicuum sit centesimo anno redire ad anni primi pondus, nec longius vitam posse produci. Hæc ille: observationemque tanti facit Censorinus, ut hinc sæculum centum annorum spatio definitum, juxta hominis longævi curriculum omnino existimet: sed D inficias licet nectat, audiat, ut resipiscat; inter longævos Plinius, Aristoteles, Phlegon, qui de illis libellum edidit, senissimos offerunt, sæculo majores; imo sacer Bibliorum contextus perhibet homines quingentorum, sexcentorum annorum & amplius, isti excordes quomodo vivebant? Herodotus Arganthonium Tartessiorum Regem CL. vixisse refert; Ephorus, Arcadas dicere, testatur, apud se *Reges antiquos aliquot trecentos vixisse annos*. Fabulam hæc sapiunt Censorino; sed nos, qui Antiquorum monumenta in sacris codici-E bus veneramur, suam opinationem eludimus; nam si vera esset, post centesimum annum vixerit corde exinanitus; imo absque corde vitam protraheret, quod evidenter falsum compertum est.

Sæculum pro spatio vitæ.

Cor hominis crescit usque ad annum 50. decrescit usq; ad centesimum.

Juxta longævorum vitæ spatium supra centenarium.

CCCCLIII. Attamen hæc opinio originem habuit apud Ægyptios, qui vulturem pro centenario colebant in adytis, ejusque cor per drachmas augeri ac decrescere auspicabantur: scribit enim Horus Apollo, *per vultures drachmas duas* denotare Ægyptios, expendit Pierius hieroglyphicum: *cor hinc significari*, quod legerit F apud eorum Sacerdotes, „ infantium anniculorum cor duabus drachmis ponderari, augeri autem per annos singulos drachmis itidem duabus ad annos usque quinquaginta: inde per annos alios eodem decrescere æquilibrio, quod ad id usque tempus auctum fuerit, hominemq; tunc deficere cum ad drachmas jam duas cor ipsum redactum fuerit: ita vitam humanam centum annis plurimum circumscri-

Et drachmas duas.

„ bi, nisi negligenter, aut intemperanter „ actam ipsa sibimet incommoda compara- „ rit.

Romulus Romam suo ex nomine appellat.

CCCCLIV. His recensitis, redeat unde progressa oratio; Victor augurio Romulus Urbem suo ex nomine Romam appellavit; plausu, tubarumque sonitu, faustissimo omine id factum occinit Constantinus Manasses Græcus Auctor in *Annalibus*:

His constitutis ita tubæ sonitu Oppido
Imponit ALTUM NOMEN, ET ROMAM *vocat*.

Nam Festus Pompejus observat in verbo *Regium*, quod *Romulus Urbis conditor verbis Linguæ Latinæ loquutus sit*; nec officit Ennium *lib.* II. Romanos appellasse Græcos:animadvertit proinde ex Festo Paulus: *Romam Romulus de suo nomine appellavit, non Romulam, ut ampliori vocabuli significatu prosperiora Patriæ suæ ominaretur*; nam absconditum, arcanumque nomen, quod Sammonicus Serenus vetitum publicari scripsit, Politianus ex penu antiquitatis recondito *florens* interpretatur. Juppiter apud Virgilium lib. 1. *Æneidos* vers. 280.

In Romæ nomen auguria.

Romulus excipiet gentem, & Mavortia condet
Mœnia, Romanosque suo de nomine dicet.

Occinit Dionysius lib. 2. *Antiquit. Romulus fuit conditor, eique nomen a se imposuit.* Aurelius Victor in *Orig. Gentis Romanæ, proclamans historia Liviana testatur, quod auspicato Romulus ex suo nomine Romam vocavit.* Similiter Messala Corvinus *de Augusti progenie* perhibet *a nomine conditoris Urbem Romam vocatam*; quos indubitanter reliqui tradunt; Sempronius vero Annianus suppofititius, in libro *de Divisione Italiæ*, discrepat, & longam promit litteram adversus Scriptores, quos commendatos dedimus; inquit enim: „ A Lyri usque ad Tyberim Saturnus cum priscis „ Aboriginibus fuit origo, ab Umbris & „ Cameſenis editis, ubi est Mons Capitolinus, & nunc AUREA ROMA terrarum caput. Quamobrem parum considerate quidam scribunt, Romam postremis ac novis sæculis a Romulo conditam, & appellatam, atque cœptam, „ quum nullum ex his tribus verum apud „ Majores inveniatur memoratum, sed sint „ ab eis contraria prodita. Non enim Roma a Romulo nomen habet, quippe „ quia geminis non Remus & Romulus „ nomina posuit Faustulus Etruscus & regius pastor, sed Romulum & Rumen „ illos ab eventu appellavit, quæ sunt nomina Etrusca: alioquin Romæ nomen, „ & nominis origo vulgata esset atque manifesta, quæ occulta esse saluberrima religio sanxit, ne si origo nominis Romæ „ clarescceret, etiam deus, in cujus tutela „ Roma est, & a quo derivationem habet, „ gentibus pateret, & evocaretur ut cæteri. Quamobrem & Angerona silentii „ dea ante Jani festos dies colitur præ foribus, ut ne cui liceat illud palam efferre, „ quod ad salutem Reipublicæ Veteres ore obsignato inter pectora arcana volue-

Sempronius Annianus fictus Auctor.

Negat Romam a Romulo dictam.

„ runt contineri; cujus violatæ religionis „ pœnas primus luit Soranus. Non igitur a „ Romulo Roma, sed e contra ab ipsa potius Roma, cujus adeo occulta est derivatio, Romulus nomen habuit, quæ ante „ ipsum Romulum cœpta legitur coli an- „ nis paulo minus octingentis ab Italo in „ Aventino Capena, & filia ejus Roma in „ Palatino Colle, & ante hos plusquam „ trecentis annis aureo sæculo a Saturno, „ ubi nunc Saturni ædes ad radices Capi- „ tolini Collis. At Romulus solum ex Op- „ pidulo Roma in Palatino Colle quadra- „ tam & regiam reddidit. Huc usq, ille ex plurimorum centonibus fabulam verisimilem coegit; cui respondere otium non restat; tantum tyronibus offero facem historicam, ut sciant, vere ante Olympiades cæcutientes Scriptores umbras captasse, quod docet Eusebius in prima Olympiade, & antea Varro & Censorinus: ideo tres Romas Dionysius exhibet, quas omnes evanuisse temporum injuria compertum est; novam tandem suo ex nomine juxta oraculorum fidem instituisse Romulum, tanta contentione, ut auspicato aves exciperet, fratrem interficeret, Asylum aperiret; quæ omnia Historici asserta referunt, ut discamus, geminos conseruisse certamen, ut Urbi nomen condendæ imponere possent, quod victor Romulus suo ex nomine Urbi bonis avibus auspicantibus dedit; eamque Urbem Remus si vicisset *Remuriam* proculdubio nuncupatam vellet, ex quo compertum fit, impositum Romæ nomen a Romulo fuisse.

A Roma Romulus.

Rejicitur historia ut commentitia.

Ante Olympiades nulla veritas historica.

CAP. XXXVII.

Romulus falso vulturum auspicio Remum Regno fraudavit, & interfecit: Faustulum casum honorifice sepelivit, Remuriumque pagum veluti Remi monumentum colunt. QUÆRITUR *an* MANES *exeant ab orco? Item de evocatione* MANIUM.

CCCCLV. VAtes altum sapiens juxta numinum oracula occinit, *Fraus sublimi regnat in aula*: enimvero primam in Orbe aulam Nembrod Venator coram Domino instituit, & simulata ignis religione tyrannidem aggressus est: tanti facinoris hæres successit Ninus, qui magnitudinem quæsitæ dominationis continua possessione firmavit, pepigitque fœdus cum inferno, ut falleret; domitis igitur proximis cum accessione virium fortior ad alios transiret, & proxima quæque victoria instrumentum sequentis esset, totius Orientis populos subegit: *Postremum illi bellum*, si Justino ex Trogo Pompejo fides, *cum Zoroastre Rege Bactrianorum fuit, qui primus dicitur artes magicas invenisse, & Mundi principia, syderumque motus diligentissime spectasse*: hoc occiso & ipse decessit, relicto impubere adhuc filio Nino ex uxore Semiramide: *Hæc nec immaturo puero ausa tradere Imperium*, SIMULAT SE *pro uxore Nini filium, pro fœmina puerum; sic sexum mentita puer credita est*, & regnavit; hoc ad Regnum iter, commentum malo dolo auspicatum; fictum men-

Fraus regnat in aula.

Semiramis simulat se Ninum, & regnat.

Iter ad Regnum.

mendacium superstitiosissimæ Religionis cultu inter sacrum & saxum, ac si cælo delapsum, pessime obortum: ut culmen adscendunt impii, cumulant delicta, simulataque numinum voce sequuntur mentis deliria, & astra colunt, ut decipiant Notat hæc Valerius *lib.* 1. *cap.* 2. de simulata Religione: *Numa Pompilius, ut Populum Romanum sacris obligaret, volebat videri sibi cum Dea Egeria congressus esse nocturnos*: Scipio Africanus in cella Jovis Capitolini insusurrabat ad aras, ut Jove genitus crederetur: Sylla parvum Apollinis signum Delphis sublatum complexus ostentabat in præliis victoriæ oraculum; Q. Sertorius per asperos Lusitaniæ colles cervam albam trahebat, ab ea se quænam aut agenda, aut vitanda essent, prædicans admoneri: Minos Cretensium Rex nono quoque anno in quoddam præaltum & vetusta religione consecratum specus secedere solebat, & in eo moratus tanquam a Jove, quo se ortum ferebat, traditas sibi leges prærogabat: Pisistratus in recuperanda tyrannide, quam amiserat, simulatione reducentis in Arcem Minervę est usus: Lycurgus consilio Apollinis gravissimæ Lacedæmoniorum civitati leges compositas ferre se persuasit: Zaleucus sub nomine Minervæ apud Locrenses prudentissimus habitus est: Romulus avium augurio Romanos decepit, plausuque Regnum obtinuit; *Augur* erat, inquit Tullius, & vultures fortasse evocavit ab Orco; ibi infelix Titius cruciatur a vulture, quæ teste Virgilio lib. 6. *Æneid.* vers. 598.

Multorum figmenta pro Imperio.

Titii pœna.

Immortale jecur tundens, fœcundaque pœnis
Viscera, rimaturque epulis, habitatque sub alto
Pectore; nec fibris requies datur ulla renatis.

Avium auguria falsa.

Nec eo inficias, dum Romulum augurem nuncupo, scientem portentorum vanitatem in avibus, quæ volatu errant cum Euro; unde Hector apud Homerum in *Iliade* lib. 12. vers. 239. illos e vestigio damnat:

Εἴτ' ἐπὶ δέξι' ἴωσι πρὸς ἠῶ τ' ἠέλιόν τε,
Εἴτ' ἐπ' ἀριστερὰ τοίγε ποτὶ ζόφον ἠερόεντα·
Ημεῖς δὲ μεγάλοιο Διὸς πειθώμεθα βουλῇ.
Seu dextræ spectantur aves Phaethontis ad Ortum,
Sive sinistra petant, obituri limina Solis,
NIL RATIONIS HABENT, *cum sint ratione carentes.*

Similiter Euripides in *Helena* actu 3. carmine 750.

—— ἀλλά τοι τὰ μάντεων
Εσεῖδον, ὡς φαῦλ' ἐστὶ, καὶ ψευδῶν πλέα.
Οὐδ' ἦν ἄρ' ὑγιὲς, οὐδὲν ἔμπυρα φλογὸς,
Οὔτε πτερωτῶν φθέγματ'. εὔηθες δέ τοι
Τὸ καὶ δοκεῖν ὄρνιθας ὠφελεῖν βροτούς.

—— *cæterum nunc plane intelligo*
Quam vani Vates, quamque pleni mendaciis.
Nihil sani, neque in divina flamma ignis Sacri, NEQUE IN AVIUM VOCIBUS:
Imo DEMENTIAE *est vel opinari*
Hominum rebus prodesse posse VOLUCRES.

CCCCLVI. Profuit tamen Romulo volucris, & auspicatum commento Regnum detulit; nihilominus innotuit mendacium, quod Remus ratum habuit, & tamen obtemperavit se augurio, & cessit Regnum fato: enimvero postquam arroganter Imperium sibi detulit, Remo fratri mortem intulit, sanctione præsumta, ne leges violaret; refert facinus Plutarchus: „Quidam dicunt Remum vere sex vidisse, „Romulum mentitum. Detecta fraude „Remus dolore motus Romuli, cum fossam duceret, qua muro amplecti Urbem „statuerat, designationem partim ludibrio „habuit, partim interpellavit. Postremo „cum eam transiliret, cæsum eo loco esse „Auctores sunt quidam, Romuli manu, „alii Celeris, qui sodalis erat Romuli. Eo „in certamine Faustulus quoque, & Plistinus Faustulis frater, quem socium in „educando Romulo Faustulum habuisse „scribunt, cecidere. Celer in Etruriam „exsulatum ivit; ab eo veloces vocant „Romani Celeres: & Q. Metellum, quod „patre defuncto munus gladiatorium populo dedisset, paucis diebus in apparatu „positis, velocitatis admiratione, Celerem „appellavere. Non siluit Livius hanc in fratrem nutritiosque cladem: *Vulgatior fama est ludibrio fratris Remum novos transiluisse muros: inde ab irato Romulo, cum verbis quoque increpitans adjecisset; sic deinde quicumque alius transiliet mœnia mea, interfectum.* Aliam causam præstat Zonaras lib. 2. *Annalium*, prohibuisse videlicet Remum munimentum novæ Urbis, & irrisisse: *Fama est Romulo fossam fodiente in munimentum Urbis, Remum id opus partim prohibuisse, partim derisisse, ac denique transiluisse, ut superatu facilem, eaque de causa, vel a Romulo, vel ab alio ictum cecidisse.* Parvo molimini magnam spem inesse non poterat, & dum Remus magnanimitate præstabat, sciebatque, juxta Etruscorum disciplinam, artem muniendi urbes; vel aliam præstantiorem perquirebat, vel illam damnabat, & exemplo ostendebat satis esse futilem, dum saltu quisque illam transilire poterat; sed ratione nequaquam cupiditas regnandi est compos. Romulus fratrem vidit, & potuit manum inferre armatam, ac illum perimere? proh facinus! Exeat aula, qui vult esse pius, virtus & summa potestas non coeunt. Etiam Jacob *in utero fratrem suum supplantavit*, ut regnaret.

Romulus mentitur ut regnet.

Celeres.

CCCCLVII. Sunt qui excusent Romulum Celeremque a fratricidio:, nam lege cautum voluit rerum potitus, ac Princeps Romulus, ne quis vallum transiret, pœna indicta capitis: *Cumque Urbem muniret mœnibus*, inquit Aurelius Victor, *edixit ne quis vallum transiliret, quod Remus irridens transilivit, & a Celere Centurione rutro vel rastro fertur occisus.* Edixisse

Adversus legem dum saltat Remus, occiditur.

non refert Lucius Florus, sed necem sic offert: „ Ad tutelam novæ Urbis sufficere „ vallum videbatur: cujus dum irridet „ angustias Remus, idque increpat saltu: „ dubium an jussu fratris occisus est; „ prima certe victima fuit, munitionemque „ Urbis sanguine suo consecravit. Victori occinit Messala Corvinus dicens: *Fertur incœpta mœnia contra edictum transiluisse Remum, a Romulo, cui regnare obtigerat, securi percussum.* Nonnulla scitu digna perhibet Dionysius lib. 1. *Antiquit.* quæ addere historiæ fides exigit: Φασὶ δέ τινες συγχωρήσαντα αὐτὸν τῷ Ῥωμύλῳ ἡγεμονίαν· ἀχθόμενον δὲ καὶ δι᾽ ὀργῆς ἔχοντα τὴν ἀπάτην, ἐχειδὴ κατεσκευάσθη τὸ τεῖχος, φλαῦρον ἀποδεῖξαι τὸ ἔρυμα βουλόμενον. Ἀλλὰ τοῦτό γε, εἰπεῖν, οὐ χαλεπῶς ἄν τις ὑμῖν ὑπερβαίη πομέμιος, ὥσπερ ἐγώ· καὶ αὐτίκα ὑπερβάλλεσθαι. Κελέριον δέ τινα τῶν ἐπιβεβηκότων τοῦ τείχους, ὃς ἦν ἐπιστάτης τῶν ἔργων· Ἀλλὰ τοῦτόν γε τὸν πολέμιον οὐ χαλεπῶς ἄν τις ἡμῶν ἀμύναιτο, εἰπόντα, πλῆξαι τῷ σκαφίῳ κατὰ τῆς κεφαλῆς, καὶ αὐτίκα ἀποκτεῖναι. Τὸ μὲν δὲ τέλος τῆς στάσεως τῶν ἀδελφῶν τοῦτο λέγεται γενέσθαι. *Ajunt quidam Remum cessisse de principatu Romulo; indignatum deinde, quod dolo circumventus sit, post mœnia condita illudentem operi dixisse; Hæc facile quivis hostis superaverit, sicut nunc ego; simulque transiliisse e vestigio. Celerem autem quendam fabricæ murorum præpositum subjecisse; Sed istum hostem facile nostrum aliquis arcuerit, moxque inflicto in caput rutro, exanimasse hominem. Hic fuit exitus fraterni dissidii.* Heu præ Væ! dissentiunt, ut pereant, & bonum omen pessimo captant facinore; facessant; fratres non sunt, sunt monstra; enormissimum Orbis exemplum dedit regnandi cupiditas, ut fieret in hoste, quod fratri fecisse puduit, neve posteritas fratricidium, legis prætextu, excuset, audiat in *Fastis* occinentem Ovidium *lib.* 4. vers. 835.

Remus irrisit Urbis principia.

Remus principatum malo animo cessit.

Punitur.

Augurio læti jaciunt fundamina cives;
Et novus exiguo tempore murus erat:
Hoc Celer urget opus, quem Romulus ipse vocarat;
Sintque, Celer, curæ, dixerat, ista tuæ.
Neve quis aut MUROS, *aut* FACTAM VOMERE FOSSAM TRANSEAT, AUDENTEM TALIA DEDE NECI.
Quod Remus ignorans, humiles contemnere muros
Cœpit, & his populus, dicere, tutus erit?
Nec mora, transiliit, retro * *Celer occupat ausum:*
Ille premit duram sanguinolentus humum.
Hec ubi Rex didicit, lacrymas introrsus obortas
Devorat, & clausum pectore vulnus habet;
Flere palam non vult, exemplaque fortia servat,
SICQUE MEOS MUROS TRANSEAT HOSTIS, AIT.

Historia narratur.

Rescr. *rutro*.

CCCCLVIII. Sed ut aliquid de Auctore cædis dicamus; primo Eusebium in *Chronico* attendamus scribentem, *Remus rastro pastorali a Fabio Duce occiditur.* Fabii erant ex factione Remi, unde substituere licet, *a Celere*: sed in Fabiorum familia inquit Antonius Augustinus, *alibi legi Fabium Celerem Centurionem Remum occidisse.* Fortasse utroque dicebatur nomine: in Adonis *Chronico* ætate quarta, *Remus a Fabio Romuli Duce occisus est*: Glossæ *rutrum rastrumque* confundunt. De eo Festus Pompejus, *Rutrum dictum, quod eo arena eruitur*: addo ex eo simulachrum cum rutro Bithynicum, *Rutrum tenentis juvenis est effigies in Capitolio ephebi more Græcorum arenam eruentis exercitationis gratia: quod signum Pompejus Bithynius ex Bithynia supellectilis regiæ Romam deportavit.* Sed quia non a Celere, sed a Romulo interfectum plerique fuisse scribunt, grande hoc scelus exsecrari oportet, ob solam Regni cupidinem; cecinitque in primo *Pharsaliæ* Lucanus vers. 92.

De interfectore Remi.

Nulla fides Regni sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis erit; nec gentibus ullis
Credite; nec longe fatorum exempla petantur:
FRATERNO *primi maduerunt sanguine muri,*
Nec pretium tanti tellus, pontusque furoris
Tunc erat: exiguum dominos commisit asylum.

Nulla fides Regni sociis.

Non Agis * & Thebis pudenda Vates petit exempla, sed Romuli, qui ob parva mœnia fratrem interfecit; Thyestes apud Senecam ad Plisthenem ait vers. 445.

—— Non capit Regnum duos.

Non capit Regnum duos.

Medea apud eundem vers. 908.

Medea nunc sum, crevit ingenium malis.
Juvat, JUVAT RAPUISSE FRATERNUM CAPUT,
Arcus juvat secuisse, & arcano patrem
Spoliasse sacro.

Sic illa Absyrtum fratrem dilaniavit, & juxta Senecæ ac Apollonii eruditos Scholiastes, hunc Pacuvius & Diodorus *Ægialeum* vocant; Timonax & Apollonius *lib.* 3. ob formæ præstantiam *Phaethontem* appellant: hunc Medeæ uterinum fuisse fratrem testatur Sophocles in *Sythnis*: Valerius Flaccus Medea natum minorem facit; eumque ex cunis infantulum sublatum, & in mari postea mersum a Medea tradit Pherecydes *lib.* 7. Sophocles in Colchide in patriis ædibus jugulasse canit: Apollonius prope Istrum: Plinius in Insulis, quæ ab hoc facinore Absyrtides appellantur; quid mirum si proprias deinde in filiis carnes dilaniavit? vere Horatius nec inter feras tantum scelus reperisse declamat in *Epod.* od. 7.

Medea fratrem suum occidit.

Ejus historia enarratur.

* Forte, *Argis*,

Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus
Unquam, nisi in dispar feris,*
Furor ne cæcus, an rapit vis acrior?
An culpa? responsum date:
Tacent; & ora pallor albus inficit,
Mentesque perculsæ stupent.
Sic est: acerba fata Romanos agunt,
SCELUSQUE FRATERNAE NECIS:
Ut immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor.

Scelus fraternæ necis Romanos agitat.

Quo pacto cœpit Orbis, cœpit & Urbs; unde Poeta Germanus cum Caino Romulum comparat, & Urbis Orbisque initia:

Incepto fratrem Cain Orbe occidit Abelem,
Incepta frater Romulus Urbe Remum.
Roma Remi polluta recens, ut Mundus Abelis
Sanguine; principium est Orbis & Urbis idem.

Urbis & Orbis idem initium.

CCCCLIX. Quod pejus, imo infandum ex secrandumque facinus, Faustulum altorem interfecit; quod in Nerone moriturus horrendum Seneca censuit, inquit enim apud Tacitum libro 16. *Annal. Cui enim ignaram fuisse Neronis sævitiam? Neque aliud superesse* POST MATREM FRATREMQUE *interfectos, quam ut Educatoris Præceptorisque necem adjiceret.* Animadverto quam simillimum scelus: etenim Nero Urbem antiquam incendio perdidit, ruituram in igne, ut conderet suo ex nomine Neroniam; exusta fuit præcipue Urbs quadrata Romuli vetus *Nam Mons Palatinus omnino, & Theatrum Tauri†, & cæteræ Urbis duæ partes exustæ sunt*, inquit Xiphilinus, & Eutropius *lib. 7. Parricidia multa commisit*, FRATRE, UXORE, MATRE *interfectis, Urbem Romam incendit.* Exemplo Majorum vere poterat Urbem novam condere, nam primus Euandrus Urbem, quam dixere Romam, ædificavit, & ipse tali crimine præmotus primordia Urbi dedit, ut fatale fuisse credamus, fratrum cruore libato, Urbem condere.

Magistrum & altorem occidere summum nefas.

Nero alter Romulus.

CCCCLX. Occidit itaque Remum Romulus, ceciditque simul Faustulus, ejusque frater, ambo Romuli altores; lugere ostentabat, sive commotis introrsum præcordiis gemebundus sibi necem intentare audebat; quod Dionysius Halicarnasseus sic refert: *Cæso in hac pugna Remo, victoriam miserabilem Romulus de fratre ac civili cæde referens, ipse præ mœrore ac facti pœnitentia cœpit cogitare de inferendis sibimet ipsi manibus*, Sero sapiens seipsum fratris Manibus litare cogitabat; sic Alexander postquam Clitum fratrem suum transfixum hasta peremit, super fratris cadaver semet ipsum interficere conabatur. prodit scelus Curtius lib. 8. *de rebus Alexandri*: „Rex posteaquam iræ mente de„cesserat, magnitudinem facinoris sera exi„stimatione perspexit; detestabile carnifi„cis ministerium occupaverat Rex: mana„bat toto vestibulo cruor, paulo ante convi„væ, vigiles attoniti & stupentibus similes „procul stabant, liberioremque pœniten„tiam solitudo excipiebat. Ergo hastam ex „corpore jacentis evulsam retorsit in se„met, jamque admoverat pectori, cum ad„volant vigiles, & repugnanti e manibus „extorquent, allevatumque in tabernacu„lum deferunt. Furor excæcat fratres, ut discordes pugnent seseque conficiant; unde Juno ad Alectum penes Virgilium lib. 7. *Æneidos* vers. 735.

Romulus occiso fratre intentat sibi mortem.

Simile ter Alexander.

Tu potes unanimes armare in prælia fratres.

Nec officit in funere luctus, non est amoris, vel pœnitentiæ signum, licet Jocasta mulier sapientissima ad Polynicem, qui fratrem interimere curabat, apud Senecam audacter dicat *Thebaid.* vers. 638.

Frangenda palma est. Quale tu id bellum putas,
In quo exsecrandum victor admittit nefas
Si gaudet? hunc, quem vincere infelix cupis,
CUM VICERIS, LUGEBIS.

Sic Nili feræ occisos deflent & devorant; at Regnorum cupidi feritatem remittunt, non exuunt; Nero, qui fratrem Britannicum veneno sustulit, post funus ficto mœrore flevit elatum; & tamen Iturium & Calvisium, accusante Junia Silana, testes audivit adversus matrem Agrippinam ream expostulatam coram filio, inquit Tacitus lib. 13. *Annal. quod Britannici mortem lugeret.*

Simulant, non lugent.

CCCCLXI. Facile assentitur suadentibus ne mortem sibi consciseret, & componit loculos ad funus interfectorum, *Romulus Remum cum nutriciis suis sepelivit ad Remoriam.* Erat in Aventino Remoria locus auspicatus a Remo, designatusque ad novæ urbis ædificium, quem habuit proinde sepulchrum: super loculum Faustuli leonem erexit, hieroglyphicum viri fortissimi; sive potius a filio hosteque, ut sciret posteritas, interfectum fuisse: leo namque noctu visus *occisionem ab hoste* portendit, cur non in tumulo? ita assertum voluit Artemidorus *lib. 1. cap. 39.* cæterique Onirocritæ, quorum vetus Poeta occinit: *visæ leonum imagines noctu indicant occisionem ab hostibus.* Vere hostis fuit Romulus dum regnum affectabat, fratrem ac patrem perdidit, ut Regnum acquireret; præcipue instigante Celere, qui e more Ducum ac Curialium fraterno cruore gaudent effuso, ut ditescant, occinitque Lucretius *lib. 3.* vers. 70.

Fratris ac Faustuli funus.

Leo noctu visus portendit occisionem.

Sanguine civili rem conflant, divitiasque
Conduplicant avidi; cædem cæde accumulantes:
Crudeles gaudent in tristi funere fratrum.

Virgilius lib. 2. *Georg.* vers. 509.

—— gaudent perfusi sanguine fratrum
Exsilioque domos, & dulcia limina mutant,
Atque alio patriam quærunt sub Sole jacentem.

Impii discordias inter fratres augent.

* Alii, *genus*. † Leg. *Scauri*, de quo Plinius lib. 36. cap. 15.

Consensit Romulus neci illorum, etsi Celer Centurio scelus perpetrasse fertur, mandatum Romuli assecutus est: sic Britannico paravit in fame venenum præ cunctis exitiosissimum Pollio Julius Prætoriæ cohortis Tribunus, & Locusta venefica, sed Neronis jussu, qui fratricida damnatur. Jurgia excusabat Faustulus, ne arma in se verterent fratres, sicut Jocasta infelix mater, Polynice & Etheocle concertantibus fratribus, apud Senecam vociferabatur, *Thebaid.* vers. 443.

In me arma & ignes vertite, in me omnis ruat
Unam juventus; quæque Thebana ferox
Descendit arce: civis atque hostis simul
Hunc petite ventrem, qui dedit FRATRES *viro.*
*Mea membra sparsim * spargite, ac divellite,*
Ego utrumque peperi: ponitis ferrum ocyus
Ac dico, & ex æquo mihi dextras datis?
Date dum piæ sunt: error invitos adhuc
Fecit nocentes: omne fortunæ fuit
Peccantis in nos crimen,

Crimen Remi enormissimum.

Brutum fulmen fuisset, si quis matrem interfecisset pacem ex æquo postulantem, qualis Romulus Faustuli interfector parentis.

CCCCLXII. Ovidius lib. 4. *Fastor.* ver. 849. exsequiarum meminit, ac cremati corporis Remi; fortasse superstes adhuc mos in funere perstabat comburendi corpora:

Remi corpus crematur.

Dat tamen exsequias: nec jam suspendere fletum
Sustinet; & pietas dissimulata patet;
Osculaque applicuit posito suprema feretro:
Atque ait, invito frater ademte VALE;
Arsurosque artus unxit ———
Ultima plorato subdita flamma † est.

Cremandi mos antiquus.

Ergo non recte Plinius *lib* 7. *cap.* 54. inquit: *Ipsum cremari apud Antiquos * non fuit veteris instituti, terra condebantur; at postquam longinquis bellis obrutos erui cognovere, tunc institutum.* Eruit Caii Marii cadaver Sylla, qui veritus talionem traditur crematus; asseritque Tullius lib. 2. *de Legibus:*

Causa inquiritur.

Caii Marii sitas reliquias apud Anienem dissipari jussit Sylla victor, acerbiore odio incitatus: quod haud scio an timens ne suo posset corpori accidere, primus e patriciis Corneliis igne voluit cremari: prudenter Tullius e familia Corneliorum primum scripsit Syllam crematum; nam apud Veteres crematio in usu fuisse legitur; Plutarchus in *Numa* ait: Περὶ μὲν ὐκ ἔδοσαν τὸν νεκρὸν, αὐτῦ κωλύσαντος, ὡς λέγεται· δύο δὲ ποιησάμενοι λιθίνας σορούς, ὑπὸ τὸν Γ'ανόκλον ἔθηκαν. *Corpus crematum non est, quod ipse, ut fertur, prohibuerit; duas autem lapideas arcas confecere, & sub Janiculo posuerunt*; non prohibuisset nisi apud Romanos frequens in funere rogus; unde Tacitus lib. 16. *Ann.* juxta optimam Kirchmanni animadversionem de Popæa ait, *Corpus non igni abolitum, ut Romanus mos*; Spartianus scribit de Caracalla Imperatore, *Getam fratrem in Palatio fecit occidi: ejus corpus*

* Leg. *passim.* † Rep. *rogo.* * Rest. *Romanos.*

statim cremari præcepit. Faustulum adhuc superstitem illo in carmine Ovidius occinit, simulque cum conjuge Acca Larentia composuisse funus, qua Scriptorum fide ignoro: illos fortasse sequutus, qui etiam Remum consenuisse post Romulum putant, eosque ex Livio redarguit Aurelius Victor. Quod etiam discessurus VALE dixit Romulus, antiquo e more fuit, observabamus ex Virgilio lib. XI. *Æn.* v. 97.

Vale dicebant post funus.

—— *salve æternum mihi, maxime Palla,*
Æternumque VALE.

Salve.

Papinius Statius in tertio *Sylvarum* occinit,

Salve supremum genitor, mitissime patrum,
Æternumque VALE.

Quod Brissonium plerisque cum aliis ex Servio & Varrone adnotasse compertum est; unctionem & feretrum Ovidius ponit in funere, quod Romanos a Trojanis habuisse testatur Virgilius lib. 6. *Æneid.* vers. 215. ubi Miseni funus effingit;

Feretrum.

Ingentem struxere pyram; cui frondibus atris
Intexunt latera, & ferales ante cupressos
Constituunt, decorantque super fulgentibus armis.
Pars calidos latices, & abena undantia flammis
Expediunt, corpusque lavant frigentis & ungunt,
Fit gemitus, tum membra toro defleta reponunt,
Purpureasque super vestes, velamina nota,
Conjiciunt: pars ingenti subiere FERETRO
Triste ministerium, & subjectam more parentum
AVERSI TENUERE FACEM, *congesta cremantur*, &c.

Pyra. Rogus. Aversi tenebant facem.

CCCCLXIII. Sed ficta non placent Superis. Fit ad pompam funus, & oculus effundit lacrymas potius ob lætitiam Regni, quod fratricidio acquisierat; sicut Geta ab Antonino Caracalla fratre occisus, fuit inter numina antiquorum religione adscriptus post funera; causam refert Ælius Spartianus in *Geta*: *Cum fratrem occidisset, ac vereretur ex parricidio notam, audiretque posse mitigari facinus, si divum fratrem appellaret, dixisse fertur*, SIT DIVUS, DUM NON SIT VIVUS. Addamus ex eodem Spartiano sceleri scelus aliud enormitate fœdissimum; gloriabatur de nece fratris; ita ut Helvius Pertinax joco dixisset Caracallo, qui se *Germanicum*, & *Parthicum*, & *Arabicum* nominabat, *adde, si placet, Geticum maximum*, eo quod Getam occiderat fratrem; sed coram Deo sanguis innocens vindictam clamat, nec tantam impietatem omnino impunitam finit Numen ub alto; enimvero inquit ex Dione Nicæo Xiphilinus: *Cum postremam profectionem pararet ex Antiochia, pater ei cum gladio adstitit in somnis, & ut tu, inquit, fratrem tuum interfecisti, ita ego te interficiam.* Domitianus etiam fratrem suum Titum interfecit, ut regnaret. Fuit

Caracalli Imp. impietas in fratrem, quem inter divos adscripsit.

Titus a fratre Domitiano occisus.

Titus, Eutropio auctore, *vir omnium virtutum genere mirabilis, adeo ut* AMOR *& deliciæ humani generis diceretur, facundissimus, bellicosissimus, moderatissimus*; sequitur Xiphilinus: *Cum enim adbuc respiraret, possetque forsan convalescere, Domitianus ipsum in arcam plenam nivis conjecit, quo celerius moreretur: eo quidem certe vivo Romam venit, introiitque in castra, ac nomen & potentiam Imperatoris accepit.* Addit Suetonius Flavium Clementem patruelem suum ex tenuissima suspicione tantum non ipso ejus Consulatu interemisse: *Quo maxime facto maturavit sibi exitium; continuis octo mensibus tot fulgura facta, nuntiataque sunt, ut exclamaverit*, FERIAT JAM QUEM VOLET. Addit proinde *cap.* 16. *Circa mediam noctem ita est exterritus, ut e strato prosiliret.* Ex Dione etiam Xiphilinus refert: „ Evenere Domitiano „ prodigia, quod Rusticum ad se CUM „ GLADIO accedere, & Minervam, „ quæ in cubiculo ejus collocata erat, arma „ abjicere, eandemque ex curru, qui ni„ gris equis trahebatur, in magnum hia„ tum descendere, in somnis vidit. En gladius Gedeonis, imo gladius ex ore Dei procedens, ex utraque parte acutus; iste gladius magnæ occisionis appellatur a Propheta, & apud Vatem Regium Deus ipse faciens vindictam exclamat: *Gladius meus devorabit carnes*; fugite, fugite a facie gladii, o impii, qui parentum clades ob cupidinem paratis ad necem, est enim Deus faciens judicium & justitiam omni tempore.

Domitianus a furiis agitatus.

Gladius Dei adversus parricidas.

CCCCLXIV. Dicat Romulus, dum manes patitur, colluctatque umbras ad interitum; Remum videbat exturbantem, horrido adspectu, circa regium statum, eratque præ oculis spectrum horribile, exsecrandum, inexpiabile. Ipse *Augur*, ut scribit Tullius, corpus Remi concremaverat, ut anima evolaret ad astra; putabant namq; Veteres per flammas & ignem solutam e corpore animam cælum petere: assertumque dedit Servius *in lib.* 3. *Æneidos*: *Romani comburebant cadavera, ut statim anima in suam rediret naturam.* Quintilianus *Declamatione* 10. id firmat: *Quoties humani pectoris carcerem effregerit, & exonerata membris mortalibus levi se igne lustraverit*, PETERE SEDES INTER ASTRA. An non cælum Dei sedes? ibi & vindex & Judex; audiant Gentiles, & timeant; audiant Christiani, & resipiscant: cuncti a Romuli ediscant fato: Ovidius lib. 5. *Fast.* vers. 453. canit prodigia:

Concremata cadavera ut animæ evolarent ad astra.

Romulus ut tumulo fraternas condidit UMBRAS,
Et male veloci justa soluta Remo;
Faustulus infelix & passis Acca capillis
Spargebant lacrymis ossa perusta suis:
Inde domum redeunt sub prima crepuscula mœsti,
Utque erat, in duro procubuere toro;
UMBRA CRUENTA REMI *visa est assistere lecto*,
Atque hæc exiguo murmure verba loqui;
En ego dimidium vestri, parsque altera voti
Cernite sim qualis: qui modo talis eram.
Qui modo si volucres habuissem Regna jubentes,

Umbra Remi apparet.

Loquitur.

In populo potui maximus esse meo:
Nunc sum elapsa rogi flammis & inanis IMAGO:
Hæc est ex illo forma relicta Remo.
Heu! ubi Mars pater est? si vos modo vera locuti;
Uberaque expositis illa ferina dedit:
Quem lupa servavit, manus hunc temeraria civis
Perdidit: o quanto mitior illa fuit!
Sæve Celer, crudelem animam per vulnera reddas;
Utque ego, sub terras sanguinolentus eas.

Celerem exsecratur interfectorem.

CCCCLXV. An exeant ab orco animæ? Tertullianus prudenter negat; enimvero ad locum semel suum properantes, perseverant in pœna, tanquam servi in ergastulis occlusi, ut reatus pondera portent: videntur nonnumquam Manes defunctorum, quorum simulacra, vel imaginatio fingit, vel Deus repræsentat in Angelis, si justorum sunt Idola, Dæmonum spectro, si malorum: sunt qui ipsas animas emissas jubente Deo putent; sed Dives in inferno neque Moysen neque unum ex Prophetis exire ad enuntiandas inferorum pœnas obtinere potuit supplex: Samuelis in umbra imago surrexit, non Samuel, sic Saul territus mortis oraculum instantis excepit, asseritque Cyrillus, Onias & Hieremias, qui gladium Macchabæo tradidit, fortasse erant in Angelis repræsentati; quia magnum chaos firmatum est inter nos & defunctorum animas. Sunt terriculamenta umbrarum in agris, imo in domibus, in quibus luunt animæ reatus pœnam, ut docet Divus Augustinus: sunt plerumque Dæmonum illusiones, ut Richardus testatur, quandoquidem Deus, ut fidem animarum purgantium faciat, inquit Armandus, illas emittit, vel illarum vice, quos jubet Angelos, vel Dæmones; ut plurimum species efformat, ut nuntiet ventura pœnarum: sed cur non accedunt remeantes ab orco? An quia teste Divo Augustino de cura gerenda pro mortuis, *nesciunt mortui, etiam Sancti, quid agant vivi, & eorum filii*? Probatque, si rebus viventium interessent animæ defunctorum: *Meipsum pia mater nulla nocte desereret, quæ terra marique secuta est, ut mecum viveret*: recte homo, a David in Psalmo 77. *spiritus vadens & non rediens* dicitur: nam si quæ in Mundo sunt ignorant, ad quid ejus reditus? audiamus Gregorium l. 12. *Mor.* cap. 13. *Mortui vitam in carne viventium post eos qualiter disponatur, nesciunt: quia vita spiritus longe est a vita carnis: & sicut corporea atque incorporea diversa sunt conditione, ita sunt distincta cognitione.* Sed quid dicendum de apparitionibus, quæ cum profana, tum sacra Historia refert? De Martyrum apparitionibus, inquit D. Augustinus *loco cit.* „ Res hæc altior est, quam „ ut a me possit attingi: & abstrusior est, „ quam ut a me valeat perscrutari; & „ ideo quid horum duorum sit, an vero „ fortassis utrumque sit, ut aliquando ista „ fiant per istam præsentiam Martyrum, „ aliquando per Angelos suscipientes per„ sonam Martyrum, definire non audeo. Confidenter Sanctus Hieronymus Martyres apparere testatur, imo adversus Vigi-

An exeant animæ ab inferno & appareant?

Negant plerique.

Probat. i

An mortui sciunt, quæ viventes in Mundo faciunt.

lantium inclamat: *Cum Diabolus & Dæmones ubique toto Orbe vagantur, quare Martyres post effusionem sanguinis tenebuntur inclusi?* Qui diversimode putant, non inclusos Maryres, tanquam in carcere perhibent, sed sub altare Dei, ubi corpus Domini reponitur, ut sit beatitudo perfecta; nec officit ad gloriam Martyrum, quia etiam Sanctus Joannes Chrysostomus, & Basilius, & Gregorius Magnus Pontifex docent, Angelos pro Deo apparuisse, non ideo occlusum Deum confitentur, cum sit ubique; qua de re ex Recentioribus scripserunt præcipue Sixtus Senensis in *Bibliotheca*; Thyreus *de spirituum apparitionibus*; Bartholomæus Sibylla in *Quæstionibus* utroque antiquior, quos vide. An vere Dæmon Socratis (proinde si petas) apparenter illum docebat? Plato, Xenophon, & Apulejus libros conscripsere de Socratis Dæmone: movisse illum ad bene agendum scribit Chalcidius, ideo cum Genio confundunt Dæmonem; sed apparuisse quam sæpissime arbitror, quia Dæmones sunt Angeli missi ad Orbis ministerium, quandoque corpus sumere occasio facit operæ pretium, ut instruant, percutiant, & pareant, prout necessitas urget. Quod *Lemures*, *Manes*, *Umbræ* non assequuntur, cum sint in termino: & in pœna non vident suæ familiæ urbisque gesta: e contra, auctore D.Thoma, Beati in Deo tanquam in speculo summæ beatitudinis ea vident quæ Deus ad illorum felicitatem videri largitur; ideo superstitiosi Veteres Manes ab inferis evocabant, tanta impietate, ut gratias agamus Deo, qui nos ad veritatis cultum vocavit; ritum offert Seneca in *Oedipo* vers. 548. postquam lucum descripsit horridum, & Dæmones luci incolas, invocabant nescientes præsentia, ut scirent futura;

De Socratis Dæmone quæritur.

Manes quo ritu Veteres evocabant ab orco?

Huc ut Sacerdos intulit senior gradum,
Haud est moratus; præstitit noctem locus:
Tunc fossa tellus, & super rapti rogis
Jaciuntur ignes: ipse funesto integit
Vates amictu corpus, & frontem quatit:
Lugubris imos palla perfundit pedes,
Squallente cultu mœstus ingreditur senex:
Mortifera canam taxus adstringit comam:
Nigro bidentes vellere atque atræ boves
Retro trahuntur: flamma prædatur dapes,
Vivumque trepidat igne ferali pecus;
VOCAT INDE MANES; *Teque, qui Manes regis,*
Et obsidentem claustra letalis lacus,
Carmenque magicum volvit, & rapido minax*
Decantat ore quicquid aut placat leves,
Aut cogit Umbras: irrigat sanguis focos,
Solidasque pecudes urit, & multo specum
Saturat cruore: libat & niveum insuper
Lactis liquorem; fundit & Bacchum manu
Læva; canitque rursus, & terram intuens
Graviore MANES *voce & attonita ciet;*
Latravit Hecates turba; ter valles cavæ
Sonuere mœstum; tota succusso solo
Pulsata tellus. Auditor, Vates ait,
Rata verba fudi: rumpitur cæcum chaos,

Impietas Gentilium fœdus init cum inferno.

Horror præcedit Dæmonum adventum.

* Alii rectius, *rabido*.

Iterque populo Ditis ad superos datur:
Subsedit omnis silva, & erexit comam,
Duxere rimas robora; & totum nemus
Concussit horror; terra se retro dedit,
Gemuitque penitus; sive tentari abditum
Acheron profundum mente non æqua tulit:
Sive ipsa tellus, ut daret functis viam
Compage rupta sonuit; aut ira furens
Triceps catenas Cerberus movit graves,
Subito dehiscit terra, & immenso sinu
Laxata patuit; ipse pallentes deos
Vidi inter Umbras: ipse torpentes lacus,
Noctemque veram: gelidus in venis stetit,
Hæsitque sanguis; sæva prosiluit cohors,
&c.

Umbræ infernum conturbant.

CCCCLXVI. Sed mirabile censetur, Umbram Remi adversus Celerem interfectorem imprecationes edidisse: quod ex Platone notandum puto Dial. 9. *de Legibus*: *Λέγεται δὲ ὡς ὁ θανατωθεὶς ἄρα βιαίως, ἐν ἐλευθέρῳ φρονήματι βεβιωκὼς, θυμοῦταί τε τῷ δράσαντι νεοθνὴς ὢν, καὶ φόβου καὶ δείματος ἅμα διὰ τὴν βίαιον πάθην αὐτὸς πεπληρωμένος, ὁρῶν τε τὸν ἑαυτοῦ φονέα ἐν τοῖς τῆς ἑαυτοῦ συνηθείας ἀναστρεφόμενον, δειμαίνει, καὶ ταραττόμενος αὐτὸς ταράττει κατὰ δύναμιν πᾶσαν τὸν δράσαντα, μνήμην ξύμμαχον ἔχων αὐτόν τε καὶ τὰς πράξεις αὐτοῦ.* *Fertur interfectum vi hominem, qui libere vixit, interfectori proximo statim post mortem tempore irasci, ac propter violentam mortem terrore turbationeque plenum, maxime si viderit interfectorem inter suos modo solito vivere, ipsum ejusque actiones, vim ad hoc suppeditante memoria, cunctis viribus terrere atque turbare.* Hæc ille; firmantque ejus oraculum Orestes & Nero exagitati a parentum Umbris, ut Sophocles & Tacitus scribunt: nec aliter a Mario Sylla, a Cleonice Pausanias, a Tlepolemo Trasyllas apud Apulejum, quod Dido Æneæ minabatur lib. 4. *Æneid.* vers. 386.

Cadaver curam interfectore turbatum.

Umbræ interfectorum.

Omnibus Umbra locis adero; dabis, improbe, pœnas.

Præcipue si interfecti immatura morte obierint, ut Remus adhuc adolescens, errare ad facinus dicuntur; assertumque voluit e more Plautus in *Mostellaria* Act. 2. Sc. 2. vers. 67. ubi dicentem promit,

Me in Acheruntem recipere Orcus noluit,
Quia præmature vita careo: per fidem
Deceptus sum: hospes hic me necavit.

Monetque Tertullianus in libro *de Anima* cap. 56. *Ajunt & immatura morte præventos, eo usque vagari istbic donec reliquatio compleatur ætatis, qua cum pervixissent, si non intempestive obiissent*, quo pacto vagasse Remi Umbram compertum est. Tamen immortalitatis animæ apud Gentiles argumentum hoc viget.

CCCCLXVII. Cecinit Vates Ovidius post visam Umbram Faustulum & Accam rogasse Romulum, ut diem sacram Remo dicaret, idque rogasse Remum in Umbra, sic testatur lib. 5. *Fast.* vers. 473.

Remi expiatio.

A *Hunc vos per lacrymas, per veſtra alimenta rogate,*
Ut celebrem noſtro ſignet honore diem.
Romulus obſequitur, lucemque Remuria dixit
Illam, qua poſitis juſta feruntur avis.
Aſpera mutata eſt in lenem tempore longo
Littera, quæ toto nomine prima fuit;
Mox etiam LEMURES *animas dixere ſilentium.*
*Hic ſenſus verbi: jus * ea vocis erat.*

Remuria ſacra Lemuria.

B Etymum offert Porphyrion vetus Horatii Interpres: „ Lemures putant hominum „ eſſe poſt mortem vagantes Umbras, di- „ ctos quaſi Remores a Remo, cujus occi- „ ſi Umbram frater Romulus placare cum „ vellet, Lemuria inſtituit, id eſt, Paren- „ talia, quæ menſe Majo per triduum cele- „ brari ſolent ante additum anno menſem „ Februarium. Prima verba ex Apulejo ſunt in libro *de Deo Socratis*: *Animus humanus exutus & liber ſtipendiis vitæ corpori ſuo objuratis: hunc vetere Latina Lingua reperio Lemurem dictum.* Sed vetus ætas a Remo Lemurem mutata prima littera R in L, ut Ovidius canit; cæterum apud Nonium Marcellum Lemures ſunt *Larvæ nocturnæ, & terrificationes imaginum & beſtiarum; teſte Varrone in Vita populi Romani, in ſacris fabam jactant noctu, ac dicunt ſe Lemures domo extra januam ejicere.* Canit hunc ritum Ovidius lib.5.*Faſtor.* v.429.

Lemures Umbræ vagantes.

Larvæ.

Nox ubi jam media eſt, ſomnoſque ſilentia præbent,
Et canis, & variæ conticuiſtis aves.
Ille memor veteris ritus, timiduſque deorum,
D *Surgit: habent gemini vincula nulla pedes:*
Signaque dat digitis medio cum pollice junctis,
Occurrat tacito ne levis umbra ſibi:
Cumq; manus pure fontana perluit unda,
Vertitur, & nigras accipit ore fabas:
Averſuſque jacit; ſed dum jacit, Hæc ego mitto,
His, inquit, redimo meque meoſque FABIS.
Hæc novies dicit, nec reſpicit; Umbra putatur
E *Colligere, & nullo terga vidente ſequi:*
Rurſus aquam tangit, Temeſæaque concrepat æra;
Et rogat ut tectis exeat Umbra ſuis.

Ritus expiandi Umbras, Maneſque.

Timebant Umbrarum terriculamenta, utpote horrenda, quæ non ſemel domos evertere, turbines ac tonitrua excitare ſolita; Manes namque, teſte Apulejo, dicuntur per antiphraſim, *cum ſint terribiles & immanes*: ita ille apud Iſidorum lib. 8. *Orig.* cap.ult. qui emendatus poſt Librario-
F rum incuriam, Manes apppellat, *immites hominibus*: Paulus ex Feſto, *proper metum mortis veneratos* dicit; & Martianus Capella *truces* illos vocat: nam Umbra Remi terræmotum, bellum civile, & peſtem induxit: ſicut Auctor Faſtorum, qui Siculi nuncupantur, enarrat; Manes Caligulæ deſcribit Suetonius *c.* 59. „ Cadaver

Manes vere immanes truculenti terrent occurſu.

* Leg. *vis.*

„ ejus clam in hortos Lamianos adſportatum, & tumultuario rogo ſemiambuſtum levi ceſpite obrutum eſt: poſtea per „ ſorores ab exſilio reverſas erutum, crematum, ſepultumque eſt. Satis conſtat, „ priuſquam id fieret, hortorum cuſtodes „ UMBRIS inquietatos: in ea quoque domo, in qua occubuerit, nullam noctem „ ſine aliquo terrore tranſactam, donec ipſa domus incendio conſumta ſit. Britannici Umbra fulgura ac tonitrua excitavit adverſus Neronem & Urbem; præſtat hæc Tacitus lib. 13. *Annalium* c. 17. „ In Campo Martio ſepultus eſt, adeo turbidis „ imbribus, ut vulgus iram deum portendi crediderit adverſus facinus, cui plerique etiam hominum ignoſcebant, antiquas FRATRUM DISCORDIAS, & „ INSOCIABILE REGNUM exiſtimantes.

Turbant domos.

CCCCLXVIII. Sic primus Umbram Remi Romulus placavit, addiditque feſtorum albo Lemuria ſacra; notandum ex eodem Ovidio, Umbram excuſaſſe facinus, ac fratricidium, occinitque Vates lib. 5. *Faſt.* verſ. 471.

Remus adhuc defunctus Romuli facinus excuſat.

Noluit hoc frater; pietas æqualis in illo eſt;
Quod potuit, lacrymas Manibus ille dedit.

Sed hoc carmen, vel addidit ad ornatum Ovidius, ut ſcelus elevaret ab Urbis conditore, vel Acca ad Romulum retulit, ut hominem induceret ad Lemuria inter ſolennia e more dicanda: enimvero Tullius inquit lib. 3. *de Officiis* cap. 10. „ Cum ei „ viſum eſſet utilius, ſe * quam cum altero regnare, fratrem interemit. Omiſit „ hic & pietatem, & humanitatem, ut id, „ quod utile videbatur, neque erat, aſſequi „ poſſet: & tamen muri cauſam oppoſuit, „ ſpeciem honeſtatis, nec probabilem, nec „ ſane idoneam. Peccavit igitur, pace vel „ Quirini, vel Romuli dixerim. Factumque impium & inhumanum etiam Auguſtinus lib. 3. *Civitatis Dei* cap. 6. ad Marcellinum promit, majuſque Romuli crimen Paridis adulterio, qui Trojam funditus evertit, demonſtrat: „ Si eo uſque peccata hominum illis numinibus diſplicerent, ut offenſi Paridis facto deſertam „ Trojam ferro ignique domarent, magis „ eos contra Romanos moveret Romuli „ frater occiſus, quam contra Trojanos „ Græcus maritus illuſus; magis irritaret „ parricidium naſcentis, quam regnantis „ adulterium civitatis. Nec ad cauſam, „ quam nunc agimus, intereſt, utrum hoc „ fieri Romulus juſſerit, aut Romulus fecerit, quod multi impudentia negant, „ multi pudore dubitant, multi dolore diſſimulant: Romuli fratrem palam conſtat „ occiſum; non ab hoſtibus, non ab alienis. Si autem perpetravit, aut imperavit hoc Romulus, magis ipſe fuit Romanorum, quam Paris Trojanorum caput. Cur igitur Trojanis iram deorum „ provocavit ille alienæ conjugis raptor, & „ eorumdem deorum tutelam Romanis invitavit iſte ſui fratris extinctor? Si autem illud ſcelus a facto imperioque Ro-

Sed excuſari non poteſt factum impium & inhumanum.

Romulus pejor Paride.

* Reſt. *ſolum.*

„ muli alienum est, quoniam deuuit uti-
„ que vindicari, tota hoc illa Civitas fe-
„ cit, quod tota consensit; & non jam fra-
„ trem, sed patrem, quod pejus est, oc-
„ cidit: uterque enim fuit conditor, ubi al-
„ ter scelere ablatus non permissus est esse
„ regnator. Huc usque Augustinus: cui respondere non possumus, nisi actam pœnitentiam Romuli proferamus; prout vir Ethnicus potuit ex animi sententia indoluit, quandoquidem Trojani perseverantes in malo Dei vindictam meruerunt; adde Aventinum extra Pomœrium reliquisse, utpote inauspicatum malis avibus, Remique monumentum.

Romuli pœnitentia.

CCCCLXIX. Similiter Urbs tota Lemuria colebat quotannis ad placandos Remi Manes, quo die, imo & mense connubia interdicta fortasse ob luctum populi; quod Ovidius etiam lib. 5. *Fastorum* occinit vers. 485.

Ob luctum mense Majo matrimonia inauspicata.

Pana † tamen Veteres illis clausere diebus;
Ut nunc ferali tempore operta vides;
Nec viduæ tædis eadem, nec virginis apta
Tempora: quæ nupsit, non diuturna fuit.
Hac quoque de causa (si tè proverbia tangunt)
Mense malum ‡ Majo nubere vulgus ait.

Causam addit Plutarchus in *Quæstionibus Romanis*: Ὅτι πολλοὶ Λατίνων ἐν τῷ μηνὶ τούτῳ τοῖς κατοιχομένοις ἐναγίζουσι, καὶ διὰ τοῦτο ἴσως Ἑρμῆν ἐν αὐτῷ σέβονται. *Quia multi Latinorum isto mense parentant mortuis, atque ideo fortassis Mercurius eo mense colitur*. Festum itaque Lemuræ sex continuis diebus agebatur, ex quibus primus, tertius, quintus sacri sunt Lemuralibus, quod vetus Kalendarium.

A. LEM. N.
RC.
C. LEM. N.
D. N. P. LVD. MART. IN. CIRC.
E. LEM. N.

Incidebant media Lemuralia in v. Idus Majas, quo tempore Orion occidit.

CAP. XXXVIII.

Post cædem Remi terræmotus, & pestis, tumultus, ac bellum civile oritur. Responsum ab Oraculo ob fratris interitum tumultuasse cives. Placatur Umbra Remi, ejusque simulachrum sub Solio erectum una cum Romulo regnare videtur; hinc mos rescribendi apud Romanos, JUBEMUS: SANCIMUS: DECREVIMUS: JUSSIMUS.

Bellum civile.

CCCCLXX. Post fratris interitum bellum civile periculosissimum patitur Romulus, ac undique tumultuantes novæ Urbis incolas timet; enimvero tantæ cladis auctorem dum maledictis afficiunt, removent ab Urbis molimine manum, ferrumque contrectant; ob quod in mœrorem lapsus mortem sibi inferri tentabat; sed Acca pientissima mulier, quæ magnanimitate præstabat, dum illum removet a diris, palantes revocat ad Urbis ædificium: Τῆς δὲ Λαυρεντίας, ἣ νεογνοὺς παραλαβοῦσα ἐξεθρέψατο, καὶ μητρὸς οὐχ ἧττον ἠσπάζετο, δεομένης καὶ παρηγορούσης, ταύτῃ πειθόμενος ἀνίσταται· συναγαγὼν δὲ τοὺς Λατίνους, ὅσοι μὴ κατὰ τὴν μάχην ἐφθάρησαν: ὀλίγῳ πλείους ὄντας τρισχιλίων ἐκ πάνυ πολλοῦ κατ' ἀρχὰς γενομένου πλήθους, ὅτε τὴν ἀποικίαν ἔστελλε, πολίζει τὸ Παλάντιον. *Acca Laurentia, quæ recens natos educaverat, & haud secus quam mater amabat, precibus atque consolando movit eum ab hoc proposito: collectis deinde Latinis, qui pugnæ superfuerunt, ex pristino Colonorum numero, redacto paulo minus tribus millibus, Palantio speciem Urbis addidit*: ait Dionysius lib. 1. *Antiq.* Virtutis exemplum præ Semiramidis facinore extollendum hoc puto: enimvero illa copias collegit adversus Babyloniam, quæ regnantem renuebat, hæc Rege nondum salutato convocavit dissentientes ad obsequium, Urbisque molimina: causam vero tantæ turbationis enarrant Fasti Siculi, quos plerique Alexandrinos nuncupant; vetus eorum Auctor & diligentissimus, qui sacram profanamque historiam edidit, tanta ingenuitate, ut inter Antiquorum tenebras tanquam fax, imo Sol effulgeat, Scriptoribus vetustissimis oraculum sit.

Acca Larentia post dissidium convocat Romæ incolas.

Fasti Siculi.

CCCCLXXI. Ex istius penu recondita profero; namque ab ovo geminorum gesta depromit, & annos signat: „ Anno deci-
„ mo Achaz, Olympiade VII. anno quar-
„ to, Romulus & Remus cum annum a-
„ gerent XXIV. Romam condidere, unde
„ nomen Romani acceperunt: qui ARMA
„ HERCULIS in condita a se Urbe Ro-
„ ma deposuere, quæ prius vicus Valentia
„ in foro Boario dicebatur: gemini porro
„ fratres Regiam Domum Palatium e Pal-
„ lante nuncupatum instaurarunt. Exci-
„ tarunt & ingens templum, cui Capito-
„ lium a capite Romana Lingua nomen in-
„ didere: quod est Caput Urbis; adducto
„ autem PALLADIO ex Sylva urbe, il-
„ lud Romæ collocarunt. Gemini porro
„ cum in administrando Regno dissenti-
„ rent, mutuis se odiis prosecuti, Remus
„ a Romulo fratre trucidatus occubuit, so-
„ lusque Romulus imperavit: enimvero
„ post cædem fratris Urbs Roma tota mo-
„ tibus assidue agitata, civesque in discor-
„ dias acti, intestinis seditionibus, illo so-
„ lo regnante, assidue tumultuabantur:
„ quare ad oraculum sciscitandum profe-
„ ctus, rogavit, quæ causa tandem foret
„ se Rege tot motuum civilium? Respon-
„ sum, quod nisi frater, quem occidisset,
„ illi in Regio assideret Solio, nullum dis-
„ sidiorum, & turbationum, bellorumve
„ fore finem. Ergo fratris STATUAM,
„ quæ referret ejus vultum & formam, ex
„ auro fieri curat, & statuam in Sella Cu-
„ ruli, qua sedebat, ipse posuit; & dein-
„ ceps, assidente illi fratre in statua ex pu-
„ ro puto auro, facta, ET TERRÆ
„ TREMOR conquievit, & intestinæ se-
„ di-

Romulus cum fratre Urbem condit.

Capitolium.

Palladium.

Remus trucidatus.

Remi statua in Sella Curuli.

† Leg. *Fana*. ‡ Alii rectius, *malas*.

„ ditiones sedatæ, & si quid ediceret tanquam suo & fratris nomine id faceret, „ hac formula utebatur, JUBEMUS, „ SANCIMUS; quæ consuetudo obtinuit „ apud Reges, & hæret hodie in usu, cum „ edicta proponunt, JUSSIMUS, DECREVIMUS. Misit præterea Romulus „ ad singulas civitates Romanis subjectas „ sigilla aurea, quæ suam & fratris formam „ exprimerent, ut juxta Magistratum col„ locarentur. Huc usque Fastorum Auctor; Servius pestilentiæ meminit, quæ colonos ad ultimum fere exitium repulit.

Regnat mortuus simul cum Romulo.

CCCCLXXII. Obiter inquirendum restat, quodnam oraculum rogasset Romulus? erat Fauni oraculum, totius Italiæ concursu insigne, ad quod Latinus Rex accessisse fertur cum scitaretur de eventu filiæ, occinitque Virgilius lib. 7. *Æneid.* vers. 81.

Fauni oraculum.

At Rex sollicitus monstris oracula Fauni
Fatidici genitoris adit, lucosque sub alta
Consulit Albunea; nemorum quæ maxima sacro
Fonte sonat, sævamque exhalat opaca Mephitin:
Hinc Italæ gentes, omnique Oenotria tellus
In dubiis responsa petunt: huc dona Sacerdos
Cum tulit, & cæsarum ovium sub nocte silenti
Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit;
Multa modis simulacra videt volitantia miris,
Et varias audit voces, fruiturque deorum
Colloquio, atque imis Acheronta] affatur Avernis.

Fauni oraculum voce responsa dabat, inquit Servius: *Faunus dictus, quod voce, non signis, ostendit futura:* sub alta sylva fons erat ad sacra numinum: Donatus: *Sub alta sylva, quæ dicebatur Albunea, fons erat luci numinibus sacer, qui exhalabat Mephitin, id est, odorem gravissimum:* etenim Mephitis est terræ putor, qui de aquis nascitur sulphuratis, & est in nemoribus gravior ob densitatem sylvarum: alii Mephitin deum esse volunt Leucothoæ connexum, sicut est Veneri Adonis, Dianæ Virbius; plerique Mephitin Junonem dicunt, quam aerem esse constat; Lactantius Firmianus *lib.* 1. *cap.* 6. Albuneam Sibyllam putat, quæ Tyburi ut dea colitur juxta ripas Anienis: *Cujus in gurgite simulachrum ejus inventum esse dicitur, tenens in manu librum: cujus sacra Senatus in Capitolium transtulit.* Erat & aliud oraculum Aborigenum usque temporibus inclytum, de quo Dionysius lib. 1. *Antiq.* ait: Ἀπὸ Ῥεάτε πάλιν τὴν ἐπὶ Λατίνην ὁδὸν ἰοῦσιν, ἡ Βατία μὲν ἀπὸ τριάκοντα σαδίων, Τιώρα δὲ ἀπὸ τεσσαράκοντα, ἡ καλουμένη Ματιηνή· ἐν ταύτῃ δὲ λέγεται χρηστήριον Ἄρεως γενέσθαι πάνυ ἀρχαῖον, ὁ δὲ τρόπος αὐτοῦ παραπλήσιος ἦν, ὥς φασι, τῷ παρὰ Δωδωναίοις μυθολογουμένῳ ποτὲ γενέσθαι, πλὴν ὅσον ἐκεῖ μὲν ἐπὶ δρυὸς ἱερᾶς καθεζομένη πελειστερὰ θεσπιωδεῖν ἐλέγετο· παρὰ δὲ τοῖς Ἀβοριγῖσι θεόπεμπτος ὄρνις, ὃν αὐτοὶ Πῖκον καλοῦσιν, ἐπὶ κίονος ξυλίνης φαινόμενος τὸ αὐτὸ ἔδρα. *A Reate versus Latinam Viam euntibus, occurrit ad trigesimum stadium Vatia, ad quadragesimum Tiora, quæ & Matiena: in hac ajunt fuisse oraculum Martis antiquissimum, non absimile illi Dodonæo celebrato in fabulis, nisi quod illic in sacra quercu sedentem columbam dicunt vaticinari solitam; apud Aborigines avis divinitus missa, quam ipsi PICUM nominant, idem faciebat in columna lignea.* Hoc an illud accessisset ignoro: fortasse sicut Latinus Faunum adiit patrem fatidicum, Romulum a Marte responsum orasse, tanquam a genitore, putandum arbitror.

Albunea Sibylla.

Oraculum Martis.

CCCCLXXIII. Terram contremuisse ob Remi necem Auctor edixit; non poterat tantum ferre scelus, mirum funditus non corruisse: sunt qui putent, postquam Cain Abelem neci dedit, commotam inhorruisse terram, & montium cacumina, plantas, lapides undique emota ita trepidasse, ut Cain existimaret cuncta concursare ad sui necem; talis opinionis auctorem citant R. Jonathan Hebræorum doctissimum. Sequitur tumultus incolarum interfecti Remi partes prosequentium: *Arma civilia*, inquit Tacitus lib. 1. *Annal. neque parari possunt, neque haberi per bonas artes:* describit proinde qua ratione Pannonicas legiones seditio incessit, *ob mutatum Principem:* postquam Caracallus Imperator fratrem Getam interemit, Ælio Spartiano auctore: *Pars militum apud Albam, Getam occisum ægerrime accepit, dicentibus cunctis, duobus se fidem promisisse liberis Severi: duobus servare debere: clausisque portis diu Imperator non admissus.* Et si hunc Bassianum, sive Caracallum, ut milites dixere a vestimento usque ad talos demisso, fert animus comparare Romulo, post cæsum fratrem, *eumque & IMAGINEM ejus honoravit*, inquit Spartianus; additque in *Geta*: *Mirum sane omnibus videbatur, quod mortem Getæ toties ipse etiam fleret, quoties nominis ejus mentio fieret, quoties IMAGO VIDERETUR, aut STATUA;* quem cultum existimo, postquam pœnas luisse scribunt, enarratque in *Epitome* Aurelius Victor: *Hic fratrem suum Getam peremit, ob quam causam furore pœnas dedit, Dirarum insectatione, quæ non immerito Ultrices vocantur:* a quo post furore convaluit, & fratris statuam summo, ut decebat, prosecutus est honore. Statuæ namque mortuorum, inquit Fulgentius in *Mythologicis*, *sunt luctus solatium:* Idolum dictum est a Græcis εἰδοδίνην, quod nos Latine *species doloris* dicimus.

Cur terra tremuit?

Cur orta seditio?

Diræ in fratricidas.

De Idolo

CCCCLXXIV. Hinc Romulus cum fratris simulachro sedens jura dabat, decernebatque, ac si vixisset Remus, & usus formula rescribendi, JUSSIMUS, MANDAMUS, quæ multitudinis numero in uno abhorrent Latini; etsi quamplures morem hunc deducant ex eo, quod Princeps omnium vota refert, & sicut Sol virtutem astrorum omnem in se continet, ita & Princeps, qui solus imperat, viresque omnium possidet; sed ab Urbis exor-

Origo rescribendi in plurali.

Sall. Tom. II.

dio ritus invaluit ob id quod diximus, de statua Remi assidentis una cum Romulo in Regni solio: rem tangit sapiens Virgilius lib. 1. *Æneid.* vers. 295.

Probatur ex Virgilii oraculo.

Aspera tum positis mitescent sæcula bellis:
Cana Fides, & Vesta, Remo cum fratre Quirinus
JURA DABUNT*: diræ ferro & compagibus arctis*
Claudentur belli portæ: furor impius intus
Sæva sedens super arma, & centum vinctus ahenis
Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.

Hæc carmina ubi Servius enarrat, monet juxta antiquissimos Scriptores, ob cæsum Remum præter terrarum motum, & discordias civiles, PESTEM sæviisse in Urbem, ad cujus expiationem oraculum edixit, ut simul regnarent: *Multi intelligere sic volunt, ut post* PESTILENTIAM *ad placandos fratris Manes geminis nominibus usus sit Romulus*: sequitur hujusmodi expensionem Ascensius, ut sit sensus: *Romulus primus Rex & Senatus, Legumque creator cum Remo fratre, id est, cum auctoritate fraterna, licet interemtus fuerit, dabunt jura. Diræ portæ belli, templique Jani, quæ apertæ bellum significant, claudentur ferreis repagulis & compagibus arcte compingentibus.* Loquitur apud Vatem Jupiter, qui oraculum fundit, & posteros Æneæ propriis nominibus designat, eorumque gesta declarat; itaque recens Scholiastes Virgilii inquit: *Potest capi locus de placatis Remi interfecti Manibus: quippe eo interfecto sequuta est* PESTIS: *consulta oracula respondent placandam hac ratione, ut Sella Curulis cum sceptro & corona & cæteris Regni insignibus semper juxta sancientem aliquid Romulum poneretur, ut sic una cum fratre videretur Remus imperare.* Hæc ille: Virgilii tamen majestatem in dicendo adamussim quisque admiretur; nam compositis Remi Manibus Discordiam occinit post tergus datis loro manibus alligatam, Janumque occlusum, symbolum videlicet placatæ Urbis & Orbis. Sequitur Maronem Manilius lib. 1. *Astron.*

Pestis.

Templum Jani clausum.

Remus & Romulus simul regnant.

Sed satis hoc fatis fuerit; jam bella quiescant:
Atque adamanteis Discordia vincta catenis
Æternos habeat frenos in carcere clausa.

Belli imago. Plinius *lib. 35. cap. 10. Pinxit Apelles* BELLI *imaginem, restrictis ad terga manibus, Alexandro in curru triumphante.* Viderat hanc picturam Virgilius, quam Divus Augustus in Foro suo celeberrima in parte posuit, expressitque carminibus.

CCCCLXXV. Cessavit igitur terræ tremor, pestis evanuit, postquam Romulus sellam cum fratre Remo Regiam insedit, & Urbis mœnia pax felix civium instituit: enimvero tumultuantibus colonis inceptum cessavit opus, sic purpurata tellus purpuram orbis Imperii sibi vindicavit, surrexitque Urbs caput Orbis; Janus templi fores vidit occlusas. An ex instituto Romuli, sive majorum, recentiorumque Regum, pendet adhuc quæstio: nam apud Varronem lib. 4. *Linguæ Latinæ*, tertia porta Janualis dicta erat a Jano, in qua positum erat Jani simulachrum, & jus institutum a Numa Pompilio, ut scribit in *Annalibus* L. Piso: *Ut sit clausa semper, nisi cum bellum sit*; quod certum habeo, expiatis Remi Manibus bellum cessasse, & Vatem Jani portas obseratas eleganter occinit. Hinc opus prosequitur Rex, Urbemque mœnibus cingit & imperat, & apud numina una cum fratre Rex habetur: sic Jupiter apud Ovidium lib. 2. *Fastor.* edixit vers. 481.

Jani portæ occlusæ.

Nam pater armipotens postquam nova mœnia vidit,
Multaque Romulea bella peracta manu:
Juppiter inquit, habet Romana potentia vires,
Sanguinis officio non eget illa mei.
Redde patri natum, quamvis intercidit alter
PRO SE, PROQUE REMO, *qui mihi restat, erit.*

Romulus Remi jura possidet.

CCCCLXXVI. Pro coronide Lectorem moneo; variam a Scriptoribus historiam Urbis ad posteros pervenisse: etenim ante Romæ ædificium sunt qui Remum interfectum dicant, plerique post mœnia, Urbemque quadratam: alii cessisse, & usque ad senium duxisse vitam, Romulo superstitem, ut Egnatius apud Aurelium Victorem perhibet; cæterum ordo ab origine ignotus parum, aut nihil veritati historicæ officit.

De Urbe varia historia.

CAP. XXXIX.

Romulus Rex eligitur. Sacris peractis dat jura. Quæritur de Legumlatore; de Jure; & Legibus.

CCCCLXXVII. Mundum in homine recensuit Altissimus, tanto divinitatis molimine, ut esset Creatoris symbolum; cunctorumque membrorum caput regimen præstat; verum Reipublicæ hieroglyphicum, in qua præstantior dat, exigitque jura, omnesque regit; etenim Isidorus lib. 9. *Orig.* ait, *sicut Reges a regendo vocati, ita Regnum a Regibus*: quod pluribus Xenophon in *Cyropædia* assertum voluit; ideo in Regis electione, ut ex animo scirent, monet Plato in Dialogo 6. *de Legibus*, apud Stobæum; *Cogitare debet, & qui eligit, & qui eligitur, hunc Magistratum omnium in civitate summorum Magistratuum esse admodum præstantissimum*; monetque e more Divus Isidorus. *Reges ob hanc causam apud Græcos* Βασιλεῖς *vocantur, quod tanquam* BASES *populum sustinent: unde & bases coronatas habent; quanto enim quisque magis præponitur, tanto amplius pondere laborum gravatur*; exercitatum hinc a primis incunabulis in virtutum palæstra Lycurgus virum principem exigebat, sacrisque initiatum Hierocles Pythagoricus.

Reges.

Eorum laus.

Populum sustinent.

CCCCLXXVIII. Igitur Romulus Augur, teste Livio, *Sacra Herculis una ex omnibus peregrina suscepit, jam tum immortalitatis virtute partæ, ad quam eum*

sua fata ducebant, fautor. Acta proinde re divina, ut inquit Dionysius l. 2. *Antiquit* Romulus concionem vocavit, ac meditata verborum copia, quam a Numitore habuit, locutus est ad populum de Urbe jam condita, edixitque, neque amplæ ac profundæ fossæ munimentum certam incolumitatis spem polliceri inclusis intus securis civibus: sed ad hoc tantum conducere, ne oppressis repentino incursu hostis cladem aliquam inferat: hortatus est viros fortissimos ad bellum: siquidem a Majoribus accepisse testabatur, multas magnas Colonias, & in loca delatas fortunata, vel statim seditionibus perditas, vel post non longam moram Imperio vicinorum subditas, & pro occupato meliori agro conditionem deteriorem accepisse, servas ex liberis redditas: rursum alias non magno numero, & in agros non admodum bonos profectas, liberas primum, deinde aliarum etiam dominas permansisse: & neque felicitatis, neque multis infortunii causam aliam fuisse quam formam Reipublicæ: *Hæc locutus jussit eos re per otium considerata dicere, num* UNI RECTORI *an* PAUCIS *parere malint: equidem, inquit, quamcumque Reipublicæ formam institueritis, ad eam recipiendam paratus sum*. Etenim Aristoteles *Politicorum* lib. 3. c. 7. inquit: „ Regimen est potestas civitatis: necesse est „ potestatem hujusmodi aut penes unum „ esse, aut penes multos: vocare autem con„ suevimus, cum unus ad utilitatem com„ munem respiciens gubernat, Regiam po„ testatem: cum pauci gubernant, Optima„ tium gubernationem, vel eo quia optimi „ præsunt, vel ex eo quia ad optimum pu„ blicum: cum autem multitudo gubernat „ ad communem utilitatem, vocatur Re„ rumpublicarum omnium Respublica: „ prolabantur vero hujusmodi species, ex „ Regia gubernatione in tyrannidem, ex „ Optimatibus in paucorum potentiam, „ ex Republica in popularem Statum. Quod evenit, quando non communem, sed propriam utilitatem, qui sunt ad regimen, prospiciunt; quod idem in *Ethicorum* c. 8. edisserit: Plato 3. *de Legibus*: Isocrates in *Panathenaico*: Hermogenes *de Politiis*: Æschines *in Timarchum*, & plerique alii apud Plutarchum: quos Status communiter appellant, *Monarchiam, Aristocratiam, Democratiam*; Monarchia post Orbis eluviem cœpit; inquit enim ex Pompejo Trogus * *l*. 1. *Principio rerum gentium nationumque Imperium penes Reges erat, quos ad fastigium hujus majestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio provehebat*. Primos omnium recensebamus, in nostro libro primo *de Ægyptiorum Theologia*, Ægyptios, de quibus inquit Manasses in *Annalibus*: *Quum genus humanum ad amplitudinem pervenisset, Ægyptii Regem acceperunt: adeoque primi mortalium regium Imperium pati cœperunt, tributumque pendere*. Ad quod fortasse respexit Tullius in tertio *de Legibus, in terris nomen Imperii primum fuit*. Aristocratia est in qua Optimates præsunt: hanc exactis Regibus coluere Romani, ut Livius *l*. 2. scribit: commendatque Megabyzus apud Herodotum *l*. 3. & Hebræi in

Romulus concionem vocat pro Rege eligendo.

Monarchia.

Aristocratia.

Democratia.

Monarchia laudatur.

* Rep. *Justinus*.

A Judicum electione, auctore Josepho lib. 1. *Antiquitatum*, Aristocratiam servabant: Democratiam in Oratione Agrippæ extollit Dionysius * *l*. 52. ac popularem Statum omnium pulcherrimum ac speciosissimum appellat: similiter Orthanes apud Herodotum *lib*. 3. commendatque Magistratum forte delatum, ut omnibus æqua sit Imperii optio; quod extollit Demosthenes *in Androcionem*. Romulus itaque concionem monebat, ut Statum eligerent ex tribus meliorem. Populus communicato inter se

B consilio, laudavit summopere Romulum, nec a Priscorum sententia discedens, probatam Reipublicæ formam sub unius imperio commendavit, detulitque Romulo, tanquam Coloniæ deductori, viro domi militiæque fortissimo, numinum hominumque consensu, atavis edito Regibus; Rex electus a populo, qui avium augurio principatum tenebat, sacra e ritu peragit, & numinum implorat omen, ita Licinius Macer, & *Pontificalium* libri; bonum factum: etenim Livius *lib*. 5. ait, *omnia prospera eveniunt colentibus Deo, adversa spernentibus*. Primis Heroum temporibus

C inquit Aristoteles lib. 3. *Politic*. cap. 14. *Dux belli & Judex controversiarum erat Rex & Dominus cæremoniarum erga deos*.

CCCCLXXIX. Hinc Romulus Rex electus, Sellam Curulem non prius adscendit, quam electio, deorum consensu, omnibusque rata fieret; audiamus Dionysium Halicarnasseum: „ His auditis Romulus „ delectari se quidem ait hominum judi„ cio, quo dignus Regno sit habitus, non „ tamen assumturum eum honorem ante

D „ quam deus auspicio certo comprobave„ rit; quod quoniam illis & placuit, præ„ stituta die qua de Regno aliter consule„ ret, ubi ea illuxit, sub dium progressus „ est: ibi stans in loco puro, & rite MA„ CTATIS VICTIMIS, vota fecit Jovi „ Regi, & diis aliis, quos Coloniæ Du„ ces fecerat, ut, si ipsorum voluntate Rex „ Urbis futurus sit, signum de cælo felix „ ostenderent: peractis precibus FUL„ GUR a sinistris ad dextra emicuit: ha„ bent autem Romani talia pro addicto„ riis: sive ex disciplina Etrusca, sive ita

E „ edocti a Majoribus. Eligitur, qui ab avo Imperium tenet; etenim Plinius in *Panegyrico ad Trajanum* docet, *imperaturum omnibus, eligi debere ex omnibus*. Tiberius, qui ab Augusto Imperii hæres ex asse relictus, Urbis regimen tenebat, renuit illud, nec capessendum putavit, nisi post Senatusconsultum, populique suffragium: Tacitus lib. 1. *Annalium* cap. 11. refert *Tiberium Reipublicæ cura successorem adscitum*:

F „ post funus Augusti, sepultura more peracta, versæ inde ad Tiberium preces: at ille „ varie differebat de magnitudine Imperii, „ sua modestia: solam divi Augusti men„ tem tantæ molis capacem: se in partem „ curarum ab illo vocatum, experiendo di„ dicisse, quam arduum, quam subjectum „ fortunæ regendi cuncta onus: proinde in „ Civitate tot illustribus viris subnixa non „ ad unum omnia deferrent. Hæc ille; tandem votis nuncupatus ad Imperii culmen, illud adscendit; postquam Patres in que-

Italia Regum Monarchiam protulit.

Deorum consensu Romulus Rex eligitur.

Populorum consensus in electione.

Tiberius rogatus Senatu imperat.

* Leg. videtur, *Dion*.

ftus, lacrymas, vota effundi, ad deos, ad effigiem Augufti, ad genua ipfius manus tendere vidit; fic poftmodum plerofque Senatus auctoritate Imperium accepiffe Auguftos legimus. Enimvero *nafci & generari a Principibus fortuitum* dixit Tacit. l. 1. *Hiftoriarum*: ideo, tefte Pomponio Læto in Martiano Imperatore, *magis expedit eligere, quam ex hæreditate mereri Principem*: & Ariftoteles, qui Regnum fummopere laudavit, hæfit in fucceffione, qua quifque ftolidus, vel impius hæreditatem fimul cum Regno acquiri poteft: inquit enim l. 3. *Polit.* c. 15. *Si autem quis ponat optimum effe civitatibus a Rege gubernari, quomodo fiet in filiis? utrum per genus erit fucceffio? at fi natorum qualefcunque, perniciofum eft*. Vefpafianus eximie virtutis Princeps in Domitiano filio feipfum ac Rempublicam perdidit: Nero fucceffione Imperator Auguftorum genus ab Ænea inchoatum, omnium peffimus, exitio dedit, & lauri, quæ a Livia plantatæ erant, emarcuere: Antoninorum nomen filii impiiffimi infperfum infamia deturparunt; fed Ariftoteli refpondendum puto, Regnum optimum fi per genus fucceffio fieret, quando optimi Reges Rempublicam curant; fit gloriæ ac immortalitatis exemplum infigne Philippus Secundus, qui fenio confectus unicum filium pro Regni incolumitate morti addixit, ejufque femen longævum addidit Numen ab alto; virtus in illo fortior pietate paterna præftabat, ac magnanimitate confpicua profpexit, ne Orbis corrueret fuæ vitiorum pondere fobolis; arcanum hoc cecinit in *Theogon.* Hefiodus apud Stobæum *Serm.* 47.

Filii Regum quandoque tyranni.

Philippus II. laudatur.

Calliope forma præcellit omnibus:
Hæc & Reges venerandos comitatur,
Quemcunque honorarint magni Jovis filiæ,
Et nafcentem adfpexerint a Jove nutritorum Regum:
In hujus linguam fuavem effundunt cantum,
Hujus ex ore verba fluunt blanda: Populus vero
Omnis in ipfum intuetur jura dijudicantem
Rectis judiciis: ipfe autem caute differens
Statim vel magnam litem prudenter folvit.

Regum laus.

Hanc Calliopen Dei gratiam intelligimus, & Reges Jovis filios, præftantes virtute a Deo electos, per quam Reges regnant; occinitque Homerus l. 2. *Iliad.* verf. 196.

Θυμὸς δ' ἡ μέγας ἐςὶ διοτρεφέος βασιλῆος·
Τιμὴ δ' ἐκ Διός ἐςι· φιλεῖ δέ ἑ μητιέτα Ζεύς.

Animi magni funt a Jove nutritorum Regum:
Honos autem a Jove eft: amatque Reges fapiens Jupiter.

Euripides in *Archelao*: *Regnum deorum quædam vita videtur*: nec officit Regem effe hominem; homo eft, eminet tamen Dei fimilitudine, afferitque Ecphantis oraculum in libro de Regno: „ Divinior inter „ homines Rex eft, ut qui multum fupra „ communem naturam emineat: corpore „ reliquis non diffimilis, utpote natus ex „ eadem materia: fed ab optimo artifice fa„ ctus, qui fabricavit ipfum, archetypo ex „ fefe fumto: Diotogenes Pythagoricus in lib. *de Regno* ait: „ Judicare, & jus fuum „ fingulis diftribuere, proprium eft Regis, „ qui ceu Deus in Mundo Dux atque Præ„ fes eft. Communiter quidem provenit „ univerfam Rempublicam ad unum Ma„ giftratum & Imperium connecti. Itaque optimum Regnum etiam fucceffione commendatum, fi boni Reges imperant, ut illud filiis tradant pietate & religione eruditis; quandoquidem via adolefcentuli in juventute fua inveftigabilis omnino ignoratur, & Principi bono, ut Ezechiæ, filius impius, idololatra Manaffes, fuccedit, quod divinitatis arcanum puto, ut populorum peccata puniat Deus. Succurrit huic malo Lycurgus, ut fcribit Plato ad familiares Dionis, & Confiliariorum electione virtute præftantium firmat ftabile Regnum: „ Sa„ piens ac bonus vir Lycurgus, cum vide„ ret genus proprium in Argo & Meffena „ ex Regno in tyrannidem effe transla„ tum, utrofque tum feipfos, tum civita„ tes fuas perdere: metuens civitati fuæ, & „ generi, remedium falubre imperio regio „ adhibuit Senatum & Ephororum princi„ cipatum in Regni falutem. Itaque per „ tot jam fæcula durat cum infigni gloria. Ifti funt apud prudentiffimos Auftriacos Reges, quos appellamus Præfidentes Confilii Italiæ, Confilii Regii, ac Supremi, eorumque prudentia ac follicitudine Regnum undique viget. Plato caufam, cur filii Cyri degenerarunt, putat educationem fub matre fuiffe, dum bello intentus Rex, domi mater imperabat, filiofque lafcivientes educaret.

Rex licet homo eminet ceu Deus in Mundo.

Filii Regum impii a Deo excitantur ut puniat.

Confiliatiorum ope eorum impietas moderatur.

CCCCLXXX. Electus Romulus Rex numinum oracula edidit, vota perfolvit, & dedit jura: inquit enim Dionyfius Halicarnaffeus: „ Romulus confirmatus in Regno „ divinitus: advocata Concione, & indica„ tis aufpiciis, REX DECLARATUR „ CONSENSU OMNIUM, & morem in„ ftituit in pofterum, ne quis nifi aufpica„ to Regnum affumeret, Magiftratumve „ iniret; obfervatumque eft id apud Roma„ nos longo tempore, non folum fub Re„ gibus, verum etiam fublata Monarchia in „ Confulum, Prætorum, cæterorumque „ Magiftratuum Comitiis. Livius ac Dio Prufæus id referunt, cum plerifque Valerius Maximus, ubi de Religione fcripfit; ait enim: *Romani non dubitaverunt facris imperia fervire, ita fe humanarum rerum futura regimen exiftimantia, fi divinæ potentiæ bene atque conftanter fuiffent famulata*. Sed hæc obvia relinquamus.

Aufpicato Romani magiftratum ineunt.

CCCCLXXXI. Romulus tanta animi anxietate ferebatur ad Regnum, ut cuncta hæc ad deceptionem populorum efferret e penu ambitionis: quod ratum arbitror exemplo Augufti, qui, tefte Xiphilino, *valde cupiebat Romulus appellari, tamen fenfit ob eam rem fufpicionem effe Regnum affectari*: & Vatum maximus Virgilius ab oraculo Jovis utrumque nomen, unum indicare Cæfarem, occinit; hic a prima juventute Regnum affectare tentavit, deinde conquifito Imperio malis artibus ex Dionis *l.* 53. inquit Xiphilinus: „ Convocato „ Senatu cœpit agere de Regno deponen„ do, ac Republica reftituenda: tamen ei

Cæfar Romuli nomine Regnum affectat.

„ contra voluntatem accidit ; nisi id ei magis ex animi sententia dicamus evenisse, „ quod ficta hæc fuerit & simulata postulatio . Vere alter Romulus, qui cum Quintiliorum manu armisque potens concionem postulat, ut statum Reipublicæ valeant eligere , postquam ut regnaret fratrem interfecerat ; sed an timebat populorum vota ob fratricidium ? equidem placavit Manes & Lemuria edixit ; imo & fratrem in Sella regia sedentem ostentabat . An quia *nothus* , & ex illegitimo toro natus ? hæreo vel maxime : etenim Aristoteles in tertio *Politicorum* vetat succedere spurium in Regno . Quod etiam apud Romanos in usu : etenim Strabo *lib.* 15. testatur , olim in Urbe tertia die pueris nomina imponere solitos , & apud Præfectos Ærarii in æde Saturni recensere illos , Veteres sanxisse : quod factum ad arcendam a Magistratu supposititiam ac adulterinam sobolem , quæ vitiis utplurimum Rempublicam inficit,exturbatque: idque asserit Plutarchus *de liberorum educatione* ; æstus libidinis filios perurit , & furtivus concubitus scelus omne transmittit in prolem:unde Salomon,etsi Numinis afflatu suffultus, stulte tandem mulieres alienigenas deperiit , periitque a Deo . Nihilominus , ut notat Junius , toro illegitimo nati plerumque rexerunt Regna , & valide ac juste Rempublicam administrasse legimus. Themistocles Abrotoni meretricis filius a Plutarcho comparatur Romulo , ac puer in Gymnasio Cynosarges tantum extra urbem exercebatur , in quo spurii soli conveniebant,rexitque ingenti generositate Imperium , ut tradit Athenæus l. 3. *Deipnosophistarum* : meminitque Timothei scorti filii Atheniensium inclyti Ducis . Qui cum aliquando ob hoc carperetur,meretrici sese gratiam habere dixit, quod ob illam Cononis filius esset . M. Brutus , qui magnum facinus pertentavit in Urbe, fuit ex Servilia Catonis sorore impudica, quæ palam stupri commercium cum Cæsare Dictatore habuit , inquit Plutarchus : addamus Heliogabalum Antonini Caracallæ Imperatoris & Semiamiræ filium : Theodoricum Ostrogothorum Regem Valamiri & Aurilenæ concubinæ filium : Carolum Martellum Pipini filium nothum ex Alpaide pellice: Adelstanum Anglorum Regem Edoardi primi filium ex Edgina puella rustica : quos recenset Junius : addo potentissimos sæculi Principes ex concubinis utplurimum ortos . Herculem,qui solus Trojam funditus evertit , quam postea totis Græcorum viribus & Achilles ac numina vix decennali obsidione, non vi & virtute, sed astu æquavit solo : Alexander Macedo, ex Sacerdote & Olympia magnanimitatis singulare portentum , Orbem totum redegit in Regnum : Augustus Draconis , sive Proci filius , Rempublicam Imperium sibi fecit, & Reges terrarum orbis subegit: Salomon sapientior cunctis , potentissimus , Hebræorum solium firmavit inter leones hostium ferocissimos ; sic spurii præstant , cunctosque præcellunt. An quia in illorum genitura amor addit vires ? An quia aquæ furtivæ dulciores , & parentes dulcedinis nexu præcordia jungunt , & generant validiores? An quia audent facinus,& mortis tunc expellunt timorem, ita & fortissimos generant ? An quia optata genium complent,& genituram perficiunt? Hoc unum scio, ab Orbe condito ad hæc nostra usque tempora , Principes præstantissimi , Jurisconsulti excellentiores,Historiarum,Theologiæ , Sacrorumque Canonum Magistri peritissimi ac Pontifices quamplurimi spurii dicuntur , tanta posteritatis admiratione , ut commendent illorum gesta inter Heroum numina .

Spurii an Regnum possint acquirere ?

Sunt qui negent.

Probatur posse.

Idque exemplo .

Imo præstantissimi Reges fuere.

CCCCLXXXII. An Romulus timebat cum esset geminus,ne Regnum Remo fratri Etruscorum peritissimi deferrent ? forsitan,ut apud Aurelium Victorem legimus, adhuc ille superstes Regnum affectabat;vel post mœnia si cecidit, aderat tunc, etsi augurio cesserat . Status quæstionis est,peperisse Rheam Sylviam in carcere solam,nec primum signasse inter ærumnas pene exanimem . Quærunt viri consultissimi , Cuinam ex geminis Regnum deferendum ? quod accidit non semel cæso parentis utero, & primogenitus stantibus adhuc in alvo ignoratur: imo ex Hippocrate novimus duos simul fundere posse matrem : occinitque Alcimus Avitus l.2. *de origine Mundi*,

Nec non & geminos uno sub tempore fusos ,
Quos indiscretus luci subduxerit Orbis .

Quæritur de geminis , quis Regnum jure possideat , si ignoretur primogenitus .

Fit hæc quæstio *in l. si fuerit* 10. *§. fin. D. de rebus dubiis* : & licet Tryphonius Jurisconsultus *in l. Arescusa D. statu hominis*,Cujacius & Gothofredus *in l. ter enixa* putent duo simul exire non posse,sed sigillatim , adhuc pendet quæstio de Romulo & Remo , ut Livius , Dionysius Halicarnasseus , & A. Victor scribunt : & perstat in Cæsaribus gemellis . Sunt qui cum Miere *de Majoratu* 4. *p. qu.* 20. *num.* 195. putent primogenitum illum esse , qui primus lucem videt : asseritque Molinæus : sed de hoc quæritur,quando ignoratur , quisnam primus lucis usuram habuerit ? Apud Tiraquellum *de jure primogenitorum qu.* 17. *op.* 1. plerique sorte arbitrioque fortunæ deferendum existimant. Quod assertum voluit Aretinus *in l. ex duobus D. de vulgari, & pupillari substitutione* ; idque Numitoris oraculo fratres fecisse novimus , cum deorum arbitrio & avium augurio arduum illud de Regno negotium remiserint : sed cum fraudem sensisset Remus conventionem respuit : quo facto prudenter Romulus electioni , concione vocata , Regnum tradidit ; ut unius delectu Monarchia haberetur : commendant Molina , Tiraquellus,& Caranza; nam divisio in Regna non cadit, & si Constantinus Magnum Romanum Imperium inter filios divisit , destruxisse illud compertum est : quod filio Salomonis per Prophetam indixit Deus , corruitque solium David , & duo Reges Juda & Israel simul evanuerunt sub Medorum, Ægyptiorumque tyrannide: Plato *de Leg.* Dial. 7. apud Stobæum inquit , Principatum ad sortem aliquam producamus cum dei gratia , & felicitate quadam obtingere asserentes: & justissimum esse ducamus , ut is : quem SORS delegerit , imperet, ille vero , quem repulerit , pareat .

An duo simul exire possint ?

Eligitur consensu populorum vel deorum sorte

Regnum non dividendum .

CCCCLXXXIII. Bonum factum , quod felix fortunatumque sit Urbi & Or

bi. Romulus Rex eligitur; plaudat tellus, sydera plaudant, confirmet Deus: cui de more, riteque, grati animi votis peregit gratias. Deinde quia legum conditores, Deo annuente, justa decernunt, jura dedit Romulus: quod Livius scribit: „ Rebus divinis rite perpetratis, vocataque ad „ consilium multitudine, quæ coalescere in „ populi unius corpus, nulla re, præter„ quam legibus poterat, JURA DEDIT. Nec inficias patitur talis electio, cum Dionysius lib. 2. *Antiquit.* scribat: Ὁ δὲ Ῥωμύλος ἀποδειχθεὶς τοῦτον τὸν τρόπον ὑπό τε ἀνθρώπων καὶ θεῶν βασιλεὺς, τά τε πολέμια δεινὸς καὶ φιλοκίνδυνος ὁμολογεῖται γενέσθαι, καὶ πολιτείαν ἐξηγήσασθαι τὴν κρατίστην φρονιμώτατος. *Romulus diis hominibusque faventibus Rex declaratus, & bello dicitur fuisse magnus, periculorumque contemtor, & in administranda Republica prudentissimus.* Notat Messala Corvinus *de Progenie Augusti*, sacra prius, deinde leges sanxisse, *primo constitutis sacris, Legum jura sanxit;* quod ex Moyse compertum habuere Ethnici, qui scripsit, *unum cole Deum, nec jures vana per ipsum, Sabbata sanctifices, habe in honore parentes,* &c. Cultus unius Dei præstat, natura ipsa edocente, & homine: nec rata lex censeretur, nisi auctoritate divina, quæ hominem promovet, ut faciat judicium & justitiam in terra: Xenophon in *Cyropædiæ* * primo de Lycurgo inquit: Ἐν τοῖς καλλίστοις καὶ τοῦτό μοι δοκεῖ εἶναι, ὅτι οὐ πρότερον ἀπέδωκε τῷ πλήθει τοὺς νόμους, πρὶν ἐλθὼν σὺν τοῖς κρατίστοις εἰς Δελφοὺς ἐπήρετο τὸν θεὸν, εἰ λῷον καὶ ἄμεινον εἴη τῇ Σπάρτῃ πειθομένῃ οἷς αὐτὸς ἔθηκε νόμοις. Ἐπεὶ δὲ ἀνεῖλε τῷ παντὶ ἄμεινον εἶναι, τότε ἀπέδωκε. *Pulcherrimum puto, quod non ante multitudini* LEGES *exhibuit, quam cum præstantissimis viris Delphos deum rogasset, an esset futurum conducibilius & melius Spartæ, ubi legibus, quas ipse tulerit, obedirent. Cum autem respondisset deus, id prorsus melius fore: tum demum leges suas illas proposuit.* Charondas Catanensis in Prooemio Legum ait: *Consultantes, agentesque aliquid a diis auspicari debent; optimum enim est Deum causam & auctorem esse illorum omnium:* etenim omnis Lex a Deo; agnovitque Minos, de quo Stobæus *Serm.* 44. scribit: „ Cretenses „ Græcorum primi leges habuerunt a „ Minoe conditas, qui primus etiam ma„ ris Imperium obtinuit: simulabat au„ tem Minos se ab ipso Jove didicisse, no„ vem annorum spatio montem quemdam „ ingrediens, in quo Jovis antrum esse di„ cebatur, & inde semper aliquot leges „ Cretensibus adferens. Cujus rei etiam Homerus meminit *Odyss.* lib. 19. vers. 178.

Diis & hominibus faventibus Rex eligitur Romulus.

Ante leges sacra peragit.

Leges a Deo.

Minos cum Jove consultat, & leges dat.

Τοῖσι δ' ἐνὶ Κνωσὸς μεγάλη πόλις, ἔνθα τε Μίνως
Ἐννέωρος βασίλευε, Διὸς μεγάλου ὀαριστής.

Inter illos est Cnossus magna civitas, ubi Minos
Per novem annos imperavit, magni Jovis confabulator.

* Rep. *De Lacedæm. Rep.* 8.

Quia leges dedit, auspicatum ejus Regnum profitemur, ac optimum: Ovidius lib. 3. *Fastorum* canit vers. 279.

Inde datæ leges, ne fortior omnia posset;
Cœptaque sunt pure tradita Sacra coli.

Inquit enim in secundo *de Memorabilibus* Socratis Xenophon, *Socrates illum principatum, qui volentibus & non repugnantibus hominibus, ac secundum* LEGES *imperat, Regnum putabat.* Enimvero Cleon in concione, quam refert Thucydides *lib. 3. meliorem hunc statum civitatis* appellat: & Hippodamus Pythagoricus in libro *de Republica, firmum optimumque Regnum:* Æschines contra Timarchum, *Regnum perdurabile.*

Regnum optimum.

CCCCLXXXIV. Leges evulgavit Romulus, ut ex pluribus unum efformaret corpus Civitatis, & Jura dedit: quod Livius sic tradit: *Vocataque ad consilium multitudine, quæ coalescere in populi unius corpus nulla re præterquam legibus poterat,* JURA DEDIT. Ergo lex congregat, Jus congregatos in unum gubernat. Legum illustre e more facinus didicit ab atavis, qui palantes, lege promulgata, revocarunt, ut simul degerent; etenim absque lege homines parum a brutis differre docuit Plato in nono *de Legibus;* & Homerus apud Strabonem *Cyclopas Leleges* nuncupat; quia, auctore Aristotele lib. 10. *ad Nicomachum* cap. 10. *neglecta lege vivit unusquisque sicut vult Cyclopum more;* istos ratione carentes appellavit Manilius lib. 1. *Astronom.*

Lex congregat dispersos.

Nam rudis ante illos nullo discrimine vitæ
In speciem conversa operum ratione carebat.

Euander Rex de primis Palantei incolis l. 8. *Æneidos* occinit vers. 315.

Probatur exemplo Saturni.

Gensque virum truncis, & duro robore nata;
Queis neque mos, neque cultus erat.

Donatus expendit carmina: „ Omnes po„ puli, aut legibus tenentur, aut moribus: „ Leges imponuntur, mos vero ex volun„ tate nascitur incolarum, & est per Re„ giones diversus, ac proinde observatur, „ ut Lex: isti tam rudes fuerunt, tam aspe„ ri, ut nec lege ulla, nec aliquo more te„ nerentur: ideo *feri* dicuntur in primo *Rhetoricorum* a Tullio: *dispersi,* & errantes, sive *Aborigines* a Sallustio: in unum ut coalescerent, Saturnus istos sub lege coegit, sicut Virgilius canit *ibid.* vers. 321.

Genus indocile composuit.

Is genus indocile ac dispersum montibus altis
Composuit, LEGESQUE *dedit.*

Ex Ennio & Lactantio *de falsa Religione* cap. 13. animadverto, ante Saturnum fuisse Uranium Saturni patrem: *Uranius eminere inter cæteros cœpit, & principatum habere,* NON REGNUM; Saturno cuncti Regnum tribuunt, ejusque posteris ob leges, quas tradidit, Regni culmen; cecinitque cumprimis Orpheus,

Primus Regnator erat terrestrium Saturnus virorum,
Ex Saturno genitus est Rex magnus Jupiter.

Rex & aurei sæculi sator nuncupatur a maximo Vatum lib. 8. *Æn.* verf. 324.

Aureaque (ut perhibent) illo sub REGE *fuere*
Sæcula, sic placida populos in pace regebat.

Aureum sæculum dant reges.

Denuo sapiens Virgilius lib. 2. *Gerg.* verf. 538.

Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.

Renovat sæculum aureum Auguftus, leges dum fcribit, vulgatas antea, ut tradit Isidorus, Decemviris enunciantibus. Unde Virgilius lib. 6. *Æn.* verf. 792.

—— —— *aurea condet*
Sæcula, quæ rursus Latio regnata per arva
Saturno quondam.

CCCCLXXXV. Igitur non Regnum absque lege, & qui novam condit urbem, si Legislator non eminet, Regio nomine caret. Lex prima a natura, est Divina, quæ Dei cultum docet; unde Romulus primum Sacra edocuit, deinde Statum civilem compofuit, & ex confugientibus ad Asylum, Urbem, ac Regnum sibi fecit, itaque *Sacra peregit*, ut Deo auspice leges cælitus emissæ crederentur; quod antiquissimi hominum Ægyptii fecerunt, enarratque Herorum commenta Diodorus noster lib. 2. *Bibliothecæ*: „ Post antiquam Ægyptiorum vitam, quam deorum Heroumque tempore fuisse fabulantur, tradunt persuasisse primum multitudini „ SCRIPTIS UTI LEGIBUS Mneuem, „ magni animi virum, vitæque inter omnes probatæ: finxisse autem eas Mercurii datas præcepto, tanquam magnorum bonorum causam futuras: quemadmodum apud Græcos, ajunt, in Creta „ quidem Minoem, apud Lacedæmonios „ Lycurgum fecisse, quorum alter Jovem, „ alter Apollinem suarum legum auctorem exstitisse, dixit. Plures quoque nationes eo modo traduntur leges suscepisse, quæ obtemperantibus multorum bonorum causa fuere: Arianis * namque, „ scribunt, Zathraustem simulato numine „ dedisse leges. Getis eodem modo Zamolxis, Vestam præferens, legem tulit: „ apud Judæos Moyses ab Jao, quem Deum vocant, acceptas leges dare præ se „ ferebat: *Sive putantes rem mirandam,* „ *ac divinam, maximeque mortalibus utilem* LEGES *esse: Sive ut citius populi* „ *ob rei excellentiam deorum timore legibus obtemperarent.* Secundus apud Ægyptios Legumlator dicitur vir prudentia excellens Sasochis: hunc & ad deorum religionem cultumque multa prioribus legibus addidisse perhibent: Geometriæque fuisse Inventorem, ac incolis Astrorum cursus ostendisse. Huc usque Diodorus.

Lex a Deo.

Legislatores ea profitentur.

Valde utilis si religione præstat.

CCCCLXXXVI. *Leges* igitur dedit & *Jura* Romulus, ut simul civiliter viverent oppidani novæ Urbis, & sancte amicitiam colerent; inquit enim Plato lib. 4. *de Legib. Legum sanctio respicit, ut felicissimi cives sint, ac maxime inter se amici:* differt jus a lege, quæ vel divina, scilicet naturæ est, vel humana; *Fas lex divina est*, ait Isidorus lib. 5. *Origin. Jus lex humana;* quo modo differant expendit: „ Jus generale nomen est, Lex autem „ juris est species: Jus autem dictum, quia „ justum est; omne autem jus legibus & „ moribus constat: Lex est constitutio „ scripta: & cap. 4. subinfert: Jus naturale est, aut civile, aut gentium: Jus „ naturale est commune omnium nationum, eo quod ubique instinctu naturæ, „ non constitutione aliqua habeatur: ut „ fœminæ conjunctio, liberorum successio & educatio: communis omnium possessio, & omnium una libertas, acquisitio eorum, quæ cælo, terra, marique „ capiuntur: item depositæ rei, vel commendatæ pecuniæ restitutio: violentiæ „ per vim repulsio: nam hoc, aut si quid „ simile est, nunquam injustum, sed naturale æquumque habetur. Ergo per Isidorum jus a justitia denominatur, quod antea Ulpianus, in *lib.* 1. *ff. de justitia, & jure*, statuisse videtur, *Juri operam daturum prius noscere oportet unde nomen Juris descendat: est autem Jus a justitia appellatum:* probat auctoritate Celsi viri consultissimi; nam eleganter Celsus definivit: *Jus est aras boni & æqui; cujus merito quis nos Sacerdotes appellet, justitiam namque colimus, boni & æqui notitiam profitemur*; sic Juris candidatos Ulpianus *Sacerdotes* nuncupat, boni æquique professores, ob Jus, quod a justitia procedit; quod firmat Alciatus lib. 1. *Parerg.* cap. 29. & 30. Connanus *Commentariorum Juris Civilis* lib. 1. cap. 2. & alii plerique; Cujacius a justitia jus ortum tanquam a matre contendit. At Magius in *Miscellaneis* hanc etymologiam, quam habuit ab Antonio Ghetio Latirenense, olim suo Præceptore, desipere tandem profitetur, & adversus Isidorum ait, *quod in justitia jus stet, nihil potest insulsius dici*: An quia jus jubet & justitia jussa peragit? ergo si primum est jus, quia a natura, non a justitia, quæ ab homine, & propter hominem, sed potius a jure justitia censeri debet: irridet Jurisconsultos Galeotus Martius libro *de promiscua doctrina* cap. 28. *Jus Jurisconsulti a justitia dici autumant, quod mihi risum movet:* causam addit vir doctus, quæ omnino mihi non arridet: „ Jus enim si tantum justitiæ opus judicaret, hæc derivatio posset tolerari, sed „ cum jus tam ad pulmentaria, quam ad „ leges referatur, unde Juvenalis,

—— *& eodem jure natantes*
Mergere ficedulas didicit nebulone parente,

„ & Cornelius Celsus jurulentam carnem „ nominet, necesse est hoc vocabulum ab „ alio quam a justitia derivari. A juvando „ enim dicitur; nam sicut corpus nostrum „ jure juvatur & nutritur, ita & civitates, „ quæ ut corpus coaluerunt, legibus tanquam jure quodam aluntur & juvantur, „ ita ut jus corporis, cum de pulmentariis „ & civitatum legibus dicitur, nutrimentum juvamentumque esse noscatur. Hæc ille, sed futilis. Enimvero antequam pulmentaria juvaret, suoque jure corpora coalescerent, erat jus naturale, quod ab Orbis initio cœpit: post cataclysmum esus carnium permisit Deus, ergo antea inqui-

Jus. Lex. An jus a justitia? Affirmatur. Negatur. Jus adæquat statum Regni. Jus pulmentarium. A juvando jus.

Lex felices cives & amicos facit.

* Alii melius leg. *Arismaspis.*

rendum hoc jus unde dictum? puto a Legislatore, qui jubebat æquitatem & justitiam: etenim Festus Pompejus *Jussa* putat *Jura*: Sisenna *Historiarum* lib. 4. apud Nonium in Jusso, *Tudertibus Senatusconsulto, & populi jusso dat civitatem*. Jussum populi idem ac plebiscitum existima, quod populus sciens ac volens jubet: sic teste Chrysippo, quem refert Plutarchus *de virtute morali*, a jure & jusso justitia dicitur: jus ab eo qui jubet & præcipit: primum namque jus a Deo, qui præcepit in obsequium rectitudinis & fidei, ne comederent de ligno; unde Sathan jus ut infringeret, quod erat innocentiæ columen, inquit, *Cur præcepit vobis Deus*? Cap.8. *Proverb. Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt*; me jubente, legum omnium auctore: & quia justus est Dominus, & rectum judicium ejus, jura sunt justa, & lex sancta, similiter & justitia: asseritque Divus Augustinus lib. 1. *de libero arbitrio* cap. 5. *Mihi lex non videtur, quæ justa non fuerit*. Divus Thomas 2. 2. *quæst.* 57. *artic.* 1. *Jus primo impositum est ad significandam rem justam*: hinc probat objectum justitiæ esse jus: ex quo non deducitur, jus a justitia promanasse, ut Isidorus, quem sequitur Angelicus, docet: quia objectum supponitur primum: ut Deus sacræ doctrinæ ab Augustino & Damasceno objectum dicitur, quam æternitate præcessisse indubitatum est: item Obeliscus Ægyptiorum, tanto ævo e lapicidinis evulsus, nunc est objectum meæ visionis recentissimæ; ideo jus fuit cum primum jussit Altissimus hominem Deo parere: a jure proinde lex orta; male hinc Pythagoras jus *retaliationem* definiebat, quia, teste Aristotele lib 5. *de moribus* cap. 8. *Retaliatio neque ad distributivum jus, neque ad emendativum commodatur*; volunt tamen Pythagorici Rhadamanthi quoque hoc jus dicere apud Homerum,

Si contra passus fuerit, quod fecerit idem:
Judicium plane rectum, vindictaque fiet.

Infringit carmen Peripateticorum Princeps ex eo quod Magistratum percutiens quandoque impunitus commendatur, quandoquidem obtorto collo ad malam crucem defertur, ut non sit retaliatio, præcipue si invitus, vel jussu, casuque illum percusserit; quod ad justitiam spectat prout æqualitatem prospectat: *Justitiæ proprium est*, inquit Divus Thomas, *ut ordinet hominem in his, quæ sunt ad alterum*; reddit namque unicuique secundum opera sua.

[Jus a jubendo.] [Primum jus a Deo, qui jussit ne comederent de ligno vitæ.] [Jus an est retaliatio?] [Negatur.]

CCCCLXXXVII. Dividitur jus juxta Antiquorum oracula, quæ offert Isidorus lib.5. *Originum* cap.4. *Jus naturale est, aut civile, aut gentium. Jus naturale commune est omnium nationum, eo quod ubique instinctu naturæ, non constitutione aliqua habeatur*. Et cap. 5. *Jus civile est, quod quisque populus, vel civitas sibi proprium humana divinaque causa constituit*. Et cap. 6. *Jus gentium est sedium occupatio, munitio, bella, captivitates, servitutes, fœdera pacis, induciæ, Legatorum non violandorum religio: inde Jus gentium, quod eo jure omnes fere gentes utuntur*. Restringit Divus Thomas *loc. cit.* Jus, ut sit naturale & positivum, ex Aristotele *lib.5. Ethicorum* cap. 1. a quo colligit *Jus naturale, & legale, id est, lege positum*: sed ibi Philosophus ait, *Jus est id, quod proportione constat*; quam proportionem Mathematici geometricam vocant: pergit deinde *ad jus emendativum*, quod legale censetur, a lege positum: probat namque Angelicus, quia jus est aliquod opus adæquatum alteri, vel quia aliquis tantum dat, vel recipit quantum debet, vel Princeps hoc definitum perhibet; illud jus naturale vocat, hoc positivum; An jus hoc naturale natura ipsa edocente provenit? cecinit sic Homerus apud Platonem; & in ætate aurea, Musonius, naturæ legem direxisse hominum actus sapienter affirmat: similiter Chalcidius, post Orbis eluviem, qui juga montium incolentes evaserunt, timore morboque perculsi, legem omnem obliti sunt, tantummodo naturalem sequebantur, quæ adhuc restat in Religionis erga Deum cultu, parentumque veneratione; Isidorus enim testatur, *Paulatim antiquæ leges vetustate, atque incuria exoleverunt, quarum nullus jam usus*: quod ex Platone didicit, qui dial.3. *de Leg.* ait: „ Multos hominum interitus ex diluviis, morbis, aliisque pestibus olim accidisse, ex quibus pauci homines superstites „ fuerint: & qui cladem tunc evaserunt „ montani pastoresque fuere, pauca semina „ ad propagandum genus hominum conservata; isti artium expertes, & disciplinarum civilium, totiusque facultatis supervixerunt, &c. tandem Plato artes sero legesque adinventas putat: „Nam, *inquit*, „ mille anni, vel duo millia intercessere, ex „ quo quicquam dicitur partim Dædalo, „ partim Orpheo, partim Palamedi inventum: sicut quæ ad musicam pertinent „ Marsiæ & Olympo, quæ ad lyram Amphioni attribuuntur: aliaque aliis multa, „ ut ita dicam, heri, & nudius tertius ad„ inventa ab Epimenide. Hinc leges, quæ urbium Regnorumque columen & munimentum sunt.

[Juris divisio.] [Jus naturale, & positivum.] [Pestis & morbi colluvionem inducunt pacis & legum.]

CCCCLXXXVIII. Est lex, si Aristotelem lib. 1. *Rhetorices* ad Alexandrum sequimur, *oratio quædam, quæ communi civitatis consensu definita jubet, quo pacto unumquodque agendum sit*: Minos apud Platonem, *legem civitatis institutum esse* contendit; sed Socrates finitionem hanc impugnat, quandoquidem consensu civium sanctio injusta firmatur: Carthaginienses justum ac sanctum putabant filios suos Saturno litare, quod impium facinus legem præcepisse apud Veteres compertum est; ideo inquit: *In constitutionibus de justis atque injustis, deque civitatis ordine & gubernandi ratione tractantibus, quodcumque* RECTUM EST, REGIA LEX EST: *non rectum vero, nequaquam lex Regia esse videtur*. Itaque lex a recto promanat, ut æquitatem ac rectitudinem servet: unde Sallustius eleganter jus adversus Catilinam describit, *Jus est civilis æquitas, vel scriptis legibus sancita, vel institutis, aut moribus recepta*: æquitatem promit in lege, ut lex justa dicatur; quæ sancita recipitur, etsi non scripta: nam post Romulum & Numam Pompilium, ut seditiones in Urbe coercere possent, leges Solonis obtulerunt Patres; asseritque Isidorus *loc. cit. Cum populus seditiosos Magistratus ferre non posset, Decemviros legibus scribendis creavit,* qui

[Legis definitio.] [Lex a recto.] [Leges Solonis a Decemviris interpretatæ.]

A

qui Leges ex libris Solonis in Latinum sermonem translatas duodecim Tabulis exposuerunt. Livius *lib.3.* ab Urbe condita, *priusquam Urbem ingrederentur, Leges Decemvirales in æs incisas in publico proposuerunt.* Pomponius, *de orig. Jur. Civilis, in tabulis eburneis* pro rostris positas fuisse scribit. Hinc apud Horatium, *Leges incidere ligno:* videlicet *roboreo*, ut expendit Phornutus Scholiastes; quod primis rudibusque temporibus consentaneum puto, cum æris ac eboris copia vel illud poliendi deesset; re-

B

ceperunt enim Solonis Leges anno ab V. C. trecentesimo, Olympiade LXXXII. Athenis Archonte Chærephane; ut Divus Augustinus * lib.2. *Civ. Dei* ad Marcellinum cap.16. & Dionysius Halicarnasseus scribunt. Fuerunt autem Decemviri Appius Claudius, Genutius, Veterius, Julius, Manilius, Sulpitius, Sextius, Curatius, Romulius, Posthumius. Cæteras leges Populus Romanus memoria recolebat; quas redigere in libris primus Consul Pompejus instituere voluit, sed obtrecta-

C

torum metu non perseveravit: deinde Cæsar cœpit id facere, sed ante interfectus est: nonnullas a Romulo evulgatas Scriptores ediderunt; cæterum Constantinus post devictum Maxentium, Regum, Imperatorumque primus conscripsit permixtas & absque ordine; postea Theodosius in Codicem redegit, quem a suo nomine Theodosianum vocavit; ideo etymum Isidori omnino non recipiendum puto, *(Lex a legendo.)* *Lex a legendo vocata est, quia scripta est*: quod si verum esset, non scripta, lex non diceretur, neque rusticos ligaret, qui scripta quæque legere ignorat; sufficit ut lex sit

D

promulgata, ut dicitur in *Decr. dist. quarta tit. decimo septimo de legibus leg.7. leges instituuntur cum promulgantur.* Cæterum cum scribuntur, firmitas scripturæ videtur illas promulgare. Adde apud Antiquos leges carminibus decantatas, ut illas edisceerent; traditque Aristoteles *sect.19. probl.28. Homines prius quam litteras scirent, leges cantabant, ne eas oblivioni mandarent, quod etiam nostra ætate Agathyrsis in more est.* *(A ligando.)* Magis ad scopum se collimat D. Thomas *tom. secundo quæst.* 90. *art.* 1. *Dicitur lex*

E

a ligando, quia obligat ad agendum: eodemque loco ipsam sic definit, *Lex quædam* *(De lege pura.)* *regula est & mensura actuum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur*: melior evasisset, si juxta Socratis doctrinam addidisset ad *bene* agendum, & a *male* agendo retrahitur; hoc namque spectat ad rectitudinem rationis & commune civitatis bonum, cujus causa lex edicitur: Zenon & Chrysippus Stoici apud Stobæum hoc addiderunt, & *Legem*, dicunt, *orationem esse gravem & rectam, quæ facienda imperet, non fa-*

F

cienda probibeat: ideo recta, quia dirigit actus ad commmune bonum urbis, quod prudentia perficit, quæ legum decus censetur: testaturque Aristoteles l. 10. *de moribus* c.10. *Lex cum ex prudentia quadam ex mente profecta oratio sit, cogendi vim babet.* Occinitque Tullius in primo *de Legibus*, *(Legislatoris prudentia.)* *Lex est naturæ vis, mens, & ratio prudentis.* Prudentia sit in Legislatore, ut lex vim obtineat prudenter promulgata; ideo ex Homero commendat Plato Minoem: *Qui annos novem Jovis antrum erudiendus accessit, unde & didicit, & docuit inde cæteros, &c. Prætereaque civibus suis leges instituit, quarum observatione Creta per omne tempus est felix, ac etiam Lacedæmon, ex quo iis legibus, utpote divinis, uti cœpit.* Quod & Hesiodus occinit, unde cum Jove colloquium prudentiam denotat, Legumlatori omnino necessariam.

* Vel potius Vives Not. ad locum cit.

CAP. XL.

Romulus Rex hastam pro sceptro gestat, indutus trabea, Lictorum pompa colitur.

CCCCLXXXIX. Regum cultus, & majestas adeo dignitatem auget, *(Reges dii ob majestatem & pompam.)* ut ab Homero Jovis filii dicantur; apud Persas, inquit Apulejus in libro *de Mundo, Rex ab hominibus deus esse credebatur*: opinionem adstruit pompa, & majestas effulsit ab auro gemmarumque regio ornatu, quod Aristoteles, quem ille Latio dedit, eleganter suadet: ,, Cambyses, & Xerxes, *(Empireus ex auro.)* & Darius potentissimi Reges fuerunt: horum præpotentia, quam ex opibus collegerant, lenocinium vitæ effecerat celsioris: cum eorum alter apud Susam & Ecbatanas, ut in fano quodam sacratus circumspectus admirabili Regia, cujus tecta fulgerent, eboris, argenti luce flammea, auri, vel electri claritate: & si Joannes in Apocalypsi urbem ex auro promit, micantibus undique gemmis augustam, Reges Dei exemplo, Regiam sibi construxerunt ex auro; *(Memnonis Regia.)* asseritque Cassiodorus epistola 15. *Variarum* lib.7. *Medorum Regis domum Memnon arte prodiga illigatis auro lapidibus, fabricavit.* Quo e more pensum sibi fecit Nero *(Domus Neronis.)* Cæsar, qui teste Suetonio *cap.31.* domum a Palatio Exquilias usque fecit: ,, Cuncta auro lita, distincta gemmis unionumque conchis erant. Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis versatilibus, ut flores, ex fistulis, ut unguenta desuper spargerentur. Præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuo diebus ac noctibus vice mundi circumageretur. Domitianum deum ac dominum Vates canebant, nec semel Martialis, ac Dio Prusæus refert: attamen Dei nomen affectabat cultu regio, quo cunctos mortales præcelleret; hanc Imperatoris pompam præstat Suetonius *cap.4. Certamini præsedit crepidatus, purpureaque amictus toga* *(Domitiani pompa.)* *Germanica*, † *capite gestans coronam auream cum effigie Jovis, ac Junonis, Minervæque, assidentibus Diali Sacerdote, & Collegio Flavialium pari habitu, nisi quod illorum coronis inerat & ipsius imago.* Imo in sacris Salomon auxit majestatem cultu, quo præstantior cunctis effulsit, magnum quippe est regium culmen, & cælorum sublimitati comparatum indiget nitore siderumque lumine ut imperet.

† *Græcanica* leg. esse jam diu probarunt Viri docti.

CCCCXC. Romulus altum sapiens cultum sibi fecit, tanta Lictorum ac vestium pompa, ut conspicuus emineret, ac regium præferret fastigium: quod Livius assertum fecit: „ Jura dedit, quæ ita san„ cta generi hominum agresti fore ratus, „ si se ipse venerabilem insignibus Imperii „ fecisset, cum cætero habitu se AUGU„ STIOREM, tum maxime Lictoribus „ duodecim sumtis fecit: nec siluit Messala Corvinus in libello *de Augusti Progenie, primo constitutis sacris, legum jura sanxit, fecit & se* REGIIS INSIGNIBUS AUGUSTIOREM. Ita Salomon Deo &, Religioni primordia dicavit, deinde auream sibi domum soliumque erexit, tanta divitiarum pompa, ut Saba coram eo, spiritu deficiente, deliquium, nonnulla perlustrans, pateretur; simile solium erat Regis Persarum, quod describit Heraclides Cumæus libro primo *rerum Rusticarum*: „ Solium, in quo sedens jus dicebat, „ responsaque dabat legationibus, au„ reum, quatuor aureis & gemmatis co„ lumellis circumpositis sustinebatur, su„ per quibus variam purpureamque ve„ stem extendebant: enarratque Chares Mitylenæus libro quinto *Historiæ Alexandri* apud Athenæum. Reges igitur cum æmularetur Romulus, pompa augustior effulsit; Augusti nomen augmentum denotat, imo sanctitatem & venerationem: occinitque Ovidius lib. I. *Fastorum* vers. 607.

Salomonis majestas.

Regum Persarum solium.

Sancta vocant augusta Patres; augusta vocantur
Templa, Sacerdotum rite sacrata manu:
Hujus & augurium dependet origine verbi,
Et quodcumque sua Jupiter auget ope.

Occinit Isidorus lib. 9. *Orig. Augustus ideo apud Romanos nomen Imperii est, eo quod olim augeret Rempublicam amplificando*: sed quia *augustiorem* dixerunt Romulum, non a Cæsare Augusto nuncupatum puto, sed Cæsarem a Romulo Augusti nomen habuisse: enimvero ait Festus Pompejus, *Augustus locus sanctus ab Avium gestu: quia Aves pastæ id ratum fecere*: Aves enim Romulo Regnum auspicato obtulerunt, deinde Augusto, ut diximus: adde Imperatores, Ducesque exercituum pullorum tripudio, ac cupiendi * modo cibi iniisse certamina, quod de more infra.

Romulus Augustus ob avium volatum.

CCCCXCI. Primum Lictores coegit, qui Regis constiparent latus, & primus Albanorum Regum Romulus satellitum delectu sanxit; asseritque Messala Corvinus, *circa se Lictores instituit, centum Senatores creavit*. Numerum rationemque Lictorum tradit Livius *lib.* I. „ Cum cæte„ ro habitu se augustiorem, tum maxime „ Lictoribus duodecim sumtis fecit: alii „ ab numero Avium, qui augurio Re„ gnum portenderant, eum secutum nu„ merum putant. Fortasse vultures militare agmine composito videmus; & Ægyptii vulturios hieroglyphicum militis ostentant: nihilominus Livius rem ab ovo depromit: „ Me haud pœnitet eorum sen„ tentiæ esse, quibus & Apparitores, & „ hoc genus ab Etruscis finitimis: unde „ Sella Curulis, unde Toga prætexta sumta est, numerum quoque ipsum ductum

Lictores Romuli duodecim.

Lictores ab Etruscis.

Sella Curulis

Toga prætexta.

* Leg. videtur, *capiendi*.

„ placet: & ita habuisse Etruscos; quod „ ex duodecim populis communiter crea„ to Rege, singulos singuli populi Licto„ res dederint. Lictores namque Magistratus insignia præferebant, virgarumque fasces, quibus Imperium vetus denotabat ætas, & ultionem in reorum capita: *Lictores dicuntur*, ait Festus Pompejus, *quod fasces virgarum ligatos ferunt: hi parentes Magistratibus delinquentibus plagas ingerunt*: de ejus munere infra erit sermo.

CCCCXCII. Unum observo Romulum auxisse Imperii majestatem Lictorum pompa, nam inter fasces secures eminebant & gladii: unde velut milites Principis constipabant latera, ut olim Regibus antiquissimis in usu Apparitores fuisse dicuntur: Apulejus in libro *de Mundo*, Persarum Regum fores describit: „ Ante fo„ res viri fortes, stipatoresque regalium late„ rum, tutela pervigili, custodiam per vices „ fortium sustinebant: erant in eos diversa „ officia, in comitatu regio armigeri qui„ dam; at extrinsecus singuli custodes lo„ corum erant, & janitores, & atrienses. „ Quod Xenophon lib. 8. *Cyropædiæ* enar„ rat. Athenæus lib. 12. cap. 2. *Deipnos.* mille stipatores Regum Persarum fuisse tradit eorumque delectum: Ὁ Βασιλεὺς διῄει διὰ τῆς τῶν μηλοφόρων αὐλῆς· ἦσαν δὲ οὗτοι τῶν δορυφόρων, καὶ τῷ γένει πάντες Πέρσαι, ἐπὶ τῶν στυράκων μῆλα χρυσᾶ ἔχοντες, χίλιοι τὸν ἀριθμὸν, ἀριστίνδην ἐκλεγόμενοι ἐκ τῶν μυρίων Περσῶν τῶν Ἀθανάτων καλουμένων. *Rex per stationem clavatorum excubitorum transibat: e classe hastatorum clavatores hi fuerunt, omnes Persæ natione, numero mille, virtutis ac fortitudinis ergo selecti ex decem Persarum millibus, quos vocant Immortales: in horum summis hastilibus aurea mala exstabant, unde & nomen*. Clearchus Solensis *clavas* etiam gestasse perhibet, quas a Medis habuere; quod cunctorum in Regum pompa obvium fileo: Romani a Romulo Lictores & fasces Imperii signum coluere: Sidonius in *Panegyrico* I. Majorano dicto occinit.

Constipabant latus Principis.

Stipatores Reg. Persarum.

Mille.

Fasces Imperii insigne.

—— decora omnia Regni
Accumulant fasces, & Princeps Consule crescit.

In altero Avito plausu decantato socero suo Augusto,

—— collatos cernere fasces
Vos juvat & sociam sceptris mandasse curulem.

Post exactos Reges, Consules Lictoribus decoratos legimus: deinde Prætorem: sic dictus, Varrone auctore, quod *præiret exercitum*; enimvero juxta Tullii oraculum lib. 2. *de Leg.* est in jure dicendo princeps, hinc lex, *juris disceptator, qui privata judicet, judicarive jubeat, Prætor esto: Juris Civilis Custos esto*: huic primo, dum Consules bellum curarent, teste Livio *lib.* 5. Magistratus omnis publici privatique juris potestas, ut novum jus conderet, & vetera abrogaret, facultas erat & cum regia illi essent insignia, ut apparatu Consulibus pene par videretur, *Lictores sex* habuit: Decemviri Fasces Lictoresque auxerunt, ut *lib.* 3. idem Livius tradit: „ Magistratus

Prætor & Consules cum Lictoribus.

„ primum honoris diem denuntiatione in- „ gentis terroris insignem fecere: nam „ cum ita priores Decemviri servassent, ut „ unus fasces haberet, & hoc insigne re- „ gium in orbem suam cujusque vicem „ per omnes iret: subito omnes cum duo „ denis fascibus prodiere: centum vigin- „ ti Lictores forum impleverant,& CUM

Decem Regum species.

„ FASCIBUS SECURES illigatas præ- „ ferebant. Decem Regum species erat, „ multiplicatusque terror non infimis so- „ lum, sed primoribus Patrum,ratis cædis „ causam ac principium quæri, ut si quis „ mœrorem libertatis vocem, aut in Sena- „ tu aut in Populo misisset,statim virgæ se- „ curesque etiam ad cæterorum metum „ expedirentur. Etenim Lictores præi- bant, & reos plagis ac morte jussi afficie- bant; quod præstat Valerius Maximus *l.2.*

Lictor Catonem in carcerem duxit.

de Majestate *c.10. num.7. Cato cum invito C. Cæsare Consule adversus publicanos di- cendo in Curia diem extraheret, & ob id ejus jussu a Lictore in carcerem duceretur, uni- versus Senatus illum sequi non dubitavit.* Itaque Regem comitabantur primum; deinde, illis exactis, Consules, postmodum Prætores, ac Decemviros, cunctosque regia auctoritate præstantes; ut infra longa dicemus littera.

Sella Curulis.

CCCCXCIII. Præter Lictores, Auctor *Fastorum Siculorum* Romulum Sellam Curulem prætulisse tradit, quam thronum soliumque posterior ætas nuncupavit: in eaque una cum Remo, qui in simulachro præibat, jura expostulantibus dabat; ab Ausonio in *gratiarum actione* ad Gratianum Imperatorem nuncupatur *Sella Curulis, gloriosa pompis imperialis of-*

Solium dicta.

ficii. Tribunal dicitur a Dione in *Vitellio*, Antiquorum more purpura, & ebore, gemmisque ornata: Philostratus Sellam Persarum Regum, in secundo *Imaginum*, *auream* effingit, sed ut externa relinquamus, Sidonius Apollinaris *carmine* 5. solium Urbis Reginæ Orbis canendo demonstrat:

Describitur.

Consurgit solium saxis, quæ cæsa rubenti
Æthiopum de monte cadunt,ubi Sole propinquo
Nativa exustas efflavit purpura rupes.
Jungitur hic Sinnas,Nomadum lapis additur istbic,
Antiquum mentitus ebur.

Antiquorum Regum Latinorum morem versat, qui sedem regiam insidentes Legatos ac responsa excipientes dabant, Virgilius lib.7. *Æn.* vers.192.

Tali intus templo divum, patriaque Latinus
Sede sedens, Teucros ad sese in testa vocavit.

Ad quæ Isidorus lib. 20. *Orig.* cap.11. animadvertit, *sed proprie Regni esse, quam Græce θρόνον dicunt, nos solium.* Et Virgilius *ibid.* vers. 167.

Imperat, & solio medius consedit avito.

Idem Vates lib. XI. *Æneidos* vers. 301. Regem in solio ostentat,

Præfatus divos solio Rex infit ab alto.

Sella Curulis concessa Principibus.

Livius *lib.* 1. ab Etruscis *Sellam Curulem* Romulum habuisse scribit; quam postea Magistratum gerentes tenebant: de Valerio Festus Pompejus; *Sellæ Curulis locus datus est Valerio Dictatori.* Livius *lib.26. Vetustum jus Sacerdotii repetebat, datum id cum toga prætexta & Sella Curuli C.Flaminio.* Apud Hebræos *ferculum* dicebatur.

CCCCXCIV. Sellam sibi erigit Curulem amictus trabea, & Regni præfert insignia: decebat vetustissimos æmulari Reges, quorum Regna affectabat, patriumque morem sequi; Virgilius ingenti pompa Picum Regem Latinum describit, ejusque ornamenta depromit lib. 7. *Æneid.* vers. 187.

Ipse Quirinali lituo, parvaque sedebat
Succinctus trabea, lævaque ancile gerebat
Picus equum domitor.

Trabea vestis regia.

Deinde *lib.*XI. vers. 334. ad Latinum Regem pro Troianis Oratorem missum canit, qui sellæ regiæ meminit, & vestis ad Imperii majestatem,

Et sellam Regni trabeamque insignia nostri.

Livius *lib.* 27. *Dona tulere togam, & tunicam purpuream, sellam eburneam, pateram auream ex quinque pondo factam;* in quibus Regnorum consensus elicitur a Tertulliano in libro *de Idololatria: Igitur*

Describitur.

purpura illa & aurum cervicis ornamentum eodem more apud Ægyptios & Babylonios insignia erant dignitatis, quo more nunc prætextæ, vel trabeæ: Isidorus lib. 19. *Originum* cap.24. „ Trabea erat togæ specie ex „ purpura & cocco, qua operti Roma- „ norum Reges initio procedebant: hanc „ primus Romulus adinvenisse perhibetur

A Romulo inventa.

„ ad discretionem regii habitus. Trabea „ autem dicta, quod in majori gloria ho- „ minem transbearet, hoc est,ultra & in

An beatum faciat trabea?

„ posterum ampliori dignitate honoris „ beatum faceret. An ad hanc nominis „ originationem respexerit Ausonius,qui a Gratiano Consul electus eloquenter grates agebat, verba depromo, ut consulas: „Loricatus de toga mea tractas,in procin-

Palmata.

„ ctu & maxime dimicaturus,palmatæ ve- „ stis meæ ornamenta disponis feliciter & „ bono omine: parum est si qualis ad me „ trabea mittatur interroges,te coram pro- „ mi jubes, &c. Me BEATUM; cujus

Picta vestis.

„ insignibus talis cura præstetur: hæc „ plane hæc est picta, ut dicitur, vestis, „ non magis auro suo quam tuis verbis: fuit namque trabea, post Regum expulsionem, Consulum insigne regium; occinitque Claudianus lib. 2. *de Laud. Stilichon.* vers. 3.

Quo tandem flexus trabeas auctore rigentes *
Induerit, factumque † suum concesserit annum.

* Leg. *rogantes.* † Rep. *fastisque.*

Consules trabeati.

CCCCXCV. Sed quia cum trabea usum purpuræ sapientes exquirunt, indubitanter puto Romæ purpuram trabeamque gestasse Romulum. Plutarchus inquit: αὐτὸς δὲ προεκάθητο μετὰ τῶν ἀρίστων ἁλουργίδι κεκοσμημένος, *ipse Romulus præsidebat cum optimatibus trabea ornatus*: asseritque Alexander *lib.* 5. *cap.* 18. „ Primus „ Romulus trabea usus fuit; quæ tripli„ cis generis erat: namque unum, diis „ consecratum, sola purpura intertexeba„ tur; aliud regium ex purpura immixto „ albo quam Reges Consulesve induebant; „ tertia auguralis fuit, quæ ex purpura fie„ bat & cocco puniceo, alterno textu pur„ pura distinguebatur. Hæc ille ex Ser„ vio, qui Suetonium refert *in* 7. *Æneidos*, Consules quia regiam majestatem præferebant, illa utebantur, Regum successores; occinitque Ausonius in *Protreptico*, sive *Edyll*. 4.

Primus Romulus in trabea usum purpuræ introduxit.

Triplex trabea.

Ut trabeam, pictamque togam, mea præmia, Consul
*Induerer; factisque * meis prælatus haberer.*

Sed a Romulo primo Romanorum Rege, una cum purpura, introductam plerique testantur; Plinius cumprimis antiquitatem præstat *lib.* 9. *cap.* 39. *Purpuræ usum Romæ semper fuisse video, sed Romulo in trabea; nam toga prætexta & latiore clavo Tullum Hostilium e Regibus primum usum, Etruscis devictis, satis constat: Nepos Cornelius, qui Divi Augusti principatu obiit: Me, inquit, juvene, violacea purpura vigebat, cujus libra denariis centum venibat; nec multo post rubra Tarentina: huic successit dibapha Tyria, quæ in libras denariis mille non poterat emi: hac P. Lentulus Spinther Ædilis Curulis primus in prætexta est usus, an. V. C. DCC. Tullio Consule. Dibapha dicebatur, quæ bis tincta esset, veluti magnifico impendio*. Vestis purpurea erat Regni insigne, asseritque Xenophanes in *Samiis*: *Quandiu invisam tyrannidem obtinuerunt, in forum prodierunt purpureis vestiti palliis*. Theopompus lib. 15. *Hist.* tradit, *ambulasse indutos purpurea stola, quod indumentum eo seculo rarum fuit, etiam apud Reges, existimationis maximæ inclytum*.

Usus purpuræ.

Ejus pretium.

Ejus usus apud Reges.

CCCCXCVI. Ex dictis corrigitur Cassiodorus in *Chronico*, ubi ait, *Tullius Hostilius primus apud Romanos purpura est usus*. Usum purpuræ in toga prætexta latioreque clavo, ut Plinius scribit, induxit, ut Etruscorum more fulgeret in solio, quos devicit: quod & Alexander Magnus fecit, dum Persarum habitum prætulit; sed trabeam solus Romulus purpuream in ornatu ostentavit: occinitque l. 1. *Fastorum* Ovidius vers. 37.

Ante Numam Romæ purpura.

Hoc igitur vidit trabeati cura Quirini,
Cum rudibus populis annua jura daret.

Similiter corrigendus venit Cedrenus, qui ab Hercule purpuram usu subactam inventamque tradit, Phœnicis Tyri Regis omnino oblitus, quod mirum, Romuli non meminit, sed a Pelasgis Numam accepisse purpuram promit: „ Numa cum „ excepisset Legatos a Pelasgis qui fere„ bant chlamydas, in quibus clavi russi & „ purpurei, ut est Isauri; primus repe„ rit Romæ chlamydas regias quidem pur„ pureas cum clavis aureis; Senatorias ve„ ro, & Magistratuum Civilium, ac mi„ litarium, habentes Regiæ vestis insi„ gnia clavos purpureos, indices digni„ tatum Romanæ Reipublicæ. Si verum „ fateri licet, Romulus purpuram in trabea gestavit, postmodum Numa Pompilius Pelasgorum æmulatus morem, Senatoribus & Ducibus exercituum illius usum permisit; nam & illos trabeatos legimus apud Dionem & Ammianum Marcellinum: & in Equitum probatione scribit Valerius Maximus *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 9. *trabeatos Equites Idibus Julii Q. Fabius transvehi instituit*: non igitur Numa purpuram introduxit, quum Romulus illa usus in Sella Curuli & triumphis conspicuus apparuit antea; idque assertum facit Dionysius Halicarnasseus lib. 2. *Antiquit.* Τελευταῖος δὲ τῆς πομπῆς αὐτὸς ἐπορεύετο, ἐσθῆτα μὲν ἠμφιεσμένος ἁλουργῆ, δάφνῃ δὲ κατεστεμμένος τὰς κόμας, *ipse Romulus pompam extremus claudebat, indutus purpura, & coronatus laurea*.

Numa a Pelasgis purpuram habuit.

Clavus purpureus.

Equites trabeati.

CCCCXCVII. Trabea vestis regia erat, Xiphilino ex Dione teste in *Nerone*, sic dicta a segmentis, listisque * trabium instar limarum obliquis, unde Claudianus in plausu Stilichonis, *rigentes auro trabeas*, occinit; candore & purpura nitebat ex auro, unde Corippus *lib.* 3. de indumento Justini Imperatoris cecinit:

Trabea descripta.

Substrictoque sinu vestis divina pependit,
Poplite fusa tenus, pretioso candida limbo;
Cæsareos humeros ardenti murice texit
Circumfusa chlamys, rutiloque ornata me-tallo
Principis exerta vincebat lumine dextra.

Trabeatus ac chlamydatus Imperator conclamabatur, & Romanam veterem pompam præferebat: ad trabeæ differentiam togam purpuream Hostilii Regis describit Dionysius *loc. cit.* quam & trabeam vulgo appellare solebant, τηβέννας ἐμπεπορπημένοι περιπορφύρους φοινικοπαρύφους, ἃς καλοῦσι τραβέας, *togas fibulis adstrictas induti purpura, prætextas puniceo colore alternis intertexto, trabeas vocabant*. Sed præcipue Principes in triumphis illas gestabant, *trabea ut in pace Consulum*, inquit Ausonius, *sic in Victoria Ducis est triumphantis*: quia, ut ex Dionysio dicimus, in pace dum jura dabat Romulus trabeatus sedebat, triumphans in trabea pompam sibi & Urbi fecit ingentem: nec eo inficias dum inter insignia Regum illam depromo; nam Thodoretus *Ser.* 10. de affectibus Græcorum ait: *Regiam sibi speciem apparatumque circumponunt, trabeam, coronam, sellam, currum triumphalem, globosque spiculatorum;* Gregorius Secundus Pontifex, epistola secunda ad Leonem Imperatorem, enumerat regia indumenta, *purpuram, diadema capitis, ac trabeam*: de Nerone Dio ait, *amictum fuisse trabea auro intexta*: sed quia a Romulo initium habuit, *Quirinalis* dicitur. Ovidius in *Fastis*,

Toga purpurea.

Regum insignia.

—— trabeati cura Quirini.

* Iterum rest. *fastisque*.

* Forte, *listris*.

Virgilius lib. 7. *Æneidos* vers. 611. de templo Jani ob bellum reserato :

> *Has, ubi certa sedet Patribus sententia pugnæ,*
> *Ipse* QUIRINALI TRABEA, *cinctuque Gabino*
> *Insignis, reserat stridentia limina Consul;*
> *Ipse vocat pugnas; sequitur tum cætera pubes:*
> *Æreaque assensu conspirant cornua rauco.*

Trabea Quirinalis.

Juvenalis *Satyra* 8. vers. 259. & ipse occinit,

> *Ancilla natus trabeam, & diadema Quirini,*
> *Et fasces meruit Regum ultimus ille bonorum.*

Qui trabeam gestarent.

Nemo vivente Romulo, aut successorum aliquo Regum, trabeam gestare audebat, sed post Reges primum Consules, Prætoresve, ac Decemviri, ipsique Equites etiam in funere Ducum trabeati ferebantur; quod innuit Tacitus lib. 3. *Ann.* cap. 2. *præcedebant incomta signa, versi fasces, atrata plebs, trabeati Equites.* Sed cur purpura in funere? An quia defunctorum Principum triumphos componebant in funere, ut anima aquilæ alarum remigio astra triumphans adscenderet? equidem trabea triumphantis est. An quia in purpura nitor sanguinis, veteri nobilitate, signatur? An quia, teste Macrobio, ipsoque Tullio in *Scipione*, defuncti Principes cælos petunt, lacteæ per iter viæ coruscantes scandunt sidera, & Reipublicæ ab alto consulunt?

Cur purpura in funere? ut trabeati mortem haberent præ oculis.

Diadema.

CCCCXCVIII. Trabeam & *diadema* Quirini concinit Juvenalis: quod Curtius *lib. 7. cap. 5. Regni insigne* nuncupat; Ammianus Marcellinus *l. 22. Fasciolam candidam Regiæ majestatis insigne*: Valerius Maximus, *nobilem pannum*: Isidorus *lib. 19. cap. 31. Diadema est ornamentum capitis, ex auro & gemmis contextum, quod in se circumactis extremitatibus retro adstringitur, & exinde dictum Græce, quod præligetur.* Hæc gemmarum aurique ornamenta in fasciola intertexta ferebantur: ideo Plutarchus in *Coriolano* inquit, Metellum *diadematum* olim dictum, quod frontem ex ulcere diu ligaverit fascia, quæ diadema Græce dicitur; hinc Brissonius erudite observat ex Suetonio, inter cætera regii nominis a Cæsare affectati indicia, *coronam lauream candida fascia* præligatam statuæ ejus non inviti a quodam e plebe impositam: Valerius Maximus *lib. 6. cap. 2.* enarrat, Favorinum * Pompejo fasciа crus alligatum habenti, regias ejus vires exigui panni cavillatione exprobrantem, dixisse: *Non refert qua in parte corporis sit diadema.* Frontem mirifice ornabat, juxta naturæ insigne, quæ animalium præstantissimis diademata contulit, ut regia quadam nota insigniret. Plinius *l. 11. c. 16. Est Regibus apum in fronte macula, quodam diademate candicans*: Festus Pompejus ex Verrio: *Basiliscus appellatur genus serpentis, quod in capite habeat album instar diadematis*: Plato Dial. 3. *de Legibus* inquit ex Socrate: *Potentiores dominentur, imbecilliores serviant. Principatus est admodum necessarius, imo qui secundum naturam, ut Thebanus Pindarus ait, in omnibus animalibus reperitur*: & in elephantis expresse agnoscitur. Statius transit ad homines lib. 3. *Sylvarum*,

Insigne regium.

Animalium Reges diademate præstant.

* Rep. *Favonium.*

> *Accipe & hoc regimen dextræ, frontisque superbæ*
> *Vincula, quæ patri nimium gestanda dedisti.*

Sceptrum offert, & diadema, capitis manusque ornatum; illud breviter describit Alexander lib. 1. *Genialium Dier. candidam fasciam* tam Romanis quam exteris gentibus; inventorem refert Plinius *lib. 7. cap. 56. Liber pater diadema Regum insigne, & triumphum invenit*; fortasse apud Ægyptios, cujus in Regione coronatos deos legimus apud Athenæum *Deipnosoph.* lib. 15. cap. 7. ubi ait, τοὺς στεφάνους ἀπέθεντο οἱ θεοὶ ἐν Αἰγύπτῳ, πυθόμενοι βασιλεύειν τὸν Βάβυν, ὅς ἐστι Τυφῶν, *coronas deos in Ægypto sibi detraxisse, cum Babyn, qui Typhon est, regnare intellexissent*: firmatque Hellanicus in *Ægyptiacis*. Nam diadema, coronamque dicebant Veteres: occinit namque Virgilius prodigium ignis, quod Trojanorum regnum adversus Turnum portendebat, coruscante in vertice Laviniæ mirabiliter igne, lib. 7. *Æn.* vers. 71.

Diadema candida fascia.

A Libero inventum,

Dii coronati apud Ægyptios.

> *Præterea castis adolet dum altaria tædis,*
> *Et juxta genitorem adstat Lavinia virgo,*
> *Visa (nefas) longis comprendere crinibus ignem,*
> *Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari,*
> *Regalesque accensa comas, accensa coronam*
> *Insignem gemmis, tum fumida lumina fulvo*
> *Involvi,*

Corona apud Latinos Reges.

Gemmas addiderunt quamplures, ut Diodorus in *Bibliotheca* tradit: alii deorum imagines, ut, teste Xiphilino, Domitianum adstruxisse divinum in regno commentum legimus: alii insignia, a quibus *Impresiæ* emanarunt, monstra, belluarumque exuvias. Marcellinus *lib. 19. Sapori Persarum Regi aureum capitis arietini figmentum, interstinctum lapillis pro diademate gestasse, multiplici vertice dignitatum,* scribit; Proteus, si Diodoro fides, plantas in capite effictas, ferasque ostentabat, quibus mutatis metamorphoseos Regis admiranda cecinere Vates. Romani una cum fascia lauri baccas gestabant: tandem ex veteri Nummo Cæsarum imperiale ornamentum demonstro, ut morem Lector edificat ab ipso antiquitatis penu, recentiorumque Regum coronas diversas a priscorum diademate laureato cognoscat. In diademate namque æternitatem Imperii intelligebant.

Coronæ & Insignia, unde Impresiæ.

Vetus corona, & diadema laureatum.





Sceptrum aureum.

CCCCXCIX. Sceptrum proinde novimus Regni munimentum insigne, quod *aureum* gestasse Assuerum sacer contextus confirmat: similiter docuit Xenophon lib. 8. *Cyropædiæ*: sed varium pro Regionum varietate depromitur, sicuti variasse diademata legimus; idque Alexander antiquissimorum e scriniis Scriptorum collegit, e cujus adytis nonnulla perhibere loci opportunitas monet: enimvero Persarum Lydorumque Regum, teste Diodoro in *Bibliotheca*, post sacra in templo Isidis diis rite peracta, insigne regium, vestis Cyri, & *Candys* pro diademate fuit, sceptrumque aureum. *Tiara* utebantur Phryges, ut Maximus Tyrius perhibet, eratque pileus, ex quo redimicula, quibus maxillæ velantur, defluebant: pro sceptro bacillum insigne gemmis: Numidis Regibus sceptrum in sinistra, & candida in fronte vitta ornamentum est: regale habitum Macedonum Regum *chlamys*, *chausea* †, *& crepida, ac diadema*: velum erat fortasse chausea, quo Pyrrhi velatum caput, quod evulserat Alcyoneus Antigoni Regis filius, more Macedonum offert Valerius *l.* 5. *cap.* 1. *num.* 4. Apud Siculos purpurea vestis, auctore Livio *dec.* 3. *lib.* 4. *argenteus baculus*, & purpura gemmis exstructa cum diademate, insignia Regum ferebantur: Phœnicibus, Syris, & Cilicibus chlamys cum crepidinibus *, & candicans diadema: Ægyptiis autem Regibus nunc leonis, nunc tauri, nunc draconis efficti imaginem, aut ignem, arboremve effictam, supra caput ferre, principatus & regii dominatus insignia fuere: nonnunquam diadema aspidis imagine distinctum spectatissimum Regni insigne fuit; Parthis duplex diadema amplissimum decus regium dicunt esse, quippe quorum Reges magni, & Reges Regum habebantur: Darii diadema fuit purpureum albo distinctum, quod mox Alexander usurpavit ferre: Semiramis, inquit Diodorus lib. 3. *Bibliothecæ*, *sceptrum* Regni, stolamque regiam prætulit: unde Syrii quoque stolam & sceptrum pro regio diademate habuerunt: Antigonus, quo Liberum patrem referret, hederam capiti suo pro diademate, pro sceptro thyrsum gestabat: itaque mitra, cidaris, diadema, &c. capitis ornamenta recensentur: Atheniensibus *crobylum*; Cypriis *cordilen*; Persis *nidarion*; Ægyptiis *fasciolum*, quod ab illis parum abesse compertum est.

Candys, Tiara. — Chlamys, chausea. — Baculus argenteus. — Leo, taurus, plantæ in capite. — Aspis. — Stola. — Hedera. — Mitra. — Cidaris.

D. Sequitur Alexander, & sceptra Veterum depromit: ut enim memoriæ proditum est, externorum Regum sceptra in summo ciconiam, in imo hippopotamum

† Alii melius, *causia*. * Rect. *crepidis*.

A habuere effictum: quo argumento Regem justitiæ obsequi debere, atque feritatem & indomitas libidines, ne ira desæviat, emollire significabant: Lydiæ vero Reges sceptri loco *securim* habuisse feruntur, sicut Labradeus Jupiter in Caria pro sceptro & fulmine *securim* ferebat. Romanis vero Regibus *lituus* cuspide incurva, qui etiam virga auguralis erat, sceptri loco est habitus: Tarquinio Prisco sceptrum fuit eburneum, in summo aquilæ figuram habens, & corona aurea, quam usque ad extremum tulit: eaque insignia,

B inquit Dionysius Halicarnasseus lib. 3. *Antiq.* Etruscos, pace facta, ad illum misisse, quibus eximie suos Reges ornare solebant: Babylonii tanto studio sua sceptra prosequuti sunt, ut extra domum sine sceptro prodire, aut conspici nefas ducerent: in quibus diversas effictas species figurasque habebant, quippe mali, rosæ, vel lilii, aut aquilæ, alteriusve avis, in summo ferebant, asseritque *lib.* 1. Herodotus. Hebræi virgam præstantem oculo pro sceptro colebant.

Securis pro sceptro. — Lituus. — Aquila in sceptro. — Et rosæ, lilia, mala, aves.

C DI. Sed satis lusisse aliena novimus pila, nostra præstemus, si omnino non optima, saltem opportuna & digna scitu: Romuli sceptrum imo & diadema hastam fuisse ex Trogo testatur Justinus *lib.* 43. *cap.* 3. Per „ ea adhuc tempora Reges HASTAS pro „ diademate habebant, quas Græci SCE„ PTRA dixere: nam & ab origine rerum „ pro diis immortalibus Veteres HAS„ TAS coluere, ob cujus religionis me„ moriam, adhuc deorum simulachris „ hastæ adduntur: de Romulo eleganter Ovidius lib. 2. *Fast.* vers. 478.

Hastam pro sceptro gestabat Romulus.

D *Bellicus a telo venit in astra deus.*

Decebat Martis filium hastam præferre pro diademate & sceptro: enimvero in hasta Martem vetus religio coluit, quod Arnobius l. 6. *adversus Gentes* erudite inquit: „ Temporibus priscis Persas fluvios co„ luisse: informem Arabas lapidem: aci„ nacem Scythiæ nationes: lignum Ca„ rios pro Diana indolatum: Pessinuntios „ silicem pro deum matre: PRO MAR„ TE ROMANOS HASTAM; nec si-

Mars in hasta.

E luit Clemens Alexandrinus, aliique quamplures; nec male vir militia insignis hastam pro sceptro gestabat, ut & bellum indicere, contentionesque dirimere, hastæ posset viriliter motu; Alexander, si Aristobulo quandoque fides, aureum projecit sceptrum, dum Orbem subigere aggressus est, & hasta prævaluit: sic responsa dabat in castris, & hastatus Legatos admisit: Trojanos vero Romanorum parentes sceptrum, Regni gestamen, habuisse, occinit Virgilius *lib.* 7. *Æn.* vers. 246. Legato-

F rum ore, qui Latino Regi munera ferunt:

Trojanorum sceptrum.

Hoc Priami gestamen erat, cum jura vocatis
More daret populis, sceptrumque, sacerque tiaras,
Iliadumque labor, vestes.

Ad jura confert sceptrum, ut Apollonius lib. 4. *Argon.* vers. 1177. canit,

A

——— χειρὶ
Σκῆπτρον ἔχεν χρυσοῖο δικασπόλον, ᾧ ὕπο πολλοὶ
Ἰθείας ἀνὰ ἄσυ διεκρίνοντο θέμιςας.
——— *manu*
Sceptrum tenebat aureum ad judicia, sub quo multi
Æqua per urbem dijudicabant jura.

Romulus pro sceptro hastam gestat.

DII. Ergo Romulus more Majorum cuncta Regum insignia gestabat, & hastam pro sceptro, ut Martis filius innotesceret, quandoquidem incerto patre habebatur, ita ut Messala Corvinus in libro *de Progenie Augusti*, cum a Julo Augustum, vetustissimæ nobilitatis germen, referret, Romulum a genealogia seclusit: *Scito, Cæsar Auguste, Numitorem gentis Juliæ Albanorum Regum ultimum: eamque gentem ad Julium usque Cæsarem, teque Principum decus, sine Imperio, privatæ in tuæ felicitatis tempora terminasse: namque Romulum Romanæ Urbis, Imperiique tui conditorem, materna linea, incognito patre ortum, tuæ stirpis non censeo.* Ideo in hasta Martem ostendere satagebat, ut divum genus præstaret in Regno; cæterum, ut Juvenalis *Satyra* 10. vers. 35. canit,

Ut filius Martis crederetur.

Prætexta, & trabeæ, fasces, lectica, tribunal,

Post Reges Romani Magistratus regio ornamento insignitos habebant.

Regem ornabant Romulum; quæ insignia principatus: deinde expulsis Regibus, Consules primum, Prætoresque eximie ornati gestabant, etsi regium nomen inauspicatum in Urbe censerent; Prætorem offert Juvenalis:

Prætor.

Quid, si vidisset Prætorem in curribus altis
Exstantem, & medio sublimem in pulvere Circi
In tunica Jovis, & pictæ Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ, magnæque CORONÆ
Tantum orbem, quanto cervix non sufficit ulla?

Deinde pergit ad Consulem, exhibetque præ oculis virum in sceptro præstantem,

Da nunc & volucrem, sceptro quæ surgit eburno,
Illinc cornicines, hinc præcedentia longi
Agminis officia, & niveos ad frena Quirites.

Lictor præcedit, ut turbam summoveat.

In agmine servos & *Lictores* intelligit: erat Lictor, teste Apulejo, *publicus minister*, & in ludis festisque diebus plebem summovebat: apud Livium *lib.* 3. Appius imperat, *I, Lictor, summove turbam, & da viam Domino*: Horatius lib. 2. *Carm.* od. 16.

Summovet Lictor miseros tumultus.

Alibi plura dabimus, sufficit nunc augustiorem dedisse Romulum.

CAP. XLI.

Romulus centum Senatores eligit: Patricios & Patres appellat. Quæritur de Senatorum munere, & Patrum nomine.

Consiliarii & Senatus Regum honor ut reguet.

DIII. LYCURGUS vir sapientissimus Regi Lacedæmoniorum Consiliarios probatæ eximiæque vitæ Seniores addixit, ut sicut Sol cælorum princeps semper hesperi comitatu fulget in astris, ita Rex Solis hieroglyphico illustris, Senatus auctoritate
B præcellat; unde Plato in *Epistola* ad familiares Dionis scribit apud Stobæum: Sapiens bonusque vir Lycurgus cum videret genus proprium in Argo & Messena ex Regno in tyrannidem esse translatum, consulens civitati suæ, & generi remedium salubre Imperio adhibuit SENATUM, ET EPHORORUM principatum in Regni salutem. Optima omnium Monarchia & Solis expressa symbolo commendatur ab Homero: Sol igitur Lunam implet & sidera, quibus cælum perpetua agitatione firmatur, regit
C feliciter Orbem, & universi columen numenque coruscat; si solus gestaret Orbis Imperium, noctium dierumque vicissitudines, camporum segetes, & incrementa viventium tabescerent, & Orbis eximia corrueret moles: ideo monet Isocrates in *Nicocle* sive *Orat.* 3. Οἱ δὲ Μοναρχίας πλεῖςον μὲν νέμουσι τῷ βελτίςῳ, δεύτερον δὲ τῷ μετ' ἐκεῖνον, τρίτον δὲ, καὶ τέταρτον, τοῖς ἄλλοις κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον. *Monarchiæ principem locum tribuunt optimo, deinde secundo qui post primum est, deinde tertio, & quarto, & reliquis eadem ratione prome-*
D *ritis.* Quo pacto Ægyptiis præstantissimi Reges electione virorum consultissimorum Monarchiam firmasse dicuntur; & Pharao Josephum virum Hebræum post se constituit Rectorem Ægypti, quandoquidem *Principem populorum constituit eum*, non Regni participem, sed Consiliarium optimum, ad Regni regimen opportunum; unus sit Rex, Dei unius imago, quem Plato, in *Politico*, *divinum pastorem* appellat, *deum in Regno* Diogenianus Pythagoricus: Deus enimvero consulto
E admiranda Orbis terrarum perficit, monetque facer contextus *Geneseos*, in molis superbæ Babylonis molimine dixisse, *descendamus & videamus*: simulque cum Abraham Sodomæ excidium edixisse, & Consiliarium non respuit: nec *Rex Regum, & Dominus Dominantium* Servator Jesus Apostolorum Senatum abhorruit, imo in fine seculi, conflagrante Orbis compage, judicabunt super sedes duodecim, illius auctoritate, qui Moysen constituit Deum Pharaonis, *Judicem* videlicet, cui Regni exsuperantium Ægyptiorum virtutis suæ
F virgam tradidit, inquit Diodorus Episcopus Tarsensis: hunc æmulari oportet Optimum Maximum, Princeps ut solus imperet, & Senatusconsulto justa decernat; socium non eligat, ut olim Romanorum Imperatores, Imperii potentissimi destructores, qui altero adscito ad regimen Orbem totum perdiderunt; *Regnum* namque *divisum desolabitur*: qua mente suf-

Monarchia in Sole, qui astra illuminat, Rex Senatum.

Ita Ægyptii Regnum firmarunt.

Solus Rex imperet, sed adhibeat Consiliarios, quod Deus fecisse dicitur.

Desolatur Regnum divisum.

fultus Alexander in partem nequaquam Darium admisit, ut unus regnaret in Orbe: exemplo sapiens quidam ex Lydis docet, apud Democritum ex Sereni *Apomnemoneumatibus*: „ Cum Lydis Crœsus imperaret, fratrem in consortium Imperii assumsit. Tum quidam ex Lydis accedens dixit, Omnium in terra bonorum, o Rex, auctor est Sol, neque quicquam exstaret in terra, Sole non illustrante: at si gemini Soles forent, periculum immineret ne omnia conflagrantia pessum irent: ita & Regem unum quidem accipiunt Lydi, & servatorem omnium credunt esse, duos vero simul tolerare non possent. Ita ille apud Stobæum.

Magistratus ex optimis.

Magistratum eligat potius, consultissimosque adhibeat, quorum consilio judicet, rerumque gestarum notitiam habeat; hoc ad Imperii majestatem spectat, sicut de Persarum Rege scribit Apulejus in libro *de Mundo*: *Inter eos Aures regiæ, & Imperatoris Oculi quidam homines vocabantur, per quæ officiorum genera Rex ille ab hominibus deus esse credebatur, cum omnia ubicumque gererentur ille Otacustarum relatione discebat*; istos nuncupat Ausonius, in *gratiarum Actione* ad Gratianum, *viros gloriæ militaris, viros nobilitatis antiquæ, viros fide inclytos, & officiis probatos*. In *Exodo* c. 18. juxta sententiam Jethri, qui a plerisque Mercurius Trismegister appellatur, *elige viros potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam. Si hoc feceris*, IMPLEBIS IMPERIUM DEI.

Aures & Oculi Regis Ministri.

Romulus centum Senatores eligit.

DIV. Hæc premens vestigia Romulus, postquam Imperii culmen adscendit, viresque sufficere ad Urbis præsidium novit, Senatorum delectum parat, de quo Livius ait: *Cum jam virium haud pœniteret, consilium deinde viribus parat*, CENTUM CREAT SENATORES, *sive quia is numerus satis erat, sive quia soli centum erant, qui creari* PATRES *possent: Patres certe ab honore, Patriciique progenies eorum appellati.* Messala Corvinus: *Centum Senatores creavit, quos Patres auctoritate nuncupavit*, REIPUBLICÆ CONSILIUM. Patrum nomen enucleat Dionysius Halicarnasseus lib. 2. *Antiquit.* & Urbis primordia vindicat: „ Illustres genere, & virtute celebres, opibusque, ut tum ferebant tempora, abundantes, quibus essent liberi, secrevit ab obscuris, egenis, & humilibus; Inferioris fortunæ homines, Plebejos vocavit: Potiores vero Patres, sive quod ætate anteirent alios; sive quod haberent liberos; sive propter nobilitatem generis; exemplo, ut videtur, ab Atheniensium Republica sumto, quæ adhuc illo tempore florebat: hi enim bifariam, divisa multitudine, Patricios appellabant ex illustribus familiis ortos, & pollentes opibus: penes quos fuit civitatis regimen: cæteros cives rusticos, quibus nullum erat in Republica suffragium.... Sane qui proxime veritatem de rebus Romanis scribunt, has causas afferunt.... Qui autem invidiose loquuntur, & Urbi generis obscuri calumniam impingunt, non ideo dictos Patricios ajunt, sed quod hi soli possent patres ostendere, quasi cætera turba fugitivorum fuerit, non valentium proferre patres ingenuos: & argumento utuntur hoc, quod quoties Patricii convocarentur a Regibus, præco quemque suo ac paterno appellabat nomine; Plebejos vero Ministri quidam cornibus bubulis concinentes in concionem contrahebant. Sed hæc invidiæ commenta desipiunt; enimvero ex Albanorum familiis quamplures viri nobiles descenderunt cum Romulo, quorum antiquitas recensetur ab ipsa Regum stirpe, ut de Juliis, Sylviis, cæterisque multis, & sic Patricii dicebantur, teste Cincio in libro *de Comitiis* apud Festum Pompejum, tanquam *ingenui*. Addamus gentem Fabiam, Tarpejam, Pinariam, Potitiam, Quinctiliam, Romiliam, Hostiliam, Celerem, aliasque non paucas, & sic vetus Romanorum nobilitas nitet; Plutarchus in *Romulo* calculum suum addidit, expenditque Patrum sive Patriciorum nomen: „ Centum præstantissimorum delegit Consilium, Patres vocavit, Collegium Senatum: Patres dictos ferunt, quod filiorum ingenuorum essent parentes, vel quod parentes suos laudare possent, quod ex colluvie illa Civitatis prima licebat paucis. Sunt qui a PATROCINIO, Patronem quendam, qui secutus fuerat Evandrum advenam, defensorem inopum & vindicem, huic nomen arbitrantes tribuisse: verius videatur Romulum principum & potentissimorum censentem partes esse, ut patria cura & sollicitudine demissiores complecterentur, simulque docentem plebem, ne timerent præstantiores, neve inviderent honoribus eorum, sed uterentur iis cum benevolentia, ac ducerent Patres appellarentque, id nomen his dedisse: nam nunc quoque Senatores exteræ nationis, Prætores, & Imperatores, ipsi Romani cum amplissimo & honoratissimo tum minime invidioso nomine Patres conscriptos vocant: principio Patres tantum, post numero amplificato Patres conscriptos appellavere atque eo tam venerando vocabulo Populum a Senatu distinxit. Huc usque Plutarchus. Eadem fere repetit Zonaras l. 2. *Annal.* tantum electorum enarrat virtutum præstantiam, dicens: *Ex illustrioribus genere, prudentia, & instituto vitæ centum Senatores creat, quos Patricios nominavit, eorumque cœtum, Senatum: Senatores appellati fuere Patricii*. An Patricii dicti, quia Patriæ curam gerunt? An quia Civitatis patres sunt, & quæ ad Reipublicæ statum pertinent sunt illorum juris? An quia sicut pater filiorum bona auget, ita & illi civium? An amor, qui patris primum indidit nomen, Patricios nuncupavit & Patres? An sicut senes appellant patres, ita Seniorum Magistratum dixere Patrum? enimvero Plato Dial. 6. *de Legib.* ad minus quinquaginta annos natum inire Magistratum jubet: & Sosipater in *Epistola ad Hemeterium* profert Homeri carmen, quo *Princeps subditorum pater* appellatur.

Ratio discutitur.

Patricii.

Vetus gens Romana non vilis.

Patrum & Patriciorum nomen expenditur.

A Patrocinio Patroni qui pauperes defendebant.

Patres conscripti.

De Patriciis.

Senatorum electio & Consiliariorum ex virtuosissimis.

DV. Præstantissimos viros elegisse testatur Plutarchus, nam Etruscorum disciplina imbutus, Magistratum virtutis ornamentum existimabat; enimvero Charondas Catanensis Legislator consultantes pro dignitate *honorificos gravesque* exigebat,

bat, ut coram ſenibus juvenes facinorum actores erubeſcerent: Lycurgus, teſte Xenophonte *de Laconum Repub. honeſtos, & pro libertate patriæ certantes* illos quærebat, *qui ad ipſam uſque ſenectutem virtutem excolerent*: Dionis familiares magnus Plato *divitiarum contemtores* efformat: Æſchines *contra Timarchum* inclamat, *vitam potius quam orationem curent in dicendo*: Zaleucus Legislator inſtat, ut ſint *viri probitatis nomine clari, & ab injuſtis facinoribus animum avertant*: Ariſtoteles, quem *Serm.* 45. refert Stobæus, exquirit, *prudentes, non propter officium, ſed virtutis cauſa, admirationem ſui parere, ut etiam immutata fortuna eiſdem laudibus digni cenſeantur*, tandem Lyſias quam ſæpe dicebat, *judicantes eadem mente præditos eſſe decet, qua Legislatores ipſos*. Ideo Judicum ſimulachra, Senatorumque apud Thebas, Plutarcho auctore *de Iſide & Oſiride, abſque manibus oculiſque connientibus* efficta erant, eo quod juſtitia nec muneribus capiatur, nec hominum vultu flectatur.

Senatorum munus.

DVI. Elegit igitur Romulus Senatores viros conſultiſſimos, omni virtutum genere ornatos, quibus Regni jura permiſit; enarratque Dionyſius Halicarnaſſeus eorum munus lib. 2. *Antiquit. ut Patricii ſacra curarent, Magiſtratus gererent, jus redderent, ſecum Rempub. adminiſtrarent, res urbanas obirent*. Sed pauperes obibant Magiſtratus monumenta in campis, ſive ſub Jove frigido, aut domo culminibus acta: * quod occinit Ovidius, & Propertius *lib.* 4. *el.* 1.

Olim paupe. res.

Curia, prætexta † quæ nunc nitet alta Senatu,
Pellitos habuit ruſtica corda Patres,
Buccina cogebat priſcos ad verba Quirites,
Centum illi in prato ſæpe Senatus erat:
Nec ſinuoſa cavo pendebant vela theatro.
Pulpita ſollemneis non oluere crocos.

Ruſticæ olim Curiæ meminit, de qua Varro lib. 6. *L. L. Curia eſt ubi Senatus Rempublicam curat*: Senator ipſe, & Paſtor armenta curabat, ut Ovidius lib. 1. *Faſtorum* verſ. 203. eleganter canit:

Paſcebant oves.

Frondibus ornabant, quæ nunc Capitolia gemmis;
Paſcebatque ſuas ipſe Senator oves:
Jura dabat populis poſito modo Prætor aratro;
Et levis argenti lamina crimen erat.

A Senibus Senatus dictus.

DVII. Senatorum nomen ab ætate & ſenio auſpicabantur Veteres: Eutropius lib. 1. *Hiſt.* „ Centum ex ſenioribus elegit, „ quorum conſilio omnia ageret, quos Senatores nominavit propter ſenectutem. „ A ſenibus appellantur majores Senatus: Iſidorus, *Senatui nomen ætas dedit*: Feſtus Pompejus: *Senatores a ſenectute dici conſtat, quos initio Romulus elegit centum, quorum conſilio Rempublicam adminiſtraret*: recte namque a ſenioribus conſilium provenire putabant, *quod niſi eſſet in ſenibus, non ſummum conſilium appellaſſent noſtri Senatum*, inquit Tullius: unde Plautus in *Moſtellaria* ait,

Eorum conſilium.

—— mihi Senatum conſilii in cor convoco.

Et in *Epid.* Act. 1. Sc. 2. verſ. 56.

Jam Senatum convocabo in corde conſiliarium.

Id eſt, prudenter conſilium expendam juxta Seniorum oracula. Ovidius *Faſtorum* l. 5. verſ. 63.

*Nec niſi poſt annos potuit * tunc Curia ſeros:*
Nomen & ætatis mite Senatus habet.

Enimvero recte canit idem lib. 9. *Metam.* verſ. 550.

Jura ſenes norint; & quid liceatque, nefaſque, *Jus dicunt.*
Faſque ſit, inquirant, legumque examina ſervent.

Et Prudentius *adverſus Symmachum* Senatum extollit,

Exſultare Patres videas, pulcherrima Mundi
Lumina, conciliumque ſenum geſtire Catonum.

Nec officit paupertas antiqua Patrum, quin ab ipſis conſilium regendæ Urbis procedat; nam Sidonius in *Panegyrico* Avito Auguſto dicto canit,

Poſtquam in Concilium ſeniorum venit honora
Pauperies, paciſque ſimul Rex verba popoſcit.

Veneranda ſenectus virtutum omnium præſtabat ornatu; nam viri innocentiæ candore illuſtres, animo fortes, recte vivendi regulam præibant, ut jure riteque Reipublicæ monimentum eſſent, & ſalus. Quod ſapiens cum Romulus animadvertiſſet, in Curia convocatos ſeniores expoſtulabat, eorumque proſequebatur oracula; audiamus Ovidium lib. 5. *Faſtorum* verſ. 65. canentem:

Jura dabat populo ſenior: finitaque certi *Seniorum*
Legibus eſt ætas, unde petatur bonos *h onor.*
Et medius juvenum non ind ignantibu ipſis
Ibat, & interior, ſi comes unus erat. *Ob ſenectutem.*
Verba quis auderet coram ſene digna rubore
Dicere? cenſuram longa ſenecta dabat,
Romulus hoc vidit, ſelectaque corpora PATRES
Dixit.

Nihil ſanctum, vel auſpicatum, quod Senatus auctoritate non ſancitum, Concilium auctoritate præſtabat, & ſeniorum verba tanquam oracula excepta venerabantur, ac ſi cælo delapſa; Silius *lib.* 1.

Hinc conſanguineæ ſubeunt jam mœnia Romæ,

* Rep. *tecta*. † Leg. *prætexto*.

* Reſt. *patuit*.

Concilium augustum.

Concilium vocat augustum, castaque beatos
Paupertate Patres, ac nomina patria triumphis
Consul, & æquantem superos virtute SENATUM.

DVIII. Centum elegit Senatores, ob cujus memoriam, inquit Isidorus, in calceis Senatores Lunam gestabant, *centum* notam in numeris; deinde Regibus expulsis Brutus tanti facinoris auctor usque ad trecentos Senatorum numerum auxit: explevitque Senatum P. Valerius; Gracchus etiam addidit plures, si Dionysio credimus, quos M. Lucium Drusum Tribunum Plebis abrogasse Appianus scribit; redditi sub Sylla, & Ruffo postmodum CCC. fuere: Tullius ad Atticum usque ad CD crevisse scribit: & Cæsar Dictator nongentos elegit e Patribus, augustum, simulque magnum Senatum constituit, ut Dio refert: plena Curia exteros quamplures, & ignavos, tanta majestate indignos obruebatur excipiens, ideo indigebat reformatione, redegitque in ordinem Augustus; ait enim Suetonius: *Augustum Ordinem Senatorium affluentem incondita turba ad pristinum splendorem redegisse*: & Xiphilinus ex Dione in *Augusto* inquit: *Cum vellet Senatores pauciores esse, certoque & definito numero contineri, plerisque molestiam exhibuit, tum ci a permultis insidiæ paratæ sunt*; nemo assumtum sibi honorem deponere æquo animo patiebatur, & mortem quisque prætulisse legitur, unde sequitur Xiphilinus: *Atque ipse coegit permultos sibi mortem afferre, in quorum numero fuit Muræna, qui cum eo olim constanter & libere se gesserat.*

Lunulas in calceis gerebant.

Senatorum numerus varius.

Reformatus.

DIX. Inter alia incommoda illorum infelicissimorum temporum, non senes Senatusconsulta obibant, sed juvenes, imo adolescentes, adversus quos Lex non semel Romæ, sed Romanæ ditionis ad ora insonuit: Lex Pompeja Bithynis lata refertur a Plinio ad Trajanum: *Cautum est, Domine, Pompeja lege, quæ Bithynis data est, ne quis capiat Magistratum, neve sit in Senatu minor annorum triginta eadem lege comprehensum est, ut qui ceperint Magistratum sint in Senatu*: cautio ne Magistratum summum quisque attingeret, nisi minorem suscepisset, ait Callistratus: aliud Augusti edictum refert Plinius: *Secutum est dein edictum Divi Augusti, quo permisit, minores Magistratus ab annis duobus & viginti capere: quæritur ergo an qui minor triginta annorum gessit Magistratus, possit a Censoribus in Senatum legi?* Annuit Trajanus Imperator Plinii interpretationi, & rescripsit: *Interpretationi tuæ idem existimo: hactenus edicto Divi Augusti novatam esse legem Pompejam, ut Magistratum quidem capere possent ii, qui non minores duorum & viginti annorum essent, & qui accepissent in Senatum cujusque civitatis pervenirent*: ad quæ Cataneus notat, Pompejum devicto Mithridate, multis Provinciis in ditionem Romanam redactis, leges necessarias illis dedisse, ut Appianus scribit; cæterum Ulpianus ante annum vigesimum quintum ad munera Magistratus admitti non oportere, admissos suffragia haud ferre: eam autem fuisse ætatem quæstoriam monstrat Fabius: Calvus, inquit, & Cæsar, & Pollio multum ante quæstoriam ætatem gravissima judicia susceperunt: & Tacitus, uno & vigesimo Cæsar Dolabellam: altero & vigesimo Asinius Pollio Catonem: non multo ætate antecedens Calvus Vatinium iis Orationibus insecuti sunt. Equidem Divus Ambrosius in responsione ad Symmachum ait, *non annorum canities est laudanda, sed morum*: canit enim Rutilius Gallus in *Itinerario*,

Ætas ultimis temporibus præscripta.

Lex Pompeja ab Augusto novata.

Juvenes Magistratum ineunt.

Non exspectatos pensavit laudibus annos,
Vitæ flore puer, sed gravitate senex.

Juventu laudata.

Vides nullius ætatis discrimen, declinante jam Imperio; Athalaricus Rex Paulinum Senatorem elegit apud Cassiodorum lib. 9. *Variarum*, rescripsitque Senatui, *P. C. alumnum vestrum Paulinum aurea dignitate vestimus, ut* JUVENTUS *ejus, quæ fulget meritis, trabea quoque respondeat triumphali*. Fuit hic filius Patricii Venantii viri consularis, eximii in educatione liberorum. Tacitus lib. XI. *Annalium*: *Apud Majores virtutis id præmium fuerat, cunctisque civium si bonis artibus fiderent licitum petere Magistratus, ac ne ætas quidem distinguebatur, quin prima juventa Consulatus ac Dictaturas inirent.* Hæc sub Claudio Imperatore, fortasse stupido fateor, sed neque hæreo, ut credam ex tunc majestatem Reipublicæ corruisse, juvenum furore obrutam. Censores, qui ex Ærario Saturni tempora nativitatis uniuscujusque noverant, senes legebant, quorum auctoritate Senatus præstabat, senectute proinde neglecta, juvenes in Reipublicæ perniciem Regnum affectare præ viribus cœperunt, & Roma Orbis Regina Tyrannis servire compulsa evanuit.

Sed cum Urbis pernicie.

DX. Quid admirabilius & augustius Romanorum Senatu? Sidonius Apollinaris carmine 7 ad Avitum Augustum, ubi meminit victoriæ Theodorici Gothorum Regis, occinit:

Nil Senatu augustius.

Testor, Roma, tuum nobis venerabile numen,
Et socium de Marte genus, vel quicquid ab ævo;
Nil te Mundus habet melius, nil ipse Senatus,
Me pacem servare tibi.

Laudatus.

Post Tarentinam cladem, elephantis proboscide abscisa, Pyrrhoque, fugatis, Legati Romam venerunt pacem perorantes, sed Appio Cœco instante re infecta rediere asserentes: *Urbem templum sibi visum*, SENATUM REGNUM *esse confessi sunt*. Claudianus cecinit *de Consul. Fl. Mallii Theod.* vers. 7.

Culmina Romani majestatemque Senatus.

Ejus majestas.

Inde Heroem suum, quem tulit ad astra, edicentem sic facit *ibid.* vers. 19.

Hoc ego Concilio collectum metior Orbem,
Hoc video cœtu quicquid ubique micat.

Etenim Athalaricus Rex, apud Cassiodorum lib. 9. *Variarum*, Senatum appellat *summarum culmen dignitatum*: nam

Culmen dignitatum.

boni Principes a Senatu Ministros expostulasse, tanquam a sapientissimorum virorum oraculis compertum est; præcipue Alexander Severus, qui Imperium post clades restituit,

A Senatu Magistratus omnes.

teste Ælio Lampridio: *Præfectum Prætorii sibi ex Senatus auctoritate constituit: Præfectum Urbis a Senatu accepit: Senatorem nunquam sine omnium Senatorum, qui aderant, consilio fecit: idem Senatores nonnisi ad summorum in Palatio virorum suffragium fecit*; bonum factum: Senatu etenim incolumi & decernente Respublica viget & imperat: Sylla, qui tyrannidem primus in Urbe carnifex affectabat, Senatum parvi fecit, exstinxit, suoque excitavit genio præceps; ab ipso viri Consulares, Prætores, Tribuni plebis, ac Dictatores Urbis præfatæ consulta petebant, tanquam a numine: qua de re

Senatusconsulta.

commentarium scripsit M. Varro ad Pompejum Consulem, quoniam per militiæ tempora Senatus habendi, consulendique rerum expers humanarum fuit: quod cum periisset, ad Oppianum eadem scripsit, & A.Gellius lib. 14. *Noctium Attic.* c. 7. epistolam reci-

Locus Senatusconsulti.

tat antiquitate sciituque dignam: spectat similiter ad sanctitatem Senatus Curiæ locus ab Augure designatus & sacer; docuit Varro, confirmavitque: *Nisi in loco per Augures constituto, quod templum appellaretur, Senatusconsultum factum esset, justum id non fuisse: propterea & in Curia Hostilia, & Pompejana, & post in Julia, cum profana ea loca fuissent, templa esse per Augures constitu-*

In templo.

ta, ut in iis Senatusconsulta more Majorum justa fieri possent; ad quæ notandum ex Gellio, non omnes Ædes sacras templa esse,

Quo tempore ferebantur?

ac ne Ædem quidem Vestæ: proinde Senatusconsultum, ante exortum aut post occasum Solis factum, ratum non fuisse, nec cunctis diebus, sed fastis tantummodo Senatum haberi jus est: *Immolare hostiam prius, auspicarique debere, qui Senatum habiturus*

Qui Senatusconsultum rogaret?

esset: de rebus quoque divinis prius quam humanis referendum esse. Fieri duobus modis, aut per discessionem, si consentiretur; aut, si res dubia esset, per singulorum sententias exquisitas: singulos autem deberi consuli gradatim, incipique a Consulari gradu: ex quo gradu semper quidem antea primum rogari solitum, qui princeps in Senatum lectus esset; sed * notat Mutius, Præfectum Urbi Latinarum causa relictum Senatum non posse habere, quoniam Senator non est, neque jus habet sententiæ dicendæ: licet contra Mutium Attejus Capito, & Varro in quarto *Epistolicarum Quæstionum*, posse confirment, *namque Tribunis Plebis Senatus habendi jus erat, quamquam Senatores non essent, ante Atinium plebiscitum*. Circa locum animadverto; tempore, quo prodigia innotescerent,

Tempore prodigiorum sub dio.

non in templo, sed sub dio Senatusconsultum fieri; tradit Plin. *lib. 8. c. 45. Est frequens in prodigiis Priscorum bovem locutum, quo nuntiato Senatum sub dio haberi solitum.* Qua de re vide J.Obsequentem *de Prodigiis*.

An Senatores semper Romani?

DXI. Observo insuper, Senatores tantummodo Romanos fuisse, & Patricios,

* Cum hæc sumserit Auctor noster ex lib. ejusdem c. 8. ex eo emendandus, & leg. *negat Mutius*, vel potius *Junius*; videsis Not. in hunc locum.

A Patriæ Patres, sed declinante sub Claudio
Imperio etiam exteros in Curia adscitos;
quod refert Tacitus, dum prospiceret Imperator, ut Senatus pristino nitori restitueretur, convocavit undique viros præstantissimos, quos Senatores creavit; illum audiamus lib. XI. *Annalium* c. 22. 23. „ Lege
„ Syllæ viginti creati supplendo Senatui,
„ cui judicia tradiderat: & quamquam E-
„ quites judicia reciperavissent, quæstura
„ tamen ex dignitate candidatorum, aut
„ facilitate tribuentium, gratuito conce-
„ debatur, donec sententia Dolabellæ ve-
B „ lut venundaretur. A. Vitellio, L. Vipsa-
„ nio Coss. cum de supplendo Senatu agita-
„ retur, primores Galliæ, quæ Comata ap-
„ pellatur, fœdera & Civitatem Romanam
„ pridem assecuti, jus adipiscendorum in
„ Urbe honorum expeterent: multus ea su-
„ per re, variusque rumor, & studiis di-
„ versis apud Principem certabatur, asseve-
„ rantium, Non adeo ægram Italiam, ut
„ Senatum suppeditare Urbi suæ nequiret:
„ suffecisse olim indigenas consanguineis
„ populis, nec pœnitere veteris Reipubli-
C „ cæ. Quin adhuc memorari exempla, quæ
„ priscis moribus ad virtutem & gloriam
„ Romana indoles prodiderit. An parum
„ quod Veneti & Insubres Curiam irrupe-
„ rint, nisi cœtus alienigenarum velut ca-
„ ptivitas inferatur? quem ultra honorem
„ residuis nobilium? aut si quis pauper e
„ Latio Senator foret? Oppleturos omnia
„ divites illos, quorum avi, proavique ho-
„ stilium nationum Duces, exercitus no-
„ stros ferro utique ceciderint; D. Julium
„ apud Alesiam obsederint. Recentia hæc;
„ quid si memoria eorum inoriretur, qui
D „ Capitolio & ara Romana manibus eorun-
„ dem prostratis. Fruerentur sane vocabu-
„ lo Civitatis; insignia Patrum, decora Ma-
„ gistratuum, ne vulgarent. His atque ta-
„ libus haud permotus Commodus *, etiam
„ statim contra disseruit, & vocato Senatu
„ ita exorsus est: Majores mei (quorum
„ antiquissimus Clausus origine Sabina, si-
„ mul in Civitatem Romanam, & in fami-
„ lias Patriciorum adscitus est) hortantur,
„ uti paribus consiliis Rempublicam capes-
„ sam, transferendo huc, quod usquam
„ egregium fuerit: neque enim ignoro Ju-
E „ lios Alba, Coruncanos Camerio, Porcios
„ Tusculo, & ne vetera scrutemur, Etruria,
„ Lucaniaque, & omni Italia, in Senatum
„ accitos. Postremo ipsam ad Alpes promo-
„ tam, ut non modo singuli viritim, sed ter-
„ ræ gentesque in nomen nostrum coale-
„ scerent: tunc solida domi quies, & ad-
„ versus externa floruimus, cum Transpa-
„ dani in Civitatem recepti, cum specie
„ deductarum per orbem terræ Legionum,
„ additis Provincialium validissimis, fesso
„ Imperio subventum est. Num pœnitet
F „ Balbos ex Hispania, nec minus insignes
„ viros e Gallia Narbonensi transivisse? Ma-
„ nent posteri eorum, nec amore in hanc
„ Patriam nobis concedunt. Quid aliud exi-
„ tio Lacedæmoniis & Atheniensibus fuit,
„ quamquam armis pollerent, nisi quod
„ victos pro alienigenis arcebant? At Con-
„ ditor noster Romulus tantum sapientia
„ valuit, ut plerosque populos eodem die

Quo tempore exteri Senatores Curiam tenuere?

Exteros Gallos in Senatorum albo adscribendos non putabant.

Sed contra Imp. disseruit & jussit.

Ratione probat.

Et exemplo

Lacedæmoniorum exitium ex eo quia victos jure civitatis non recipiebant.

* Rescr. *Princeps*.

„ hostes, dein cives habuerit. Advenæ in „ nos regnaverunt; Libertinorum filiis „ Magistratus mandari, non, ut plerique „ falluntur, recens, sed priori populo fa„ctitatum est. At cum Senonibus pugna„vimus; scilicet Volsci & Æqui, nunquam „ adversam nobis aciem struxere? Capti a „ Gallis sumus: sed & Tuscis obsides dedi„mus, & Samnitium jugum subivimus. „ Attamen si cuncta bella recenseas, nul„lum breviore spatio quam adversus Gal„los confectum: continua inde ac fida „ pax. Jam moribus, artibus, affinitatibus „ nostris mixti, aurum & opes suas infe„rant potius, quam separati habeant. „ Omnia, P.C. quæ nunc vetustissima cre„duntur, nova fuere: Plebeii Magistratus „ post Patricios, Latini post Plebejos, cæ„terarum Italiæ gentium post Latinos: in„veterascet hoc quoque, & quod hodie „ exemplis tuemur, inter exempla erit.

Romani hostes victos cives habuere.

Gallorum laus.

Vix ea dixerat, & Senatusconsulto Principis excepta vota, Galli, exterique recepti in Senatu; sic periit venustas Italorum, Senatus conspicua & maxima dignitatum evanuit; non enim curare Rempublicam ac tueri deinceps ex animi sententia tenebantur, sed illam negligere ac vendere, tanto Patriciorum dedecore, ut Dion Nicæus Senator scribat in *Caracallo*: „ Antoninus mandabat nobis velle se statim „ post ortum Solis jus reddere, tractareve „ ea quæ pertinerent ad publicam utilita„tem; cum tamen nos ad meridiem us„que protraheret, sæpe etiam ad vespe„rum: visumque est ei tandem aliquando, „ ut plerumque ne nos salutaret amplius „ ipse interea curiose aliquid agere, currus „ agitare, bestias cædere, obire munus „ gladiatorium, potare, ebrius esse, ad „ hæc præsentibus nobis ac videntibus. Ad hæc infanda Curia Catonum redacta, etiam mulierculas recepit, a quibus Senatusconsulta penderent; scribit enim Lampridius, Heliogabalum matrem suam in Senatu rogari fecisse: fecit idem in Colle Quirinali Senatulum, id est, *mulierum Senatum*, & Semiramiana facta sunt consulta Senatus, de legibus matronalibus; Commodus etiam *Libertinos* in Patricios atque Senatum allegisse fertur, idque testatur Lampridius; addit Spartianus in *Severo*: *Senatorum, qui in bello erant interemti, cadavera dissipari jussit*; sic post secula Senatusconsultum evanuit, nomenque solum purum putumque remansit, ut dicat posteritas, fuit; simul cum illo mutatur Imperium præceps, absque consilio senum, velut corpus mente demotum, deliria sibi finxit, Tyrannorum subiitque catenas; etenim Tullius, in *Oratione de Aruspicum responsis*, Senatum appellavit *Principem salutis & publicam mentem*: Joannes Sarisberiensis ex Plutarcho Senatum *cordis locum* obtinere scripsit: Corippus *lib.* 2.

Senatus contemtus sub Imperatoribus

Mulieres in Senatu.

Libertini.

Pectus, Brachia, Mens, & Cor Reipublicæ Senatus.

Vos estis PECTUS, *vos brachia verticis hujus,*
Quorum consiliis, quorumque laboribus usa
Publica res domuit, & Regna subegit.

Tabescente igitur Senatu Urbs deperiit, & tanquam cadaver Regni expoliata emarcuit: fortasse quia Senatus non stetit, cecidere culmina Orbis & Imperii. Audiamus tantæ vicissitudinis deplorandæ carmen, quod in Symmachum Urbis Præfectum occinit Prudentius extremorum temporum, quæ vultures portenderant, Consul:

Simul septingentis erravit circiter annis,
Ludicraque * *& semper dubitant* †, *quæ forma placeret*
Imperii, & quæ regnandi foret ‡ *potestas.*
REGIUS *exortam jam tunc habuit status Urbem,*
NON SINE GRANDAEVIS CURARUM IN PARTE LOCATIS,
Mox Proceres de stirpe SENUM *tractasse videmus*
CLAVUM CONSILII; *Plebejas inde catervas*
Collatas Patribus mistim ditionibus æquis
Imperitasse diu, belloque & pace regendis.
Consule Nobilitas viguit, Plebs fixa ** *Tribuno est:*
Displicet hic subito status, & bis quina creantur
Summorum Procerum fastigia, quos duodeni
Circumstant Fasces, simul & sua quemque Securis.
Rursus se geminis reddit ductoribus omnis
Publica res, & Consulibus dat condere fastos.
Ultima sanguineus turbavit secla Triumvir:
Fluctibus his olim fatum, geniusve, animusve
Publicus erravit, tandem deprendere rectum
Doctus iter caput augustum diademate cinxit,
Appellans Patrem Patriæ, Populi atque Senatus
Rectorem, qui militiæ sit ductor, & idem
Dictator, Censorque bonus, morumque Magister,
Tutor opum, vindex scelerum, largitor honorum.

Reipublicæ mutatio perniciosa.

Tribunus Plebis.

Triumviratus.

Vides inconstantiam Romanorum; gens absq; consilio senum corruit quæ laute Senatu præstabat; non Pater Senatus Cæsar, sed Dominus, vota suo ex genio prætulit, ex quo Sylla tyrannidem evocavit ab Athenarum orco, libertas oppressa cessit gladio, qui furens primum ausit in Cæsarem, proinde Augustulos, militum manu arbiter, sibi creavit, creatosque interfecit, ut sic periret Urbs, & Urbis Imperium. Salva consisteret Senatu incolumi, ut Venetorum Respublica supra mille annorum secula, libertate Senatus suffulta, viget ad ævum. Tantum cum Petronio & Sallustio moneo, stetisse Senatum paupertatis columine suffultum, opes illum obruisse usque ad exitium; nam Ovidius de primis temporibus Urbis crescentis ad Orbis Imperium cecinit lib. 3. *de Arte amandi* vers. 117.

Dominus Senatorum Cæsar, vi extorquebat vota proinde & Cæsares.

Curia consilii nunc est dignissima tanti;
De stipula Tatio Regna tenente fuit.

Propertius eleganter *lib.* 4. *el.* 4.

* Leg. *Lubricaque.* † Rep. *dubitans* ‡ Vox *æqua* excidit. ** Alii, *fisa*.

Murus erant montes, ubi nunc est Curia septa.

Salvianus addit: *Non despiciebant tunc pauperes cultus, cum vestem curtam & brevem sumerent; cum ab aratro accerserentur ad fasces*; & Plinius in *Panegyrico* Trajano dicto enumerat, *agricolas consulares, pastores trabeatos, Dictatores inter armenta vestitos*. Toga auro conflata virtutem oppressit pondere; opes dum crescerent, instar erinacei, ejecerunt Reipublicæ commodum; sua quique bona curantes, bonum commune expulere; nec diu dives Senator curam Reipublicæ gerere potuit, suæ domui dum præesset, Urbem posthabuit; ideo Augustus, teste Suetonio, bis in mense *legitimum Senatum* haberi instituit, pro pietate Reipublicæ, Kalendis & Idibus, mensibus Septembris & Octobris seclusis: & quia his diebus vix coibant, Hadrianus indulsit, ut qui adessent Senatusconsulta darent. Commendat Silius Italicus, non affluentium divitiarum pompa Senatum, sed paupertate, cultu omnium virtutum divite, lib. 1. *Punicorum*:

Pauper Senatus præstabat, dives corruit, nec Reipublicæ commoda curabat.

Concilium vocat augustum, castaque beatos
PAUPERTATE *Patres, & nomina parta triumphis,*
Et æquantem Superos VIRTUTE SENATUM.

Leges Senatorias præscripsit Deus Moysi in Seniorum delectu; deinde Lycurgus: Varro etiam vir sapientissimus libellum de Senatusconsulto Pompejo inscripsit; Tullius in *Oratione pro Domo sua*; Polybius *lib.* 6. Agellius in *Noctibus Atticis*; aliique Recentiores; tandem ex nostris eruditissimus Joseph Maraviglia, Moralis Philosophiæ Professor in Gymnasio Patavino, Leges Prudentiæ Senatoriæ e penu sapientum protulit, quas ebore & ære incisas Numa præ rostris offerret.

Joseph Maraviglia commendatur.

Cap. XLII.

Romulus Rex Populum in Curias sive Tribus divisit, Ducesque addidit. Quæritur de Populo & Plebe.

DXII. Ordo politicus eximium Orbis ordinem, ratione dictante sequitur, qui a Deo in pondere & mensura dispositus, lucem a tenebris, prima rerum origine, divisum protulit, & quia consultissimus Vatum Homerus *Reges* a Deo exortos occinit, oraculum Doctoris gentium sequimur, & quæ a Deo sunt adamussim ordinata, conspicuo perfectionis molimine profitemur; ideoque commendamus Romulum segregantem a Patribus Plebem, ipsumque Urbis Populum a viris domi militiæque insignioribus; quod Plato fecisse fertur, imo & Lycurgum in legum albo divisionem hanc sanxisse compertum est: hinc Aristoteles lib. 2. *Polit.* cap. 6. divisionem factam a Socrate redarguit: *Divisit enim in duas partes multitudinem habitantium, in agricolas & propulsatores belli; tertiam ex his fecit, eos qui consultant & deliberant, & in quibus summa Reipublicæ consistit auctoritas*; hanc divisionem rejicit, quia, ex agricolis & militibus Magistratus an esset eligendus, omnino siluit; sed & mulieres bella docuit: hinc *cap.* 12. commendat Solonem, qui Atheniensibus leges tradidit, & e populo Magistratum seligere imperavit: *Necessario videtur Solon potestatem populo tradidisse, ut Magistratus crearet, & male facta corrigeret: nisi enim populus hanc habeat auctoritatem, servus erit & inimicus*: at Magistratus omnes constituit ex nobilibus & censu quingentorum modiorum & jugerum; tertium ex Equitibus; quartum ex opificibus sordidis; quibus nullum Magistratum assequendi jus erat; hinc Lacedæmonum, Thebanorumque ac Cretensium Rerumpublicarum pernicies ob tumultus populares in Patricios, quos Romulus prudenter compressit.

Romulus dividit Populum a Patribus & Plebe.

Solon laudatur.

Populus Magistratum eligit.

DXIII. Enimvero inquit Dionysius Halicarnasseus lib. 2. *Antiquit.* „ Romuli „ Reipublicæ dispositionem equidem omnibus reliquis præfero, ut paci æque ac „ bello idoneam: ea sic se habuit: in tres „ partes divisa universa multitudine, singulis præclarum aliquem virum Ducem „ præfecit; deinde unamquamque rursus „ in decem partitus totidem fortissimos viros eis præposuit: has CURIAS, illas „ TRIBUS, vocari voluit, sicut vocantur „ & hodie; Græci φρατρίας, sive λόχους, „ illas φυλὰς, sive τριττῦς dicerent; sicut „ Præfectos Tribuum φυλάρχους, & τριττυάρχους iidem nominarent, quos Romani TRIBUNOS: alteros Curiis præpositos φρατριάρχους & λοχάγους, quos illi „ CURIONES nominant: ita digesto per „ Tribus atque Curias populo, &c. Plutarchus numerum refert, ut obstupescas tantam hominum multitudinem: *Urbe jam condita juventutem in militares ordines centuriavit; singuli ordines peditum habebant terna millia, tricenos equites; quia vero ex omnibus bellicosi lecti erant, Legio dicta: hinc reliquum cœtum habuit, & dixit Populum*. De Curiis & Populi Tribunis ipse tantummodo meminit; nam apud Romanos, Cives omnes, vel Senatores sunt, vel Equites, vel de Populo: unde Tullius, & Livius, ac Dionysius Populi Plebisque nomen confundunt; ac merito inscribitur S. P. Q. R. nam e Populo olim Plebeque lecti Senatores, unaque cum Patriciis consessum in Curia habebant ad decernendum, quod fortunatis Romuli votis successit augustius. Quia Aristoteles lib. 2. *Politicorum* cap. 7. Lycurgum pungit Ephoros inducentem e plebis fæce: „ Quæ circa Ephoros constituta sunt, prave se habent; hic „ enim Magistratus maximarum apud illos „ rerum potestatem habet, sumuntur autem e plebe omnes: ut multoties contingat homines valde pauperes in hac potestate constitui, qui propter egestatem venales sint: ostenderunt id, & sæpe prius, „ & nunc in andriis: corrupti enim pecunia quidam, quantum in se fuit, totam „ Rempublicam everterunt. Andrias dixit Magistratum Ephoris simile; nec tamen se cohibuit adversus Hippodamum Euryphontis fil. Milesium, *qui & civitatum divisionem invenit, & Piræum abscidit*. Hic

Romuli Respub. cunctas præcellit, ejusque divisio.

Curiæ.

Tribus.

Tribuni.

Curionem

Ordo militaris.

Ephori a plebe electi plebeii.

Venales.

Urbium divisio ab Hippodamo.

A divisit urbem in tres partes, ut esset una sacra, alia publica, tertia privata; unde cultus diis fieret, *sacra:* unde vero milites propulsatores belli alerentur, *publica:* quæ autem agricolarum foret, *privata*: hic primus omnium aggressus est aliquid dicere de optimo civitatis statu, constituit autem civitatem multitudine decem millium in tres divisam partes; faciebat enim unam *artifices*, alteram *agricolas*, tertiam *arma tenentes*. Sed isti Ducibus dum carerent, tanquam membra sine capite movebantur ad necem; quod pejus, *Magistratuum omnium electiones populo attribuit*, inquit Aristoteles: *Populus autem faciebat tria illa genera civium: qui vero delecti essent, Rerumpublicarum curam habebant, item hospitalium, & pupillarium*. Populus electionem habebat, non Duces, ita electi supplantabant electores, illi præcipue agricolas, qui arma tractare in campis ignorant. Romulus Senatum optime delectu habuit e Patribus & Populo, ut reverentia Patriciorum Plebeii sibi consulerent, ac Patriam prospicerent: Populo Duces dedit, ut vim possint repellere, & Centuriati præstare: hinc partitionem civium ab Hippodamo factam plures rejecisse Aristoteles scribit: „Quia artifices, & agricolæ, & „qui arma tenent, omnes in Reipublicæ „unione versantur: verum agricolæ quidem non arma habent; artifices autem „neque arma, neque agros, itaque fiunt „quodammodo servi eorum, qui habent „arma: PARTICIPES igitur esse omnium „bonorum impossibile est. Hæc ille, quæ longa littera probare sequitur.

Solus populus ne eligat; sed cum Patriciis in parte electionis veniat.

DXIV. Sed hanc commoditatem reperit sapientissimus Romulus, quem jure diximus ex Plutarcho & Diocle, omnium scientiarum eruditione præstantem apud Gabios & Etruscos: hic namque populum divisit & agros; sed agricolis nec arma sustulit, nec populum sua natura furentem, mobilem, levem, absque Ducum imperio reliquit: ita ut divisus esset, & promtus ad arma: nam ex agricolis militum delectum præcipit Vegetius, & Pompejus felicissimus Imperator ex agro commilitones nuncupabat: cum Plebeii, tum Patricii glebas evertere, & arma contrectare adamussim scirent: quo pacto Cyrus, apud Xenophontem & Tullium, arbores conserere, & agmina noverat; ita Romanorum Principes eadem hasta Imperium bovesque ducebant: *Sic agrestes Curii*, inquit Plinius ad Trajanum, *sic veteres Coruncani, sic nomina reverenda Fabricii, cum induciæ bella suspenderant, inter aratra vivebant*; & Ægyptiorum Reges, qui portenta Pyramidum construxerunt, *pastores* apud Herodotum dicuntur, cum gregem & populum uno eodemque sceptro curarent; Plinius *lib.* 18. *cap.* 3. ait: „Dona amplissima Imperatorum „ac fortium civium quantum quis uno die „plurimum circumaravisset: cognomina „etiam prima inde: jam Fabiorum, Lentulorum, Ciceronum, ut quisque aliquod optime genus sereret; Juniorum „familiæ Bubulcum nominaverunt, qui „bubus optime utebatur: Agrum male „colere Censorium probrum judicabatur: „atque (ut refert Cato) quem virum bonum colonum dixissent, amplissime lau-

Populus Romanus campos & arma sub imperio Ducum colebat.

Agrestes Principes commendantur.

„dasse existimabant. Hinc & LOCUPLETES dicebant loci, hoc est, AGRI PLENOS. Pecunia ipsa a pecore appellabatur; etiam nunc in Tabulis Censoriis, pascua dicuntur omnia, ex quibus populus „redditus habet, quia diu hoc solum vectigal fuerat. Mulctatio quoque nonnisi „ovium boumque impendio dicebatur; „Servius Rex ovium boumque effigie pri„mus æs signavit. Hinc Romulus sortito agros divisit, juxta Platonis oraculum, & partem, prout obtigerat, suam quisque sive e Populo, sive Patricius, colebat, tradit Dionysius: „Digesto per Tribus atque Curias populo, agro quoque in triginta sortes æquales diviso, singulas Curias sortiri „jussit: EXEMTO prius quantum in ministerium Sacrorum ac templorum sufficeret, & quadam parte, quæ esset IVRIS „PUBLICI, atque hæc fuit divisio tam „virorum quam agrorum, in qua Rex „summam æqualitatem servasse visus est. „Triginta sortes dixit, quia teste Livio, triginta Curias olim fuisse novimus, quas ex Dionysio a Tribubus differre constat, *Curiæ duorum generum* erant, ut tradit Varro *lib.* 4. *Ubi curarent Sacerdotes res divinas, ut Curiæ veteres, & ubi Senatus humanas, ut Curia Hostilia, quod primus ædificavit Hostilius Rex:* Nonius Marcellus *Curiam* a *cura* dictam putat: firmatque Varro lib. 2. *de vita Pop. Rom. Propter curam locus quoque, quo suam quisque Senator confert, Curiam appellant;* & in lib. 5. *de Lingua Latina*, *cura dicta, quod cor urat*: præcordia sollicitudine inflammantur illius, qui curam Reipublicæ gerit; maximi namque momenti res existimatur bonum publicum, ut totus incumbat Senator. Vnde ex Verrio Festus Pompejus: „Curia locus est, ubi publicas „curas gerebant: Curæ etiam nominantur, in quibus uniuscujusque partis Po„puli Romani quid geritur, quales sunt „eæ, in quas Romulus Populum distribuit „numero triginta, (quibus postea additæ „sunt quinque) ut in sua quisque Curia „Sacra publica faceret, feriasque observa„ret: hisque Curiis singulis nomina Cure„tum virginum imposita esse dicuntur, „quas virgines quondam Romani de Sa„binis rapuerunt. Ex hoc elicitur error Blondi Flavii, qui lib. 3. *Triumphantis Romæ* errorem Livii expungit, asserentis post fœdus cum T. Tatio triginta Curias Romulum dicasse, cum triginta quinque legamus fuisse; verum, sed quinque additas Festus perhibet; cæterum audiendus; inquit enim ex Livio, Romulum cum Sabinis fœdere ad Lacum Curtium icto, & ex duobus populis facto uno, in Curias triginta populum divisisse, quibus nomen a Sabinis est inditum, & paulo post eodem tempore, tres Equitum Centurias fuisse additas: *Ramnensem* a Romulo, *Tatiensem* a T. Tatio, & *Lucerem*, cujus nominis causam Livius asserit fuisse incertam: sed Asconius tria ipsa nomina fuisse Etrusca dicit, & Lucerem a Lucumonibus, qui essent duodecim Magistratus: addit Festus Lucerem a *Luco* dici magis, quam a *Lucumonibus*, in quo Urbs Roma, aut ejus prima pars *Asylum* fuit conditum.

DXV. Sed nomina triginta Curiarum a virginibus Sabinorum emanasse Festus

Vetus divitiarum copia ab agris & pecore.

Divisio agrorum templa suam partem, & ærarium Regis suam habebant.

Curia quæ A cura.

Sacra in Curiis fiebant.

Numerus Curiarum, & divisio.

Nomina Curiarum a virginibus Sabinorum xxxv.

dixit, eaque summa diligentia Paulus Manutius lib. 8. *Epistolarum familiarium* perquisita exhibuit e Tullii præcipue penu, & scriniis litterariis Dionysii, Varronis, Livii, Sexti Pompeii, & Plinii, virorum omnium calculis consultissimorum; erant etenim antiquitus triginta, Æmilia, Aniensis, Cornelia, Claudia, Collina, Crustumina, Esquilina, Falerina, Fabia, Galeria, Lemonia, Mætia, Narniensis, Occiculana, Oufentia, Palatina, Papyria, Pollia, Popilia, Pontina sive Pomptina, Poblicia, Pupinia, Quirina, Romulia, Sergia, Suburrana, Sapinia, Scaptia, Stellatina, Sabatina, Terentina, Tromentina, Velina, Volitina, Vejentina: quinque ex istis additas Festus scripsit fuisse, ita ut triginta quinque numerum complerent, sed quas supervenisse ignoramus, cunctasq; recensere operis fuit pretium. Fortasse dicendum, quatuor Servium Tullium Regem addidisse, quia teste Dionysio lib. 4. *Antiquit.* totam Urbem divisit in quatuor Tribus, Palatinam, Suburranam, Collatinam, & Esquilinam, antiquas a Romulo immotas, veneratione antiquitatis, ac tanti Regis reverentia credendum est; sed Tribus istas fuisse, quas a Curiis diversas plerique putant: de Tribus nomen expendit Isidorus l. 9. *Orig.* c. 4. *Tribus dicuntur tanquam* CURIAE *& congregationes distinctæ populorum, & vocatæ Tribus ab eo, quod in principio Romani trifarie fuerunt a Romulo dispertiti, in Senioribus, Militibus, & Plebeiis: quæ tamen Tribus nunc multiplicatæ nomen pristinum retinent.* Uidelicet primum sub Servio Tullio Rege, qui quatuor recensuisse dicitur, quod assertum voluit Plinius *lib.* 18. *cap.* 3. *Rusticæ Tribus laudatissimæ eorum, qui rura haberent: Urbanæ vero in quas transferri ignominiæ esset, desidiæ probro: itaque quatuor solæ erant a Patribus Vrbis, in queis habitabant, Suburrana, Palatina Collina, Exquilina.* Igitur Romulus Rex universum Populum in tres equales partes divisit, quas Tribus appellavit, & unamquamque Tribum in decem Curias, & has iterum in Decurias, quibus omnibus Duces suos præfecit, Decuriones, Curiones, Tribunos vocatos. Constat autem ex Vinandio & Gruchio Tribus diversas fuisse a Curiis, nam Majores Tribus appellavit, Minores Curias; & Varrone auctore lib. 4. *L. L.* legimus agrum Romanum in tres partes a Romulo divisum, unde Tribus appellatæ sint: potius Plutarchum sequor, qui scribit in tres Tribus divisam omnem Civitatem; a qua divisione Tribus nomen obtinuit: at Livius, ubi de Servio Tullio inquit: *Quadrifariam Urbe divisa, Regionibus, Collibusque, quæ habitabantur, partes Tribus eas appellavit, ut ego arbitror a Tributo;* sed Festus Pompejus ex Verrio, *Tributum dictum, quia ex privato in publicum tribuitur:* & sic primis temporibus Romuli nullum tributum legimus, cum agri partem ad Sacra Remque publicam servatam prudenter a Rege sciamus. Ideoque a Tributo Tribus nomen habuisse incompertum est sub Romulo: potius dicendum a Moyse hoc nomen Tribus habuisse, qui Josue præstante filios Israel in Tribus divisit, unde *Gen.* 25. *Principes Tribuum;* qui & Tribuni; *Exod.* cap. 18. *Electis viris strenuis ex omni Israel, constituit eos, Principes populi, Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui judicabant plebem omni tempore. Quidquid autem gravius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodo judicantes.* Quod & Romulum sanxisse ex Dionysio compertum est; nec mirum: enimvero Eusebius, & Clemens Alexandrinus, & Justinus Martyr Moysem omnium sapientissimum normam Sacrorum ac Magistratuum præscripsisse, quam Gentes habuere, demonstrant.

Quinque addita Curiarum nomina.

Tribus quæ.

Tribus Rusticæ, & Urbanæ.

Urbis divisio quadrifariam.

Tribus a tributo.

A Moyse cuncta hæc politica.

DXVI. Quod magis urget, Tribus, quas enumeravimus, Equitum fuisse Centurias tradit Livius, idque fœdus, quod cum Tatio pepigerat, Curiarumque nomina delectumque offert: „Cum populum „in Curias triginta divideret, nomina earum Curiis impositis*, *Sabinarum videlicet mulierum*: id non traditur, (cum haud „dubie aliquanto numerus major hoc „mulierum fuerit) ætate an dignitatibus „suis, virorumve, an forte lectæ sint, quæ „nomina Curiis darent. Eodem tempore „& Centuriæ tres Equitum conscriptæ „sunt, Ramnenses ab Romulo, ab Tito „Tatio Titienses appellati: Lucerum nominis & originis causa incerta est. Si hæc staret sententia, Tribus non a Romulo lectas, sed Regibus posterioris ævi, & ab illo tantummodo Centurias; quæ, teste Festo Pompejo, *in re militari centum homines significat.* An omnino concordet Ovidio, qui in *Fastis* occinit, prudens Lector decernat ex carmine lib. 3. *Fast.* vers. 127.

Curiarum nomina quibus a mulieribus Sabinorum quærantur.

Inde pares centum senos † secrevit in orbes
Romulus; hastatos instituitque decem;
Et totidem Princeps, totidem Pilanus habebat,
Corpora; legitimo quique merebat equo.
Quin etiam partes totidem Tatiensibus ille,
Quosve vocant Ramnes, Luceribusque dedit.

Hastati circa Romulum Regem.

Eques ab equo publico.

Ausonius similiter Romam tripliciter divisam carmine tradit,

Martia Roma triplex Equitatu, Plebe, Senatu.

Isti primum *Celeres* dicebantur, auctore Festo Pompejo: *Celeres Antiqui dixerunt, quos nunc Equites dicimus, a Celere interfectore Remi, qui initio a Romulo iis præpositus fuit; qui primitus electi fuerunt e singulis Curiis deni, ideoque omnino trecenti fuere.* Hunc Celerem post mortem Remi aufugisse ad Etruscos scribit Plutarchus in *Romulo*, deinde revocatus Equitatum ducebat. Audiamus Dionysium Halicarnasseum: „Videns Romulus, quod juvenum „quoque sibi opus esset aliqua manu ad „tutelam corporis, & quorum in rebus „urgentibus uterentur ministeriis, ccc. viros robustissimos ex nobilissimis familiis „delectos circa se habuit commendatos „Curiarum suffragiis, quemadmodum Senatores antea, denos per singulas Curias. „His in universum fuit nomen, sicut & „nunc CELERES: ut plerique tradunt „a celeritate ministerii, juxta rationem „Romani vocabuli: ut vero Valerius Antias auctor est, a Duce suo, cui nomen „id fuerit: insignem enim habebant Præ-

Celeres Equites a Celere interfectore Remi.

* Rescr. *imposuit.* † Leg. *denos.*

De militibus hastatis, qui Romulum sequebantur.

„ fectum, cui tres Centuriones suberant, „ & illis rursum alii, minores Præfecturas „ obtinentes, qui per Urbem hastati ipsum „ sequebantur, & jussa exsequebantur mi- „ nisteria: in MILITIA vero antesignani „ erant & protectores, egregiaque eorum „ opera exsistebat in præliis, quod primi „ inirent pugnam, & postremi e pugna se „ reciperent; EQUITES quidem ubi „ campus esset ad equestre certamen ac- „ commodus; PEDITES vero in aspero „ solo, & equis invio. Hunc morem mihi „ videtur accepisse a Lacedæmoniis, com- „ perto quod apud illos generosissimi qui- „ que juvenum erant in Regia custodia, „ quibus in prælio Reges utebantur pro- „ tectoribus, equestri atque pedestri pugnæ „ idoneis. Huc usque Dionysius. Armati

Equites ære micantes & ferro.

præstabant ære, & catervæ stipabant pedites; Virgilius lib. XI. *Æneidos* vers. 434.

Est & Volscorum egregia de gente Camilla
Agmen agens Equitum, & florentes ære
catervas.

Claudianus *de sexto Consulatu Honorii* vers. 569.

Ut chalybe indutos Equites, & in ære latentes
Uidit cornipedes: quanam de gente rogabat
Ferrati venere viri? quæ terra metallo
Nascentes informat equos? num Lemnius Auctor
Addidit hinnitum ferro, simulacbraque belli
Viva dedit?

Æs equestre

Itaque Equestrem hunc Ordinem ab equo meritorio dictum putat Plinius lib. 33. cap. 1. similiter *Equestre æs, quod Equiti dabatur*, inquit Festus, & addit, *equitare Antiqui dicebant, equum publicum merere*: innuitque Tullius *Oratione 6 in Antonium*, Plinius, *Equitum nomen subsistebat in turmis equorum publicorum*; ab equo Eques,

Ab equo publico Eques.

qui jura dabat, & in Senatorum consessu tanquam Judex decernebat, asseritque Asconius Pædianus, *Equites lege Gracchi judicasse per annos* XL. erat Gracchus Tribu-

Equites judices.

nus Plebis, & in primo Tribunatu Q. Metello, T. Flaminio Coss. Ann. V. C. CDXXX. legem tulit: Tullius in 1. *Philippicarum, Judicia, lege Aurelia, Senatoribus, Equitibus Romanis, & Tribunis ærarii communicata, neque id lege Pompeja postea mutatum*: *C. Julius Cæsar Dictator ea ad duas Centurias Senatorum & Equitum redegit*: quæ verba

Criticorum infanæ quæstiones.

Robortellus & Sigonius usque ad insaniam agitant, expungunt, & innovant; nam Cicero *quinquaginta* annos judicasse tradit, Pædianus XL. Robortellus emendat XLVI. C. Cassio Longino, & C. Sextio, vel Sestio Calvino Coss. firmatque ex oraculo Julii Obsequentis: sed Gracchus plures Tribunatus egit, unde Recentiorum error captiunculas tibi parat.

Decuriarum & Equitum exacta historia a Plinio.

DXVII. Sed Tribunorum & Equitum vetustissimas memorias recensere ex Plinio opportunitas loci exigit; inquit enim *lib. 33. cap. 2.* „Decuriæ quoque ipsæ pluri- „ bus discretæ nominibus fuere, Tribuno- „ rum æris, & Selectorum, & Judicum. „ Præter hos etiamnum Nongenti voca- „ bantur, ex omnibus selecti ad custodien- „ das cistas suffragiorum in Comitiis: & „ divisus hic quoque Ordo erat superba „ usurpatione nominum; cum alius se

Equites olim

„ *Nongentum*, alius *Selectum*, alius *Tribunum* appellaret: Tiberii demum Princi-

Selecti.

„ patus nono anno in unitatem venit E- „ quester Ordo, ANNULORUMQUE „ auctoritati forma constituta est, C. Asinio „ Pollione, C. Antistio Vetere Coss. An- „ no V. C. DCCLXXV. quod miremur, futili „ pene de causa, cum C. Sulpitius Galba,

Tribuni.

„ dum juvenalem famam apud principem „ popinarum pœnis aucupatur, questus „ esset in Senatu, vulgo institores ejus cul-

Annulos habebant.

„ pæ defendi annulis: hac de causa consti- „ tutum, ne cui jus id esset, nisi cui inge- „ nuo ipsi patri avoque paterno sestertia

Reformati ut Equites non dicerentur, nisi qui sestertia 400. habebent.

„ cccc. census fuisset, & lege Julia theatra- „ li in XIV. ordinibus sedendi. Postea gre- „ gatim insigne id appeti cœptum: pro- „ pterque hæc discrimina Cajus Princeps „ Decuriam quintam adjecit: tantumque „ natum est fastus, ut quæ sub Divo Augu- „ sto impleri non poterant Decuriæ, non „ capiant eum ordinem; passimque ad or- „ namenta ea etiam servitute liberati tran- „ siliant; quod antea nunquam erat factum, „ quoniam in ferreo annulo Equites Judi- „ cesque intelligebantur: adeoque promi- „ scuum id esse cœpit, ut apud Claudium „ Cæsarem in censura ejus unus ex Equi- „ tibus Flavius Proculus cccc. ex ea causa „ reos postularet. Ita dum separatur Ordo „ ab ingenuis, communicatus est cum ser- „ vitiis. *Judicum* autem appellatione sepa- „ rari eum Ordinem, primi omnium insti- „ tuere Gracchi discordi popularitate in

Ordo Equester dedecore notatus.

„ contumeliam Senatus; mox ea debella- „ ta, auctoritas nominis vario seditionum „ eventu circa Publicanos substitit: & ali- „ quandiu tertiæ vires Publicani fuere. „ M. Cicero demum stabilivit Equestre no- „ men in Consulatu suo, ei Senatum con-

Nomen Equestre a Tullio Consule pristino nitori restitutum.

„ cilians, ex eo se Ordine profectum es- „ se celebrans, ejusque vires peculiari po- „ pularitate quærens. Ab illo tempore pla- „ ne hoc tertium corpus in Republica fa- „ ctum est, cœpitque adjici Senatui, Popu-

Senatui P. Q. R. & Equestri Ordini.

„ loque Romano, & Equester Ordo. Quin „ etiam ipsum Equitum nomen sæpe varia- „ tum est in his quoque, qui ad equitatum „ trahebantur, *Celeres sub Romulo Regibusque appellati sunt*; deinde *Flexumines*;

Celeres dicti Flexumines & Trossuli.

„ postea *Trossuli*, cum oppidum in Thuscis „ circa † Volsinios passuum IX M. sine ullo „ peditum adjumento cepissent ejus voca- „ buli: idque duravit ultra C. Gracchum. „ Junius certe, qui ab amicitia ejus Grac- „ chanus appellatus est, scriptum reliquit „ his verbis: Quod ad Equestrem Ordinem „ attinet, antea Trossulos vocabant, nunc „ Equites vocant: ideo quia non intelli- „ gunt Trossulos nomen quid valeat, mul- „ tos pudet eo nomine appellari: & cau- „ sam, quæ supra indicata est, exponit. Huc usque Plinius.

Multitudo Equitum apud Romanos

DXVIII. Ad quæ nonnulla animadvertenda operæ erit pretium: *Sestertia* scilicet cccc. *census* Equites decorasse quoscunque; unde Equitum multitudo exorta, Decurias obruisse legimus: in Regnis utriusque Siciliæ eodem pacto, opes profanasse vetustam ingenuorum nobilitatem profitemur: enimvero divites e Publicanorum familiis, forsan e plebe deos, purum

† Alii, *citra*.

pu-

Complatur Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus utriusque Siciliæ.

putumque fulmen Toparcharum Regulorumque oppida, præstante nummorum censu, invasisse videmus, & addita Comitum, Marchionum, imo Ducum ac Principum nomenclatura effulsisse cum primis: ob quod Barones vetustatis stemmate insignes, qui fastos olim fecere Regum, subsequuntur fortasse Libertinos; plerique ne omnino laterent titulos coemere & ipsi coacti sunt: subselliis tamen paribus veteres recentioresque, prout sors tulit, præcedunt: & nobiles, qui nomen superbum Ducum vel Principum comparare sibi præ viribus non potuere, vulgo popularitate censentur; hinc quilibet dives insignitus illustri titulo præstat, tanta seculi pompa, ut sub luxu curruum, servorum turba, aurea textili supellectile corruant simul urbium proceres, ditioresque; Principes jam sunt omnes, omnes Duces, & gaudent excellentia, qua antiquitus Reges tantummodo prosequebantur, reliquæ Patriciorum familiæ vel prostrant †, vel in tenebris conticescunt; juxta id quod olim apud Romanos Equestri Ordini evenisse perhibuimus e Tullii ac Plinii doctissimorum virorum scriniis litterariis; de censu & sanctione Horatius *lib.* 1. *ep.* 1.

Equites dicebantur, qui erant divites tantum.

Si quadringentis sex septem millia desunt,
Est animus tibi, sunt mores, est lingua, fidesque,
Plebs eris.

Martialis *lib.* 4. *epigr.* 67. Gaurum Equitem inducit, ut Prætorem oret, pro sui antiqua parentum ingenuitate, ut inter Equestres recenseatur, dicebatque centum sestertia sibi deesse ad censum Eqestrem:

Olim nobilibus auctum patrimonium, ut Equite dicerentur.

Prætorem pauper centum sestertia Gaurus
Orabat cara notus amicitia:
Dicebatque jus hæc tantum deesse trecentis*
Prætor ait; scis me Scorpo, Thalloque daturum;
Atque utinam centum millia sola darem!
Ah pudet ingratæ, pudet ah male divitis arcæ!
Quod non das Equiti, vis dare, Prætor, equo?

Epigramma eruditione abundat & satyra; solebant pauperibus ingenuisque nobilibus aliquid dare ad implendas equestres facultates, quod libenter Plinius Secundus fecisse legitur lib. 1. *Epist.* scribit namque ad Romanum Firmum, *ut te non Decurionem solum, verum etiam Equite Romano perfruamur, offero tibi ad implendas equestres facultates* CCC. *millia nummum*. Census Equitum Romanorum erat *quadringentis sestertiis*, vel quadringentis millibus nummum; Decurionum, centum millium nummum; & mille nummi erant unum sestertium: hinc Martialis Prætorem redarguit, qui Scorpo, Thalloque, qui equos agitare solebant, censum equestrem, posthabito Equite, abundantius dabat: luditque tali acrimonia infra *lib.* 5. *epigr.* 26.

Quod fecit Plinius ingenue.

Mille nummi erant unum sestertium.

† Forte, *prostratæ sunt*. * Leg. *suis*.

Quadringenta tibi non sunt, Chærestrate, surge,
Lectius ecce venit, sta, fuge, curre, late:
Ecquis io revocat, discedentemque reducit?
Ecquis io largas pandit amicus opes?
Quem chartis, famæque damus, populisque loquendum,
Qui Stygios non vult totus adire lacus:
Hoc, rogo, non melius, quam rubro pulpita nimbo
Spargere, & effuso permaduisse croco?
Quam non sensuro dare quadringenta caballo,
Aureus ut Scorpi nasus ubique micet?
O frustra locuples, o dissimulator amice!
Hæc legis, & laudas? quæ tibi fama perit?

Qui censum non habebant neque sedere poterant in theatro.

E plebe equorum agitator dictus equus,

Caballum appellat Scorpum, quem supra *equum* dixit, cujus statua in theatro nitebat, locupletum facultatibus ita ditatus præstabat, quando Chærestratus vir bonus & illustris ob paupertatem surgere, imo fugere a consessu Equestrium cogebatur; & tamen nemo divitum commiseratione motus, illum ut censum impleret animo animadvertebat. Apud malos Principes vere equus in auro & purpura, Eques in stercore: de Caligula Imperatore ex Dione scribit Xiphilinus: *Cumque seipsum Sacerdotem fecisset, equum collegam in Sacerdotio designavit, cuique singulis diebus aves teneræ & pretiosæ sacrificabantur;* quin & Consulem equum designasse, ut Urbem animal regeret, impudentissimum hominum, compertum est: idem de Nerone scribit: „In primis cursu & certami„nibus equorum delectabatur, ita ut ob „eam causam insignes equos victores, & „jam senio confectos, STOLA FOREN„SI, non secus quam homines, ornaret, „eosque honestaret pecunia stipendii loco. Eodemque tempore Equites, Senatores, Patriciosque expilatos necabat.

Apud malos Principes equi, idest, impii, for. dati e plebe ditantur.

Equi Consules cum stola forensi.

Et stipendiis Patricii expilati.

DXIX. Præstabant Equites annulo aureo, inquit Plinius, & equo publico, jura dabant, sedebant in theatro selecti a populo præstantiori in loco collocati, idque *lege Roscia*, qua nulli in viginti quatuor gradibus sedere licuit, nisi cui census equestris, quam legem Domitianus renovasse legitur. Gradus in theatro describit Vitruvius, legem occinit Martialis *lib.* 5. *ep.* 8. de Phaside, qui dives in purpura, non Eques, fuit a Designatore Lectio ejectus, ne cum reliquis sederet Equestribus:

Equitum munus & honores.

Edictum Domini, deique nostri,
Quo subsellia certiora fiunt,
Et puros Eques ordines recepit:
Tandem commodius licet sedere,
Nunc est reddita dignitas Equestris:
Turba non premimur, nec inquinamur.

Sedebant in theatro.

Et denuo eodem *lib. epigr.* 42. *in Didymum*, fortasse Gallum Cybeles Sacerdotem, castratum non genio, imo elatum in fastu Equestri, canit:

Insignia Equitum.

Spadone cum sis eviratior fluxo,
Et concubino mollior Celæneo,
Quem sectus ululat matris entheæ Gallus,

Theatra loqueris, & gradus, & edicta,
Trabeasque, & Idus, fibulasque, censusque,
Sedere in EQUITUM *liceat an tibi* SCAMNIS,
Videbo.

Ad quæ Scholiastes ait, *Equites Romani induti vestes trabibus pannorum albis & purpureis intertextas transvehebantur Idibus Juliis*: de fibulis iterum, *Fibulas in nobilitatis insigne Equitibus indultas, & Tribunis aureas in trabea, vel chlamyde gestatas.* Trabeatos Equites Tacitus & Xiphilinus exhibent. Cæterum Equestris Ordinis honores ut compendio prosequar, Alexandrum sequor lib. 2. *Gen. Dier.* c. 29. Ordo Equestris, etsi Senatorio minor, magnæ tamen amplitudinis vigorisque habitus est; quippe erat auctus amplissimis honoribus & Senatorio pene par. Nam cum a principio originum, ejecto Tarquinio, & depulso metu Regio, in libertatem se Urbs vendicasset, Brutus primus ex Equestri Ordine Senatum supplevit, trecentosque delegit Senatores, quorum consilio & auctoritate niterentur. Lapsis deinde temporibus C. Gracchus Tiberii frater, & haud multo post Livius Drusus Tribunus plebis, uberiori compendio eum aliquando Ordinem cum Senatorio confundere decreverunt: utque plus dignitatis ferret, ut in Senatum venire, & sententiam dicere liceret, lege sacrata, deinde plebiscito sanxerunt: quibus etiam Equitibus tributum est, ut tametsi a Censoribus in Senatum allecti non essent, pro eo tamen, quod magistratus & honores gesserant, in Senatum venire, ac suffragari, & sententiæ jus habere possent, qui sunt Pedarii appellati. Quin etiam Equites supra Senatores extulerunt, & velut longe principes, plerumque antelati sunt. Neve Judicia, quæ penes Senatores erant, illius tantum Ordinis forent, idem M. Livius, ut æqua parte penes Senatum & Equestrem Ordinem dividerentur, legem promulgasse fertur, &c. Decuriæ Judicum, quæ Ordine Equestri deligebantur, mox pluribus discretæ nominibus fuere; quippe alii Tribuni æris, alii Selecti, nonnulli appellati sunt JUDICES; quibus postea Nongenti additi, ab omnibus secreti, quibus scita suffragiorum in Comitiis custodire negotium erat, &c. Cumque Imperatores jus populo dicerent, fuit constitutum, ut Equites cum Senatoribus una dijudicandis causis consilio adessent, ita ut eorum arbitratu jura & controversias diffinirent: tantique splendoris fuere, ut Præfecturam Prætorii, amplissimum munus, continua serie ad Titum usque, ab Ordine Equestri administratam legamus: quinetiam res Cæsarum & negotia procurare jam diu Equestris nobilitas censebatur: Cappadociæ, & Ægypto, & aliis pluribus diu Equites Romani præfuere. Mæcenas *Eques* appellabatur, etsi vetusto Regum sanguine inclytus: Martialis *lib.* 12. *epigr.* 4. *ad Priscum*,

(Marginal notes: De Ordine Equestri exacta enarratio. — Senatum supplet. — Cum Senatorio Ordine unitus. — Magistratus gerit. — Jus dicebant. — Tribuni æris. Selecti. Judices. — Præfecti Prætorii. — Cæsaris Procuratores. — Ægyptum gubernabant. — Equites e regio sanguine orti.)

Mæcenas atavis Regibus ortus Eques.

Et denuo *lib.* 10. *epigr.* 72.
Vellet Mæcenas Cæsarianus Eques.

Nam Cæsar Equites plurimi fecit, quorum fidem sibi columen Imperii profitebatur; quo motus consilio Nero Cæsar Ordinem Augustanorum Equitum instituit, non eadem qua Cæsar mente, sed ut stipatores plauderent, inquit Tacitus l. 14. *Ann.* cap. 15. *Conscripti sunt Equites Romani, cognomento Augustanorum, ætate ac robore conspicui, & pars ingenio procaces, alii in spe potentiæ.*

DXX. Sed laus præstantior ab equo, quo in pugna *Alæ* exercitus, cum præstarent, dicebantur; Aulus G. lib. 16. *Noctium Atticarum* cap. 4. putat nomen accepisse *ab alis avium*, quod circum legiones dextra sinistraque tanquam alæ in avium corporibus fuerunt collocatæ: unde *Alarii Equites*: Livius *lib.* 1. *dec.* 3. *Dextra ala in alas divisum socialem exercitum habebat, prima acie locata est*; exhibetque Lazius Equitum Alas fortitudine & magnanimitate insignes: pompa in galeis effulgebat dum præliarentur, insignibus undique coruscantibus: occinitque Claudianus lib. 2. *in Ruffinum* vers. 351.

(Marginal notes: Alæ exercitus Equites. — Galeati insignia gestabant.)

Hic ultrix acies ornatu fulgida ferri
Explicuit cuneos; pedites in parte sinistra
Consistunt; equites illinc poscentia cursum
Ora reluctantur pressis sudore lupatis;*
Hinc alii sævum cristato vertice nutant,
Et tremulos humeris gaudent vibrare colores.

Et *de* 3. *Honorii Consulatu* denuo canit vers. 133.

Fervet cristatis exercitus undique turmis.

Insignia inter galeas Equitum adhuc Nummi demonstrant; ut videas, e penu Antiquorum unum profero, etsi non curiose effictum:

* Rest. *sedare.*





DXXI. Cæterum Romulus Tribunos, Equites, Decuriones, ac Senatum delegit, ut militia præstarent novæ Urbis incolæ, nec plebem adeo posthabuit, ut ab ea haud Plebiscitum ediceret; vere corpus efformavit Reipublicæ, in quo caput & membra principalia præcellerent, reliqua ferrent opem; ideo *Urbs æterna*, & in ea *Orbis Imperium:* in reliquis terrarum Rebuspublicis, plebe tanquam fæce rejecta, torpebant ingenia, imo desperatione excitata, seditionum fomenta præbebant; ex quibus Principum simul Plebisque exitium.

Plebiscitum.

Imo forte agros divisisse, prout quidque contingeret, commentum prudentiæ fuit, ne inter illos egeni vilescerent & otio torperent: confugerant enimvero ad Asylum plerique errones, egentesque, quos ab illustribus ac divitibus secrevit: Τοὺς ἐπιφανεῖς κατὰ γένος, καὶ δι' ἀρετὴν ἐπαινουμένους, καὶ χρήμασιν, ὡς ἐν τοῖς τότε καιροῖς, εὐπόρους, οἷς ἤδη παῖδες ἦσαν, διώριζεν ἀπὸ τῶν ἀσήμων, καὶ ταπεινῶν, καὶ ἀπόρων· ἐκάλει δὲ τοὺς μὲν ἐν τῇ καταδεεστέρᾳ τύχῃ Πληβείους. *Illustres genere & virtute celebres, opibusque, ut tum ferebant tempora, abundantes, quibus essent liberi*, inquit Dionysius Halicarnasseus *l.* 2. *secrevit ab obscuris, egenis, & humilibus: inferioris fortunæ homines Plebejos vocavit.* De Plebejorum nomenclatura satis dicemus in Opusculo *de sedanda Republica & populorum tumultu:* nunc tantum animadvertere licet, sortitionem hanc descripsisse Platonem in dial. 5. *de Leg.* ubi consortiri uberem sterilemque agrum æquali portione oportere docet: Νείμασθαι δὲ δεῖ καὶ τοὺς ἄνδρας δώδεκα μέρη, τὴν τῆς ἄλλης οὐσίας εἰς ἴσα ὅτι μάλιστα τὰ δώδεκα μέρη συνταξάμενον· καὶ δὴ τὸ μετὰ τοῦτο δώδεκα θεοῖς δώδεκα κλήρους θέντας, ἐπονομάσαι καὶ καθιερῶσαι τὸ λαχὸν μέρος ἑκάστῳ τῷ θεῷ, καὶ φυλὴν αὐτὴν ἐπονομάσαι. *Quin etiam dividere in partes duodecim vicos oportet, quemadmodum & cætera bona, omnium prorsus æqualitate servata; deinde duodecim sortes diis duodecim attribuere; partem quamlibet sortis participem suo consecrare deo*, TRIBUMQUE *ipsam vocare*. Phaleas Chalcedonius apud Aristotelem l. 2. *Politic.* ait, δεῖν ἴσας εἶναι τὰς κτήσεις τῶν πολιτῶν, *patrimonia civium æqualia esse debere*. Quod verum censetur in prima Coloniarum missione: cæterum si semper hoc esset, diligentior colonus segniori partem deberet conferre, & qui multos filios, cum illo, qui solus degit, tesseram percipere æqualem teneretur, quod Aristoteles damnat, etiam in Platone & Socrate, qui hoc totum neglexerunt exprimere: & tamen Plato, *supra quinquennium ejus, quod foret nimium, nemini licere civium possidere se dixit*. Itaque habes apud Legumlatorem Platonis divisos sorte agros, deosque tutelares: sed pientissimus Romulus, non solum deorum numina nuncupavit ad tutelam, sed partem agrorum diis ad sacra dedit; ex quo viri erga deum eximiam pietatem agnosces. O utinam te Deum Creatorem agnosceret! quod ab HebræorumRepublica accepisse profiteor, dum Philistæorum terram sorte, jubente Deo, Tribubus divisam audirent, utrumque ratum firmumque tenuere: occinitque Vates Regius *Psalmo* 77. *Et ejecit a facie eorum gentes, forte divisit eis terram in funiculo distributionis*. Hoc narratur in libro *Josue* capite 13. & 14. Genebrardus divisam fuisse tradit funiculo mensorio, non quidem corporato & materiali propter nimiam terræ amplitudinem, sed mathematico & imaginario, quales Geographi animo complectuntur, & per parallelos & alias lineas designant: *Ex quo intelligis*, inquit, *Mapparum conficiendarum ratio quam fuerit antiqua apud Hebræos*. Addit Agellius Episcopus, *Jus legitimi possessoris est, veteribus ejectis colonis, novis terram sortito tribuere; hoc de agris: de domibus vero addit, & habitare fecit in tabernaculis eorum Tribus Israel*. Habemus igitur divisam terram, & Tribus, quæ æmulatus est Romulus tanquam charismata meliora, & Regnum firmavit adversus plebem, quæ & ipsa dives, tandem *Ædiles* suos habuit, præter *Tribunos plebis*, & Tabernas quinque, aut septem tanquam Curias, quas faciendas curaverunt M. Junius Brutus & Q. Oppius Ædiles plebis, ut tradit Festus Pompejus.

Ager forte divisus.

Secernere licuit illustres a plebe, sed plebem sustentare ex agro.

Religio erga deos etiam apud Ethnicos & Romulum.

Divisio agrorum a Deo & Moyse.

Mapparum usus a Moyse inventus.

CAP. XLIII.

Romulus Deo Conso ludos celebrat Equestri Neptuno: virgines Sabinorum rapit. Dissertatio de Circensibus, & Consualibus Ludis, & Pompa Circi.

DXXII. URbs creverat, legum munimento ac numero militum ingens, ita ut equites peditesque legiones complerent expeditissimas ad vim propulsandam, imo ad inferendam satis validas; hinc religio, deorum auspicata oraculis, Urbis magnitudinem & Imperium undique personabat in sacris: sed deerant mulieres, unde genus propagari & novam educere sobolem viri possent, ideo astum comparant, & evulgato Circensium festo vicinas congregant e Sabinorum agro mulieres, illasque rapiunt: oportet namque Legislatorem cumprimis de prole creanda animadvertere, ne urbs tandem, defunctis in die civibus, & ipsa simul periret; unde Aristoteles lib. 1. *Oeconom.* ait: Τῶν δὲ περὶ τοὺς ἀνθρώπους, ἡ κατὰ γυναῖκα πρώτη ἐπιμέλεια· κοινωνία γὰρ φύσει τῷ θήλει καὶ τῷ ἄρρενι μάλιστα ἐστίν. *Ex his, quæ ad homines pertinent, prima est cura complectens uxorem: nam naturalis societas maxima est inter fœminam & marem;* & Hesiodus *Op. & Dies* vers. 403.

Urbs aucta milite.

Absque mulieribus augmenta desperabat.

Sabinarum raptus.

Οἶκον μὲν πρώτιστα, γυναῖκά τε, βοῦν,
τ' ἀροτῆρα,
*Principio domum, & uxorem, taurumque
jugalem.*

In Platonis e Rpublica inquit Socrates, oportere communes esse filios, & mulieres,

Uxores & filii communes,

& facultates: Herodotus *lib.* 4. *cap.* 104.
id refert de Agathyrsis: Επίκοινον δὲ τῶν
γυναικῶν τὴν μίξιν ποιεῦνται, ἵνα κασι-
γνητοί τε ἀλλήλων ἔωσι, καὶ οἰκήιοι ἐόντες
πάντες, μήτε φθόνῳ, μήτ' ἔχθεϊ χρέωνται
ἐς ἀλλήλους, *Qui communiter utuntur mu-
lieribus, ut fratres inter se nascantur, &
cum omnes cognati sint, neque ira, neque
odio inter se capiantur*. Sed desipiunt, quia
iræ fratrum quam sæpe insultant domum,
totamque familiam perdunt, ut Homerus*
Fratrum contentiones.
apud Aristotelem canit, apud quem lib. 7.
Politic. cap. 7. proverbium illud fertur,

B

—— Χαλεποὶ γὰρ πόλεμοι ἀδελφῶν,

Καὶ,

Οἵ τοι πέρα στέρξαντες, οἱ δὲ καὶ πέρα
Μισοῦσι,
*Iræ fratrum & contentiones sunt acer-
bissimæ,*

Et,
*Qui se nimium amant, hi se nimium
Oderunt.*

C

Uberior proles ex indiscreto concubitu.
Potius cum Chalcidio afferendum puto,
Platonem id sanxisse, ut proles uberior
ex indiscreta mulierum commixtione pos-
set oriri, quæ urbem impleret, ad com-
mercia & bellum, prout opus fuerit, in-
ferendum, præstaret; etenim Syracusas,
post exactum Dionysium, qui cives gla-
dio perdidit, inquit Cornelius Nepos, ut
incolerent reficerentque urbem externi
implevere coloni. Recte Juvenalis *Saty-
ra* 10. vers. 352.

Conjugium petimus, partumque uxoris.

Ex Aristonis Commentariis discimus,
*Spartanos mulctam statuisse primam non
ducenti uxorem; alteram sero ducenti: ter-
tiam & gravissimam illi, qui malam duxe-
rit*: causam refert Musonius in libro, *An
Philosophum impediant Nuptiæ?* ubi ait: „
Nuptiæ ob prolem.
„ Nuptiæ principium sunt constitutionis
„ familiæ; quisquis igitur homines nuptiis
„ privat, is abolet familiam, civitatem, &
„ totum genus humanum, quod absque
„ generatione non potest permanere: nam
„ familia, & civitas neque solis viris con-
„ stat, sed mutua conversatione. Similiter
Societatem perficiunt, Orbem implent.
Hierocles Pythagoricus librum *de Nuptiis*
edidit, & ait: „ Universum genus no-
„ strum ad societatem natum est. præcipua
„ autem societas est, quæ per nuptias ini-
„ tur; nam civitates sine familiis esse non
„ possunt, & familia profecto innupti man-
„ ca est, integra autem & perfecta illius,
„ qui nuptus fuerit. Mirandum quod An-
tipater in Sermone *de Nuptiis* apud Sto-
bæum philosophatur, ac si Romulus illius
ex ore verba proferret, inquit enim: „
„ Nobilis, animosus, placidus, & civilis
Oratio opportuna ad nuptias procurandas.
„ juvenis considerat domum vitamque
„ perfectam consistere non aliter posse,
„ quam cum uxore & liberis: secus enim
„ foret, mutilia quemadmodum civitas, non
„ illa modo quæ mulieribus solis, sed etiam

* Perperam; hi enim versus sunt Euripidis, vi
desis pag. 501. Edit. Cantabrig. 1694. & Grotii
Excerpta ex Tragœdiis &c. pag. 428. & 467.

A
„ quæ viris solis constat, imperfecta est.
„ Certe ut greges & armenta sine fœturis
„ laudari non possunt; sic neque civitas,
„ & familia, idque multo minus. Hæc
„ apud se reputat juvenis generosus, &
„ quod hominem ingenio civili præditum,
„ commune negotium Patriæ oporteat au-
Ob patriæ bonum.
„ gere; nam alia ratione civitates servari
„ non possent, nisi optimi quique cives &
„ generosorum filii, prioribus tanquam ar-
„ boris pulchræ foliis marcescentibus ac
„ defluentibus, uxores tempestive duce-
„ rent, & liberos ceu generosa quædam
B
„ germina Patriæ successores relinque-
„ rent, ut ipsam florere semper & in vigo-
Ob bellum.
„ re perpetuo durare efficerent, nunquam
„ hostibus oppugnatu facile fieri pro virili
„ sua molientes. Hoc igitur sibi scopo pro-
„ posito, ut & vivi & defuncti Patriam
„ tueantur & adjuvent, nuptias contra-
„ here maxime necessarium ac inprimis
„ conveniens existimant, cum omnia quæ
„ requiruntur a natura perficere cupien-
„ tes, tum illud apprime, quod salutem
„ & augmentum Patriæ, ac multo magis
Ob augmentum Patriæ.
C
„ divinum cultum attinet; quandoquidem
„ si genus humanum deficeret, quis sacra
Ob divinum cultum.
diis faceret? Hucusque ille: & Plato lib.
sexto *de Legibus* ait, *Naturæ perpetuitatem
promovere oportet, filios filiorum relinquen-
do semper deo ministros*. Pro Deo & Patria
laborandum arbitror, ut semper cultu e-
mineant & præstent.

DXXIII. Itaque Romulus, Rex cun-
ctorum calculis plausuque designatus, Ur-
bem viris plenam videt, procul a nuptiis
ruituram: uxores undique a Patribus orat,
ac Legatis per gyrum missis, connubia vi-
Romulus per Legatos orat vicinos, ut nuptias cum Romanis ineant.
D
cinorum votis ac pretio totis viribus expo-
stulat. „ Jam res Romana adeo erat vali-
„ da, inquit Livius *lib.* 1. *cap.* 9. ut cuili-
„ bet finitimarum civitatum bello par es-
„ set; sed PENURIA MULIERUM ho-
„ minis ætatem duratura magnitudo erat,
„ quippe quibus nec domi spes prolis, nec
„ cum finitimis connubia essent. Tum ex
„ consilio Patrum Romulus Legatos cir-
„ ca vicinas gentes misit, qui societatem
„ connubiumque novo populo peterent;
„ urbes quoque, ut cætera, ex infimo na-
„ sci; deinde quas sua virtus ac dii juvent,
Legati de Urbis statu & incrementis edicunt.
E
„ magnas opes, magnumque nomen sibi
„ facere, satis scire origini Romanæ &
„ deos affuisse, & non defuturam virtutem;
„ proinde ne gravarentur homines cum
„ hominibus sanguinem & genus miscere.
„ Nusquam benigne Legatio audita est,
„ adeo simul omnes spernebant, simul tan-
„ tam in medio crescentem molem sibi ac
„ posteris suis metuebant: a plerisque rogi-
Rejiciuntur.
„ tantibus dimissi; Ecquod fœminis quo-
„ que Asylum aperuissent? id enim demum
Fœdus per connubia.
„ compar connubium fore. Duo intenta-
F
bat sapiens Rex, connubia & vicinorum
fœdera, quæ nuptiis sacra sunt; sed pau-
peres recessus, Urbem paleis culminibus-
que contitam sprevere vicini, neve cresce-
ret, prolem suo e sanguine interdicebant:
paupertatem igitur exprobrasse oppidanos
canit lib. 3. vers. 179. *Fastorum* Ovidius
ex Martis ore:

Parva fuit, si prima velis elementa referre,
Roma; sed in parva spes tamen hujus erat;
Mœnia jam stabant populis angusta futuris:
Credita sed turbæ tunc nimis ampla suæ.
Quæ fuerit nostri si quæris REGIA *nati;*
Adspice de canna straminibusque domum.
In stipula placidi capiebat munera somni,
Et tamen ex illo venit in astra toro.
Jamque loco majus Romanus nomen habebat,
Nec conjux illi, nec socer ullus erat:
Spernebat generos inopes vicinia dives;
Et male credebar sanguinis auctor ego.
In stabulis habitasse, & oves pavisse, nocebat,
Jugeraque inculti pauca tenere soli.
Cum pare quæque suo coeunt volucresque feræque,
Atque aliquam, de qua procreet, anguis habet:
Externis dantur connubia gentibus, ut † quæ*
Romano vellet nubere, nulla fuit.
Indolui, patriamque dedi tibi, Romule, mentem.
Tolle preces, dixi; quod petis, arma dabunt.

Ob paupertatem primi Romani expelluntur a consortio vicinorum.

Uxores non obtinent.

Romulo Mars imperat, ut per vim illas rapiat.

DXXIV. Antequam ad arma procederent, legem promulgavit de educandis liberis; etenim nonnulli uxores habebant, etsi pauci; enarratque Dionysius Halicarnasseus lib. 2. *Antiquit.* „ Primum necessitatem colonis imposuit educandi quicquid esset masculinum, & e filiabus primogenitas; nullam autem prolem necari permisit minorem triennio, nisi si quid mutilum, aut alioqui prodigiosum in ipso partu esset editum: tales enim fœtus exponi a parentibus non vetuit, sed indicatos prius quinque viris vicinis proximis, si illis quoque exponendos esse visum fuerit: contra hanc legem committentium præter alias mulctas, etiam dimidium bonorum addixit ærario. Morem hunc inhumanum exponendi liberos olim in parentum votis fuisse legimus, & nunc Georgiani viri pessimi, nimia prole gravati, non dubitant sobolem innocentem obruere, ut Lambertus noster in *Colchide* sua, vir insignis & Missionarius Apostolicus, refert. Cæterum prodigiosam prolem exposuisse Romanos mutilamque, tradit Julius Obsequens *de Prodigiis*; quod Lactantius Firmianus ‡ acerbe expostulat, & tanquam parricidii reos damnat Veteres: sed educare paucos poterant, quia vel nullæ, vel paucæ mulieres, quas precario vel ipsa ab Alba, Numitoris auctoritate, exceperat; ideo ad illas acquirendas mens sedula excogitat, & tandem commentum sic autumat.

Lex Romuli de servanda prole.

Parenti liberos necare licebat.

DXXV. *Matrimonia a finitimis petita, quia non impetrabantur,* inquit Lucius Florus, *manu capta sunt: simulatis quippe Ludis Equestribus virgines, quæ ad spectaculum venerant, præda fuere.* Consualia Aurelius Victor depromit, & Messala Corvinus *de Progenie Augusti* ait: *Equestri Neptuno Ludos finitimis gentibus indicavit; circumstantes populi cum familiis ad Urbem velut ad rem novam simul & Ludos conveniunt.* Vere curiositas mulierum perniciem familiis Regionibusque semper intulit; quod sacer contextus in Dina filia Jacob demonstrat; ipsa namque pergens ad videndas mulieres rapitur, & Sichemitis ultimum exitium fuit. Tempus & sacra observat Plutarchus in *Romulo* dicens: „ Quum Urbem videret refertam advenis, quorum haberent pauci conjuges; reliqui ex egenis conflati & obscuris contemnerentur, neque putaretur consensus eorum duraturus: speraret autem ex hac injuria vinculum aliquod suis, ubi mulieres demulsissent, cum Sabinis & nasciturum commercium, rem ad hunc modum aggressus est .... CONSUM vocabant deum, sive consiliorum ille Præses, a Consilio, vel Consulibus dictus; sive NEPTUNUS EQUESTRIS fuit. Hæc ara in Circo Maximo est, alias operta, Ludis CIRCENSIBUS aperitur..... Ob eam inventam magnificum sacrificium, Ludos, & spectaculum, finitimis indixit & concelebravit. Ab Urbe condita quarto mense Romulum raptum Sabinarum designasse, & festum inventæ aræ Fabius tradit; perfecisse vero decimo quinto Kalend. Septembris, adversus Servium, qui Martio mense Consualia statuit; enimvero Fasti Kalendares, quales G. Pompejus publicasse dicitur, quos & Publius Ovidius eleganter concinit, signant A. CONS. AP. & sic interpretantur a Goltzio & Gyraldo: sed ut tempus omnino innotescat, inquit Dionysius Halicarnasseus libro 2. *Antiquit. Hæc facta quidam scribunt anno primo Regni Romuli. Gneus Gellius quartum fuisse auctor est: quod est vero similius: novæ enim Coloniæ deductorem nondum constituta Republica, tantum facinus esse aggressum, non videtur rationi consentaneum.* Sed Legiones expeditas, præpotentes, domi militiæque validas recenset ab exordio Plutarchus, & Vellejus Paterculus manum Numitoris ac Albæ vires pro Romulo stetisse scribit; nec absque Numitoris consensu & Patrum consilio raptum peregisse creditur, inquit enim Dionysius: „ Ex consensu Numitoris avi sui cepit consilium, raptis non paucis simul virginibus connubium quærere; quæ sententia postquam placuit, primo Conso deo consiliorum occultorum Præsidi vovit, si conatus succederet, annuum festum ac sacrificium: deinde re cum Senatu communicata, illis quoque comprobantibus, indixit celeritatem* festumque Neptuno diem. Addamus anno quarto ex Tabulis Capitolinis triumphum de Cæninensibus, quorum bellum hinc sumsit exordium, ut Livius scribit; ideoque in re antiquitatis censu abolita cuicumque sit liberum tempora signare: nam Eusebius anno tertio ab Urbe condita raptum Sabinarum comparat, alii anno secundo; & nos infra denuo.

Raptus mulierum cœpit in festo Neptuni inter Consualia Ludosque Equestres.

Romanorum despectus ob paupertatem.

Ara Consi dei consilii.

Anno primo Regni Romuli Ludi Equestres eduntur, vel quarto.

Consensu avi molitur raptum.

Consus Præses consiliorum occultorum.

DXXVI. Causam & commentum Lu-

* *Extremis* leg. esse monet doctiss. Heinsius.
† Rep. *at.* ‡ Lib. 6. *de vero cultu* cap. 20.

* Rescr. *celebritatem*.

Ludi ob nuptias, vel potius ut bellum indiceret.

A dorum plerique ad necessitatem nuptiarum referunt, alii quamplures ad bellum, quod inferre militari genio flagrabat; cumprimis Scriptor eximius Aurelius Victor ait: *Magno exercitu facto, cum videret conjugia deesse, per Legatos a finitimis civitatibus petiit; quibus negatis, Ludos Consualia simulavit, ad quos cum utriusque sexus multitudo venisset, dato suis signo, virgines raptæ sunt.* Eadem ratio Messalæ Corvini, Eutropii, Jornandis, ac Zonaræ, simulque Ovidii in *Fastis*: Dionysius scribit: „ „Sunt qui belli occasionem sic quæsitam „existiment: rapinæ quoque causam alii „mulierum inopiam fuisse tradunt: qui „autem maxime probabilia scribunt, ad „quorum ipse accedo sententiam, ajunt, „hac necessitudine quæsitam SOCIETA- „TEM finitimarum urbium. Equidem optime, conjugia enim animos ligant, ut fœdus perstaret immobile: imo nuptiæ, Hierocle, & Platone, & experientia edocente, inimicitias depellunt, & pacem constant inconcussam. Ad oracula facinus grande rejicit Plutarchus, dum ait: „Ro- „mulum ipsum quidam Auctores sunt ad „arma natum, atque certis adductum Ora- „culis in fatis esse re militari ut Roma in „immensum cresceret, ad violandum Sa- „binos animum intendisse. Fortasse oracula ardua quæque non silent, raptum Helenæ Cassandra cecinit; Mars, dum Paris furabatur hospitis uxorem, Romanam Urbem in Orbem crescere post Trojæ excidium inclamabat; sic finitimorum exterminio oracula ex raptu Romæ magnitudinem ostentabant; de Troja oraculum apud Propertium legitur *lib. 4. el. 1.*

Ludorum simulatio.

Nuptiarum ratio, fœdus & pax.

Oracula secutus Romulus arma movet.

Dicam, Troja cades, & Troica Roma resurges.

De Roma Vates cecinisse Tibullus occinit *lib. 2. el. 5.*

Oracula de magnitudine Romæ ob bellum.

Quicquid Amalthea, quicquid Marpessia dixit,
Herophile Phœbo grata quod admonuit,
Quodque Albula† Sacras Tiberis per flumina sortes
Portarit, sicco perlueritque sinu.
Hæ fore dixerunt belli mala signa cometen,
Multus ut in terras deplueretque lapis:
Atque tubas, atque arma ferunt strepitantia cælo
Audita, & lucos præcinuisse fugam.

Urbs bellatrix.

Quibus ex signis & oraculorum voce bellatricem fore Urbem indubitanter auspicabatur; & sunt qui hæc signa oraculorumque monita circa tempora Urbis conditæ referant, partim ex Fastis Siculis, partim ex antiquissimis Scriptorum monumentis, quæ alibi proferre licet; etiam Dionysius oraculi meminit: *Omnium felix fuit finis, sicut jam ante Vates prædixerant, laboris quidem ac periculorum fore plurimum, sed læto exitu.*

Consus Neptunus.

DXXVII. Neptuno sacra comparat, & aræ commentum, eique Romulus Consi nomen consultissimum obtulit; quod ut expendamus, operis erit pretium Auctores antiquissimos proferre: *Consus Neptunus* a consilio sic dictus creditur, auctore Fabio: Divus Cyprianus: *Consum velut Consiliorum deum coli Romulus voluit;* Dionysius Halicarnasseus inquit: *Deus, in cujus honorem ista fiunt, Consus a Romanis vocatur, quem quidam nostra Lingua interpretantur Neptunum terræ quassatorem: ideoque aram ei sacratam subterraneam, quod hic deus terram babeat;* nam terram concutit, ut Aulus Gellius tradit, & nos in libro, quem edere quam primum curamus, inscriptum, *Clades Orbis terrarum Terræmotus & Pestis*. Aliam nominis rationem
B Dionysius tuetur: „Ego vero & aliam ra- „tionem festi Neptuno dicati audire me- „mini, sicut & cursus equorum: aram vero „subterraneam postea positam Genio cui- „dam, cujus nomen proferre nefas sit, „occultorum conciliorum Servatori ac „Præsidi; Neptuno vero occultam aram „nusquam terrarum sacratam esse, nec „apud Græcos, nec apud Barbatos: quid „autem sit verius, pronunciare non est fa- „cile. Livius Consilii interpretationem non promit, tantum scribit: „Haud du- „bie ad vim spectare res cœpit: cui tem-
C „pus locumque aptum ut daret Romu- „lus, ægritudinem animi dissimulans, Lu- „dos ex industria parat Neptuno Eque- „stri solennes: Consualia vocat: quod Plutarchus vel a Consilio, vel Consulibus promanasse testatur; & Divus Augustinus lib. 4. *Civ. Dei* cap 11. inquit: *ipse sit & deus Consus præbendo consilia, & dea Sentia sententias inspirando*: ad quæ Vives Scholiastes ait: *Hunc Livius, Dionysius, & Plutarchus Neptunum Equestrem esse dicunt, cui sit templum ædificatum ab Arcadibus ante Romulum & Remum, præesseque*
D *consiliis*. Hæc ille ex Dionysio, qui *lib. 1.* ait: *Dedicarunt Romani Neptuno Equestri templum, atque diem illum solennem, quem Arcades Hippocratia, Consualia Romani vocant*. Festus Pompejus ex Verrio: *Consualia Ludi dicebantur, quos in honorem Consi faciebant, quem deum consilii putabant;* Arnobius *adversus Gentes* Consum dictum putat, *quod salutaria & fida consilia nostris suggerat cogitationibus*.

Ejus ara subterranea, quia terram quatit.

Aræ numen dici nefas.

Neptunus Equestris.

Consilia præbet.

Consualia a salutaribus & fidis consiliis.

DXXVIII. Aram Conso olim dicatam reperisse effingit, eamque obrutam refe-
E rat, sub dio cultu eximio commendat; Dionysius de hac ara Veteres siluisse scribit, vel omnino ignotam Græcis etiam fuisse: *Primum divulgavit dei cujuspiam defossam se sub terra aram reperisse. Ob eam inventam magnificum sacrificium*, inquit Plutarchus, *Ludos, & spectaculum solenne finitimis indixit & concelebravit. Hæc* ARA *in Circo Maximo est:* P. Victor in Regione XI. *aram maximam* recenset; de ejus numine Asconius Pædianus *in 1. Tullii contra Verrem*: „Romani Ludi sub Regibus institu-
F „ti sunt, magnique appellati, quod magnis „impensis dati sunt: tunc enim primum „ludis impensæ facta sunt ducenta millia „nummum: alii ideo magnos Ludos dictos „putant, quod Conso consiliorum deo, „id est, Neptuno Larium Regi & rerum „conditarum, & diis magnis, id est, La- „ribus Urbis Romæ dati sunt; quibus Lu- „dis ajunt Sabinas raptas esse. Hæc ille vetus Grammaticus, sed circa impensas delirat; nam res pauperes tunc Romulus

Locus aræ.

Ludi magni.

Neptunus Rex Larium.

† Alii, *Albuna*, vel *Albana*.

habebat, ut Ovidius & Propertius Vates excultissimi cecinerunt; tandem concludit: *Ludi magni & Circenses iidem sunt*, quos, inquit Cedrenus Græcus Auctor, Romulus Solis honori dicavit: „ Romulus

Circus in honore Solis erectus.

„ condidit primum Circum Romæ in honorem Solis; per duodecim ostia, duodecim domos Zodiaci designat; per spatium ipsum & solum, universam terram, „ per Euripum, mare, quod terram mediam amplectitur; per metam, quæ est „ ad ostia, Ortum; per ultimam metam, „ Occasum. Tantam curiositatem Romulus nec prætulit, nec omnino molem comparare potuit, sed ætas posterior curam auxit opibus, & magnificentiam auspicantes arcano, moliti sunt portentosum & grande opus, Orbis miraculum; enimvero in Circo Naumachias, Curruum concursus, Venationes, & Obeliscos Roma potens adstruit; antiquitus simplex, imo agrestis pompa, novitate tantum conspicua, & commento ad raptum idonea. Varro nam-

Sacra circa aram Consi.

que lib. 4. *L. L.* testatur: *Consualia dicta a Conso, quod tum feriæ publicæ ei deo, & in Circo ad* ARAM *ejus a Sacerdotibus fiunt Ludi illi, quibus virgines Sabinæ raptæ*: sic Veteres præstantiores tantum *Ne-*

Quam plures deos deinde in Circo coluit posteritas.

ptuno Circenses dedere: sic Lactantius *de vero cultu*, Cyprianus *adversus Idola*, Isidorus lib. 18. *Origin.* & Tertullianus *de Spectaculis*: deinde Urbe aucta in Obeliscis *Solem* venerati sunt; in equorum metis *Castorem* & *Pollucem*; in Curruum agitatione *Martem*; & in Euripo denuo *Neptunum* potentissimum maris numen, quod Corippus ultimis Imperii temporibus sub Justino cecinit *lib.* 1.

Solis honore novi, grati spectacula Circi
Antiqui sanxere Patres, qui quatuor esse

Solis equi.

Solis equos quadam rerum ratione putabant,
Tempora continui signantes quattuor anni:
In quorum specie, signis, numerisque modisque
Aurigas totidem, totidem posuere colores.

Circus Soli principaliter consecratur, inquit Tertullianus: quæ omnia ignoravit Ro-

Circi moles ædificatur a Romulo, ut plebem a seditionibus revocaret.

mulus, & tantum equorum certamina astu depromsit; neque ex animi sententia assentior Georgio Græco, qui in *Chronicis* causam divinat descripti Circi Maximi: „ Condidit Romulus Circum, volens dissipare „ multitudinem Populi Romani, qui seditione orta in eum ferebatur ob fratris „ necem, & dedit primus Ludicrum Equestre Romæ in festum Solis & honorem „ quatuor elementorum. Olim Ægyptiorum Reges vanas Pyramidum Obeliscorumque moles affectasse, ut populus in laborando conticesceret, furentesque otio tandem in laboribus resipiscerent, ex Aristotele, plerisque aliis diximus in nostra *Ægyptiorum Theologia*; sed Romulum Circum ædificiis construxisse, vanum putumque commentum puto, quandoquidem ejus Regiam cannæ & stramenta sustentabant, nec in ea columen, nisi arbor indolata; quod verum ex animi sententia ita firmum ratumque credo, quia Livius a Tarquinio Prisco designatum dicit, *& loca divisa Patribus Equitibusque*: molem deinde addit, furcis suspensam, rusticam sane &

A indolatam. Cæterum ARA, vel fictitia, vel casu inventa, lucem vidit Romulo in sacris præeunte, deinde obruta quotannis ludorum excursu aperiebatur; post secula, cum Roma Christum ferret & Crucem, effossam aram refert Gyraldus: „ Cum Romæ ætatem tererem, ad Palatii radices, pone Anastasiæ templum, sacellum fuisse, quod „ tum plerique Consi putarunt, id est, Neptuni, propter frequentes conchas marinas ibi repertas: ubi & effigies albæ aquilæ cum crista rubra in sacelli fornice, seu

Ara inventa pone templum S. Anastasiæ.

B „ testudine, quod tum pleriq; consilii symbolum interpretabantur. Hactenus ille.

Ludorum initia.

DXXIX. De hac ara eleganter Tertullianus in libro *de Spectaculis*, ubi Ludorum originem tractat: „ Cum promiscue Ludi „ Liberalia vocarentur, honorem Liberi „ Patris manifeste sonabant: Libero enim „ a rusticis primo fiebant ob beneficium, „ quod ei adscribunt, pro demonstrata gratia vini: exinde Ludi CONSUALIA

Neptuno Ludi Equestres Deo consilii.

„ dicti, qui initio Neptunum honorabant, „ eundem enim & Consum vocabant; dehinc EQUIRIA MARTI Romulus

C „ dixit, quamquam & Consualia Romulo „ defendunt, quod eo Conso dicaverit deo, „ ut volunt, consilii; ejus scilicet quo „ tunc Sabinarum virginum rapinam militibus suis in matrimonia excogitavit: „ probum plane consilium, nunc quoque apud ipsos Romanos justum & licitum, „ ne dixerim penes Deum: facit etenim ad „ originis maculam, ne bonum existimes, „ quod initium a malo accepit, ab impudentis violentiæ alio deo a fratricida institutore a filio Martis: & nunc ARA

Ara ad primas metas defossa Circi, ejusque inscriptio.

D „ CONSO illi in Circo defossa est ad primas metas sub terra cum inscriptione „ hujusmodi, CONSVS CONSILIO: „ MARS DVELLO: LARES COMITIO POTENTES: sacrificant apud „ eam Nonis Juniis sacerdotes publici duodecim Kalendas Septembres, Flamen „ Quirinalis, & Virgines. Ex hac nota Ve-

Tempus Consualium Ludorum.

teres Recentioresque limam patiuntur: etenim Servius *in* 8. *Æneid.* mense Martio celebratos mendose scribit: Modius, in *Pandectis triumphalibus*, *Nonas Septemb.* Gyraldus, XVII. *Kalend. Septemb.* Plutar-

E chus in *Romulo*, XV. *Kalend. Septemb.* variant plerique, quia non unius diei festum concelebrasse putant, ideo cum sacra primum peragerent ad aram hymnosque persolverent & epulum, equorum proinde cursus novo die indigebat; quod parum

Aucti Ludi post Romulum.

interest. Auctos Ludos enarrat Valerius Maximus *lib.* 2. *cap.* 4. de Spectaculis: „ Placandi cælestis numinis gratia compositis carminibus vacuas aures præbuit, „ usque ad id tempus Circensi spectaculo „ contenta, quod primus Romulus, raptis „ virginibus Sabinis, Consualium nomine

F „ celebravit. Verum, ut est mos hominum „ parvula initia pertinaci studio prosequendi, venerabilibus erga deos verbis juventus, rudi atque incomposito motu corporum jocabunda, gestus adjecit: eaque

Ludii nomen expensum.

„ res Ludium ex Etruria accersendi causam præbuit: cujus decora pernicitas vetusto ex more Curetum Lydorumque „ (a quibus Etrusci originem traxerunt) „ novitate grata Romanorum oculos permulsit: & quia Ludius apud eos Histrio

A ,, appellabatur, scenico nomen Histrionis ,, inditum est. Paulatim deinde ludicra ars ,, ad Satyrarum modos perrepsit; a quibus ,, primus omnium Poeta Livius ad fabula- ,, rum argumenta spectantium animos ,, transtulit: isque sui operis Actor, cum ,, sæpius a Populo revocatus obtudisset, ,, adhibito pueri & tibicinis concentu, ge- ,, sticulationem tacitus peregit. Attellani ,, autem ab Oscis acciti sunt, quod genus ,, delectationis Italica securitate*tempera- ,, tum, ideoque vacuum nota est. Hacte- ,, nus ille, qui irrepsisse paulatim pompam perhibet, ut nos e penu Tertulliani, Varronis, ac Festi Pompeii modum rationemque dedimus in ipso libri vestibulo; hinc B expungere poteris, quos inflatis tibiis primordia Circensium cecinisse noveris.

Ludorum varietas apud Romanos.

Festum Neptuni indicitur circa finitimos.

DXXX. Festi ritum sive ordinem enarrat lib. 2. *Antiquit*. Dionysius: ,, Dimis- ,, sis circum finitimas urbes, qui invita- ,, rent ad conventum & certamina, quæ ,, tunc instarent, cum virorum, tum equo- ,, rum varia: facto deinde ad eam celebri- ,, tatem confluxu plurimorum hospitum ,, cum uxoribus simul & liberis; peractis- C ,, que sacris Neptuno & certaminibus, ex- ,, trema Ludorum die, cum jam solvenda ,, esset celebritas, mandat juvenibus, dato ,, signo, rapiant virgines quæ spectarum ,, venerant, quam cuique sors obtulerit, ,, serventque castas illam noctem, postri- ,, die vero ad se adducant. Itaque raptus ultimo die recolitur; antea sacra & ludi, ad quos convenerant: quem sequi ordinem ratum puto: & prius Ludorum pompam, deinde facinus dabo.

Ludorum pompa.

DXXXI Livius illos indixisse & apparuisse ingenti plausu, prout ferret tem- D pus, indicat: ,, Indici finitimis spectacu- ,, lum jubet: quantoque apparatu tum scie- ,, bant, aut poterant, concelebrant, ut rem ,, claram exspectatamque facerent: multi ,, mortales convenere, studio etiam viden- ,, dæ novæ Vrbis, maxime proximi qui- ,, que, Cæninenses, Crustumini, Ante- ,, mnates. Jam Sabinorum omnis multitu- ,, do cum liberis & conjugibus venit: in- ,, vitati hospitaliter per domos, cum situm, ,, mœniaque, & frequentem tectis Vrbem ,, vidissent, mirantur tam brevi rem Roma- ,, nam crevisse. Convenere igitur multi E mortales, omnesque hospitaliter ac benigne excepti, ac epulo dati; *Romulus cum principibus trabea indutus præsedit*, inquit Plutarchus. Existimo Principes finitimarum urbium dixisse: nam Romani Patricii, vel Senatores dicebantur, Decuriones, ac Tribuni: unus inter illos Princeps Romulus Sacra primum e more perfecit, quæ cantu & ludis absolvit. Hic ritus Veterum, litare, canere, ac ludere: Mars, apud Ovidium lib. 3. vers. 199. *Fastorum*, Romulo dedit oraculum, F

Ad illos concursus.

Sacra Neptuni litatio, Ludus, cantus.

Festa para CONSO: *Consus tibi cætera dicet;*

Illo festa die dum sua sacra canes.

Ludis satis additi.

A *lusu* ludum adstruit Varro, & religioni addictum voluit apud Tertullianum in libro *de Spectaculis*, *lusum juvenum diebus festis, & templis, & religionibus reputat*.

* Rep. *severitate*.

Hinc sacra Lupercaliorum, *Lupercos Ludos* dixere Valerius Antias & Libri Pontificalium: addit Tertullianus, Ludos *Liberalia* sacra olim nuncupatos, ut in lusu omnem Ethnicorum religionem recenseas: non tantum ultimis, sed antiquissimis utique temporibus cum erecto pro deo ab impiissimis Hebræorum Vitulo, sive in Serapidis, sive Osiridis cultum, cœpit populus Idololatra manducare & bibere, *& surrexerunt ludere*. Qui lusus ritum Idololatrarum de more referre dicitur a Chrysostomo, Abulensi, & Diodoro Episcopo.

DXXXII. Itaque Conso, consilii Præsidi, Circenses Ludos Romulus undique parat, eximiaque pompa, quæ crevit ad majestatis insigne fastigium; enarratque luxum recentioris ætatis Tertullianus: ,, Circensium paulo pompatior suggestus, ,, quibus proprie hoc nomen pompa pro- ,, cedit, quorum sit in semetipsa probans ,, de simulachrorum serie, de imaginum ,, agmine, de curribus, de thensis, de ar- ,, mamaxis, de sedibus, de coronis, de exu- ,, viis, quanta præterea sacra, quanta sa- ,, crificia præcedant, intercedant, succe- ,, dant, quot Collegia, quot Sacerdotia, ,, quot Officia moveantur, sciunt homines ,, illius Urbis, in qua Dæmoniorum con- ,, ventus consedit. Hæc ille ex Ovidio lib. 4. *Fastorum* vers. 391.

Circensium insignis pompa.

Circus erit pompa celebris, &c.

Equorum ludus.

DXXXIII. Habemus in pompa *Equos*, *Currus*, *Thensa*, *Armamaxa*: incipiamus ab Equis; etenim teste Livio, *Neptuno Equestri* Ludos ex industria Romulum parasse legimus; addit Tertullianus: *Res Equestris retro simplex de dorso agebatur, & utique communis usus reus non erat, sed cum ad Ludos coactus est, transit a dei munere ad Dæmoniorum officia: sed Neptunus Equestris est, quem Græci ἵππιον appellant;* at Pamelius Scholiastes, Gyraldi animadversionem refert, quæ satis erudita & digna scitu profertur; bona venia tanti Scriptoris mutuum referre liceat, nam a Cœlio Aureliano plura habuit, nos a Lilio, ut eruditio exerceatur, prodeat; Pausanias in *Achaicis Equestrem Neptunum* dixisse putat, tamquam *equitationis inventorem*, idque Homerus occinit; Pampho vero, qui Atheniensibus antiquissimos hymnos obtulit, ab equorum cura *Equestrem* Neptunum appellat: addit Pausanias, in equum conversum Neptunum compressisse Cererem, initamque peperisse filiam, cujus nomen haud profanis est enunciandum, simulque Arionem perniciffimum equum. Diodorus Siculus in *Bibliotheca* scribit, Neptunum equos primum domuisse, artemque equitandi ab illo traditam, ex quo *Hippius* sit appellatus: Valerius Probus *in illud* Virgilii,

Ludi Equestres a principio absque pompa.

Neptunus in equum conversus Cererem comprimit.

—— tuque, o, cui prima frementem
Fudit equum magno tellus percussa tridenti,
Neptune,

Tridente dum terram pulsat equum edit.

nquit: ,, Campi in Thessalia sunt Petrei, ,, in quibus locus Petra nomine percussus ,, tridente Neptuni equum, qui Scyphius

,, vo-

Hippius Neptunus Pegasi pater.

„ vocatus est, edidit; Romani autem Neptunum Equestrem vocant, Græci Hippium, quod existimetur princeps originis equorum. Ad Pegasum respicit Festus: „ Hippius, id est, Equester Neptunus dictus est, vel quod Pegasus ex eo „ & Pegaside natus sit; vel quod equuleus, ut putant, loco ejus suppositus Saturno fuerit, quem pro Neptuno devoravit; vel quod tridentis ictu terra equum excierit, cui ob hoc in Illyrico „ quaternos equos jaciebant nono quoque „ anno in mare. Hæc ex illo, nonnulla nobis adnotanda veniunt, ut clarescat hic locus, & Consualia scitu sint digna.

Neptunus victus a Minerva.

DXXXIV. Apollodorus, *l. 3. de origine deorum*, Neptunum ac Minervam contendisse scribit, ac duodecim deorum arbitrio victum cessisse Athenas Minervæ: hanc primam tellurem Atticam vocant, in qua sunt qui putent, ope Neptuni, concutientis terram, primum insiluisse equum: de Thessalia occinit Lucanus lib. 6. *Pharsaliæ* vers. 396.

Primus ab æquora percussis cuspide saxis
Thessalicus sonipes bellis feralibus omen
Exsiliit; primus chalybem, frenosque momorait,
Spumavitque novis Lapithæ domitoris habenis.

In Thessalia primus equus a Neptuno educitur.

Ex Pindari Scholiaste Pierius refert, percussum in Attica a Neptuno saxum, dedisse protinus equum; etsi Apollodorus aquarum gurgitem scribat; sunt tamen qui equos marinos undas videlicet perdomuisse credunt, unde Phornutus *de natura deorum* ait: *Equestris vocatur, quia concitatus per mare fit iter, quodque navibus tanquam equis utantur;* Principes in Nummis equum Neptuni appingebant extremitate caudæ in piscem monstrumque desinentem; præter Galieni Imperatoris Nummum, qui circumferitur, alium offero, in quo currum numinis, ipsumque in tridente & astro regnantem vides:

Equi marini unde ab Italis dictis *cavalloni del mare*.





Equus Marinus, Neptuni.

Etiam Phornutus scribit in navigiis expressos olim equos, & apud Diodorum compertum legimus: & Pamphus vetus Auctor apud Pausaniam *lib. 7. cap. 21.* Neptunum appellat *ἵππων τε δοτῆρα νεῶν τ' ἰθυκρηδέμνων, equorum ac turritarum velatarumque* NAVIUM *largitorem:* nuncupatur insuper Πελαγαῖος, Ἀσφαλιαῖος, Ἵππιος, *Pelagæus, Asphaliæus, Hippius*, ab eodem Pausania; naves namque & equos simul suo numine educebat ad cursum: & quam sæpe in navigiis pictus colebatur; etenim Oceani Imperium sorte sibi detulit, sicut Orbis terrarum Jovi, inquit Euhemerus apud Ennium: unde iratus adversus Eulum *, maximi Vatum ore inclamat lib. 1. *Æn.* vers. 142.

Equi naves.

Neptuno Imperium maris datum.

Non illi Imperium pelagi, sævumque tridentem,
Sed mihi sorte datum.

Pindarus Neptunum *illustrem fuscina* concinit, ac si sceptro præstaret in undis; & Ovidius l. XI. *Transformationum* vers. 202.

Cumque Tridentigero tumidi genitore profundi.

Nec male Tullius, ubi deorum naturam versat, Neptunum a *nando* dictum putat, imperat maria, oceanorumque immensitatem fuscina torquet, unde ejus sacra circa littora a navigantibus post fretum Homerus solennia recenset l. 3. *Odyss.* vers. 6.

—— *τοὶ δ' ἐπὶ θινὶ θαλάσσης ἱερὰ ῥέζον:*
Ταύρους παμμέλανας Ἐνοσίχθονι.
Hic maris ad littus solennia sacra fiebant,
Mactabantque nigros Neptuno in littore tauros.

Exhibetque Neptuni simulachrum Lactantius lib. 2. *de origine erroris*, ut mare referat; & lib. 1. *de falsa Religione* ait: *Ajunt Jovi cælum obtigisse, Neptuno mare;* idem ex Euhemero: *Jupiter Imperium Neptuno dat maris, ut Insulis omnibus, & quæ loca sunt secundum mare omnibus, regnaret;* imo Romanorum classis in triumphis tridente ornabatur: & in Nummis Vespasiani & Adriani Imp. leg. NEP. RED. *Neptuno reduci*, maris numini sacrum: apud eosdem rerum Dominos, navis laureata, monstra ostentabat vi militum, Imperatorumque manu confecta, ac tridentem victoriæ signum, ut Neptuno navalis triumphus facer credatur:

Fuscina Neptuni victoriæ symbolum.





* Rest. *Eurum*.

DXXXV. In terris simul imperat Hippius, & equorum tutela fulget; ejus templum in Arcadicis apud Pheneatas erat, quod describit Pausanias *lib. 8. cap. 14.* Ποσειδῶν χαλκοῦς ἕστηκεν ἐπωνυμίαν Ἵππειος. ἀναθεῖναι δὲ τὸ ἄγαλμα τοῦ Ποσειδῶνος Ὀδυσσέα ἔφασαν· Ἀπολέσθαι γὰρ ἵππους τῷ Ὀδυσσεῖ, καὶ αὐτὸν γῆν τὴν Ἑλλάδα κατὰ ζήτησιν ἐπιόντα τῶν ἵππων, ἱδρύσασθαι μὲν ἱερὸν ἐνταῦθα Ἀρτέμιδος, καὶ Εὑρίππαν ὀνομασθῆναι τὴν θεὸν, ἀναθεῖναι καὶ τοῦ Ποσειδῶνος τὸ ἄγαλμα τοῦ Ἱππίου. *Neptuni cognomine Equestris ex ære simulacrum erexit; Ulyssem dicasse ajunt. Cum enim equas perdidisset, & eas quærens totam Græciam peragrasset, postremo quo loco eas reperit, ibi Dianæ templum, quam Heurippen cognominarit, addito Equestris Neptuni signo, erexisse.* At fides historica nutat; primi æs conflare & cudere docuerunt Rhœcus Philæi, & Teleclis filius Theodorus, ambo Samii. Sed videat Pausanias. Certum est, Romulum Consualia equorum & curruum cursu peregisse, quæ Dionysius lib. 2. *Antiquit.* ἀγῶνας ἵππων τε καὶ ἀνδρῶν παντοδαπὰς, *certamina cum virorum, tum equorum varia* appellat. Ausonius, in *Eclogario*, navigia proinde addita occinit:

Neptuni Equestris simulacrum ab Ulysse.

Certamen virorum & equorum Neptuno sacrum.

Aut duplicem cultum, quem Neptunalia dicunt,
Et quem de Conso consiliisque vocant?
Festa hæc navigiis, aut quæ celebrata quadrigis
Jungunt Romanos, finitimosque Duces.

Navigia in Circo.

DXXXVI. Insigne spectaculum equorum cursus: occinit namque Sidonius in *Narbone*:

—— ante cursum
Campus flatibus occupatur absens,
Ardescunt, saliunt, timent, timentur:
Nec gressum cohibent, sed inquieto
Duratum pede stipitem flagellant.

Equorum inquietatio ante cursum.

Signum Prætoris vix exspectant, hærent, frena dum mordent & spumat, solum rumpunt, ut hinnientes moram præcipitent; eleganter Apollonius:

Si cum frenatos adstringit meta jugales
Ordineque emissos jussit decurrere Prætor
Ire volunt omnes primi, quatit ungula terram
Impatiens, & stare loco vesania nescit.

Studium gloriæ in cursu equorum.

Virgilius in 3. *Georgicorum* vers. 192. currentem equum carmine dat campo:

Sitque laboranti similis: tum cursibus auras
Provocet, ac per aperta volans, ceu liber habenis,
Æquora, vix summa vestigia ponat arena:
Qualis Hyperboreis Aquilo cum densus ab oris
Incubuit, Scythiæque hyemes, atque arida differt
Nubila; tum segetes altæ, campique natantes
Lenibus horrescunt flabris, summæque sonorem

Equi currentis educatio, & studium, & vel.

*Dant sylvæ, longinque * urgent ad littora fluctus.*
Ille volat, simul arva fuga, simul æquora verrens:
Hic vel ad Elei metas, & maxima campi
Sudabit spatia, & spumas aget ore cruentas.

Cursum insuper dum exspectant cuncti ad signum anxii pendent, & antequam e carceribus exeant, oculus metatur stadium, pavor studio ac sollicitudine impatiens metas & corda incumbit; Silius Italicus eximio carmine lib. 16. *de Bello Punico* instantes offert:

Animus spectantium suspensus circa cursum.

Fluctuant æquoreo fremitu, rabieque furentum,
Carceribus nondum reseratis mobile vulgus,
Atque fores oculis, & limina servat equorum.
Jamque ubi prolato sonuere repagula signo,
Tollitur in cælum furiali turbine clamor.

Clamor dum a carceribus exeunt.

Quisque pro genio favet; hunc vel illum commendat præsultantem, patitur calcaria animus, & urget ad cursum oculus. Lætatur, mœretque spectator, & spiritum nunc cohibet, plausu impellit gestitque.

DXXXVII. Similia bigarum curuumque apparatus patitur pompa, dum equi currunt: hos enim eloquentissimus Tertullianus junxisse Erichthonium profert: *De jugo quadrigas Soli, bigas Lunæ sanxerunt.* Addit carmen,

Apparatus quadrigarum currentium.

Primus Erichthonius currus, & quatuor ausus
Jungere equos, rapidusque rotis insistere victor.

Virgil. lib. 3. *Georg.* ℣. 113. ubi Olympica in Elide Pisa oppido Virg. tangit *ibid.* vers. 181.

Et Jovis in luco currus agitare volantes.

Pergit Tertullianus ad rem nostram opportunus, & Romulum Romanis ostendisse quadrigam, antea etiam Junoni dicatam præstat: „ Erichthonius Minervæ & „ Vulcani filius, & quidem de caduca in „ terram libidine portentum est Dæmonum, imo Diabolus ipse non coluber; si „ vero Trochilus Argivus auctor est currus, primo Junonium opus suum dedicavit: si Romæ Romulus quadrigam „ primus ostendit, puto, & ipse inter Idola conscriptus, si idem est Quirinus. Hinc fortasse in cursu agitatores, Dæmonum ope usi, præcellere nitebantur, suppetias ab orco auspicantes: etenim Arnobius inter Magorum maleficia recenset, *in curriculis equos debilitare, incitare, tardare:* & Theodoricus Rex, apud Cassiodorum lib. 3. *Variarum*, Fausto Præposito scribit Thomatium aurigam ex Orientis partibus advenisse, & subjungit: „ Suscepit partem

Quadriga dicata Junoni.

Romulus Idolum.

* Rescr. *Longique*.

„ populi protinus inclinatam, & quos ipse „ fecerat tristes, laboravit iterum reddere „ lætiores: modo agitatores arte superans, „ modo equorum velocitate transcendens; „ frequentia palmarum cum dici faciebat „ MALEFICUM, inter quos magnum „ præconium videtur esse ad talia crimina „ pervenire; necesse est enim ad perversitatem magicam referri, quando victoria „ equorum meritis nec potest applicari.

Agitatores currum Magi.

Hinc Tertullianus illud *Psalmi* 1. exordium, *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum*, ad ludos Circenses revocat, deo consilii dicatos Conso. Tanto studio tenebantur Romani Circensium ludis, quia fatale putabant ludicrum ab oraculis numinum promulgatum: etenim Venus Æneæ cum Turno pugnaturo arma obtulit, in quibus clypeus præstabat Circensium cælatura insignis, occinitque Virgilius lib. 8. *Æn.* vers. 635.

Primus Psalmus increpat editores spectatoresque Circensium.

Circenses cælati in clypeo Æneæ.

Nec procul hinc Romam, & raptas sine more Sabinas
Consessu caveæ, MAGNIS CIRCENSIBUS *actis*
Addiderat.

Ad quæ Scholiastes Cerda: *Ergo Ludi Magni, Romani, Consuales, Circenses, Plebeii iidem sunt Ludi.* Sed repugnat Eutropio, qui in *Breviario Historiarum* ait, *Priscus Tarquinius Circum Romæ ædificavit, Ludos Romanos instituit*; nec tempora concordant, ut iidem a Romulo Tarquinioque sint: Politianus in *Miscellaneis* Circenses cum Cerealibus Ludis confudit, ex Tacito *Annal.* lib. 15. cap. 53. qui ait: *Tandem statuere Circensium ludorum die, qui Cereri celebratur, exsequi destinata, quia Cæsar* Nero *rarus egressu, domoque aut hortis clausus, ad ludicra Circi ventitabat*; & paulo post *cap.* 74. *utque Circensium Cerealium ludicrum pluribus Equitum * cursibus celebraretur.* De equis in Cerealibus occinit Ovidius libro 4. *Fastorum* vers. 391.

Ludi Cereales diversi ab Equestribus, die sequenti post Equestres editi.

Equorum cursus in Cerealibus.

Circus erit pompa celeber numeroque deorum;
Primaque ventosis palma petetur equis.
Hinc † Cereris Ludi, non est opus indice causa:
Sponte Deæ munus promeritumque patent.

Sed Bulengerus de Circo Romano reprehendit virum præclaræ eruditionis eximium, ac si inepte Cereales Ludos eosdem voluisset cum Circensibus; quia in veteri Kalendario fiebant Cereales pridie Idus Aprilis per dies octo in Circo, proximo post Circenses die; at nos dum Politianum veneramur, spongia dedecus omne sustulimus: etenim una cum Circensibus continuatos nomen prætulisse jure Tacitus scripsit; & Petrus Laurentius Medices litterarum omnium decus numismata quamplurima ostendebat, quæ faciem viri barbatam & intonsam habebant, cum duplici titulo, *Quirinus*, & *C. Mem.* altrinsecus autem Cereris imagunculam draconibus vehentem ‡ cum lemmate, *Memmius Æd. Cur. Cerealia Preimus fecit.* Ubi etiam

Cereales continuabant Equestres Ludos.

C. Memmius Cerealia instituit.

* Rep. *equorum*. † Alii rectius, *Hi*. ‡ Videtur leg. *vectam*.

A preimus, non primus, cum diphthongo in priore syllaba notatum observamus: hunc nos putamus Cajum ipsum Memmium fuisse, qui Prætor cum L. Domitio fuerit, quique Cæsari objecerit etiam ad cyathum & vinum Nicomedi stetisse, cum reliquis exoletis, quique eundem Cæsarem asperrimis orationibus laceraverit, mox reconciliatus, etiam suffragatorem in petitione Consulatus habuerit: de quo Tullius l. 4. *Epist. ad Atticum*: ad quem Lucretius carmen dicavit: ab eodem Cæsare Ædilis Curulis factus. Ejus origo antiquissima a Trojanis oriunda fertur ex eo Virgilii lib. 5. *Æn.* vers. 117.

Ejus n um mus.

Cæsaris inimicus.

Ejus origo a Trojanis etsi plebeja.

B

Mox Italus Mnestheus, genus a quo nomine Memmi.

De Memmio plura apud Petrum Victorium, & Guidonem Laurinum in *Adversariis*. Gifanius etiam ejusdem gentis antiquitatem & munera erudite recenset. Numisma apud me est, quod tibi obtuli in *Apparatu de Venatione Heroum*: ubi Ceres cum draconibus in curru erecta fertur, & Memmii nomen, Cerealium Editoris. Certum est non simul primum cœpisse, sed posterior ætas superstitiosissimo Dæmonum cultu, dum ludos multiplicaret, eadem ludicri pompa cumulabat sacra quæ voverat: addita namque legimus, venationes in Circo; spectacula excellentium hominum in citharis, carminibusque, ac tibiis; Funambulos; Naumachiam; & cætera hujusmodi, quæ vetus ignorabat ætas. Hanc puto Politiani mentem, ex Tacito, quam omnino damnare æquus Lector vix poterit.

C

D

DXXXVIII. Tandem animadverto in festo ac ludicro Consi numinis, non tantum equos, sed mulos insuper cursu agitasse Romanos sub Romulo; quod Festus Pompejus enarrat: *Mulis celebrabantur Ludi in Circo maximo Consuales, quia id genus quadrupedum primum putatur cœptum currui vehiculoque adjungi*: addit rationem ob Lunæ arcanum: „ Mulus vehi„ culo Lunæ habebatur *, quod tam ea ste„ rilis sit quam mulus; vel quod ut mulus „ non suo genere, sed equis creetur, sic „ & † Solis, non suo fulgore luceat. Sed Alexander *lib.* 5. *cap.* 26. litasse mulos ad aram scribit, munusque Consualium expendit: „ Ad aram, cum ludos celebrant, „ omnibus adire fas est; reliquo anni tem„ pore non est licitum: in qua Romani „ sacrificant ‡ igneis aliisque solennibus „ festos agere dies assueverant, quæ Fe„ riæ publicæ dictæ sunt; in quibus sa„ cris victima erat MULUS, quoniam id „ genus quadrupedum primum vehiculo „ junctum fuisse credunt, eo quod Lunæ „ vehiculum traherent, equosque & asi„ nos coronis sertisque exornare, & feria„ ri, neque illos labori admittere fas erat. „ Qua de re fides apud ipsos.

In Consualibus etiam mulorum cursus.

E

Consualia feriæ publicæ.

F

Asini & equi tunc coronati.

DXXXIX. Dum ludicra pubes Romana perageret, ex condicto Romulus signum ab alto edidit, quo expanso milites continuo irruunt, ac rapiunt Sabinorum finitimorum spectantium puellas;

* Leg. *adhibetur*. † Rest. *ea*. ‡ Rep. *sacrificiis*.

A Τῇ τελευταίᾳ τῶν ἡμερῶν, ᾗ διαλύσειν ἔμελλε τὴν πανήγυριν, παράγγελμα δίδωσι τοῖς νέοις, ἡνίκ᾽ ἂν αὐτὸς αἴρῃ τὸ σημεῖον, ἁρπάζειν τὰς παρούσας ἐπὶ τὴν θέαν παρθένους, ἃς ἂν ἐπιτύχωσιν ἕκαστος, καὶ φυλάττειν ἁγνὰς ἐκείνην τὴν νύκτα, τῇ δ᾽ ἑξῆς ἡμέρᾳ πρὸς αὐτὸν ἄγειν. *Extrema die*, inquit Dionysius, *cum jam solvenda esset celebritas, mandat juvenibus, dato signo, rapiant virgines, quæ spectatum venerant, quam cuique fors obtulerit, serventque castas illam noctem, postridie vero ad se adducant*. Tempus observat Livius: B *Ubi spectaculi tempus venit, deditæque eo mentes cum oculis erant, tum ex composito orta vis, signoque dato, juventus Romana ad capiendas virgines discurrit*. Ovidius lib. 1. *de Arte amandi* vers. 114.

Dum accurata suspensione inspiciunt, vim patiuntur.

Rex populo prædæ signa petenda dedit.

Signum fuit Romuli trabea.

Signum, teste Plutarcho, fuit Regis trabea: Ἦν δὲ τοῦ καιροῦ τῆς ἐπιχειρήσεως σύμβολον, ἐξαναστάντα τὴν ἁλουργίδα πτύξαι, καὶ περιβαλέσθαι πάλιν· ἔχοντες οὖν ξίφη πολλοὶ προσεῖχον αὐτῷ, καὶ τοῦ σημείου C γενομένου, σπασάμενοι τὰ ξίφη, καὶ μετὰ βοῆς ὁρμήσαντες, ἥρπαζον τὰς θυγατέρας τῶν Σαβίνων. *Signum dederat adoriendi, quum ipse exsurgens complicasset trabeam, rursumque indueret; multi gladiis accincti oculos tenebant in eum intentos, dato signo, stringunt enses, & magno clamore ad capiendas Sabinorum filias discurrunt*. Zonaras in secundo *Annalium*, purpuram, dedisse signum, expansam: *purpuram populo tesseram dedit, ut cum explicavisset, rursusque eam complicasset, rem aggrederentur*. D Inde mos invaluit, etiam exactis Regibus ut Prætor signum daret; occinitque Ennius,

Purpura expansa.

Exspectat veluti Prætor cum mittere signum
Vult, omnes avidi spectant ad carceris oras.

Carcer sive repagulum.

Carcer linea erat, vel repagulum, signumque transversum, quo tenebantur equi, ut signo dato simul properarent ad metam: Servius *in 5. Æneid.* carceres *ostia* appellat, *quibus coercentur equi, ne inde exeant*: E *quasi Arceres*. Varro lib. 4. *L. L. carceres dicti, quod coercentur*, &c. Similia Isidorus l. 18. *Orig.* c. 32. *In Circo, unde emittuntur equi, carceres dixerunt, quia in illis equi coercentur, ne exeant antequam signum emittant*; signum vero novissimis Neronis temporibus *mappa* fuit; nam eo epulante, cum populus instaret in Circo, ut ludi fierent, mappam abjici per fenestram mandavit, fuitque in signum; antea Prætor, vel ejus loco Dictator, aut Consul, ludique Editores, ad carceres accedentes F signa dabant, vel voce, vel tuba; idque Scriptores reticuisse compertum est; fortasse chlamydis purpura, ut Romulus, quandoque expansa, currus & equi emittebantur; sic etiam tubæ soni movebantur: Sidonius *carmine* 23.

Mappa signum cursus equorum.

Tandem murmure buccinæ strepentis
Suspensas tubicen vocans quadrigas,
Effundit celeres in aura currus.
Non sic fulminis impetus trisulci,
Non pulso Scythico sagitta nervo,
Non sulcus rapide cadentis astri,
Non fundis Balearibus rotata
Unquam sic liquidos poli meatus
Rupit plumbea glandium procella:
Cedit terra rotis, & orbitarum
Moto pulvere sordidatur aer.

Tuba signum in Circensibus.

Curruum velocitas.

DXL. Intera raptus puellarum fit, & relictis matribus, tantum virgines rapiuntur: Eutropius: *Invitavit ad spectaculum ludorum vicinas Urbis nationes, atque earum virgines rapuit*. L. Florus: *Virgines, quæ ad spectaculum venerant, præda fuere*. Plures e Sabinis, unde Sabinarum raptus, sed revera finitimorum omnium virgines rapuere: Messala Corvinus ait: *Ad spectaculum intentis advenis, raptæ virgines Sabinorum, cæterarumque turba, & in matrimonium abductæ*. Turbam dixit, quia plures fuisse sunt qui scribant; plerique tantum triginta, a quibus Curiarum nomina, ut ex Festo Pompejo diximus: Plutarchus in *Romulo*, ἁρπασθῆναι δέ φασιν τριάκοντα μόνας, ἀφ᾽ ὧν καὶ τὰς φρατρίας ὀνομασθῆναι, *raptas ajunt triginta tantum, & ab eis nominatas Curias*. Dionysius lib. 2. *Antiquit.* Οἱ νέοι διαστάντες κατὰ συστροφὰς, ἐπειδὴ τὸ σύνθημα ἀρθὲν εἶδον, τρέπονται πρὸς τὴν τῶν παρθένων ἁρπαγὴν, ταραχὴ δὲ τῶν ξένων εὐθὺς ἐγίνετο καὶ φωνὴ, μεῖζόν τι κακὸν ὑφορωμένων ..... Διαριθμήσας τὰς κόρας, ἑξακοσίας τε καὶ ὀγδοήκοντα καὶ τρεῖς εὑρεθείσας, &c. *Juvenes catervatim divisi, ubi quod convenerat signum elatum viderunt, discurrunt ad rapiendas virgines, magno tumultu ac vociferatione hospitum, majus aliquod malum suspicantium: ..... Comperto puellarum numero sexcentarum octuaginta trium*, &c. hunc numerum recenset Juba apud Plutarchum: Valerius Antias, ἑπτὰ καὶ εἴκοσι καὶ πεντακοσίας *quingentas viginti septem fuisse* testatur apud eundem. Plerique variant, prout vetus traditio fertur.

Tantum virgines rapiuntur.

Earum numerus.

Hospitum pavor ex inopinato facinore.

DXLI. Post facinus conterriti hospites profugiunt, ac violatæ hospitalitatis numina attoniti invocant: „ Turbato „ per metum ludicro, *inquit Livius*, „ mœsti parentes virginum profugi„ unt, incusantes violati hospitii fœdus, „ deumque invocantes, cujus ad solenne „ ludosque, per fas & fidem decepti, „ venissent. Nec raptis, aut spes de se „ melior, aut indignatio est minor: sed „ ipse Romulus circuibat, dicebatque, „ Patrum id superbia factum, qui con„ nubium finitimis negassent, illas ta„ men in matrimonio, in societate for„ tunarum omnium, civitatisque, & „ (quo nihil carius humano generi sit) „ liberum fore: mollirent modo iras, „ & quibus sors corpora dedisset, da„ rent animos: sæpe ex injuria postmo„ dum gratiam ortam, eoque melioribus „ usuras viris, quod annixurus pro se „ quisque sit, ut cum sua vice functus „ officio sit, parentum etiam patriæque „ expleat desiderium. Sapientissimi Regis verba levamen sunt, ærumnarumque cura, ut inter lacrymas solatium depressæ inveniant, quod post Helenæ ra-

Hospites fugiunt, & sacra hospitii violata exsecrantur.

Romulus promittit conjungia.

Sublevat depressas mœrore.

ptum tentasse Paridem, Vates concinunt, & Vulcanum † Proserpinæ, Europæ sic Jovem animum addidisse: forte tandem illas divisit, & civibus uxores dedit.

Circus describitur, ejusque sacra a Tertulliano.

DXLII. Sed quia CIRCENSIUM ludos exhibuimus, quos primus Romulus Consi Neptuni Equestris numini commento, vel religione edidit, operæ erit pretium ex Tertulliano & Cassiodoro Circum describere, & pompam, ut simul Lector in ludo arcana deprehendat, & Romanam crevisse Rempublicam, non tantum armis, sed religione, rerumque abscònditarum naturæ notione, cognoscat; Tertullianus librum *de Spectaculis* ad libram dimensumque adversus Idololatras edidit; & capite 7. inquit: „ Circensium paulo
,, pompatior suggestus, quibus proprie
,, hoc nomen POMPA, præcedit, quorum *(Pompa pro Circensibus.)*
,, sit in semetipsa probans de simulachro-
,, rum serie, de imaginum agmine, de
,, Curribus, de Thensis, de Armamaxis, de
,, Sedibus, de Coronis, de Exuviis, quanta
,, præterea sacra, quanta sacrificia præce-
,, dant, intercedant, succedant, quot *(Sacrificia.)*
,, collegia, quot Sacerdotia, quot Officia
,, moveantur, sciunt homines illius Urbis
,, in qua Dæmoniorum conventus conse-
,, dit. Ea si minore cura per Provincias, pro
,, minoribus viribus administrantur, ta-
,, men omnes ubique Circenses illuc depu- *(Circenses extra Romam editi.)*
,, tandi, unde & petuntur, inde inquinan-
,, tur,* unde sumuntur: nam & rivulus te-
,, nuis ex suo fonte, & surculus modicus
,, ex sua fronde, qualitatem originis conti-
,, net; viderit ambitio, sive fragilitas ejus,
,, quo Deum offendit; qualiscunque pom-
,, pa Circi, etsi pauca simulachra, circum-
,, ferat: in uno Idololatria est, etsi unam *(In illis Idololatria.)*
,, thensam trahat, Jovis tamen plaustrum
,, est. *Et cap.* 8. Circus Soli principaliter
,, consecratus, cujus ædes medio spatio, & *(Circi Jovi dicati.)*
,, effigies de fastigio ædis emicat; quod
,, non putaverint sub tecto consecran
,, dum, quem in aperto habent, quod spe-
,, ctaculum primum a *Circe* habent: Soli
,, patri suo, ut volunt, editum adfirmant;
,, ab ea & Circi appellationem argumen- *(A Circe venefica.)*
,, tantur. Plane venefica eis utique nego-
,, tium gessit hoc nomine quorum Sacer-
,, dos erant, Dæmoniis & Angelis scilicet.
,, Quot igitur in habitu loci ipsius idolo-
,, latrias recognoscis, *Singula ornamenta* *(Singula Circi ornamenta singula templa. Ova Castoribus sacra.)*
,, *Circi, singula templa sunt*. Ova honori
,, *Castorum* adscribunt, qui illos *ovo* editos
,, credendo de cygno Jovi non erube-
,, scunt. Delphinos *Neptuno* vovent; *Co-*
,, *lumnas Sessias* a sementationibus, *Messias* *(Delphini Neptuno. Columnæ Sessiæ.)*
,, a messibus, *Tutelinas* a tutelis fructuum,
,, sustinent. Ante has *tres aræ* trinis diis
,, patent, *magnis, potentibus, valentibus:* eos-
,, dem Samothracas existimant. *Obelisci* *(Tres Aræ diis magnis, potentibus, valentibus.)*
,, enormitas, ut Hermateles adfirmat, *Soli*
,, prostituta: scriptura ejus unde & census
,, de Ægypto, superstitio est. Frigebat Dæ-
,, monum concilium sine ulla Matre Ma-
,, gna: ea itaque illic præsidet *Euripo*: Con- *(Consus apud metas.)*
,, sus *apud metas* sub terra delitescit: *Mur-*
,, *tias* quoque Idolum fecit. Murtiam
,, enim deam amorum volunt; cui in illa
,, parte Ædem vovere. *Et cap.* 9. Res Eque-
,, stris retro simplex de dorso agebatur, &

† Voluit, *Platonem*. * An, *inquirantur*.

A ,, utique communis usus reus non erat; sed
,, cum ad ludos coactus est, transivit a Dei
,, munere ad Dæmoniorum officia: itaque
,, Castori & Polluci deputatur hæc spe- *(Equi a Mercurio distributi.)*
,, cies, quibus equos a Mercurio distribu-
,, tos, Stesichorus docet. Sed & Neptunus *(Quadrigæ Soli dicatæ.)*
,, Equestris est, quem Græci Ἵππιον ap-
,, pellant: de jugo vero, quadrigas *Soli*,
,, bigas *Lunæ* sanxerunt: sed &

Primus Erichthonius currus, & quatuor ausus
Jungere equos, rapidusque rotis insistere victor.

B ,, Talibus Auctoribus quadrigæ productæ *(Colores in pompa Circi.)*
,, merito & aurigis coloribus Idololatriam
,, vestierunt: & ab initio duo soli fuerunt,
,, *albus* & *russeus*: Albus hyemi ob nives
,, candidas, Russeus æstati ob Solis rubo- *(Quid significent?)*
,, rem voti erant: sed postea tam volupta-
,, te, quam superstitione provecta, rus-
,, seum alii *Marti*, alii album Zephyris
,, consecraverunt: Prasinum vero Terræ
,, matri, vel verno: *Venetum* cælo, &
,, mari, vel autumno. Cum autem omnis
,, species Idololatriæ damnata sit a Deo,
C ,, utique etiam illa damnatur, quæ ele-
,, mentis mundialibus profanatur. Huc usque Tertullianus: cui ut lucem adnotatio præferat, nonnulla scitu digna animadvertimus.

DXLIII. Simulachra & imagines in pompa Circensium refert; enimvero omnium numinum, quorum monumenta Circi dicata præstabant, simulachra ducebantur ad plausum: asseritque Macrobius in *Saturnalibus*; & Lactantius lib. 6. *de vero cultu* cap. 20. *Ludorum celebrationes deorum festa sunt*. Addit deinde: *Primitus* *(Ludi deorum festa.)* D *quidem Venationes, quæ vocantur munera, Saturno attributæ sunt: Ludi autem Scenici Libero, Circenses Neptuno, paulatim vero & cæteris diis idem honos tribui cœpit*. Enarratque Sigisinnius Capito vetus Auctor in libris Spectaculorum. CIRCUS MAXIMUS, ait Varro lib. 4. *L. L. dictus quod circum Spectaculeis ædificatus ibi ludi fiunt, & quod ibi circum metas fertur pompa, & equi currunt*. *(Circus unde dictus?)* Quod firmat Isidorus lib. 15. *Originum*: at Nonius ab ambitu dictum putat, *Circus dicitur omnis ambitus, vel gyrus, cujus diminutivum est Circulus*. E Virgilius lib. 6. *Æn.* vers. 706.

*Hunc Circum * innumeræ gentes populique vocabant.*

Sed unde a *Circe* sit dictus ignoro: Isidorus lib. 18. *Orig.* cap. 28. Græcos id docuisse notat: *Græci Circum dicunt a Circe filia Solis, quæ patri suo hoc genus certaminis instituit*. Sed qui? & unde? equidem etymum me latet; fortasse Tertullianus dum Gentiles argueret Idololatras, F Circenses Dæmonum conventui dicatos a Circe Dæmonum Magorumque antesignana dixit. Noto tamen *Trojanos* Ludos etiam cum Circensibus in Circo editos apud Suetonium in *Tiberio* cap. 6. Tacitum lib. 16. *Annalium*, & Dionem: TROJANUS dicebatur a Trojanis pueris, & Ascanio primum in Italia, jussu *(Ludus Trojanus Equestris.)*

* Bis peccat Auctor noster; tum quod præpos. *circum* pro nomine posuerit, tum quod *velabant* mutarit in *vocabant*.

Æneæ, peractus: Describitur a Virgilio l.5. *Æneid.* ubi de Anchisæ inferiis, quas filuimus supra suo loco capite ..... ut cum Circensibus dare prisco de more liceret;

Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Frenatis lucent in equis; quos omnis euntes
Trinacriæ mirata fremit Trojæque juventus:
Omnibus in morem tonsa coma pressa corona:
Cornea bina ferunt, præfixa hastilia ferro!
Pars leves humero pharetras, it pectore summo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.
Tres Equitum numero turmæ, ternique vagantur,
Ductores: pueri bis seni quemque secuti
Agmine partito fulgent, paribusque magistris, &c.
Excipiunt plausu pavidos, gaudentque tuentes
Dardanidæ, veterumque agnoscunt ora parentum:
Postquam omnem læti consessum, oculosque suorum
Lustravere in equis; signum clamore paratis
Epytides longe dedit, insonuitque flagello.
Olli discurrere pares, atque agmina terni — Eorum cursus & gyrus.
Deducti soluere choris, rursusque vocati
Convertere vias infestasque tela tulere.
Inde alios ineunt cursus, aliosque recursus
Adversis spatiis, alternosque orbibus ORBES
Impediunt, pugnæque cient simulacra sub armis:
Et nunc terga fugæ nudant; nunc spicula vertunt
Infensi; facta pariter nunc pace feruntur.

Torneamentorum imago. Adnotabam alibi Torneamentorum præludium in Trojano ludicro, sed quia hastas infractas nec pectoribus obvias observare licuit, lusum equestrem rite una cum Circensibus Cæsares ediderunt: Audi Tacitum lib. XI. *Ann.* cap. II. *Sedente Claudio Circensibus Ludis, cum pueri nobiles equis ludicrum Trojæ inirent, interque eos Britannicus Imperatore genitus, & L. Domitius adoptione mox in Imperium & cognomentum Neronis adscitus*, &c. Suetonius in *Nerone* cap. 7. *Tener adhuc, nec dum matura pueritia, Circensibus Ludis Trojam constantissime favorabiliterque lusit;* & alibi quam sæpe ludicrum hoc Equestre Circensibus unit; Alexander *lib* 6. *cap.* 19. *Idque a Romulo institutum ferunt, ut cum armis saltarent milites saltatione, quam Bellicrepam dixit;* hæc ex Festo, qui ait: *Bellicrepam saltationem dicebant, quando cum armis saltabant, quod a Romulo institutum est.* Et apud Athenienses in Panathenæis eodem pacto pueri ingenuæque puellæ Pyrricham in theatro saltabant. Sic uno in ludicro alia addidisse videmus ad voluptatem, quæ ex varietate oritur. — Militaris saltatio a Romulo instituta.

DXLIV. Post Tertullianum Cassiodorus accedit lib. 3. *Variarum*, ubi summa elegantia interpretatur Circensium pompam, ut sola in hac Epistola Lector addiscat; „ Circi antiquitatem & fastigium „ Spectaculum expellens gravissimos mo„ res, invitans levissimas contentiones, eva„ cuator honestatis, fons irriguus jurgio„ rum, quod vetustas quidem habuit sa„ crum, sed contentiosa posteritas fecit es„ se ludicrum. Primus enim hoc apud Eli„ dem Asiæ civitatem Oenomaus fertur e„ didisse; quod postea Romulus in raptu „ Sabinarum, nec dum fundatis ædificiis, „ ruraliter ostentavit Italiæ: Sed Mundi „ Dominus ad potentiam suam opus „ extollens, mirandam etiam Romanis fa„ bricam in Vallem Martiam tetendit Au„ gustus, ut immensa moles firmiter præ„ cincta Montibus contineret, ubi magna„ rum rerum indicia clauderentur. Bissena „ quippe ostia ad duodecim signa posue„ runt. Hæc ab hermulis funibus demissis „ subita æqualitate panduntur, docentes „ totum illic ut putabatur consilio geri, ubi „ imago capitis cognoscitur operari. Colo„ res autem in vicem temporum quadrifa„ ria divisione funduntur: Prasinus viren„ ti verno, Venetus nubilæ hyemi, roseus „ æstati flammeæ, albus pruinoso autum„ no dicatus est. Ut quasi per duodecim „ signa digrediens annus integer signare„ tur. Sic factum, ut naturæ ministeria „ Spectaculorum composita imaginatione „ luderentur. Biga quasi Lunæ, quadriga „ Solis imitatione reperta est. Equi desul„ torii, per quos Circensium Ministri mis„ sos denuntiant exituros. Luciferi præ„ cursorias velocitates imitantur. Sic acci„ dit, ut dum se colere astra putarent, reli„ gionem suam ludicra similitudine profa„ narent. Alba linea non longe ab ostiis in „ utrumque podium quasi regula directa „ producitur; uti quadrigis progredienti„ tibus inde certamen oriretur: ne dum „ semper propere conantur allidere, spe„ ctandi voluptatem viderentur populis „ abrogare. Septem metis certamen omne „ peragitur in similitudinem hebdomadis „ reciprocæ. Ipsæ vero metæ secundum „ Zodiacos decanos ternas obtinent sum„ mitates, quas ad instar solis quadrigæ ce„ leres pervagantur. Rotæ Orientis & Oc„ cidentis terminos designant. Euripus „ maris vitrei reddit imaginem, unde illuc „ delphini equorei aquas interfluunt. Obe„ liscorum quoque prolixitates ad cæli al„ titudinem sublevantur. Sed potior Soli, „ inferior Lunæ dicatus est. Ubi sacra Pri„ scorum Chaldaicis signis quasi litteris „ indicantur. Spina infelicium captivorum „ sortem designat: ubi Duces Romanorum „ supra dorsa hostium ambulantes laborum „ suorum gaudia perceperunt. Mappa „ vero, quæ signum date videtur Circensi„ bus, tali casu fluxit in morem: cum Nero „ prandium protenderet, & celeritatem, „ ut assolet, avidus spectandi populus fla„ gitaret, ille mappam, qua tergendis ma„ nibus utebatur, jussit abjici per fene„ stram, ut libertatem daret certaminis po„ stulandi. Hinc factum est, ut ostensa „ mappa certa videatur esse promissio Cir„ censium futurorum. Circus a circuitu di„ citur: Circenses quasi circuenses: propte„ rea quod apud antiquitatem rudem, quæ „ nec dum spectacula in ornatum deduxe„ rat fabricarum, inter enses & flumina lo„ cis virentibus agerentur. Nec vacat, quod „ viginti quatuor mensibus conditio hujus „ certaminis expeditur, ut diei noctisque

Cassiodorus describit Circum.

Ab Oenomao institutus in Elide.

XII portæ Circi.

Anni hieroglyphicum.

Biga Lunæ, quadriga Soli dicatæ.

Alba linea.

Metæ.

Zodiacus.

Euripus.

Obeliscus.

Mappa a Nerone data.

Circenses quasi circuenses.

„ horæ tali numero clauderentur. Nec il-„ lud putetur irritum, quod metarum cir-„ cuitus ovorum erectionibus exprimatur: „ quando actus ipse, multis superstitioni-„ bus gravibus, ovi exemplo geniturum „ se aliqua profitetur. Et ideo datur intel-„ ligi, volitantes, atque inconstantissimos „ inde mores nasci, quos avium maribus a-„ ptaverunt. Cætera Circi Romani longum „ est sermone decurrere, dum omnia vi-„ dentur ad causas singulas pertinere. Hoc „ tantum dicimus omnimodis stupendum, „ quod illic supra cætera spectacula fervor „ animorum inconsulta gravitate rapiatur. „ Transit Prasinus, pars populi mœret: „ præcedit Venetus, & potior turba Ci-„ vitatis affligitur: nihil proficientes fer-„ venter insultant: nihil patientes gra-„ viter vulnerantur: & ad inanes conten-„ tiones sic descenditur, tanquam de statu „ periclitantis Patriæ laboretur. Quod me-„ rito creditur dicatum numerosæ supersti-„ tioni, ubi ab honestis moribus sic constat „ excidi. Hæc nos fovemus necessitate po-„ pulorum imminentium, quibus votum „ est ad talia convenire, dum cogitationes „ serias delectantur abjicere. Paucos enim „ ratio capit, & raros probabilis oblectat „ intentio, & ad illud potius turba duci-„ tur, quod ad curarum remissionem con-„ stat inventum. Nam quicquid æstimat „ voluptuosum, hoc & ad beatitudinem „ temporum judicat applicandum. Huc usque ille.

Superstitio.

Quæ in Circo cuncta ad causas singulas pertinent.

Populorum vota & studium circa Circenses.

DXLV. Isidorus ex Tertulliano lib. 18. *Orig.* cap. 29. & 30. ornamenta Circi depromsit: „ Ornamenta Circi Ova, Meta, „ Obeliscus, Carcer: Ova honori Castoris „ & Pollucis adscribunt, de ovo editorum. „ Fingunt Circensia Romani ad causas „ Mundi referri: ut sub hac specie super-„ stitiones vanitatum suarum excusent. „ Metarum quippe appellatione propric „ terminum ac finem Mundi designare vo-„ lunt, ab eo quod aliquis emensus finis „ est, &c. Corippus in *Justino* festum hunc occinit, & alii antiquiores, quorum oracula retulimus, ideo non cuncta ex professo tractanda, sed tantum prout historiæ exigit series. Plura dedimus lib. 1. *de Obeliscis*; sed aureis litteris Oratio quædam D. Joannis Chrysostomi adversus Circense ludicrum exscribenda censetur; erudita, sacra, eloquens, suadet, & sæculi pompam evincit; ne crescat in librum caput, reticeo illius admiranda scripturarum monumenta; enimvero quot sunt verba, tot locupletissimos S. Spiritus thesauros exhibent.

Isidorus a Tertulliano Circi pompam habuit.

S. Jo. Chrysostomus adversus Circum scripsit, quem legat, qui divina perquirit, ut edificat.

Cap. XLIV.

Romulus post raptum puellarum pugnat adversus Cæninenses & alios finitimos; singulari certamine Acronem Regem obtruncat, vincit, & triumphat.

DXLVI. Læsus quisque ad ultionem pronus arma viresque comparat, & tanquam leo in sylvis caudæ insultantis flagello accendit iram, aggressoresque post fugam adoritur, vindictæ ludicrum, monumentum insigne cladis: ho-

Læsus excitat se ad vindictam.

A spitalium numinum præstolabantur fulmina, & parentes, instar tigris, sublata e sinu prole, delirabant ad necem; classicum undique personabat, non inflatis tubarum oris, sed gemitu, suspiriis, & vociferatione; quæ accendebant ad prælium: pro laribus, pro liberis, pro jure gentum clamor excitat ad arma viros; nec timent, sed irruunt, *raptarum parentes*, inquit Messala Corvinus, *ad ultionem illati dedecoris, arma parant*. Eutropius in *Breviario* conjuratas ad prælium gentes recensct, *Commotis bellis propter raptarum injuriam Cæninenses vicit, Antemnates, Crustuminos, Sabinos, Fidenates, Vejentes*; habitu quoque commiserationem movere festinant, & arma, quod Livius refert *lib.* 1. *cap.* 10. „ Raptarum parentes tum maxi-„ me sordida veste, lacrymisque, & que-„ relis civitatis concitabant; nec domi tan-„ tum indignationes continebant, sed con-„ gregabantur undique ad Titum Tatium „ Regem Sabinorum, & legationes eo, „ quod maximum Tatii nomen in his re-„ gionibus erat, conveniebant: Cæninen-„ ses, Crustuminique, & Antemnates erant, „ ad quos ejus injuriæ pars pertinebat: occinitque Ovidius lib. 3. *Fastorum* ℣. 201.

Parentes raptarum virginum ad arma currunt.

B

Cæninenses, Antemnates, Crustumini, & Sabini conjurant in Romulum.

C

Intumuere Cures, & quos dolor attigit idem:
Tunc primum generis intulit arma socer.

Et oraculum Æneæ edixit post Circensia, apud Virgilium lib. 8. *Æn.* vers. 637.

—— subitoque novum consurgere bellum
Romulidis, Tatioque seni, Curibusque severis.

D

DXLVIII. Non omnibus una cura ratioque belli, sed pro cujusque genio unusquisque accedebat ad prælium; quod observabat Dionysius Halicarnasseus lib. 2. *Antiquit. Ut vero de raptu ac nuptiis virginum fama per finitimas urbes divulgata est, aliis indignatio, aliis non malo animo id esse factum reputatio subiit. Res tandem erupit in bellum multiplex, prægravante Sabino inter alia*: sed magis confert historica fides Liviana, ingenue fatetur, *lente agere iis Tatius Sabinique visi sunt*. Eo quia ante bellum Sabini Legatos miserunt, ut raptas repeterent; sicuti in raptu Helenæ parentes & urbium proceres tentasse per Oratores compertum est: erant enim Sabini viri fortes, Lacedæmoniorum genus insigne, urbemque colebant apertam, solo tutandam animo ac fortitudine putabant patriam, quæ viribus & sapientia præstabat: nec siluit Plutarchus, dum historiam omnimodam scripsit: „ Admissus hic raptus est „ octavo decimo die Sextilis, quem nunc „ vocant Augustum, quo Consualia cele-„ brant: Sabinorum magna gens quidem „ & bello bona erat, sed vicatim habita-„ bant sine mœnibus; nam cum Coloni es-„ sent Lacedæmoniorum, merito ingentes „ animos & intrepidos gerebant; at quia „ magnis se pignoribus cernebant adstri-„ ctos, timentes filiabus, Legatos miserunt „ ad Romulum cum æquis & moderatis „ postulatis, Redderet sibi puellas, & vim „ illatam resolveret, tum cum bona gratia „ & lege amicitiam & affinitatem inter

Belli causa & initium.

E

Sabini Lacedæmoniorum Coloni.

F

Urbes incolebant absque mœnibus.

Legatos ad Romulum mittunt, & tamen puellas non obtinent.

„ utramque gentem contraheret: verum „ cum non remitteret Romulus puellas, „ peteret autem a Sabinis, ut hanc neceſ- „ ſitudinem comprobarent, alii in delibe- „ rando & apparatu lente agebant. Cun- ctando Fabius Urbem reſtituit; Sabini rem integram & fœdus dum auſpicarentur, lente in bellico apparatu procedunt, & temporis beneficium exſpectant.

DXLIX. E contra inconſulti dum furunt Cæninenſes agros Romæ aggrediuntur, & dum prædas agunt abacti pereunt; B ſed ira, quæ caret viribus, præceps in ſui perniciem effunditur, enarratque eleganter LiviusCæninenſium exemplo: Ipſi inter „ſe tres populi communiter bellum parant: „ nec Cruſtumini quidem atque Antem- „ nates, pro ardore iraque Cæninenſium „ ſatis ſe impigre movent: ita per ſe ipſum „ nomen Cæninum in agrum Romanum „ impetum facit; ſed effuſe vaſtantibus fit „ obvius cum exercitu Romulus, levique „ certamine docet, VANAM ſine viribus „ iram eſſe: exercitum fundit, fugatque, C „ fuſum perſequitur: Regem in prælio „ obtruncat & ſpoliat: Duce hoſtium occi- „ ſo urbem primo impetu capit. Conſulto canis dum iraſcitur ſaxum mordet, non hominem præpotentem; & lupus a venatore vulneratus, cum ſpiculum in illum contorquere non poſſit, pedem ſuum morſu vulnerat; eſt enim ira ultionis appetitus, quod ex pluribus refert Divus Auguſtinus ad Marcellinum *lib.* 14. *cap.* 15. *iram nihil aliud eſſe quam ulciſcendi libidinem Veteres definierunt*: & *epiſtola* 115. *iram* appellat *turbulentum appetitum*: eamque finit Poſidonius, D *cupiditatem puniendi ejus, a quo te putes læſum*: unde optime Ariſtoteles l. 5. *Politic.* c. 10. *particulam quandam odii debemus iram exiſtimare*; quod apud Rainaudum confirmat Divus Auguſtinus dicens: *Quid eſt ira? libido vindictæ: Quid odium? ira inveterata: ira inveterata ſi facta eſt jam odium dicitur; quod videtur conſiteri ille*, Turbatus eſt præ ira oculus meus, *addidit*, Inveteravi in omnibus inimicis meis: *quod erat ira cum eſſet nova, odium factum eſt, quia in vetuſtatem converſum*: E etenim ira tanquam ignis excandeſcit, & in illum fertur, a quo ſe putat læſum, ut ulciſcatur; cor namque primum occupat, deinde præcordia turbata effervefcunt, & dum cauſam commotionis removere contendunt, lædentem perdere feſtinant, ut ad priſtinum quietis ſtatum perveniant. Opinationem meam firmat Claudianus *de quarto Honorii Conſulatu* verſ. 240.

Cæninenſes inconſulti ruunt ad arma.

Ira abſque viribus (?) inſania.

Quid eſt ira?

Libido vindictæ.

Velut ignis excandeſcit.

Iram ſanguinei regio ſub pectore cordis
Protegit imbutam flammis avidamque nocendi,
Præcipitemque ſui; rabie ſuccenſa tumeſcit. F

Ira dat arma.

Ovidius epiſtola 6. *Heroid.* verſ. 140.
Quælibet iratis ipſe dat arma dolor.
Perſius etiam *Satyra* 3. verſ. 116.

Facit homines inſanos.

Nunc face ſuppoſita ferveſcit ſanguis, & ira
Scintillant oculi; dicíſque, facíſque, quod ipſe
Non ſani eſſe hominis, non ſanus juret Oreſtes.

A Inſanos igitur jure putamus Cæninenſes, qui ſub Acrone deficientibus copiis Romanos aggreſſi ſunt, palanteſque ceciderunt.

DL. Non ſola urget ira, ſimul invidia ad prælium comparat Cæninenſes, ut abſque Duce Sabino exeant, & creſcentem Urbem Romam comprimant: prodit hoc facinus Dionyſius Halicarnaſſeus: „Primæ „ Romulo intulerunt bellum Cænina, An- „ temna, & Cruſtumerium, prætexentes „ ultionem raptarum virginum, ſed revera „ moleſte ferentes creſcentem paulatim B „ rem Romanam in immenſum: nec con- „ nivendum ratæ dum accolarum omnium „ malo vires colligeret: itaque convene- „ runt harum legationes ad Sabinos, po- „ ſtulantes geri bellum ductu illorum & „ auſpiciis, eo quod gens eſſet opulenta & „ prævalida, principatumque inter vicinos „ obtinens, nec minus aliis affecti injuriis, „ nam illorum plurimæ virgines raptæ „ fuerant. Sed cum nihil proficerent, reſi- „ ſtentibus Legatis Romuli, & gentis fa- „ vorem verbis factiſque ambientibus, Sa- C „ biniſque belli conſilia procraſtinantibus „ continue, pertæſæ morarum decreverunt „ ſuis opibus bellum cum Romanis gerere „ ſatis virium ſibi ratæ, in unum collatis „ trium civitatum copiis, ad unam non „ magnam Urbem expugnandam. Sed quo „ minus in unis caſtris viſæ ſint, ut decre- „ verant Cæninenſium fecit feſtinatio: qui au- „ ctores inferendi belli fuerunt præcipui: „ his irruptione facta Romanum agrum „ populantibus occurrens cum exercitu D „ Romulus, ex improviſo hoſtem aggredi- „ tur imparatum, caſtris vix dum permu- „ nitis vi potitur: refugientiumque tergo „ hærens, priuſquam oppidani cladem ſuo- „ rum cognoſcerent, nactus incuſtodita „ mœnia, portaſque patentes, urbem pri- „ mo capit impetu; Regem ipſum, cum „ valido globo juvenum occurrentem, ma- „ nu ſua conficit ac ſpoliat. Cænina hoc „ modo capta, armis ademtis, imperatiſque „ obſidibus, in Antemnates movit, & ho- „ rum quoque copias palantes, ac prædis „ etiam tum intentas, nec opinantes ador- E „ tus, ſicut priores fudit fugavitque; & „ eodem modo uſus victoria, domum redu- „ xit exercitum, ſpolia hoſtibus in prælio „ detracta præferens, votivaſque manubia- „ rum primitias multaſque diis deſtinatas „ victimas. Hactenus ille; addit Lucius Florus, *pulſi fugatique Vejentes, Cæninenſium captum ac dirutum eſt oppidum*. Puto poſt triumphum, ut creſceret Roma, oppidum illud æquarunt ſolo, & cives jure civitatis Romanos habuerunt.

Ira & invidia permoti Romanos aggrediuntur.

Sabini potentes.

Conſentiunt Romulo, & principatum militiæ vicinarum urbium recuſant.

Cæninenſes primi currunt ad prælium.

Victi.

Simulatque eorum civitas capta.

Rex obtruncatus.

Antemnates fugati & victi.

DLI. Unum reſtat ſcitu dignum; videlicet Romulum interfeciſſe Acronem F non manu militum, ſed ſingulari certamine, quod tangit Aurelius Victor *de viris illuſtribus*: *Adverſus Cæninenſes Romulus proceſſit, & exercitum ac Ducem Acronem ſingulari prælio devicit.* Aſſeritque Valerius Max. ubi Heroum geſta recenſet: illuſtre fortitudinis monumentum; enimvero Acron fortiſſimus cenſebatur, occinitque Propertius *lib.* 4. *el.* 11.

Singulari prælio Romulus Acronem occidit.

Acron Herculeus, Cenina ductor ab Arce,
Roma, tuis quondam finibus horror erat.

Mo-

Monomachiam Zonaras lib. 2. *Annalium* enarrat: „ Acron Cæninensium Rex, vir „ iracundus & bellicosissimus, prior armis „ arreptis magnas copias contra Romu„ lum ducit; cum ambo in propinquo es„ sent, uterque alterum ad pugnam pro„ vocat, in eo singulari certamine Romu„ lus Acronem obtruncat: commissoque „ prælio ejus exercitum fundit fugatque, „ urbem capit; neque tamen cives alia cla„ de afficit, quam dirutis ædibus se Ro„ mam sequi jussit, cives futuros, & æquo „ jure usuros. Erat olim Cænina urbs celebris, inquit Strabo lib. 5. *Geographiæ*, & ab Hercule eorum Princeps ducebat genus, eximiæ fortitudinis & magnanimitatis exemplar; tantis viribus præstabat, ut solo adspectu Romanos deterrere, eorumque exercitum urbemque perdere somniaret; enarrat prælium ac Regis robur Plutarchus in *Romulo*: „ Cæninensium Rex „ Acron, magno vir animo, & bellator „ insignis, qui jamdudum Romuli cœpta „ habebat suspecta, & hoc facinore in mu„ lieres auso formidandum cunctis existi„ mans, neque tolerabilem si ferret impu„ ne, primus bellum intulit, magnisque „ copiis movit in Romulum, & in illum „ Romulus. Cum jam in conspectu es„ sent, & inter se contuerentur, provoca„ verunt se mutuo ad pugnam, copiis in „ acie quiescentibus. Ibi Jovi Romulus, „ si hostem vicisset fudissetque, vovit ar„ ma illius, semetipsum ei dedicaturum: „ Acronem superat & occidit, exercitum „ ejus signis collatis profligat: eodem im„ petu oppidum eorum capit, nec violat „ tamen eos, qui illuc substiterant, nisi „ quod demoliri ædificia jussos Romam at„ trahit, atque in Civitatem æquo recipit „ jure: neque res alia ulla perinde amplifi„ cavit Civitatem Romanam, ut quod con„ necteret sibi & in corpus suum contri„ bueret victos. Grandis hæc victoria, & quia potentem ac robustissimum Regem superavit; finitimos præ viribus compressit audentes; virgines retinuit, nuptiarum felicissimum columen: sed non tantum miles Romanus vicit, quam Romulus: enimvero cum Monomachiam vicisset David, obtruncato impiissimo Gigante, in triumpho cecinerunt, *percussisse Saul mille, & David decem millia*, ac si decies triumphasset, qui singulari prælio Philistinorum potentissimum prostraverat Gigantem Itaque Cæninensium urbs diruta amisit jus Civitatis, atque ex urbe agrum factum consultissimi Legum professores docent, Modestinus *l. Si usus f. Quibus modis ususfructus amittatur*: „ Si ususfructus civitati legetur, „ & aratrum in ea inducatur, civitas esse „ desinit: ut Carthago passa est: ideoque „ quasi morte desinit habere usumfructum. Horatius lib. 1. *Carm.* ode 16. *funditus perire* occinit.

Duellum.

Dirutis oppidis victi Romam incolunt.

Votum Romuli.

Victoria.

Victos aggregat ut cives Romani sint.

Ejus laus eximia.

DLII. Signat triumphum ac victoriæ tempus Auctor Fastorum Capitolinorum: cui occinunt Dionysius Halicarnasseus, & alii plerique: ROMVLVS. REX. TRIVMPHVM. EGIT. PRIMVS. ANNO. POST. ROMAM. CONDITAM. QVARTO. DE. CÆNINENSIBVS. CRVSTVMERINIS. ET. ANTEMNATIBVS. ISQVE. PREIMVS. SPOLIA. OPEIMA. JOVI. RETTVLIT. DVCE. HOSTIVM. ACRONE. CÆSO. Hinc Eusebii calculus claudicat, dum anno tertio raptas Sabinas signat; nisi putare æquum duxeris, bellum post annum, dum lente Sabini protraherent, suscepisse. Tamen Plutarchus quarto mense post Urbem conditam raptum signat, fortasse nec quatuor annorum spatia sine uxoribus degere Urbis amplitudini operæ erat pretium: sed nec bellum aggredi, plena Olympiade; quod puto undique tenebræ; nam Romanorum antiquissimi gesta primum memoriæ non albo fastorum commendarunt; ob quod posteritas vero similia scripsit, non vera.

Tempus quo Romulus triumphavit.

Quæritur.

DLIII. Triumphum etsi rude, ut prima ferrent tempora, gloriosum nihilominus describit Livius: „ Inde exercitu vi„ ctore reducto, Romulus cum factis vir „ magnificus, tum factorum ostentator „ haud minor, spolia Ducis hostium cæsi „ suspensa, fabricato ad id apte ferculo, „ gerens in Capitolium adscendit: ibiq;ea „ cum ad quercum pastoribus sacram de„ posuisset, simul dono designavit templo „ Jovis fines: Messala Corvinus de Augusti Progenie: *Acronis opima spolia in Capitolium ad quercum pastoribus sacram Rex ipse Romanus suspendit, ibique Jovi Feretrio templum statuit.* De quercu insuper Plutarchus scribit, ejusque formam ornatumque promit: „ Romulus ut votum „ Jovi redderet quam gratissimum, & o„ culis civium speciosissimum, quercum, „ quam in castris vidit, miræ proceritan„ tis, recidit, & instar adornavit trophæi, „ Acronis armis apte suspensis ex ea, ada„ ptatisque: veste ipse incincta, & capi„ te fluente coma, LAUREA CORO„ NATUS, feretrum dextro innixum hu„ mero directum gerens incessit, carmen „ victoriale exercitui præsens in armis se„ quenti, civibus cum gratulatione & „ laudibus eum excipientibus. Hæc ille, qui addit, *triumphorum fuit hæc celebritas in posterum origo & exemplar*. Licet Virgilius ab usque Æneæ temporibus triumphum in quercu plena exuviis concinat *lib.* XI. *vers.* 4.

Describitur triumphus.

Quercus sacra.

Jovis Feretrii templum.

Trophæum carmen victoriale.

Vota deum primo victor solvebat Eoo:
Ingentem quercum decisis undique ramis
Constituit tumulo, fulgentiaque induit arma,
Mezenti Ducis exuvias, tibi magne trophæum
Bellipotens: apto † *rorantes sanguine cristas,*
Telaque trunca viri, & bis sex thoraca petitum
Perfossumque locis, clypeumque ex ære sinistræ
Subligat, atque ensem collo suspendit eburnum.

Olim in quercu trophæa.

Et denuo lib. 10. *Æneidos* vers. 423. canit,

Hæc arma, exuviasque viri tua quercus habebit.

Sidonius Apollinaris in *Panegyrico Majorani*,

† Rescr. *aptat*.

Ebria cæde virum propter Bellona trophæum
Exstruit, ut quercum captivo pondere curvet.

Recte Nonius Marcellus ex Varrone, *spolia capta, fixa in stipitibus appellantur trophæa:* ut trophæum erigeret Romulus, *quercum sacram,* inquit Livius, ornavit, ac coram Jove & deo vir religiosus sacra ubique versaret; erat quercus dicata *Marti*, ut Dionysius lib. 1. *Antiquit.* refert, & in ea columba & oraculum; Statius Dianam occinit dicentem lib. 6. *Theb.*

Quercus ornata tropheum gerit.

Nota per Arcadias felici robore sylva
Quercus erat Triviæ, quam desacraverat ipsa,
Electam turba nemorum, numenque colendum
Fecerat; hic arcus & fessa reponere tela
Armaque, &c.

De quercu sacra diis.

Apud Celtas, ut scribit Maximus Tyrius, *altissima quercus* erat Jovis signum; & ex plantis hanc sanctissimam vetus ætas colebat; imo coronarum querna præstantissima; etenim inter coronas militares, quas Aulus Gellius recenset lib. 5. *Noctium Atticarum* cap. 6. legimus nobilissimas fuisse *triumphalem, obsidionalem, civicam, muralem, castrensem, navalem, seu ovalem*, & *oleagineam*, qua uti solent qui in prælio non fuerunt, sed triumphum procurant: triumphales coronæ sunt *aureæ*, quæ Imperatoribus ob honorem triumphi mittuntur, antiquitus e *lauro* erant: *obsidionales* ii, qui liberati sunt obsidione, *gramineas* Duci liberatori mittunt: hanc S. P. R. bello Pœnorum secundo, Q. Fabio Maximo dedit, quod Urbem Romam obsidione hostium liberasset: *civica* corona appellatur, quam civis civi, a quo servatus est in prælio, testis * vitæ, salutisque perceptæ dat; *ea fit e fronde querna*, ait Aulus Gellius, quoniam cibus victusque antiquissimus quercus capi solitus sit: fit etiam ex *ilice*, quod genus superiori proximum est, teste Cæcilio: hac *corona civica* L. Gellius vir Censorinus in Senatu Ciceronem Consulem donari a Republica censuit, quod ejus opera esset atrocissima illa Catilinæ conjuratio detecta vindicataque; quam tanti faciebant, ut non solum servatum civem, hostemque trucidatum in ea danda animadverterent; sed teste Mesurio Sabino in undecimo *Memorabilium*, dari solitam novimus, *cum is, qui civem servaverat, eodem tempore etiam hostem occiderat, neque locum in ea pugna reliquerat*; aliter jus civicæ coronæ negat concessum: sed declinante Imperio Tiberius Cæsar consultus annuit, si duos hostes occidisset, licet locum non servasset. Navalis tandem Rostrata præstabat.

Coronarum numerus apud Romanos. Ovalis graminea. Triumphalis aurea, vel ex lauro. Obsidionalis graminea. Civica e quercu. Navalis.

DLIV. E more sacris Jovi peractis in Capitolio, Romulus Senatum convocat, & prudentissimis Senioribus gesta in bello refert, monetque, ut sibi consulant ac patriam prospiciant, quod totum e penu Dionysii Halicarnassei offero: „ Post redditas diis votivas victimas, spoliorumque „ ac prædæ primitias, Rex ante omnia retulit ad Senatum DE CAPTIS URBIBUS QUID STATUENDUM CENSEANT; ipseque primus, quæ tum „ optima videbatur, sententiam protulit; cumque qui aderant probarent Principis consilium, ut totum simul & magnificum, nec in præsens modo, sed in „ posterum quoque utile, perpetuam inde sibi paruit opinionem prudentiæ; nam „ contractis in unum quotquot raptæ fuerant Antemnatum & Cæninensium generis, ut vidit provolutas sibi ad genua, „ lamentantes deflentesque fortunam patriæ, desinere ac silere jussas, sic affatus „ est. Quamvis patres vestri, & fratres, „ totæque civitates extrema mereantur omnia, ut qui amicitiam nostram adspernati bellum maluerunt, nec honestum, „ nec necessarium, nos tamen multa movent ad consulendum de illis moderatius „ respecta indignationis deorum, quibus „ invisa est omnis superbia, & metus hominum invidiæ, & quod misericordiam „ credamus non parum conferre miseriis „ mortalium, quam & ipsi vellemus in nostra necessitate impetratam ab aliis: vobis quoque, de quibus hactenus nulla „ maritorum querela exstitit, hunc honorem habendum censemus, & gratiam; „ itaque hoc erratum eos impune ferre sinimus, non libertate, non agris, aliisque bonis vestros cives mulctamus; qui „ volent hic manere illis permittimus; qui „ mallent huc transferre Penates, tuto id „ poterunt, pollicemurque fore, ut nunquam eos pœniteat mutati domicilii. Ne „ autem posthac in idem relabantur peccatum, amicitiamque nostram ulla de causa deferant, remedium erit opinor efficacissimum, si fecerimus eas Romanas „ Colonias, & eo Colonos hinc miserimus „ quantum sat erit. Ite igitur bono animo, & maritos duplici honore ac caritate complectimini, per quos tam parentibus vestris quam fratribus & civibus „ libertas manet, ac incolumitas. Hactenus ille. Sed Livius refert, ad hanc pietatis aram Romulum devenisse ab Hersilia rogatum, quam in conjugem assumserat: *Duplici victoria ovantem Romulum Hersilia conjux, precibus raptarum fatigata, orat, ut parentibus earum det veniam, & in Civitatem accipiat,* ITA REM COALESCERE CONCORDIA POSSE: *facile impetratum;* mulierum consilia quandoquidem salutaria, & Hersilia hanc politicam tradidit viro potentissimo, ut Urbs in Orbem cresceret, cum fierent ex hostibus cives, commendatque Tacitus, & Claudius Imperator in Senatu facinus illustre pluribus extulit; Plutarchus etiam in *Romulo* laudat *in Civitatem æquo jure illos recepisse; neque res alia ulla perinde amplificavit Civitatem Romanam, quam in corpus suum victos reducere.*

Romulus coram Senatu gesta refert. Senatorum consensus. Puellæ pro patriæ casum plorant. Romuli oratio ad eas. Romulus parcit victis hostibus. Hortatu Hersiliæ uxoris. A qua optimum consilium habet, ut ex hostibus cives fiat.

DLV. Observat Ovidius raptas, dum Legati pergerent, & Cæninenses bellum pararent, jam consensisse, & in triumpho matres pacem exorasse in templo Junonis, deæ monitu præmotas, lib. 3. *Fast.* vers. 203.

* Rep. *testem.*

Raptæ puellæ inter viros & parentes pulla veste pacem exorant.

Jamque fere raptæ matrum quoque nomen habebant;
Tractaque erant longa bella propinqua mora.
Conveniunt nuptæ dictam Junonis in ædem:
Quas inter mea sic est nurus ausa loqui;*
O pariter raptæ (quoniam hoc commune tenemus)
Non ultra lente possumus esse piæ:
Stant acies: sed utra di sint pro parte rogandi
Eligite: hinc conjux, hinc pater arma tenet;
Quærendum est, viduæ fieri malitis, an orbæ.
Consilium vobis forte piumque dabo:
Consilium dederat: parent, crinesque resolvunt,
Mœstaque funera corpora veste tegunt.
Jam steterant acies ferro mortique paratæ,
Jam lituus pugnæ signa daturus erat:
Cum raptæ veniunt inter patresque virosque,
Inque sinu natos pignora cara tenent:
Ut medium campi scissis tetigere capillis,
In terram posito procubuere genu:
Et, quasi sentirent, blando clamore nepotes
Tendebant ad avos brachia parva suos:
Qui poterat clamabat avum tunc denique visum,
Et qui vix poterat, posse coactus erat:
Tela viris animique cadunt; gladiisque remotis
Dant soceri generis accipiuntque manus.

Ostentant natos: forsan post annum bellum exarsit, & jam pueperæ pueros habebant, & sic anno tertio fuit raptus, ut notat Eusebius.

Pax igitur firmata mulierum commento, jam non hostes, sed cives, sed affines exsultabant peracto fœdere & epulabantur: tantum noto, Livium scripsisse post triumphum, antequam Coloniæ mitterentur, levi prælio Crustuminos victos, etiam jus Civitatis accepisse: *Inde contra Crustuminos profectus Romulus, bellum inferentes; ibi minus etiam, quod alienis cladibus ceciderant animi, certaminis fuit.* Itaque Cæninenses, Antemnates, Crustuminique victi Romam incolentes auxerunt.

Crustumini victi.

DLVI. Cæterum ab Urbe profecti milites Colonias fecere: de quibus Livius ait: *Utroque Coloniæ missæ, plures inventi, qui propter ubertatem terræ in Crustuminium nomina darent: & Romam inde frequenter migratum est, a parentibus maxime ac propinquis raptarum.* Hinc auctæ Tribus, & puellarum nominibus nuncupatæ: illas etsi accurate exhibuimus, Blondus lib. 3. *Triumph. Romæ*, ex Asconio Pædiano, ut videtur, diversimode offert; & ne quid eruditis desit juvenibus, ejus verba dabo, & expendam. De nominibus Sabinarum multæ Tribus sunt dictæ, quibus precatricibus parentum bellum maritorumque est finitum. Igitur, ut supputationem continuemus, a maximo Varrone incipiamus, qui septem simul sic ostendit: Ager Romanus primum divisus in partes tres, a quo Tribus appellantur Tatiensium, a Tito Tatio; Ramnensium a Romulo; Lucerum a Lu-

Coloniæ.

Parentes raptarum Romam migrant.

Nomina puellarum, ex quibus dixere Tribus juxta Blond animadversionem.

A cumone; sunt enim vocabula Thusca, & ab hac divisione, partes Urbis quatuor Tribus dictæ, Suburrana, Palatina, Exquilina, Collina; octavam Livius *lib.* 2. sic ostendit additam; Appius Clausus, cui postea Appio Claudio fuit nomen, cum pacis ipse Auctor a pacis turbatoribus præmeretur, magna clientum comitatus manu Romam transfugit: his Civitas data, Tribus addita novis Tribuus; vetus Claudia appellata: Appius inter Patres lectus; ultra has Tribus VIII. Festus Pompejus decem nobis enumerat his nominibus, *Crustumina* a Crustumina Etruscorum urbe; *Lemonia* a pago Lemonia appellata, qui est a porta Capena Via Latina; *Metia* a quodam Castro appellatur *Uffentia* ab Uffente fluvio dicta, qui apud Terracinam labitur; *Pupinia* ab agro Pupinio prope Tibur; *Pupilia* a Popilio traxit originem; *Romulia* Tribus dicta, quod ex eo agro censebantur, quem Romulus ceperat ex Vejentibus; *Scaptia* a nomine urbis Scaptiæ; *Sabatina* a lacu Sabate dicta: *Tromentina* Tribus a campo Tromento: ut reliquum sit septem tantum & decem fuisse, quibus nomen Romulus imposuerit Curiarum: mulierum videlicet Sabinarum; fueruntque hæc nomina, Stellatina, Armensis, Pontia, Publia, Mathia, Scatia, Aniensis, Terentina, Sergia, Qurina, Trinitica, Volitina, Vecentina, Fabiana, Scaptensis, Voltinea, Narniensis: scribit enim Livius libro octogesimo, aucta jam Civitate Libertinos in trigesimam quintam Tribum fuisse distributos: M. Cicero, *Oratione* I. *in legem Rulli Agrariam*, respondit a Romulia Tribu se initium esse facturum; nam usque ad Armensem nomen habere properat; & in *Oratione pro Plancio*, multas Tribus nominat. Itaque universos ex omni Imperio, sive urbes totæ fuerint, sive singuli præstantes viri in cives Romanos adsciti sunt, oportuisse in dictarum Tribuum aliqua conscriptos addictosque esse: de quibus tam in civilibus quam in militaribus quisque rebus eorum ratio sumi posset: erantque libri triginta quinque, in quibus tam multa scribebantur tam hominum millia apud Censores, adeo ingentes, & forma magni, ut *elephantini* a belluæ similitudine dicerentur: quos libros singulo lustro ob mutationes hominum morientibus suffectorum, aut aliter addictorum oportuit innovari: quamquam & similes libros elephantinos Senatusconsulta apud eosdem Censores habuisse patebit. Hactenus Blondus: qui cum pluribus & ipse divinat; quod ratum habeo, tribus urbibus victis crevisse Romam, ita ut Tribus multiplicarentur; magnoque hominum concursu, etiam Curiæ amplificatæ, domicilia, mœniaque crescerent aucta. Cæterum quod de libris elephantinis scribit, Cassiodorus & Plinius habent: & nos in concione de Epistola Beatæ Mariæ Virginis ad Messanenses, quam e suggestu ingenti populorum concursu adstante diximus, & deinde typis dedimus, de chartarum nominibus post Scaligerum luculenter disseruimus.

Appius Claudius fit civis Romanus.

Nomina Tribuum

Libertini Tribum xxxv. implent.

Libri elephantini [illegible]

De chartarum nomine & usu.

* *Ossa* magis arridet doctiss. Heinsio.

CAP. XLV.

Romulus triumphans in Capitolio templum Jovi Feretrio, quod voverat, designat & dicat.

DLVII. COmmendant Romulum eximia ab ipsa Urbis origine militiæque gesta: & ipsi Quirites cum Jove ævum agere decantabant. Mirum equidem, adolescentem expositum, lupæ lactantem ubera, Accæ Larentiæ meretricis filium, inter mapalia & lucos fastigium virtutum omnium adscendisse, illustre generositatis exemplar; sed non semper inter purpuras virtus nitet, quandoquidem Sol e tenebrarum sinu effulget, & e spinarum stipite vernant ad astra flores: rudis concha margaritam concipit, & undarum sub gurgite gestat charites: Silenus Socratis monstrum præferebat in facie, cum sinus omnium gemmarum pretio dives fulgeret; sic præstat, vincit, triumphat Romulus, & eximia religione conspicuus templa molitur; unde singularis inter Heroum fastigia extollitur ab Ennii Varronisque oraculo; bonum dictum. Sed alterum offert Romulo similem Trogus Pompejus, cujus incunabula, fata, & casus fere omnes effingunt Romulum: portentum non sileo, sed ex Justino offerre operis pretium censeo; inquit enim *lib.* 44. *c.* 4. „Saltus Tartesiorum, in quibus Titanas „bellum adversus deos gessisse proditur, „incoluere Curetes: quorum Rex vetu„stissimus Gugoris * mellis colligendi u„sum primus invenit. Huic cum ex filiæ „stupro nepos provenisset, pudore flagi„tii variis generibus exstingui parvulum „voluit; sed per omnes casus fortuna qua„dam servatus, ad postremum ad Regnum „tot periculorum miseratione pervenit. „Primum omnium cum eum exponi jus„sisset, & post dies ad corpus expositi re„quirendum misisset, inventus est vario „ferarum lacte nutritus. Deinde relatum „domum, tramite angusto, per quem ar„menta commeare consueverant, projici „jubet; crudelis prorsus, qui proculcari „nepotem quam simplici morte interfici „maluit. Ibi quoque cum inviolatus esset, „nec alimentis egeret, canibus primo jeju„nis, & multorum dierum abstinentia cru„ciatis, mox etiam suibus objici jubet. „Itaque cum non solum non nocerent, ve„rum etiam quarumdam uberibus alere„tur, ad ultimum in Oceanum abjici jussit: „tum plane manifesto quodam numine, „inter furentes æstus ac reciprocantes un„das velut nave, non fluctu veheretur, leni „salo in littore exponitur: nec multo post „cerva affuit, quæ ubera parvulo offerret; „inde denique conversatione nutricis exi„mia puero pernicitas fuit, interque cer„vorum greges diu montes saltusq; haud „inferior velocitate peragravit: ad postre„mum laqueo captus, Regi datus dono „est. Tunc & lineamentorum similitudine „& notis corporis, quæ inustæ parvulo „fuerant, nepos est agnitus. Admiratione „deinde tot casuum periculorumq; ab eo„dem Successor Regni designatur †. No-

Romuli laus. — *Non semper e purpura virtus nitet.* — *Exemplum magni Regis, qui Romuli fatum præcessit.* — *Expositus a feris nutritur.* — *Objicitur suibus.* — *Maris fluctibus.* — *A cerva alitus inter cervos errat.* — *Capitur, fit Regni hæres.*

* Refer. *Gargoris*. † Alii melius, destinatur.

A „men illi impositum Habidis; qui ut Re„gnum accepit, tantæ magnitudinis fuit, „ut non frustra deorum majestate tot peri„culis ereptus videretur: quippe barba„rum populum LEGIBUS junxit; boves „primus aratro domari, frumentaque sul„co serere † docuit, & ex agresti cibo me„lioribus vesci, odio eorum, quæ ipse pas„sus fuerat homines coegit. Hujus casus „fabulosi viderentur, nisi & Romanorum „Conditores lupa nutriti, & Cyrus Rex „Persarum cane alitus proderetur. Huc B usque Justinus; sed filius Lupæ Romulus Habidem adeo præcellit, ut non solum leges frugesque, sed sacra insuper & trophæa erigeret Jovi deorum Optimo Maximo; &, ut canit Propertius, atratum & hastam feliciter ageret.

DLVIII. Dum hostes eminus cominusque instarent, numen religioso animi cultu invocat, & voti reus, monumentum religionis templum vovit; adhuc triumpho, votum reddidisse, insigne fertur pietatis indicium, quod Livius tradit: „In Ca„pitolium adscendit.... simul cum dono C „designavit templo Jovis fines, cognomen„que addidit deo: Juppiter FERETRI, „inquit, hæc tibi victor Romulus Rex „regia arma fero; templumque iis regio„nibus, quas modo animo metatus sum, „dedico; sedem opimis spoliis, quæ Re„gibus Ducibusque hostium cæsis, me au„ctore, sequentes posteri ferent. Hæc „templi est origo, quod primum omnium „Romæ sacratum est. Adscendit Capitolium coronatus, quadrigis invectus, fausta cunctorum evocatione triumphans; D pompam describit Dionysius Halicarnasseus: „Romulus pompam claudebat ex„tremus, indutus purpura, & corona„tus laurea, quadrigisque invectus quo „augustiorem se faceret: reliquiæ peditum „equitumque copiæ ornatæ ac instructæ „incedebant, canentes deos patrios, & „Ducem venerantes incondito carmine; „effusa obviam Civitate gratulabunda cum „uxoribus & liberis; utroque viæ latere, „summaq; comitate excipiente victorem „exercitum: ut vero in Urbem ventum „est, præsto erant crateræ vino plenæ, & E „mensæ instructæ cibis variis ante illu„strium virorum ædes, propositæ ad fru„endum quibuslibet. Atque hæc fuit vi„ctorialis & sacra pompa, quam Roma„ni triumphum nominant, tunc primum „instituta a Romulo: nostra vero hac „tempestate magno luxu agitur & fastu „quodam tragico, non tam ad virtutis o„pinionem, quam ad ostentationem di„vitiarum, repudiata omni frugalitate „pristina. Hæc ille de primo Urbis triumpho; sed quia infra quam sæpissime triumphantes Duces describimus, sacram pompam alibi educendam puto.

F Jovi Feretrio templum, quod pie voverat, designavit; historiam præ cunctis eleganter occinit Propertius *lib.* 4. *eleg.* 11.

Romulus templum quod voverat designat. — *Triumphat.* — *Ejus pompa describitur a Propertio.*

Imbuis exemplum primæ tu, Romule, palmæ
Hujus, & exuvio plenus ab hoste redis;
*Tempore quo * Cæninum Acronta petentem*
Victor in eversum cuspide fundis equum.

† Alii, *quærere*. * Vox *portas* excidit.

Acron Rex vir fortissimus.

Acron Herculeus Cenina ductor ab Arce,
Roma, tuis quondam finibus horror erat;
Hic spolia ex humeris ausus sperare Quirini,
Ipse dedit, sed non sanguine sicca suo:
Hunc videt ante cavas vibrantem spicula turres
Romulus, & votis occupat ante ratis.
Juppiter hæc hodie tibi victima corruet Acron:
Voverat, & spolium corruit ille Jovi.
Urbis, VIRTUTISQUE PARENS *sic vincere suevit*,
Qui tulit aprico frigida castra Lare.

Romulus arma & boves tractat.

Idem eques & frenis, idem fuit aptus aratris,
Et galea hirsuta comta lupina juba.
Picta nec inducto fulgebat parma pyropo,
Præbebant cæsi balthea lenta boves.

Jovis Feretri nomen expenditur.

Expendit Feretrii Jovis nomen Festus Pompejus ex Verrio: *Feretrius Juppiter dictus a ferendo, quod pacem ferre putaretur, ex cujus templo sumebant sceptrum, per quod jurarent, & lapidem silicem, quo fœdus ferirent*; sed præ cunctis Plutarchus in *Romulo* nomen hoc expendit, & adversus Dionysium habitum triumphantis Romuli pedestrem demonstrat: „ Feretrum, *inquit*, Jovis Feretri donum appellatum „ est a feriendo: præcatus enim deum fuerat, ut Acronem feriret ac cæderet. Opima spolia dicta sunt, auctore Varrone, „ quod divitias opes appellent, rectius mihi videtur ab opere: nam cum manu sua „ Dux Ducem interficeret, ipse decus parit, permittitur ei opima spolia consecrare. Ac tribus modo Romanis Imperatoribus ejus fortuna decoris fuit; primo Romulo, interfecto Ceninensi Acrone; secundo, Cornelio Cosso, qui „ Volumnium Tuscorum Ducem occidit; „ postremo, Claudio Marcello, a quo Gallorum Rex cæsus est Viridomarus: Cossus & Marcellus CURRU jam invecti „ sunt, cum opima spolia ferrent; Romulum fallitur Dionysius, qui usum dicit „ curru; siquidem Tarquinium Demarati „ filium proditum memoriæ est Regum „ Principem, eam in speciem & fastum „ devexisse triumphos: Poblicolam scribunt alii primum curru triumphantem „ invectum: nam Romuli quidem statuas „ triumphales videre est omnes pedestres. Hæc ille, & ad rem consonus; enimvero dum ferret ferculum & Capitolium adscenderet, non poterat curru triumphare. Propertius postquam Feretrii nomen depromit ab eo quod ferire Ducem sonat addit *loc. cit.*

Spolia opima unde dicta?

Cossus & Marcellus curru triumpharunt, Romulus pedestrem triumphum egit.

Seu quia victa suis humeris hæc arma ferebant,
Hinc FERETRI *dicta est ara superba Jovis.*

Silius lib. 5. *Belli Punici* vers. 167. occinit,

—— —— quis opima volenti
Dona Jovi portet feretro suspensa cruento?
Nam cur hæc alia pariatur gloria dextra?

Ovidius lib. 5. *Fastorum* vers. 565. de Romulo filio Iliæ;

—— Iliadem humeris Ducis arma ferentem,

Ad Jovis nomen redit Dionysius Halicarnasseus: *Feretrium Jovem* a trophæo dictum putat, concordatque cum Græca dictione: & addit, *sive quod complexus universam naturam, & motum superior feratur, nequaquam a vero aberraverit*. Hæc ille. Trophæucus Juppiter apud Græcos, triumphantium numen, dictus a trophæis apud Lilium: ejusdem meminit Plutarchus in *Parall.* ubi de Otryade & Posthumio Albino, expenditque Phornutus *de Natura deorum*: & Pausanias, in *Laconicis*, Jovi Tropæuco templum a Doriensibus dicatum refert.

Juppiter Trophæucus.

DLIX. Cæterum hanc pompam laureatus detulit, ut Plutarchus scribit; & Dionysius *laurea coronatum* adscendisse inquit, unde mos *laureæ* in triumpho, cujus meminit Tibullus de Messala *lib.* 1. *eleg.* 7.

Romulus laureatus triumphat.

—— novos pubes Romana triumphos
Vidit, & evictos brachia capta Duces.
At te victrices lauros Messala gerentem
Portabat nitidis currus eburnus equis.

Laurus agrestis, de qua Panius.

Ovidius lib. 4. *Tristium* eleg. 2. vers. 51. occinit:

Tempora Phœbea lauro cingetur: Ioque
Miles, Io, magna voce, triumphe, canet;
Ipse sono, plausuque simul, fremituque calentes
Quadrijugos cernes sæpe resistere equos.

Triumphus & plausus.

Silius Italicus lib. 6. *Belli Punici* vers. 661.

Appius adstabat pugnæ, lauroque revinctus
*Justum Sarrana ducebat sede * triumphum.*

Unde Cæsares ramusculum lauri, ab aquila demissum in gremium Drusillæ Liviæ, cum plantassent in Villa juxta Tyberim ad nonum lapidem Via Flaminia, floruisse legimus tanta ubertate, ut sylvam frequentem redderet, & triumphaturi inde lauream haberent, ejusque ovantes milites; quod semper apud Romanos post Romuli victoriam faustum fortunatumque fuit. Hinc Lucanus de Pompejo juvene lib. 8. *Pharsaliæ*,

Surculus lauri crescit in sylvam.

Nunc festinatos nimium sibi sensit honores,
Actaque lauriferæ damnat Syllana juventæ.

Et quia trophæum in quercu erexit, laurus & quercus cultæ ante Cæsarum januas. *Laureis postes perstruebant*, inquit in *Apologetico* Tertullianus; & Plinius *lib.* 15. *cap.* 30. *Laurus triumphis proprie dicatur, vel gratissima domibus janitrix Cæsarum Pontificumque, quæ sola & domos exornat, & ante limina excubat.* Ovidius *de Ponto* †,

Laurus & quercus ante januas A. g.

State Palatinæ laurus, prætextaq; quercu

* Rest. *cæde.* † Vel potius lib. 4. *Fast.* vers. 953.

Stet domus: æternos tres habet una deos.

Hæc ille, & Liviam & Tiberium lauro jungit: & lib. I. *Metamorph.* ubi Daphnen in laurum conversam occinit vers. 558.

—— —— semper habebunt
Te coma, te citharæ, te nostræ, laure, pharetræ:
*Tu Ducibus lætis * aderis, cum læta triumphum*
Vox canet, & longas visent Capitolia pompas.
Postes cum lauro. *Postibus Augustis eadem fidissima custos*
Ante fores stabis, mediamque tuebere quercum.

Sidonius Apollinaris in *Panegyrico Majoriani*,

Coronæ variæ. *Incipies, crinemque sacrum tibi more priorum*
Nectet muralis, vallaris, civica, laurus.

Laurus multiplex enarratur. DLX. Sed quia multiplex laurus, aliter laureatus Imperator triumphum, aliter miles agebat; hanc diversitatem animadvertebat Plinius *loc.cit.* nam duo ejus genera tradit Cato, *Delphicam & Cypriam*: Pompejus Lenæus adjecit, quam *mustaceam* appellavit, quoniam mustaceis subjiceretur: hanc esse folio maximo, flaccidoque, & albicante: Delphicam æquali colore, De lauro, ejusque variæ species recensentur. viridiorem, maximis baccis, atque e viridi rubentibus; *hac victores Delphis coronari* ait Plinius, *& triumphantes Romæ*: Cypriam esse folio brevi ac nigro, per margines imbricato, crispam: postea accessere genera; tinus, hanc sylvestrem laurum aliqui intelligunt, nonnulli sui generis arborem: accessit & Regia, quæ cœpit *Augusta* appellari; amplissima, & arbore, & Augusta triumphalis. folio, baccis gustatu quoque non asperis: *Sterilem earum, (quod maxime miror) triumphalem, eaque dicunt triumphales uti, nisi id a D. Augusto cœperit, ex ea lauru, quæ ei missa e cœlo, minima est altitudine, folio crispo ac brevi, inventu rara.* Hæc Plinius: latius originem laurearum putat Apud Latinos olim culta. apud Latinos; quam recenset Virgilius lib. 7. *Æneid.* vers. 59.

Laurus erat tecti medio in penetralibus altis,
Sacra comam, multosque metu servata per annos:
Quam pater inventam, primas cum conderet arces,
Ipse ferebatur Phœbo sacrasse Latinus.

Lauream triumphaturi portabant. Laurus igitur trimphalis, rubentibus baccis, selecta coronas nectebat, eamque ambitu rogasse Veteres legimus: Tullius *in Pisonem, confecto formidolosissimo bello, coronam illam lauream decerni volebas a Senatu*: Livius *libro* 3. *dec.* I. *Tum vincere cupimus, tum Duce te vincere, tibi lauream insignem deferre, tecum triumphantes Urbem inire*: non solum in triumphis laurea, sed etiam in lætitiæ conventu gerebatur: occiso namque Maximo † in obsidione Aquilejæ, in

* Alii melius, *Latiis*. † Rep. *Maximino*.

A quit Herodianus *lib.* 8. *cap.* 6. *Οἱ δὲ ἱππεῖς οἱ τὴν Μαξιμίνου κεφαλὴν κομίζοντες, ὠδοιώσαν μετὰ πάσης ἐπείξεως.... δαφνηφοροῦντες αὐτοὺς οἱ δῆμοι ὑπεδέχοντο. Equites, qui Maximini caput Romam ferebant, magno studio accelerantes.... laureata popularium frequentia excepti.* Laureati milites & populus. Similia habet in *Commodo*, receptus a laureata multitudine cum florum omnimoda coronarumque pompa: & in *Pertinace* ad Imperium electo ait, laureatos omnes populos atque exercitum festum duxisse diem. Plinius plura recenset *lib.* 15. *cap.* 30. „ Ipsa pacifera, ut quam prætendi
B „ etiam inter armatos hostes quietis sit in- „ dicium, Romanis præcipue lætitiæ vi- „ ctoriarumque nuntia additur litteris, & „ militum laureis † pilisque. Fasces Im- „ peratorum decorat. Ex his in gremio Jo- „ vis O. M. deponitur, quoties lætitiam „ nova victoria attulit; idque non quia Laurea in sinu Jovis. „ perpetuo viret, nec quia pacifera est, „ præferenda ei utroque olea, sed quia spe- „ ctatissima in monte Parnasso, ideoque Spectatissima in Parnasso laurus. „ etiam grata Apollini, assuetis eo dona „ mittere jam & Regibus Romanis, teste
C „ L. Bruto: fortassis etiam in argumentum, „ quoniam ibi libertatem publicam is meruisset, lauriferam tellurem illam osculatus ex responso. Et quia manu satarum „ receptarumque in domos, fulmine sola „ non icitur: ob has causas equidem credi- Fulminibus non icitur. „ derim, honorem ei habitum in trium- „ phis, &c. Addamus calidam laurum inflammare gestantis tempora, ut excitatus vigeat, ardua quæque aggressus; est namque solaris arbor, & leoni consona, si Empedoclem credimus: ideoque in conviviis laurea non utebantur, ait Atheneus lib. 15.
D *Deipnosoph. Lauream, quæ calfacit & gravem odorem spirat, compotationibus inutilem esse judicarunt*: quod ex Apollodoro testatur. Compotantes coronam ex lauro non portant, & quare? Cæterum Pierius in coronamentis illam commendat; Pindarus atque Callimachus Apollinem memorant interfecto dracone lauream induisse: Aristophanes dominum & servos oracula consulturos coronatos inducit: Pluto, quin & Liber, lauro Plura de lauro diis hominibusque grata. coronabatur, in qua ex Indis triumphasse fertur; diesque in illum solennes magna olim corona dicebantur, ut tradit Tertullianus; laurea itaque, ait Pierius, Apollini & Baccho sacra, illi ut deo telorum, huic
E ut deo triumphorum: addo Janum laurea Janus laureatus. coronatum singulis Kalendis Januariis: Sidonius *carm.* 7.

—— —— jam necte bifrontes
Anceps Jane comas, duplicique accingere lauro.

Vesta etiam laureata Kalendis Martiis, & Laureata Vesta. Flamines cum laurea nitebant in domibus, inque Regia, ut canit Ovidius lib. 3. *Fastorum* vers. 139.

F
Janua tunc Regis posita viret arbore Phœbi;
*Ante tuas itidem *, Curia prisca, fores:*
Vesta quoque ut folio niteat velata recenti,
Cedit ab Iliacis laurea cana focis.

† Leg. *lanceis*. * Alii, *fit idem*.

Nuncii victoriæ cum laurea.

Nuncius proinde victoriæ laureatus accedebat in castris, convolabat ad cives: unde Claudianus *de Bello Gild.* vers. 13.

Rumoremque sui prævenit laurea belli.

Imperatores laureati Vespasianus & Domitianus.

Laureati insuper Imperatores in pompa triumphi, purpuræ cultu præstabant, morem secuti antiquum Romuli; etenim triumphi lauream ad Jovem Capitolinum ferre solebant, atque eam in ejus gremio relinquere. Ovidius lib. 4. *Trist.* el. 2. vers. 55.

Inde petes arcem, & delubra faventia votis:
Et dabitur merito LAUREA VOTA JOVI.

Martialis *lib. 2. epigr. 2.* (Cæsarem Domitianum adulatur)

Frater Idumenæus † meruit cum patre triumphos:
Quæ datur ex Dacis LAUREA, *tota tua est.*

Nam Vespasianus cum filio Tito de Hierosolymis triumphavit, de Cattis Dacisque solus Domitianus, & in Nummo Antonini Pii ipse Imperator laureatus fulget, cujus munificentiam elephantus altera ex parte demonstrat:

Antoninus Pius Imp. laureatus.





Romulus singulari certamine Acronem Regem obtruncat.

DLXI. Itaque Romulus obtruncato Acrone Rege triumphat, & Jovem Feretrium templo spoliisque opimis religiose cumprimis ornat; illustre facinus recenset Valerius Maximus *lib. 3.* de fortitudine *c. 2.* „ Romulus ab Acrone Cæninensium Rege ad dimicandum provocatus, quamquam & numero & fortitudine militum superiorem se crederet, tutiusque erat toto cum exercitu quam solum in aciem descendere, sua potissimum dextra omen victoriæ rapuit, nec incepto ejus fortuna defuit: occiso enim Acrone, fusisque hostibus, opima ab eo spolia Jovi Feretrio retulit. Hinc arma & hostium exuvias pendere in ipsis templorum vestibulis insigne fuit religionis monumentum, quod ab Hebræis habuisse Nationes puto: enimvero David Gigante obtruncato coram Deo gladium illius suspendit, quo iterum præcinctus perrexit ad pugnam: tanta namque armorum stipes proinde in templis, ut acies armare possent, cecinitque Silius Italicus lib. 10. *Belli Punici* vers. 599.

David gladium Gigantis suspendit in templo.

Mos gentium.

——— ite ocyus arma
Diripite o pubes templis: vos atria raptim
Nudate, & clypeos in bella refigite captos.

Sacrum namque putabant illa suspendere, asseritque Prudentius Vates cultissimus lib. 2. *adversus Symmachum* V. P.

Apud Romanos.

Vis decorare tuum ditissima Roma Senatum?
Suspende exuvias armis & sanguine captas,
Congere cæsorum victrix diademata Regum.

Ante Romulum Virgilius morem hunc cecinit ex Oraculo, quod Romanorum evulgabat Heroum gesta, lib. 6. *Æneidos*, ubi Marcellum commendat, *In quo*, teste Plutarcho & Valerio Maximo *loco cit. tantus animi vigor fuit, ut apud Padum Gallorum Regem, ingenti exercitu stipatum, cum paucis equitibus invaderet, quem protinus obtruncatum armis exuit, atque Jovi Feretrio dicavit.* Magnum facinus dignum præconio Oraculi & maximi Vatum lib. 6. *Æneid.* vers. 855.

Marcellus Jovi Feretrio Gallorum arma dedicat.

Idque Oraculum prædixit.

Adspice ut insignis spoliis Marcellus opimis
Ingreditur, victorque viros supereminet omnes:
Hic rem Romanam magno turbante tumultu
Sistet Eques; sternet Pœnos, Gallumque rebellem,
Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino.

Tertia dixit, nam ex Plutarcho diximus, prima Romulum dicasse, secunda Cornelium Cossum, de quo idem Valerius *loc. cit.* ait: „ A Romulo proximus C. Cossus eidem deo (*Jovi Feretrio*) spolia consecravit, cum Magister Equitum Ducem Fidenatum in acie congressus interemisset. Magnus initio hujusce generis inchoatæ gloriæ Romulus: Cosso quoque multum acquisitum est, quod Romulum imitari valuit. De istis Manilius lib. 1. *Astronom.*

Tertia arma dicata Feretrio Jovi.

Fabricius, Curiusque pares, & tertia palma
Marcellus, Cossusque prior de Rege necato:
Certantes Decii votis, similesque triumphis.

Hinc in morem transivit Jovi signa & opima quæque spolia deferre: asseritque Livius: „ Triumphansque signum Præneste devectum in Capitolium tulit; dedicatum est inter Cellam Jovis ac Minervæ;

Tabulæ & signa hostium in Capitolio.

† Leg. *Idumæos.*

„ tabulaque sub eo fixa, monumentum
„ rerum gestarum, his ferme incisa litteris
„ fuit, JUPITER. ATQUE. DEIVEI.
„ OMNIS. HOC. DEDERUNT. UT.
„ QUINTIUS. DICTATOR. OPPIDA.
„ NOVEM CAPERET. Titulum addebant ut posteritas sciret: Ovidius *de Tristibus* lib. 4. el. 2.

Inscriptione addita.

Cumque Ducum titulis oppida capta leget.

Albinovanus ad Liviam inquit,

Cunctaque per titulos oppida captiva tuos.

Cæterum canit Virgilius lib. 3. *Æneidos* vers. 222.

Deos vocabant in partem spoliorum.

Irruimus ferro, & divos, ipsumque vocamus
In prædam partemque Jovem.

Cum Trojani advenissent Epirum, ubi mons Leucates præstat Apollinis templo insignis, Æneas arma suspendit, trophæum posteritatis memoria dignum: occinitque idem *ibid.* vers. 286.

Ære cavo clypeum, magni gestamen Abantis,
Postibus adversis figo, & rem carmine signo:
Æneas hæc de Danais victoribus arma.

Videtur carmen simile, quod Demosthenes recitat in Neæram,

Græcorum Ductor, Medos qui perdidit hostes,
Pausanias Phœbo dedicat hoc spolium.

Trophæa inscripta simulque ornata spoliis hostium.

Enimvero Romuli vestigia secuti, trophæa monumentum victoriæ sic componere milites religiose curabant; unde Florus *lib. 3. cap. 2. Domitius Ænobarbus & Fabius Maximus ipsis quibus dimicaverant in locis saxeas posuere turres, & desuper exornata hostium spoliis trophæa.* Silius Italicus occinit,

—— ire in Martem, qua capta referre solebas,
Et victor mecum suspendere postibus arma.

Claudian. lib. 3. *de Raptu Proserpinæ* v. 337.

—— Phlegræis sylva superbit
Exuviis, totumque nemus victoria vestit:
Hic patuli rictus; hic prodigiosa Gigantum
Tergora dependent, & adhuc crudele minantur
Affixæ truncis facies.

Nemus victoria insigne.

Juvenalis similiter *Satyra* 10. ℣. 133. inquit:

*Bellorum exuviis *, truncis affixa trophæis*
Lorica, & fracta de cassìde buccula pendens,
Et curtum temone jugum, victæque triremis

Arborum truncis affixa trophæa.

* Rep. *exuviæ*.

Aplustre, & summo tristis captivus in arcu,
Humanis majora bonis creduntur; ad hoc se
Romanus, Grajusque, ac Barbarus Induperator
Erexit.

Sic posteritas incœpta perficit, & quæ rudi quercu Romulus peregisse legitur, eximia pompa Urbs aucta peregit.

DLXII. Inter prima Religionis monumenta templum Jovis designasse fertur; non grande, non augustum, sed, prout ferebant tempora, & angustum superstitione colendum, asseritque Dionysius Halicarnasseus: *Μετὰ τὴν θυσίαν νεὼν κατασκευάσας ὁ Ῥωμύλος ἐπὶ τῆς κορυφῆς τοῦ Καπιτωλίου λόφου Διός, ὃν ἐπικαλοῦσι Ῥωμαῖοι Φερέτριον, οὐ μέγαν (ἔτι γὰρ αὐτοῦ σώζεται ἀρχαῖον ἴχνος, ἐλάττονας ἢ πέντε ποδῶν καὶ δέκα τὰς μείζους πλευρὰς ἔχων) ἐν τούτῳ καθιερῶσαι τὰ σκῦλα τοῦ Καινιτῶν Βασιλέως. Re divina perfecta, Romulus in Capitolino vertice Jovi Feretrio templi spatium designavit non magnum; (adhuc enim servatur vetus ejus vestigium vix XV. pedum longitudine) quo inferret opima de Cæninensium Rege spolia.* Hoc templum cum vetustate & incuria detectum prolaberetur, admonitu Pomp. Attici (ut in *ejus Vita* testatur Cornelius Nepos) reficiendum Cæsar curavit: ampliatum prius ab Anco Rege commemorat Livius: hujus vestigia, inquit Marlianus, ubi majora denum, ubi vero minora quinum pedum ætate sua adhuc extitisse, asseritque Dionysius; enimvero in summa paupertate etiam deorum cultus & templa præstabant; nam cuncta fictilia & parvo cellæ spatio sacra venerabantur; unde Conon apud Photium in *Bibliotheca* nu. 186. ad Archelaum Philopatorem Regem scribit: *Tugurium in Jovis templo fuisse e quisquiliis & tenuioribus virgultis constructum*: Ovidius lib. 1. *Fast.* vers. 201.

Templum Jovis angustum, sed religiosum.

Ejus situs & moles.

Ampliatur a Cæsare.

Templum Jovis tugurium e quisquiliis.

Juppiter angusta vix totus stabat in æde,
Inque Jovis dextra fictile fulmen erat.

Propertius casam sine arte appellat, & numen fictile, *lib. 4. el. 1.*

Fictilibus crevere deis hæc aurea templa,
Non fuit opprobrio facta sine arte casa.

Casa sine arte facta.

Fab. *lib. 1. cap. 8. casas primi sine arte fecerunt.* Tibullus *lib. 2. el. 5.*

Et stabant humiles in Jovis arce casæ.

Denuo tantam extollit humilitatem Urbis Regiæ præ divitiis commendatam, *lib. 1. el. 10.*

† *Heu pudeat prisco vos esse e stipite factos,*
Si veteris ædes incoluistis avi:
Tunc melius tenuere fidem, cum paupere cultu
Stabat in exigua ligneus æde deus.
Hic placatus erat, seu quis libaverat uvam,
Seu dederat sanctæ spicea serta comæ.

Ædes Jovis ligneæ exigua.

Et Juvenalis Jovis fictilis meminit *Satyra* XI. vers. 115.

† Rescr. *Neu.*

Hanc

Cultus omnis ex fictilibus in templo Jovis.

Hanc rebus Latiis curam præstare solebat
Fictilis, & nullo violatus Juppiter auro.

Itaque antiquitus tantum cellæ & tuguria deorum: nam teste Plutarcho in *Numa*, sunt qui putent, Romanos annis fere centum & septuaginta nec templa, nec numinum sacella habuisse; simplex cultus ex corde procedens, non ostentatione, sed affectu vota solvebat; pompa proinde crevit in fastum, ut non pro Deo, sed animi sua quique elatione litaret ad aras.

Romani annis 170 absque templis.

Romulus religione præstans.

DLXIII. Habemus igitur Romulum pium in vovendo, religiosum in exsequendo: habemus eximiæ virtutis monumentum, quo possent Reges sua Regna tueri, & præcipue Deo vivo & vero dum vota redderent: totum hoc religionis facinus Manilius lib.6. *Astronom.* Fortunæ adscripsit & fato:

At nisi fata darent leges vitæque necisque,
Fugissent ignes Æneam, Troia sub uno
Non eversa viro fatis vicisset in ipsis,
Aut Lupa projectos nutrisset Martia fratres,
Romaque sic enata foret, pecudumque magistri
In Capitolinos auxissent culmina Montes,
Includive sua potuisset Juppiter Arce.

Non fatum, sed religio prodest.

Sed nos cum Divo Augustino & Orosio, non fatum, sed Deum agnoscimus, a quo ominis potestas in cælo & in terra, ut regnante Roma, Idolorum vanitatem agnoscerent Quirini, & Christum confiterentur.

Fatum est Deus, qui Romanos exaltavit.

CAP. XLVI.

De nuptiis Romanorum, & Romuli. Quæritur de Hersilia uxore & filiis Romuli Regis, Item, de nuptiis contract Coemtione, Usu, Confarreatione, Sorte, & Raptu. Nomen Thalasii expenditur.

Nuptiæ a Deo in Paradiso celebratæ.

DLXIV. Nuptiarum singulare decus ab ipso Orbis exordio commendavit Altissimus, qui masculum & fœminam purpurea ab humo creavit, ut essent duo in carne una, crescerent & replerent terram, ne juge in creatione miraculum Orbis exposceret, sed prole exorta impleretur; enimvero propter hominem factam hanc molem novimus, nec hominem fert tellus, ut olim Poetarum deliria apud Diodorum in *Bibliotheca* somniarunt, sed conjugia, quæ Deus a primordio sanxit; hinc varii Gentium ritus, sed omnium consensu celebres, etsi nonnullos parum Oeconomiæ Reipublicæque consonos leges: indiscretas namque nuptias laudat Plato, quas Cyclopum e more Aristoteles perstringit, perniciosissimas utique educationi, etsi numero prolis augendæ opportunas. Plinius *lib.*5. *cap.*8. *Garamantes matrimoniorum exsortes passim cum fœminis degunt*: asseritque Pomponius Mela *lib.*1. ferarum ritu in Venerem ruere: quod de Æthiopibus tradit Solinus *cap.*39. Recensent hæc antiquitatis monumenta viri eruditissimi, quorum oracula præstant; ideoque eruditione tantummodo auguror, non optime apud Ulpianum, & Servium *in* 1. *Georgicorum*, tribus modis tantum contraxisse olim nuptias, COEMTIONE, USU, CONFARREATIONEQUE, nam *forte* insuper *raptuque* uxores plerosque sibi comparasse compertum est. Ante Sabinarum raptum, Sichem Jacobi filiam rapuit in uxorem, & teste R. Selomone, jurejurando testabatur, apud Sichemitas raptum nuptiarum esse legitimum ac commendatum ab ævo morem; nec Paridem Priami filium Græcorum proceres damnarunt ob raptum, sed tantum ob violatum jus nuptiarum, cum adulter matronam abduxisset e sinu viri. Cæterum ob raptas virgines, neque arma Orbis intulit, neque excitavit ad bellum finitimos; unde Romulus apud Livium, Dionysium, & Plutarchum, Cæninensium bellum detestatur tanquam exsecrabile & injustum. ejus verba Livius profert: *Virginum animos mœstitia dejectos Romulus consolatus est, rapinam eam non ad contumeliam spectare, sed ad conjugium dictitans docensque* MOREM GRAECORUM HUNC ESSE ANTIQUISSIMUM, *& qui maximum decus afferat.* Addit ex Festo Pompejo Alexander l.2. *Gen. Dier.* cap.5. *Cumque ad virum profectura nova nupta egredi vult, ipsum limen transcendere sua sponte, aut vestibulum tangere non sinunt, sed quasi raptam & invitam e gremio & sinu matris transcendere limina volunt, videlicet nisi* COACTA: recensetque penes Herodotum Paris, dum facinus suum excusat, nonnullas virgines raptas, quas dedimus supra. Virgilius autem l. 8. *Æneid.* vers. 635. occinit,

Ut Orbis cresceret propter hominem factum.

Varii nuptiarum ritus.

Usus nuptiarum Coemtione Confarreatione, & Usu.

Raptus olim commendatus.

Præcipue apud Græcos, ut Romulus testabatur.

—— raptas sine more Sabinas.

Videlicet apud Latinos, vel Etruscos; fortasse carmen in *more* claudicat; enimvero Gens Sabina Lacedæmonia erat, ut Livius tradit, de quibus Plutarchus in *Lycurgo* ait: *Uxores ducebant* RAPTU, *non pusillas atque immaturas, sed adultas.* Differitque Cragius *l.*3. *c.*6. de illorum Republica; revera antiquissimi recentioresque puellas in uxores rapere consuevere, ut Suidas refert, & Vates in Europæ ac Proserpinæ raptu cecinerunt illarum nuptias, quas Proci audentes rapuerunt.

Similiter apud Lacedæmonas.

DLXV. Sortitione insuper nuptias concelebrasse Veteres compertum est, quo modo legimus raptas Sabinas Romulum viris dedisse: *Sortitione nonnunquam uxores ductas, & sponsalia inita invenimus*, inquit Alexander *loc. cit.* ex Plauto in *Casina* & Suetonio; his Servius oblitis in illud Virgilii plausu & adulatione plenum carmen, lib.1. *Georgic.* ℣.29. ad Cæsarem,

Sortitione olim nuptiæ celebratæ.

An deus immensi venias maris, ac tua nautæ
Numina sola colant: tibi serviat ultima Thule,
Teque sibi generum Thetys EMAT *omnibus undis,*

inquit: Tribus modis apud Veteres nuptiæ fiebant; USU, si verbi gratia mulier

Nuptiæ quomodo fiebant?

anno uno cum viro, licet ſine legibus, fuiſſet: FARRE, cum per Pontificem Maximum, tum & per Dialem Flaminem per fruges & molam ſalſam conjungebantur; unde CONFARREATIO appellabatur, ex quibus nuptiis Patrimi & Matrimi appellabantur: COEMTIONE vero atque in manum conventione, cum illa in filiæ locum, maritus in patris veniebat, ut ſi quis prior fuiſſet defunctus locum hæreditatis juſtum alteri faceret. Hæc ille: cui omnino Alexander non correſpondet, inquit enim: „ Tribus modis contrahebantur nuptiæ, Uſu, Coemtione, & Confarratione: per Coemtionem uxor in viri „ familiam tranſit, quare materfamilias dicta, quæ in mariti manu & mancipio „ ſit: Uſu vero & Confarratione minime, „ quæ quidem Confarratio ſolis Pontificibus dabatur. Farratio erat far molitum cum ſale in ſacris adhibitum, unde Feſtus Pompejus ait, *mola vocatur far toſtum, & ſale ſparſum, quod eo molito hoſtiæ adſpergantur*: nam *molucrum*, teſte Cloatio in libris *ſacrorum*, eſſe ajunt lignum quoddam quadratum, ubi immolatur: Ælius, in *explicatione Carminum Saliarium*, eodem nomine appellari ait, quod ſub mola ſupponatur; diiſque *far* dicatum legimus, vel quia primum ex tritico panem conficere ex eo cœperunt; vel quia cum ſale victimas condiebant, ne putreſcerent, saniemque arcebat a ſacris. Et quia ſacras cenſebant nuptias, etiam libamina litabant ad aras. Varro lib. 2. *R.R.* apud Etruſcos in nuptiali pompa cæſum porcum diis immolatum refert; de Romanis ſcribit Plinius *lib.*18. *cap.* 3. *In ſacris nihil religioſius con farrationis vinculo erat, nov æque nuptæ f rreum præferebant*: In repudio vero ac diſſolutione matrimonii *diffarreatio* peragebatur, de qua Feſtus inquit: *Diffarr. atio genus erat ſa. rificii, quod in'er vir.m & mulierem fiebat diſſolutio: dicta diffarreatio, quia fiebat farreo libo adhib.to*: certo namque carmine verbiſque de more ſolennibus, farreum quod mulier nupta prætulit, videlicet primum ex farre ſacrum diſſolutum diſperſumque, unionem ac vinculum nuptiale ſolviſſe demonſtrabat.

Explicatur Servius.

Tres nuptiarum modi enarrantur.

Ferratio.

Molucrum.

Far diis dicatum.

Farreum in nuptiis.

Diffarratio in diſſolutione matrimonii.

DLXVI. Prima vox, & plauſu Thalaſii inſonuit, omine; cæteræque Romanorum nuptiæ hinc auſpicatæ, quod caſu eveniſſe Plutarchus in *Romulo* ſic teſtatur: „ Inter virginum raptores fuiſſe ajunt plebejorum globum, qui virginem longe „ ante alias inſignem ſpecie & ſtatura du„ cebant, quam cum quidam ex primoribus eripere conarentur, Thalaſio ferri il„ li clamitaverunt, juveni claro proboque: „ quo audito, gratulatione & plauſu eos „ collaudaſſe: fuiſſe etiam qui regreſſi co„ mitarentur favore & gratia Thalaſii, „ Thalaſio conclamantes. Inde Romanis „ in hunc uſque diem VOX NUPTIALIS FACTA, ut Hymenæus Græcis: „ nam proſpere Thalaſio ceſſiſſe hoc ma„ trimonium ajunt. An antea uſitatum hoc nomen apud Latinos ignoro; enimvero aliquod ominoſum conclamaſſe in nuptiis credibile eſt; erant namque Græcorum Coloniæ, apud quos Hymenæus erat in votis; Sextius Sylla Carthaginienſis vir doctus & feſtivus, apud eundem Plutarchum referebat, *Thalaſium pro ſigno dediſſe Romulum ad raptum*. Fortaſſe adoleſcentulo, viribus præſtanti, negotium puellarum ut perficeret, Romulum commendaſſe, ſuſpicio ſuadet, ornaſſeque illum munus ad raptum; variat Varro, & antiquitatem apud Feſtum Pompejum offert: „ Thalaſſionem in nuptiis Varro ait ſi„ gnum eſſe LANIFICII: Thalaſſionem „ enim vocabant quaſillum, qui alio modo „ appellatur calathus, vas utique lanificiis „ aptum: Atilius hiſtoriarum Scriptor „ Thalaſſium ait nomine virum, rapta „ viirgine unicæ pulchritudinis, quod ei „ d conjugium fuerit felix, boni ominis „ gratia nunc redintegrari. Nec male Ægyptiorum Sacerdotes dum hieroglyphica inſculperent, ſuper capita calathum appingebant, quandoque Nili ſymbolum, fœcunditatis videlicet divitiarumque ſignum, nec ſemel lanificii, ut in *Ægyptiorum Theologia* docemus. Hinc Romanorum Scriptores plerique & Juba tradunt: *Adhortationem fuiſſe & incitationem ad laboris ſedulitatem & lanificium quod Græci ταλασίαν dicunt: non enim tunc temporis Italicis verbis cum Græcis confuſis loquebantur*: addit Plutarchus, *ſi hoc placet, Romani Thalaſii vocabulum cum Græcis uſurpabant*. Catullus in *Nuptiis Juliæ & Manlii* cecinit:

Thalaſius fauſta vox in Romanorum nuptiis.

Quare?

Quis Thalaſius?

Vox nuptialis.

Signum in raptu Sabinarum Thalaſius.

Thalaſſio ſignum lanificii.

Calathus vas ad lanificium.

In nuptiis adhortatio ad laborem.

Da nuces pueris iners
Concubine; ſatis diu
Luſiſti nucibus; lubet
Jam ſervire Thalaſſio.

Martialis *lib.*12. *epigr.*42.

Nec tua defuerunt verba, Thalaſſe, tibi.

Ovidius lib.2. *Faſtorum* verſ. 741. ubi Lucretiam commendat,

Probatur ex Poetarum oraculis.

Inde cito paſſu petitur Lucretia, cujus
Ante torum calathi, lanaque mollis erat.

Pontanus lib.1. *de Amore conjugali*,

Tum colere antiquas artes, maternaque juſſa,
Atque agili diſcant carpere penſa manu:
In digitis acus, ante pedes intexta QUASILLI,
Viminaque & fuſo ſtamina torta levi.

Tanta Romanorum cura Thalaſii omen ad lanificium, ut icto cum Sabinis fœdere, magnopere incumberent, ut mulieres lanas tractarent, aſſeritque Plutarchus in *Romulo*: Ἐπεὶ γὰρ οἱ Σαβῖνοι πρὸς τοὺς Ῥωμαίους πολεμήσαντες διηλλάγησαν, ἐγένοντο συνθῆκαι περὶ τῶν γυναικῶν, ὅπως μηδὲν ἄλλο ἔργον τοῖς ἀνδράσιν ἢ τὰ περὶ τὴν ταλασίαν ὑπουργῶσι· παρέμεινέ γ' οὖν καὶ τοῖς αὖθις γαμοῦσι, τοὺς διδόντας, ἢ παραπέμποντας, ἢ ὅλως παρόντας, ἀναφωνεῖν τὸν Ταλάσιον μετὰ παιδιᾶς, μαρτυρομένους ὡς ἐπ' οὐδὲν ἄλλο ὑπούργημα τῆς γυναικὸς ἢ ταλασίαν εἰσαγομένης. *In fœdere, quod Sabini poſt bellum pepigerunt cum Romanis, convenit, ne aliam operam viris quam circa lanificium præſtarent uxores: qui mos ſecutis nuptiis permanſit, ut qui*

Cura Romanorum, ut mulieres lanificium agerent.

elocarent puellas, vel deducerent, vel præſentes eſſent, omnino Thalaſio acclamarent per luſum, teſtantes ad nullum aliud quam lanificium munus ſponſam adduci. Bonum factum! nam hoc commendat puellarum decus, quod viri ſapientiſſimi extollunt; ſic Plinius laudat *Theanum* Pythagoricam virginem, Brotini Crotoniatis filiam, quæ librorum lanarumque tractaret volumina; Athenæus *Neucraticam*; Homerus in *Odyſſea* & *Iliade Helenam* occinit lanificium exercentem; Mercurius apud eundem, lib. 5. *Odyſſeæ*, extollit *Calypto* Nympham Atlantis filiam, quam texentem reperit; ſicut Ulyſſes *Circen*; Neſtor *Andromacham*, & Juppiter *Penelopen*; unde Virgilius lib. 8. *Æneid.* verſ. 409. probam caſtamque mulierem deſcribit:

Mulieres præſtantiſſimæ cum colo & fuſo.

Caſtitatis argumentum lanificium & cura domus.

Cui tolerare colo vitam, tenuique Minerva,
Impoſitum cinerem, & ſopitos ſuſcitat ignes,
Noctem addens operi, famulaſque ad lumina longo
Exercet penſo, caſtum ut ſervare cubile
Conjugis, & poſſit parvos educere natos.

Salomon, ſupra ſexum, mulierem fortem effingit, quia *quæſivit lanam & linum, & operata eſt conſilium manuum ſuarum*, addit præconium immortalitate dignum, *procul, & de ultimis finibus pretium ejus*. Ac ſi tempora luxu corrupta mundum muliebrem in gemmis & ornatu oſtentarent, a prima mulierum decus ac cenſum revocat; quandoquidem Pantaleone edocente, juxta Græcorum Patrum oracula, Archangelus Michael Evam docuit tractare lanas ad operimentum natorum, ob quod Abel juſtus oves paſcebat; nunc mulieres annulis gemmiſque onuſtæ patrimonia virorum diſſipant, & dum ſe comunt, tabeſcentes in otio luxum excitant, tanta ſeculi pompa, ut ſint Dæmonum cenſus.

Eva operabatur lanas.

DLXVII. Addamus ex Plutarcho cætera nuptiarum ſacra, inquit enim: *Διαμένει δὲ μέχρι νῦν, τὸ τὴν νύμφην αὐτὴν ἀφ' ἑαυτῆς μὴ ὑπερβαίνειν τὸν οὐδὸν εἰς τὸ δωμάτιον, ἀλλ' αἰρομένην εἰσφέρεσθαι; διὰ τὸ καὶ τότε κομισθῆναι βιασθείσας μὴ εἰσελθεῖν. Servatur hinc etiam hodie, ne limen ſponſa ipſa tranſcendat in domum, ſed ſublata inferatur, quod vi tunc illatæ, non ingreſſæ eſſent*; raptum videlicet commemorant, auſpicatiſſimum nuptiarum primordium; fuitque primus tanti facinoris auctor; unde Propertius *lib. 2. el. 6.*

Raptus tandem in more.

Cur exempla petam Grajum? tu criminis auctor,
Nutritus duro Romule lacte lupæ;
Tu rapere intactas docuiſti impune Sabinas,
Per te nunc Romæ quidlibet audet amor.

Sub Romulo.

Et denuo idem Vates comparatione hac utitur *lib. 4. el. 4.*

Sin minus, ut raptæ ne ſint impune Sabinæ

Ideo Scriptores Romulum notant.

Me rape; & alterna lege repende vices.

Juvenalis Romæ auctorem ſic pungit, latronemque indicat *Sat. 8. verſ. 274.*

Majorum primus quiſquis fuit ille tuorum,
Aut paſtor fuit, aut illud, quod dicere nolo.

Nec inconſulto quis raptum Martis filio innatum diceret, ceſſit tamen fauſto omine; quandoquidem Troicus dum raperet Alexander Helenam, fatum ſibi Ilioque fecit & Orbi; idque ratum cum vellent, caput nuptæ diſcriminatum haſtæ primum cuſpide faciebant; unde Plutarchus addit, *Ἔνιοι δὲ λέγουσι καὶ τὸ τὴν κόμην τῆς γαμουμένης αἰχμῇ διακρίνεσθαι δορατίου, σύμβολον εἶναι τοῦ μετὰ μάχης καὶ πολεμικῶς τὸν πρῶτον γάμον γενέσθαι. Addunt quidam quando ſponſæ capillos haſtæ diſcriminant cuſpide, primas nuptias denotare vi & hoſtiliter contractas*. Ovidius lib. 2. *Faſtorum* verſ. 559.

Caput nuptæ diſcriminatum haſta gladiatoris.

Nec tibi, quæ cupidæ matura videbere matri,
Comat virgineas haſta recurva comas.

Feſtus Pompejus hanc *celibarem haſtam* Antiquos dixiſſe teſtatur: „Celibari haſta „caput nubentis comebatur, quæ in corpore gladiatoris ſtetiſſet abjecti occiſique: ut quemadmodum illa conjuncta „fuerit cum corpore gladiatoris, ſic ipſa „cum viro ſit: aliam rationem refert non ſcitu indignam: „Vel quia matronæ Junonis Curitis in tutela ſint, quæ ita appellabatur a ferenda haſta, quæ Lingua „Sabinorum Curis dicitur: vel quod fortes „viros genituras ominetur: vel quod nuptiali jure imperio viri ſubjicitur nubens, „quia haſta ſumma armorum & Imperii „eſt: quam ob cauſam viri fortes ea donantur, & captivi ſub eadem veneunt. Alia effert Plutarchus, quæ nuptiarum ſymbola tangunt. & præcepta opportuna ſponſæ & ſponſo: inquit enim in *Quæſtionibus Romanis*: *Διὰ τί τῶν γαμουμένων αἰχμῇ δορατίου τὴν κόμην διακρίνουσιν; Ἆρα σύμβολόν ἐστι τοῦτο τοῦ βίᾳ καὶ μετὰ πολέμου γαμηθῆναι τὰς πρώτας; Ἢ μανθάνουσιν, ἀνδράσι συνοικοῦσαι μαχίμοις καὶ πολεμικοῖς, ἄθρυπτον καὶ ἄθηλυν καὶ ἀφελῆ προσίεσθαι καλλωπισμόν; ὥσπερ ὁ Λυκοῦργος ἀπὸ πρίονος καὶ πελέκεως κελεύσας τὰ θυρώματα ταῖς οἰκίαις ποιεῖν καὶ τὰς ὀροφὰς, ἄλλῳ δὲ μὴ χρῆσθαι τὸ παράπαν ἐργαλείῳ, πᾶσαν ἐξέβαλε περιεργίαν καὶ πολυτέλειαν. Ἢ τὴν διάστασιν αἰνίττεται τὸ γινόμενον, ὡς μόνῳ σιδήρῳ τοῦ γάμου διακριθησομένου; Cur nuptarum comam diſcriminant haſtæ cuſpide? An id ſignum eſt primas vi & bello fuiſſe ductas? Aut monentur nuptæ, quia bellicoſis jungantur maritis, deberi ipſas ornatu uti ſimplici & a luxu & mollicie alieno? quemadmodum Lycurgus fores &*

Haſta celibaris

Ratio diſquiritur.

Plutarchus hæc quærit, rationeſque aſſignat.

fastigia ædium jubens ferra & fecuri, nullo alio adhibito inſtrumento, fabricari, omnem luxum ſupervacaneamque operam præcidit. Aut per ambages innu tur, ſolo ferro conjugium diſciſſum iri? Sed cur nos aliena recenſendo laboramus? Dabimus etiam ex noſtro ingenii penu etiam nonnulla erudita & nova. Haſtæ cuſpis Romanarum mulierum diſcriminabat comam, quia haſta Romuli primum florens cuſpide fixa in terra germina protulit; florentis conjugii hieroglyphicum. Præterea haſta diis olim dabatur, ut cuſtodirent Urbem; ſic mulieri, ut domui curam gereret decoriſque viri caſta ſervaret domum. Item haſta diſcriminare crines, eſt ferro ornatum capitis præferre, ut robur etiam in capillo vigeret, & virtus capitis eſſet in arce; ſanguine illa gladiatoris præſtabat occiſi, fortaſſe ut contentiones ac jurgia antequam inirent ſponſalia mulier litigioſa jugularet, utpote conjugio indigna. Sanguis in ferro parit æruginem ferrumque debilitat, & contentiones mulierum viros fortiſſimos domi militiæque enervant, ut hebetes ac fatui delirent, quod ut ſcirent, capiti haſtam apponebant ærugine infectam; haſta Martis eſt inſigne, regiumque apud Romanos ſceptrum, eamque mulier præferebat in capite, ut viri dominium agnoſceret. Crines deinde cogitationes referunt, uti Euthymius docet, ideo mulier recogitet dominum eſſe virum, illumque eximia veneratione proſequatur.

Circa hanc haſtam noſtrum commentum

Diſcordia ut procul a ſponſis.

Vir caput mulieris.

DLXVIII. Itaque Romulus ſimul uxorem duxit, non virginem, ſed matronam nomine Herſiliam, de qua Plutarchus inquit: Γυναῖκα οὐ λαβεῖν ἀλλ' ἢ μίαν Ερσιλίαν διαλλάττουσαν αὐτούς· ἅ τε δὴ μὴ μεθ' ὕβρεως, μηδ' ἀδικίας ἐλθόντας ἐπὶ τὴν ἁρπαγὴν, ἀλλὰ συμμῖξαι καὶ συναγαγεῖν εἰς ταυτὸ τὰ γένη ταῖς μεγίσαις ἀνάγκαις διανοηθέντας. *Unam tantum matronam rapuerunt Herſiliam, idque imprudentes; quippe quos non libido, non injuria ad rapiendum inſtigaviſſet, ſed ut commiſcerent conjungerentque gentem arctiſſimis vinculis.* De hac muliere varia ſcribunt Scriptores antiquiſſimi; cumprimis Plutarchus eorum oracula tradit: Τὴν δ' Ερσιλίαν οἱ μὲν Οσιλίον γῆμαι λέγουσι, ἄνδρα Ρωμαίων ἐπιφανέσατον· οἱ δὲ, αὐτὸν Ρωμύλον, καὶ γενέσθαι καὶ παῖδας αὐτῷ, μίαν μὲν θυγατέρα, Πρίμαν, τῇ τάξει τῆ γενέσεως οὕτω προσαγορευθεῖσαν· ἕνα δ' υἱὸν μόνον, ὃν Αόλλιον μὲν ἐκεῖνος, ἀπὸ τῆ γενομένης ἀθροίσεως ὑπ' αὐτῷ τῶ πολιτῶν, ὠνόμασεν, οἱ δ' ὕσερον, Αβίλλιον. Αλλὰ ταῦτα μὲν ἱσορῶν Ζηνόδοτος ὁ Τροιζήνιος πολλοὺς ἔχει τοὺς ἀντιλέγοντας. *Herſiliam nupſiſſe Hoſtilio quidam tradunt, viro inter Romanos nobiliſſimo; alii, ipſi Romulo, cui etiam liberos illam peperiſſe, filiam, Primam, ex ordine naſcendi ita nuncupatam; unicum præterea filium, quem, ab concurſu ſub ſe civium, Aollium ille vocavit, poſteri, Abillium. Hæc Trœzenius ſcribit Zenodotus, quem tamen multi refellunt.* Nihilominus Livius Herſiliam *Romuli conjugem* appellat; aitque, *precibus raptarum fatigatam Romulum oraſſe, ut parentibus raptarum daret veniam* Ideo plerique *Stimulam* ipſam vocant, & *Hortam;* Divus Auguſtinus l. 4. C. D. c. 16. offert, *deam Stimulam, quæ ad agendum ultra modum ſtimulat.* Ad quem locum eruditus Vives Scholiaſtes ſic ait; „ An hæc eſt Horta, quæ, in humanis cum eſſet, Herſilia dicta eſt, uxor Romuli, quam *ab hortando & incitando* nominatam ait Labeo; cujus ædes nunquam claudebatur, quod ſemper aliquid præclari fieri hortaretur, nec ceſſandum ſuaderet, quæ poſtea vocata eſt *Hora providentiæ dea*, quæ negligentes ſocordeſque eſſe non pateretur. Hæc ille; cujus verba eadem invenies apud Lilium Gyraldum, ut non ſcribere, ſed potius exſcribere ſeculi elapſi Scriptores ſategiſſe dicas. Meminerunt hujus deæ Ovidius, Gellius, Plutarchus, & alii.

De Herſilia uxore Romuli.

Eorum filii.

Stimula & Horta nuncupata.

Hora providentiæ dea.

DLXIX. Ælius Spartianus in *Severo* Imperatore inquit, Romulum filium non reliquiſſe, aut fortaſſe Imperio Reipublicæ inutilem; etenim occaſione ſuborta Severi exſultantis in morte, quod duos filios Regno ſuperſtites reliquiſſet, ait; „ Reputanti mihi, Diocletiane Auguſte, neminem prope magnorum virorum optimum & utilem filium reliquiſſe, ſatis claret. Denique aut ſine liberis viri interierunt, aut tales habuerunt plerique, ut melius fuerit de rebus humanis ſine poſteritate diſcedere. Et ut ordiamur a Romulo, hic nihil liberorum reliquit, nihil Numa Pompilius, quod utile poſſet eſse Reipublicæ. Quid Camillus? num ſui ſimiles filios habuit? Quid Scipio? Quid Catones, qui magni fuerunt? . . . Quid de Cæſare loquar? Quid de Tullio, cui ſoli melius fuerat liberos non habere? Quid de Auguſto, qui nec adoptivum bonum filium habuit, cum illi eligendi poteſtas fuiſset de omnibus? Ut fruges, ita & homines degenerant, & filii patrum nomina, non mores referunt: ſcite Maximus Valerius *lib. 3. cap.* 5. degenerantes appellat, *teterrimis ignaviæ ac nequitiæ ſordibus imbuta nobilia portenta;* Homerus, lib. 2. *Odyſſeæ*, *Plures fiunt deteriores, pauci vero patre meliores;* Euripides in *Electra*, Sophocles in *Tyro*, Phocylides, & alii plerique apud Stobæum *Sermone* 87. id ipſum deplorant. Scipionis magni filius magnam familiæ intulit infamiam, & inter triumphos, viliſſimi genii manceps, Antiocho ſervire non renuit: *Quid enim monſtro ſimilius, quam ſuperioris Africani filius Scipio?* inquit Valerius *l. c.* cujus vitia recenſet Appianus in *Syriacis*, & Livius *l.* 27. exclamat iterum; *Di boni! quas tenebras ex quo fulmine naſci paſſi eſtis?* Aurelius Victor in *Caligula;* „ Prudentiſſimus quiſque ſimilem fore ſuis credebat: quod longe ſecus, quaſi naturali lege, quæ crebro tanquam ex induſtria, malos e bonis, agreſtes e doctioribus, & cætera hujuſmodi ſeu contra gignit: quo demum exemplo ſapientium plures caruiſſe liberis utilius duxere. At non ſemper, nam boni optima ſobole frui ſolent: boni? utinam, nam effingunt plerique ſe ſuaque comunt ad pulchrum & bonum, revera inſtant perditis moribus, quos occulere audent. Bonus videbat ur, & affectabat, ut videretur, Severus Imperator, & legiſſe me-

An Romulus filios reliquerit?

An viri magni filios genuere bonos?

Filii ut plurimum a parentibus degenerant.

Parentes peſſimi boni ut videantur affectant.

Gaudium Severi Imp. fictum.

apud Ælium Maurum Phlegontis Tralliani Libertum memini: *Septimium Severum moderatiſſime cum moreretur lætatum, quod duos Antoninos pari Imperio Reipublicæ relinqueret*, exemplo Pii, qui Verum & Marcum Antoninos per adoptionem filios Reipublicæ reliquit: hoc melius, quod ille filios per adoptionem, hic per ſe genitos Rectores Romanæ Reipublicæ daret, Antoninum ſcilicet Baſſianum, quem ex priore matrimonio, & Getam, quem de Julia ſuſceperat. Sed quæ jucunditas? ſi bonus, ſi temperatus, ſi generoſus pater, peſſimi filii? *Sed illum multum ſpes fefellit*, inquit Spartianus, *nam unum parricidium, alterum ſui mores Reipublicæ inviderunt: ſanctumque illud nomen in nullo diu bene manſit*. Nec aliter de Romuli prole philoſophandum reſtat; Aollius in Abillium abiit: & ſicut Abſalom, cum tres filios habuiſſet, nullum profeſſus eſt filium habere, tanquam inutilem, patreque indignam omnino ſobolem: ita & Romulus, qui ſublatus Regnum extraneis reliquit, ac ſi cælebs periiſſet.

Mores Herſiliæ uxoris Romuli.

DLXX. De Herſilia Romuli uxore nonnulla referunt, quæ mulieris prudentiam indigitant; enimvero poſt raptum diſcordes Sabinos cum Romanis concordare, eximiæ generoſitatis exemplar, inſtitit ac prævaluit: unde Silius Italicus *l.13.* occinit verſ. 812.

Ejus prudentia.

—— hirſutos cum ſperneret olim
Gens vicina procos, paſtori nupta marito
Luſtravitque caſam, culmenque e ſtramine fultum
Preſſit læta torum, & ſoceros revocavit ab armis.

Romulum quam maxime dilexit, elatumque deflevit, ſive Senatorum manu trucidatum, ſive numinum vi raptum; lacrymis ita honeſtavit viri inferias, ut Juno Irim ab alto dimitteret conſolatum Reginam orbitatem ſuam deflentem: quod Ovidius l.14. *Met.* canit verſ. 829.

Virum ſuum e vivis ſublatum deflet.

Flebat ut amiſſum conjux, cum regia Juno
Irim ad Herſiliam deſcendere limite curvo
Imperat; & vacuæ ſua ſic mandata referre:
O & de Latia, o & de gente Sabina
PRAECIPUUM MATRONA DECUS, DIGNISSIMA TANTI
Ante fuiſſe viri conjux, nunc eſſe Quirini:
Siſte tuos fletus, & ſi tibi cura videndi
Conjugis eſt, duce me Lucum pete, Colle Quirino,
Qui viret, & templum Romani Regis obumbrat.

A Junone ſolatium habet.

Matronarum decus.

Pontanus pendit illud *digniſſima*, & ait *digniſſima, qua forma, qua prudentia, qua probitate, qua verecundia, qua gravitate & moribus*. Sed illam quis Philoſtratus in imagine depromſit? vere ſcribimus falſa, & inter fabulas perſonatus agit calamus ludicra. Deſiderio prout flagrabat, viri imaginem ardentius audet & videt; facinus deſcribit Ovidius ac deprecantem præſtat *ibid.* verſ. 840.

Viſione divina Romulum defunctum videt & amplectitur.

Illa verecundo vix tollens lumina vultu,
O dea (namque mihi, nec quæ ſis dicere promtum eſt,
Et liquet eſſe deam) duc, o duc, inquit; & offer
Conjugis ora mei: quem ſi modo poſſe videre
Fata ſemel dederint, cælum adſpexiſſe fatebor.
Nec mora; Romuleos cum virgine Thaumantea
Ingreditur colles: ibi ſidus ab æthere lapſum
Decidit in terras: a cujus lumine flagrans
Herſiliæ crinis cum ſidere ceſſit in auras:
Hanc manibus notis Romanæ conditor Urbis
Excipit: & priſcum pariter cum corpore nomen
Mutat: ORAMQUE *vocat, quæ nunc dea juncta Quirino eſt.*

Herſiliæ nomen in Oram mutatur.

Meminit deæ Ennius lib. 1. *Annalium*. *Teque Quirine pater venerans, Oramque Quirini.* Scholiaſtes addit, *Romani eam in comprecationibus cum Neriene Martis uxore invocare conſueverunt*; viſionem proinde adſtruit ſuper aſtra, in quibus eam obviis excepit ulnis, ubi corpus ademptum * eſt immortalitatem, & nomen ejus mutatum inter numina recolitur.

A Romanis invocatur una cum Martis uxore.

CAP. XLVII.

T. Tatius Sabinorum Rex arma adverſus Romulum movet. Obiter de Monte Cœlio, de Machinis & Bombarda.

DLXXI. Gens Sabina olim fortiſſima e Lacedæmonum ſtirpe poſt ſecula florens, inter Latinos robore omnique militari ſolertia præſtabat: unde Livius *diſciplinam tetricam triſtemque veterum Sabinorum* commendat, addit elogium Plutarchus in *Romulo*: *Οἱ δὲ Σαβῖνοι πολλοὶ μὲν ἦσαν καὶ πολεμικοί, κώμας δὲ ᾤκουν ἀτειχίστους, ὡς προσῆκον αὐτοῖ μέγα φρονεῖν καὶ μὴ φοβεῖσθαι, Λακεδαιμονίων ἀποίκοις οὖσι. Sabinorum magna gens quidem & bello bona erat, ſed vicatim habitabant ſine mœnibus, nam cum Coloni eſſent Lacedæmoniorum merito* INGENTES ANIMOS ET INTREPIDOS *gerebant*: aſſeritque Claudianus *de 4. Conſ. Honorii* verſ. 507.

Gens Sabina e Lacedæmonum prole.

Commendatur.

—— ſic armipotens Lacedæmon
Deſpexit muros rigido munita Lycurgo.

Et *de Mallii Theodori Conſulatu* iterum occinit verſ. 155.

Vicatim habitabat ſine mœnibus juxta Spartanorum morem.

Civibus & vetitis ignavo credere muro
Tutius objecit nudam Lacedæmona bellis.

Rationem reddit Tzetzes Græcus Poeta:

Olim quidem Spartiatæ & genera Laconum
Optime ratiocinati ſapienti cogitatione,
Quod viri cuſtodes murorum, non virorum muri
Armis, atque corporibus pugnis, turres fabricabant,
Mœnia autem urbium ſæpe deſpiciebant,
Ne forte videntes in ipſis quietem haberent armorum.

Cauſa deſcribitur.

* Leg. *adeptum*.

Non enim gens robustissima spem ponebat in mœnibus, sed pectora habebat omni murorum repagulo validiora, quibus hostium incursus repelleret, urbemque tueri posset; hujusmodi instituti meminere Epictetus apud Stobæum, & Plutarchus in *Lycurgo*: attamen lib. 1. *Politic.* Aristoteles urbes muro muniendas docuit, probatque rationibus, quæ Romuli sapientissimi Regis animum affecere, ut Romam mœnibus circumduceret, & sectis ad mensuram lapidibus Tarquinius Priscus, proindeque Servius Tullius Rex sextus tutissimam ab hostium incursu fecerunt, ut Livius & Dionysius adsertum volunt; quod mirum in re bellica præstabat religio, & inter arma sacrorum census eminebat; præstat hæc Plinius *lib. 3. cap. 12. Sabini, ut quidam existimavere, a religione & deorum cultu Sevini appellati, Velinos accolunt Lacus.*

Urbes mœnibus sunt [illegible]

DLXXII. Igitur post triumphum Romuli, & Jovis Feretrii templum, Sabini (qui cunctando raptum dissimulaverant, ob antiquissimas fortasse a Lycurgo leges acceptas, ut raptu videlicet uxores quærerent prævalidas fortesque, sicut in illo Plutarchus scribit) superbia fastuque Romanorum offensi, arma undique parant, & ex inopinato bellum adornant; de quo Livius ait: *Novissimum ab Sabinis bellum ortum, multoque id maximum fuit; nihil enim per iram, aut cupiditatem actum est: nec ostenderunt bellum prius quam intulerunt: consilio etiam additus dolus*. In paucis multa recenset, eaque optima animadversione digna. Ira Cæninenses & Antemnates perdidit, simulque prædæ cupiditas: nec aliter cecidit Cyrus Regum fortasse præstantissimus: bellum ferendum puto pro patria & religione: commoda, ut miles, aut fiscus ditior evaderet, non sunt civium cruore comparanda, neque jus gladii gentium jura resolvit, nisi Tyrannus fastigium injuste quærens aggreditur illud per enormissimum scelus. Affectabat Romulus superbe Latii principatum, ut Roma Urbs princeps evaderet, ideo pro sua incolumitate Gens Sabinorum armata stetit; nec recte Aurelius Victor in *Romulo* scripsit, *Sabini etiam ob raptas bellum adversus Romanos sumserunt*. Similiter nec Eutropius *victos Sabinos* jure recenset, quandoquidem pacto fœdere victores Sabini stetere.

Sabini superbia Romanorum offensi arma parant.

Bellum pro patria & religione.

Romulus principatum affectabat Italiæ.

DLXXIII. Causam igitur belli enarrat Dionysius Halicarnasseus lib. 2. *Antiq.* ubi antiquitatem urbium prodit: „Erant „Cænina & Antemna urbes a Græcis „oriundæ, non ignobiles; eas enim Siculis ademtas tenebant Aborigines, Oenotrorum pars profectorum ex Arcadia: „post hoc autem bellum Coloniæ Romanæ factæ sunt. His confectis Romulus „contra Crustuminos paratiores hostes „educit exercitum: eos acie victos, expugnatisque mœnibus, quamvis repugnassent fortiter, nihilo tractavit durius: „sed hanc quoque urbem, sicut priores, „Romanorum fecit Coloniam, erat Crustumium ab Albanis multis seculis ante „quam Roma conditum. Volitante per „urbes fama de bellica Romuli fortitudine ac erga victos clementia, & multi viri fortes cum valida manu domesticorum „commigrarunt ad Regem, (a quorum „uno, Cælio nomine, MONS quidam intra Urbem CÆLIUS hodieque dicitur) „& civitates integræ committebant se „ejus fidei, exemplo a Medullinis orto, „Romaque Colonias assumserunt. Hos „successus ægre ferebant Sabini, rejicientes culpam alius in alium; quod Imperii „Romani non obstitissent principiis, jamque cum egregiis viribus aucto habituri „essent negotium: quapropter visum est „priorem negligentiam valido exercitu „immisso corrigere. Miles expugnat, vincit hostes, pietas devictos retinet & conservat, imo amicos ex hoste facit, fama virtutum monumenta exaltat; & refert undique egregia Heroum facinora. Exempla suadent; nec Princeps crescit pugnando, si fides deficit; committunt se suaque viri Duci, cui laus a sacramento oritur fidei. En Roma fide aucta; Collis nomen a Cælio habet, habet & incolas, & ubi olim boves deinde cives inhabitant, & Urbs crescit novo accolarum lare, hominum divitiarumque censu conspicua.

Causa belli.

Cænina & Antemna urbes antiquæ.

Romulus victor.

Urbem auget.

Laus virtutum, præcipue fidei regiæ.

DLXXIV. Sunt qui Cælium in auxilium accessisse adversus Sabinorum Regem a Romulo vocatum, testantur; negant alii, & hunc Etruscum sub Tarquinio recensent, nomen Monti dedisse; historiam hanc refert Tacitus lib. 4. *Annalium* cap 65. „Haud fuerit absurdum tradere Montem Cælium antiquitus Querquetulanum cognomento fuisse, quod „talis sylvæ frequens fœcundusque erat: „mox Cælium appellitatum a Cæle Vibenna, qui Dux gentis Etruscæ cum „auxilium appellatum ductavisset, sedem „eam acceperat a Tarquinio Prisco, seu „quis alius Regum dedit: nam Scriptores „in eo dissentiunt. Recte Cornelius dissensum profert, ut veritas historica eruatur ab illis; hanc & nos inquirimus præcipue ex Varronis oraculo lib. 4. *L. L. In Suburranæ Regionis parte princeps est Cælius Mons a Cælio Vibenno Tusco Duce nobili, qui cum sua manu dicitur Romulo venisse auxilio contra Sabinum Regem*. Tacito consentit Claudius, qui olim *Mastarna* Colli nomen afferuit: Sextus Pompejus, *Cælius Mons dictus a Cæle quodam ex Etruria, qui Romulo auxilium adversus Sabinos præbuit*. Tandem *Augustum* a Tiberio dictum præstat Tacitus, rationem fortuito addit ab incendio provenisse: „Ignis violentia Urbem ultra solitum adfuit, deusto Monte „Cælio, &c. Adduntur sententiæ; ut „Mons Cælius in posterum Augustus appellaretur, quando cunctis circumflagrantibus sola Tyberii effigies sita in domo Junii Senatoris inviolata mansisset. Prodigium hoc dixere: etenim Principes lues domestica non tangit, ardeant fora, domus, flammæ ærumnarum & paupertatis undique crescant, sola Regia in auro fortunata ridet. Referunt evenisse id olim Claudiæ Quinctiæ, ejusque statuam vim ignium bis elapsam, Majores apud ædem Matris deum consecravisse: sanctos acceptosque numinibus Claudios, & augendam cæremoniam loco, in quo tantum in Principem honorem dii ostenderint; tempus perhibet Valerius Maximus *lib. 1. cap. 8.* „Possunt & illi miraculorum loco poni;

De Cælio quæritur.

Cælii montis nomen & origo.

A Cælio, qui Romulo adversus Sabinos auxilio venerat, dictus.

Mons Cælius olim Mastarna, & Augustus.

Incendio conflagrat.

„ quod Q. Claudiæ ſtatua in veſtibulo „ templi Matris deum poſita, bis ea æde „ incendio conſumta, prius P. Naſica Scipione & L. Beſtia, item M. Servilio & „ L. Lamia Coſſ. in ſua baſi flammis intacta ſtetit. Accidit ſimile, & Romuli lituus non conflagravit, nec Palladium in æde Veſtæ.

Simile prodigium.

DLXXV. Cælium, ut notat Panvinius, munitum legimus a Romulo; Pomerio vero a Tullo Rege, aſſerentibus Dionyſio & Livio, incluſum fuiſſe: ſive ab Anco, ut Strabo, vel a Tarquinio, Tacito auctore, compertum eſt. Libertatis vindices ſuſpectam munitionem habebant, vel quia viri fortiſſimi locum tenebant, eorumque ædes velut caſtra præſtabant, vel quia locus munitiſſimus tanquam in arce audentes ſtipabat: unde Varro *l. c.* inquit: „ Hi poſt Cælii obitum, „ quod nimis munita loca tenerent, neque ſine ſuſpicione eſſent, deducti dicuntur in planum: ab eis dictus Vicus „ Tuſcus, & ideo ibi Vortumnum ſtare, „ quod is deus Etruriæ principes de Cælianeis, qui a ſuſpicione liberi erant, „ traductos volunt * in eum locum, qui „ vocatur Cæliolus. Duplex ideo Cælius, major, & minor, ut ad Juvenalem *lib.* 12. *epigr.* 18. ludit Martialis,

Cælium montem a Romulo munitum legimus.

Cæliolus.

Dum per limina te potentiorum,
Sudatrix toga ventilat, vagumque
Major Cælius, & Minor fatigant.

In eo ædes Tulli Hoſtilii Regis, teſte Livio, Curia Hoſtilia, ubi poſtea templum Pacis fuit, inquit Marlianus. Alteram vero Curiam ille Rex excitavit, nunc divi Joannis & Pauli templum. Manſiones autem Albanæ, quantum ex Sexti Rufi verbis conjicere poſſumus, fuere ubi nunc D. Mariæ *in Dominica* eſt ædes. In proximo eſt templum circulari forma, multis per ambitum columnis adornatum, divo Stephano nunc ſacrum, olim vero Fauno, ut ex titulo quodam ibi reperto omnes conſentiunt; Caſtra Peregrina ab Auguſto in ea Cælii parte, in qua Sanctorum Quatuor Coronatorum eſt ædes, quæque Carinas ſpectat, conſtituta fuiſſe, plerique omnes affirmant: domum vero Lateranorum, ubi nunc Baſilica D. Joannis, cognomento Lateranenſis. Palatium Fl. Conſtantini inter Portam Næviam & ædem nunc Sanctæ Crucis in Hier. olim Veneris & Cupidinis; in proximo loco extant Statilii Tauri Amphitheatri reliquiæ, quod Statilius poſuit, Auguſto cives Romanos hortante, ut pro viribus quiſque conaretur Urbem exornare; plura apud Marlianum, Fulvium, & Panvinium, quos vide.

Loca templaque M. Cælii.

Baſilica Lateranenſis.

DLXXVI. Itaque urgente Sabinorum bello Romulus auxilia miſſis Oratoribus comparabat, cumprimis ab Etruria, a qua Cælius vir eximiæ fortitudinis exiit, tulitque ſuppetias: etenim non ſolum Sabinorum juvenes irruerunt ad arma, ſed patres, ut canit Ovidius lib. 14. *Metamorph.* verſ. 775.

Romulus auxilia undique ſibi comparat.

Mœnia conduntur: Tatius patreſque Sabini
Bella gerunt.

* Leg. videtur, *voluit*.

A Et recte Livius conſilio doloque pugnaſſe ſcripſit; etenim ut occluſam ſuſpicionem gererent, Legatos primum miſerunt, qui puellas peterent, quo tempore matres jam ſua prole præſtabant; refert hæc Plutarchus: Ἀλλ᾽ ὁρῶντες αὐτὰς ἐνδεδεμένας μεγάλοις ὁμηρεύμασι, καὶ δεδιότες περὶ τῶν θυγατέρων, Πρέσβεις ἀπέστειλαν, ἐπιεικῆ καὶ μέτρια προκαλούμενοι τὸν Ῥωμύλον, ἀποδιδόντα τὰς κόρας αὐτοῖς καὶ λύσαντα τὸ τῆς βίας ἔργον, εἶτα πειθοῖ καὶ νόμῳ πράττειν τοῖς γένεσι φιλίαν καὶ οἰκειότητα. Τοῦ δὲ Ῥωμύλου τὰς μὲν κόρας μὴ προϊεμένου, παρακαλοῦντος δὲ B τὴν κοινωνίαν δέχεσθαι τοὺς Σαβίνους, &c. *Quia magnis ſe pignoribus cernebant adſtrictos, timentes filiabus, Legatos miſerunt ad Romulum cum æquis ac moderatis poſtulatis, redderet ſibi puellas, & vim illatam reſolveret, tunc cum bona gratia & lege amicitiam & affinitatem inter utramque gentem contraheret. Verum cum non remitteret Romulus puellas, peteret autem a Sabinis hanc neceſſitudinem comprobarent*, &c. Illi nec arma, nec fœdus cum vicinis inierunt, ſed tandem aucta trophæis Romanorum manu adornant prælium, & ſub T. Tatio C Rege ſigna depromunt: Ἐπὶ τούτοις βαρέως φέροντες οἱ λοιποὶ Σαβῖνοι, Τάτιον ἀποδείξαντες στρατηγὸν, ἐπὶ τὴν Ῥώμην ἐστράτευσαν. *Moleſta hæc cæteris erant Sabinis*, inquit idem Plutarchus, *itaque Imperatore creato Tatio infeſtum agmen Romam moverunt*; conventum antea indixiſſe ſcribit Dionyſius, in quo decernere tanti moliminis prælium operæ fuit pretium: Ἀγορὰν ποιησάμενοι σύμπαντες ἐν τῇ μεγίστῃ τε πόλει καὶ πλεῖστον ἀξίωμα ἐχούσῃ τοῦ ἔθνους, ἣ Κυρὶς ὀνομάζεται, ψῆφον ὑπὲρ τοῦ πολέμου διήD νεγκαν, ἀποδείξαντες ἡγεμόνα τῆς στρατιᾶς Τίτον, ὃς ἐπεκαλεῖτο Τάτιος. Σαβῖνοι μὲν δὴ ταῦτα βουλευσάμενοι, καὶ διαλυθέντες κατὰ τὰς πόλεις, τὰ πρὸς πόλεμον ηὐτρεπίζοντο, ὡς εἰς νέωτα ἐπὶ τὴν Ῥώμην χειρὶ πολλῇ ἐλάσοντες. *Indicto Cures (id gentis caput erat) concilio, communi ſuffragio bellum decernunt, ductu & auſpicio Regis T. Tatii. Atque ita Sabini ſoluto conventu ſuam quiſque domum reverſi, oppidatim bellum parabant, Vere ineunte magnis copiis Romam petituri.*

Sabini bellum gerunt cum dolo & conſilio.

Legatos mittunt.

Tatius Imperator creatur.

DLXXVII. Præſenſit hæc Romulus, E & optimi Principis imaginem præferens, per exploratores cuncta deprehendit; quod in Cyro laudat Xenophon, & in Auguſto Dio Pruſæus; ideo ſibi patriæque ut conſuleret: Ἀντιπαρεσκευάζετο τὰ κράτιστα, ὡς ἀμυνούμενος ἄνδρας τὰ πολέμια ἀλκίμους, τοῦ μὲν Παλατίου τεῖχος, ὡς ἀσφαλέστερον εἶναι τοῖς ἔνδον, ὑψηλοτέροις ἐρύμασιν ἐγείρων. *Contra hoſtem bellicoſum quam diligentiſſime ſe præmuniens*, inquit Dionyſius, *Palatinos muros altiores faciens providebat tutelæ civium*. Hinc Ariſtoteles lib. 7. *Politicorum* cap. 2. Lacedæmonum morem reprobat, ac Lycurgi legislatoris F legem de non condendis mœnibus in urbe: & ſapienter edixiſſe puto Romuli exemplo, qui altiores fecit muros Romæ, ut impetum Tatii Regis tutius infringeret; inquit enim Peripateticorum Princeps *ibid.* cap. 11. „ Mœnia qui dicunt „ non oportere adeſſe civitatibus illis, „ quæ virtutem poſſideant, nimium ru„ diter & priſce loquuntur: & hoc vi-

Romulus muros altiores fecit.

De mœnibus urbium.

„ dent per experientiam reprobatum in „ iis civitatibus, quæ sibi id ad gloriam „ jactabant: est enim ad pares & non „ multo excedentes multitudine, non „ satis decorum per mœnia servari vel- „ le; sed cum aliquando contingat, & „ fieri possit, ut multo major hominum „ multitudo & majori virtute superve- „ niant, si salvos esse oportet, neque „ perire, neque contumeliis affici, fir- „ missimam munitionem murorum pu- „ tandum est, opportunissimam esse in „ bello: præsertim hoc tempore, in quo „ tormenta & machinæ ad obsidiones ur- „ bium cum omni subtilitate sunt adin- „ venta. Bello ut primum sub Belo excito, Niniven præcinctam mœnibus vetus disciplina edidit; Trojæ decennale prælium traxerunt mœnia, numinum constructa manu, neque periisset, nisi ruptis ob fraudem mœnibus, ingressum offerrent hostibus; Constantinopolis jam urgente Ruffino corruisset, si non murorum præsidia tutum Imperatorem Imperiumque fecissent: Claudianus lib. 2. *adv. Ruffinum* vers. 54.

Qui machinas præferunt & domos demoliuntur.

Urbs etiam, magnæ quæ dicitur æmula Romæ,
Et Chalcedonias contra despectat arenas,
Jam non finitimo Martis terrore movetur;
Sed propius lucere faces, & rauca sonare
Cornua, vibratisque peti fastigia telis
Adspicit: hi vigili MUROS *statione tueri,*
Hi junctis properant portus munire carinis.

Probatur exemplis.

Quid Roma vetus sub Alarico? quoties exercituum tentato robore Antiochia restitit? murus & antemurale sunt velut pectoris robur, quæ præcordia cingunt & muniunt; neque diris furentibus cecidisset tandem Hierosolyma, si frumentum & copiæ ut mœnia præstarent; caveas animalia præmuniunt, solo naturæ instinctu monita: & alcyones in littoribus tempestates, quantumvis undarum furentes æstu, eludunt, dum nidum præcingunt & tuentur: corruit Sparta usque ad internecionem, vetus despectrix murorum: Athenæ tentatæ, non dirutæ, tanto molimini incolumitatem referunt; caput, in quo præsidet anima, viget, munimine ossium, ut discant, qui altum non sapiunt, mœnia securitatem præstare.

Etiam animalium.

DLXXVIII. Non tantum Urbem, sed loca circa Urbem munitissima Romulus edidit: Τόν τε Αὐεντῖνον καὶ τὸ Καπιτωλῖνον ἀποταφρεύων καὶ χαρακώμασι καρτεροῖς περιλαμβάνων, ἐν οἷς τὰ ποίμνια καὶ τοὺς γεωργοὺς αὐλίζεσθαι τὰς νύκτας ἐπέταξεν, ἐχεγγύῳ φρουρᾷ καταλαμβάνων ἑκάτερον, καὶ εἴ τι ἄλλο χωρίον, &c. *Aventinum quoque & Capitolium*, inquit Dionysius, *fossa & vallo firmo complexus, nocturnum pastoribus & agricolis receptaculum, utrique imposito valido præsidio; quod tum aliis quoque locis opportunis factum est*. Alpium tutela servabat Romam, & præsidium Thraciæ ac Hellesponti inter angustias, Constantinopolim ab incursu tuebatur: hinc Aristoteles *loca ardua* circa urbem commendat, ne facilis sit invasio; addit similitudinem: „ Simile est, civitatem non circum- „ dandam mœnibus censere, & regionem „ facile ad invadendum quærere, & deji- „ cere montuosa loca, & privatis domi- „ bus non circumdare parietes; quasi si „ viles futuri sint habitatores. Igitur non solum muri urbis, sed ardua quæque circa urbem loca munienda sunt, fossa & vallo firmanda, ut Onosander in *Strategico* c. 8. monet, *διὰ τὰς ἀφνιδίους καὶ ἀπροσδοκήτους ἐπιβουλάς, ut sint tuta adversus repentinas & improvisas irruptiones*. Cæsar castris in Helvetios positis, ut legitur lib. 1. *Comment. murum in altitudinem pedum sexdecim fossamque perduxit, eo opere perfecto, præsidia disposuit, castella communivit*; modum docet Vegetius, molemque perducendi artem Polybius *lib*. 17.

Capitolium & Aventinum fossis valloque Romulus munitos reddit.

Prudenter munitiones perficit.

DLXXIX. Post hæc auxilia undique sibi Romulus comparabat, ut fortior evaderet adversus hostem, qui finitimos confœderatos educebat: præter Cælium, de quo diximus ex Festo, *Lucumonem* ab eadem Etruria sibi fœdere devinxit, asseritque Dionysius Halicarnasseus: Ἧκε δὲ αὐτῷ Τυρρηνῶν ἐπικουρίαν ἱκανὴν ἄγων ἐκ Σολωνίου πόλεως ἀνὴρ δραστήριος, καὶ τὰ πολέμια ἔργα διαφανής, Λοκόμων ὄνομα, φίλος οὐ πρὸ πολλοῦ γεγονώς· καὶ παρὰ Ἀλβανῶν ἄνδρες, οὓς ὁ πάππος ἔπεμψεν αὐτῷ, συχνοί, στρατιῶταί τε, καὶ ὑπηρέται, καὶ τεχνῖται πολεμικῶν ἔργων. *Auxilium etiam validum adduxit e Solonio Etrusca urbe Lucumo, vir strenuus, & bello clarus, nuper receptus in amicitiam: & ab Albanis avi jussu venerunt multi, tam milites, quam operarii, machinarumque bellicarum opifices*. Dum cor nimio laborat æstu, interna externaque reposcit auxilia, ut vivat; sic Princeps hostium perculsus incursu ab exteris petit copias, ut tutior bella gerat: firmatis namque fœderibus amicitiæ audet animus, nec prælia recusat; occinitque Virgilius lib. 2. *Æneidos* vers. 315.

Auxilia comparat adversus hostes.

Lucumonem invitat Etruscum.

A confœderatis copias obtinet.

Sed glomerare manum bello, & concurrere in Arcem
Cum sociis ardent animi: furor iraque mentem
Præcipitant.

De Ruffino, qui in Oriente tyrannidem affectabat, canit *lib*. 1. vers. 308. Claudianus, copias ab extremis confœderatorum finibus adornasse:

Jam gentes Istrumque movet, Scythiamque receptat
Auxilio, traditque suas hostilibus armis
Relliquias: mistis descendit Sarmata Dacis,
Et qui cornipedes in pocula vulnerat audax
*Massagetes, patriamque * bibens Mæotin Alanus,*
Membraque qui ferro gaudet pinxisse Gelonus,
Ruffino collecta manus.

Hinc fida Religio, amicis opem ferre; perstititque Roma recens usque ad orbis

* Alii, *cæsam*.

Im-

Sociorum defensio commendatur.

Imperium, & asserit Tullius lib. 3. *de Republica*, *noster populus*, *Sociis defendendis*, *terrarum jam omnium potitus est*: recensetque in *Commentariis* Cæsar, & Dio pluribus enarrat; noverat enimvero robur externum adversus Tatium profuisse ne corrueret, nec ignara malis, didicit miseris succurrere.

Operarii & machinarum opifices.

DLXXX. Numitor ab Alba operarios & machinarum opifices misit in auxilium: sunt namque operarii reparatores vallorum, hostium exterminium, ut Vegetius scribit. Et proinde Servius Rex in duas Centurias operarios, juniores, senioresque, distribuit; de quibus meminit Livius, ac Dionysius; faciunt ad robur belli, victoriæque emolumenta addunt; enimvero inquit Onosander *cap.* 42. Τῆς γὰρ τ̃ πολεμ8ντων τύχης, καὶ πλ8τ8, καὶ δυνάμεως ἴδια ταῦτα, καὶ τοῖς τ̃ ἑπομένων ἀρχιτεκτονιῶν ἐπινοίας εἰς τὰς ὀργανικὰς κατασκευάς. *Pro variis bellorum casibus, proque opibus, & facultatibus, atque ad fabrorum mechanicorum industriam solertiamque pertinent.* Easque Barbaros ignorasse Tacitus lib. 12. *Annal.* profitetur, Romanosque, machinarum peritos, illorum Regiones subjecisse; Plutarchus in *Marcello* ab Eudoxo & Archimede, Geometriæ peritissimis, machinamenta olim adinvenisse scribit. Sed Romulus, qui operarios machinarum vocavit, arietes, testudinesque fabricasse puto: sunt namque plerique, qui nomine machinæ apud Veteres BOMBARDAM putent, ex eo Claudiani *in Ruffinum* lib. 1. vers. 219.

An apud Romanos & Græcos olim cognita Bombarda? Dissertatio de machinis Antiquorum.

Non ventus quateret puppes, non machina muros.

Addit Brodæus in *Miscellaneis* lib. 2. c. 26. *Quidam bombardam exponunt, eamque cum Roberto Valturio lib.* de Re Militari 10. *ab Archimede inventam putant; quod* * *vel fatuum magis excogitari potest.* Magius ante Valturium Petrarcham testatum id reliquisse scribit lib. 1. *Miscell.* firmatque ex Plutarchi verbis in *Marcello*, ubi ait, λίθοι ὑπέρογκα μεγέθη ῥοίζῳ καὶ τάχει καταφερομένων ἀπίσῳ, *ingentis magnitudinis saxa cum fragore incredibili ac celeritate in Romanos ejaculasse*. Sed fragor non solum a bombarda, sed catapultis, & scorpionibus, cæterisque machinis, quæ saxa ingentia mittunt; Vegetius lib. 4. *de Re Militari* scribit, *balistis non solum lapides, sed & jacula mitti*; Cæsar lib. 1. *de Bello Civili*, *catapultis saxa jaci*; Ammianus Marcellinus, *catapultis lapides mitti*. Mittuntur vero cum fragore & impetu: cæterum Salmoneus, de quo Virgilius lib. 6. *Æneidos* occinit, *lampada quassans* describitur, & *non imitabile fulmen*: quod tormentum æneum imitari profitentur; ex pluribus machinis unam exhibeo in navi, quam Hiero ad Ptolemæum misit satis portentosam, & in mari miraculum, ex fide Athenæi, lib. 5. *Deipnosoph.* cap. 11. „Super „navis foris murus cum propugnaculis „exstructus fuit, & in eo jaciendis saxis „collocata machina, fabricata ab Archi- „mede, lignis in tria veluti crura divisis „suffulta, quæ saxum trecentarum libra- „rum pondo ac sagittam cubitorum duo- „decim vibraret, & utrumque id telum „ad stadii longitudinem, per foramina „in crassis trabibus exsculpta, æneis ca- „tenis suspensa: ibique etiam Phileas Tauromenites *machinarius* nuncupatur. Erant præterea machinæ in circumvallatione castrorum ad tutelam, ut Cæsar lib. 7. *Comm.* tradit, & vallum iisdemque munitum præstare curabant, juxta Græcorum disciplinam, quam secuti Carthaginenses auxerunt; & Romani antiquiores in more, Albanorum ac Romuli secuti vestigia, præ cunctis peritissimi, in eaque parte militiæ *maxime gnari* a Tacito dicuntur.

Machina Archimedis portentosa.

Studium antiquorum Romanorum circa machinas militare.

DLXXXI. Excubias vigiliasque adamussim in locis munitissimis Romulus curavit, ut Lucumo perageret: hinc MONS ESQUILINUS ab Excubiis apud Varronem libro quarto *L. L.* dicitur: *Secundæ Regionis Esquiliæ ab Esquileii: Alii has scripserunt ab Excubiis dictas: Alii ab eo quod excultæ a Rege Tullio essent*. Sed cum primis concinit Ovidius lib. 3. *Fastorum* vers. 245.

Mons Exquilinus ab excubiis dictus.

Adde, quod excubias, ubi Rex Romanus agebat,
Qui nunc Esquilius nomina Collis habet.

Vetus Scholiastes ad Romulum hæc refert, sed an post fœdus cum Tatio Rege, sunt qui rationabiliter ambigant: inquit enim Cato, quem refert Marlianus, & ex eo Panvinius, recentioresque: „Esquilias „dictas ab excubiis, quas Romulo Lucu- „mo dedit duodecim lictorum & CCC. ar- „matorum ad corporis custodiam simulq; „dignitatem, cum T. Tatius infidæ so- „cietatis non sine suspicione esse videre- „tur. Sensum puto eruendum hunc esse: Lucumo cum jussu Romuli Montem teneret excubiis, proinde peracto fœdere, ne infida Tatii societas Regem Romanum perderet, ipsemet Lucumo stipatores addidit, ut securitate perstaret. In Argeorum sacris, ut olim, Mons appellatur *Oppius*; ejusque una pars penes Varronem *Cispius*; biceps namque erat: Dionysius Halicarnasseus in *Quirinali* castra duxisse Lucumonem perhibet, in *Esquilino* Romulum: utcunque fuit, præstantem Ducem Romulum cuncta prævidisse, Urbisque novæ munimento adfuisse testamur, tanta solertia, ut recens adhuc gens & imbellis restitisse veteranis militibus, maximum gloriæ monimentum dicatur.

Excubitorum tempus exquiritur.

Nomina Montis Exquilini in sacris.

CAP. XLVIII.

Tatius Sabinorum Rex Urbem aggreditur; prodente Arcem muliere, Tarpejum occupat: historia plurimis disquiritur, simulque Capitoli nomen.

Stratagema militare commendatur.

DLXXXII. STratagemata militari a genio ut primum deprompta simul cum astu vigent, ut tentata

* Rep *quo nil.*

hostium fide, arces urbesque aggressi Duces triumphent. Frontinus illa commendat, & Polyænus Macedo ad Antoninum & Verum Imperatores scribens ait: „ Fortitudo enim est, si quis robore pugnantes hostes devincit: consilium vero extra „ prælium arte atque dolo victoriam adipisci: prima enim est egregiorum Ducum sapientia victoriam sine periculo „ comparare: optimum vero est etiam in „ ipsa acie quiddam machinari, ut consilio præveniente finem prælii victoria paretur. Addit Vegetius laudem, probatque Cæsar in *Commentariis* dolum, quo usi sunt Duces in prælio; etsi Plutarcho auctore, in *Homero*, militaris disciplina, tanti Vatis testimonio extollitur. Primus inter Græcos fallaciis ac dolo usus esse dicitur *Sisyphus Æoli filius*: secundus vero decipiendi studium secutus est *Autolycus Mercurii filius*; eorumque gesta recenset Homerus: addit Polyænus, Proteum in omne genus animalium atque arborum mutari solitum, opinor in animalia atque arbores nunquam evasisse, sed ejus fallaciarum commutationes in fabulam redegit Homerus, quod dolis potuerit superare quemcunque vellet: similiter de Ulysse, transfugisse ad hostes finxit: Equus, quem Epeus fabricatus est cum Pallade, fuit Ulyssis stratagema. Recte etiam *nemo*, *& vinum*, *torrisque & aries*, stratagemata possunt appellari contra Cyclopem adhibita: Palamedem Ulysses in judicio Græcorum vicit, subjecto in ejus tabernaculum auro barbarico, & sapientissimus ille Græcorum proditionis damnatus est per dolum ac stratagema: Bacchus Orgiam in castra detulit, Indosque vino consopitos vicit: subactis Indis, Amazonas & Bacchas adversus Bactrios præmisit, exercitum vero ad Saragen fluvium occultavit; cum Bactrii, contemtis mulieribus, pedes deferrent, adorti cervices dedere: Bacchi Dux fuit Pan; is primum invenit aciem, & phalangem, cornu dextrum ac sinistrum nominavit, qua de causa cornua ferentem fingunt Pana: hic noctu exercitui signum dedit, ut inconditum clamorem barritumque ederent, e regione montis concavi, tanto fremitu, ut hostes perterriti in fugam præcipites se conjecerint pene exanimes. Cum igitur hoc stratagema usurpasset, Echo gratam & amicam Pani, atque vanos nocturnosque terrores exercituum *Panicos* appellaverunt. Hercules bellum adversus Miynas gerens, qui ad equestres pugnas in planitie obeundas exercitatissimi erant, manus non ausus est conferere, sed fluvium Cephisum emisit, obstructaque voragine campum submersit, & equites bello inutiles trucidavit. Sic pugnant Duces, sic triumphant, dum Martem agunt & stratagema, fit iter ad triumphum.

DLXXXIII. Hac arte imbutus Tatius Sabinorum Rex exercitum adversus Romulum comparavit, nec signa contulit, sed Arcem astu conquisivit, ut vinceret: iter obsitum erat excubiis valloque munitum, montium cacumina miles tenebat, valles tuebantur fossæ, ita ut aditus undique occlusus hostem excluderet; utrumque vero exercitum offert Dionysius lib. 2. *Antiquit.* „ Sabini eduxerunt copias viginti quinque millia peditum, equites pene mille: „ Romanis non multo minor fuit exercitus viginti millia peditum, octingenti equites; castraq; duobus locis ante Urbem „ munierant; altera in Esquilino Colle, „ ubi erat ipse Romulus; altera in Quirinali, nondum id nomen sortito; quibus „ præerat Etruscus Lucumo. At Sabinorum Rex Tatius postquam cognovit apparatus hostium, noctu excitas copias „ ducebat sine damno agrestium, & ante „ Solis ortum medio Quirinalem inter & „ Capitolium campo castra posuit. Locum prout Duces occupant, in præliis fatale ducunt: prævalet utplurimum situs; & etiam veteranus in Variana clade cecidit, male loci compos. Onosander de loci opportunitate Imperatorem monet, qua fretus Hannibal Romanos vicit; laudat Tacitus Germanicum lib. 2. *Ann.* qui *consilia, locos, prompta, occulta noverat, actusque hostium in perniciem ipsis vertebat*. Per speculatores, sive potius per seipsum Tatius castrametationem hostium considerans inter duos montes consedit: „ Cumque videret omnia teneri firmis hostium præsidiis, sibi vero nullum tutum locum reliquum, *inquit Dionysius*, hærebat inops „ consilii, ratus fore ut frustra tempus ibi „ tereret: sed animi perplexo fortuna inopinata viam expediit, munitione optima „ in ejus potestatem redacta, in hunc modum. Oberrantes pedem Capitolii Sabinos, speculabundos si qua is Collis vi „ furtove occupari posset, e sublimi contemplabatur virgo quædam viri nobilis „ præsidio Præfecti filia, Tarpeja nomine; (semper mulier exitium Orbis curiositate, vel avaritia flagrans urbes & castra perdidit) „ hanc, ut Fabius & Cincius prod–dunt, cupido capit annulorum & armillarum, quas illi gestabant in sinistris brachiis...... Ergo ancilla per occultum „ posticulum emissa petit a Rege Sabinorum, ut sine arbitris in colloquium suum „ veniat, auditurus de feriis negotiis & necessariis: cumque Tatius spe proditionis „ arripuisset oblatam occasionem, virgo „ quam potuit latenter occurrens in condictum locum progresso, ait patrem suum noctu ex Arce propter necessitatem „ quamdam profectum penes se claves „ portarum asservandas reliquisse, paratamque se munimentum noctu venientibus „ tradere, mercede proditionis accepta „ quidquid Sabini gestarent sinistris brachiis.

DLXXXIV. Sunt qui virginem in Arce præsidem scribant, Antiquorum secuti morem, claves asservandi apud mulieres, ut ex Diodoro Siculo & Pausania alibi adnotabamus in Arce Minervæ: sed istos redarguit Plutarchus in *Romulo*, ubi ait: „ Haud expeditus erat ab Urbem accessus, „ quod is Collis, ubi nunc Capitolium est, „ propugnaculum iis esset cum præsidio, „ cui præerat Tarpejus, non Tarpeja virgo, ut nonnulli tradunt, qui stultum „ faciunt Romulum: verum filia Præfecti Tarpeja, quæ cupidine capta aurearum armillarum, quas gerentes videbat „ Sabinos, prodidit iis Arcem. Hanc virginem Vestalem occinit fuisse Propertius, qui *lib.* 4. locum describit, castrameta-

Multorum testimonio.

Quis stratagematis inter Græcos primus usus sit?

Proteus.

Ulysses.

Bacchus.

Pan invenit aciem.

Panicus timor.

Hercules.

Exercitus Sabinorum describitur.

Militum numerus in utroque exercitu.

Locus facit ad bellum.

Hæret Tatius ob loci fortitudinem.

A Tarpeja proditionem aucupat.

Filia Præfecti Tarpeja.

Tatium pulcherrimum diligit, arcem prodit.

tionemque, ac puellæ facinus, quæ Tatium deperibat pulcherrimum; addit diem festum, & proditionis tempus *eleg.* 4.

Tarpejam nemus, & Tarpejæ turpe sepulchrum
Fabor, & antiqui limina capta Jovis:
Lucus erat felix ederoso conditus antro,
Multaque nativis obstrepit arbor aquis:
Sylvani ramosa domus, quo dulcis ab æstu
Fistula poturas ire jubebat oves:
Hunc Tatius fontem vallo præcingit acerno,
Fidaque suggesta castra coronat humo:

Vetus Roma describitur.

Quid tunc Roma fuit, tubicen vicina Curetis
Quum quateret lento murmure saxa Jovis?
Atque ubi nunc terris dicuntur jura subactis,

In Foro olim palus.

Stabant Romano pila Sabina Foro.
Murus erant Montes; ubi nunc est Curia septa,
Bellicus ex illo fonte bibebat equus:

Tarpeja Vestal.

Hinc Tarpeja deæ fontem libavit; at illi
Urgebat medium fictilis urna caput.
Et satis una malæ potuit mors esse puellæ,
Quæ voluit flammas fallere, Vesta, tuas?

Tatium amat.

Vidit arenosis Tatium proludere campis,
Pictaque per flavas arma levare jubas;
Obstupuit Regis facie, & regalibus armis,
Interque oblitas decidit urna manus.
Sæpe illa immeritæ caussata est omnia * *Lunæ,*
Et sibi tingendas dixit in amne comas;
Sępe tulit blandis argentea lilia Nymphis,
Romula ne faciem læderet hasta Tati:
Dumque subit primo Capitolia nubila fumo,
Rettulit hirsutis brachia secta rubis;

Flet, arma Sabina flagrat.

Et sua Tarpeja residens ita flevit ab Arce
Vulnera, vicino non patienda Jovi.
Ignes castrorum, & tacitæ † *prætoria turmæ,*
Et formosa oculis arma Sabina meis,
O utinam ad vestros sedeam captiva Penates!
Dum captiva mei conspicer esse Tati:
Romani Montes, & Montibus addita Roma,
Et valeat probro Vesta pudenda meo:
Ille equus, ille meos in castra reponet amores,
Cui Tatius dextras collocat ipse jubas.

Scyllæ facinus proditionis in patrem.

Quid mirum in patrios Scyllam sævisse capillos?
Candidaq; in sęvos inguina versa canes?
Prodita quid mirum fraterni cornua monstri,
*Quum patuit lecto flamine**torta via?*

Crimen suum deplorat.

Quantum ego sum Ausoniis crimen factura puellis,
Improba virgineo lecta ministra foco!
Palladis exstinctos si quis mirabitur ignes,
Ignoscat, lacrymis spargitur ara meis.
Cras, ut rumor ait, tota pugnabitur Urbe,
Tu cape spinosi roscida terga jugi:
Lubrica tota via est, & perfida; quippe tacentes
Fallaci celat limite semper aquas:
O utinam magicę nossem cantamina Musę!

Romulum vituperat.

Hæc quoque formoso lingua tulisset opem.
Te toga picta decet, non quem sine matris honore
Nutrit inhumanæ dura papilla lupæ:
Sic hospes patriam-ne tua Regina sub aula;

Romam prodit & dat pro dote.

Dos tibi non humilis prodita Roma venit;
Sin minus, at raptæ ne sint impune Sabinæ,
Me rape, & alterna lege repende vices.
Commissas acies ego possum solvere, nuptæ
Vos medium palla fœdus inite mea:
Adde Hymenææ modos: tubicen fera murmura conde.
Credite, vestra meus molliet arma torus:
Et jam quarta canit venturam buccina lucem,
Ipsaque in Oceanum sidera lapsa cadunt.

Tentat in somno Tatium videre.

Experiar somnum: de te mihi somnia quæram.
Fac venias oculis umbra benigna meis.
Dixit, & incerto permisit brachia somno,
Nescia se furiis accubuisse novis.
Nam Vesta Iliacæ felix tutela favillæ

Dormiens a Vesta corripitur.

Culpam alit, & plures condit in ossa faces.
Illa ruit, qualis celerem prope Thermodoonta
Strymonis abscisso fertur aperta sinu.

Palilia Festum Urbis Romæ.

Urbi festus erat, dixere Palilia Patres:
Hic primus cœpit mœnibus esse dies:
Annua pastorum convivia, lusus in Urbe,

Ludi pastorum circa flammas, & pocula multitum quies.

Quum pagana madent fercula divitiis *.
Quumque super raros fœni flammantis acervos
Trajicit immundas ebria turba dapes.
Romulus excubias decrevit in otia solvi,
Atque intermissa castra silere tuba.
Hoc Tarpeja suum tempus rata, convenit hostem:
Pacta ligat, pactis ipsa futura comes.
Mons erat adscensu dubius, festoque remissus.

Noctu Tarpeja prodit Urbem.

Nec mora, vocales occupat ense canes:
Omnia præbebant somnos, sed Juppiter unus
Decrevit pœnis invigilare tuis:
Prodiderat portæque fidem, patriamque jacentem,

Fit uxor Tatii; & sub armis opprimitur.

Nubendique petit, quem velit ipsa, diem.
At Tatius, (neque enim sceleri dedit hostis honorem)
Nube, ait, & Regni scande cubile mei.
Dixit, & ingestis comitum super obruit armis:
Hæc, virgo, officiis dos erat apta tuis.
A duce Tarpejo Mons est cognomen adeptus,

Proditionis munus interitus.

O vigil, injustæ præmia sortis habes!

Hactenus Propertius fere totam carmine historiam enarravit.

DLXXXV. Sed Livius ambigit, & sub censura facinus ad lancem dimensumque revocat; enimvero variat factum, & tandem fabellam antiquitatis penu depromtam rejicit: „ Sp. Tarpejus Ro-

* Rest. *omina*. † Leg. *Tatiæ*. ** Rep. *stamine*.

* Alii rectius, *delitiis*.

Hanc historiam Livius inter fabulas rejicit.

A „ manæ præerat Arci; hujus filiam virginem auro corrumpit Tatius, ut armatos in Arcem recipiat: aquam forte ea tum sacris extra mœnia petitum ierat; accepti obrutam armis necavere: seu ut vi capta potius Arx videretur, seu prodendi exempli causa, ne quid usquam fidum proditori esset. Additur fabulæ, quod vulgo Sabini aureas armillas magni ponderis brachio lævo, gemmatosque magna specie annulos habuerint, pepigisse eam, quod in sinistris manibus haberent; eo scuta illi pro aureis donis con-
B gesta. Hæc ille, nec inconsulto fabellam dixisse arbitror; quandoquidem variant Scriptores, & alii armillas, Tatium plerique petiisse sponsum referunt. Antigonus apud Plutarchum tradit, *Ducis Sabinorum Tatii eam fuisse filiam*. Poeta vero Simulus plane delirat, qui non Sabinis, sed Gallis putat Capitolium tradidisse, cum esset Regis eorum capta amore; ejus carmina usque modo leguntur:

Variæ sententiæ de Tarpeja.

Tarpeja Sabinos exarmatos Romulo prodere tentabat.

At Capitolinam custos Tarpeja tenebat
Arcem, quæ muris non bene fida fuit;
C *Gallica dum demens sequitur connubia: patrum*
Qui Orbis sceptra gerunt prodidit illa lares.

Discrepant insuper Romani, & Piso Censorius apud Dionysium scribit, cum Sabinis egisse, ut armis exutos tanquam in cavea illos offerret Romulo; inquit enim: „ Nuntium a Tarpeja noctu ex Arce missum, Romulo indicaturum, quid puella cum Sabinis pacta sit, & quod a deceptis
D conditionum ambiguo petitura sit arma, quibus se protegerent, proinde mitteret noctu in Arce manum aliam, Hostes exarmatos cum suo Duce oppressuram facile: eum nuntium transfugisse ad Regem Sabinorum, & detulisse Tarpejæ consilia. Fabius autem & Cincius nihil tale, sed ajunt servasse puellam, quod de proditione pacta est.

Armorum pondere sepulta periit.

DLXXXVI. Dum proderet Arcem infelix periit; dolo an consilio, hæret Florus in Romulo, tantum illius necem enarrat: „ Sabinis proditæ portæ per virginem
E nec dolo, sed puella pretium rei, quam gerebant in sinistris, petierat: dubium clypeos, an armillas. Illi ut & fidem solverent, & ulciscerentur, clypeis obruere. Arma sive armillas peteret, armis sepulta jacuit. „ Sunt qui eam ex pacto tradendi, quod in sinistris manibus esset, decreto arma petiisse dicant, & fraude visam agere, sua ipsam peremptam mercede, ait Livius: qui facinus *exemplum prodendi* offert; fortasse ut sciret proditor, tandem sub nomine torquendus, ne
F temere audeat; verumenimvero non usque sane dixit Antigonus, *prodentes amare se, odisse quum prodiderint*: neque de Rhymitalce Thrace Cæsar, *amare se proditionem, proditorem odisse*; ut Plutarchus in *Romulo* præstat, additque similitudinem: „ Eo fere in sceleratos animo sunt illi, qui eorum operam requirunt, ut veneno & felle quarundam maleficarum bestiarum, qui opus habent: quippe operam eorum dum ex usu est amplectuntur, exsecran-

Proditionem, non proditores Princeps diligit.

„ tur scelus, ubi voto potiti sunt: neque enim quis venenum aspidis procurat, eo nisi animo ut aspidem interficiat: ita post cladem Cannensem Altinius, Arporum urbis Apuliæ Princeps, statim ad Hannibalem cum urbe defecit; reparantibus bellum Romanis transfuga ad Romanos venit, Arpos proditurum pollicitus: ea res non latuit Hannibalem, qui conjugem proditorisque filios vivos comburi jussit. Pausanias cum ad Artabanum Xerxis amicum scriberet de prodenda Lacedæmonum urbe, re in fano Neptuni per Argilium comperta, inquit Probus Æmilius, in templo Minervæ comprehensus occiditur: Justinus scribit, ab Aristide accusatum in vitæ discrimen incidisse: Plutarchus auget facinus dicens, Pausanias Lacedæmoniorum Imperator quinquaginta auri talenta, ut Spartam proderet, a Xerxe accepit, quod ubi deprehensum est, pater Agesilaus est insecutus filium in templum usque Palladis Auxiliariæ, coctoque latere ita templi fores obstruxit, ut eum inedia consumserit, mater insepultum abjecerit. Hæc ille: & Marcellus vetus J. C. *in l.* XXXV. *ff. de Relig. & sumptib. Minime majores lugendum putaverunt, qui ad patriam delendam venit*. Ælius Lampridius in *Commodo*, *parricidæ cadaver trahatur, Severus dixit, injuste sepultus est*. Egesippus *lib.* 3. *c.* 17. *proditores penitus sepeliri prohibentur, aut non toti sepeliuntur*. Quandoquidem caput vel manus adhuc in mala cruce servantur, enormissimi facinoris monumentum; vel ossa remanent tandem obruta humo, cum carnem vultures expilassent; *fiat ergo pastus pii vulturis*, inquit Theodoricus Rex lib. 10. *Variarum* Cassiodori, *qui necem potuit crudeliter considerare pastoris*. Apud Germanos teste Tacito *de mor. Germ.* arboribus suspenduntur; etenim ait Tullius in *Catilinam*, *nulla esse potest in tanti sceleris immanitate punienda crudelitas*. Et Claudianus lib. 2. *in Ruffinum* vers. 49.

Variæ exempla adversus proditores.

Pausanias a patre interficitur in templo.

Proditores insepulti.

Eorum scelus grande; eveniunt saepe in Antiquorum comparata sanguine.

Eheu quam brevibus pereunt ingentia causis †!
Imperium tanto quæsitum sanguine, tanto
Servatum, quod mille Ducum peperere labores,
Quod tantis Romana manus contexuit annis,
PRODITOR *unus iners angusto tempore vertit*.

DLXXXVII. Moritur ergo Tarpeja, sub auri & clypeorum infelix pondere exspirat, idque prudentissimi commentum Tatii censetur a Plutarcho: „ Tatius jussit suis, ut conventorum memores, quæ sinistris ferrent omnia congererent in illa: ipse autem ante alios detraxit manui armillam, unaque cum hac scutum ei injecit: quum idem facerent omnes, auro illa injecto scutisque obruta est: itaque numero & pondere oppressa. Livius causam addit: „ Accepti obruptam armis necavere; seu ut vi capta potius Arx videretur, seu prodendi exempli causa, ne quid usquam fidum proditori esset. Valerius Max. facinus enarrat, nec culpat genus pœnæ; ut proditio impiissima omni ævo damnetur; inquit enim *lib.* 9. *c.* 6. „ Ro-

Obruitur Tarpeja.

Ne quid fidum unquam proditori esset.

† Alii, *fatis*.

„ mulo regnante, Sp. Tarpejus Arci præ-„ erat; cujus filiam virginem, aquam sa-„ cris petitum extra mœnia egressam, Ta-„ tius, ut armatos Sabinos in Arcem se-„ cum reciperet, corrupit; mercedis nomi-„ ne pactam quæ in sinistris manibus gere-„ bant: erant autem his armillæ & annuli „ magno ex pondere auri. Loco potitum „ agmen Sabinorum, puellam præmium „ flagitantem armis obrutam necavit: per-„ inde quasi promissum (quod ea quoque „ lævis gestaverant) solvens. Absit repre-„ hensio: quia impia proditio celeri pœna „ vindicata est. Hæc ille. Stat etiam pro Tatio Piso Censorius, qui a Rege Sabinorum Tarpejæ perfidiam comprehensam scribit, ob quam & illam necasse; inquit enim: „ Sabinis paratis aureas armillas „ puellæ tradere, Tarpejam non ornamen-„ ta, sed scuta postulasse ab eis: Tatio „ vero simul doli causa indignationem, si-„ mul non violandæ religionis cogitatio-„ nem obortam; tandem ei visum tradenda „ quidem arma puellæ, ut postulaverat, „ sed ita ne acceptis uti posset; sed mox „ totis viribus jecisse scutum in virginem, „ cæterosque jussos idem facere. Insipiens virgo supra Amazonas sapere somniabat cum dolo: nam prodere autumabat se posse Arcem, & demtis a militibus armis, illos proinde Romulo ac neci dare; utrumque fecit; Arcem Sabinis occupandam obtulit, ac necem sibi comparavit. Recte Valerius Maximus inquit, *perfidiæ efficacissimæ vires sunt mentiri ac fallere*. Talis fucata Iris, sed dum mentitur & fallit, tota perit; tamen etsi Sabinorum Regi sacramentum fidei ob oculos fuisse diximus, sunt qui etiam auri magnitudinem præ oculis illum excæcasse contendant, cumprimis Fabius dolum violati pacti ad Sabinos retulit: *Pro auro enim, quod Tarpejæ debebant ex pacto, indignatos mercedis magnitudinem scuta in eam conjecisse, quasi hæc se daturos juraverint*.

Armillæ Sabinorum ex auro.

Tarpeja armillas & arma petiit ut dives Sabinos proderet Romulo,

Sed male periit.

DLXXXVIII. Hæc usquemodo, sicut antiquis olim temporibus, adhuc sub Judice pendent, nec ratum quidquam compertumque censetur. Verum tantummodo assertumque volunt, *Arcem prodidisse*: quod omnium consensu refert Dionysius Halicarnasseus lib. 2. *Antiquit*. „ Uno con-„ sensu omnes Auctores ajunt, advenien-„ te Rege Sabinorum cum exercitus robo-„ re, juxta promissa Tarpejæ, apertam ho-„ sti præfinitam portulam, simulque ab ea „ loci custodes excitos, & quantocyus se „ per aversam portam proriperent, igno-„ tam hostibus, qui jam Arcem occupatam „ tenebant, quibus elapsis, Sabinos per „ apertam portam ingressos Arcem deser-„ tam occupasse; concinit hæc Ovidius lib. 14. *Metamorph*. vers. 775.

Historia Tarpejæ incomperta.

Proditoris pœnam sustinet.

—— Tatiusque, Patresque Sabini
Bella gerunt, Arcisque via Tarpeja reclusa,
Digna animam pœna congestis exuit armis;
Inde sati Curibus, tacitorum more luporum,
Ore premunt voces, & corpora victa sopore
Invadunt, portasque petunt, quas obice firmo
Clauserat Iliades. Vnam tamen ipsa reclusit,
Nec strepitum verso Saturnia cardine fecit.

Erat Arx Tarpeja quo sublimior eo munitior & salubrior, ut Plato lib. 6. *de Legibus*, & Vitruvius *lib.* 2. *cap.* 4. adstruunt; nam septem Colles coronant Urbem, *septemque Arces* a Virgilio nuncupantur; Silius *lib.* 10. vers. 587.

Septem colles; septem Arces.

—— septemque Arces fumare videntur.

Claudianus *de* 6. *Consulatu Honorii* vers. 617.

Intonat Augustum septenis arcibus Echo.

Sed præ cunctis Saturnius, sive Tarpejus Mons, in Arcem & Capitolium dividebatur, ut Tullius *in Catilinam* declamat, & Livius *lib.* 3. *cap.* 15. *Exsules & Servi Duce Appio Herdonio nocte Capitolium & Arcem occupavere*. Arx propemodum, inquit Marlianus, octavam Montis partem occupabat, ut ejus indicant fundamenta in ea parte, quæ ad Theatrum Marcelli vergit. Olim a Saturno nomen prætulit, deinde a Tarpeja, tandem a Toli capite, recensetque hæc Varro lib. 4. *L.L.* „ Capi-„ tolium dictum, quod heic cum funda-„ menta foderentur ædis Jovis, caput hu-„ manum inventum dicitur. Hic Mons an-„ te Tarpejus dictus a virgine Vestali Tar-„ peja, quæ ibi a Sabinis necata armis, & „ sepulta: ejus nominis monimentum reli-„ ctum, quod etiam nunc ejus rupes Tar-„ pejum appellatur saxum. Hunc antea „ Montem Saturnium appellatum prodi-„ derunt, & ab eo late Saturniam terram, ut „ etiam Ennius appellat. Antiquum oppi-„ dum in hoc fuisse Saturniam scribitur; „ ejus vestigia etiam nunc manent tria: „ quod Saturnia Porta, quam Junius scri-„ bit, quam nunc vocant Pandanam, „ quod post ædem Saturni in ædificiorum „ legibus parietes postici muri sunt scri-„ pti. Hæc ille; quem veluti Helicen sequi operæ erit pretium.

Tarpejus in Capitolium Arcemque divisus.

Olim Tarpejus, & Saturnius.

Saturnia vestigia super sunt.

DLXXXIX. Mons olim a Saturno ab Jove expulso, ac in Latio latitante, Saturnius dicebatur, inquit Verrius Flaccus: pulchre ad rem Justinus *lib.* 43. *cap.* 1. *Appellatus est Mons, in quo habitabat, Saturnius: in quo nunc, velut a Jove suis sedibus pulso Saturno, Capitolium est*. Sic fata tulere: cælum pro Regno habuit; expulsus aufugit, tenuiteque in Latio Saturnium, quem Jove tonante perdidit:

Saturnus in Capitolio habitavit.

—— Saturnius illi
Nomen erat,

occinit Ennius; sed Virgilio auctore lib. 8. *Æneid*. vers. 351. ait Euander:

Hoc nemus, hunc, inquit, frondoso vertice collem
Quis deus incertum est, habitat deus: Arcades ipsum
Credunt se vidisse Jovem, cum sæpe nigrantem
Ægida concuteret dextra, nimbosque cieret.

Olim quis deus in colle præesset ignotum.

Denuo expulsus nomen, quo dederat, amisit Saturnus, ideo auctore Varrone *loc. cit. Capitolium vetus, quod ibi sacellum Jovis, Junonis, & Minervæ; & id antiquius quam ædis, quæ in Capitolio facta*. A Romulo videlicet Feretrio dicata Jovi; ibi,

Saxum tremendum.

saxum ingens olim religione verendum, de quo Virgilius *ibid.* vers. 349.

Jam tum relligio pavidos terrebat agrestes
Dira loci, jam tum sylvam saxumque tremebant,

Recte Minutius in *Octavio*, *Juppiter cum Capitolinus dicitur, tunc gerit fulmina*; quibus terruit Orbem, patremque exturbavit Saturnum. Saturni ædem infra hanc rupem stetisse putat Marlianus, ubi paucis abhinc annis fuerat sacellum cum Turri Sancti Salvatoris cognomento *in Æraria*, sive *in Statera*, incumbens Hospitali Sanctæ Mariæ *in Porticu* nuncupatæ. Fuerit-ne ea condita a *Comitibus Herculis*, de qua Solinus meminit; an a *T. Tatio*, de qua Varro; an a *Tullo Rege*, de qua Macrobius, incertum est.

Saturni ædes a quo condita ignoratur.

DXC. Tarpejus deinde dictus a Tarpeja, sive ejus patre Sp. Tarpejo; quem Plutarchus post Arcis proditionem mulctatum præstat; inquit enim: Τῆς Ταρπηΐας ἐκεῖ ταφείσης ὁ λόφος ὠνομάζετο Ταρπήϊος, ἄχρις οὗ Ταρκυνίου Βασιλέως Διῒ τὸν τόπον καθιεροῦντος, ἅμα τε τὰ λείψανα μετηνέχθη, καὶ τοὔνομα τῆς Ταρπηΐας ἐξέλιπε, πλὴν πέτραν ἔτι νῦν ἐν τῷ Καπιτωλίῳ Ταρπηΐαν καλοῦσιν, ἀφ᾽ ἧς ἐρρίπτουν τοὺς κακούργους. *A Tarpeja illic sepulta Collis ille vocatus Tarpejus fuit, donec locum eum Tarquinius Rex Jovi consecravit, quo tempore ossa ejus alio fuerunt delata, nomenque exolevit Tarpejæ, excepto saxo, quod vocant etiam nunc Tarpejum, ex quo præcipitare sceleratos solebant.* Et paulo ante, ἑάλω δὲ καὶ Ταρπήϊος προδοσίας ὑπὸ Ρωμύλου διωχθεὶς, ὡς Ἰόβας φησὶ, *damnatus est a Romulo & Tarpejus proditionis, ut auctor est Juba*. An quia præcipitatus e saxo, morem invaluisse apud Romanos præcipitandi assentimur proinde reos? affirmant plerique: at Piso Censorius in litteras retulit: *Tarpeja ubi cecidit sepulchri honore dignata est in Colle Urbis sacratissimo; & solennes ei Romani redunt inferias*; addit Dionysius „ quorum neutrum consequu- „ turam fuisse credimus, vel a proditis, „ vel ab interfectoribus, si occubuisset Pa- „ triæ proditrix: imo si quæ superfuissent „ ossium ejus reliquiæ, refossæ tandem ac „ disjectæ fuissent, ut hoc exemplum alios „ a tali facinore deterreret in posterum. Tricas vides & varia antiquitatum monumenta: monitum Politicum educo & exhibeo: Tarpeja cum vellet Sabinis in contentione Romanisque personata rem gratam facere, ab utrisque injuriam incurrit & necem; sic qui utramque sequuntur partem, deseruntur non sine ignominia ab utrisque: Tullius utramque sellam Pompejanorum ac Cæsaris cum occuparet, cervices dedit, exemplum posteritati commendandum, ut quisque sua curet. Sive proditrix, sive Urbis servatrix, nomen loco dedit: Virgilius lib. 8. *Æn.* vers. 347.

Tarpejæ nomen abolitum.

Tarpeja culta a Romanis, ideo colen... non venisse Dionysius putat.

Monitum politicum.

Hinc ad Tarpejam sedem & Capitolia ducit,
Aurea nunc, olim sylvestribus horrida dumis.

Propertius, quem supra commendatum dedimus, *lib.* 4. *el.* 4.

A Duce Tarpejo Mons est cognomen adeptus.

Non loco tantum, sed insuper numini nomen addidit; testatur Propertius,

Nomen dedit Colli & Jovi.

** Tarpejusque Pater nuda de rupe tonabat,*
Et stabant humiles in Jovis Arce casæ.

Ausonius in *Tern. Edyll.* XI. vers. 42. de Jovis, Minervæ, Junonisque ædibus,

Trina in Tarpejo fulgent consortia templo.

Post Tarquinium & templum Jovis Capitolini saxum Tarpejæ nomen retinuit, illud videlicet a quo damnati præcipitabantur, Foroque, teste Dionysio, præstabat: Gellius falsos testes in eo præcipitatos refert: & Tullius *ad Atticum*, *quis audeat violare Brutum* proposita cruce, *vel saxo?* Damnatum Manlium e Saxo Tarpejo præcipitarunt: in lege duodecim Tabularum: *Falsus. Testis. Saxo. Tarpejo. Deicitor.* Dionysius lib. 8. *Antiquit.* ann. V. C. CCLXIIX. *Sp. Cassium Majestatis damnatum a Quæstoribus saxo dejectum* scribit; Marlianus testatur suis temporibus erutam Portam illam fuisse, quam Tarpeja Sabinis aperuit, ad Montis radices prope ædiculam Divi Andreæ *in Vinciis* nuncupatam; *erat marmorea, ab eaque gradus ad ipsam Arcem ferentes*. Sed rudis prima ætas Romuli marmora non tractabat, lapidesque cum luto nusquam dolatos habuit, fides apud ipsum, qui Eruditorum conjecturis de illa scripsit, vir utique consultissimus. Hoc unum scio cecinisse Vatem,

Damnati e saxo Tarpejo præcipitati.

Porta, quam Tarpeja Sabinis aperuit, an fuit marmorea?

Et stabant humiles in Jovis ARCE *casæ*.

Similiter Arcem in Montis fastigio præstasse, ita ut a radicibus, si gradus imponas supra centenos, denosque enumeres; quo sensu an Tacitus loquatur, Lector judicet, *qua Tarpeja rupes centum gradibus aditur*. Sed de novo Collis molimine deque illius situ, Silius *lib.* 2. vers. 33.

Tarpejos iterum scopulos præruptaque saxa
Scandatis licet, & celsam migretis in Arcem.

Gradus dixisset, non scopulos: si tamen iter in saxo excavatum potius quisque dixerit; posterior ætas turribus pinnatisque mœnibus illa munitissimam firmavit, ita ut Tacitus lib. 3. *Histor.* cap. 78. *munitissimam Capitolii Arcem, & ne magnis quidem exercitibus expugnabilem* existimaret. In ea Urbis fata, ut Arce incolumi superstes Urbs regnaret in Orbe. Hinc apud A. Gellium lib. 2. *Noctium Atticarum* cap. 23. SALVA URBE ATQUE ARCE, totius Imperii incolumitatem auspicabantur.

Arx Capitolii munitissima.

Arce incolumi Roma æterna.

* Frustra istud distichon apud Propertium quæres; primus quidem versus habetur lib. 4. el. 1. vers. 7. at secundus est Tibulli lib. 2. el. 5. vers. 26. Eundem errorem erravit Dempsterus Paralip. ad cap. 5. lib. 1. Rosini Antiq. Rom. quem procul dubio Auctor noster exscripsit.

edixitque paucis maximus Vatum lib. 9. *Æneid.* verf. 448.

—— Capitoli immobile faxum.

DXCI. Capitolium proinde dictum ab omine Toli capitis; unde Jovis oraculum apud Silium Italicum lib. 3. *Belli Punici* verf. 623.

Aurea Tarpeja ponet Capitolia rupe,
Et junget noftro templorum culmina cælo.

Capitolium dictum a Toli capite. De capite prodigium refert Livius *libro* 1. „ Secutum aliud, magnitudinem Imperii portendens, prodigium eft: CAPUT HUMANUM integra facie, aperientibus fundamenta templi, dicitur apparuiffe, quæ vifa fpecies haud per ambages Arcem eam Imperii caputque rerum fore portendebat: idque ita cecinere Vates, quique in Urbe erant, quofque ad eam rem confultandam ex Etruria acciverant. Nomen addit Servius *in* 8. *Æneid. caput humanum, quod Olli dicebatur inventum:* Toli caput fuiffe Suidas fcribit, Vulcentani cujufdam filii, hinc Arnobius lib. 6. *adverfus Gentes*, Capitolium vocat, *Toli fepulchrum Vulcentani*: ejus verba, quia fatis erudita, referre tyronum curiofitas fuadet: „ Quis eft, qui non fciat ex fundaminum fedibus caput hominis evolutum, non ante plurimum temporis, aut folum partibus cæteris, (hoc enim quidam ferunt) aut cum membris omnibus humationis officia fortitum? quod fi planum fieri teftimoniis poftulatis Auctorum, Sammonicus, Grannicus, Valerius vobis, & Fabius indicabunt: cujus Tolus fuerit filius, gentis, & nationis cujus, ut a Germani fervulo vita fuerit exfpoliatus & lumine; quid de fuis commeruerit civibus, ut ei fit abnegata telluris patriæ fepultura, condifcetis etiam (quamvis nolle iftud publicare fe fingant) quid fit capite refecto factum, vel in parte, qua curiofa fuerit obfcuritate conclufum, ut immobilis videlicet atque fixa obfignati ominis perpetuitas ftaret, &c. Nec erubuit Civitas maxima, & numinum cunctorum cultrix, cum vocabulum templo daret, ex Toli capite Capitolium, quam ex nomine Jovio nuncupare. Ab eo omen Imperii nomenque Colli, afferitque Sextus A. Victor in *Tarquinio*: *Cum Capitolium inciperet, caput hominis invenit, unde cognitum eft, eam Urbem caput gentium futuram.* Opus grande aggreffus eft, ut Jovi templum fuo nomini immortalitatem relinqueret, fcribit Livius, *ut Jovis templum in Monte Tarpejo, monumentum Regni fui nominifque relinqueret.* Vicit fuperftitio, & caput recenti fanguine obrutum, Jovis dum preftarent auguria, nomen infandum dedit; fortaffe Carthago equi infignis capite, ut figna conferret in Urbe, in fatis fuit ab humano capite vinci; fed non abfque fanguine in Clade Cannenfi, ubi campus fe pulchrum fuit militum, & Roma orbata civibus annulos vidit catenarum fymbola, fi equus hinniens ob luxum, Hannibal fcilicet, ad Capuam præceps non erraffet.

Tolus Vulcentanus occifus. Ejus hiftoria. Roma ex eo orbis caput. Caput equi Carthaginis omen.

Capitolii majeftas. DXCII. Sed Capitolium ut primum furrexit, deorum omnium templum caput Orbis, Urbs aufpicato fe extulit; *Jovis Tarpeii delubra quantum terrena divinis præcellunt*, ait Ammianus: nec male; enimvero defcribitur poft conflagrationes & incendia reftitutum noviffimis Cæfarum temporibus ingenti pompa, ufque ad portentum, ut a Claudiano *de 6. Honorii Confulatu* verf. 44. dicitur:

—— juvat infra tecta Tonantis
Cernere Tarpeja pendentes rupe Gigantes,
Cælatafque fores, mediifque volantia figna
Nubibus, & denfum ftipantibus æthera templis,
Æraque veftitis numerofa puppe columnis
Confita, fubnixafque jugis immanibus ædes,
Naturam cumulante manu, fpoliifque micantes
Innumeros arcus; acies ftupet igne metalli,
*Et circumfufo trepidus * obtunditur auro.*

Ornamenta Capitolii Gigantes. Fores cælatæ. Signa. Columnæ. Arcus. Aurum.

Ideo a Lactantio lib. 3. *de falfa Sapientia* cap. 17. exiftimatur, juxta Tullii virorumque fapientiffimorum opinationem, Capitolium, ingens Romanorum ac portentofum opus, tandem conflagraffe, igne a Jove divinitus immiffo, ut fublimius reftauratum auro pretiofifque lapidibus, præftaret moles in Orbe; de illo igne Lucretius occinit apud Ciceronem l. 1. *de Divin.*

Conflagrat, ut reftaurarum pretiofius refurgat.

Nam Pater altitonans ftellanti nixus Olympo
Ipfe fuas Arces atque inclyta templa petivit,
Et Capitolinis injecit fedibus ignes.

Ad quæ Lactantius inquit: *Homines ingeniofi quid de hoc exiftimaverint, ex dicto Ciceronis apparet, qui ait, divinitus extitiffe illam flammam, non quæ terreftre illud domicilium Jovis deleret, fed quæ fublimius magnificentiufque depofceret.* Voverat Capitolii molem Tarquinius Prifcus, ficut poft Livium Tacitus lib. 3. *Hiftor.* fcribit, „ voverat Tarquinius Prifcus Rex Bello Sabino, jeceratque fundamenta fpe magis futuræ magnitudinis. Plinius *infanas Capitolii fubftructiones* exaggerat: duo Tarquinii Reges molem aggreffi feruntur apud Livium, qui ait, *Tarquinios Reges ambos, patrem voviffe, filium perfeciffe.* De Tarquinio Divus Auguftinus lib. 3. *C. D.* cap. 15. inquit: Hunc dii nefarium parricidam, foceri interfectione regnantem, infuper multis bellis victoriifque gloriantem, & de bellorum manubiis Capitolium fabricantem, non abfcedentes, fed præfentes, manentefque viderunt, & Regem fuum Jovem in illo altiffimo templo, hoc eft, in opere parricidæ, fibi præfidere atque regnare perpeffi funt. Nec tamen perfectum reliquerunt opus; fed Rege exacto, poft annum tertium, auctore Dionyfio V. C. CCXLVI. Capitolium dedicarunt M. Horatius Pulvillus II. & P. Valerius Volufi F. Coff. Tria erant in Capitolio delubra, five numinum ædes, Minervæ, Jovis, ac Junonis: Varro in *Vita Populi Romani* Regum temporibus ea delubra facta fcribit; occinitque Ovidius lib. 4. *de Ponto* el. 9.

Domicilium Jovis. Tarquiniorum impiorum opus. Tria delubra in Capitolio, Jovis, Minervæ, & Junonis.

Me quoque fecreto Vates † fibi magnus agentem
Audiret †, media qui fedet æde, deus.

* Alii melius, *trepidans*. † Rep. *grates*.
† Leg. *Audiffet*.

De istis Dionysius, *In ipso sunt tres cellæ, e lateribus communione parietum clausæ*; in medio erat Jovis delubrum, maxima veneratione auspicatum fulminibus; post conflagrationem aureum fulmen Jovi dicarunt; Livius *lib.* 22. *cap.* 1. Cn. Flaminio & Cn. Servilio Coss. *Decemvirorum monitu decretum fuit, fulmen Jovi aureum quinquaginta pondo fieret.* Sceptrum præter fulmen gestabat; unde Divus Augustinus *lib.* 4. ad Marcellinum *cap.* 9. *ipsum Jovem deorum omnium dearumque* * *esse volunt; hoc ejus indicat sceptrum, hoc in alto colle Capitolium.* Coronam insuper regium ornamentum habebat in capite, ut in *Trinumero* Plautus ait Act. 1. Sc. 2. vers. 47.

In medio Jovis cum fulmine aureo.

Et sceptro.

Et corona.

—— nunc ego si te surripuisse suspicer
Jovi coronam de capite, e Capitolio,
Quod in culmine exstat summo.

Cum Jove cuncta Romanorum numina; asseritque Tertullianus in libro *de Spectaculis*, *Capitolium omnium Dæmonum templum est*: P. Victor, Capitolium, *ubi omnium deorum simulacra celebrantur*: a Tullio etiam *deorum domicilium* appellatur; Lipsius post hæc addit, ipse Mons passim & pene totus deorum aris, statuis, templis insessus: Rutilius in *Itinerario* eleganter cecinit de Capitolio,

Capitolium omnium deorum domicilium.

Confunduntque vagos delubra micantia visus,
Ipsos crediderim sic habitare deos.

Ex meo penu addo Tullium ad Equites, ubi de exsilio inquit: „Nunc ego te Juppiter O. M. cujus nutu ac dictione † sola „terrarum gubernantur; teque particeps „connubii socia Regni Regina Juno; teque Tritonia, armipotens Gorgona Pallas, Minerva, cæterique dii deæque immortales, qui excellenti tumulo Civitatis, sedem Capitolii in saxo incolitis constitutam. Addo insuper Divum Augustinum lib. 3. *C. D.* cap. 17. „Ubi erant dii, „quando Valerius Consul & ab exsulibus & servis, incensum Capitolium cum „defensaret, occisus est? Faciliusque ipse „prodesse potuit ædi Jovis, quam illi „TURBA TOT NUMINUM cum suo „maximo atque optimo Rege, cujus templum liberaverat, subvenire; tanta igitur majestate excellebat, ut omnium numinum simul cum Jove esset templum.

DXCIII. Et quia tactum fulmine conflagrasse diximus, observabat Lipsius Montis incendia: Nam primum illud Tarquiniorum, bello civili Syllano, incendio periit; Alterum ipse Sylla instruxit, sed non dedicavit: sacra etenim Catulus peregit: quod unum felicitati suæ defuisse, ipse apud Plinium fatetur: Tertium fuit a Vespasiano: nam illud Catuli arsit civili iterum bello Vitelliano, qui & illud ejusdem vestigiis reparavit, dedicavitque, teste Plutarcho: Victor autem Domitianum navasse operam scribit, *Multa opera incboata per patrem, vel fratris studio, atque imprimis Capitolium absolvit.* Semper eadem insecuti vestigia opus ingenti portentosaque mole auxerunt, tanta altitudine, ut culmina jungerent cælo, ait Silius; Tertullianus *Capitolia cælo certantia* inscripsit: Seneca pater, *fastigiatis supra tectis, auro puro fulgens, prælucet Capitolium*: etenim post eversam Carthaginem laquearia in Capitolio inaurata fuere, inquit Plinius *lib.* 33. *cap.* 3. Catulus *tegulas æreas* inauravit primus. Cæterum donaria fidem superant: *Augustus*, ait Suetonius, *una donatione in templo Jovis Capitolini contulit* XVI. *millia pondo auri*, (id est, Lipsio enarrante, Philippeos 1600000.) *& quingentis H. S. in gemmis*, (Philippeos 1250000.) Plura de Capitolio Postellus, Lipsius, Fulvius, Marlianus, aliique Recentiores cum Rycquio.

Capitolii incendia recensentur.

Ejus altitudo.

Fastigium & loqueatis ex auro.

DXCIV. Sed ut Lector Capitolii antiquitatem percipiat, ac Loci fatale omen a capite ac Vate vulgatum, historiam, etsi longam, omnino opportunam offero juxta fidem Dionysii Halicarnassei l. 4. *Antiquit.* „Post hæc Tarquinius a bellis una cum „populo quiescens vertit se ad templorum „fabricam, ut avi sui vota persolveret: „nam ille ultimo bello cum Sabinis dimicans, si vinceret, Jovi, Junoni, Minervæque templa voverat; & rupem quidem destinatam sacro ædificio ingenti „sumtu aggeribus in areæ formam complanaverat: cæterum structuram templorum præventus morte non potuit absolvere. Hoc igitur opus Tarquinius ex „decimis Suessanæ prædæ perficere cogitans, omnis generis artifices ad operandum adhibuit: quo tempore fertur mirum quoddam exstitisse prodigium, fundamentis opera fossorum ad magnam „profunditatem perductis, inventum CAPUT MODO OCCISI HOMINIS, facie integra, vivo persimile, & calido „etiam tum recentique manans sanguine. „Hoc viso Tarquinius operas jussit fossionem intermittere; accitisque Regionis „ejus Vatibus, sciscitabatur, quid sibi „vellet hoc prodigium; quibus nihil explicantibus, & ad Etruscos ejus scientiæ „professores Regem ablegantibus, percontatus ex eis, quisnam apud Etruscos „Vates esset conspicui nominis; ubi id „didicit, Legatos ad eum mittit civium „lectissimos. His ad ejus domum venientibus forte fortuna pro foribus adolescens „quidam fit obviam, qui rogantibus, ut „se Romanos Legatos Vatem convenire „cupientes ad ipsum deduceret: Pater, inquit, meus est quem quæritis, nunc occupatus nonnihil: licebit vobis post modicam dilationem eum accedere: interim „mihi qua de causa venitis dicite; ita „fiet ut a me præmoniti caveatis, ne quid „in rogando peccetis per imperitiam; est „enim non minima pars nostræ artis recta „interrogatio. Placuit id Legatis, & indicaverunt prodigium; ille interposito „brevi silentio, Audite, inquit, Romani: prodigium hoc pater vobis interpretabitur, nihil mentiens: id enim Vati „nefas est. Cæterum quomodo ad interrogata recte absque mendacio respondendum sit, (id enim vestra interest præmosse) ex me discite. Post denarratum „prodigium dicet se non satis percipere „quid dicatis, & circumscribet certum terræ spatium baculo; deinde dicet, Hic „est Tarpejus tumulus; hæc Orientalis „ejus pars, hæc Occidentalis, hæc Septentrio-

Historia de origine & omine Capitoli.

Ex decimis surgit opus.

Sciscitatur Tarquinius a Vatibus, quid sibi hoc velit prodigium.

Legati ad Etruscos.

A filio Vatis edocent.

* Vox *regem* excidit. † Alii, *ditione*.

„ trionalis, hæc opposita: singula osten-„ dens baculo, sciscitabitur deinde ex vo-„ bis, in quanam harum partium caput „ inventum sit. Quid igitur vos respondere „ moneo? in nullo eorum locorum, quos „ ille interrogans indicarit baculo, inven-„ tum caput, sed Romæ visum apud vos „ in Tarpejo tumulo. Hanc responsionem „ si servaveritis, nec ab illo seducti fueri-„ tis, intelligens, quod FATA transferre „ non licet, quid sibi velit prodigium in-„ terpretabitur vobis, nihil dissimulans. „ Hæc edocti Legati, postquam a sene „ otium nacto accersiti sunt, introgressi „ exposuerunt Vati quale visum sit pro-„ digium. Illo vero describente in terra cir-„ culares lineas, ac rursus rectas alias, & „ per singulas Regiones astute de inventio-„ ne rogante, nihil perturbati Legati eodem „ modo respondebant, ut erant a Vatis filio „ præmoniti, semper nominantes Romam „ & Tarpejum tumulum, & postulantes „ ne interpres sibi usurpet id signum, sed „ bene ac juste dicat omnia. Tunc Vates „ non valens signum invertere, & sibi usur-„ pare augurium, sic eis locutus est: Re-„ ferte Romanis vestris civibus esse IN „ FATIS, UT LOCUS, in quo id ca-„ put inventum est, FIAT CAPUT TO-„ TIUS ITALIÆ, ex illo tempore vo-„ catur CAPITOLIUM ab invento ibi „ capite. His ex Legatis cognitis Tarqui-„ nius structuræ adhibuit opifices, ma-„ gnamque templi partem perfecit, sed „ totum opus absolvere non potuit, præ-„ ventus exilio: tertio demum Consulatu „ libera jam Civitas operi supremam ma-„ num imposuit. Situm est & fundatum „ in alta crepidine octo jugerum ambitu, „ ducentis ferme pedibus patens per latera „ singula, pari propemodum longitudine „ atque latitudine, vix quindecim pedum „ differentia; nunc in eisdem fundamen-„ tis ætate patrum instauratum est post in-„ cendium, nisi quod majore luxu quam „ fuerat conditum. Frons ejus Meridiem „ spectans Porticum habet cum triplici co-„ lumnarum ordine in: lateribus ordo du-„ plex est: tres ædes pares communibus „ diis continentur lateribus, media Jovis, „ hinc & inde Junonis, & Minervæ, sub „ eodem tecto & pinnaculo. Huc usque Dionysius Capitolii molem & fata pluribus enarravit.

Fata transferri non possunt. — *Resistunt Romani.* — *In capite omen Imperii totius Italiæ.* — *Crescit opus augurio.* — *Describitur.*

DXCV. Post Dionysium accedit Tacitus lib. 3. *Histor.* cap. 72. & occasione incendii sub Vitellio, etiam antiquitatem Capitolii describit, ejusque conflagrationes: „ Voverat Tarquinius Priscus Rex „ bello Sabino, jeceratque fundamenta spe „ magis futuræ magnitudinis, quam quo „ modicæ adhuc Populi Romani res suffi-„ cerent. Mox Servius Tullius, Sociorum „ studio, deinde Tarquinius Superbus; „ capta Suessa Pometia, hostium spoliis „ exstruxere: sed gloria operis libertati re-„ servata. Pulsis Regibus Horatius Pulvil-„ lus iterum Consul dedicavit, ea magni-„ ficentia, quam immensæ postea populi „ Romani opes ornarent potius, quam au-„ gerent. Iisdem rursus vestigiis situm est, „ postquam interjecto CCCCXV. annorum „ spatio L. Scipione, C. Norbano Coss. „ flagraverat. Curam victor Sulla suscepit, „ neque tamen dedicavit; hoc solum feli-„ citati ejus negatum: Lutatii Catuli no-„ men inter tanta Cæsarum opera usque „ ad Vitellium mansit, &c. Dedicationem, ritumque proinde scribit; nos, ubi de Tarquinio, plura de Capitolio dicemus, & de Sacris, diisque Penatibus, ac numinum ædibus; nunc Tarpejæ nomen de loci antiquitate differenda obtulit; de quibus vide Plinium, Gellium, Valerium Antiam, & Cassiodorum.

Ejus historia iterum a Tacito enarratur. — *Conflagrat semel & iterum.* — *De Capitolio iterum suo loco dicemus.*

C A P. XLIX.

Sabini ac Romani ruunt in prælium; Romulus vulneratus aciem declinat, Janus aquarum ferventium fontem in Sabinos aperit; prodigio dirimitur bellum. De Sanco, sive Sancto, Sabinorum deo; de statua Simonis Magi; & de Jovis Statoris templo.

DXCVI. Rupem Tarpejam ingressi Sabinorum viri fortissimi instructam vallo Arcem una cum Jove tenuerunt; existimabant Veteres, teste Tacito lib. 3. *Histor.* MUNITISSIMAM CAPITOLII ARCEM, *& ne magnis quidem exercitibus expugnabilem:* & Tullius *adversus Catilinam* Orat. 4. ubi Senatum alloquitur, *vitam omnium civium Arcem & Capitolium* commendata declamat: enimvero inquit Isidorus l. 15. Or. c. 2. *Arces sunt partes urbis excelsæ atque munitæ: nam quæcunque tutissi na urbium sunt, ab arcendo hostem Arces vocantur: Unde arcus & arca.* Hæc ille ex Varrone: at juxta Verrium Flaccum Festus Pompejus: *Arcere*, ait, *est continere; unde & arcus in ædificiis dictum est, quia sei psum continet.* Hinc *Arcubiæ, qui excubant in Arce:* quo sensu excipiendus Manilius l. 4. *Astron.*

Includive sua potuisset Juppiter Arce:
** Captus vel caput hic Orbis foret.*

Quia Jovem Mons continebat, *Arx Jovis* dicebatur; sed M. Varronis auctoritas eminet, originationemque ab arcendo depromit. *Quod is locus sit munitissimus Urbis, a quo facillime possit hostis prohiberi*: hinc vetus vocabulum apud Festum, *Abarcet, prohibet; porcet* quoque dictum ab Antiquis quasi *porro arcet:* asseritque *coercere* & *continere* eundem referre sensum, ac verbum trahitur a Græcorum Magistratu, quem illi ἄρχοντα vocant, in cujus potestate est cogere ac prohibere; similiter qui præest Arci cogit a longe hostes, & ab accessu prohibet; utpote a loco tutissimo, munimentis armorum præstante: testatumque facit in *Monosyllabis* Ausonius, juxta Platonis oraculum.

Urbibus in cunctis munitior urbibus est Arx.

DXCVII. Itaque *Tatius & Sabini Arce munitissima, & Romanorum apparatus bona parte sine labore potiti, jam in tuto bellum trahebant*, inquit Dionysius Halicarnasseus; fervebant interim Romanus miles ira ac pudore succensus, & Arcem recu-

Capitolium Arx inexpugnabilis. — *De Arce.* — *Arcubiæ, qui in Arce excubant.* — *Arx & munitio tutissima.* — *Arcem Capitolii Sabini possident.*

* Vid. illustriss. Scaligeri Not. ad huc versum.

perandam vi undique tentabat: quod Livius sic tradit: „Tenuere Arcem Sabini; „atque inde postera die cum Romanus „exercitus instructus, quod inter Palatinum Capitoliumque Collem campi est, „complesset, non prius descenderunt in „æquum, quam ira & cupiditate recuperandæ Arcis stimulante animos, in adversum Romani subierunt. Populus prædarum elatus animo, ob Cæninenses, cæterosque in Coloniam redactos, altum sentiens, cum vidisset Capitolium, in quo trophæa Romulus & Jovis Feretrii templum dicaverat, inimicorum sub hasta redactum, illud expugnare conabatur: Sabini e contra haud signa comparare detrectant, sed gentis auctorem canentes Sancum, irruunt ad arma: morem deduco e Silii carmine *lib.*8. vers. 419.

Illam recuperare tentant Romani.

Ornant ideo prælium.

Obstant Sabini.

Sancum canunt Sabinorum auctorem & deum.

—— a Tetrica comitantur rupe cohortes:
Cunctis hasta decus, clypeusque refertur in orbem,
Vertice & implumes, ac levi tegmine cruris
Ibant, & læti pars SANCUM *voce canebant*
Auctorem gentis, pars laudes ore ferebant,
*Sabe, tuas, qui de patrio * cognomine primus*
Dixisti populos magna ditione Sabinos.

Sabi laus.

De quo numine Ovidius lib. 6. *Fast.* occinit vers. 213.

Quærebam Nonas Sanco Fidio-ne referrem,
An tibi, Semo pater: tum mihi Sancus ait,
Cuicunque ex istis dederis, ego munus habebo:
Nomina trina fero, sic voluere Cures.

Semo, Sancus, Fidius.

Recensebat Daniel Heinsius, *Sanco, fidio-ne referrem*: favet opinioni illius Propertius *eleg.*10. *lib.*4. de Hercule & morte Caci, ubi aram maximam tanto a numine dicatam offert, & de more salutat:

Sancte pater salve, cui jam favet aspera Juno
Sancte, velis libro dexter inesse meo;
Nunc quoniam manibus purgatum sanxerat Orbem,
Sic Sanctum † Tatii composuere Cures.

Sanctus.

DXCVIII. Variant plerique in istius dei Sabinorum nomine, ideo ejus origo, significatus, nomenque exactius disquirendum puto; hunc Sabinorum Regem fuisse testatur Lactantius Firmianus lib. 1. *de falsa Religione* cap. 15. *singuli populi, Gentis aut urbis conditores, summa religione coluerunt, Ægyptii Isidem*, &c. *Sabini Sancum.* Silius ad ipsum Sancum *lib.* 8. vers. 424.

A Sanco Sabini dicti.

—— qui de patrio cognomine primus
Dixisti populos magna ditione Sabinos.

Portius Cato in *Originibus*, *Sabini a Sabo conditi.* Sed ut inter fabulas veritas histo-

Vel a Sabo.

* Alii rectius, *proprio.* † *Sancum* legit Heinsius.

A rica luceat, antiquissimorum Scriptorum monumenta perscrutabor, illorumque oracula dabo: cumprimis Dionysius Halicarnasseus lib. 2. *Antiquit.* ait. In Reatino agro, quo tempore Aborigines eum tenebant, virgo quædam indigena claro genere prognata, choros ducebat in templo Enyalii: hunc Sabini, sicut eos secuti Romani, Quirinum nominant; nondum satis certi, Mars-ne is sit, an aliquis alius honore Marti similis: nam quidam uni deo bellorum præsidi nomen utrumque tribuunt, alii duorum hæc putant esse numi-B num, in cujus dei templo saltans puella, repente divino furore correpta, chorum deseruit, & in sacrarium se cursu proripuit: deinde a loci Genio compressa, ut vulgo visum est, filium edidit nomine MEDIUM FIDIUM † cognomine, is virilem ætatem ingressus & forma supra homines fuit, & in re militari longe præcellentissimus est habitus: cumque captus esset condendæ urbis cupidine, collecta magna manu ex agris finitimis, brevi Cures replevit habitatoribus; vocatas, ut quidam putant, a Genio, cujus dicebatur fi-C lius, aut ab HASTA, sicut malunt alii; Cures enim Sabini hastas nominant. Ita Terentius Varro scriptum reliquit, & ex eo Dionysius. Ælius Gallus *Divum Fidium* dicebat *Diovis filium*: ut Græci Διόσκορον Castorem, & putabant, ait Varro lib. 4. *L. L. hunc esse Sancum ab Sabina Lingua, & Herculem a Græca*: ad hæc velitationes Turnebi viri doctissimi Beroaldi, Scaligeri, Gyraldi, & Castalionis, Grammaticorum fortasse omnium principum, an *Sancus*, an *Sanctus* sit dicendus? D accessit Vives *in illud Divi Augustini lib.*18. *cap.* 19. *Regem suum primum Sancum Sabini retulerunt in deos*: ubi ait, in variis exemplaribus legimus Xanthum, in aliis Sanctum, in aliis Sancum; aliquo vestigio melioris lectionis; *Sangum* enim est legendum. Lilius proinde inquit: Sunt alii pervetusti Codices Lactantii, qui nec Sabum, nec Sangum, nec Sanctum, sed *Xanthum* habent: tuetur Beroaldus *Sanctum* olim dictum fuisse: sed Sancti nomen apud Brissonium ad numina cuncta spectat: *Sangum* expendit Gyraldus ex Ca-E tone & Dionysio, cujus sacellum in Urbis VII. Regione P. Victor statuit.

Sabinorum origo juxta historiam Dionysii Halic.

Quirinus deus.

Medius Fidius quis deus?

Sabini Regem suum inter deos retulerunt.

DXCIX. Hinc error apud veteres Christianos eosque præcellentissimos Scriptores irrepsit, Romanos videlicet statuam Simoni Mago erexisse, eximia inscriptionis nota insignitam; etenim hunc Sancum *Herculem* & *Semonem* appellant, assertumque voluit Livius *lib.* 8. *cap.* 20. *Bona Vitruvii Semoni Sanco censuerunt consecranda, quodque æris ex eis redactum est, ex eo ænei orbes facti, positi in sacello* F *Semonis Sanci versus ædem Quirini*: apud Ovidium, quem dedimus, *Sancus, Fidius*, & *Semo* nuncupatur, & sacellum habet prope ædem Quirini: addit Naso l. 6. *Fast.* vers. 217.

An Simoni Mago Romani statuam erexere?

De Semone Sanco.

Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini;
Inque Quirinali constituere Jugo.

Ejus ædes in Quirinali.

† In Græco textu legitur Μόδιον φαβίδιον,

Tertullianus Justinum sequitur. Cumprimis in *Apologetico* Tertullianus c.13. scribit: *Sed cum Larentinam publicum scortum, velim saltem Laidem, aut Phrynen inter Junones & Cereres ac Dianam adoratis: cum* SIMONEM MAGUM *statua & inscriptione* SANCTI DEI *inauguratis*. Hæc ille ex *Apologia* 2. Justini Martyris, qui etiam locus citatur ab Eusebio *Historiæ Eccl.* lib.2. cap.13. & Nicephoro *lib.2. cap.14.* ex Divo Irenæo lib.1. *adversus Hær.* super quo loco vide Pamelium. Citat præterea Feuardentius in suis *Adnotationibus* Cyrillum Hierosolymitanum *Cathec.* 6. ac Theodor. l. 1. *hær. fab.*

A

B

Eruta Romæ saxa repugnant. Nihilominus ætas posterior hæret, & saxa eruta recenter in Insula, quam Æsculapii dicunt, errorem Antiquorum expungunt, cum Semonem hunc Sancum, vel Sangum, in numinum albo Veteres recensuisse demonstrent: enimvero Gregorio XIII. Pontifice e ruderibus Insulæ Tiberinæ lapis est effossus tali inscriptione notatus:

Lapidis effossi inscriptio inventa in Insula Tiberina.

SEMONI SANGO DEO FIDIO
SACRVM.
SEX. POMPEIVS. S. P. F. COL.
MVSSIANVS
QVINQVENNALIS. DEC. BI-
DENTALIS
DONVM DEDIT.

C

Præfert lapis ipse basim; super quam exigua statua locata esset, inquit Baronius Ann. C. 44. Legimus & inscriptionem lapidis nuper reperti in Quirinali, Hortis Clericorum Regularium apud Ecclesiam Sancti Silvestri, his litteris exaratam:

Altera inscriptio.

SANGO SANCTO SEMON.
DEO FIDIO SACRVM.
DECVRIA SACERDOTVM BI-
DENTALIVM
RECIPERATIS VECTIGALI-
BVS.

D

Præterea aram Veteres erexisse Semoni Sango Sancto testatur præter Festum Dionysius Halicarnasseus; de Semone eruditus Lilius plura adnotabat, quæ exhibeo utpote digna scitu; *Semones deos* dici voluerunt Antiqui, ut ad Chalcidium scribit Fulgentius, quos nec cælo dignos putabant, ob meriti paupertatem, ut Priapus Hippona, Vertumnus: nec terrenos eos reputare volebant propter gratiæ venerationem, sicut Varro in *Mystagogorum* libro ait: *Semoneque inferius derelicto deum de pinnato attollam orationis eloquio*; Livius dixisse videtur *Semoni Jano* templum a Romanis dicatum fuisse. *Bona Semoni Jano censuerunt consecranda*: porro Alexander *Semoni Sango*, alii *Sabino Sango*, vel *Sancto* legunt, Divus Augustinus *Semonem Janum* præesse feminio, cum infans concipitur, innuere videtur; sunt qui & *Patellarios* hos vocant: Eruditi dictos existimant a *pateris*, sive a *patellis*, quibus Veteres deis his sacra faciebant; Ovidius in *Fastis* lib. 6. vers. 310.

De Semone deo.

E

F

Dii Semones Patellarii.

Fert missos Vestæ pura patella cibos.

Divinat hinc Gyraldus *Patenæ* nomen in Christianorum sacro; quidam & iis *Medioximos* conferunt: e Semonibus deis, alii sunt *Sumanes dei inferni*, quorum meminit Martianus *lib.2.* Hactenus ille: a quo Baronius messem sibi fecit; videndus etiam Cælius in *antiquis Lectionibus*: hunc Semonem plerique *Herculem* fuisse scribunt, idque post Fulvium Ursinum testatur Castalio decad. 3. *Observationum*; at Baronius instat pro *Simone Mago*, cui statua, & inscriptio S. C. dicata a Justino dicitur; argumentum Baronii innititur Patrum testimoniis, eaque conjectura, qua compertum sit, scripsisse Justinum Philosophum *Apologiam* ad Antonium Pium Imperatorem ac Senatum Romanorum, qua fraude comperta a fidei hostibus fides corrueret Crucis; addo habuisse Justinum quemdam ex Cynica Secta adversarium, qui calumnias nectere in Christianos, Justinumque Christianorum antesignanum, nunquam destitit; hoc si falsum e penu Idololatrarum depromtum fecisset, inflatis tibiis occinisset hostis. Nihilominus Desiderius Heraldus *in Apologeticum Tertulliani* lapsum Justini evincit, estque argumentum magnæ molis ipsius Justini locus adsertus in Tyberis Insula; inquit enim: *Simon quidam apud vos Samaritanus propter magicas, quas exhibuit, virtutes, deus habitus est, & statua apud vos veluti deus honoratus: quæ statua in amne Tyberi inter duos pontes est erecta.* Eodem loco testantur F. Ursinus, Castalio, ac Baronius inscriptionem a saxo erutam ac basim vidisse. Quid igitur? Mendax Justinus, absit; potius accommodasse plerosque numen ad Magum; & quia inferorum dii erant Semones, Magum inferni monstrum dixere Semonem Sanctum: etenim inquit Divus Irenæus *lib. 1. cap. 10. a Claudio Cæsare etiam statua honoratus esse dicitur propter Magiam: hic igitur a multis quasi deus glorificatus est.* Et nominis ob similitudinem Simon, Semo, Sanctus est dictus, quod nostris proinde temporibus Hæreticos usurpasse, idem Irenæus ait multis in locis, quod pro varietate opinionum scripsere Veteres, in cunctis nec omnino concordes; etenim Onuphrius, Antiquorum auctoritate suffultus, Petri adventum adversus Magum & Simonis volatum in Urbe signat sub Claudio: Baronius regnante Nerone, qui *volatum Icarium*, teste Suetonio, inter spectacula exhibuit; asseritque multorum Patrum testimonio, inter quos non convenit, neque lapsus, neque volatus, neque tempus, igitur antiquissima veneramur, quæ pro captu edere licet, contentiose disquirere nefas esto.

Medioximi.

Sumanes.

Semo Hercules.

Dubitatur de statua Simonis Magi.

Locus statuæ in insula Tyberina.

Explicatur Patrum traditio.

Adventus Petri, & volatus Simonis, sub Judice.

DC. Ad Sancum redeo, de quo Festus, *Hercules, aut Sancus, idem est deus.* Sabinorum erat numen; occinitque in *Fastis* Ovidius lib.6. vers. 217.

Hercules est Sancus deus.

Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini;
Inque Quirinali constituere jugo.

Deum hunc invocantes prælium ornant Sabini, ne absque numine pericula subiisse viderentur: erat namque grande bellum & periculosissimum, quod crescebat crebris velitationibus usque ad interitum; *Collatis castris multæ per occasionem alterutrius partis velitationes fiebant: magis virtutis experimento, quam quod in totius belli eventum*

Hunc Sabini in bello invocant.

A *afferrent momenti aliquid*. Duces erant peritissimi, & milites pro patria certantes plagas ipsamque mortem affectabant, ut vincerent: illorum meminit Livius: *Principes utrinque pugnam ciebant, ab Sabinis Metius Curtius, ab Romanis Hostus Hostilius*. Hostiliæ gentis familiæ, inquit F. Ursinus, reperiuntur in monumentis Capitolinis *Tulli Regis & Mansinorum*: apud Livium *lib.* 37. *Tubulorum & Catonum*; apud Varronem in nummis *Sasernarum*; est in nostro Museo vetus Nummus Hostilii signatus symbolo, quem exhibeo:

Hostilia gens nobilissima.

B



C

Gens Curtia, utpote Sabina, patritia-ne, an plebeja fuerit, ex veteribus Scriptoribus non satis constat: *Lacus Curtius* apud Dionysium & Valerium Maximum legitur: P. Curtii Salassi facit mentionem Cicero in *Epistola* 18. *ad Leptam lib.* 6. Hic Curtius a Plutarcho dicitur *celso vir animo, & clarus nomine*: a Dionysio Halicarnasseo *robustus vir, manuque promtus, & ob periculorum contemtum laudatissimus*, quod ad magnanimitatem spectat, inquit Aristoteles; de Hostilio autem ait Plutarchus fuisse *Hersiliæ virum, & avum Hostilii, qui post Numam regnavit*; sed an post hoc certamen Romulus Hersiliam in uxorem duxerit, hæreo, nec fax historica lucet.

Gens Curtia.

Hersilia an post hoc certamen mortuo Hostilio uxor Romuli fuerit, ignoro.

D

DCI. Sub istis Ducibus pugna verior, & anceps victoria, quamvis cruor effusus largior emanasset; Dionysius post velitationes & leves insultus inquit: „ Bis deinde in acie cruento sed æquo Marte certatum est: tandem pertæsis morarum utrisque in mediam castrorum planiciem „ exercitatissimi milites mira edebant facinora, alternis facientes & excipientes „ impetum: interim stantes in munitionibus sublimes spectatores ancipitis certaminis, & nunc huc, nunc illuc inclinantis victoriæ, rem fortiter gerentibus suis „ militari acclamatione accendebant animos: fessos vero & cedentes gemitu ac „ precibus revocantes in prælium, non sinebant virtutem prorsus abjicere, atque „ ita utrique supra vires durabant in periculis. Tandem exacto die per pugnam „ dubiam, supervenientibus tenebris, utrique in sua castra non inviti se receperunt. In hac prima pugna belli specimen potius quam bellum tentasse visum est; quod pueros Joab olim prælusisse legimus, militesque Cæsaris & Pompeii; anceps namque certamen cum fortissimi aggrediuntur omen victoriæ exercitui proponunt; ideo declinare bellum infaustis avibus putant. Alteram velitationem die illucescente adorti, æquo Marte in arenam descenderunt: „ Postera die, *sequitur Dionysius*, „ sepultis cadaveribus, curatis saucilis, integrorumque copiis suppletis, quoniam „ libuit restaurare prælium, eodem quo „ pridie loco congressi usque ad noctem „ pugnaverunt, Romanis in utroque cornu egregie vincentibus, præerat autem „ dextro ipse Romulus, sinistro Etruscus „ Lucumo: mediam Sabinorum aciem unus „ sustentabat Metius Curtius, solus in causa fuit ne vincentibus Sabini cederent, „ robustus vir, manuque promtus, & ob „ periculorum contemtum laudatissimus: „ cumque vellet etiam cornua Sabinorum „ laborantia, jamque pedem referentia restituere in integrum, cohortatus suos instabat hosti fugienti, & petenti portas „ turbatis ordinibus, ita ut Romulum coactum semiperfectam victoriam relinquere cogeret, & contra victricem hostium „ partem averteret. Sed hunc congressum non paucorum, sed omnium utriusque Regis copiarum militum, recenset Livius, enarratque Curtium manu ac voce Sabinos ad victoriam animasse, quod præstantissimi Ducis opus commendat Onosander *Strateg.* cap. 23. Οἵ τε γὰρ φίλιοι τοὺς σφετέρους ἀκούοντες ἐπικυδεστέρους ἀναθαρροῦσι, καὶ διπλάσιοι γίγνονται ταῖς προθυμίαις. *Commilitones enim, qui suos virtute bellica præstantiores hostibus esse audiunt, duplo fortioribus ac promtioribus animis roborantur*.

Signa bis collata.

Acclamationibus accendunt militum animos.

E

Velitationes omen victoriæ.

F

Redintegrat bellum, virtuteque Ducum aggravant.

Curtius fustinet prælium ne Romulus præstantior vincat.

Dux voce & manu confortet commilitones.

DCII. Sed antequam progrediamur ad belli narrationem, dum castra quiescunt, velitationes similes inter Pompejum & Cæsarem in pugna Pharsalica, quam occinit Lucanus, præ oculis exhibere consentaneum puto; de qua Xiphilinus ex Dione sic scribit: „ Multæ pedestres equestresque pugnæ videbantur: qui alterum fugasset, mox ipse terga vertebat; qui fugisset, statim aggrediebatur: percusserat „ aliquis, ipse sauciabatur: lapsus erat, „ stantem occidebat: plerique etiam nullo „ accepto vulnere moriebantur: lætabantur „ alii & canebant; alii mœrebant & lamentabantur; omnia clamore gemitibusque complebantur; diu æquo Marte „ pugnatum est. Sed tandem concurrentibus undique copiis, Pompejus cui non addixere aves, cum fulmina de cælo in castra ejus cecidissent, malum nec expiandum omen, terga dedit, ac relictis Cæsari castris aufugit; & in Ægyptum profectus, postremo etiam cervices dedit.

Præludia belli inter Cæsarem & Pompejum.

Pompejus terga vertit.

DCIII. Cæso igitur in pugna Hostilio Romanorum Duce: „ Confestim Romana „ inclinatur acies, *inquit Livius l.* 1. *c.* 12. „ fusaque est ad veterem portam Palatii. „ Romulus & ipse turba fugientium actus „ arma ad cælum tollens, Jupiter, inquit, „ jussus avibus hic in Palatino prima Urbi fundamenta jeci; Arcem jam scelere „ emtam Sabini habent; inde huc armati superata media valle tendunt; at tu „ Pater deum hominumque, hinc saltem arce hostes: deme terrorem Romanis, fugamque fœdam siste: hic ego tibi „ TEMPLUM STATORI JOVI, quod „ monimentum sit posteris, tua præsenti ope servatam Urbem esse, VOVEO. Nimia cura tenebatur, ne Urbs sub jugo corrueret, & præstantissimam expertus numinis opem, post Feretrium, Statorem

Votum Romuli, ut a fuga sui desistant.

Jovis Stator.

erigit; vere Onoſander edixit, imperatorem oportere eſſe religioſum; quod affectavit Alexander, templum Beli ad vetuſtiſſimam Dei majeſtatem reædificans, & Romanorum proinde pietas religione armiſque Orbem ſubegit; Florus ait: „ Admiſſis ad mœnia hoſtibus, atrox in ipſo aditu pugna, adeo ut Romulus Jovem oraret, ut fœdam ſuorum fugam ſiſteret; hinc templum, & Stator Jupiter. Adeo atrox, ut Metius Curtius victoriam proclamaret; audiamus Livium: „ Metius Curtius ab Sabinis Princeps ab Arce decurrerat, & effuſos egerat Romanos, toto quantum Foro ſpatium eſt; nec procul jam a Porta Palatii erat, clamitans: VICIMUS perfidos hoſpites, imbelles hoſtes; jam ſciunt longe aliud eſſe virgines rapere, aliud pugnare cum viris. Hæc ille; & Auguſtinus *lib.* 3. ad Marcellinum *cap.* 13. *Romulus de ſuorum jam virtute deſperans, Jovem rogavit ut ſtarent*: atque ille hac occaſione nomen Statoris invenit. Proinde Tullius Jovem hunc *Cuſtodem Imperii Rom.* frequenter nominat.

Curtius inclamat adverſus Romanos, & ſuos erigit.

Non Jupiter ſed ſors vel Regis auctoritas Romanos a fuga revocat.

DCIV. Sed Jupiter, an vox regia fugientes retinuit? quia Jupiter aures habet, & non audit, ſorti plerique, alii Regis auctoritati rem totam adſcribunt, cumprimis Plutarchus in *Romulo* ait: „ Quum effuſa fuga circa eum fieret, neque quiſpiam hoſtium conſpectum ſuſtineret, tenſis ad cælum manibus precatus Jovem eſt, fugam ut ſiſteret, ac rem Romanam ruentem ſuſtineret, reſtitueretque: hæc orantis multos Regis repreſſit verecundia, animumque ablato timore addidit: reſtiterunt ubi nunc Jovis Statoris templum eſt. Sed clarior veritas ex dubio, quod affectat Aurelius Victor: „ Eo in loco, ubi nunc Forum Romanum eſt, pugnam conſeruit; ibi Hoſtus Hoſtilius fortiſſime dimicans cecidit: cujus interitu conſternati Romani fugere cœperunt: tunc Romulus Jovi Statori ædem vovit, & exercitus, SEU SORTE, SEU DIVINITUS reſtitit: eandem opinationem prætulit Manilius in *Aſtron.* addamus etymum aliter exhibuiſſe Divum Hieronymum, ſcilicet *Statorem* dixiſſe, eo quod *rectus ſtet*: Seneca lib. 4. *de Beneficiis, quod ſtant beneficio ejus omnia, Stator, ſtabiliorque eſt.* Similiter M. Attilius Coſ. cum adverſus Samnites bellum urgens inſtaret, hoſteſque ex adverſo Romanos urgerent, teſte Livio *lib.* 10. *cap.* 36. etiam *Statori Jovi* templum vovit, ut acies in fugam lapſa ſtaret; unde quid decernendum ſit ex nomine prudens Lector expendat; Jovis Statoris templum fuit in radice Palatii, inquit Marlianus, apud Ædiculam nunc D. Mariæ Liberatricis, ubi ſpondæ murorum altiſſimæ cernuntur: Ovidius in *Faſtis* lib. 6. verſ. 793.

Jovis Stator quia rectus ſtat.

Aliud templum Jovi Statori dicatum.

Templum idem Statoris erit, quod Romulus olim
Ante Palatini condidit ora Jugi.

De ejus templo in Palatio.

Eo in loco conciones & S. C. ſæpe agebantur, ut Tullius *in Catilinam* teſtatur; Neronis incendio exuſtum periit: & ejus e regione poſitam fuiſſe domum Tarquinii Superbi aſſerit Plinius: quod etſi plerique utplurimum in Palatio ſitum putent, comprobatur ex topographia P. Victoris, A ibi enim in Regione x. ſignat *ædem Jovis Statoris*.

DCV. Votum Romuli legimus, poſtquam cæſus vulnere male ſe habebat; enarrat Plutarchus illuſtre facinus, & ſitum certaminis perhibet: „ Forte paucis ante diebus limus ex fluminis eluvie altus & cœcus reſtiterat in convalle; quo loco nunc Forum eſt: ita cum tectus erat & evitatu difficilis, tum moleſtus, & in imo mollis: quo quum ferrentur imperitia Sabini, fortuna adfuit iis: nam B Curtius celſo vir animo, & clarus nomine, equo longe ante ſigna evectus eſt: quum equus ejus in voraginem demergeretur, conatus eſt eum aliquando cædendo & excitando exigere; ubi id parum procedit, omiſſo equo ipſe evadit. Locus ab eo etiam hodie Lacus Curtius vocatur. Periculo Sabini vitato, acrius capeſſunt pugnam, in qua licet multis cadentibus, neutro inclinavit victoria. Inter eos cecidit Hoſtilius. Paucis deinde relatis, atrociſſimum bellum Scriptores monumentis ſignaſſe teſtatur: „ In quo cum C ſaxo eſſet Romulus in capite ictus, ut pene in terram prolaberetur, pugnaque excederet, pedem retulerunt Romani, motique campo, & fuga delati ad Palatium ſunt. Interea Romulus ex vulnere aliquantulum recreatus occurrit fugientibus, ac repetere pugnam, reprimereque eos atque in hoſtem conabatur reducere: altaque voce ut reſiſterent adhortabatur, certamenque ciebat. Quum vero effuſa fuga circa eum fieret, neque quiſquam hoſtium conſpectum ſuſtineret, tenſis ad cælum manibus precatus Jovem eſt, fugam ut ſiſteret. Huc uſque Plutarchus; D at Dionyſius Halicarnaſſeus in ſecundo *Antiquitatum*, Curtium telis confoſſum evaſiſſe, deinde Romulum cecidiſſe vulneratum tradit: „ Curtius reſiſtebat invehenti ſe Romulo, unde inter ipſos Duces egregium certamen commiſſum eſt: ſed cum jam exſanguis, teliſque confixus Curtius paulatim retrocederet, in paludem cœnoſam delatus eſt: quam cum nec devitare cinctus hoſtibus poſſet; nec trajicere præ aqua in limo ſtagnante, armatus in eam ſeſe conjecit. Romulus ſupervacuum ratus per paludem perſequi E periturum in voragine, in alios Sabinos vertit impetum: ille vero ægre tandem e palude cum armis eluctatus eſt, & intra vallum reductus. . . . . . Romulus vero cæteros perſequens uſque Capitolium, & ſperans ſe jam poſſe Arcem capere, præter alia vulnera ſaxo e ſuperiore loco in capite graviter ictus ſemimortuus a ſuis relatus eſt intra mœnia. Duce ſublato acies tota perit; hinc Onoſander *l. c.* monet, licere quandoque mentiri in pugna, & inF ter commilitones periiſſe hoſtium Ducem inclamare, ut rem fortiter gererent; quam ſæpe Curtius Macedonum copias victrices Orbis terrarum abſceſſu Alexandri perterritas prodit, ejuſque adventu præſtantes animo viciſſe; mortuo in conflictu Philiſtinorum Saul Iſraelitarum Rege, inquit ſacer contextus, *Videntes viri Iſraelitæ, qui erant trans vallem & trans Jordanem, quod fugiſſent Iſraelitæ, & quod mortuus eſſet Saul, reliquerunt civitates ſuas, & fugerunt*: ne-

Situs & locus pugnæ.

Equus Curtii in voragine hæret.

Romulus ſaxo ictus in capite pugna excedit, & acies declinat.

Curtio telis confoſſo Romulus Sabinos perſequitur vulneratus cadit.

Duce percuſſo exercitus fugit.

mine persequente fugiunt, & ante incursum hostium terga vertunt, quia Dux cecidit, & exercitus absque Duce periit.

Janus pro Romanis pugnat.

DCVI. Dum Romanorum sors periclitabatur, numen ab alto militat, & Janus olim Romæ pater adest & pugnat: enimvero venas aquarum ardentes reseravit ab æde, eluvieque plurimum inundante, Sabinos ad fugam, non Panico, sed portentoso terrore compulit. Prodigium historiamque occinit Ovidius lib. 14. *Metam.* vers. 775.

—— Tatiusque, Patresque Sabini
Bella gerunt; Arcisque via Tarpeja reclusa
Dignam animam pœna congestis exuit armis.
Inde sati Curibus, tacitorum more luporum,
Ore premunt voces, & corpora victa sopore
Invadunt, portasque petunt, quas obice firmo
Clauserat Iliades. Unam tamen ipsa reclusit,
Nec strepitum verso Saturnia cardine fecit.
Sola Venus portæ cecidisse repagula sensit;
Et clausura fuit, nisi quod rescindere nunquam
Diis licet acta deum: JANO *loca juncta tenebant*
*Najades Ausoniæ gladio * rorantia fonte:*
Has rogat auxilium; nec Nymphæ justa petentem
Sustinuere deam: VENASQUE ET FLUMINA FONTIS
Elicuere sui; nondum tamen invia Jani
Ora patentis erant, nec iter præcluserat unda:
Lurida supponunt fœcundo sulphura fonti,
Incenduntque cavas fumante bitumine Venus † :
Viribus his aliisque vapor penetravit ad ima
Fontis, & Alpino modo quæ certare rigori
Audebatis aquæ, non ceditis ignibus ipsis:
Flammifera gemini fumant adspergine postes:
Portaque, nequicquam rigidis promissa Sabinis,
Fonte fuit præstructa novo; dum Martius arma
Indueret miles: quem postquam Romulus ultro
Obtulit, & strata est tellus Romana Sabinis
Corporibus, strata estque suis, generique cruorem
Sanguine cum soceri permiscuit impius ensis.

Venus proditionem Tarpejæ sentit.

Janus Nymphas rogat, ut apertis aquarum venis ferant opem Romanis.

Sabini aquarum eluvie reclusi fugiunt.

Nymphæ Najades aquarum præsides.

Loca contigua Jani sacello tenebant Najades Ausoniæ: erant Najades, auctore Homero, *fontanæ Nymphæ natæ Jovis*; enimvero Cælius *l.* 28. *c.* 24. ait: „ Præsides aquarum deas proprie Naidas dicunt; sed „ & sic vocare institutum in generationem „ progredientes animas, quod eas humectæ „ naturæ opinabantur assidere, quæ foret „ Theopnoos, ut inquit Numenius. Similiter Porphyrius *in Homeri Antrum* illas vocat *Potentias aquis præsidentes*, circa quas multa philosophatur & de more allegorizando effutit.

* Rest. *gelido*. † Rescr. *venas*.

DCVII. Prodigium eluviemque aquarum in Sabinos profert Macrobius lib. 1. *Saturn.* cap. 9. ubi de Portis Jani earumque reseratione antiqua monumenta depromit: „ In sacris invocamus JANUM „ PATULTIUM & CLAUSIUM, quia „ bello valvæ ejus patent, pace clauduntur: hujus autem rei hæc causa narratur. „ Cum bello Sabino, quod virginum raptarum gratia commissum est, Romani „ Portam, quæ sub radicibus Collis Viminalis erat, quæ postea ex eventu Janualis vocata est, claudere festinarent, quia „ in ipsam hostes irruebant, postquam est „ clausa, mox sponte patefacta est; cumque iterum ac tertio idem contigisset, armati plurimi pro limine, quia claudere „ nequibant, custodes steterunt: cumque „ ex altera parte acerrimo prælio certaretur, subito fama pertulit fusos a Tatio „ nostros; quam ob causam Romani, qui „ aditum tuebantur, territi profugerunt: „ cumque Sabini per Portam patentem irrupturi essent, fertur ex Sede * Jani per „ hanc Portam, MAGNAM VIM TORRENTIUM undis ardentibus † erupisse, multasque perduellium catervas, aut „ exustas ferventi aqua, aut devoratas rapida vortigine ‡ deperiisse: ea re placitum, ut belli tempore, velut ad Urbis „ auxilium profecto deo, fores reserarentur. Hactenus ille; censuram addit Onuphrius: „ Quod autem sub Viminalis „ Collis radicibus fuisse scribit, non intelligo: magis Varroni assentior, qui eam „ Palatii Portam prodit, non Viminalis. „ Et Janus ipse apud Ovidium in *Fastis* lib. 1. vers. 129.

Hinc Porta Janualis, & Janus Patultius & Clusius.

Porta sponte aperta.

Torrens ab sede Jani oritur in Sabinos.

Nomina ridebis; modo namque Patultius idem,
Et modo sacrifico Clusius ore vocor.

De portis eleganter occinit Virgilius lib. 7. *Æneid.* vers. 607.

Sunt geminæ belli portæ (sic nomine dicunt)
Relligione sacræ, & sævi formidine Martis:
Centum ærei claudunt vectes; æternaque ferri
Robora; nec Custos absistit limine Janus.

Earum repagula.

Hanc religionem cœpisse ab aquarum inundatione prudenter sunt plerique qui afferunt: cumprimis lib. 1. *Fastor.* vers. 261. canit Ovidius, & bellum denuo ad mentem revocat:

Utque levis custos armillis capta Sabinos
Ad summa tacitos duxerit Arcis iter.
Inde, velut nunc est, per quem descenditis, inquit,
Arduus in Valles per Fora clivus erat:
Et jam contigerant Portam; Saturnia cujus
Demserat appositas invidiosa feras.
Cum tanto veritus committere numine pugnam
Ipse meæ movi callidus artis opus.
ORAQUE, *qua pollens arte sum,* FONTANA *reclusi,*
Sumque repentinas ejaculatus aquas.

Historia Tarpejæ denuo evocata.

Aquarum inundatio prodest Romanis.

* Leg. *Æde*. † Alii, *scatentibus*. ‡ Vel potius, *voragine*.

Ante tamen madidis subjeci sulphura venis,
Clauderet utTatio fervidus humor iter.

Sed nos hac de re alibi satis dixisse compertum est.

Cap. L.

Sabini Romanique dum præ viribus audent in prælio, mulierum precibus ad fœdus Duces prodeunt. Fit PAX: *regnant simul Tatius & Romulus. De Centuriis Sabinorum, & morte Tatii Regis.*

Pro Regno satis audendum in præliis.

DCVIII. PUGNANT ancipiti belli eventu inter vulnera audacissimi, nimiaque obstinatione præcipites redintegrant prælium, nec finis tantæ cladis, dum Regnum præ robore utrique affectant. Verum illud Euripidis in *Phœnissis* vers. 507.

Αςρων ἀνέλθοιμ' ἡλίυ πρὸς ἀνατολὰς,
Καὶ γῆς ἔνερθεν, δυνατὸς ὢν δράσαι τάδε,
Τὴν θεῶν μεγίςην ὥς' ἔχειν τυραννίδα.
Siderum pervenirem ætheris ad exortus,
Et infra tellurem, si hoc possem efficere,
Ut maximam deorum occupare mtyrannidem.

Reges nutriti a Jove.

Hæc vel animi magnitudine audentes excitat cupido, unde Homerus lib. 2. *Iliadis* inquit: *Animi magni sunt a Jove nutritorum Regum*; & in libello *de Virtutibus* Aristoteles, provocantes se ad rerum fastigia, contempto vitæ discrimine, *magnanimos* appellat: vel insania, quæ superborum provocat corda, ut audeant & pereant; quod Plato lib. 9. *de Republica* adsertum voluit, & Xenophon in *Hierone*, imo Fabula quædam Phrygia ab Æsopo apud Ælianum fertur, in qua comparantur Sui, *dum mortem somniant, omnia suspicantur, & metuunt*. Injuste Regnum affectabat novus Rex Romulus, & tamen vulneratus denuo cum globo juvenum procedit ad bellum; inquit enim Livius: *Romani Sabinique in media convalle duorum montium redintegrant prælium*. Facinus Romuli enarrat Dionysius lib. 2. *Antiquit.* „Sabinos audacius persequentes usque mœnia, jam portis proximos, repressit erumpens cum Romulo globus juvenum, quos Rex ad custodiam Urbis reliquerat: jam enim se recollegerat ex vulnere, quo succurrente quantum poterat, confestim mutata est fortuna partium: qui enim modo fugiebant, ut Ducem suum ex insperato viderunt, receptis e recenti metu animis, ordinibusque instauratis sine mora, manus conferunt cum instantibus; & qui inclusi mœnibus nullum remedium putabant, quin vi capta Urbe venirent in potestatem hostium ad tam repentinam & inopinatam mutationem, de salute sua cogitare cœperunt. Erat autem hosti proclivis receptus in castra, e superiori loco per viam cavam refugienti: multique in ea pugna desiderati sunt. Præstat Ducis, quem deploratum reliquerant, adspectus, & fovet militum animos, augetque vires, ut

Vulneratus Romulus iterum procedit ad bellum cum novo juvenum globo.

Ejus adventu audent animo Romani.

Ducis inexspectatus adventus victoriam comparat.

A de Alexandro scribit Curtius: perierat post Pompejum Cæsar ab Ægyptiis insidiis telisque confossus, simulque cum eo Romanorum nomen in Alexandria, inquit Dio Nicæus; sed emergens ab undis vicit, Ægyptiosque cladi ac Cleopatræ subactos dedit. Sic in Solis occasu astra regnant & umbræ, quo exorto aufugiunt. Est in exercitu Dux tanquam spiritus militum, quo pereunte jacent, quo adveniente reviviscunt, & inter mortuos immortalitatem sibi comparant in trophæis; ideoque Seneca in libro *de Clementia* ait: *Ille est* SPIRI-
B TUS VITALIS, *quem hæc tot millia trahunt*. Caput Dux nuncupatur, cuncta ex eo vegetant membra, nec manus audet, si illud obtusum torpet; recte igitur Onosander in *Strategico* monet: *Imperator si quando ipse decertet, caveat ne sit audacior: aut potius manum cum hoste non conserat; nam licet præstabilem fortitudinis operam navare possit, non tamen tantum suis pugnando proderit, quantum occumbendo oberit*:
C scite equidem: nam primum mobile resipiscens a motu, astrorum castra, ut dicunt Hebræi, desident, quod si ex adverso se moveat, etsi diversas per semitas, cuncta vigent. Exemplum offert Livius *lib.* 25. *cap.* 34. ubi de Scipione: *Pugnanti hortantique Imperatori, & offerenti se ubi plurimus labor erat, latus dextrum lancea trajicitur; cuneusque in hostium, qui in confertos circa Ducem impetum fecerat, ubi exanimem labentemque ex equo Scipionem vidit, alacres gaudio cum clamore per totam aciem nunciantes discurrunt,*
D *Imperatorem Romanum cecidisse: hæc pervagata statim * vox, ut & hostes haud dubie pro victoribus, & Romani pro victis essent, fecit. Fuga confestim ex acie Duce cæso † fieri cœpta est.*

Imperator non pugnet, neque periculis se exponat.

Dux in exercitu velut primum mobile.

DCIX. Dum res adhuc sub Judice, etsi Livius scribat, *res Romana erat superior*: etenim inquit Plutarchus: *Redintegrato certamine Romani impulerunt Sabinos ad Regiam, quam nunc vocant, & Vestæ ædem*. Verum fatetur Dionysius; utramque partem bellum grave ac plenum periculis consultasse, ut sua quisque prospi-
E ceret; ejus verba referre tanquam historiæ facem existimo: „Sequentibus diebus Sabini consultabant; Utrum vastato quantum possent hostili agro, reducendæ essent domum copiæ? an perseverandum in bello, accitis recentibus, donec præclarum ei finem imponerent: durum enim erat, vel abire infecto negotio, vel manere non succedente ut speraverant. Quod si descenderetur in colloquium, (qui solus restare videbatur honestus belli exitus) id vero sibi æque ac Romanis existimabant conducibile. Romani quo-
F que non minus, imo magis etiam quam Sabini, consiliorum erant inopes, incerti quid facerent: nam neque retinere mulieres placebat, neque reddere; quod alterum videretur nihil aliud quam confessio victos se esse, & ad quaslibet conditiones accipiendas obnoxios: alterum, multas miserias eos inspectare cogeret, agrorum vastationem, & juventutis fortissimæ quotidianos interitus. Quod si priores mentionem fecissent amicitiæ,

Dubium adhuc Sabinorum ac Romanorum bellum.

Sabinorum curæ.

Imperatorum colloquium utile in bello.

Romani consiliorum inopes.

* Alii, *passim*. † Vel, *amisso*.

„ nihil æquum a Sabinis ſperabant eâ maxime de cauſa, quod qui ſe potiores existimant, non tam moderatis conditionibus adverſarios demereri ſtudeant, quam iniquis premere. Inter has cogitationes partium, dum neutris, vel pugnæ initium, vel pacis mentionem facere audentibus tempus teritur, Romanorum uxores Sabini generis, propter quas bellum exortum fuerat, cœtu facto, abſque viris arbitris inter ſe collocutæ, decreverunt utroſque invitare ad fœdera, ſuaſu Herſiliæ non obſcuro inter Sabinos loco natæ fœminæ. Hactenus ille. Sunt qui, cum bellum Cæninenſium ferveret, Herſiliam rogaſſe Romulum ſcribant, ut victis parceret, præcipue Livius. Eadem mulier ingentis eximiæque virtutis commentum pacis agit, & populum utrumque ſub gladio irruentem ſublevat: concludit igitur Ovidius, voluntate numinum, lib. 14. *Metam.* verſ. 803.

Sabinæ mulieres pacem inter utroſque agunt.

Herſiliæ conſilio dictæ.

Pace tamen ſiſti bellum, nec in ultima ferro
Decertare, placet; Tatiumque accedere Regno.

DCX. Hic finis, ſed modum enarrare operæ erit pretium. Plutarchus in *Romulo* inquit: „ Pugnam iterare molientibus terribile viſu & inauditum cohibuit ſpectaculum: Sabinorum filiæ, quæ raptæ fuerant, ex diverſis locis accurrere: hæ per infecta arma & cadavera cum clamore & ululatu tanquam fanaticæ ad viros & patres intulerunt ſe; partim infantes in ulnis geſtantes, partim crinibus reſolutis, omnes tamen blandiſſimis nominibus, hinc Sabinos, hinc Romanos appellantes, confeſtim ſedaverunt utroſque, atque inter utramque aciem datus eſt iis locus: jam ejulatus ab omnibus pariter perceptus eſt, ſpecieſque commovit eos. Tentarunt mulieres Cæſarem ac Pompejum ad fœdus revocare, ſed fortaſſe ſexus ultra vires non potuit, nec eo inficias, dum mulieres animo præſtantes virili recenſeo: enimvero ſcribit Dio in Auguſto de Antonii uxore Fulvia: „ Timore permotus Cæſar ſtudebat cum Fulvia & Lucio reconciliari: id tamen per Legatos impetrare non potuit, propterea quod multi Senatorii & Equeſtris Ordinis cum Fulvia erant, eaque nonnunquam, quod mirum fortaſſe videbitur, accingebat gladium, ſignaque diſtribuebat inter milites, atque apud eos ſæpenumero concionabatur. Unam obtulit mulierem, quam cum Sabinis comparare poſſes. Igitur potuere Sabinæ viragines habitu & oratione ad animos commovendos omnino præſtantes; unde Livius ait: „ Auſæ ſe inter tela volantia inferre, ex tranſverſo impetu facto, dirimere infeſtas acies, dirimere iras: hinc patres, hinc viros orantes, ne ſe ſanguine nefando soceri generique reſpergerent; ne parricidio macularent partus ſuos, nepotum illi, liberum hi progeniem: ſi affinitatis inter vos, ſi connubii piget, in nos vertite iras: nos cauſa belli, nos vulnerum ac cædium viris ac parentibus ſumus; melius peribimus quam ſine alteris veſtrum viduæ, aut orbæ, vivemus. Movet res tum multitudinem, tum Duces: ſilentium, & repentina fit quies; inde ad fœdus faciendum Duces prodeunt.

Habitus mulierum & preces.

Pleræque mulieres viragines.

Dirimunt bellum.

Earum verba.

Movent Duces.

DCXI. Non fortuito incurſu peregiſſe credendum, ſed poſtulatis S. C. annuit, & ut orarent bona venia precibuſque obtinuerunt: etenim mulieres extra domum ferre pedem olim capitale: tantum ad lanificium, Thalaſii exceptæ omine, familiæ curam gerebant; idque Dionyſius refert: „ Herſiliæ conſilium poſtquam univerſarum communi ſententia comprobatum eſt, Regium Senatum adeunt; & poſt acceptam dicendi copiam, Oratione prolixa cum Patribus conſcriptis agunt, ut ſibi ipſorum venia cognatos ſuos adire liceat, affirmantes, ſe certam ſpem concepiſſe, conciliandæ inter duas gentes amicitiæ. His auditis in concilio Rex & cæteri vehementer gaviſi ſunt, cenſentes ſolum hunc ſupereſſe perplexis rebus exitum; factumque eſt Senatuſconſultum, ut quotquot Sabinæ haberent prolem, his, domi penes maritos relictis pueris, liceat legationem ad ſuos populares ſuſcipere: quod ſi quæ matres ſint plurium, hæ partem eorum aliquam ſecum ducant, & dent operam ut duo populi coeant in amicitiam. Si vera eſt Dionyſii hiſtoria, conſenſus Romuli præceſſit illuſtre facinus, ſic data opera, dum ornant prælium, in belli præludio adſunt, orant, quæque optata reportant: noverat enim Romulus Herſiliæ efficaciam in exorando, cujus rogatu Cæninenſes cæteroſque a clade ſecreverat: accedit oraculum Junonis apud Ovidium, qui primam recentioremque legationem ſimul lib. 3. *Faſtorum* concinit verſ. 205.

Exeunt Senatuſconſulto & Romuli aſſenſu.

Patres exorant, veniam impetrant.

Herſiliæ efficax adhortatio.

Conveniunt nuptæ dictam Junonis in ædem, &c.

Juno favet.

Addit Dionyſius, Herſiliam peroraſſe pacem: „ Auctor hujus conſilii legationiſque Princeps Herſilia, longa & ad movendos affectus compoſita deprecatione ad pacem viris ſui reſpectu impetrandam uſa eſt: quandoquidem ipſæ belli ſuſcipiendi cauſa fuiſſent; cujus conditiones, cum utriſque bonum ſit & commodum, ex communi Ducum conſtituerentur arbitrio. Pergit deinde curioſe, & pacem obtentam denarrat: „ Oratione finita prociderunt univerſæ cum pueris ad Regis genua, nec ſurrexerunt niſi ſublevatæ a ſuis, æqua omnia, quantum in ſe eſſet, pollicentibus: ac mox cum juſſiſſent eas ſecedere, conſultatione inter ſe habita decreverunt de reconciliatione agere, interpoſitiſque primum induciis, paulo poſt fœdus inter Reges ictum eſt, & jurejurando firmatum. Hæc ille. Plutarchus orationem effingit Herſiliæ, poſt quam cæteras oraſſe inquit. Quid non obtinet mulier? dum rogat imperat; Eſther populum ſuum a clade inſtante ſubduxit precibus: movent affectum, ita ut ſubortis lacrymis præcordia obſtringant: annuit Zonaras lib. 2. *Annalium: Movit ea res hoſtes, ut direpta acie mulieres in medio ſtare paterentur, nemine non plorante.*

Oratio Herſiliæ.

Reconciliat hoſtes.

DCXII. Bonum factum; bellum quandoquidem exterminat regna: unde ſcite Homerus Vatum maximus Græcorum in *Iliade* ait,

Belli damna.

In-

Inhumanus, impius, & ferus est ille,
Qui bellum cupit in civitate detestabile:
Occiduntur viri, consumitur igne civitas.

Quandoque bellum necessarium, ac Dei jussu susceptum.

Quandoquidem necessitate compulsi boni cives Ducesque optimi illud adoriuntur pro tuitione honesti prælium, pro laribus & patria militant; sic intelligendus Plato in *Menexeno*, *apud plurimas gentes præclarum esse in bello occumbere*; unde Tyrtæus, qui a Pausania tanquam Vates extollitur, & hymnos primus concinit adversus vitia ac pro virtute plausum, ut inquit Stobæus, eleganter ait:

Laus viri fortissimi decertantis.

Commune hoc bonum est civitati & toti populo,
Si quis vir progressus inter pugnantes in prima acie maneat
Constanter: turpis autem fugæ prorsus obliviscatur,
Vitam & animum patientem periculo objiciens:
Et adstantem sibi virum ad mortem obeundam animet:
Hic sane bonus vir exsistit in bello;
Statim vero hostium in fugam conjicit phalanges
Asperas, suaque opera prælii fluctus regit:
Ipse autem in prima acie prostratus vitam amittit,
Civitatem, & populos, & patrem honestans.

Honestat patrem & patriam.

Multis per pectus & scutum rotundum vulneribus,
Et per thoracem ab anteriore parte sauciatus:
Hunc simul lugent senes atque juvenes,
Et gravi desiderio universa civitas ipsius funus prosequitur.

Ejus funus gloriosum.

Haud unquam ejus bona gloria, neque nomen interit:
Sed quamvis sub terra conditus, manet immortalis ille.

Igitur boni Duces sicut ad bellum, ita ad pacem promti commendantur a Thucydide, ubi Corinthiorum concionem depromit; ideoque Tatius & Romulus bello insignes pacem amplectuntur, & communi omnium voto. *Nec pacem modo*, inquit Livius, *sed & civitatem unam ex duabus faciunt; Regnum consociant; Imperium omne conferunt Romam. Ita geminata Urbe, ut Sabinis tamen aliquid daretur, Quirites a Curibus appellati: monimentum ejus pugnæ, ubi primum e profunda emersus palude equum Curtius in vado statuit, Curtium Lacum appellarunt: ex bello tam tristi facta † repente pax, chariores Sabinas viris ac parentibus, & ante omnes Romulo ipsi fecit.*

Pax inter Sabinos & Romanos.

Lacus Curtius.

DCXIII. Leges fœderis recenset Dionysius Halicarnasseus: „ Ut in Urbe regnarent pari potestate honoreque Romulus ac Tatius; & ut ea deductum a conditore servaret vocabulum: cives vero in universum a Tatii patria Quirites denominarentur: Sabinis jus Civitatis Romanæ ut daretur, quicunque id cuperent; utque hi communicatis utrinque sacris reciperentur in Tribus & Curias. Sic ante aras icto fœdere circa mediam Sacram Viam permixti se invicem salutaverunt. Dimissis deinde cum suis copiis Ducibus cæteris, Tatius Rex cum tribus illustrissimis viris Romæ habitaturus substitit: hi posteritatem honoratam post se reliquerunt, Volesus Valerius, Tallus cognomine Tyrannus, & Metius Curtius, qui paludem armatus tranaverat: cum quibus cognati & clientes manserunt non pauciores indigenis. Huc usque Dionysius: Plutarchus adnotabat: *Locus, ubi fœdus ictum fuit, hodie quoque a coeundo* COMITIUM *vocatur*: sed inter conventiones digna scitu illa refertur, quam offert Zonaras: *Mulierum vocibus adducti Duces colloquio habito pepigerunt, ut matronæ, quæ apud maritos manere vellent, omnis operis omnisque ministerii, præterquam* LANIFICII, *immunes essent*: fortasse olim mulieres forensia in agris peragebant, & duram vitam antiquitus agentes, pro eximiæ pietatis facinore tantum lanas in posterum tractare obtinuerunt. Addamus ex Livio, Curiarum nomina ex Sabinarum mulierum nominibus decorata, ut simul cum Curiis æternum starent: *Itaque cum populus in Curias* XXX. *divideret, nomina earum Curiis imposuit*: de quibus jam diximus.

Conditiones pacis.

Romani Quirites dicti.

Sacra communia.

Sabinorum viri nobiles

Comitium

Curiarum nomina juxta nomina mulierum Sabinarum.

DCXIV. Sed pro mulieribus audiendus Plutarchus in *Romulo*, qui gesta recenset, & illarum privilegia; inquit enim: „ Geminata Urbe CENTUM EX SABINIS SENATORES allecti: Legiones constitutæ ex peditibus senis millibus, equitibus sexcentis: TRIBUS tres, Rhamnenses a Romulo, a Tatio Tatienses, Luceres a Luco, quo in Asylum multi qui confugerant, inviolati in Civitatem recepti erant: quippe tres fuisse & nomen Tribus & Tribuni declarat. Singulæ denis constabant Curiis, quibus Sabinarum imposita nomina autumant quidam fuisse. Verum id, quia a Regionibus cognomina complures habent, falsum videtur: quamvis multa constituerint in honorem fœminarum, ex quibus hæc sunt: Decedere illis via: Ab omni obscœno dicto, præsente muliere, abstinere: Non conspici nudum: Nec apud Judices rerum capitalium illas causam dicere: Earum liberos gestare bullam ex figura & similitudine colli ornamentum & prætextam. Hæc Plutarchus; ex quo pudicitiam apud Veteres in pretio fuisse addiscimus, & matronarum decus, non mundum muliebrem, sed filiorum ornamenta excelluisse.

Centum Senatores ex Sabinis.

Honores, quos decreverunt pro mulieribus.

DCXV. Longam litteram facit Divus Augustinus *lib.* 3. ad Marcellinum *cap.* 13. de jure & fœdere, quo Romani obtinuerunt prima conjugia, ejusque verba eruditissima ornant velut corona hoc caput; inquit enim: „ Quomodo nec Juno, quæ cum Jove suo jam fovebat Romanos, rerum dominos gentemque togatam, nec Venus ipsa Æneadas suos potuit adjuvare, ut bono & æquo more conjugia mererentur, cladesque tanta irruit hujus inopiæ, ut ea dolo raperent, moxque compellerentur pugnare cum soceris; & miseræ fœminæ nondum ex injuria maritis conciliatæ, jam parentum sanguine dotarentur: at enim vicerunt in hac conflictatione Romani vicinos suos. Quantis & quam multis utrinque vulneribus ac funeribus, tam

Dii Romanis inutiles.

Raptus mulierum.

* Rep. *læto*.

Propter unum Cæsarem & Pompejum socerum & generum clades.

„ propinquorum quam confinium, istæ victoriæ constiterunt? Propter unum Cæsarem socerum & unum generum ejus Pompejum, jam mortua Cæsaris filia uxore Pompeii, quanto & quam justo doloris instinctu Lucanus exclamat,

Bella per Emathios plus quam civilia campos,
Jusque datum sceleri canimus.

„ Vicerunt ergo Romani, ut strage socerorum manibus cruentis ab eorum filiabus amplexus miserabiles extorquerent: nec illæ auderent flere patres occisos, ne offenderent victores maritos; quæ adhuc illis pugnantibus, pro quibus facerent vota, nesciebant. Talibus nuptiis Populum Romanum non Venus, sed Bellona dotavit; aut fortassis Alecto illa infernalis furia, jam eis favente Junone, plus in illos habuit licentiæ, quam cum ejus precibus contra Æneam fuerat excitata. Andromache felicius captivata est quam illa conjugia Romana nupserunt; licet serviles, tamen post ejus amplexus nullum Trojanorum Pyrrhus occidit, Romani autem soceros interficiebant in prœliis, quorum jam filias amplexabantur in thalamis: Illa victori subdita, dolere tantum suorum mortem potuit, non timere: Illæ sociatæ bellantibus, parentum suorum mortes procedentibus viris timebant, redeuntibus dolebant, nec timorem habentes liberum, nec dolorem: nam propter interitum civium, propinquorum, fratrum, parentum, aut pie cruciabantur, aut crudeliter lætabantur victoriis maritorum. Huc accedebat, quod ut sunt alterna bellorum, aliquæ parentum ferro amiserunt viros, aliæque utrorumque ferro & parentes & viros: neque enim & apud Romanos parva fuerunt illa discrimina; siquidem ad obsidionem quoque perventum est Civitatis, clausisque portis se tuebantur; quibus dolo apertis, admissisque hostibus intra mœnia, in ipso Foro scelerata & nimis atrox inter generos socerosque pugna commissa est: & raptores illi etiam superabantur, & crebro fugientes intra domos suas, gravius fœdabant pristinas, quamvis & ipsas pudendas lugendasque victorias. Hic enim Romulus de suorum virtute jam desperans, Jovem rogavit ut starent, atque ille hac occasione NOMEN STATORIS invenit. Nec finis esset tanti mali, nisi raptæ illæ laceratis crinibus emicarent, & provolutæ parentibus iram eorum justissimam, non armis victricibus, sed supplici pietate sedarent. Deinde T. Tatium, Sabinorum Regem, socium Regni Romulus ferre compulsus est, germani consortis impatiens. Huc usque Divus Augustinus deorum Gentium impotentiam demonstrat, & stupida quæ colebant numina, ostenditque non Jovis ope stetisse acies, sed raptarum mulierum intercessione, siquidem vana Romanorum religio, & absque Deo deos sibi effinxit.

Earum ærumnæ declarantur.

Clades.

Romani inter mœnia [illegible] ment.

Jovis Statoris templum.

Mulierum Sabinarum laus.

Reficiunt vulneratos.

DCXVI. Pax igitur, & fœdus mulierum pietate firmatur, & quia undique vulnera & macies, a bello reduces piissimæ excipiunt, confovent, & curant: tantæ charitatis monumenta refert Plutarchus in *Romulo*: „Mulieres, *inquit*, interea curant ad parentes & fratres adducere viros, liberosque reficere cibo & potu eos qui quærerent, saucios domum deportatos curare, ostendere domi se præesse, quanta viri in se indulgentia essent, quantaque charitate & honore prosequerentur. Hoc habet genus mulierum, ut semper dominium affectet, & superbe ostentet; ubi vires deficiunt, abundat ambitio, ut in Cæsaris filia, & Messalina Claudii uxore, Scriptores adsertum volunt; quod in Sabinis felix faustumque cessit.

Tatii Regia.

DCXVII. Post hæc, *non modo commune, sed concors etiam Regnum duobus Regibus fuit*, scribit Livius. Domum sibi comparavit Tatius & Regiam, de qua Plutarchus ait: „ Tatius habitabat, ubi ædes nunc Monetæ est, Romulus ad pulchri littoris, quos vocant, gradus, circa descensum ex Palatio in Circum Maximum, quo loco referunt sacram Cornum fuisse, & fabellam attexunt; exercentem se Romulum, torsisse ex Aventino lanceam, cujus erat corneum hastile; alte defixum cuspidem convellere quum multi niterentur, neminem valuisse; lascivientem autem humum, ramos, & stipitem corni eximia germinasse proceritate. In hac omen Imperii recensebamus, sicut in Vespasiano & Cæsare, de quibus paulo ante scripsimus. Imperantibus Tatio & Romulo Urbs aucta crevit, & vicini colles, hominum conventu, cæsa sylva, casas prætulere civium; quod animadvertit Dionysius: „Romulus atque Tatius cum suis Urbem confestim auxerunt, additis aliis duobus Collibus, Quirinali, Cælioque, & divisis habitationibus seorsum degebant propriis & separatis in Regionibus, Romulo tenente Palatium, eique contiguum Montem Cælium; Tatio vero Capitolium, quod occupaverat, & Quirinalem Collem: iidem planiciem Capitolio subjectam, cæsa sylva, & stagno, quod propter loci Civitatem† erat aquarum e vicinis Montibus manantium receptaculum, terra congesta repleto, in hujus, quod nunc est FORI, USUM verterunt: ubi magna hominum frequentia negotiabatur circa Vulcani templum, paulum supra Forum eminens. Est Forum, inquit Nonius Marcellus, *ubi Jus dicitur*. Varro a *ferendo* dictum putat, quod eo controversias & quæ vendere vellent conferrent: insulse Isidorus a *fando*, vel *Phoroneo Rege* nomen accepisse: proprie Forum *negotiationis erat locus*, ut Festus Pompejus tradit, etsi variis inde rebus aptum usurparunt Fori nomen Veteres. Unde Plautus in *Curcul.* Act. 4. Sc. 1. vers. 14.

Cornus Romuli sacra.

Quirinalis & Cælius Mons intra Urbem.

Forum Romanum.

Unde dictum?

In Foro infimo boni homines atque dites ambulant.

Plura fora apud Romanos.

Unum antiquitus colebatur, deinde multiplex, illud simplex, reliqua, florente Urbe, tanta ambitionis pompa, ut Plinius *lib.* 36. *cap.* 15. scribat: *Pyramides Regum miramur opera, cum solum tantum Foro*

† Rest. *cavitatem*.

exstruendo millies ducenties sestertium emerit Cæsar Dictator; primum ubi Lacus, quem Curtium dixere, palude exsiccata prodiit; de quo lib. 6. *Fastorum* Ovidius vers. 403.

Ubi Forum antea Lacus Curtius.

Hic, ubi nunc FORA *sunt, udæ tenuere paludes;*
Amne redundatis fossa madebat aquis;
Curtius ille Lacus, siccas qui sustinet aras,
Nunc solida est tellus, sed Lacus ante fuit.

Forum de scribitur.

Forum Magnum, & Romanum dicebatur: spatium longitudinis, Marliano auctore, passus centum plus minus perficit, latitudinis vero quinquaginta, a Jovis Statoris templo ad Antonini Pii porticum: a Palatii porta, fere ad Arcum Vespasiani, Comitii nomen obtinuit. Quidam Forum usque ad eundem Arcum protensum esse voluerunt, quorum opinioni videtur assentiri Dionysius memorans, Publicolam in Colle, Foro eminenti, domum habitavisse, quæ in Velia fuit: contra videtur sentire Suetonius, qui templum Pacis Foro proximum esse dicit, adeo ut a Foro id templum excludat; hæc mensura novissimis temporibus recta censetur, antiquitus vero Comitii tractus & templa non erant; ideo grande illud Forum, & tanta multitudine capax, ut deambulare, & negotiari, vendere quæque ac emere commode possent. Enimvero cum statuas & monimenta Principum in illo ponerent, alia Fora aperuerunt Urbi, ut publica commoditas esset etiam in caussis declamandis; indigitatque tria Fora Martialis *lib. 3. epigr. 38.*

Ejus amplitudo.

Ejus ornamenta.

Caussas declamabant in Foro.

Caussas, inquis, agam Cicerone disertius ipso,
Atque erit in triplici par mihi nemo Foro.

Quartum addidit Domitianus, quod Nerva perfecit: Trajanus augustissimum tanta statuarum multitudine & ornamentis, e toto terrarum Orbe conquisitis, adstruit, ut portentum Orbis singulare diceretur & esset: in ejus medio Columna cochlidis *, arte & magnificentia cum Obeliscis certat & vincit.

Plures Reges in uno Regno, Regni exterminium.

DCXVIII. Sed non diu Sol geminatus in cælis, nec Imperatores Regesque une simul in Regno: etenim Homerus lib. 2. *Iliadis* ait vers. 204.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. εἷς Κοίρανος ἔστω,
Εἷς Βασιλεύς,
Non bonum est multorum dominium; sit Dominus unus,
Unus Rex.

Portentum censetur in cælorum orbe Sol geminatus, & cladis omina præfert: esto; navis sit Reipublicæ symbolum, duplici gubernaculo fluctuat, & demergitur: biceps homo monstrum, & brevioris vitæ, imo calamitosissimę mortis indicia pręfert: etsi caput ostentat Principem, in Regno calamitatis sunt monumenta duorum Regum infelix regimen; in aquila Cæsaris

Probatur exemplis.

* Leg. *cochlis*.

duo sunt capita, sed unius Imperii hieroglyphicum, imo quia aucta capita sub Constantino, utrumque Orientis Occidentisque Imperium corruit, & tantum insignia recolimus. Eodemque pacto Tatius & Romulus in Urbe, cum unam occuparent Regni sedem, nutabat Regia, & præstantior excellens socium deturbavit, ut solus esset in Regno: etenim Democritus apud Stobæum inquit: *Imperare natura proprium est præstantiori*. Itaque præstantior Romulus Regnum tenuit, occubuit Tatius. Caussam videamus; *Infida societas* prima refertur; enimvero, inquit Plutarchus, *Consilia non statim vocabant Reges in unum, sed separata primo cum suis uterque centenis habebant, inde conveniebant omnes.* Multa commiscue habebant, quæ ad Regni fastigium non facerent: unde sequitur Plutarchus:,, Menses habebant Sabini ,, Romanorum, in quibus quicquid pro- ,, batu dignum sit, in Vita Numę retulimus: ,, Romulus ab illis est scuta mutuatus, sua- ,, que ac Romanorum, qui ferre ante par- ,, mas Argolicas solebant, arma mutavit; ,, festos dies ac sacra promiscue habuere.

Præstantior imperet, & unus.

Quæ communia Sabinorum & Romanorum?

DCXIX. A principio namque Sacris dederunt operam; unde Dionysius ait: ,, Exstructis quoque templis aras conse- ,, craverunt diis, quibus in pugna vove- ,, rant; Romulus Jovi Statori apud Portam ,, Mugoniam ducentem e Via sacra in Pa- ,, latium; quod exercitum ipsius fugientem ,, deus post preces stare fecisset, & uti vi- ,, ribus: Tatius vero SOLI, & LUNAE, ,, & SATURNO, & RHEAE, præte- ,, rea VESTAE, & VULCANO, ,, DIANAE, & QUIRINO, aliisque diis, ,, quos nominare Græcis non est facile: in ,, omnibus etiam Curiis mensas JUNONI ,, CURITIDI posuit, quæ ibi sitæ sunt ,, nostro quoque tempore. Dum sacris vacant, a bello immunes, pacifice regnant.

Jovi Statori templum, Lunæ, Saturno, Rheæ, Vestæ, Vulcano, Dianæ, Quirino, qui Mars & Sancus.

Junoni Curitidi.

DCXX. Hoc fœdus post pugnam putat Eusebius ictum anno vigesimo Regni, & Urbis Romuli Romæ exordium; *Tarpeja clypeis Sabinorum obruta, unde Mons Tarpejus, in quo nunc Capitolium:* circa hæc tempora regnabat Alyattes Lydorum Rex, & Mydas in Phrygia; in Sicilia Naxus condita, & Syracusæ, ac Catana; a Lacedæmoniis Messena capta sub jugo desipuit; Manasses Isaiam interfecit, anno ab Abraham 1287. Olympiadis XVIII. ann. 2. post hæc inquit, anno XXIV. *Romulus milites primus sumsit de populo, & nobilissimos centum senes ob nobilitatem Senatores, ob similitudinem curæ, Patres appellavit: templa quoque & muros Romanæ Urbis exstruxit*; quæ tempora vix conveniunt: etenim post Regni Urbisque curas ipse Senatores delegit, & antequam Tarpeja proderet Arcem Senatus Consulta erant; imo Dionysius tradit, antequam mulieres exirent pacem exorantes cum Romulo & Senatu egisse, eorumque venia opus grande cœptum perfecisse, nisi dixeris de Senatoribus Sabinorum intellexisse: de quibus Dionysius ait: *De numero Senatorum variant, non* C. *sed* L. *in Senatum fuisse allectos.* Ad rem spectat tempus incongruum: non enim post tantam annorum seriem dimicasse pro mulieribus censendum, quarum filii jam juvenes, & Romani

Tempus belli & fœderis disquiritur.

Syracusæ, Catana, Naxus urbes in Sicilia conditæ.

eſſent. Adde poſt an. XVI. de Camerinis una cum Tatio regnantem triumphaſſe.

Pax Romuli & Tatii toto luſtro laudatur.

DCXXI. Quinque annorum ſpatio pacifice regnarunt ſimul Reges: luſtro jam peracto erupit virus ad necem. Bellum toto triennio peractum, quinque annis pacis fœderiſque emolumenta percepit. Duos Regnum non capit Reges, obſervabatque Antigonus in *Hiſt. mir.* cap. 93. *Alvearia perire, ſive Rege careant, ſive* PLURES UNO *habeant*. Idque Ariſtoteles docuit *Hiſt. Anim.* lib. 5. cap. 22. ex quo Plinius *lib.* XI. *cap.* 17. *Apes eſſe ſine Rege non poſſunt: invitæ autem interimunt eos, cum plures fuerint*. Et in illis formam Reipublicę ex Cleanthe & Virgilio expreſſam legimus: ſic & præ oculis expreſſit facinus Tatii mors. Pacem dixi inter Romulum & Tatium; cæterum cum finitimis prælium fuit adverſus Camerinos: *Cameriam olim Albani*, inquit Dionyſius, *multo antequam Romam, condiderant*. Temporibus autem priſcis Aboriginum fuit domicilium cumprimis nobile: gens illa fortis libertatem tuebatur, ideoque Tatius & Romulus urbem illorum adoriri & jure Coloniæ tenere decreverunt; aſſeritque Dionyſius Halicarnaſſeus: „In illud quinquennii ſpatium incidit contra Camerinos expeditio, geſta communibus auſpiciis: nam cum agrum eorum infeſtarent, & ſæpius res repetentibus contumaciter pernegarent jus ſuum, auſos congredi, fuſoſque ac fugatos, oppido etiam vi capto, armis ademtis mulctaverunt, & agri parte tertia: quem illi cum iterum incurſarent, egreſſi obviam, die tertia, devictorum acie bona omnia conceſſerunt ſuis militibus, ipſos quotquot vellent Romæ habitare permiſerunt; erant autem fere quatuor millia, quos in Curias diviſerunt, & urbem eorum fecerunt Romanam Coloniam. Auctor Faſtorum.

Cameriæ antiquitas.

Ejus agrum devictis civibus fit Romanorum Colonia.

De Camerinis triumphus.

ANN. P. R. C. XVI. ROMULUS. REX. II. ANN. XVI. DE. CAMERINEIS. KAL. SEXTILIBUS. Iterum poſt Tatii fatum ſolus Romulus exercitum duxit, ac rebellantes depreſſit; enimvero graſſante peſtilentia, cum Camerinorum cives Urbem totam conſumtam lue crederent, adverſus Romanos arma tulerunt, deceptique periere; Plutarchus tempora & facinus refert: „Peſtilentia etiamnum graſſante Camerini fecerunt in fines Romanos incurſionem, quaſi peſte Romanis ad vim propulſandam impeditis: at Romulus infeſto exercitu movit, ac prælio eos fudit: occidit ſex millia, expugnatoque horum oppido, dimidium ejus, quod bellum reliquum fecerat, Romam habitatum traduxit; Camerium Colonos Romanos bis totidem, quam ibi relicti ex Cameriis fuerant, Kalend. Sextilibus ſcripſit: tantum illi XVI. prope annis a condita Urbe ſupererat civium. Cauſam Dionyſius tradit, cives Romanos ab illis oppreſſos: *Colonos Romanos ſecum habitantes per inſidias oppreſſerunt, gravante Urbem peſtilentia; freti enim difficili Romanorum tempore, & putantes ea lue funditus eorum genus interiturum, alios occiderunt, alios ejecerunt ex oppido*. Secundum triumphum de hoc hoſte egiſſe legimus, & ex manubiis Vulcano dedicavit QUADRIGAS ÆREAS, ſimulque SUAM EFFIGIEM cum Græco rerum a ſe geſtarum elogio, inquit Dionyſius. Plutarchus addit, in templo currum æneum poſuiſſe, ET STATUAM SUAM A VICTORIA CORONATAM; puto hinc morem emerſiſſe apud Romanos pingendi Victoriam ad ſimilitudinem puellæ expanſis alis cum corona, ut in Arcu Veſpaſiani adhuc videtur. Claudianus *de laudibus Stilichonis* occinit lib. 3. verſ. 204.

Iterum Camerini ornant prælium dum peſtilentias Urbem devaſtat.

Peſtis lues.

Romanos per inſidias interfecerunt.

Quadrigæ Vulcano dicatæ ex manubiis Camerinorum.

Effigies Romuli cum elogio in templo dicata a Victoria coronata.

Ipſa Duci ſacras Victoria panderet alas†,
Et palma viridi gaudens, & amicta trophæis,
Cuſtos Imperii Virgo.

Victoriæ ſimulachrum.

DCXXII. His peractis, Tatii mortis cauſam recenſet, ac parricidium loquitur Livius: *Poſt aliquot annos propinqui Regis Tatii Legatos Laurentium pulſant: cumque Laurentes jure gentium agerent, apud Tatium gratia ſuorum & preces plus poterant; igitur illorum pœnam in ſe vertit: nam Lavinii cum ad ſolenne ſacrificium eo veniſſet, concurſu facto interficitur*. Sed pro facinoris gravitate prolixior notitia exigitur, quam a Dionyſio excerpere eſt in votis. Etenim ſexto anno poſt fœdus cum Sabinis, ad ſolum Romulum Urbis principatus rediit, Tatio per inſidias exſtincto; quæ illi ab optimatibus Lavinienſium tali de cauſa ſtructæ ſunt: Tatii amicorum quidam cum manum latronum excurſionem in agrum Lavinienſem facta, res eorum depopulati, pecorum quoq; greges abegerant, ipſos dominos propugnare conatos, partim occiderant, partim ſauciaverant: cumque ii, ad quos hæc injuria pertinebat, miſſis in hoc Legatis, jure agerent, Romulus cenſuit cius auctores dedendos his ad ſupplicium; Tatius vero pro amicis contendens, indignum, ajebat, ab inimicis aliquos ad pœnam duci, idque cives ab exteris, poſtulans, ut ipſi querelas ſuas Romæ apud Judices deponerent. Sic Legati indignabundi, re infecta, dimiſſi ſunt; eos Sabinorum quidam ſubſequuti, repertos in via, ubi nox, & ſopor oppreſſerat, ſtratos in ipſis cubilibus aliquot ſævum in modum confodiunt, direptiſque etiam ſarcinis, reliqui maturius exciti ſuam in Urbem refugiunt. Poſt hæc frequentes legationes tam e Lavinio quam ex aliis urbibus accuſabant violatores juris gentium; bellum denutiantes, ſi abiret impune tantum facinus. Tum Romulus eam Legatorum injuriam gravem, ut erat, & expiatione celeri habere opus exiſtimans, ut proculcata lege ſanctiſſima, videnſque rem non eſſe curæ Tatio, nihil cunctatus, comprehenſos noxios & vinctos Legatis abducendos tradidit. Tatium vero ſimul ira, quaſi hac deditione læſum a Regni ſocio, ſimulque abducendorum miſeratio ſubiit, quod etiam cognatorum ejus unus obnoxius eſſet ei piaculo; moxque milite ſtipatus occurrens, ſontes arripuit. nec ita multo poſt, (ſicut quidam produnt) cum Romulo profectus Lavinium ſacrorum cauſa, quæ Reges oportebat diis patriis pro ſalute Urbis facere, coortis in eum Legatorum occiſorum amicis ac cognatis, ante aram ſeceſpitarum & veruum ictibus cæſus eſt:

Tatii mors ejuſque cauſa.

Inſidiæ.

Hiſtoria necis Tatii Regis.

Legati noctu oppreſſi & interfecti.

Sontes a Tatio liberantur.

Ad aram Tatius occiditur.

† Alii, *ædes*.

vel, si Licinio credimus, neque cum Romulo, neque sacrorum causa eum venisse, sed solus, suasurus læsis, ut iras remitterent, indignatione plebis, ob non deditos ex sententia Romuli ac Senatus noxios, cognatorum impetu lapidibus est obrutus. Hic finis Tatii fuit, post trienne bellum, exacto quinto anno communis cum Romulo Imperii.

Romulo jubente.

DCXXIII. Attamen Orosius a Romulo Tatium interfectum putat, & impie Sabinorum Regem contrucidatum ab illo, ut solus regnaret, *Ducem Tatium senem honestis pietatis causis insistentem, diu armis propulsatum, mox in societatem Regni assumsit & occidit*. Expresse Divus Augustinus *lib.* 3. ad Marcellinum *cap.* 13. *Titum Tatium Regem Sabinorum socium Regni Romulus ferre compulsus est, germani consortis impatiens; sed quando & istum diu toleraret, qui fratrem geminumque non pertulit? Unde & ipso interfecto, ut major* DEUS *esset, Regnum solus obtinuit*. Ratio omnino suadet, ut qui fratrem interfecit, ut solus regnaret, socium alienigenam tentaret occidere, idque colligitur ex gestis post cædem Regis Sabinorum.

Qui consortium in Regno ferre non poterat.

Et se deum putabat.

Eam rem minus ægre quam dignum erat, inquit Livius, *tulisse Romulum ferunt, seu* OB INFIDAM SOCIETATEM REGNI, *seu quia haud injuria cæsum crederet*. Auget facinus, fœdus inter Romam Laviniumque renovatum, ut Livius ipse fatetur; nec silet Plutarchus sensa Priscorum: *Sunt qui scribant, metu perculsos Lavinienses, Tatii percussores dedisse, sed Romulus cæde pensatam cædem præfatus, eos noxa solvisse: ideo sermonibus jactitatum & habitum, ut a Regni socio liberaretur, accidisse ideo non invito*. Equidem confossum volunt *sacrificantem cum Romulo*, qui si consentiens neci illius non fuisset, audentes in Regem cum Rege ad aram libantem securi vel tandem percussisset: nam coram Principe arma tractare, vel occidere Ministros aulæ, summum piaculum & inexpiabile; addit Dionysius post tumultum pro Tatii cæde jure riteque se purgasse, sed tandem noxios tanquam ratione usos absolvisse: *Romulus denuo solus principatum adeptus, primo, ut se purum sceleris in Legatos commissi ostenderet, igni & aqua interdixit omnibus noxiis, qui post Tatii cædem Roma profugerant: deinde conjuratos Laviniensibus ad suum tribunal sistentibus absolvit, quod viderentur factum id jure tueri* VIM ESSE PRO VI REDDITAM. Sed licet vim vi repellere liceat, lex hæc inter pares quandoquidem fertur, in Regem vero damnatur, oportet namque illum, etsi Tyrannum, majorum damnare calculis, & post sapientum vota monere, ne sit Regni pernicies, & tamen manus inferre in Christum Domini nefas; quod Salmasius adversus Parlamentum Anglorum declamat, & licet ex illis plerique scribant, ut probent facinus, tandem Regis filium resipiscentes agnoverunt; & vel sero pœnitentiam agentes injuste egisse confessi sunt. Rex Deo soli subjicitur; quandoquidem etsi Deus malos Principes populo tanquam carnifici puniendos tradat, illorum interfectores severitate castigat. Sic famulus Sauli conficitur a David, qui unctus a Deo

Infida societas in Regno.

Tatii mortem non ægre tulit, & cum interfectoribus iniit fœdus.

Solus regnat, seque purgat.

Anglorum facinus.

Regum impi[illegible] interfectores pun[illegible]

A principatum post Regis obitum exspectabat; & Romanos pestilentia perdidit, ne sanguis effusus a Rege, vindictam coram Deo clamans, sua occluderet vota; nec potuit Romulus parricidium occultare; inquit enim Plinius in *Paneg. Trajani*: *Habet hoc magna fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum esse patiatur: Principum vero non modo domus, sed cubilia ipsa intimosque recessus recludit, omniaque arcana noscenda proponit famæ*. Claudianus *de* 4. *Consul. Honorii* occinit vers. 268.

Regum gesta inquiruntur.

B

Hoc te præterea crebro sermone monebo,
Ut te totius medio telluris in orbe
Vivere cognoscas; cunctis tua gentibus esse
Facta palam; nec posse dari regalibus usquam
Secretum vitiis: nam lux altissima Fati
Occultum nil esse sinit.

Regale vitium detectum.

DCXXIV. Nihilominus commento deitatis occultavit impietatem Romulus, & Populus seditionem excitare non est ausus: ipsique Sabini excusarunt simulantes

Romulus, dum deum se jactat, facinus excusat.

C facinus: detulit hanc fraudem Divus Augustinus, expressitque Plutarchus in *Romulo*: Τῶν δὲ πραγμάτων οὐδὲν διετάραξεν, οὐδὲ διεστασίασε τοὺς Σαβίνους, ἀλλ' οἱ μὲν εὐνοίᾳ τῇ πρὸς αὐτὸν, οἱ δὲ φόβῳ τῆς δυνάμεως, οἱ δὲ ὡς θεῷ χρώμενοι, εἰς πᾶσαν εὔνοιαν θαυμάζοντες διετέλουν. *Verum nihil hinc tumultus, nihil seditionis ortum ab Sabinis est, sed partim favore in illum, partim metu potentiæ, alii* PRO DEO *eum habentes, uno & constanti animo illum coluerunt*: tangit hoc ipsum Ovidius lib. 14. *Metam.* vers.

Romulus deus.

D 805.

Occiderat Tatius, Populisque æquata duobus,
Romule, jura dabas: posita cum casside MAVORS
Talibus affatur divumque hominumque parentem, &c.

Sed deus & ipse contrucidatus disparuit, ut ne corpus loculum in sepulchro obtineret. Addamus, semper Romulum præ oculis habuisse Tatii necem, & ut Sabinos

Tarpejæ effigies posita in æde Jovis, ut Sabinos de proditione moneret.

E moneret de Arce Capitolii, proditione Tarpejæ in potestatem redacta, puellæ effigiem in templo Jovis posuit, ut scirent vicisse rupto fœdere & nece; refert hæc Festus in verbo *Tarpeja*, ubi ait: *Tarpejæ effigiem ita appellari putant quidam in æde Jovis Metellina; ejus videlicet in memoriam virginis, quæ pacta a Sabinis hostibus, quæ in sinistris manibus haberent, ut sibi darent, intromiserit eos cum Rege Tatio, qui postea in pace facienda caverit a Romulo, ut ea Sabinis semper pateret*. Mutum illud simulachrum vociterabatur, exspectaret vel tan-

F dem Tatius in pace, fœderis tempore a Romulo, quod ille Tarpejæ confœderatus fecerat.

DCXXV. Igitur postquam vulneratus abscessit, inquit Dionysius, θάπτεται εἰς Ῥώμην κοσμηθεὶς ἐντίμῳ ταφῇ, καὶ χοὰς αὐτῷ καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἡ πόλις ἐπιτελεῖ δημοσίας, *sepultus est Romæ honorato funere, quotannisque Manibus ejus publicæ instaurantur inferiæ*, locum designat Plutarchus & pompam: Ῥωμύλος τὸ σῶμα τοῦ Τατίου

Tatii Regis funus & inferiæ.

κομίσας ἐντίμως ἔθαψε, καὶ κεῖται περὶ τὸ καλούμενον Ἀρμιλούστριον, *Romulus corpus Tatii magno honore Romam delatum tumulavit in Aventino ad Armiluſtrium*: ſemper Aventinus *malis auſpiciis ominoſus* cenſebatur, teſte A. Gellio: nam aves Remo non addixere, & Manes illius primi Regis ſepulchro condidit; nomen omenque tulit ab Aventino Rege Albano ibi ſepulto. Erat autem Armiluſtrium juxta Herculis templum ſic dictum, auctore Varrone, *ab ambitu luſtri*: in eoque Circus Maximus, in quo armati ludicra peragebant; de illo ait Feſtus Pompejus: *Armiluſtrium Feſtum erat apud Romanos, quo res divinas armati faciebant, ac dum ſacrificarent tubis canebant*: arma inſuper militum in eo poſita legimus, meminitque Spartianus in *Veſpaſiano*; & Feſtus Pompejus mutilatus a Paulo denuo emendatur a Scaligero, & non tubis eo in ſacro Romanos canere ſolitos, ſed claſſico; addit, exiſtimo Centuriatis Comitiis exercitum armatum luſtrari ſolitum; quod puto eſſe ex vetuſtiſſimo inſtituto Athenienſium apud quos Comitium luſtratum legimus.

In Aventino. — Ad Armiluſtrium. — Luſtratio.

CAP. LI.

Poſt mortem Tatii Regis Sabinorum ſanguinis guttæ de cælo lapſæ & peſtilentia Romanos vexant; numen ab alto vindicias agit, impioſque punit. De Inferiis & humano ſanguine ante aras effuſo.

Scelera a Deo punita.

DCXXVI. Etiam Idololatrarum facinora ſub Numine pendebant in lance: impunita impietas nuſquam ſe extulit, quin præceps, perculſa ab eo, qui tarditatem gravitate compenſat, corruat ad necem; Pharao, qui pueros demerſit in Nilo, rubentes ſanguine potavit aquas, aquarumque eluvie periit; ſcelus attamen impiiſſimum, innoxios interimere quiſque ut regnet, impunitum non ſinit Deus. Octavia apud Senecam occiſi fratris armatam vidiſſe umbram enarrat verſ. 111.

Pharaonis exemplo.

—— cujus obſequium meus
Haud ferre poſſet, fata poſt fratris dolor,
Scelere interemti; cujus Imperium tenet,
Et morte gaudet auctor infandæ necis.
Quam ſæpe triſtis umbra germani meis
Offertur oculis, membra cum ſolvit quies,
Et feſſa fletu lumina oppreſſit ſopor!
Modo facibus atris armat infirmas manus
Oculoſque, & ora fratris infeſtus petit,
&c.

Occiſi Principis umbra armata facibus atris.

Firmatque Plato lib. 1. *de Legibus*, & Plutarchus in *Cimone*; unde Hercules, Lyco ſociiſque interfectis, cum furens propriam uxorem interfeciſſet, ſibimet manum inferre ſtatuit; plorans, nec locum ſaluti tutum infeliciſſimus invenit; expreſſitque miſerrimum Philoſtratus in *Imaginibus*, & Moſchus in *Megara*; ſed apud Senecam, alter Cain, furens inclamat verſ. 1321.

Hercules interfector uxoris manes patitur furens.

—— quem locum profugus petam?
Ubi me recondam? quave tellure obruam?
Quis Tanais, aut quis Nilus, aut quis Perſica
Violentus unda Tigris, aut Rhenus ferox,
Taguſve Ibera turbidus gaza fluens,
Abluere dextram poterit? Arctoum licet
Mæotis in me gelida transfundat mare,
Et tota Tethys per meas currat manus
HAEREBIT ALTUM FACINUS.

Inexpiabile ſcelus.

DCXXVII. Hæſit & Romulo infandum facinus, & cælo terraque deteſtabile, oborta peſtilitate infecit impios; morbi meminit Zonaras lib. 2. *Annalium*. *Deinde Romæ laboratum, hominibus ſine morbis repente morientibus: ac ſterilitate agrorum ac pecudum*, ET SANGUINEAE GUTTAE DEPLUERUNT. *Cum Laurentibus etiam ſimilia accidiſſent, opinio fuit* NUMEN *cædis Tatii & Legatorum, quos Sabini trucidaſſent, exigere pœnas*. Vere ille apud Senecam Tragicum: *Fecimus Cælum noxium*: ab ipſo namque vitæ & ubertatis fonte ſterilitatem mortemque educimus. Recenſebat hæc Plutarchus in *Romulo*: *Peſtilentia ingruit, quæ mortem ſubitam inferens, non trahebat morbum: vulgabatur & in fruges pecudeſque: inde magna ſterilitas orta*: SANGUINE QUOQUE PLUIT. *Unde præter fatales calamitates inceſſit animis gravis ſuperſtitio: enimvero ubi eadem Laurentes* LUES *infeſtavit, tum pro certo habitum, ob necem tam Tatii quam Legatorum jure non vindicatam, ultionem divinam utramque perſequi civitatem*.

Peſtis vexat Romam. — Laurentes Tatii interfectores infeſtat lues.

DCXXVIII. Ab ira Dei cladem ſanguinis ac luis proceſſiſſe Scriptores Romani teſtantur; eſt de Schola Epicuri ſtulta opinatio, *iram in Deo non eſſe*: putat namque alienum a Deo malum facere atque nocere, quoniam benefica eſt tantummodo divina natura, nec cuiquam nocere præſtantiſſimæ atque optimæ congruat poteſtati: hinc Seneca *epiſt.* 18. refert illud Epicuri, *immodica ira gignit inſaniam*; quæ a ſupremo Numine abeſt omnino. Reſpondet ad hæc Lactantius in libro *de Ira Dei*; & c. 5. Stoicorum impudentiam evincit: „ Stoici & alii nonnulli ajunt GRATIAM IN DEO ESSE, IRAM NON ESSE: favorabilis ac popularis oratio, non cadere in Deum hanc animi puſillitatem, ut ab ullo ſe læſum putet, qui lædi non poteſt; ut quieta illa & ſancta majeſtas concitetur, perturbetur, inſaniat, quod eſt terrenæ fragilitatis: iram enim commotionem mentis eſſe ac perturbationem, quæ ſit a Deo aliena; quod ſi hominem quoque, qui modo ſit ſapiens & gravis, ira non deceat, (ſiquidem cum in animum cujuſquam incidit, velut ſæva tempeſtas tantos excitet fluctus, ut ſtatum mentis immutet, ardeſcant oculi, os tremat, lingua titubet, dentes concrepent, alternis vultum maculet, nunc ſuffuſus rubor, nunc pallor albeſcens) quanto magis Deum non deceat tam fœda mutatio? Et ſi homo, qui habet imperium ac poteſtatem, late noceat per iram, ſanguinem fundat, urbes ſubvertat, populos deleat, Provincias ad ſolitudinem redigat; quanto magis Deum, qui habet totius generis humani & ipſius Mundi poteſtatem, perditurum fuiſſe univerſa credibile ſit, ſi iraſceretur? Abeſſe igitur ab eo tam ma-

An in Deo eſt ira? — Negat Epicurus. — Et Stoici, quos impugnat Lact. Firmianus. — Quid eſt ira? — Irati imago. — Iræ mala.

„gnum, tam perniciosum malum oporte-„re; & si absit ab eo ira, & concitatio, „quia & deformis & noxia est, nec cui-„quam male facit, nihil aliud superest, „nisi ut sit lenis, tranquillus, propitius, „beneficus, conservator. Ita enim demum „& communis omnium Pater & Opti-„mus, & vere Maximus dici poterit, quod „expetit divina cælestisque natura. Nam „si inter homines laudabile videtur prodes-„se potius quam nocere, vivificare quam „occidere, salvare quam perdere; & qui „hæc fecerit, diligitur, præfertur, hono-„ratur, benedictionibus votisque celebra-„tur, denique ob merita & beneficia Deo „simillimus judicatur; quanto magis ipsum „Deum par est divinis perfectisque virtu-„tibus præcellentem, atque ab omni ter-„rena labe sumtum*, divinis & cælesti-„bus beneficiis omne genus hominum pro-„mereri? Speciose ista populariterque di-„cuntur, & multos illiciunt ad credendum: „sed qui hæc sentiunt, ad veritatem qui-„dem propius accedunt: sed in parte la-„buntur, naturam rei parum consideran-„tes. Nam si Deus non irascitur impiis & „injustis, nec pios utique justosque diligit. „Ergo constantior est error illorum, qui & „iram simul & gratiam tollunt. In rebus „enim diversis, aut in utramque partem „moveri necesse est, aut in neutram. Ita-„que qui bonos diligit, & malos odit, & „qui malos non odit, nec bonos diligit; „quia & diligere bonos, ex odio malorum „venit, & malos odisse, ex bonorum „charitate descendit. Nemo est, qui amet „vitam suam sine odio mortis, nec appe-„tat lucem, nisi qui tenebras fugit. Adeo „natura ista connexa sunt, ut alterum si-„ne altero fieri nequeat. Si quis dominus „habens in familia servos, bonum ac ma-„lum, non utique aut ambos odit, aut „ambos beneficiis & honore prosequitur; „quod si faciat, & iniquus & stultus est: „sed bonum & alloquitur amice, & ornat, „& domui ac familiæ suisque omnibus re-„bus præficit; malum vero maledictis, ver-„beribus, nuditate, fame, siti, compe-„dibus punit; ut & hic exemplo cæteris „sit ad non peccandum, & ille ad prome-„rendum, ut alios metus coerceat, alios „honor provocet. Huc usque Lactantius: cui addere poterit sapiens Lector, quæ scripsit Plutarchus *de Sera Numinum Vindicta*. At si libet pauca ex meo penu depromere; constanter dico, errare, qui iram Dei hominum iræ comparant; etenim ira in homine, teste Aristotele lib. 2. *Rhet.* c. 9. *est appetitio cum dolore conjuncta, ejus quæ apparet ultionis, propter eam, quæ apparet, despicientiam, vel in se, vel in suorum quempiam, non convenienter;* itaque iratus habet appetitionem cum dolore, ut ulciscatur; Deus autem ab alto prospiciens vere irascitur, quia Deus ultionum Dominus est, non ut doleat, sed ut regnet; etenim ad providentiam spectat punire impios, bonos diligere, ut virtus emineat, reddit unicuique secundum opera sua: audi Tertullianum lib. 2. *adversus Marcionem* cap. 17. *Deus de incorruptibilitatis proprietate felix: irascetur enim, sed non exacerbabitur, sed*

Laus viri, & Dei, qui non irascitur.

Qui bonos diligit, malos odit.

Probatur rationibus.

Iræ finitio.

Quomodo & quare Deus irascitur?

* Rescr. *summotum*.

A *non periclitabitur: movebitur, sed non evertetur: omnia necesse est adhibeat propter omnes, tot sensus, quot & causas:* & IRAM *propter sceleftos, & bilem propter ingratos, & æmulationem propter superbos: sic & misericordiam propter errantes, patientiam propter non resipiscentes*, &c.

DCXXIX. Igitur laborantes Romani pessime luis genere ex inopinato moriebantur, ita ut Camerini, teste Dionysio Halicarnasseo, *putarent ea lue funditus Romanorum genus periturum*. Hanc cladem inter prodigia recenset Julius Obsequens *c.* 1. ut B plerique putant an. V. C. XVI. ante C. N. DCCXXXIII. „Parens conditorque Urbis „Romulus, cum jam Fidenas oppidum ce-„pisset Coloniamque Romanorum fecisset, „GUTTAE SANGUINIS e cælo magna „omnium admiratione ciciderunt. Statim „PESTIS Urbem invasit, quæ hominibus „absque ulla ægrotatione mortem inferret „subitam; sterilitas quoque agrorum & „frumentorum omnium, præcipue tamen „annonæ summa inopia sequuta est. In „quæ mala posteaquam Laurentes incidis-C „sent, omnino visum est, Tatii & Lega-„torum cæde violato jure gentium, utri-„que civitati iram numinis expiandam es-„se. Circa tempus claudicat Lycosthenes, ut ex Fastis Capitolinis diximus. Expiationem vero procurasse, etiam Zonaras testatur. Varia olim expiationum genera legimus apud Ovidium & Livium, prout prodigia portendebant. Siquidem si lapidibus pluisset, ut notat Alexander, *Novendiali sacro* expiatum fuit; Livius *lib.* 30. *c.* 38. *In Palatio lapidibus pluit, id prodigium, more patrio, Novendiali sacro expiatum.* No-D vendiales vero feriæ dicuntur institutæ a Tullo Hostilio Rege, ex monitu, procurandis prodigiis, nono die, inferis: post secula evocavit illas Marcellus Consul, quibus admotis, Syracusæ facilius expugnari possent: addit Scaliger *in Festum*, videtur illis Novendiale sacrum factum, quos Tarquinius sub crate necavisset. Petronius in *Satyrico* prodigia recenset cunctis admiranda,

Fax stellis comitata novis incendia ducit,
SANGUINEOQUE *recens descendit*
E *Juppiter imbre.*

Horrendum utique prodigium, at sæpe visum apud Romanos, præcipue P. Cornelio Scipione Africano secundo, Tito Sempronio Longo Coss. inquit Obsequens *c.* 5. *Romæ in Foro, Comitio, & Capitolio sanguinis guttæ visæ sunt, terra aliquoties pluit; caput Vulcani arsit.* &c. *Ea prodigia ex Pontificum decreto procurata, & sacrificium Novendiale factum.* Proinde M. Antonio, A. Posthumio Coss. inquit *c.* 106. *Lanuvii in* F *æde Junonis Sospitæ, in cubiculo deæ sanguinis guttæ visæ .... Aruspices sacra Apollinis litanda pronuntiarunt.* Hinc Alexander ait lib. 5. *Gen. Dier.* c. 27. „Si vero „cælestes minæ, terroresque aut tetra re-„nunciarentur prodigia formidinesque, vel „si terribilis species, aut quid novum, aut „inopinatum oblatum esset, ut cum duo „visi Soles, facesve de cælo colluxissent, „aut crinita sidera insigni novitate, vel

Pestis.

Guttæ sanguinis.

Mors subita.

Sterilitas agrorum

Prodigiorum expiatio.

Illorum narratio & expiatio.

Prodigia, eaque expiata.

„ igneus turbo, atque insolita Mundi facies fulsisset, strepitusve armorum de cælo auditus, & ingentibus procellis effusus imber foret, vel mixto sanguine Tyberis fluxisset, tectaque publica ædesve deorum de cælo tacta essent, aut alia terribilia monstra & prodigia cælestia ostentantia minas apparerent; his avertendis terroribus piacularibus sacrificiis factis ad placandas iras, vel feriæ inducebantur, aut lectisternia; de quorum ritu videndi post Antiquos Cælius, Gyraldus, & Scaliger.

Interfectorum sanguine expiatur funus Tatii.

DCXXX. Sed intra hanc lineam non sumus, quia Manes Tatii alio expiationum genere vindicias deposcebant; fuso videlicet sanguine illorum, qui Regem interficere ausi sunt; refert hæc Plutarchus in *Romulo*: Ἐκδοθέντων δὲ τῶν φονέων καὶ κολασθέντων παρ' ἀμφοτέροις, ἐλώφησεν ἐπιδήλως τὰ δεινά· καὶ καθαρμοῖς ὁ Ῥωμύλος ἥγνισε τὰς πόλεις, οὓς ἔτι νῦν ἱστοροῦσιν ἐπὶ τῆς Φερεντίνης πύλης συντελεῖσθαι. *Deditis homicidis & supplicio utrinque affectis, perspicue malum est mitigatum; lustravitque Romulus urbes expiationibus, quas hodie quoque tradunt ad portam Ferentinam celebrari*. Iis videlicet, qui Legatos Tatiumque interfecere, tanquam cædis auctoribus deditis, cessavit importuna lues: *Homicidis ad supplicium deditis mala illa desierunt*, inquit Zonaras; & Julius Obsequens *c. 1. deditis auctoribus, & ab utrisque supplicio affectis, ab iis malis manifeste se receperunt*. Sic exciso Ilio, cum Græci solvere non possent, noctu apparuit Achillis umbra, & Polyxenæ sacrificium Manibus suis offerri imperavit; unde Chorus in *Troade* vers. 162. Taltybium interrogat apud Senecam,

Cessat malum.

Probatur. Achillis umbra Polyxenæ petit sanguinem.

Quæ causa ratibus faciat & Danais moram,
Effare; reduces quis Deus claudat vias?

Ille respondet, umbram Achillis vidisse tamquam imprecantis, *ibid.* vers. 188.

Ite, ite, inertes; debitos Manibus meis
Auferte honores; solvite ingratas rates
Per nostra ituri maria. Non parvo luit
Iras Achillis Græcia: at magno luet
Desponsa nostris cineribus Polyxena.
Pyrrhi manu MACTETUR, *& tumulum riget.*

Ovidius antea in 13. *Metamorph.* illud immane facinus occinit:

Classis vix solvit ante sacrificium & puellæ mortem.

Immemoresque mei disceditis (inquit) Achivi?
Obrutaque est mecum virtutis gratia nostræ?
Ne facite: utque meum non sit sine honore sepulchrum,
Placet Achillæos mactata Polyxena Manes.

Sed Hyginus diversimode sacrificium tradit: „ Danai, *inquit c.* 110. victores cum ab Ilio classem conscenderent, & vellent in Patriam suam quisque reverti, & prædam quisque sibi duceret, E SEPULCHRO VOX Achillis dicitur prædæ partem expostulasse. Itaque Danai Polyxenam Priami filiam, quæ virgo fuit formosissima propter quam Achilles cum eam peteret, & ad colloquium venisset,

Vox e sepulchro.

„ ab Alexandro & Deiphobo est occisus, ad sepulchrum ejus eam immolaverunt. Hæc ille. Vere Dæmon sanguinem sitit, fortasse quia, teste Moyse, in sanguine est anima; vitulorum sacrificia & animalium sanxisse Deum legimus; semper hominum capita Diabolus, ut in *Exhortatorio* Clemens Alexandrinus demonstrat; equidem fur est & latro, quia genus hominum mactat & perdit: „ Age vero, inquit, hoc quoque adjiciamus; quod inhumani & odio habentes Dæmones sunt dii vestri, & non solum lætitiam ex eo capiunt, quod hominum mentes offendant, sed etiam ex hominum cæde fruuntur voluptate: nunc quidem armatas in stadiis contentiones, nunc autem innumerabiles de laude in bellis decertationes, sibi præbentes materiam voluptatis, ut vel maxime possint humanis affatim expleri cædibus. Jam vero cum civitates & Gentes tanquam pestes invasissent, sæva postularunt libamina. Aristomenes quidem Messenius Ithomatæ *Jovi trecentos mactavit*, se tot & tales hecatombas rite sacrificare existimans, in quibus etiam Theopompus Rex Lacedæmoniorum erat præclara victima. Tauri autem populi, qui habitant circa Tauricam Chersonesum, *quoscumque hospites apud se ceperint*, ex his qui mari aberrarunt, *Dianæ Tauricæ eos statim sacrificant*. Hæc sacrificia Euripides in scena tragice decantat; Monimus autem in collectione rerum mirabilium refert, in Pella Thessaliæ *Achæum hominem sacrificari Peleo & Chironi*: Lycios autem Cretenses, ut scribit Anticlides in Reditibus, *Jovi mactare homines*: & Lesbios Dionysio simile offerre sacrificium dicit Dosidas: tradit Pytocles in tertio de Concordia, *Phocenses hominem holocaustum offerre Dianæ Tauricæ*: Erechtheus autem Atticus, & Marius Romanus *sacrificarunt suas filias*: quorum ille quidem Persephonæ, ut Demaratus in primo rerum Tragicarum; Marius autem *diis Averruncanis*, seu malorum depulsoribus, ut Dorotheus testatur in quarto rerum Italicarum: Tertullianus immanitatem hanc enarrat & causam: *Olim animas defunctorum humano sanguine propitiari creditum erat, captivos, vel malo genio servos mercati, in exsequiis immolabant*. Hinc Gladiatorum impietas in funere, cœpitque apud Romanos an V. C CCCCXC. Ap. Claudio & M. Fulvio Coss. dederuntque ludum satis cruentum M. & Junius Brutus in Foro Boario; iterum anno Urb DCCLXXI. P. Sulpicio C. Aurelio Coss. Ludi funebres eo anno per quatriduum in Foro Martis M. Valerii Sævini causa: paria quinque, & viginti pugnarunt, si Livio fides. Plura Faber & Lipsius in *Saturnalibus*; quos vide.

Dæmones hominum cæde in factis gaudentes

Sæva libamina.

Hecatombas ex hominibus sacrificare.

Ubi, & quibus diis homines litabant?

Ludi Gladiatorum primi.

Hebræi filias suas Diabolo sacrificabant.

DCXXXI. Hanc Dæmonum tyrannidem passi sunt Hebræi, qui religionis suæ desertores sacrificaverunt filias suas coram Idolis, uti nos in *Apparatu Venationum* juxta Rabbinorum sanctorumque Patrum testimonia docuimus; & ultimis nostris temporibus, Græci ubicunque thesauros deprecantur, infanticidia solenni carmine peragunt: dum Cacodæmonem Magi exorant, Strigesque Magistello dant operam, cerebra parvulorum deglutiunt, suffocant lactantes, infantilia elixant membra ad ungui-

guinem, & jus, quo mortem absorbent, & volant Icario volatu infelicissimæ seductarum ad necem. Inferias similiter olim cæde procurabant: fortasse, teste Festo Pompejo, *sunt Inferiæ sacrificia, quæ diis Manibus inferebant*: ideo pollutæ sanguine inter libamina homicidiis præstabant; unde Seneca in *Troad.* verf. 296. A

Inferiæ.

Quis iste mos est, quando in inferias homo est
Impensus homini?

Ad quæ Scholiastes animadvertit enormissima Veterum sacra, qui mortuis tantum scelere, hominumque cæde, religiosissimi Manes placabant: ab Achille Patroclo duodecim homines in inferias impenduntur apud Homerum *Iliad.* ⸸. verf. 175. B

Δώδεκα δὲ Τρώων μεγαθύμων υἱέας ἐσθλοὺς,
Bissenos juvenes Trojano sanguine cretos.

Ausonius ad rem opportunus *Edyll.* XI.

Tris primas Thracum pugnas tribus ordine sellis *,
Juniadæ patrio inferias misere sepulchro. C

Pallanti ab Ænea, ut testatur Virgil. lib. 10. *Æneid.* Carthaginienses & Celtæ, teste Dionysio lib. 1. *Antiquit.* humano sanguine litabant ad aras: Scythæ, auctore Herodoto in *Melpomene*: Leucadii & Albani, si Straboni credimus: Achæi & Lacedæmonii, ut scribit Pausanias in *Laconicis*: Pellæi, Phocenses, Lesbii, Lycii, apud Clementem Alexandrinum in *Protreptico*: Rhodii, Salaminii, Spartani, aliique, de quibus Theodoretus *adversus Græcos* † scribit, humana victima sacrificabant, ut dii, Manesque quiescerent. Horum omnium crudelitas augebatur si terræmotus, procellæ, vel pestis Urbem, Regionemque infestassent. præcipue si ob aliquam cædem calamitates ex adverso pati vulgus jactaret; sicut Germanicus Cæsar refert in Cane Arati, Icarum pastores ob propinatum vinum fustibus interfecisse, proinde pestis oborta Athenas oppressit, ut lues Romam post Tatii necem. Mutavit hæc infanda primum Hercules, & hominum loco *Argeos* posuit: de Argeis Varro lib. 6. *de Lingua Latina* ait: *Argei fiunt ex scirpeis virgultis; simulachra sunt hominum XXX. ea quotannis Ponte Sublicio a Sacerdotibus publice dejici solent in Tyberim.* Etiam virgo maxima Vestalium de more illa projiciebat: Ovidius in *Fastis* lib. 5. ℣. 621. D E

Sacrificia human. tempore prodigiorum.

Mutata prolice in Argeorum capta.

Tunc quoque priscorum virgo simulacbra virorum
Mittere roboreo scirpea ponte solet.

Meminitque illorum Festus ubi de Argeis: rationemque affert Epicardus, ex eoque Macrob. l. 1. *Saturn.* c. XI. „Hercules occiso Geryone, cum victor boves „per Italiam duxisset, Ponte (qui nunc „Sublicius dicitur) ad tempus instructo, „hominum simulachra pro numero sociorum, quos casu peregrinationis amiserat, „in fluvium demisit; ut aqua ⸸ in mare „devecta pro corporibus defunctorum veluti patriis sedibus redderentur. Scripsit de illis antea Dionysius lib. 1. *Antiquit.* idque fiebat Idibus Maiis; ut vel coram Idolis hominum cædes vitarent. Quod nos in Numa pluribus enarravimus, qui pro hominum capitibus in fulgurum procuratione cæparum capita dedit. At tu de Argeis vide Nonium: nos in Tarquinio iterum. F

* Alii, *bellis*. † Rest. *Curation. Græcan.* lib. 7. ⸸ Vox *secunda* excidit.

DCXXII. Post hæc Romulus augur Urbem lustravit, asseritque Julius Obsequens *cap.* 1. *Romulus expiationibus civitates*, Romam videlicet & Laurentum, *expurgavit, quas longo deinceps tempore ad Portam Ferentinam observatas memoriæ traditum est*: Plutarchus in *Romulo*: *Deditis post homicidis & supplicio utrinque affectis, perspicue malum est mitigatum: lustravitque Romulus urbes expiationibus; quas bodie quoque tradunt ad Portam Ferentinam celebrari.* Portæ Ferentinæ Scriptores haud meminisse, Plutarchum si excipias, compertum est. Verum cum Strabo in Via Latina Ferentium urbem fuisse asserat, inquit Marlianus, crediderim Portam hanc eam esse, quam Plutarchus Ferentinam nominavit; eadem verba refert Panvinius, & hanc Portam in Via Latina fuisse putat, quam templis ornatam a Cæsare suo Martialis tradit *lib.* 9. *epigr.* 65.

A Romulo fit lustratio ad Portam Ferentinam.

De ea quæstio.

Herculis in magni vultus descendere Cæsar
Dignatus Latiæ dat nova templa Viæ;
Qua Triviæ numerosa † petit dum regna viator,
Octavum domina marmor ab Urbe legit.

CAP. LII.

Romulus Rex solus regnat. Fidenates aggreditur, Vejentesque bello adoritur; utrosque vincit & triumphat.

DCXXXIII. SExto demum anno, ad solum Romulum Urbis Principatus rediit, Tatio per insidias exstincto. Qui fratris consortia sprevit, alienigenam in Regni socium ferre non poterat: unde Euripides solium cum toro comparat, & Ovidius occinit l. 3. *de Arte Amandi* verf. 563.

Romulus solus regnat.

Non bene cum sociis Regna Venusque manent.

In Regno & toro infida societas.

Ex quo Ægisthus apud Senecam in *Agamemnone* ait verf. 259.

Nec Regna socium ferre, nec tædæ sciunt.

Non capit Regnum duos, exemplo edocuit Lucanus in *Pharsalia* lib. 1. ver. 92.

Nulla fides Regni Sociis, omnisq; potestas
Impatiens consortis erit.

Refert Aurelius Victor, qualiter Titus, humani generis delitium, *fratrem Domitianum parantem insidias, militumque ani-*

† Rep. *nemorosa*.

mos sollicitantem, flens sæpius obtestatus est, ne parricidio assequi cuperet, quod & se volente esset obventurum ei, & jam haberet, cum esset particeps potestatis. At impius moræ impatiens, febre laborantem cum foveret, oppressit, & sanguine purpuram sibi redemit. *Quando unquam Regni societas*, inquit Divus Cyprianus *adversus Idol. aut cum fide cœpit, aut sine cruore desiit?* Testatur clades Tatii, ac Romuli monumenta testantur; optimum facinus delinquere, ut quisque regnet; monetque impie in *Phœnissis* Euripides.

Societas in Regno non sine cruore.

DCXXXIV. Solus in Regno arma extendit, & occasione præsumpta, Fidenates aggreditur; historiam offert lib. 2. *Antiquit.* Dionysius: ,, Exercitum contra Fi-,, denas duxit, urbem quadraginta stadiis a ,, Roma dissitam, magnam tunc & popu-,, losam. Cum enim a Crustuminis Romam ,, fame laborantem commeatus devehere-,, tur navigiis fluvialibus, ea Fidenates ag-,, gressi diripuerunt commeatum; cæsis et-,, iam vectoribus, qui repugnare ausi fue-,, rant; resque repetentibus, jure contem-,, to, negaverant: quibus injuriis commo-,, tus Romulus, in agrum eorum cum va-,, lido irrupit exercitu, ingentique præ-,, da potitus parabat suos domum reduce-,, re: sed Fidenatibus obviam progressis ,, manus cum eis conseruit; commissoque ,, acri prælio, multis utrinque desideratis, ,, victoria penes Romanos fuit: Rex ter-,, go hærens fugientium, velut agmine ,, uno penetravit intra mœnia. Captam ,, urbem primo impetu, supplicio de pau-,, cis sumto, impositoque ccc. virorum ,, præsidio, parte agri mulctavit: quo ,, suis militibus diviso, hanc quoque Ro-,, manorum fecit Coloniam. Hæc ille; sed variant Plutarchus, Zonaras, & Livius, quorum oracula dabimus.

Fidenæ urbs magna.

Hanc expugnat Romulus.

DCXXXV. Plinius Fidenates recenset in regione quarta, gentium vel fortissimarum Italiæ, Livius Hetruscos fuisse scribit, Vejentium consanguineos, quos Tyrrhenos vocat Zonaras ac potentes: ,, Fi-,, denas, *ait Dionysius*, Albani olim con-,, diderant, eodem quo Nomentum simul ,, & Crustumium tempore, tribus fratri-,, bus Colonias deducentibus; quorum na-,, tu maximus Fidenarum fuit conditor. Interim crescentibus Romanorum viribus, ex finitimis populis imbecilliores cedebant, ait Zonaras Fidenates cum animadvertissent illorum potentiam, manus conferre, ne sub jugo caderent, adjudicarunt; hæc causa belli, quam refert Livius *l.* 1. *c.* 14 ,, Fidenates nimis vicinas prope ,, se convalescere opes rati, priusquam ,, tantum roboris esset, quantum futurum ,, apparebat, occupant bellum facere: ju-,, ventute armata immissa, vastatur agri ,, quod inter Urbem & Fidenas est. Inde ,, ad lævam versi, quia dextra Tiberis ar-,, cebat, cum magna trepidatione agrestium ,, populantur; tumultusque repens ex a-,, gris in Urbem illatus pro nuntio fuit: ,, excitus Romulus (neque enim dilatio-,, nem pati tam vicinum bellum poterat) ,, exercitum educit, castra a Fidenis mille ,, passuum locat: ibi modico præsidio reli-,, cto, egressus cum omnibus copiis, par-,, tem militum locis circa densa obsita vir-,, gultis obscuris subsidere insidiis jussit; ,, cum parte majore atque omni equitatu ,, profectus, id quod quærebat, tumultuo-,, so & minaci genere pugnæ, obequitan-,, do ipsis prope portis, hostem excivit; ,, fuga quoque, quæ simulanda erat, ea-,, dem equestri pugna causam minus mira-,, bilem dedit; & cum velut inter pugnæ ,, fugæque consilium trepidante equitatu, ,, pedes quoque referret gradum, plenis ,, repente portis effusi hostes; impulsa Ro-,, mana acie, studio instandi sequendique ,, trahuntur ad locum insidiarum: indè ,, subito exorti Romani, transversam in-,, vadunt hostium aciem, addunt pavorem ,, mota e castris signa eorum, qui in præsi-,, dio relicti fuerant: ita multiplici terrore ,, perculsi Fidenates, prius pene quam Ro-,, mulus, quique cum eo equites erant, ,, circumagerent frenis equos, terga ver-,, tunt; multoque effusius, quippe vera ,, fuga, qui simulantes paulo ante sequuti ,, erant, oppidum repetebant; non tamen ,, eripuere se hosti: hærens in terga Roma-,, nus, priusquam fores portarum objice-,, rentur, veluti agmine uno irrumpit. Hactenus ille; & totius prælii rationem paucis absolvit; virtus stratagemate præstat, & Romanorum laus ab astu processit, ut simulata fuga triumphum prosequeretur, hostes fugiendo vinceret; *laudanda ejusmodi decipula*, inquit Thucydides *l.* 5. *per quæ hostes maxime decipiuntur.* Lacedæmonii, auctore Plutarcho in *Laconicis, quum stratagemate hostem superassent, bovem Marti sacrificabant; quum aperta vi, gallum: quod ita vellent assuefacere Duces ut non modo bellicosi essent, sed etiam calliditate, quæ in Imperatoribus requiritur ad stratagemata, pollerent.* Præcipue insidias ante obsessæ urbis portas collocandas Onosander in *Strategico* præcipit; quod fecit Romulus, & urbem ingressus triumphavit.

Fidena ium genus.

Cur adversus Romanos prælium ornant?

Illos Romulus aggreditur.

Vincit stratagemate & insidiis.

Portas urget & urbem capit.

Stratagemata commendata.

DCXXXVI. Cæsorum numerum, usque ad tabulam, auget antiquitas, ipsamque historiam variat; utrumque expensum dabimus: enimvero Plutarchus in *Romulo* inquit: ,, Fidenas capit vicinam Romæ ur-,, bem, (ut quidam auctores sunt) & im-,, proviso immisso equitatu, quibus in man-,, datis dederat, ut cardines portarum ex-,, scinderent, mox oppressit nec opinan-,, tes. Alii tradunt: ,, Quum occupassent il-,, li invadere fines Romanos, populabun-,, dique agrum & suburbium fœde vastas-,, sent, insidiis Romulum circumventos ,, plurimos occidisse, atque urbe eorum po-,, titum esse; non excidit eam tamen, ne-,, que solo æquavit, sed Coloniam Roma-,, nam, illuc missis ad eam incolendam duo-,, bus millibus quingentis civibus Idibus ,, Aprilis, deduxit. Hæc Plutarchus; qui ,, denuo ornatum a Vejentibus bellum pro ,, Fidenatibus refert; idque Livius enarrat *lib.* 1. *cap.* 15. ,, Belli Fidenatis contagio-,, ne irritati Vejentium animi, & consan-,, guinitate, (nam Fidenates quoque E-,, trusci fuerunt) & quod ipsa propinqui-,, tas loci, si Romana arma omnibus infe-,, sta finitimis essent, stimulabant; in fi-,, nes Romanos excurrerunt populabun-,, di magis, quam justi more belli: ,, itaque non castris positis, non ex-,, spectato hostium exercitu, raptam

Cæsorum numerus, & vera historia disquiritur.

Vejentes pro Fidenatibus arma sumunt, tanquam pro amicis & consanguineis.

A „ ex agris prædam portantes, Vejos rediere. Gens aspera, expers artis, inter montana degebat cum feris: irruebat potius, quam manus conserebat: belli peritia triumphum parat, inquit Vegetius, & ordo in castris victoriæ specimen præfert; recte equidem Ælianus *de ordinibus instituendis* cap. 2. scribit: *Primus instruendarum copiarum scientiam videtur Homerus tenuisse, & multum extulisse eos, qui ipsam callerent, & sicut Mnestheum, cum ait,*

Ruunt in prælium absque arte.

Huic vero nullum mortalem dicere possis
Esse parem, aut equitum struat is peditumve catervas.

B Addamus Platonis calculum, qui de Cretensibus, ubi leges edocuit, ait: *Cretensium Legumlatorem legem sanxisse, tanquam si semper parati essent homines ad bellum gerendum*; ideo Ælianus post Stratoclem, Hermian, & Frontonem virum Consularem, *disciplinam hanc omnium utilissimam* putat; qua imbutus Romulus Urbem erexit supra verticem antiquarum urbium, & Alexander Mundum sibi subegit, patrimonium proinde Cæsaris, rerum bellicarum peritia insignis.

Ars militaris commendatur.

C DCXXXVII. Sequitur Livius, & instructo exercitu pugnasse, imo & vicisse Romulum, scribit: „ Romanus contra „ postquam hostem in agris non invenit „ dimicationi ultimæ instructus, intentusque Tyberim transit; quem postquam „ castra ponere, & ad urbem accessurum „ Vejentes audivere, obviam egressi, ut „ potius acie decernerent, quam inclusi de „ tectis mœnibusque dimicarent: ibi viribus nulla parte adjutis, tantum veterani „ robore exercitus Rex Romanus vicit: „ persecutusque fusos ad mœnia hostes, „ urbe valida muris ac situ ipso munita „ abstinuit. Munitionem refert Dionysius lib. 2. *Antiquit.* & belli enarrat causam, quod tertium appellat: „ Tertium bellum „ gessit cum Veiis Etruscorum tunc urbe „ potentissima, distante centesimo circiter „ stadio: est autem Athenis non minor, „ fundata in excelso & undique prærupto „ scopulo. Belli prætextus Vejentibus fuit „ clades Fidenatium: missisque Legatis „ postulabant, ut Romani præsidium inde abducerent, & agrum ademtum restituerent veteribus dominis; quo non impetrato validum educunt exercitum, & „ castra prope Fidenas edito loco muniunt: „ non latuit tamen horum adventus Romulum; sed adsumta copiarum parte „ fortissima, Fidenis hostem exspectabat: „ expeditoque utrinque ad certamen milite, in æquum locum signa contulerunt; „ & commisso acri prælio nox diremit incertos victoriæ. Hæc ille. Plutarchus vero prudenter prætextum irridet; etenim potuissent opem ferre Fidenatibus, quo tempore gerebant bellum, auxilioque indigebant: „ Vejentes, qui latum agrum „ & amplam colebant urbem inter Etruscos, occupant principes bellum facere, „ Fidenis repetitis, quas asserebant pro „ suis. Id vero non modo iniquum, sed „ erat ridiculum etiam; qui laborantibus „ & bello pressis auxilium non tulissent, „ sed opprimi sivissent homines, ut tecta „ nunc & agrum ab aliis reposcerent dominis. Itaque a Romulo cum contume-

Vejentes vincit Romulus.

Urbem non tentat muris fortissimam.

Locus ubi fuit.

Vejentes repetunt agrum, & captivos Fidenatium.

„ lioso responso dimissi, bipartito exercitu, hinc adorti sunt Fidenatium copias, „ hinc Romulo occurrerunt. Sunt qui putent cum Fidenatibus occultum iniisse fœdus, ob quod intercepti undique cladem usque ad internecionem præsidiarii Romani passi sunt: audi Plutarchum, *apud Fidenas victores interemerunt duo millia civium Romanorum*. Sed non diu stetit, nam *a Romulo fusi amplius octo millia desideravere*. Insigne fuit hoc bellum, & cruentæ cladis monumentum; describitur a Dionysio: „ Romani aciem instaurant, „ in qua consilio Ducis adjuti superiores „ facti sunt: qui equites & pedites recens „ ab urbe submissos in propinquo hostium „ castris monte noctu in insidiis collocaverat: nam hi cum aliquandiu spectassent „ æquatam in plano pugnam, mox ut signum, quod convenerat, acceperunt a „ Romulo, cum magno clamore procurrentes invaserunt terga Vejentium, & „ integri jam fessos in fugam verterunt facile: pauci tamen eorum ceciderunt in „ prælio; major pars, qui se in fluvium „ Tyberim Fidenas prælabentem præcipitaverant, frustrata spe natatus, necati sunt; quippe qui labore pugnæ delassati, armis insuper impedirentur & vulneribus. Stratagemate Fidenas fudit, eodemque novos hostes Vejentes oppressit.

Præsidium Romanorum Fidenates contrucidant.

Romulus stratagemate vincit.

DCXXXVIII. In hoc prælio interfectorum numerum auget vulgus & admirandam Romuli manum peregisse cædes; idque refert, sed improbat Plutarchus: „ Iterum ad Fidenas conflixerunt, ubi victoriam præcipue virtute partam Romuli fuisse, cujus consilium cum pari audacia eluxit, roburque & pernicitas plusquam humana, omnes fatentur. Quod „ autem jactitant nonnulli, sane quam est „ fabulosum, atque a fide abhorrens prorsus, quatuordecim millium cæsorum sua„ met manu amplius dimidium interfecisse Romulum. Simile commentum jactant de Aristomene Messenii, trecentas eum victimas mactasse, ob totidem „ cæsos Lacedæmonios. Attamen sacer contextus Bibliorum plura enarrat de Bania filio Jojadæ, qui erat inter robustos nominatissimus: & 1. *Paral.* cap. XI. 20. *Abisai quoque frater Joab, ipse erat princeps trium, & ipse levavit hastam suam contra trecentos vulneratos.*

Virtus Romuli.

Quatuordecim millium cæsorum manu Romuli quanta.

Trecentos vulneravit Aristomenes, sed vere Abisai.

DCXXXIX. Nec tamen Dionysius Halicarnasseus classicum cessasse tradit, sed denuo reparasse undique vires, iterumque signis collatis prælium renovasse: „ Si mature post tentatam belli fortunam resipuissent Vejentes, nequaquam sibi majorem cladem accersivissent: nunc sperantes renovato certamine abolituros se acceptam ignominiam, etsi majore apparatu hostem invaderent, imparem futurum „ simul domesticis copiis, simul auxiliis ex „ Etruria sociarum urbium; iterum bellum Romanis intulerunt; rursumque apud Fidenas magno prælio victi multos „ amiserunt in acie; plures vivi devenerunt in potestatem hostium; castra etiam expugnata sunt, plena pecuniis, „ armisque, & mancipiis; naves quoque fluviales cum commeatu interceptæ, quibus captivorum turba secundo

Vejentes iterum prælium ornant.

Iterum victi.

Tertius triumphus Romuli.

„flumine Romam devecta eſt. Poſt hæc addit, *hic tertius triumphus actus eſt a Romulo, longe quam priores magnificentior:* in triumpho præceſſit Dux Vejentium, captivorum turba, quæque opima hoſtium ſpolia; hinc ludus, & in triumpho jocus, ac militum dicteria: inquit enim Plutar„chus: Ob hanc quoque victoriam trium„phavit Idibus Octobris. Duxit in eo „cum alios multos captivos, tum Vejen„tium Ducem jam ſenem, qui impruden„ter viſus fuerat & præter ætatem impe„rite Rempublicam geſſiſſe. Unde man„ſit, quum ob partam victoriam ſacrifi„cant, ut ſenem per Forum ad Capitolium „traducant prætextatum, cui bullam pue„rilem addunt, & proclamat Præco, SAR„DEIS VENALES; nam Sardinorum „fama eſt Hetruſcos colonos eſſe. Fortaſſe milites cum in ſenem jactarent vomicas, mos invaluit libere etiam cum ſatyra, ut in Cæſaris triumpho legimus, probra quæque jactare: præterea cantabant in conditum carmen, Regis admiranda concinentes, quod Cæſari fatale fuit, de quo Liv. *l.* 4. *In eum milites carmina incondita, æquantes eum Romulo, canebant:* & *lib.* 5. *Dictator, recuperata ex hoſtibus patria, triumphans in Urbem rediit, interque jocos militares, quos inconditos jaciunt, Romulus, ac Parens Patriæ, Conditorque alter Urbis, haud vanis laudibus appellabatur.* Exemplum carminum exſtat apud Suetonium in *Julio*. In *Faſtis Capitolinis* notatur Romuli triumphus:

Vejentium Dux ſenex triumphum præceſſit, irriſus a vulgo.

ANN. P. R. C. XVII.
ROMULUS. REX. III. ANNO.
XVII. DE. VEIENTIBVS.
FIDENATIBVSQVE. IDIB. OCTOB.

Victor Romulus benigne ſe geſſit.

DCXL. Vicit ac triumphavit Romulus, non adeo elatus, ut victos omnino perderet: ſed clementiæ memor ſupplicantes audivit, geſſitque morem cum eis. Regile hoc monumentum, poſt pugnam parcere; *Subacti Vejentes pacem petitum Oratores Romam mittunt: agri parte mulctatis in centum annos induciæ datæ*, inquit Livius. Leges & veniam longiori littera enarrat Dionyſius: „Legatis Vejentium „VENIAM petentibus has PACIS LE„GES Romulus præſcripſit mulctæ no„mine: ut agrum Tyberi contiguum, qui „vocantur Septem pagi, Romanis trade„rent, utque ſalinis abſtinerent quæ ſunt „circa fluminis oſtia: & ad tollendam „renovandi belli ſuſpicionem, quinqua„ginta obſides adducerent; quas cum illi „æquo animo accepiſſent, IN COLU„MNAM inſcripſit conditiones icti in „centum annos cum eis fœderis: captivos, „qui reverti ad ſuos voluerunt, dimiſit „abſque pretio: malentes in Urbe manere, „quæ major pars fuit, jure Civitatis do„natos diſtribuit per Curias, aſſignato eis „agro forte dividendo cis Tyberim. Hæc ille; ſed nonnulla ſcitu digna ſilet, quæ a reliquis Scriptoribus exhibenda curamus. Zonaras lib. 2. *Annalium* ſcribit: *Pactione inducias in* C. *annos impetrarunt*, L. *ex optimatibus obſidibus datis*. Hæc ille ex Plutarcho, qui ait: *Ad preces converſi fœdus & pacem in centum annos fecere*: confirmat Livius: *Pacem petitum Oratores Romam mittunt, agri parte mulctatis, in centum annos induciæ datæ*. Bonum factum, pietas & clementia Regis gloriam augent, Imperium firmant; Philippus Macedonum Rex victor, qui ab Athenienſibus plura paſſus, urbem ac cives nutu perdere ac ſolo æquare poterat, Polybio *l.* 5. auctore, *captivos gratis remiſit, occiſorum corpora ſepulturæ tradidit: ex quo hoc conſequutus eſt, ut elati Athenienſium animi, magnitudine ejus victi, ſibi impoſterum obſequentiſſimi fuerint, ſemperque ad omnia Regis juſſa promptiſſimi*. Monitum Onoſandri audiat Princeps, poſtquam omnia feliciter & ex animi ſententia ceſſerint, fine bellicis negotiis impoſito, caveat Imperator ne ob res ſecundas elatior aut gravior videatur, ſed placidus ſit ac benignus, neve faſtum minaci ac truculento vultu præ ſe ferat, ſed civilem atque amabilem benevolentiam omnibus comiter exhibeat: illa enim invidiam ac livorem gignunt, iſta æmulum amorem conciliant, &c.

Leges ſœderis.

In Columna inſcriptæ ad perpetuam memoriam.

Obſides ex Vejentibus dati.

Pietas auget gloriam Principum.

Monitum poſt victoriam.

CAP. LIII.

Genus vitæ Romuli, cultus, animi elatio, habitus, tyrannis poſt Tatii cædem. Brumalia, ſeu Saturnalia, a Romulo inſtituta, enarrantur. Inſuper Regum Pompa, Regumque Leges honeſtæ vitæ deſcribuntur.

Elatio tyrannidem comitatur.

DCXLI. FAſtigium inſolens, nulla virtute ſuffultum, faſtum parit, & ſolium ſpiritus utplurimum elatos gignit. Superbiæ comes, præſentiſſimum Regnorum malum, tyrannis, quæ inſolentiam auget & luxum, ut perdat Rempublicam, Duceſque cunctorum votis exſecratur impietas: hinc Romulus dum ſolus regnat, ſuperbe imperat, & ſuorum oblitus commilitonum, commeſſationibus, cultu, ac intolerabili arrogantia Romanos ad conſpirationem ſeditionemque avocat; prodit facinus Plutarchus in *Romulo*: *Rebus geſtis elatus animoq; inſoleſcens reliquit comitatem illam popularem, quam odioſo commutavit dominatu; atque ex habitu, quo ornavit ſe, pupugit cives*. Zonaras l. 2. *Annalium* ſcribit: *Inde mirandis ſucceſſibus elatior & gravior factus, relicta mutataque populari conſuetudine, ſe ad odioſæ ac moleſtæ Monarchiæ habitum conformavit*. Romanis Monarchia, quæ tyrannidem affectabat, ſemper inviſa; Regem volebant, ſed Patriæ Patrem; Anaximenes Lampſacenus Rhetor, apud Stobæum *ſerm.* 49. a Phædro Rege interrogatus, quid ad familiaritatem difficile eſſet? *Tyrannis*, dixit; enimvero Ariſtippus Cyrenenſis Philoſophus Regnum a tyrannide tantum differre docebat, quantum lex a Reipublicæ ſtatu abſque legibus, & libertas a ſervitute; occinit Euripides in *Supplicibus* verſ. 429.

Romulus rebus geſtis elatus inſanit.

Tyrannis Monarchiam reddit ſuſpectam.

Οὐδὲν Τυράννου δυσμενέστερον πόλει,
Ὅπου τὸ μὲν πρώτιστον οὐκ εἰσὶν νόμοι
Κοινοί, κρατεῖ δ' εἷς τὸν νόμον κεκτημένος
Αὐτὸς παρ' αὐτῷ.

Nihil quam Tyrannus infensius est civitati,
In qua primum quidem non positæ sunt leges
Communes: dominatur autem unus, penes cujus arbitrium lex est.

Philosophorum sententiæ de Regno & tyrannide.

Menander in *Aspide* tyrannidem *injustitiæ matrem* appellabat: Herodotus in Concione Otanæ *lib.* 3.* ipsam vocat, *τυραννίς, χρῆμα σφαλερόν· πολλοὶ δὲ αὐτῆς ἐρασαί εἰσι, rem periculosam* †, *quæ habet multos amatores*: Demosthenes in *Philippicis*, *hostem libertatis, legum inimicam*; Lex vero cum sit Reipublicæ anima, vitiorum impulsu perdita, Regni totius conventus deperit.

Romulus factus odiosus.

DCXLII. Odiosum itaque factum Romulum sprevere Romani, *τὸ μηκέτι τὸν αὐτὸν προσφέρεσθαι τρόπον τοῖς ἀρχαιοτάτοις πολίταις, quod non amplius pari comitate dignaretur veteres cives*, inquit Dionysius lib. 1. *Antiquit.* Hanc comitatem inter amicos commendabat Socrates, & Tullius, qui de amicitia scripsit, ait, *amicitia debet esse ad omnem comitatem facilitatemque proclivior*. Hanc partem cum negligeret, subditos tanquam servos acerbe extorquebat, elatusque numen non hominem se putabat in solio; superbiæ hoc germen obfuscat Dei imaginem, qua præstantissimus dum regnat omnino pollet; nec eo inficias, Diotogenem Pythagoricum in libro *de Regno* nuncupasse Regem,

Regis nomina recensentur.

Legem vivam, *Dei figuram inter homines repræsentantem*. Sed monet Principem Sthenida, juxta Pythagoræ viri sapientissimi oracula, ubi de Regno: „Oportet Regem sapientem esse: sic enim venerandus erit ac æmulator summi Dei, „qui natura primus est Rex & Princeps:

Ut Rex Deum imitatur

„ille vero creatione, hic imitatione: Deus „quidem in omnibus & in universo, ille „in terra solum: Deus omnia semper gubernat & vivit, ipsius in se possidens „sapientiam, ille vero per aliquod tempus scientiam habet; imitabitur autem „Deum quam optime, si magnanimum, „sapientem, & paucorum indigum sese præstiterit, paternum animum in „subditos gerens: hanc enim ob causam „Deus existimatur primus esse parens „deorum ac hominum; quoniam omnibus subjectis sibi benignum se præbet, „nec unquam cessat, gubernatione sua „neglecta, nec satis putavit, se creatorem tantum rerum omnium esse, quin „etiam nutritor præceptorque bonorum „omnium, ac Legislator omnibus ex æquo esset; talis & ille debet esse, qui in „terra & inter homines Rex futurus est.

Rex velut Deus in terra.

Hæc ille. Affectavit Romulus dei nomen, & Tatio interfecto, se tanquam deum exemit a culpa; sed Dei cum esset imago, archetypum suum virtutum omnium exemplar posthabuit, vitiorum compos & facinorum.

DCXLIII. Fastum recenset Plutarch.

Romuli ornatus.

ornatumque civibus suspectum: *Siquidem tunica vestiebatur purpurea ac toga prætexta. Responsa dabat ex solio reclivi: stipabat eum perpetuo globus juvenum, qui a ministerii velocitate dicti* CELERES *fuere.*

Solium.

Præcedebant alii, qui baculis turbam summovebant loris succincti, ut illico vincerent eos, quos ille juberet, unde LICTORES *dicti; & virgæ, quas gestabant,* FASCES.

Lictores.

Potuit fortasse vox Lictores, interposita nunc littera C dici, cum olim Litores dicerentur, quasi λειτουργοὶ, id est, Ministri publici. Livius scribit, *Trecentos armatos ad custodiam corporis, quos Celeres appellavit, non in bello solum, sed etiam in pace habuit.*

Stipatores.

Lucumonem Stipatores dedisse Romulo ob infidam Tatii societatem Cato perhibet, sed qui antea ad corporis munimentum faciebant, deinde tyrannidis commenta fecere.

Consiliarii neglecti.

Addit aliam causam Zonaras l. 2. *Ann. Patriciorum nulla erat in rebus gerendis auctoritas, sed nomen dumtaxat, & Regi habitum accommodabant: cum consuetudinis potius ergo, quam sententiæ dicendæ causa in Curiam vocati, Romulum decernentem taciti audirent, nulla re superiores cæteris, nisi quod quæ ille decrevisset primi audiebant.* Patres dicebantur & Seniores a consilio, quorum auctoritas, Regni columen, Rempublicam sustentabat, eaque amota corruit lex, & justitia juvenili furore obruta:

Simulque Senatores.

Neque enim adhibebantur ad Rempublicam gerendam Senatores, sed nomen modo & speciem obtinebant honorificam, inquit Plutarchus, *ac de more potius quam sententiæ dicendæ causa cogebantur in Senatum, ubi jubenti auscultabant.* In tanto discrimine suspecta Regis auctoritas, amicitia omnis exsultat; enimvero timebant potius tyrannum, quam Regem amabant; habitus namque præ se ferebat

Responsa.

tyrannidem: etenim ait Zonaras, *in solio reclinatus respondebat;* vota Patrum nulla, tantum pro ratione Romuli voluntas; jubebat ut volebat; & velle, legum erat oraculum: hinc crudelitas tyrannidis comes, & commessationes:

Crudelitas

de istis Auctor *Fastorum Siculorum*, de illa Dionysius inquit, *invisa erat & crudelitas Romuli in delinquentium suppliciis;* addit *arrogantiam*, perniciosissimum omni ævo facinus, quo

Arrogantia.

Reges dum se jactant indigni Imperio ac majestate censentur; non enim indiget Sol jactantia ut lucem ostentet, cujus est fons & origo: nec Rex divinissimus, Dei admiranda imago, sua arroganter depromat, quia cuncta in se uno præfert, præcipue si virtutis ornamenta inter purpuræ ornatum ac diadema possidet.

DCXLIV. Hanc Philosophiam edisrant Reges a Pythagora, comparent sibi a Philippo Macedonum Rege: hic teste Stobæo dicebat: *Oportere meminisse Regem, quod homo exsistens, potestatem adeptus sit divinam, ut res honestas & divinas instituat, sermone autem humano utatur.*

Rex divinissimus, & quare?

Sed quomodo percipiatur hoc Regni præstantissimum dogma, Ecphantæ Pythagorici doctrina in libro *de Regno* offert: „In „terra optimus quidem natura est homo, „divinissimus autem est Rex, & meliori „conditione inter cæteros affluens: similis quidem corpore reliquis, utpote ex „eadem materia natus, ab optimo autem

* Cap. 80. ubi quidem Otanes tyrannidem detestatur, sed Auctor noster ipsi perperam attribuit quod hic affert, nam illud est Periandri ad Lycophronem, vid. ejusdem libri cap. 52. †. Vel potius, *lubricam*.

„ artifice productus, qui fabricavit eum, „ archetypum imitatus se ipsum: quocirca Rex unicum & excellens quoddam „ opus est, imo IMAGO superni illius Regis, Creatori suo semper familiaris, a „ subditis vero in Regno tanquam lumine „ conspicua: examinatur enim & probatur dignitas Regia, non secus quam avium princeps aquila, obversis Soli oculis: eadem est ratio de Regno, ut quod „ divinum sit, & propter nimiam claritatem oculos obtundat omnibus præterquam legitimis: etenim multi splendores oculis observantes, atque vertigines „ arguunt spurios, qui adscenderunt tanquam in altitudinem insolitam. Illius „ vero, qui ut par est propter naturæ similitudinem Regni cacumen adiverunt, „ habitari potest, & totum sui commodum „ præbere. Est igitur Regnum res sincera, „ incorrupta, & propter excellentiam divinissima, ac homini difficilis accessu. „ Oportet autem, & illum, qui suscepit „ Regnum, purissimum & lucidissimum „ natura esse; ne quod clarissimum ejus est, „ obscuret suis maculis; quemadmodum „ nonnulli sanctissima loca inquinaverunt, & exsecrabiles quidam eos, quibus „ obviam facti sunt: Rex igitur naturam „ habeat minime pollutam, & quanto reliquis divinior sit agnoscat, ac cætera, „ quibus decenter instructus, tum seipso, „ tum subditis optime uti poterit. Cæteri „ quidem homines a vitiis suis sanctissime „ purgantur, si Principibus suis similes evadant, sive Legem Principem, sive Regem habuerint. Principes vero, qui non „ habent, quod natura sua præstantius „ imitentur, illi non longius abire debent, „ sed statim a Deo utilitatem petere. OPORTET PRINCIPEM ETIAM „ MORIBUS IMPERIUM DOCERE: „ sic enim statim Imperii pulchritddo elucescit. Qui Dei virtutem imitatur, & ei „ charus est, quem æmulatus fuerit, & „ amplius subditis; nullum enim Deo charum horum homines odio prosequuntur; nam neque sidera, nec universus „ Mundus Deum odit; etenim si Ducem „ suum odissent, non utique ei parerent; „ sed quod bene imperat, id in causa est, „ ut subjecta bene regantur & pareant. „ Ob quod existimo terrenum Regem nullius virtutis expertem esse debere, qua „ cælestis ille præditus est; sed ut ipse est „ res peregrina & admiratione digna, utpote cælitus ad homines profecta, ita „ nimirum & virtutes ipsius Dei opera „ existimandæ sunt, & divino beneficio „ accessisse. Quod si rem a principio considerets, verum esse quod dico intelliges. „ Per communionem omnium primam & „ maxime necessaria hominum genera terrestris Rex conciliat: similiter facit ille, „ qui cuncta in Universo gubernat; nihil etenim, si tollas amicitiam & communionem, consistere potest: quod etiam in civitatibus ita se habet, si familiarem societatem abstuleris, & si multo inferior sit quam divina natura & regia, „ quæ nihil hujusmodi sibi desiderant, utpote perfectæ virtutes, sed aliis indigentibus suppeditant, & communi utilitati consulunt. Amicitia autem civitatis „ communem mutuo finem spectans, ipsius Universi concordiam imitatur. Porro citra constitutionem Magistratuum „ nulla civitas habitari posset, requiruntur autem ad illam constitutionem leges, „ civilis gubernatio, subditique & Præfecti, si per se conservanda sit. Hæc sequitur commune bonum, concinnus quidam status, & multitudinis consensus „ cum persuasione concordi. Ille qui imperat juxta virtutem, nominatur Rex, „ atque est eadem amicitia consensuque „ subditis conjunctus, qua Deus Mundo „ & in ipso contentis jungitur. Cæterum „ oportet omnem benevolentiam institui, „ primum a Rege subditos, deinde vicissim a subditis erga Regem: qualis nimirum patris existit erga filium; pastoris „ erga gregem. Hactenus ille, etsi longa littera, quia non omnibus obvius, opportunus ad rem nostram.

Imago Dei Rex.

Qualis esse debet Rex?

Dei virtutes imitatur.

Amicitia Regni comes

Absque magistratu nulla subsistit civitas.

DCXLV. Hunc consensum ac reciprocam benevolentiam non legimus inter Romulum Romanosque olim fuisse, etsi Livius Regem afferat. Contemnebant illum cives ob matris stuprum, ob Lupæ meretricis ubera vellicabant, & incunabula vilissima, domumque e stramentis habebant præ oculis; quod Amasio Ægyptiorum Regi exprobrasse commilitones legimus, probrumque pelvis commento evacuasse. Igitur ut infantiæ ac pueritiæ suæ contumeliam repelleret, & populi ora signaret, instituit SATURNALIA, sive BRUMALIA, convivia videlicet & commessationes; de quibus Licinius Historicus memoriæ prodidit: *Romulum ad contumeliam illam opprimendam Romano nomine commessationes illas appellavit* BRUMALIA, *quod est, ex alieno nutriri*; Auctor *Fastorum Siculorum* prolixiori excursu denarrat facinus: „ Romulus appellavit BRUMALIA, seu SATURNALIA, quod tum consuesset Rex totum „ Senatum, & omnes Palatinos, ac Militem mense Decembri, cum bellorum induciæ sunt, conviviis excipere. Cœpit „ igitur primos vocare ordine elementorum ab A usque ad Ω. Senatus populum „ eodem modo invitabat, & quisque vocabat quos volebat; singularum vero turmarum tibicines pridie ad vesperam „ ibant ad convivatorum ædes, qui quos „ volebant ad prandium vocabant, & ibidem canebant usque ad sequentem „ diem, uti scirent apud quem essent postridie epulaturi; qui mos obtinuit in „ Republica Romana ad hodiernum usque diem. Hoc ei fini Romulus fecit, ut „ deleret maculam, cujus causa Romani „ illi infensi erant oderantque, & contumeliæ causa objectabant, illum indignum esse Regno, qui cum fratre aliena quadra vixisset; & a pueritia usque „ ad perfectam ætatem, qua regnare cœpisset, aliorum victu educatus esset: quo „ significabant illum a Faustulo colono & „ Lupa uxore ejus cum fratre ex alieno „ enutritum esse: etenim apud Romanos „ & omnes Veteres vitio vertebatur aliena misericordia vivere: unde & in Symposiis, quæ chara appellabant, singuli „ convivæ suas ad epulum symbolas, suamque sportulam, & lagenam secum latam

Defectus Romuli.

Brumalia a Romulo cur inventa.

Brumalia sive Saturnalia expenduntur.

Instituta ut deleret Romulus maculam pueritiæ, dum alieno e penu vivebat.

„ in commune conferebant; itaque hodie „ retenta Majorum consuetudine convi- „ vantur. Macrobius, qui eruditissime Saturnalia scripsit, originem ad Janum, vel Herculem, & Saturni festum depromsit; Cælius vero *l.* 27. *c.* 24. inquit: *Romanis probrosum censebatur alienis vesci, &c. hinc tollendæ ignominiæ causa Romulus, quod cum fratre a Larentia foret educatus,* BRUMALIA *instituit, quibus convivio excipiebatur Senatus, quum necessarium diceret, a Rege suo ali Senatum hyeme, nullis obstrepentibus bellis.* Et *lib.* 28. *c.* 25. Brumalia cum Dionysii festo, quod *Ambrosia* dicebatur, confundit, & a Romanis tunc *Bacchum appellari Brumum.* Phornutus ab uvis in torculari calcatis Bromium dictum putat: Orpheus in *Hymnis* a *sonitu tonitrui*: occinitque Eusebius, quia βρόμος sonum & ignis strepitum sonat. At nomen unde exorta si inquirimus Brumalia, inquit Varro lib. 5. *L. L. dicta bruma, quod brevissimus dies est.* Similiter Festus Pompejus bruma *a brevitate dierum* dicta: addit Isidorus lib. 5. *Orig. Quia tunc breviori Sol volvitur circulo: unde hoc tempus bruma dicitur, id est, brevis, vel a cibo, quod major tunc sit vescendi appetitus;* opportunum igitur tempus ad commessationes elegit Romulus, & aliena quatra * vixisse, alieno convivio occulit.

Bacchus. Bromus.

Brumæ nomen expenditur.

CAP. LIV.

Romulus annum decimestrem reformat, variisque nominibus juxta deorum nomina menses vocat. Quæritur de Tempore, Hora, Die, Hebdomada, Kalendis, Nonis, Idibus, Anno, Lustro, Olympiade, Æra, & Anno magno.

Tempus recensetur.

DCXLVI. TEmpus Solis est spatium, quo orbis momenta, dies, & anni recensentur; inquit enim Varro lib. 5. *L. L. Tempus esse dicunt intervallum mundi & motus: id divisum in partes aliquot maxime ab Solis & Lunæ cursu; itaque ab eorum tenore temperato tempus dictum.* Varroni occinit Macrobius lib. 1. *Saturn.* c. 8. *Tempus est certa dimensio, quæ ex cæli conversione colligitur.* Ideo in quarto *Physicorum* Aristoteles finit tempus, numerum motionis ex eo quod est prius & posterius. Hunc numerum Pythagoras a Mundi anima venabatur; etenim teste Plutarcho in *Quæstionibus Platon.* interrogatus de tempore, *Universi esse animam respondit;* simulque Plato, qui bifariam excepit tempus, *originale* assignavit animæ, ut esset numerus se movens; alterum ex eo prodiens, ad corpora pertinere edixit; adnotabatque doctus Piccolomineus, cunctos ex antiquissimis Philosophos tempus esse motum docuisse; etenim apud Plutarchum lib. 1. *de Placitis Phil.* Pythagoras ait: *Tempus esse globum ambientis corporis;* Plato, *mobilem æternitatis imaginem, aut motus Mundi intervallum;* Eratosthenes, *Solis motum:* dissentiunt tamen in motus assignatione: nam Epicurus dixit *esse motum diurnum;* Eratosthenes, *motus omnes cælorum una*

Placita Philosophorum circa tempus.

* Rest. *quadra.*

A *conspirantes,* ob id *viam Mundi* tempus nuncupavit; Stoici retulere *ad motum Solis*: Anaximenes & Anaximander universe motum omnem dixere tempus; Speusippus in libro *de Platonis definitionibus* asseruit, *Tempus esse motum Solis & progressionis mensuram;* Stoici cum Zenone, *motus intervallum;* Plato in *Timæo* postquam primum præscripsit tempus, quod *principale* appellavit, docuit, *esse imaginem æternam, numero fluentem*: stat æternitas, ejus imago tempus fluit; vocavitque illud Plotinus *imaginem mobilem immobilis ævi*: ad quod fortasse respiciens Jamblichus *primam motionem* tempus existimavit.

De motu & tempore.

B

DCXLVII. Hinc viri sapientissimi, Ægyptiorum Sacerdotes, lib. 1. *Saturn.* Macrobii c. 20. simulachro Isidis signum tricipitis animantis adjungunt, quod exprimit medio, eodemque capite Leonis effigiem: dextera parte caput Canis exoritur mansueta specie blandientis: pars vero læva cervicis, rapacis Lupi capite finitur: easque formas animalium Draco connectit volumine suo, capite redeunte ad dei dexteram, qua conspicitur * monstrum; expendit hieroglyphicum Macrobius: *Leonis capite monstratur præsens tempus; quia conditio ejus inter præteritum futurumque actu præsenti valida ferensque est: sed & præteritum tempus Lupi capite signatur, quod memoria rerum transactarum rapitur & aufertur; item Canis blandientis effigies futuri temporis designat eventum; de quo nobis spes licet incerta blanditur.* At si licet arcanum illud nobis expendere, in Leone Solem intelligimus, cujus motus temporis censetur causa; etiamsi dormiat, palpebras & caudam movet: Lupus vorax absorbuit quæ tempus detulit & absumsit velociter, ut non sit; Canis blanditur exspectans, nec habet quod optat. Sic *tempus fluit,* inquit Seneca in *Quæstionibus Nat.* & *avidissimos sui deserit. Nec quod futurum est, verum est, nec quod fluit; in puncto fugientis temporis pendeo: & magni est modicum fuisse. Eleganter Lælius ille sapiens, dicenti cuidam, sexaginta annos habeo, hos, inquit, dicis sexaginta, quos non habes.* Tempus brevis mora est, semper in motu & præceps; fluit, currit, volat; unde Lucretius lib. 1. *de rerum natura* vers. 459.

Tria capita Leonis, Canis, & Lupi, temporis hieroglyphicum.

C

D

Tempus in puncto censetur pendere.

E

Tempus item per se non est; sed rebus ab ipsis
Consequitur sensus, transactum quid sit in ævo;
Tum quæ res instet; quid porro deinde sequatur:
Nec per se quemquam † sentire fatendum'st
Semotum ab rerum motu.

Temporis flux. s; at nihil fit.

F

Hunc sequitur Ovidius lib. 15. *Metam.* vers. 177.

—— nihil est toto quod perstet in orbe:
Cuncta fluunt, omnisque vagans formatur imago.
Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu
Non secus ac flumen: neque enim consistere flumen,

* Rep. *compescitur.* † Vox *tempus* excidit.

Nec levis hora potest: sed ut unda impellitur unda,
Urgeturque eadem veniens, urgetque priorem,
TEMPORA SIC FUGIUNT *pariter, pariterque sequuntur,*
ET NOVA SUNT SEMPER: *nam quod fuit ante, relictum est;*
Fitque quod haud fuerat, momentaque cuncta mutantur †.

Fluminis comperta ratio.

Tempus fere nullum & præceps.

Quod Seneca *de brevitate vitæ* declarat: *Præsens tempus brevissimum est, adeo quidem ut quibusdam nullum videatur;* IN CURSU ENIM SEMPER EST, *fluit, & præcipitatur:* enimvero si substantiam ac temporis naturam inquirimus, inquit Plutarchus *loco cit. Plato dicebat esse motum cæli: plerique Stoicorum ipsum motum.* Sed ut sciamus, inquirendum, quid est motus? Aristoteles lib. 3. *Physicorum*, adversus Pythagoram & Platonem, qui in *Sophista* plura contendit, esse nempe *genus, alteritatem, inæqualitatem, & non ens;* finit pluribus ipsum motum apud Averroem & Piccolomineum in libro *de motu;* ait primo: *Motum esse actum ejus, quod est potestate, quatenus potestas est;* addit aliam finitionem: *Motus est actus mobilis, ut mobile est:* præterea edixit: *Motus est actus motoris & mobilis, ut est potestate;* hinc Averroes primam finitionem appellat formalem, secundam materialem; quod absolute verum non est, ambæ enim constant ex eisdem causis, forma & materia. Fit igitur motus a motore; ergo cum Platone dicimus, non est ens: inquit enim Aristoteles in libro *de Interpretatione, id quod fit non est.* Ideo Parmenides & Melissus negarunt esse motum, rationibusque Zeno adfirmabat, quas Diogenes ambulans evertebat, ostendens sensui credendum, & omnino esse motum; quem Deum confitemur sanxisse, ut sua immobilitate præcelleret cuncta creata, quæ in motu sunt ævi,

Quæritur de motu.

An sit motus?

Negatur.

Adseritur.

—— stabilisque manens dat cuncta moveri,

Boetius cecinit lib. 3. *Consol. Phil.* & Sophocles in *Oedipo* vers. 599.

Ω φίλτατ' Αἰγέως παῖ, μόνοις ἐ γίνεται
Θεοῖς το γῆρας, ἐδὲ κατθανεῖν ποτέ·
Τά δ' ἄλλα συγχεῖ πανθ' ὁ παγκρατὴς χρόνος.
O Ægei charissima soboles, DIIS SOLIS *datum est a mortis & senii gravis*
Liberum agere ævum nexibus: reliqua omnia
Tempus potens confundit.

Unde Macrobius lib. 2. *in Somn. Scip.* cap. 14. de Aristotele inquit, *callidis argumentationibus adstruit nihil ex se moveri,* &c. *Sed omnia quæ moventur, ab alio moveri.* Hæc adversus Platonem, qui in *Phædone* animam immortalem ostendit, quoniam ex se moveatur; quod Tullius in Scipione * sic refert: *Quod semper movetur, id æternum est: quod autem motum affert alicui, quodque ipsum agitatur aliunde, quando finem habet motus, vivendi finem habeat necesse est. Solum igitur quod seipsum movet, quia nunquam deseritur a se, nunquam ne moveri quidem desinit: quin etiam cæteris quæ moventur hic fons, hoc principium est movendi,* &c. *Inanimum est enim omne, quod pulsu agitatur externo: quod autem est animatum, id motu cietur interno suo: nam hæc est propria natura animæ, ac vis; quæ si est una ex omnibus, quæ sepsam moveat, neque nata est certe, & æterna est.* Hæc ille ex Platone, qui etsi in *Timæo* factum orbem, hominemque pro certo adstruit, ideas excogitavit, animarumque fontem ab æterno; sed si Mundum a Deo exortum perhibet, quæ ad Mundi ornatum pertinent, ab illo emanasse proculdubio dicendum exigit ratio; imo addit immissas a Deo animas, ergo ab illo motas, & sic principium motus a Deo auspicandum, cumque æternum demonstrat ratio. Addit Aristoteles, *Principium motus non movetur:* nam motor a seipso cuncta movet, æternumque stat, & quæ immortalia, ut anima & Angeli, ab ipso principium motus æternumque ævum immobili tanquam rerum motore participant.

De immortalitate animæ.

Anima non æterna, sed a Deo creata.

DCXLVIII. Hinc Mundus motu & temporum varietate coalescit, unde Veteres in Saturnis arcanis expressum ediderunt illius symbolum, de quo Macrobius l. 1. *Sat.* c. 8. inquit: *Falcem Saturno quidam putant attributam, quod tempus omnia metat, exsecet, & incidat; hunc ajunt filios suos solitum devorare, eosdemque rursus evomere; per quod similiter significatur eum tempus esse, a quo vicibus cuncta gignantur absumanturque, & ex eo denuo renascantur: eumdemque a filio pulsum, quid aliud est, quam tempora senescentia ab his, quæ post sunt nata, depelli? Vinctum autem, quod certa lege naturæ connexa sint tempora; vel quod omnes fruges quibusdam vinculis nodisque alternentur.* Alibi plura dabimus in Hieroglyphicis.

Mundus motu coalescit.

Saturni circa tempus allegoria.

DCXLIX. Tempus ergo, quod Solis commensuramus cursu, divisere in momentis; Ovidius *loco cit.* subjungit,

Tempori divisio.

Fitque quod haud fuerat, momentaque cuncta novantur.

Isidorus lib. 5. *Originum* de temporibus c. 29. *Tempora Momentis, Horis, Diebus, Mensibus, Annis, Lustris, Sæculis, Ætatibus dividuntur.* MOMENTUM *est minimum atque angustissimum tempus, a motu syderum dictum.* A Mathematicis & Arithmeticis secatur hora in partes tenuissimas; velocissimus namque Solis motus momenta præcurrit, dum brevibus intervallis sibi cedit atque succedit; expressit Apostolus hanc pernicissimam velocitatem, dum resurrectionem *in momento, in ictu oculi* futuram docet: & Cælius *lib.* 14. *c.* 19. *Ictum oculi, sive motum, Græci ῥοπὴν dicunt: unde est illud parœmiodes, ἐν ῥοπῇ ὀφθαλμῦ, id est, in momento & oculi ictu, vel motu.* Ex istis fit HORA: Horatius de Jove lib. 1. *Carm.* od. 12.

Momentum.

—— variisque Mundum
Temperat horis.

Ovidius lib. 2. *Metamorph.* vers. 25. Solis asseclas illas nuncupat,

Horæ.

A dextra lævaque Dies, & Mensis, & Annus,
Sæculaq; & positæ spatiis æqualibus Horæ.

Sic

† Alii melius, *novantur.* * Hoc est 1. *Tuscul. Quæst.* num. 53. & 54.

Sic dictæ, ut doctus Lilius ex Platone refert, *quod tempora terminent*. Quod dictum ab Isidoro *loc. cit.* observo: *Hora Græcum est nomen, & tamen Latinum sonat; ora enim finis est temporis; sicut & oræ sunt fines maris, fluviorum, & vestimentorum*; similiter Macrobius libro primo *Saturnalium* capite vigesimo primo: „ Apud Ægyptios „ Apollo, qui est Sol, Horus vocatur: ex „ quo & HORÆ XXIV. quibus dies, nox„ que conficitur, nomen acceperunt; & „ quatuor tempora, quibus annuus orbis „ impletur, horæ vocantur. Hanc divisionem diei ac noctis ab Ægyptiis emanasse sunt qui putent: nam Cynocephalus in utroque Æquinoctii die duodecies, hoc est, per horas singulas, meiit: hinc ex Horo Apolline & Philippo inquit Gyraldus, in Hydrologiis sedentem Cynocephalum Ægyptii effingere consueverunt, qui veluti mingens aquam Hydrologii effundat. Sunt & qui tradant eumdem Cynocephalum non modo mejere, sed & in singulas horas latrare. Scribit Philelphus animadversum in Ægypto, quo tempore sacrificium faciendum esset, victimam immolandam quater & vigesies, æqualibus inter se spatiis, minxisse, & inde horas nomen accepisse. Fabellas dedimus non illepidas, verumtamen horæ sunt partes diei noctisque commensuratæ ab Horologiis; quæ primum in Ægypto a Thalete Milesio, juxta Pyramidum umbram, reperta scripsimus in nostra *Ægyptiorum Theologia*; Plinius *lib.* 2. *c.* 76. „ Umbrarum hanc rationem, quam „ vocant Gnomonicen, invenit Anaxime„ nes Milesius, Anaximandri discipulus; „ primusque Horologium, quod appellant „ Sciotericon, Lacedæmone ostendit; fuit ad cursum Solis fabrefactum, & ab Apolline Horo, inquit Macrobius, horæ nuncupatæ; potius hominum consensu horarum divisionem crediderim, de quo Plinius *lib.* 7. *c.* 60. ait: *Tertius consensus fuit in horarum observatione, jam hic ratione accedens. Servis etiam hoc Romæ contigit. Duodecim Tabulis Ortus tantum & Occasus nominantur; post aliquot annos adjectus est & Meridies, Accenso Consulum id pronunciante, cum Curio inter Rostra & Græcostasim prospexisset talem Solem. A columna ænea, vel Mœnia, ad carcerem inclinato sidere, supremam pronunciabat*. Sed hoc serenis tantum diebus, usque ad primum Punicum Bellum...... M. Varro primum statutum in publico secundum Rostra in Columna tradit, Bello Punico primo, a M. Valerio Messala Consule Catana capta in Sicilia. De horologiis satis egimus in *Obelisco Campi Martii*, quem vide.

Finis est temporis.

Horarum notitia a Cynocephalo apud Ægyptios.

Horologii inventio, & horarum divisio.

DCL. Herodotus *lib.* 2. sive in *Euterpe*, a Geometria horarum divisionem prodiisse, quam Babylonii Græcos docuere; inquit enim de Nili illuvie cap. 109. *Δοκέει δέ μοι ἐνθεῦτεν Γεωμετρίη εὑρεθεῖσα ἐς τὴν Ἑλλάδα ἐπανελθεῖν· πόλον μὲν γὰρ, καὶ γνώμονα, καὶ τὰ δυώδεκα μέρεα τῆς ἡμέρης παρὰ Βαβυλωνίων Ἕλληνες. Hinc Geometria orta videtur in Græciam transcendisse: nam polum, & gnomonem*, ET DUODECIM DIEI PARTES, *a Babyloniis Græci didicerunt*. Hyperiona primum horas observasse Diodorus scribit; Horoscopi beneficio illas adinvenisse antiquitus testatur Cælius; hinc *horoscopare* penes Manilium, & *signa horoscopantia* apud Firmicum; hinc illud Persianum fertur *Sat.* 6. *vers.* 18.

—— geminos horoscope varo
Producis genio.

Unde Cælius *lib.* 12. *c.* 9. ait: „ In Vete„ rum monumentis observatum; vasa dici „ horoscopa, quibus commonstrantur ho„ ræ; quæ & heliotropia vocitata interim „ comperiuntur, si Solis & umbrarum ra„ tione constent. Porro notationem geni„ talis horæ, Horoscopon quoque vocant. Solis vero umbilicus (quem & stilum hemisphærii dicunt, monstrantis horas) est, quem gnomonem item appellamus, & sciatheran, cujus umbra internoscuntur horæ: unde & ipsa umbrarum ratio gnomonice dicta, ab Anaximene Milesio inventa. Cæterum *Dioptrica* Solis & Lunæ, cæterorumque astrorum intervalla, Astrolabii usus deprehendit, quem Ptolemæus, teste Synesio, adinvenisse dicitur; horas proinde *æquinoctiales*, *temporales*, *æstivas*, *hybernales*, Ptolemæus & Theon expendunt, deinde Cælius, & ex eo Lilius, quos vide.

Horoscopa vasa, quibus commonstrantur horæ.

DCLI. Viginti quatuor horarum spatio fit dies, a Jove dictus, Unde Varro lib. 4. *L. L.* ait: *antiquum Jovis nomen; nam olim Diovis, & Diespiter dictus, hoc est*, AER, ET DIES, ET PATER; *a quo dei dicti*. Neque id abesse a quadam consuetudine prisca existimavimus; nam inquit Aulus Gellius in *Noctium Atticarum* lib. 9. c. 14. *Quod est hic dies, tam hujus dies, quam dii*. Q. Ennius in XVI. *Ann. dies* scripsit pro *diei* in hoc versu,

Dies a Jove dictus.

De die Plura.

Postremæ longinqua dies confecerit ætas.

Ciceronem quoque affirmat Cesellius in oratione, quam pro P. Sestio fecit, *dies scripsisse pro diei*. Quod ego impensa opera conquisitis libris pluscculis scriptum inveni etiam apud Virgilium *Georg.* lib. 1. ℣. 208.

Libra dies, somnique pares ubi fecerit
horas.

Id est, libra diei somnique: & alio in loco non dubium est, quin *dii* scripserit pro *diei*; ait enim lib. 1. *Æn.* vers. 640.

Munera lætitiamque dii.

Sic autem DIES *dii* a Veteribus declinatum est. Deus namque apud Theophilum, in libris *ad Autolycum*, a cursu dictus, juxta Platonis opinationem fertur; addit Isidorus, *dies dictus a diis*. Beda in *Hymnis* concinit,

Quippe dies a diis placuit vocitare Poetis.

Nonnulli diem putant Sole illucescente; unde Isidorus lib. 5. *Orig.* cap. 30. *Dies est præsentia Solis; sive Sol super terras; sicut nox, Sol sub terris.... Dies legitimus* XXIV. *horarum est, usque dum dies & nox spatia sui cursus ab Oriente usque ad alium orientalem Solem, cæli volubilitate concludat.*

Dies quid sit disquiritur.

Abusive autem dies unus, est spatium ab oriente Sole usque ad occidentem. Primus in Orbe dies vespere & mane illuxit; ideo varie Gentes illum recensent, ejusque initium diversimode auspicantur: Plinius *lib.* c. 77. *Ipsum diem alii aliter observavere: Babylonii inter duos Solis exortus; Athenienses inter duos occasus: Umbri a meridie ad meridiem: vulgus omne a luce ad tenebras; Sacerdotes Romani, & qui diem definiere civilem, item Ægyptii & Hipparchus, a media nocte in mediam.* Censorinus *de Die natali* scribit c. 3. „Dies partim naturalis, partim civilis est. Naturalis dies est, tempus ab exoriente Sole ad Solis occasum; cujus contrarium tempus est nox, a Solis occasu usque ad ortum. Civilis autem dies vocatur tempus, quod fit uno cæli circuitu*, quo dies verus, & nox continetur; ut cum dicimus, aliquem dies tantum triginta vixisse; relinquitur enim etiam noctes intelligere. A sexta hora noctis apud Romanos auspicabatur observabatque ex Varrone A. Gellius *lib.* 3. *c.* 2. & Virgilio, qui recondita & quasi operta veteris ritus significatione cecinit lib. 5. *Æneid.* vers. 738.

Dei observatio apud Gentes.

Dies naturalis, & civilis.

> —— *torquet*, inquit, *medios nox humida cursus,*
> *Et me sævus equis oriens afflavit anhelis.*

His versibus admonere voluit, diem, quem Romani civilem appellaverunt, a sexta noctis hora oriri. Isidorus addit, *unde & tunc* GALLICINIUM *est, quorum vox diei ostendit præconium.*

DCLII. Et quia partes diei multæ sunt, vel breviter enarrabimus: a vespere cœpisse sacer contextus diem docet; „Nox a nocendo dicta, *inquit Isidorus lib.* 5. *c.* 31. „eo quod oculis noceat: quæ idcirco Lunæ ac siderum lucem habet, ne indecora esset, & ut consolaretur omnes nocte operantes, & ut quibusdam animantibus, quæ lucem Solis ferre non possunt, ad sufficientiam temperaretur. Noctis autem & diei alternatio propter vicissitudinem dormiendi & vigilandi effecta est. Hesiodo mors dea filia noctis. Ad noctem & somnum Orpheus,

Nox a nocendo dicta.

Mors noctis filia.

> *Qui mortis formam inducens animalia servas,*
> *Nam germana tibi cum Lethe pallida mors est.*

Varronis oraculum lib. 5. *L. L.* pendet a Catulo: *Nox quod omnia, nisi interveniat Sol, pruina obriguerint: quod nocet, nox; nisi quod Græce νὺξ, nox. Cum stella prima exorta, Græci vocant ἕσπερον, nostri vesperuginem, ut Plautus.* Hujus stellæ varia nomina offert Horatius, & Martianus Capella lib. 8. *de Nuptiis Philologiæ*, simulque Pisidas canit,

Hesperus, vesperugo.

> *Quisve unum & idem sidus acri lumine*
> *Modo phosphorum, modo vesperum, si perspicit,*
> *Hoc nesciat binorum opificem cursuum,*
> *Lucis prophetam, noctis esse nuncium.*

Phosphorus.

* Alii, *circumactu.*

Seneca in *Medea* vers. 874.

> *Nox condat alma lucem:*
> *Mergat diem timendum*
> *Dux noctis hesperugo.*

Hesperugo.

Mane lucifer appellatur, ejusque meminit Job: *Numquid producis luciferum in tempore suo, & vesperum super fines terræ consurgere facis?* Concordat Gentilium Mythologia, aitque Martianus Capella, *facit ortum, & vocatur lucifer.* Estque Veneris stella, quæ tandem umbras excitat, & *vesperugo* nuncupatur, *hesperus, noctifer*, & *nocturnus*, ut, teste Turnebo, Catullus occinit,

Lucifer.

> *Jam dudum Oetæos ostendit noctifer ignes.*

Cujus naturam Plinius *lib.* 2. *cap.* 8. eleganter prodit: „Infra Solem ambit ingens sidus, appellatum Veneris, alterno meatu vagum, ipsisque cognominibus æmulum Solis & Lunæ: præveniens quippe, & ante matutinum exoriens, LUCIFERI nomen accipit, ut Sol alter, diem maturans: contra ab Occasu refulgens nuncupatur VESPER, ut prorogans lucem, vicemque Lunæ reddens: quam naturam ejus Pythagoras Samius primus deprehendit, Olimpiade circiter XLII. qui fuit Urbis Romæ annus CXLII. Jam magnitudine extra cuncta alia sidera est; claritatis quidem tantæ, ut unius hujus stellæ radiis umbræ reddantur; itaque & in magno nominum ambitu est: alii enim Junonis, alii Isidis, alii Matris Deum appellavere; HUJUS NATURA CUNCTA GENERANTUR IN TERRIS. Namque in alterutro exortu genitali rore conspergens, non terræ modo conceptus implet, verum animantium quoque omnium stimulat. Signiferi autem ambitum peragit trecenis & duodequinquagenis diebus, ab Sole nunquam abiistens partibus sex atque quadraginta longius, ut Timæo placet. Hæc ille; de cursu autem hesperi vide Tullium in *Fragm. de Univers.* Hyginus *lib.* 4. de Planetis hesperum *incertos cursus* efficere contendit, & a Sole tantum duobus signis distare. Cæterum Varro concludit: *Exortæ stellæ tempus dictum a Græcis ἑσπέρα, Latine vesper; ut ante Solem ortum, quod eadem stella vocabatur jubar, quod jubata.* Pacuvius dicit: *Pastor exorto jubare, noctis decurso itinere.* Ennius, *Lumen, jubarve in cælo cerno.*

Stellæ Veneris natura describitur.

Ejus cursus.

DCLIII. noctis partes septem recenset Isidorus lib. 5. *Orig.* c. 31. & sunt Vesper, Crepusculum, Conticinium, Intempestum, Gallicinium, Matutinum, Diluculum; *Vesper*, ait, *a stella occidentali vocatur, quæ Solem occiduum sequitur, & tenebras sequentes præcedit: de qua Virgilius,*

Noctis partes septem.

Vesper.

> *Ante diem clauso componet vesper Olympo.*

Antequam vesper exeat, *suprema tempestas* notatur præcipue apud Romanos; quibus XII. Tabularum lex, *Solis occasus suprema tempestas esto.* Refert capit. 3. post medium diem, inquit, vocatur tempus occiduum, & mox supre-

Suprema tempestas.

tempestas, hoc est, *diei novissimum tempus*: antea Varro: „ Suprema, summum diei, „ id a superrimo: hoc tempus XII. Tabu- „ læ dicunt esse occasum Solis: sed postea „ Lex Prætoria id quoque tempus jubet „ esse SUPREMUM, quo Prætor in Co- „ mitio Supremam pronunciavit Populo. „ Secundum hoc dicitur CREPUSCU- „ LUM a crepero: id vocabulum sumse- „ runt a Sabinis, unde veniunt Crepusci „ nominati Amiterno, quod eo tempore „ erant nati ut Lucii prima luce in crea- „ tione. Crepusculum significat dubium: „ ab eo res dubiæ dictæ creperæ.

Crepusculum.

DCLIV. Conticinium addit Crepusculo Isidorus, & est *quando omnia silent*. Conticescere enim silere est: at Censorinus *de Die Natali* illud post gallicinium profert: Varro sapiens partes alias recenset; ut sit antea INTEMPESTA NOX, ut in Bruto Cassius, quod dicebat Lucretia, *Nocte intempesta nostram devenit domum*: Intempestat Ælius dicebat, *cum tempus agendi est nullum*. Quod alii CONCUBIUM appellarunt, *quod fere omnes tunc cubarent*: alii ab eo, quod siletur, SILENTIUM NOCTIS: Seneca in *Oedipo* ait vers. 178.

Conticinium.

Concubium.

Silentium noctis.

Nocte silenti Amphionios
Ululasse canes.

Tertullianus eleganter vicissitudinem hanc pertractat: *Dies moritur in noctem, & tenebris usquequaq; sepelitur: funestatur Mundi bonor, omnis substantia denigratur: sordent*, SILENT, *stupent cuncta: ubique justitium est, quies rerum*. Virgilius lib. 4. *Æneid.* vers. 522.

Nox erat, & placidum carpebant fessa soporem, &c.
Cum tacet omnis ager, pecudes, pictæque volucres.

Quo tempore a regalibus sedibus Sermo Dei Patris, Christus Dominus, de cælis venit, ut salvum faceret Orbem: at Plautus, teste Varrone, *silentium noctis cum Conticinio* confundit: sic dictum a Censorino, quod galli conticescerent, & homines etiam tunc quiescerent; monet tamen Isidorus: „ Intempestum, est medium & „ inactuosum noctis tempus, quando agi „ nihil potest, & omnia sopore quieta sunt; „ nam tempus per se non intelligitur, nisi „ per actus humanos. Medium autem no- „ ctis actu caret; ergo intempesta, ina- „ ctuosa, quasi sine tempore, hoc est, si- „ ne actu per quem dignoscitur tempus. „ Unde est, Intempestive venisti: ergo „ intempesta dicitur, quia caret tempore, „ id est, actu. De MEDIA NOCTE dixit D. Hieronymus apud Bedam *de Ratione Temporum*: *In media nocte* FACTUS EST MUNDUS, *& in media nocte iterum destruetur*; ideo Persæ & Romani a media nocte *diem*, inquit, auspicantur. Partes vero noctis concinit Andromacha apud Senecam in *Troad.* vers. 436. quietis ac somni tempus, quo utplurimum visiones fiunt:

Mundus media nocte exortus, nocte media destruetur.

Somnus.

Partes fere nox mala transierat duas,
Clarumque septem verterant stellæ jugum:
Ignota tandem venit afflictæ quies,
Brevisque fessis SOMNUS *obrepsit genis;*
(Si somnus ille est mentis attonitæ stupor)
Cum subito nostros Hector ante oculos stetit, &c.
—— fessus, ac dejectus, & fletu gravis,
Similisque nostro, squallida obtectus coma, &c.

Visiones.

Hinc doctus Delrio Scholiastes ex Vegetii *lib. 3.* animadvertit *Romanos* noctem in quatuor partes divisisse; in duas, juxta Homeri carmen, *Græcos*, quos & Andromacha sequitur: his non obstantibus hæreo; & quatuor partes noctis, quas recensuimus, non solum consensu hominum, sed etiam astrorum motu profitemur; enimvero ex numeris quibus astrorum chorus resonat partes istæ colliguntur: asseritque Boetius apud Bedam in libro *de Computu*: *Propria ipsa natura numerorum, omnis astrorum cursus, omnisque astronomica ratio constituta est: sic enim ortus occasusque colligimus, sic tarditates velocitatesque errantium siderum custodimus*, &c. Gallus, qui a Deo sapientiam obtinuit, ut motus cælorum cantu evulgaret, illas cantu alarumque plausu denunciat: Plinius de Gallinaceis *lib. 10. c. 21.* inquit: *Gloriam sentiunt & hi nostri vigiles nocturni, quos excitandis in opera mortalibus, rumpendoque somno natura genuit: norunt sidera, & ternas distinguunt horas interdiu cantu. Cum Sole eunt cubitum, quartaque castrensi vigilia ad curas laboremque revocant*. Post mediam noctem, inquit Censorinus, sequitur *gallicinium*, cum *galli canere incipiunt*: *deinde conticinium, cum conticuere; tunc ante lucem: & sic diluculum, cum Sole exorto jam lucet: secundum diluculum vocatur mane, cum lux videtur*. Tertiam partem noctis occinit Theocritus:

Nox in quatuor partes divisa.

Galli cantus.

Gallicinium.

Diluculum.

Europæ Venus olim dulce somnium immisit,
Cum TERTIA PARS NOCTIS *stabat,*
& aurora prope erat:
Cum somnus melle dulcior in palpebris sedens,
Membra resolvens oculos dulci vinculo ligat,
Cum & veracium pascitur turba somniorum.

Aurora.

Vera somnia.

DCLV. In fine prope noctis matutinum auspicatur Isidorus: „ Matutinum, est in- „ ter abscessum tenebrarum & auroræ ad- „ ventum; & dictum matutinum, quod „ hoc tempus inchoantes mane sit; DI- „ LUCULUM, quasi jam incipiens par- „ va diei lux, hæc & AURORA, quæ „ Solem præcedit. *M. Varro*, Mane, quod „ tum manat dies ab Oriente; nisi potius „ quod bonum Antiqui dicebant manum. Hæc quarta & ultima pars noctis, cecinitque Propertius *l. 4. el. 4.*

Matutinum.

Manum dicebant bonum.

Si jam quarta canit venturam buccina lucem.

Festus vero addit: *Mane a diis Manibus dixerunt: nam mana bona dicitur; unde & Mater Matuta, & poma matura*. Verrius similiter & *Matutam* hinc auspicatur. Nec Festus Pompejus siluit Varronis commentum, inquit enim: *Manare Solem Antiqui dicebant, cum Solis orientis radii splendorem jacere cœpissent, a quo & dictum*

A diis Manibus.

putabant mane; describitur ab Ovidio lib. 15. *Metam.* verſ. 186.

> *Cernis & emenſas in lucem tendere noctes,*
> *Et jubar hoc nitidum nigræ ſuccedere nocti.*
> *Nec color eſt idem cælo, quum laſſa quiete*
> *Cuncta jacent media, cumque albo Lucifer exit*
> *Clarus equo, rurſuſque alius, cum prævia lucis*
> *Tradendum Phœbo Pallantias inficit Orbem;*
> *Ipſe dei clypeus, terra cum tollitur ima,*
> *Mane rubet, terraque rubet cum conditur ima.*

Solis fax.

Roſea fax a Lucretio dicitur; & Ennius cecinit,

> *Sol qui candentem in cælo ſublimat* FACEM.

Lux.

De hac luce Tertullianus eloquenter edisſerit: *Lux amiſſa lugetur, & tamen rurſus cum ſuo cultu, cum dote, cum Sole eadem, & integra, & tota univerſo Orbi reviviſcit, interficiens mortem ſuam noctem, reſcindens ſepulturam ſuam tenebras, hæres ſibimet exſiſtens.*

Mane, meridies, ſuprema, diei partes.

DCLVI. Poſt hæc dies illuceſcit, ingentique radiorum pompa lucem præfert, & Orbis vultum ab alto renovat; Beda *loco cit.* tria artificialis diei ſpatia recenſet, *Mane, Meridies, & Suprema:* Mane vero a mano dictum putat, a bono videlicet & puritate: *Mane dicitur ab ortu Solis uſque ad horam poſt tertiam;* MERIDIES *ab hora poſt tertiam uſque ad horam ante nonam: Suprema ab hora ante nonam uſque ad occaſum Solis.* Varro lib. 5. *L. L. Meridies ab eo, quod medius dies:* D *non* R *in hoc loco dicebant, ut Præneſte inciſum in Solario vidi, quod Cornelius in Baſilica Æmilia, & Fulvia inumbravit:* hanc rationem refert

Meridies.

Iſidorus, & aliam ſuo ex penu addit: *Meridies dictus, quaſi medidies, vel quia tunc purior dies eſt: merum enim purum dicitur: in toto enim die nil clarius meridie, quando Sole medio cælo rutilat, & omnem terram pari claritate illuſtrat.* Tempus olim dicatum diis, ideo clauſæ templi fores in meridie; obſervabatque eruditus Cælius *lib.* 15.

Diis dicatus.

cap. 23. dicens: *Auſtrum diis attribuunt, proinde Meridie ingruente in deorum templis panduntur vela, nec homini ingreſſus patet, velut diis ſit deſtinatum eundi tempus. In januis quoque Meridiei & Auſtri viſebantur ſymbola, nec in janua ulla, quæcumque eſſet hora, loqui fas arbitrabantur;* nam Ægyptiorum & Pythagoricorum dogma ſapientum id fuit, cum deum innuerent ſilentio colendum, a quo ſunt rerum primordia. Ex his Mantuano Vati lux infertur, quum *Georg.* lib. 4. verſ. 401. ſic canit:

Proteus meridie egreſſus ab undis reſponſa dabat.

> *Ipſa ego te, medios quum Sol accenderit æſtus,*
> *Quum ſitiunt herbæ, & pecori jam gratior umbra eſt,*

Satis fuit Servio inibi ita enarraſſe, *tunc,*

A inquit, *fere videntur numina.* De SUPREMA inquit Beda, dicitur *quaſi ſupprimendo: a ſuperrimo,* ait Varro, & ſequitur: *Hoc tempus duodecim Tabulæ dicunt occaſum eſſe Solis, ſed poſtea Lex prætoria id quoque tempus jubet eſſe ſupremum, quo Prætor in Comitio ſupremam pronuntiavit Populo.* Occaſus dicitur, quia occidere & interire Solem putabant Veteres, juxta Epicuri ſententiam, quam refert Cleomedes *lib.* 2. elegantior Mœris apud Virgilium *ecl.* 9.

Suprema.

Occaſus.

B

> *Cantando puerum memini me condere Soles.*

Hebdomada.

DCLVII. Ex diebus fit hebdomada, de qua Beda *de Ratione temporum* ſic ſcribit: *Hebdomada eſt ſeptem dierum curſus, & a ſeptenario numero nomen accepit: nam hebdomada Græce ſeptimana dicitur Latine, eo quod ſeptem manes, id eſt, ſeptem dies in ſe complectatur.* Hæc ille ex Divi Iſidori penu, qui ait, *Hebdomada dicta a numero ſeptem dierum, quorum repetitione &* MENSES, *&* ANNI, *& ſæcula peraguntur.*

Hebdomadæ nomen.

C Dierum hebdomadæ nomina a diis impoſuere Veteres; unde Auſonius in *Eclogar.*

Dierum nomina a diis.

> *Primum ſupremumque diem radiatus habet Sol,*
> *Proxima fraternæ ſuccedit Luna coronæ:*
> *Tertius aſſequitur Titania lumina Mavors:*
> *Mercurius quarti ſibi vindicat aſtra diei:*
> *Inluſtrant quintam Jovis aurea ſidera Zonam:*
> D *Sexta ſalutiferum ſequitur Venus alma parentem:*
> *Cuncta ſupergrediens Saturni ſeptima lux eſt:*
> *Octavum inſtaurat revolubilis orbita Solem.*

Occinitque Beda in libro *de Ratione temporum* cap. 4. „ His nomina a Planetis Gentilitas indidit, habere ſe credentes a Sole „ ſpiritum; a Luna corpus; a Marte ſanguinem; a Mercurio ingenium & linguam; temperantiam a Jove; a Venere
E „ voluptatem; a Saturno tarditatem. Hinc Euſebius *hom.* XI. de Paſcha inquit: *Dæmonum appellationibus dies vocarunt, & luci tenebrarum nomen impoſuerunt.* Chriſtiani feriarum nomina diebus rationabili indidere ritu; unde Beda,

> *Noſtro more dies Feriæ ſunt nomen habentes.*

Additque, harum appellationum Silveſtrum Pontificem auctorem fuiſſe: ſed Briſſonius hæret: enimvero ab ineunte Eccle-
F ſiæ ævo, *Feriæ* dies hebdomadæ nuncupabantur; meminitque illarum Sanctus Ignatius Antiochenæ Eccleſiæ tertius poſt Petrum Epiſcopus in Epiſtola ad Philippenſes, & Clemens Alexandrinus lib. 7. *Stromatum:* Divus Auguſtinus in *ep.* 118. *Jovis diem* quintam Sabbati appellat: Sanctus Hieronymus in *Epitaphio Paulæ,* diem Martis *tertiam Sabbati* vocat; *Sabbatum* vero ab Hebræis Eccleſiam habuiſſe, teſtatur in *Hymnis* Beda:

Feriæ Chriſtianis dictæ.

Sed primam, quartam Feriam, sextamque vocantes,
Sabbati ab antiqua mutuamus lege vocamen:
Mercurii, Venerisque dies hos prisca vocabat
Ætas, falsorum venerans portenta deorum.

Varie apud Veteres mensis origo, nominisque originatio: sunt qui a Luna dictum putent; Varro lib. 5. *L. L. Mensis a Lunæ motu dictus, dum ab Sole profecta, rursus redit ad eum Luna*: hinc Eustathius mensem olim *bovem* dixisse perhibet, a Lunæ cornibus: a Græcis ejus nomen emanasse testatur Isidorus, ejusque assecla Beda inquit: *Mensis dicitur a Luna, quæ Græco sermone μήνη dicitur; nam & apud eos menses μῆνες, sicut & apud Hebræos (Hieronymo teste) Luna, quoniam* * ירח *nominant, mensibus nomina dedit*. Hæret Lilius, & a mensura mensem profitetur, *quod eadem omnes fuerint mensura*; sed dormitat, dum variantes non despicit; ideo intercalare cœperunt menses, ut infra dicemus. Beda *de tempor. Rat*. cap. 9. *Menses dicti a mensura, qua quisque eorum mensuratur*. Vel, ut ait M. Cicero, quia mensa spacia conficiant; sed neque menses omnino a Luna, a Sole plerique alii auspicantur: Isidorus enim ait: „Ægyptii propter Lunæ „velociorem cursum, & ne error compu„tationis ejus velocitate accideret, ex So„lis cursu dies mensis adinvenerunt, quo „tardior Solis motus facilius poterat com„prehendi. Non enim omnes Lunares, quia varii, Solares fuerunt, & in ordine constantes intercalaribus pares. Apud Hebræos ab initio fuisse legimus juxta columnas, quas recensent Scriptores, meminitque mensium ante Orbis eluviem sacer contextus, quo animadverso, nescio qua ductus ratione Beda respondeat: *Primus invenit menses apud Hebræos Moses, Arcades apud Græcos, Romulus apud Romanos*. Sed fastos Hebræorum ante atavos Moysis signavit prima ætas, ante Romulum Janus: fortasse reformatos intelligit menses, & ad lancem dimensumque redactos.

Mensem bovem dicebant.

A mensura: mensis.

A Luna & Sole auspicatur.

Quis mensis inventor?

DCLVIII. Ob varietatem motus Lunæ intercalare Romulus autumavit menses, quod Numa & Cajus Cæsar tenuere: DE CALENDIS, NONIS, & IDIBUS, deque feriarum variis observationibus, innumeros Auctores cura quæstionis exercuit, inquit Prætextatus; ideo ejus originem exhibeo juxta Macrobii censuram in lib. 1. *Sat*. cap. 15. „Romulus cum ingenio acri „quidem, sed agresti, statum proprii or„dinaret Imperii, initium cujusque men„sis ex illo sumebat die, quo novam Lu„nam contigisset videri: quia vero non con„tinuo evenit, ut eodem die semper appa„reat, sed modo tardius, modo celerius „ex certis causis videri solet, contigit, „ut dum tardius apparuit, præcedenti „mensi plures dies, aut cum celerius, pau„ciores darentur: & singulis quibusque „mensibus perpetuam numeri legem pri„mus casus addixit; sic factum est, ut alii „triginta & unum, alii undetriginta sorti„rentur dies: omnibus tamen mensibus ex„die Nonarum, IDUS nono die repræ„sentari placuit; & inter IDUS ac sequen„tes CALENDAS constitutum est sex„decim dies esse numerandos. Ideo men„sis uberior duos illos, quibus augebatur, „dies inter Calendas suas & Nonas habe„bat, hinc aliis quintus a Calendis dies, „aliis septimus NONAS fecit: idque cum plebs ignoraret, minor Pontifex cum Lunæ observaret adspectum, visamque Regi Sacrificulo nunciaret; deinde sacrificio a Rege & minore Pontifice celebrato, idem Pontifex calata, id est, vocata in Capitolium plebe juxta Curiam Calabram, quæ Casæ Romuli proxima erat, quot numero dies a Calendis ad Nonas superessent pronuntiabat, quintanas quidem dicto quinquies verbo καλῶ, septimanas repetito septies prædicabat; verbum autem καλῶ Græcum est: & hunc diem, qui ex his diebus qui calarentur primus esset, placuit CALENDAS vocari; a Macrobio nec ungue discrepant Beda & Isidorus: & quia Plutarchus in *Quæstionibus* mensem Junoni sacrum perhibet, Calendarem Junonem effert Varro, de qua Macrobius: Ut „autem Idus omnes Jovi, ita omnes Ca„lendas Junoni tributas, & Varronis & „Pontificalis confirmat auctoritas: quod „etiam Laurentes patriis religionibus ser„vant, qui & cognomen deæ ex cæremo„niis addiderunt, CALENDAREM JU„NONEM vocantes: sed & omnibus Ca„lendis a mense Martio ad Decembrem „huic deæ Calendarum die supplicant. „Romæ quoque Calendis omnibus, præ„ter quod Pontifex minor in Curia Cala„bra rem divinam Junoni facit: etiam Re„gina Sacrorum, id est, Regis uxor, por„cam, vel agnam, in Regia Junoni im„molat: huic deæ cuncti Calendarum dies „videntur adscripti: cum enim initium „mensium Majores nostri ab exortu Lunæ „servaverint, jure Junoni Calendas addi„xerunt, Lunam, ac Junonem eandem „putantes. In *Fastis* Ovidius lib. 1. postquam fastos dies nefastosque edidit, occinit vers. 51.

De Calendis.

Initium mensis a nova Luna.

Idus.

Nonæ.

Calendæ.

A Pontifice populo nuntiatæ in Curia Calabra.

Juno Calendaris

Nam simul exta deo data sunt, licet omnia fari,
Verbaque honoratus libera Prætor habet.
Est quoque quo populum vis * *est includere septis:*
Est quoq; qui nono semper ab orbe redit.
Vindicat Ausonias Junonis cura Kalendas:
Idibus alba Jovi grandior agna cadit:
Nonarum tutela deo caret.

Sed licet Varro a calo, id est, voco, nuncupatas Calendas putet, ut Livius observat, originationem Plutarchus variat, & a *clam* dictas refert, *quod tunc Luna clam esset*, id est, *lateat*; eumque secutus est Theodorus Gaza. Calendarum dies sanctissimi habebantur; quamvis Plutarchus ab usuris Fœneratorum inter nefastos illos adscribat: nova etenim Luna turgente usuræ solvebantur, etiam apud Græcos, ut Hesiodus & Aristophanes testatum cecinerunt: etsi apud illos nullæ Calendæ: Augustus Cæsar mutuum nunquam reddituros, *ad Calendas Græcas* soluturos apud

A calo, id est, voco, Calendæ, vel a clam, scil. Luna occultata.

In Calendis Fœneratores usuras exigebant.

Calendas Græci non habebant.

* Videtur leg. *quam*.

* Rescr. *jus*.

Suetonium, & Gyraldum, loco proverbii edixit.

Nonæ.

DCLIX. Nonæ dictæ a Luna nova: „Quidam NONAS æstimant dictas, *inquit Macrobius*, „ quasi novæ initium ob„servationis; vel quod ab eo die semper „ad Idus novem dies putentur: sicut apud „Tuscos Nonæ plures habebantur; quod „hi nono quoque die Regem suum salu„tabant, & de propriis negotiis consule„bant. De Calendis iterum una cum Nonis audiendus Varro lib. 5. *L. L.* „ Primi „dies mensium nominati Kalendæ ab eo, „quod his diebus kalentur ejus mensis no„næ a Pontificibus, quintanæne, an se„ptimanæ sint futuræ, in Capitolio in Cu„ria Calabra sic dictæ. QUINQUE KA„LO IUNO NOVELLA: SEPTEM „KALO IUNO NOVELLA. Nonæ „appellatæ; aut quod ante diem nonum „Eidus semper, aut quod novus annus „Kalendæ Januariæ ab novo Sole appella„tæ, novus mensis, nova Luna Noneis: „eodem die enim in Urbe ab agris ad Re„gem conveniebat populus. Harum rerum „vestigia apparent in sacris Nonalibus in „Arce, quod tunc ferias primas menstruas, „quæ futuræ sint eo mense, Rex prædi„cit populo. Hæc Varro: sed si mensis initium a Calendis auspicatum, cur non a numinis illius cultu dictæ Calendæ? equidem adest Isidorus opportunus ad hanc divinationem lib. 5. *de temporibus* cap. „33. Calendas, Nonas, & Idus propter fe„stos dies Romani instituerunt, vel pro„pter officia Magistratuum: in his enim „diebus conveniebatur in urbibus. Qui„dam autem Kalendas a colendo appella„tas existimant; apud Veteres enim om„nium mensium principia colebantur, „sicut & apud Hebræos. IDUS autem ple„rique Latinorum ab edendo dictas pu„tant, quod ii dies apud Veteres epularum „essent. NONAE a nundinis vocatæ; nun„dinæ enim sunt publicæ conventiones, „sive mercimonia. Sed Iduum originem nomenque expendit Macrobius lib. 1. *Sat.* „cap. 15. Iduum nomen a Tuscis, apud quos „is dies ITIS vocatur, sumtum est. *Item* „autem illi interpretabantur JOVIS FI„DUCIAM: nam cum Jovem accipia„mus lucis auctorem, & LUCETIUM „Salii in carminibus canunt, & Cretenses „Δία τὴν ἡμέραν vocant: ipsi quoque Ro„mani Diespitrem appellant; jure hic dies „Jovis fiducia vocatur, cujus lux cum So„lis occasu non finitur, sed splendorem „diei & noctis continuat, illustrante Lu„na; quod semper in plenilunio, id est, „medio mense, fieri solet. Diem ergo, „qui vel nocturnis caret tenebris, Jovis „fiduciam Tusco nomine vocaverunt; „unde & omnes IDUS, Jovis ferias ob„servandas sanxit Antiquitas. Alii putant „IDUS, quod ea die plena Luna videatur, „a videndo VIDUS appellatas, mox lite„ram V detractam, sicut contra, quod Græ„ci ἰδεῖν dicunt, nos V litera addita *videre* „dicimus. Sunt qui æstiment IDUS ab „*ove Iduli* dictas, quam hoc nomine vo„cant Tusci, & omnibus Idibus ovis * im„molatur a Flamine. Addit Macrobius: „ „Nobis illa ratio nominis vero propior „æstimatur, ut IDUS vocemus diem, qui „dividit mensem: iduare enim Etrusca „Lingua dividere est: unde VIDUA, quasi „valde IDUA, id est, valde divisa, aut „a viro divisa.

Forum ratio ex Varrone.

Mensis initium a Calendis

Iduum nomen & ratio.

Idus, Vidus, & Vidua.

* Alii, *Jovi*. Forte utraque vox est retinenda: sæpe enim fit, ut similium vocum vicinarum altera omittatur.

DCLX. Circa hæc initia anni varia apud Romanos a Calendis, vel Idibus auspicabantur; Livius *dec.* 1. *lib.* 3. *Comitia inde habita, creati Consules L. Ebutius & P. Servilius, ut tunc principium anni agebatur.* Ad hæc Alexander *lib.* 3. *cap.* 24. addit: „Calendis Sextilibus Consules, Præ„tores, & reliqui Magistratus honores „inibant. Quo autem tempore Decemviri „Reipublicæ præfuere, non Sextiles Ca„lendæ, sed Idus Majæ solennes, ineun„dis Magistratibus fuere: donec Tribunis „militum Consulari potestate creatis, cum „Vejentes diutino & gravi bello preme„rentur, ad Idus Decembres anni princi„pium haberi cœptum est, in quibus Ma„gistratus inibant, & honores dabant. „Mansit hęc descriptio anni ad secundum „bellum Punicum, quo Romani exitiali „bello conflictati sunt, ex quo tempore „Idus Martias anni principium fecere: sæ„piusque super anni principio Romani „variarunt, ut modo Calendis Quintili„bus, modo Octobribus Calendis, prout „res tempusque postulabant, anni princi„pium facerent; donec ad Augusti tem„pora ventum est, in quibus rursus Ca„lendis Januariis, suscipiendis honoribus „anni principium fecere. Fuit tamen me„morię proditum, Nerone imperante cen„suisse Senatum, ut Decembri mense, „quo in lucem editus erat, anni princi„pium fieret: sicut Augusto regnante offi„ciosæ in eum urbes, quo die ad se pri„mum venisset, anni principium fecerunt.

Anni principium.

DCLXI. Inter hæc nutantia temporum initia accessit Romulus, & annum ordinavit, ac menses decem instituit: enarratque Aurelius Symmachus apud Macrobium hanc varietatem, Ægyptiosque anni inventores commendat: „ Anni certus mo„dus apud solos semper Ægyptios fuit; „aliarum Gentium dispari numero, pari „errore, nutabat; Arcades annum suum „tribus mensibus explicabant; Acarnanes „sex; Græci reliqui trecentis quinquagin„ta quatuor diebus annum proprium „computabant. Non igitur mirum in hac „varietate Romanos quoque olim, aucto„re Romulo, annum suum decem habuisse „mensibus. Hinc Longævos Plinius recenset, centuplicato annorum numero usque ad jactantiam relatos: enimvero Anacreon Poeta Arganthonio Tartessiorum Regi CL. tribuit annos; Cyniræ Cypriorum decem annis amplius; Ægimio CC. Theopompus Epimenidi Gnossio CLVII. Hellanicus quosdam in Anatolia * Epiorum gentis CC. explere: cui adstipulatur Damastes, memorans Pictoreum ex iis præcipuum corpore viribusque etiam CCC. annis vixisse; Alexander Cornelius Dandonem quendam in Illyrico CCCCC. Xenophon in *Periplo*, maritimorum Regem CCCCCC. atque ut parce mentitus filium ejus DCCC. quæ omnia inscitia temporum acciderunt: annum enim alii æstate

Romulus annum ordinat.

Annus Gentium diversus.

Longævorum ratio.

Anni Lunares.

* Rep. *Ætolio*.

unum determinabant, & alterum hyeme: Alii quadripartitis temporibus, ficut Arcades, quorum anni trimeftres fuere: Quidam Lunæ fenio, ut Ægyptii; itaque apud eos aliqui, & fingula millia annorum vixiffe produntur. Hæc Plinius *lib.* 7. *cap.* 48. occinitque Solinus *cap.* 1. & alii plerique cum Phlegonte Liberto, qui de Longævis commentarium edidit.

Menfes digeruntur.

Naturales.

DCLXII. „Menfium duo funt genera, „inquit Cenforinus *cap.* 22. Nam alii funt „naturales, alii civiles: naturalium fpe„cies duæ, quod partim Solis, partim „Lunæ effe dicantur: fecundum Solem „fit menfis, dum Sol unumquodque in „Zodiaco orbe fignum percurrit; Luna„ris eft autem, temporis quoddam fpatium „a nova Luna. Civiles menfes funt nu„meri quidam dierum, quos unaquæque „civitas fuo inftituto obfervat, ut non † „Romani a Calendis in Calendas..... „Qui funt cæleftes, feu Solis, feu Lunæ, „nec peræque inter fe pares funt, nec „dies habent totos; quippe Sol in Aqua„rio moratur circiter unde XXX. in Pifce „fere XXX. in Ariete unum & triginta, „in Geminis prope XXXII. & fic in cæteris inæquabiliter. Olim apud Græcos *Annus decimefter* fertur ab Homero: *Complures Grammatici difputabant*, ait Gellius lib. 3. *Noct. Att.* cap. 16. *Homeri quoque ætate, ficuti Romuli, annum fuiffe non* XII. *menfium, fed* X. Similiter varium dierum numerum in unoquoque menfe perhibet Cenforinus dicens: *Apud Albanos Martius eft* VI. *&* XXX. *Majus* XXII. *Sextilis duode* XXX. *September* XVI. *Tufculanorum Quintilis dies habet* XXXVI. *October* XXXII. *idem October apud Aricinos* XXXIX. Inter hæc Romulus annum decimeftrem inftituit, ut in *Faftis* canit Ovidius lib. 1. verf. 27.

Civiles.

Lunares. Solares.

Annus decimeftris.

Ordinatus a Romulo.

Tempora digereret cum conditor Urbis, in anno
Conftituit menfes quinque bis effe fuo.

Et denuo *lib.* 3. ingenia rufticorum caufamque effert verf. 119.

Ergo animi indociles, & adbuc ratione carentes
Menfibus egerunt luftra minora decem.
*Annus erat, decimum cum Luna receperat * orbem.*
Hic numerus magno tunc in honore fuit.
Seu quia tot digiti, per quos numerare folemus,
Seu quia bis quino fœmina menfe parit,
Seu quod ad ufque decem numero crefcente venitur,
Principium fpatiis fumitur inde novis.

Ejufque ratio.

DCLXIII. De hac inftitutione eleganter Macrobius fcribit lib. 1. *Sat.* cap. 12. „Annum fuum decem habuiffe menfibus „ordinatum, qui annus a Martio incipie„bat, & conficiebatur diebus CCCIV. ut „fex quidem menfes, id eft, Aprilis, Ju„nius, Sextilis, September, November, „December tricenum effent dierum; qua„tuor vero, Martius, Majus, Quinti„lis, October, tricenis & fingulis expe„direntur: qui hodieque feptimanas ha„bent Nonas, cæteri quintanas. Septima„nas autem habentibus ab Idibus reverte„bantur Calendæ ad diem feptimum de„cimum: verum habentibus quintanas ad

Dies menfis Romuli.

Septimanæ.

† Rep. *nunc.* * Alii melius, *repleverat.*

A

„decimum octavum remeabat initium Ca„lendarum. Menfium infuper nomina Romulus dedit, fuoque ex genitore Marte primum aufpicatiffimum effe voluit; firmant hanc traditionem Fulvius & Junius antiquiffimi Scriptores apud Cenforinum *loco cit.* qui ait: „Nomina decem menfi„bus antiquis Romulus fecit; & quidem „duos primos a parentibus fuis nomina„vit, Martium a Marte, Aprilem ab A„phrodite, id eft, Venere; unde Majores „ejus oriundi dicebantur: proximos duos a „populo; Majum a majoribus natu, Ju„nium a junioribus; cæterum * ab ordi„ne, quo finguli erant; Quintilem ufque „ad Decembrem perinde a numero. Idque longa littera enarrat Macrobius. Idem Cenforinus *ibid.* addit: „Varro autem Roma„nos a Latinis nomina menfium accepiffe „arbitratur: Auctores eorum antiquiores „effe quam Urbem, fatis ἀρχ' † docet. „Itaque *Martium* menfem a Marte qui„dem nominatum credit; non quod Ro„muli fuerit pater, fed quod gens Lati„na bellicofa: *Aprilem* autem non ab A„phrodite, fed ab aperiendo, quod tunc „fere cuncta gignantur, & nafcendi clau„ftra aperiat natura: *Majum* vero non a „majoribus, fed a Maja nomen accepif„fe; quod eo menfe tam Romæ quam „antea in Latio res divina Majæ fiat & „Mercurio: *Junium* quoque a Junone po„tius quam junioribus; quia illo menfe „maximi Junoni habentur honores. *Quin„tilem*, quod loco apud Latinos fuerit „quinto: item *Sextilem*, ac deinceps *De„cembrem*. Fortaffe Romulus variantia apud plerofque menfium loca & ipfe addixit, prout deftinaverat feipfum parentefque commendare. Animadvertendum, inquit Alexander. *lib.* 3. *cap.* 24. prioribus fæculis apud varias gentes miræ obfervationis fuiffe; fiquidem Numa primus, mox Albani, Aricini, & Tufculani *Martium* totius anni tertium fecerunt; Sabini & Peligni quartum; Laurentes & Falifci quintum; Hernici fextum; Equiculi decimum locum in anni conftitutione Martium habere voluerunt. Hunc primum Romulus Marti dicavit; cecinitque Ovidius lib. 3. *Faftorum* verf. 85.

Idus & Calendæ.

Nomina menfium a diis.

Romulus parentes fuos menfium nomine cohoneftat.

B

Illorum nomina a Latinis.

C

D

Locus menfium varius.

Martius primus Marti dicatus.

E

Mars Latio venerandus erat, quia præfidet armis:
Arma feræ genti remque decufque dabant.
Quod fi forte vacas, peregrinos infpice Faftos;
Menfis in his etiam nomine Martis erit:
Tertius Albanis; quintus fuit ille Falifcis;
Sextus apud populos, Hernica terra, tuos;
Inter Aricinos, Albanaque tempora conftant,
Factaque Telegoni mœnia celfa manu;
Quintum Laurentes, bis quintum Æquicolus acer ‡,
*A tribus hunc primum turba forenfis ** habet,*
Et tibi cum proavis, miles Peligne, Sabinis
Convenit: huic †† genti quartus utrique deus.

Armorum deus Mars in Faftis.

F

Ejus locus varius.

Cur dicatus Marti?

* Leg. *cæteros.* † Sic editum imperitia Sciolorum, pro *argute.* ‡ Alii, *afper.* ** Heinfius legit, *Curenfis.* †† Idem, *hic.*

A *Romulus hos omnes ut vinceret ordine saltem,*
Sanguinis Auctori tempora prima dedit.

Beda in *Ephemeri* inquit: „ Martium mensem cum sequentibus novem Romulus „ ordinavit, primumque anni mensem illum constituit, & eum Marti, cujus se „ filium credi voluit, dicavit, eo quod „ hoc mense constet Junonem peperisse „ Martem in Phrygia. Rescensebantur in eo *Festum Anciliorum*, nec nubere bonum antequam conderentur: *Munychia* Dianæ sacra; *Equiria* apud Tyberim, vel, si aquarum illuvies cresceret, in Cælio Monte; *Annæ Perennæ* sacrum; *Quinquatria* Minervæ Natalis; *Tubilustrium*, in quo Sacrorum Tubæ lustrabantur; *Hilaria* Matris Deum festa. Dedit insuper & sacra fausto cum mensis omine; unde Macrobius lib. 1. *Saturn.* cap. 12. scribit: „ Martii die prima ignem novum Vestæ „ aris accendebant, ut incipiente anno cu„ ra denuo servandi novati ignis inciperet: „ eodem quoque ingrediente mense, tam „ in Regia Curiisque atque Flaminum „ domibus laureę veteres novis laureis mu„ tabantur; eodem quoque mense & publi„ ce & privatim ad Annam Perennam sa„ crificatum itur; ut annare perennareque „ commode liceat. Hoc mense mercedes „ exsolvebant Magistris, quas completus „ annus deberi fecit; comitia auspicaban„ tur; vectigalia locabant, & servis cœ„ nas apponebant, ut domini Saturnalibus. Concludit Isidorus: „ Martius appellatus „ est propter Martem Romanæ gentis au„ ctorem: vel quod eo tempore cuncta „ animantia ad marem agantur, & ad con„ cumbendi voluptatem. Teste Beda dicebatur *Adar* in Hebræo, *Faminoth* apud Ægyptios, *Dystros* Macedonibus, *Martios* in Græco.

Plura in eo festa.

Laurea domorum.

Comitia, Vectigalia locata.

Animantium concubitus.

DCLXIV. Secundum APRILEM appellavit; de quo Isidorus ait: *Aprilis pro Venere dicitur, quasi Aphrodis: Græce enim* Ἀφροδίτη *Venus dicitur; vel quia hoc mense omnia aperiuntur in florem, quasi Aperilis*: expendit erudite *loco cit.* Macrobius hujus mensis nomen: „ Quidam putant Aprilem „ cum adspiratione, quasi Aphrilem, a spu„ ma, quam Græci vocant ἀφρὸν, unde or„ ta Venus creditur; & hanc Romuli as„ serunt fuisse rationem, ut primum qui„ dem mensem a patre suo Marte, secun„ dum ab Æneæ matre Venere nomina„ ret: & hi potissimum anni principia ser„ varent, a quibus esset Romani nominis „ origo, cum hodie quoque in sacris Mar„ tem patrem, Venerem genitricem voce„ mus. Alii putant Romulum, vel altio„ re prudentia, vel certi numinis provi„ dentia, ita primos ordinasse menses, ut, „ cum præcedens Marti esset dicatus, deo „ plerumque hominum necatori, ut Ho„ merus ait, secundus Veneri dicaretur, „ quæ vim ejus quasi benefica leniret; nam „ & in duodecim Zodiaci signis, quorum „ certa certorum numinum domicilia cre„ duntur, cum primum signum Aries „ Marti assignatus sit, sequens mox Vene„ rem, id est, Taurus, accepit. Verrius Flaccus asserit, hoc mense matronas Veneri sacrum facere; sed & Ovidius lib. 4. *Fastorum* canit vers. 57.

Aprilis Veneri sacer.

Aperilis.

Aphrilis.

Venus Æneæ mater.

Vis ejus benefica.

Zodiaci signa domus deorum.

Ille suos semper Venerem Martemque parentes
Dixit, & emeruit vocis habere fidem:
Neve secuturi possent nescire nepotes,
Tempora Dis generis continuata dedit.
Sed Veneris mensem Grajo sermone notatum
Auguror: a spumis est dea dicta maris:
Nec tibi sit mirum Græco rem nomine dici,
Itala nam tellus Græcia major erat.

Dea maris a spuma dicta.

A Græcis sic dictus, & Italia olim Magna Græcia.

B Cincius vetus Auctor hoc totum negat, cui etiam consentit Varro, cum nullus dies festus, nullumque sacrificium insigne Veneri per hunc mensem a Majoribus institutum sit; sed ne in carminibus quidem Saliorum Veneris ulla laus celebratur: Varro affirmat, nomen Veneris ne sub Regibus quidem apud Romanos, vel Latinum, vel Græcum fuisse, & ideo non potuisse mensem a Venere nominari; sequutis proinde temporibus, ut notatur in Calendario veteri, dum occidit Scorpius, fit *Veneris sacrum* cum floribus & myrto, si Plutarcho fides: item *Targelia* Apollini & Dianæ: *Megalesia* deorum Matri: *Fortunæ primigeniæ* in Colle Quirinali: recensetur C quoque *Apollinis* natalis dies & *Dianæ*: ac Magna Mater Romam adducta: *Palilia* Romæ natalis: *Vinalia priora* Jovi & Veneri: *Robigalia*: *Apaturia* a Venere dicta tribus diebus agebantur: similiter *Floralia*: & *Larentalia*: ac *Vestæ Palatinæ* sacra, de quibus omnibus Plutarchus, Festus, & Ovidius. In Hebræo *Nisan* dicitur; *Pharmuti* apud Ægyptios; *Xanthicos* Macedonibus; quia tunc sacris claustra serenitate & florum gemmæ reserantur, inquit Beda.

Plerique hærent, & quare?

Plura festa in mense Aprili recensentur.

D DCLXV. Majus mensis in compluribus civitatibus Latinis ante Urbem conditam fuisse videtur, inquit Festus Pompejus; *a Maja matre Mercurii* Isidorus dictum putat; vel teste Beda *a Majo deo, qui dictus est Jovis*. Fulvius Nobilior in *Fastis*, quos in æde Herculis Musarum posuit, Romulum, dicit, postquam populum in majores junioresque divisit, ut altera pars consilio, altera armis Rempublicam tueretur, in honorem utriusque partis hunc Majum, se- E quentem Junium mensem, vocasse: addit Macrobius in *Saturnalibus*: *Sunt qui hunc mensem ad nostros fastos a Tusculanis transisse commemorent, apud quos nunc quoque vocatur deus Majus, qui est Jupiter, a magnitudine scilicet ac majestate dictus*. Cincius hunc mensem nominatum putat a Maja, quam Vulcani dixit uxorem; argumentoque utitur quod Flamen Vulcanalis Calendis Maiis huic deæ rem divinam facit; sed Piso uxorem Vulcani *Majestatem* *, non Majam, dicit vocari; Cornelius Labeo hanc Majam *Terram* esse contendit, quæ a magnitudine *Mater Magna* in sacris vocatur: cui ædem Calendis Maiis dedica- F tam sub nomine *Bonæ deæ*, & eamdem esse Bonam deam, & Terram, ex ipso ritu occultiore sacrorum doceri posse confirmat. Hanc eamdem etiam Bonam, Faunamque, Opemque, & Fatuam Pontificum libris indigitari; *Proserpinam* eamdem alii; Bœoti *Semelam* credunt, quidam *Medeam*; expenditque veterum arcana Macrobius; recte Ovidius lib. 5. *Fastorum* ver. 1.

Majus, ejusque nomen expenditur.

A Majoribus dictus.

A Jove & magnitudine ejus.

A Maja Vulcani uxore.

Ejus plura nomina.

* Alii, *Majestam*.

Quæ

Nominis origo ignota.

Quæritis, unde putem Majo data nomina mensi?
Non satis est liquido cognita causa mihi;
Ut stat, & incertus qua sit sibi nescit eundum,
Cum videt ex omni parte viator iter;
Sic, quia posse datur diversas reddere causas,
Quo ferar ignoro: copiaque ipsa nocet.

De Majo plura, & quæ in eo fiebant sacra.

Hic mensis fuit Atheniensium ultimus, ut Gaza, Æschine, & Aristotele, ac Theophrasto auctoribus, tradit: a Scyriade Minerva dictus apud Philochorum: *Jarus* Hebræis, *Pachon* vel *Paon* apud Ægyptios, *Artemisius* Macedonibus, ut notat Beda: inauspicatum nuptiis demonstravimus, ubi de Remi manibus scripsimus. *Laribus Præstitibus* in eo ara posita: *Bonæ Deæ* sacrum: *Florales Ludi* triduo agebantur: & *Lemuria* noctu: *Argeorum* simulachra scirpea de ponte in Tyberim dejiciebantur: *Mercurii* natalis dies: *Agonalia* * Jani, aut *Vejovi*: *Vulcani* feriæ: *templum Fortunæ* datum.

Junius Junonius.

DCLXVI. Quartus *Junius* fertur, *Junonius*, teste Cincio, apud Latinos ante vocatus, diuque apud Aricinos Prænestinosque hac appellatione in Fastos relatus: deinde detritis quibusdam litteris, ut Nisus in *Commentariis Fastorum* scribit, ex Junonio Junius dictus fuit, *nam & ædes Junoni Monetæ*, inquit Macrobius, *Calendis Junii dedicata est*: alii, teste Beda, putaverunt, *Junium mensem a Junio Bruto nominatum, qui primus in Urbe Roma Consul factus est*: quod hoc mense, id est, Calendis Juniis, pulso Tarquinio sacrum Corneæ † deæ in Cælio Monte voti reus fecerit: at Juno apud Ovidium lib. 6. *Fastorum* mensem hunc sibi vindicat vers. 25.

A Junone Moneta, vel Junio Bruto dictus.

Ne tamen ignores, vulgique errore traharis,
Junius a nostro nomine nomen habet.

A junioribus.

Honores Junonis.

Favet Censorinus, qui ex Varronis sententia, *Junium a Junone potius, quam junioribus*, dictum putat, *quia illo mense maximi Junoni habentur honores*. Apud Hebræos *Sivan*, vel *Siban*, appellatur, inquit Beda, *Pauni* Ægyptiis, *Desios* apud Macedones, *Junios* Græcis. *Hecatombæ* hoc mense plures: *Marti sacrum* extra Portam Capenam; *Carnæ deæ* in Cælio Monte: *Herculis ædes* in Circo: *Fideique* Templum: Sacrum *Fidio Semipatri*: *Piscatorii Ludi* in Campo Martio: *Ara Jovis Pistoris*; die nono *Asini coronantur*; ad Circum Maximum *Summani* sacrum: naves coronatæ per Tyberim convivia ducebant; *Jovis Statoris*, & *Laris* sacrum; in Colle Quirinali *Quirini* templum; Herculis & Musarum; *Populifugia* in Junio dies ex Varrone notatur; *Minervæ* in Aventino; & *Fortis Fortunæ* ex Ovidio adnotatur.

Festa diesque sacri, & vota in mense Junio.

Quintilis mensis deinde Julius.

DCLXVII. Quintilis sequitur, de quo Ovidius lib. 3. *Fastorum* vers. 149.

Denique quintus ab hoc fuerat Quintilis; & inde
Incipit, a numero nomina quisquis habet.

Mensis auspicatus apud Veteres arcano facer credebatur, asseritque Solinus dicens: „ Maxime hunc mensem principem testa„tur fuisse, quod qui ab hoc quintus erat, „ Quintilis dictus est, deinde numero de„currente December solennem circum fi„niebat intra diem trecentesimum quar„tum, tunc enim iste numerus explebat annum. Ab hoc mense Athenienses annum ordiri solebant, sicuti ex tertia Demosthenis *Olynthiaca* probari potest; *Hecatombæ* Apollini fiebant; Panathenæa magna Athenis, teste Proclo; hoc mense natus est Alexander M. quo die Philippus genitor quadrigis victor in Olympiis evasit, ut Diodorus Siculus & Plutarchus enarrant; templum Dianæ conflagravit. Postea in honorem J. Cæsaris Dictatoris, legem ferente M. Antonio M. filio Consule, *Julius* appellatus est, quod hoc mense ad quartum Idus Quintiles Julius procreatus est. An *Quintilis* dictus a Quintilibus factione Romuli conspicuis sodalibus? putet secum, qui altum sapit. *Thamus* sive *Tani* Hebræis, *Epiphi* Ægyptiis dicitur, *Panemos* apud Macedones, Beda auctore. Romani primo die Quintilis migrabant ab ædibus in alienas ædes. Nonis Romulus non apparuit, fortasse contrucidatus; *Ludi Apollinares* fiebant; Julii Cæsaris recolebatur natalis, & transitus Castoris & Pollucis in Capitolium; *Caniculæ* rutilæ canes sacrificabantur; recensetque vetus Calendarium *Neptunalia*. Ægyptii, auctore Solino, ab eo Mundi natalia cœpisse docebant; *Fortunæ Muliebris* sacra agebant; *Castoris & Pollucis* Equites Romani festum ducebant ab æde Honoris ad Equos in Capitolio, inquit Dion; *Juno Caprotina* colebatur, & *Festum Ancillarum*.

Mensis princeps.

Anni initium apud Athenienses.

Julio Cæsari Dictatori dicatus.

Ejus sacra & festa.

DCLXVIII. Sequitur *Sextilis*, quod sextus sit, inquit Isidorus. Postea adulatrix secuta ætas Augusti nomen prætulit; qua de re Macrobius ait: „ Cum Imperator Cæsar Augustus mense Sextili, & primum Consulatum inierit, & triumphos „ tres in Urbem intulerit, & ex Janiculo „ legiones deductæ, secutæque sint ejus „ auspicia ac fidem, sed & Ægyptus hoc „ mense in potestatem Populi Romani redacta sit, finisque hoc mense bellis civilibus impositus sit, atque ob has causas „ hic mensis huic Imperio felicissimus sit ac „ fuerit, placere Senatui, ut hic mensis „ AUGUSTUS appellaretur. Item Plebiscitum factum ob eandem rem, Sex. „ Pacuvio Tribuno plebem rogante. Annum signat & Consules Censorinus: *Qui Sextilis fuerat, C. Martio Censorino, C. Asinio Gallo Coss. in Augusti honorem dictus est Augustus, an. Aug.* XX. Usque adeo insanit homo male sanus, elationeque tumens, ut etiam Commodus suo ex nomine, quod deliriis præsumebat, menses appellaret; Dio Nicæus in *Commodo*: „ Menses omnes ex se nominati atque „ numerati sunt, Amazonius, Invictus, „ Felix, Pius, Lucius, Ælius, Aurelius, Commodus, Augustus, Herculeus, Romanus, Superans. His recitatis subjungit Xiphilinus, *usque adeo insaniebat scelus*. Simile SEPTEMBRI ac OCTOBRI accidit; enimvero scribit Macrobius libro 1. *Sat.* capite 12. „ Mensis „ September principalem sibi retinet appellationem, ex Germanici appellatio„ne: Octobrem vero suo nomine Do-

Sextilis, qui & Augustus.

Anno XX. mensis illi facer.

September & October mutati.

* Rest. omnino ex Calend. *Agonia Junii*.
† Rescr. *Carneæ*, vel potius *Carnæ*.

„ mitianus invaserat; sed ubi infaustum „ vocabulum ex omni ære vel saxo placuit eradi, menses quoque usurpatione tyrannicæ appellationis exuti sunt: „ cautio postea Principum cæterorum, „ diri ominis infausta vitantium, mensibus a Septembri usque ad Decembrem „ prisca nomina reservavit. Sed redeat unde exiit oratio.

Augusti nomen expenditur.

DCLXIX. Augustus, Festo auctore, *dictus est locus sanctus ab avium gustatu*: nam ab avium cibo Veteres auguria captabant, sicut de *Sollistimo* & *Tripudio* in Numa dicemus. Hic mensis apud Athenienses secundum in ordine locum obtinet, prout Gaza ex Aristotele, Theophrasto, & Demosthene demonstrat: eodem tempore *Adonia* colebantur, & fœminæ jejunantes mortem Adonidis lugebant: *Apollinis Boedromii* sacra de more fiebant, quorum meminit Pausanias in *Bœot*. apud Romanos sacra *Saluti* in Colle Quirinali, & *aræ Opis & Cereris in Vico Jugario*; *Herculi* in Circo Flaminio ac *Dianæ* de more fiebant: similiter *Vertumno* in oreto * majore. Varro *Vinalia rustica* perhibet; & Liber Pater ex Urbe in Eleusinem transferebatur; patebatque *Mundus Cereris*: in Capitolio *Opsi* † *Consivæ* Varro tradit, & *Vulturnalia*, cujus feriæ mense Octobris *Vortumnalia*: fralis ‡ *C. Cæsaris Germanici*: *Volcanalia* in Circo Flaminio. *Tamni* Hebræis, *Mesor* Ægyptiis, *Loos* vel *Los* Macedonibus dicebatur.

Festa mensis Augusti apud Athenienses.

Apud Romanos ejus sacra.

September.

DCLXX. September in ordine ad Martium, qui primus fuit a Romulo constitutus, septimus erat, & Vulcano sacer; in veteri Calendario rustico ita legitur:

MENSIS. SEPTEMBER. DIES.
XXX. NON. QVINT.
DIES. HOR. XII. NOX. HOR.
XII.
AEQVINOCT.
VII. CAL. OCT. SOL. VIRGINE.
TVTELA. VVLCANI.

Sub tutela Vulcani.

Nomen habet a numero & imbre.

Nomen habet a numero & imbre, inquit Isidorus; etenim ex tunc pluviarum concursus fit, & tellus æstum Solis lustratione depellit; recensetur etiam in eodem Calendario *Epulum Minervæ*, & Natalis Romuli signatur: itemque ex Suetonio ortus Augusti: Prætor Maximus clavum pangit, & *Ludi Romani*, sive magni, exhibentur: Minervæ caulum **: *Meditrinalia* & *Meditrina dea*, pridie Calend. quo die primum mustum bibebant. Dicitur September Hebræis *Elul*, *Thoth* Ægyptiis, *Gorpiæos* Macedonibus.

Ejus festa, & nomina.

October.

DCLXXI. October octavum servat in ordine locum, *Thisri* in Hebræo, teste Beda, dicitur, *Paophi* apud Ægyptios, *Hyperberetæos* apud Macedones; subinfert: *Hic mensis in principio anni ponitur apud Orientales*. Sed audiendus Festus Pompejus: „ October equus appellatur, qui in Campo Martio mense Octobri immolatur „ quotannis Marti, bigarum victricium „ dexterior; de cujus capite non levis con-

October equus dictus.

„ tentio solebat esse inter Suburanenses & „ Sacravienses, ut hi regiæ parieti, illi „ ad Turrim Mamilliam id figerent, ejusdemque CAUDA tanta agilitate * perfertur in Regiam, ut ex ea sanguis distillet in locum †, participandæ rei divinæ gratia: quem hostiæ loco quidam „ Marti bellico deo sacrari dicunt; non ut „ vulgus putat, quia velut supplicium de „ eo sumatur, quod Romani Ilio sunt „ oriundi, & Trojani ita effigie in equi „ sint capti. Multis autem gentibus equum „ hostiarum numero haberi, testimonio „ sunt Lacedæmonii, qui in monte Taygeto equum ventis immolant, ibidemque „ adolent, ut eorum flatu cinis ejus per fines quam latissime deferatur; & Sallentini, apud quos *Menzanæ* Jovi dicatus vivus conjicitur in ignem; & Rhodii, qui „ quotannis quadrigas Soli consecratas in „ mare jaciunt, quod is tali curriculo fertur circumvehi Mundum. Hæc ille: quem Scaliger emendat, ut sit legendum *Meni Zanæ*, ut mense Jovis cognomine Jovi hostia immolaretur. Mirum autem Plutarchum in *Romanis Quæstionibus*, *Idibus Decembribus*, non Octobribus, immolari solitum illum equum dixisse. Est October in Martis tutela, & *Pyanepsia* in eo celebrantur; Apollini *Paposia* ‡; Mercatores Mercurio litant, & Libero sacrum faciunt. Recensentur similiter *Mysteria minora*, & Varrone teste, *Vertumni feriæ*: colebaturque *Chalceæ Minervæ solennitas*, vel, ut Phanodemus ait, *Vulcani*; nec non *Ramalia*, id est, *Oschophoria*, celebrabantur, Plutarcho & Suida auctoribus: *Mundus Cereris* patebat.

Equi sacrificati historia.

Equorum hostiæ.

October in Martis tutela.

Ejus festa.

November.

DCLXXII. November deinde sequitur, *Jovis epulo* insignis, & sub tutela Dianæ præstat: *Bacchanalia*, ac *Brumalia*, de quibus Auctor Fastorum Sic. *Ludique Plebeii* in eo celebrabantur; dies nihilominus nefastos habuit, ut Hesychius adnotabat: *Nefasti & impuri dies mensis Anthesterionis, quibus mortuorum animas sursum redire arbitrabantur*: qui Atticorum mensis, teste Gaza, Novembri respondebat in Latio: etiam apud Romanos, inquit Lilius, *Inferiæ fiebant Gallis defossis & Græcis in Foro Boario*. Varie nuncupatur, ait Beda, *Marhesitam* * in Hebræo, *Athyr* apud Ægyptios, *Dios* apud Macedones.

Dies nefastos habet.

Apud Romanos Gallorum inferiæ.

December.

DCLXXIII. Claudit anni circulum December, *Saturno sacer*, inquit Macrobius: in quo *feriæ Jovis* & *Alcyonii dies*: imo Brumalia, Ambrosia, Sigillaria, Saturnalia, Angeronalia, Compitalia mensem insigni pompa referunt. Hic ultimus *Casleu* Hebræis, *Chiachi* ** Ægyptiis, *Apillæos* Macedonibus. Hinc cum Censorino *cap.* 20. animadverto: „ Annum vertentem Romæ „ Licinius quidem Macer, & postea Fenestella, statim ab initio XII. mensium „ scripserunt: sed magis Junio Graccho, „ & Fulvio, & Varroni, & Suetonio, „ aliisque credendum est, qui X. mensium „ putaverunt fuisse: ut tunc Albanis erant, unde orti Romani: hi X. menses, dies CCCIV. hoc modo habebant:

Ejus festa.

Annus Albæ X. mensium, similiter & Romanorum.

* Leg. *Laureto*. † Rest. *Opi*. ‡ Refer. *Natalis*. ** Emend. *epulum*.

* Alii, *celeritate*. † Rest. *focum*. ‡ Leg. *Panopsia*. * Rep. *Marhesvan*. ** Alii rectius, *Choeac*.

Martius XXXI. Quintilis XXXI.
Aprilis XXX. Sextilis & September XXX.
Majus XXXI. October XXXI.
Junius XXX. November & December XXXI.

Mensium dies.

„ quorum quatuor majores pleni, cæteri
„ Rex * cavi vocabantur: postea, sive a
„ Numa, ut inquit Fulvius, sive, ut Ju-
„ nius, a Tarquinio duodecim facti sunt
„ menses, & dies 355. quamvis Luna XII.
„ suis mensibus 354. dies videatur explere.
„ Sed, ut dies unus abundaret, aut per
„ imprudentiam accidit, aut, quod magis
„ credo, ea superstitione, qua impar nume-
„ rus plenus & magis faustus habebatur.
„ Certe ad annum priorem unus & quin-
„ quaginta dies accesserunt; qui quia men-
„ ses duos non implerent, sex illis cavis
„ mensibus dies sunt singuli detracti, &
„ ad eos additi, factique sunt dies quin-
„ quaginta septem: & ex his duo menses,
„ Januarius undetriginta dierum, Februa-
„ rius duodetriginta: atque ita omnes
„ menses pleni & impari dierum numero
„ esse cœperunt, excepto Februario, qui
„ solus cavus, & ob hoc cæteris infaustior
„ est habitus. Denique cum intercalarem
„ mensem XXII. vel XXIII. dierum alter
„ nis annis addi placuisset, ut civilis annus
„ ad naturalem exæquaretur, in mense po
„ tissimum Februario inter *Terminalia* &
„ *Regifugium* intercalatum est: idque diu
„ factum priusquam sentiretur, annos ci-
„ viles aliquanto naturalibus esse majores;
„ quod delictum ut corrigeretur, Ponti-
„ ficibus datum est negotium, eorumque
„ arbitrio intercalandi ratio permissa: sed
„ horum plerique, vel ob odium, vel gra-
„ tiam, quo quis Magistratu citius abiret,
„ diutiusve fungeretur, aut publici re-
„ demtores † anni magnitudine in lucro
„ damnove esset, plus minusve ex libidi-
„ ne intercalando, rem sibi ad corrigen-
„ dum mandatam, vitiose ‡ depravarunt.
„ adeoque aberratum est, ut Cajus Cæsar
„ Pontifex M. suo III. & M. Æmilii Le-
„ pidi consulatu, quo retro delictum cor-
„ rigeret, duos menses intercalares dierum
„ 67. inter mensem Novembrem & De-
„ cembrem interponeret, cum jam mense
„ Februario dies III. & XX. intercalasset,
„ faceretque eum annum dierum 445. simul
„ providens in futurum, ne iterum erra-
„ retur: nam intercalario mense sublato,
„ annum civilem ad Solis cursum forma-
„ vit: itaque diebus 355. addidit 10. quos
„ per septem menses, qui dies undetrice-
„ nos habebant, ita distribuit, ut Janua-
„ rio, & Sextili, & Decembri bini accede-
„ rent, cæteris singuli; eosque dies extre-
„ mis partibus mensium apposuit, ne sci-
„ licet religiones sui cujusque mensis a lo-
„ co summoverentur. Quapropter nunc
„ cum in septem mensibus dies singuli &
„ triceni sint, quatuor tamen illi primitus
„ ita instituti eo dinoscuntur, quod no-
„ nas habent septimanas, cæteri omnes
„ quintanas. Præterea pro quadrante
„ diei, qui annum verum suppleturus vi-
„ debatur, instituit, ut peracto quadrien-
„ nii circuitu, dies unus intercalaretur post
„ Terminalia, quod nunc Bissextum voca-

Annus a Numa, vel Tarquinio factus XII. mens.

Anni reformati historia ex Censorino.

Menses pleni, & impari numero.

Annus civilis.

Ad Solis cursum formatus.

Dies additi mensibus.

Dies intercalaris.

Bissextus.

* Rest. *sex.* † Leg. *redemtor ex.* ‡ Alii, *ultro.*

A „ tur. Ex hoc anno, ita a Julio Cæsare
„ ordinato, cæteri ad nostram memoriam
„ Juliani appellantur, iique consurgunt
„ ex quarto Cæsaris consulatu, qui, etiam-
„ si non optime, soli tamen ad annum na-
„ turæ aptati sunt.

DCLXXIV. His ad cognitionem præordinatis concludimus, decimestrem annum a Romulo designatum, temporum monumenta ad Solis Lunæque cursum præ viribus direxisse; Plutarchus in *Numa* Romuli menses *temere confusos* appellat; nihilominus rudi adhuc sæculo, homini hastam pro calamo utenti insigne fuit, ac præcipuum ad lancem, prout potuit, revocavit: Macrobius tamen libro I. *Sat.* cap. 12. sic refert incommoda: *Hæc fuit a Romulo anni ordinata dimensio, qui annum decem mensium, dierum quatuor & trecentorum habendum esse constituit; mensesque ita disposuit, ut quatuor ex his tricenos singulos, sex vero tricenos haberent dies. Sed cum is numerus neque Solis cursui neque Lunæ rationibus conveniret, nonnunquam usu veniebat, ut frigus anni æstivis mensibus, & contra calor hyemalibus proveniret: quod ubi contigisset, tantum dierum sine ullo mensis nomine patiebantur assumi, quantum ad id anni tempus adduceret, quo cœli habitus instanti mensi aptus inveniretur.* Ob quod Numa menses duos addidit, melioremque ad calculum concinnavit rationes temporum; quas denuo Cæsar, Ægyptiorum doctrina suffultus, præscripsit, ac Bissexto addito insolescentes coercuit horas.

Romuli annus confusus.

Ejus incommoda.

Modus adversus hyemem & calorem.

Hinc ex anno *Lustra*, & *Olympiades*, & *Annus Magnus*: de illis supra diximus: de Anno Magno Plato edisserit, Plutarchus, Censorinus, Varro, aliique quamplures, & nos in Numa dicemus.

Lustra, Olymp. annus magnus.

CAP. LV.

Romulus Collegium Fratrum Arvalium instituit, seque cum illis Sacerdotem adscripsit. Expenditur Psalmi LXXI. *versus decimus septimus.*

DCLXXV. GRatitudo, speciosissimum Heroum decus, Romuli gesta posteritati adeo commendavit, ut cum diis ævum agere adamussim jure riteque dicatur; enimvero cum lupæ lactaret mammas in nemore, nutricem nactus Accam Larentiam, insigne pietatis specimen dedit, ut Larentiæ & Faustuli filius pientissimo religionis obsequio diceretur, & esset; Fratres Arvales, illius filios nuncupavit, sacrisque initiatos, præstantes sacerdotio extulit; & quia ex duodecim unus viam universæ ingressus carnis, migravit ad patres, illius se loco adscripsit, & Rex solium, simulque lectisternium, circa agros tenens litabat ad aras: originem refert Rutilius Geminus vetus Auctor, & ex eo Fulgentius *De vocibus antiq.* inquit: „ Ac-
„ ca Larentia, Romuli nutrix, consueve-
„ rat pro agris semel in anno sacrificare,
„ VII. filiis suis sacrificium præcedenti-
„ bus: unde cum ex iis unus esset mor-
„ tuus, propter nutricis gratiam Romu-
„ lus in vicem defuncti se succedere pol-
„ licetur; unde & ritus processit cum XII.
„ jam deinceps sacrificare, eosque Arvales

Gratitudinis laus.

Fratres Arvales Larentiæ & Faustuli filii XII.

Arvalium ordo & sacerdotium.

„ dici Fratres. Varro lib. 4. *L. L.* eorum sacra depromit: *Fratres Arvales dicti sunt, qui sacra publica faciunt propterea, ut fruges ferant arva: a ferendo & arveis Fratres Arvales dicti sunt, quia* FRATRIA *dixerunt: Fratria est Græcum vocabulum partis hominum.*

Ut fruges ferrent arva.

Fratria.

DCLXXVI. Sodales isti nuncupabantur, & Ecclesia, ut Dæmonum adinventa meliori Religionis fruge & obsequio ad Deum referret, *Sodalitates Fratrum* instituit, quas Polydorus *l.* 7. post Tertulliani oraculum perhibet, *fraternæque charitatis collegia* appellat, quas vulgo *Confraternitates* dicunt: ii statis diebus mutua charitate conveniunt, orant, Sacerdotes conducunt, qui rem divinam faciant, pauperes alunt, pluraque pietatis officia quotidie faciunt. In pompa sacrorum ordine procedunt, utplurimum saccis linoque ora contecti, sese flagello converberant, nudum ac lacerum tergum ferentes, velut vere pœnitentes decet. Impie Luperci apud Romanos, *Lupercalia ludicra* celebrantes, nudi per Urbem incedebant, ac larvati flagellis obvios cædebant: majori cum impietate Ægyptii *Dæmoni maximo vaccam* multis cæremoniis, teste Herodoto, immolare solebant, quod sacrificium dum ardebat, omnes verberabantur. Erant & Sodalium Collegia apud ipsos Romanos: Cornelius enim Tacitus *Sodales Sacerdotes* Romulum, inita cum Tatio societate, fecisse scribit: unde *Titii Sodales*: & Tranquillus *Sodales Augustales* vocat: sicut apud Julium Capitolinum, *Antoninianos Sodales* legimus: Plinius item scribit Romulum instituisse *Arvalium Collegium*; seque duodecimum appellari voluisse fratrem. Durasse autem istiusmodi Sodalitates testatur vetustum marmor apud Tybur, in quo scriptum est, *Sodales Hadrianales*. Augustinus ait, *Sodales quasi edales*, quod simul essent. Addit Polydorus *loco cit. Hinc igitur non dubitanter dixerim, nostros Pontifices, qui semper studuere Romanos inprimis ab hujusmodi vanis ludicris ac sodalitatibus ad pudicum ritum certamque vivendi formulam trahere, sanctiore instituto, induxisse homines ad hasce societates coeundas, quæ hodie ubique gentium frequentes vigent optimis vitæ ac Religionis institutis.*

Sodales Ecclesia Dei assumsit ad Religionis cultum. Eorum gesta. Luperci. Ægyptii. Gentilium Sodalitates. Titii. Augustales. Antoniniani. Arvales. Hadrianales. Sodales quasi edales. Pium Ecclesiæ institutum.

DCLXXVII. Sed Arvalium institutam sequamur historiam; A. Gellius l. 6. *Noct. Attic.* cap. 7. inquit: „ Accæ Larentiæ, „ & Cajæ Tarratiæ, sive illa Suffetia est, „ nomina in antiquis Annalibus celebria „ sunt .... Sed Acca Larentia corpus in „ vulgus dabat, pecuniamque emeruerat „ ex eo quæstu uberem: ea testamento, ut „ in Antiatis historia scriptum est, Romu- „ lum Regem, ut quidam alii tradiderunt, „ Populum Romanum, bonis suis hære- „ dem fecit. *Unde addit*: „ Ob id meritum „ a Flamine Quirinali sacrificium ei publi- „ ce fit. Sed Sabinus Massurius in primo „ Memorabilium, secutus quosdam histo- „ riæ Scriptores, Accam Larentiam Ro- „ muli nutricem fuisse dicit; eaque mulier „ e duodecim filiis maribus unum morte a- „ misit; in illius locum Romulus Accæ „ Larentiæ sese filium dedit; seque & cæ- „ teros ejus filios FRATRES ARVALES „ appellavit. Ex eo tempore Collegium

Acca Larentia meretrix. Hæredem reliquit Romulum, & Pop. Rom. Nutrix Romuli.

A „ mansit Fratrum Arvalium numero duo- „ decim; cujus sacerdotii insigne est spi- „ cea corona & albæ infulæ. Meminit Collegii Arvalium Plinius, eorumque insignia recenset; imo illorum primam in Urbe coronam fuisse scribit *l.* 18. *cap.* 2. „ Arvorum Sacerdotes Romulus inprimis „ instituit, seque duodecimum fratrem ap- „ pellavit inter illos: ab Acca Larentia „ nutrice sua SPICEA CORONA, quæ „ vitta alba colligaretur, in sacerdotio ei „ pro religiosissimo insigni data, quæ pri- „ ma apud Romanos fuit corona. Corona- B re nutricem gestit pietas, & spicas pro lacte, cui victum amor præbuit, reddere; quando jacebat in cœno illuvieque Romulus, Acca infantem pro filio revocavit ab aquis; nunc altero pereunte, quæ Romulum accepit in suum, pro mortuo filium obtinet Regem & Arvalem.

Spicea corona insigne sacerdotii Arvalium. Vitta alba colligabatur. Romulus in loco mortui filii Accæ adscriptus.

DCLXXVIII. Arvalis nomen ab Arvo fertur, ubi sacra de more mulier cum filiis feragebat: *Arvum dicimus*, inquit Festus, *agrum nec dum satum*. Varro lib. 4. *L. L. Arvum & arationes ab arando* dictum putat: deinde addit, *a ferendo & Arveis* C *Fratres Arvales dicti sunt*. Sacra namque & dona diis ferebant in arvis, & pro frugibus litabant; hinc spicea corona redimiti religiosiores videbantur; *Cereli* frugum numini hanc Vates dabant; unde Horatius in *Carmine sæculari* occinit,

Arvalium nomen discutitur. Ceres coronata.

> *Fertilis frugum pecorisque tellus*
> *Spicea donet Cererem corona.*

Juxta Leonis Ægyptii & Claudii Saturnini de coronis oracula, Tertullianus in libro *de Corona Militis* scribit, *Prima Isis repertas spicas capite circumtulit*. Deinde D spicarum corona præstantissimum decoris sertum Imperatorum capita ornabat, assertumque tradidit Tacitus in Claudio lib. XI. *Ann.* cap. 4. *quem spicea corona evinctum spicis retro conversis* demonstrat; erant namque decus numinum, ut de Cerere diximus, & Tibullus *lib.* I. *el.* I. vers. 15. canit,

Isis spicis coronata.

> *Flava Ceres tibi sit nostro de rure corona*
> *Spicea, quæ templi pendeat ante fores.*

E Sacerdotes coronati cantabant Cereris insigne carmen, ut Athenæus lib. XV. *Deipnos.* cap. 14. ex Artemone Cassandreo scribit,

Coronatus Sacerdos cantabat.

> *Pluti matrem cano Cererem hoc tempore*
> *coronatus.*

Causam refert Semus Delius in libro *de Pæanibus* apud eundem *ibid.* lib. 14. cap. 4. *ut plurimos spicarum manipulorumque fasciculos mitteret*. Homerus præoccinit,

Ut ager ubertate floreret.

F *Fructumque ferat fœcundius arvum.*

Itaque albis infulis coronæ Arvalium præstabant, earumque usum & dona Alexander *capite* 26. *lib.* I. tradit: „ Horum in- „ signe fuit spicea corona, alba infula alli- „ gata, quam, dum operantur sacris, sin- „ gulos gestare solenni more decebat: quo „ insigni ab AccaLarentia donati primum „ fuere: isque honor perennis illis perpe-

Arvalium Sacerdotum insignia recensentur.

„tuo mansit; ita ut nullo successu vel ca-„su tanta societas nisi vita finiretur: tan-„tæque fuit amplitudinis, ut etiam ab „hostibus captos, & in extrema fortu-„na, aut exsules, quamvis nullo postli-„minio redemtos, honor hic comitare-„tur. Etiam Acca Larentia spicea gesta-bat serta; mosque inolevit apud Roma-nos, matronas Cereri sacra facere; de quibus sertis meminit Ovidius lib. 10. *Metam.* vers. 431.

Ullo tempore deperdita.

Matronæ Cereris festa recolunt.

Festa piæ Cereris celebrabant annua matres,
Illa, quibus nivea velatæ corpora veste
Primitias frugum dant spicea serta suarum;
Perque novem noctes Venerem, tactusque viriles,
In vetitis numerant.

Ejus sacrificium.

DCLXXIX. Solebat mulier Acca quotannis extra Urbem litare pro arvis, & quia tellus est ipsa *Ceres*, ut Phornutus post Orpheum, a quo *Rhea* dicitur, adnotabat, Ceres dicta a Tullio lib. 2. *de N. D. a gerendis frugibus*; virentem herbam numini sacrificabant, asseritque Phornutus *de Natura Deorum*: „Verno tempo-„re deæ virentem herbam cum lusu ac „gaudio sacrificant; videntes illam vigo-„rem immittere segeti, ac abundantiæ „spem protendere. Hinc quoque Plutus „divitiarum deus non inconcinne dici-„tur, & Cereris esse filius, juxta illud: „præ tritico atque hordeo, o fatue, di-„vitiæ sunt potiores, & affluere opibus, „contrarium quodammodo est penuriæ „ac fami: in quod etiam Hesiodus respi-„ciens, inquit,

Et sacris tempus.

Plutus.

*Ergo incumbe operari * generoso e sanguine Perse,*
Te ut fugiat malesuada fames, ac voveat alma
Tum frugum genitrix.

Virgilius lib. 1. *Georg.* monet idipsum vers. 338.

Inprimis venerare deos, atque annua magnæ
Sacra refer Cereri, lætis operatus in herbis.

Addit Ovidius, *porcam* fecisse ad aram ob fœcunditatem illius, ut ager fœcundis exuberet frugibus, lætisque germinet herbis lib. 1. *Fast.* vers. 349.

Prima Ceres gravidæ ‡ gavisa est sanguine porcæ.

Phornutus: *Sues gravidas immolant* †, *idque appositissime, fertilitatem ac concipiendi facilitatem innuentes.* Æneas a sue alba gentis suæ incrementa omenque desumsit; est namque, Varrone teste, animal fœcundissimum, quod terram subigit, ut comedat, inquit Isidorus: & apud Ægyptios, post Nili eluviem, terram aptam frugibus calce & ore curant.

Cereri sues gravidas, ubertatis symbolum, faciebant.

Papaver Cereale.

DCLXXX. Est *Cereale papaver* apud Virgilium, quod in Cereris sacris operabatur, assertumque voluit Phornutus,

* Rest. *operi*. ‡ Alii, *avidæ*. † Macrobius lib. 1. *Sat.* cap. 12. ait Majæ seu Terræ immolari, *sus prægnans ei mactatur, quæ hostia propria est Terræ.*

A qui & symbola illius erudite demonstrat *loco cit.* „Offerunt quoque Cereri papave-„ra: nec id quoque temere: nam horum „rotunditas, ac turbinatum illud, ter-„ræ figuram, sphæræ in morem, rotun-„dam esse significat. At inæqualitas illa „valles, & humeros montium declarat: „verum interna hominibus & subditis „assimilantur. Porro quum innumera se-„mina terra produxerit ob frumenti co-„piam, a molesto illo ac semper in con-„tentionem vocato victu desistebant. Vetus namque gens mortalium glandibus,

Ejus symbola.

B ferarum more, vescebatur: sed Cerere Triptolemum edocente, frumentum apud Eleusinos primum divinitus germinans homines sequestravit a cæteris animantibus, melioremque evocavit ad frugem; unde Virgilius lib. 1. *Georg.* canit vers. 343.

Frumentum a Cerere.

Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret,
Cui tu lacte favos, & miti dilue Baccho,
Terque novas circum felix eat hostia fruges.

C Qua in pompa non solum Sacerdotes coronati ferebantur, sed insuper Ceres ipsa spicarum decore redimita fulgebat: Ovidius in *Fastis* lib 4. vers. 616.

Imposuitque suæ spicea serta comæ.

Et Phornutus subinfert: *Ceres non inconcinne inducitur spicis* CORONATA, *id est enim omnium, quæ data sunt homini, maxime necessarium, victus nimirum mansuetior.* Et quia Sacerdotes Arvales illius cultum hostiis procurabant, præsentissimum decus præferebant in sertis.

Cur Ceres spicis coronata?

D DCLXXXI. Sed operæ erit pretium quærere, an Dæmon coronas in capite Sacerdotum Arvalium a Sacris Hebræorum præripuit? Sunt qui affirment ex eo Vatis oraculo *Psalm.* 71. vers. 17. *Erit firmamentum in terra in summis montium, superextolletur super Libanum fructus ejus, & florebunt de civitate sicut fœnum terræ*: grande arcanum in hoc versu latet; & Eucharistiæ admirabile Sacramentum: enimvero Lyranus ex Hebræo *erit frumentum* legit; & antea Divus Hieronymus, *erit memorabile triticum*, seu potius, *memo-*

E *riale tritici*: plerique Interpretes, *erit multiplicatio frumenti*: Divus Augustinus fortasse ex Chaldæo tertia parte titulo 14. cap. 5. *erit panis triticeus*: Chaldæus opportune vertit, *erit substantificus panis*: Lucas Burgensis, *fulciens, seu confortans panis in terra*. Pluresque versant idipsum apud Genebrardum, Lorinum, & Agellium, qui de electorum frumento edisserit, dicens: „Hoc igitur firmamen-„tum granum illud frumentum est, quod „decidit in terram: sive de Christo intel-„ligamus; sive de paucis illis granis præ-

Panis confortans Sacerdotum corona.

F „dicantium, ex quibus cumulatissimæ „Ecclesiæ seges exstitit. Est ergo firma-„mentum hoc loco sic accipiendum; ut „solet Scriptura figurate dicere, firma-„mentum panis, TRITICUM nempe, „ex quo fit panis. Sed quid in capite „montium panis? Circa castra Gedeonis panis versabatur in gladio: & *facierum panis* altare Domini prospiciebat; an Vates miraculum Christi concinit, qui pa-

nem multiplicavit in agro? at ſuper ſata recumbebat, fugitque deinde ſolus in montem. Sed ſi verſus ſymbolicus arcanum continet, quid *montes* denotant? Rabbini *Sacerdotes* intelligunt, præſtantes in ſæculo: Paraphraſis Chaldæa, *Erit placentula in terra in* CAPITIBUS SACERDOTUM, quam placentulam, *Hoſtiam Euchariſticam* in Chriſtianorum ſacro tunc eſſe exiſtimo, quando Sacerdos peracta cælitus benedictione, hoſtiam ſuper caput elevat, ut ſit illi Dominus corona gloriæ, decoriſque ſertum. Sed cur firmamentum appellatur? ex Genebrardo animadverto.

Capita Sacerdotum ſummi montium.

DCLXXX. *Erit firmamentum*, id eſt, firmus, ſolidus cibus: epithetum frumenti, quo vita hominis ſuſtentatur, apud Septuaginta & Scriptores ſacros: apud *Iſaiam* præcipue cap. 3. verſ. 1. לחם משען *fulcimentum panis*, ubi noſter *robur panis*: & in *Levit*. 26. *baculus panis*, quaſi fulcrum, quia, inquit Aben Ezra, *panis cor hominis firmat, fulcit, ſuſtentat*: & Hebraice *pugillus frumenti, fulcimentum panis*. Veteres Hebræi, ut citat R. Selomo, de quibuſdam Chuſcaoth, id eſt, *placentis*, tempore Meſſiæ interpretantur; Euchariſticis haud dubie hoſtiis: adnotabatque Nebienſis tantum apud Paraphraſin Chaldæam reperiſſe, *Erit Sacrificium frumenti in terra in capite montium Eccleſiæ*. Sed R. Jonathan tranſtulit, teſte Paulo Burgenſi, *Erit placenta tritici in capitibus Sacerdotum*: & R. Moſe Haddarſan obſervat illud eſſe myſterium Melchiſedech, quo dicitur Sacerdos Dei altiſſimi: aſſertumque ex Rabbinorum oraculis fecit Galatinus, *noſtros*, Hebræoſque, per *montes* intellexiſſe *Sacerdotes*: ſicut olim Sacerdos lamina aurea procedebat coronatus ab adytis ſacrorum, ita & nunc hoſtia triticea ad aram adſtat Sacerdos redimitus, & dum *Hoſtiam* ſuper caput elevatam oſtendit populo, corona data eſt ei Chriſtus, ut in fornace viſus, *ſimilis manipulo ſpicarum*: eſt namque bonum ac pulchrum ejus, *frumentum Electorum*, & panis cor hominis confirmans, quia caro ejus vere eſt cibus, ut recte dicatur, *gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum*. Sic ſummi montium dicuntur, & ſunt; ſuperextollitur ſuper Libanum cujuſcumque culminis, regiæque ſublimitatis in terra decus ejus; dum Imperatorum caput ad pedes Pontificis inclinatur, altiſſimam Sacerdotis poteſtatem venerandam, ac præ cunctis ſublimem demonſtrat. Sed ſi ad litteram de Sacerdotum corona, ſive legali, ſive myſtica, inquirendum quiſque putaverit, alibi longa diſſeruimus littera: nunc animadvertat, qui altum ſapit, Dæmonem, qui Mithræ ſacrificium Gentes edocuit, ut Euchariſtiæ ſpecimen eſſet in Orbe, docuiſſe etiam Arvales coronas geſtare ſpiceas, ac novæ legis myſticum indigitare decus.

Robur panis fulcimentum, firmamentum.

Montes ſunt Sacerdotes.

Sublimes.

Dæmon ſacra Chriſtian. Hebræorumque ſurripuit, prædocuitque Gentiles.

CAP. LVI.

Romuli cura Sacrorum.

DCLXXXIII. Romulus Rex præſtantiſſimus Urbem inſtituit, non ſolum armis inſignem, ſed religione, deorumque cultu, Orbis imperio dignam: a prima namque ætate, Fauſtulo procurante, ſacra Etruſcorum didicit, & Augur excelluit: proinde Urbe conſtituta, *honores & poteſtates in ſingulis diſtribuit*, inquit Dionyſ. Halicarnaſſeus: *Regi quidem eximia munia fuerunt, primum ut ſacra curaret atque ſacrificia, per eumque gereretur quidquid ad placandum deos attinet*: quod optime Plato, ubi de Regno edifferit, plurimorum more demonſtrat: „Sacerdotum genus intelligit, docetque „quo pacto donaria diis & ſacra ſint offerenda: item qua ratione vovendum ſit, „quidve boni ſit a diis petendum: nam „illa Sacerdotum & Vatum ratio magnanimitate, intelligentiaque, & claritate „abundat, propter eorum quæ tractant „magnificentiam. Quapropter apud Ægyptios non licet Regem abſque Sacerdotio imperare: quinimo ſi ex alio genere quiſpiam vi Regnum uſurpet, cogitur poſt Regni aſſumtionem ſacris „initiari, ut REX denique ſit, & SACERDOS. Præterea in plurimis Græcorum civitatibus reperies præcipua ſacra a Magiſtratibus ſummis inſtitui. „Comprobat hæc Plutarch. in lib. *de Iſide*, & Stobæus *Serm*. 44. Ægyptiorum morem commendat: *Reges aut ex Sacerdotibus, vel bellicoſis viris creabantur: nam generis nobilitas, & honor huic ex fortitudine, illi propter ſapientiam accedebat; qui vero ex bellicoſis eligebatur, ſtatim Sacerdos fiebat, & particeps Philoſophiæ*.

Urbs R. religione inſignis.

Rex Sacerdos commendatur.

Apud Ægyptios.

Rex ex Sacerdotibus electus.

DCLXXXIV. Hæc ſecutus ſapientum veſtigia Romulus antequam Urbis referret inſignia ſacra peregit, deoſque Coloniæ duces inſtituit, votiſque bona ſuperum evocavit omnia, quod tradit Dionyſius lib. 2. *Antiq*. „Præſtita die, qua de „Regno alites conſuleret, ubi & illuxit „ſub divum progreſſus eſt: ibi ſtans in „loco puro, & rite mactatis victimis vota fecit Jovi & diis aliis, quos Coloniæ „duces fecerat: ut ipſorum voluntate „Rex Urbis futurus ſit, ſignum de cælo „felix oſtenderent; peractis precibus fulgur a ſiniſtris ad dextera emicuit: habent autem Romani talia pro Addictoriis, ſive ex diſciplina Etruſca, ſive ita „edocti a Majoribus. Hinc LITUUM auguris pro ſceptro geſtabat, regionumque cælorum ac terrarum loca ſignabat, ut oracula procurans ſuperſtitioſiſſimo ritu perciperet: quod mirandum retulimus, conflagrante æde in cinerem quæque redacta, ſolus Romuli lituus ſtetit incolumis, tantæ religionis inſigne monumentum: etenim Livius *lib*. 1. ait: *Solus potitus Imperio Romulus ſacra diis aliis Albano ritu, Græco Herculi, ut ab Evandro inſtituta erant, facit*. Potitios Pinarioſque Antiquorum more ſuſcepit ad Herculis aræque maximæ cultum; de quo Virgilius lib. 8. *Æneid*. occinit verſ. 268.

Romulus litat.

Fulguris omen.

Lituus.

Ex illo celebratus honos, lætique minores
Servavere diem, primuſque Potitius auctor,
Et domus Herculei cuſtos Pinaria ſacri,
Hanc ARAM *luco ſtatuit, quæ* MAXIMA *ſemper*
Dicetur nobis, & erit quæ maxima ſemper.

Potitii Pinariique Herculis Sacerdotes.

Decimæ Herculi solutæ.

DCLXXXV. Ex hac superstitionis ara decimas diis solvere, quas antea pendebant Regibus, cœpit origo: enimvero Hercules, devicto Caco Evandri servo furacissimo, sive potius, ut scribit Aurelius Victor in *origine Gentis Romanæ*, *Evander excellentissimæ justitiæ vir postquam rem comperit, servum noxæ dedit, boves restitui fecit*; deditque Hercules diis decimam: etenim sequitur Sextus Victor: „Sub Aventino inventori patri aram dedicavit, appellavitque Maximam, & „apud eam DECIMAM sui pecoris profanavit; Cumque ante moris esset, uti „homines decimam fructuum Regibus „suis præstarent: æquius sibi, ait, videri deos potius illo honore impartiendos „esse quam Reges; inde videlicet tractum, ut Herculi decimam profanari „mos esset. Secundum quod Plautus *Trucul.* Act. 2. Sc. 7. vers. 11. *Partem*, inquit, *Herculeanam*, id est, decimam; hæc similiter Cassius vetus Auctor *lib.* 1. & Plutarchus in *Quæstionibus Romanis* inquit. „Cur multi divitum Herculi DECIMAM „suorum bonorum consecrant? An quod „is quoque Romæ decimam boum Geryonis partem deposuit? An ne Romani decimas Etruscis penderent? &c. Dicamus, Diabolum contentione in Deum semper impiissimum, expostulasse a superstitiosissimis decimam, ut obsequium soli Deo debitum sibi addixisse, magnumque operæ pretium fecisse videretur. At libri Pontificalium apud eundem docent Potitium ac Pinarium selegisse ad aræ cultum: „Cum Hercules patri inventori aram maximam consecrasset, duos ex „Italia, quos eadem sacra certo ritu administranda edoceret, adscivit, Potitium & Pinarium: sed eorum Potitio, „qui prior venerat, ad comedenda exta „admisso: Pinarius eo quod tardius venisset, posterique ejus submoti, unde „hodieque servatur. Factum enarrat Livius *lib.* 1. „Forte ita evenit, ut Potitii „ad tempus præsto essent, iisque exta „apponerentur: Pinarii extis adesis ad „cæteram venirent dapem, inde institutum mansit, donec Pinarium genus „fuit, ne extis solennibus vescerentur. Aram in Foro Boario agnoscit Ovidius lib. 1. *Fast.* vers. 581.

Ara maxima.

Ratio quæritur.

Potitius exta in sacris Herculis comedit, Pinarii excluduntur.

Locus aræ maximæ.

Constituitque sibi, quæ Maxima dicitur, aram,
*Hic ubi pars vobis * de bove nomen habet.*

In ea statua Herculis.

Statuam Herculis in ea Evandrum dicasse scribit Plinius *lib.* 34. *cap* 7. „Fuisse statuariam artem familiarem Italiæ quoque & vetustam, indicat Hercules ab Evandro sacratus in Foro Boario, qui „triumphalis vocatur, atque per triumphos vestitur habitu triumphali. Ædem religiosa addidit posteritas, asseritque idem Plinius *l.* 35. *c.* 4. *Celebrata est in Foro Boario ædes Herculis, Pacuvii Poetæ pictura*: & inter admiranda ædis illius recenset *l.* 10. *c.* 29. *Romæ in ædem Herculis, in Foro Boario, nec muscæ, nec canes intrant.* Addamus ex instituto Veterum, nec mulieres; perhibetque Sextus Valerius † Victor *loco cit.* „Herculis eo quod

Ab illa muscæ, canes, & mulieres exclusæ.

* Rescr. *Urbis*. † Emend. *Aurelius*.

„Carmentis invitata ad id sacrum non „affuisset, sanxit ne cui fœminæ fas asset „vesci ex eo, quod eidem ære sacratum „esset: atque ab ea re divina fœminæ in „totum remotæ. Hæc ille ex Cassio: Silius Italicus etiam a templo Herculis Gaditani mulieres exclusas perhibet lib. 3. *Punicorum* vers. 21.

Fœminæ arcebantur ab æde Herculis.

Tum, queis fas & honos adyti penetralia nosse,
Fœmineos prohibent gressus, ac lumine curant
Setigeros arcere sues.

Et sues.

DCLXXXVI. Hanc aram, licet diu antiquitate conspicuam, Romulum adinvenisse testatur Alexander *l.* 2. *c.* 14. *Post Urbem conditam Romulum Urbis auctorem sacra Græco Herculi, ara illi erecta, quæ Maxima dicta est, ut ab Evandro constituta erant, fecisse, eaque posteris mansisse, litteris proditum est: quæ ara ante Romulum religiosissima fuisse traditur, eamque ipsum Herculem Jovi inventori dedicasse fama vulgavit.* Cæremoniarum rituumque diversum genus in hac Herculis ara, sed præclarissimum utique scituque omnino opportunum recensetur, *juvencum indomitum*. Prætor, aut Pontifex, sola coronatus *lauro* faciebat ad aram: dumque litabatur, omnes aperto capite sedentes epulis vescebantur solennibus: ex diis nullus composito advocabatur carmine, nec Janum patrem, nec Vestam matrem, præter Herculem, dum vota effunderet, Sacerdos nominare debebat; idque cum ex Varrone Plutarch retulisset in *Quæstionibus Romanis*, causam quærens sic edisserit: *An ideo alium deum non nominant, quia Semideus censetur Hercules? Aut quia adhuc inter homines degenti Evander aram posuit, & victimam obtulit?* Adde in Herculis æde deorum neminem ara, vel effigie, sicut in cæteris fanis, admisisse Veteres, qui mane & vespere ei de more litabant; tunc servi & liberti procul arcebantur a sacris: *Neque fas visum*, inquit Alexander, *Sacra Herculis, qui libertatem impartivit, quique ex servitute gentes exemit, nisi liberos attrectare.* Duravit hoc Sacrum usque ad extrema Romanorum tempora, summa religione ac pompa ingenti singulis e more peractum diebus: *Verum postea Appius Claudius*, ut scribit Aurelius Victor, *accepta pecunia, Potitios illexit, ut administrationem Sacrorum Herculis servos publicos edocerent, nec non etiam mulieres admitterent; quo facto ajunt intra dies* XXX. *omnem familiam Potitiorum, quæ prior in sacris habebatur, exstinctam, atque ita sacra penes Pinarios resedisse: cosque tam religione quam etiam pietate edoctos mysteria ejusmodi fideliter custodisse.* Vides judicia Dei imperscrutabilia: etiam superstitiosissimos falsæ religionis Antistites ob sacrorum ignuriam * punit ad necem? An quia, auctore Clemente Alexandrino in *Protr.* Gentiles dum Idola colerent, Deum cæli O. M. obsequio prosequi intendebant? An quia munus Sacerdotum extollit Deus, ut semper purum putumque emineat? An pecuniam in sacris violatis odit Deus, qui Simonem dejecit a superis, pecuniarumque ponde-

Herculis sacrorum ritus singulares.

Nec Idola in ejus æde admissa, nec servi, aut liberti.

Et mulieres.

Causa exquiritur.

* Videtur leg. *injuriam*.

A re illisit ad saxa? Hæreo, & Lactantium tantæ Provinciæ patronum advoco, virum Christianæ fidei assertorem præsentissimum, qui l. 2. *de Origine erroris* c 8. inquit: „ Sacrilegi quoque numerari possunt, quorum præsentibus pœnis injuriam suam dii vindicasse creduntur; Appius Claudius Censor, cum adversus responsum ad servos publicos Sacra Herculis transtulisset, LUMINIBUS ORBATUS EST: & Potitiorum gens, quæ prodidit, intra unius anni tempus exstincta est. Item Censor Fulvius, cum

Exempla iræ Dei in violatores religionis Gentium.

B ex Junonis Laciniæ templo marmoreas tegulas abstulisset, quibus ædem Fortunæ Equestris, quam Romæ fecerat, tegeret, & mente captus est, & amissis duobus filiis in Illyrico militantibus, summo animi mœrore consumtus est. Præfectus etiam M. Antonii Turullius, cum apud Coos everso Æsculapii luco classes fecisset, eodem loco a militibus Cæsaris est interfectus. His exempl's adjungitur Pyrrhus, qui sublata ex thesauro Proserpinæ Locrensis pecunia, naufragium fecit, ac vicinis deæ littoribus

C illisus est, ut nihil præter eam pecuniam incolume reperiretur. Ceres quoque Milesia multum sibi apud homines venerationis adjecit: nam cum ab Alexandro capta civitas esset, ac milites ad eam spoliandam irrupissent, omnium oculos repente objectus fulgor ignis exstinxit. Hactenus ille, & vindicem in impios severitatem demonstrat, ut etiam Idololatrarum gens timeat Deum, qui gladium præfert in ore.

Deum gentes etiam timeant.

DCLXXXVII. Romulus itaque Rex Urbis novæ monumentum religionem statuit, totusque virtutum innixus culmini

D proficiebat in armis: quod Dionysius Halicarnasseus lib. 2. *Ant q.* denarrat: „ Intellexit Romulus rectis legibus, honestorumque studiorum æmulatione piam, temperantem, justam, belloque fortem Civitatem fieri. His itaque rebus plurimum curæ impendit, a DEORUM CULTU auspicatus ante omnia: proinde TEMPLA, ac FANA, ARASQUE, ac DELUBRA, tum STATUAS, EFFIGIESQUE eorum, & insignia; præterea vires & dona, quibus de nostro genere bene sunt meriti. FESTA item, quæ cuique deorum, Dæ-

Cura Romuli erga cultum deorum.

E monumque celebrari convenit; & Sacrificia, quibus apud homines coli expetunt: ad hæc rationes induciarum, celebritatum, intermittendorum laborum, cæteraque hujusmodi omnia, juxta optimos quosque Græcorum ritus disposuit. Præclarum equidem eximii ingenii opus, deorum cultum augere, & inter prælia templorum molimina erigere, vere auspicata a Deo crescunt quæque hominum facinora, monetque Onosander in

Mira diligentia ejus in sacrorum ritu.

F *Strategico* c. 10. Similiter Octavius Augustus post mortem Lepidi Pontifex magnus renuntiatus, sacrorum curam suscepit: libros Sibyllinos, delectu habito, duobus forulis auratis condidit sub Palatini Apollinis basi: quicquid fatidicorum librorum Græci Latinique generis, nullis, vel parum idoneis Auctoribus, vulgo ferebatur, supra duo millia contracta undique cre-

Augusti acta dum esset Imper. & Pontif.

mavit: Sacerdotum numerum & dignitatem, sed & commoda auxit, præcipue Vestalium Virginum: nonnulla etiam ex antiquis cæremoniis paulatim abolita restituit, ut *Salutis augurium; Diale Flaminium; Sacrum L ; Ludos Sæculares & Compitalit.* quit Suetonius in *Octavio Augusto.* ublica opera plurima exstruxit, ex quibus vel præcipua Forum cum æde Martis Ultoris: templum Apollinis in Palatio: ædem tonantis Jovis in Capitolio: pleraque alia recenset Dio, ex eoque Xiphilinus, præcipue *Quirini templum*; & tandem Nicephorus Callistus maximopere commendat Andronicum Imperatorem Constantinopolitanum, qui templa urbis instauravit ac restituit, Sacra denique cuncta perfecit, & quod opus omne superat, quantum potuit opum conferens, Ecclesiam spiritualibus suffultam columnis, Patrum scilicet doctrinis & sanctionibus, confirmavit.

Commendatur Andronicus Imp. Constantin.

DCLXXXVIII. Addamus insigne religionis monumentum, *ignem* videlicet *Vestamque* Romulum sacrasse: quod Plutarchus multorum consensu perhibet: *Α... ται δὲ καὶ τὴν περὶ τὸ πῦρ ἁγιστείαν Ῥωμύλ... καταστῆσαι πρῶτον, ἀποδείξαντα παρθένους ἱεράς, Ἑστιάδας προσαγορευομένας. ...ma est Romulum etiam ignem primum consecrasse, Virginesque sacras legisse, quas* VESTALES *vocant*. Idque expensum probatumque fecimus, ubi Tarpejam, Arcis Capitolinæ proditricem, Vestalem, Auctorum testimonio exhibuimus. Propertius puellam plorantem ab alto effingit, ac dicentem *lib.* 4. *el.* 4.

Vestam sa... ignem Romu... ...

Probatur.

Quantum ego sum Ausoniis crimen factura puellis,
Improba virgineo lecta ministra foco?
Palladis exstinctos si quis mirabitur ignes,
Ignoscat, lacrymis spargitur ara meis.

Tullius insuper *de Aruspicum resp.* ait: *Quod sacrificium tam vetus est, quam hoc Vestalium, quod a Regibus æquale huic Urbi accepimus*. Lipsius expendit, verborumque obscuritati illuxit, *si Regibus æquale, ergo a Romulo*. Sunt tamen qui ad Numam facinus referant, causamque Dionysius Halicarnasseus prodit, & tantummodo ignem f crasse scribit: Ῥωμύλος ἐν ἑκάστῃ τῶν Φρατριῶν ἱδρυσάμενος ἑστίαν, κοινὸν ἱερὸν οὐ κατασκευάσατο τῆς Ἑστίας, μεμνημένος τοῦ περὶ τὴν μητέρα πάθους, ἣ συνέβη θεραπευούσῃ τὴν θεόν. Μέγα δὲ τούτου τεκμήριον, ὅτι τῆς τετραγώνου καλουμένης Ῥώμης, ἣν ἐκεῖνος ἐτείχισεν, ἐκτός ἐστιν. Ἑστίας δὲ κοινῆς ἱερὸν ἐν τῷ κρατίστῳ μάλιστα καθιδρύονται τῆς πόλεως ἅπαντες. *Romulus dumtaxat focum singulis Curiis constituit, nullum Vestæ publicum templum instituit, memor dedecoris, quod mater in deæ ejus sacerdotio subisset. Argumentum autem huic rei certum, quod Vestæ ædes sita sit extra Romam quadratam, quam Romulus condidit; non futurum, si ille auctor. Nam publici Foci ædem solent omnes in præcipua Urbis parte collocare.* Hinc Tullius lib. 3 *de Legibus* Vestam *focum Urbis* appellat, qui a Xenophonte in *Cyrop. sacer æternusque* nuncupatur: vocatque Ammianus *lib.* 23. *ignem*

Plerique a Numa dicata censent.

Ign's custodia. *ignem cælitus lapsum*, foculis sempiternis custoditum ad Urbis munimentum.

Lupercalia a Romulo denuo instituta. DCLXXXIX. *Lupercalia* etsi vetus ætas sub Evandro exculta superstitiosissimo religionis ritu excepit, nihilominus a Romulo novis cæremoniis cultuq; novo excitata censentur. Plura hac de re edidimus Scriptorum oracula: unum restat Plutarchi ex industria servatum; inquit etenim in *Romulo*: „LUPERCALIA ex

Lustralia. „tempore dicas *Lustralia* esse, quia die-„bus fastis aguntur mensis Februarii, „quem interpreteris lustralem. Diem Ve-„teres Februatum vocabant. Videtur ve-

Luperci a Lupa. „ro e nomine solennitas illa admodum „vetusta, ab Arcadibus Evandri comiti-„bus accepta. Cæterum hæc vulgata est „fama: nam deduci nomen potuit a LU-„PA; quod inde LUPERCI (unde edu-„catum Romulum ferunt) auspicari cer-„namus cursum per Urbem. Verum quæ „aguntur, causam præbent conjectu dif-„ficilem. Jugulant CAPRAS, inde no-

Gladio cruento frontem tingunt, & lacte abstergunt. „bilibus duobus adolescentibus adductis, „alii gladio cruento frontem tingunt; a-„lii statim imbuta lacte lana detergunt „eam: detersa, ridere adolescentes opor-„tet: hinc tergoribus dissectis caprarum „in subligaculo discurrunt nudi, obvium „quemque scuticis cædentes. Mulieres „adultæ non declinant verbera, proficere „ea ad conceptionem & partum ratæ. „Celebritas ea hoc quoque habet parti-„culare, CANEM quod immolent Lu-„perci. Causas fabulosas Butas quidam „*Elegiis rerum Romanarum* prodit; Ro-„mulum devicto Amulio cursu se exsul-„tantem contulisse in locum eum, ubi „lupa infantibus ipsis summiserat mam-„mam, atque hac solennitate eum cur-„sum referri, nobilesque in cursu ado-„lescentes,

Explicatio facinorum.

Pulsare oblatos strictis velut ensibus, Alba
Tunc sese extulerant Romulus atque Remus.

„Ensem vero cruentum fronti admotum „cædis notam esse & periculi: absterfio-„nem per lac ipsorum monimentum nu-„trimentorum. Hactenus Plutarchus. Cajus Acilius auctor est: „Ante condi-

Lupercalia ob votum. „tam Urbem, Romuli & Remi pecus a-„missum fuisse, quos Fauno, voto facto, „nudos, ne molestus iis sudor foret, ad „requirendum id, excurrisse; hinc nu-„dos discurrere Lupercos. Sive Fauno, sive Lupæ sacrum, grati animi monumentum festum illud recensendum puto; maximopere ob canis sacrificium, de quo inquit Plutarchus: *Canem arbitror, si lustratio id sacrum est, immolari, quod eo u-*

Lustrationum ritus. *tantur lustrati: etenim Græci in sacris lustralibus catulos efferunt*. Hic ritus, lustrandique mos, Numa imperante, remansit, & Februo mensem Rex dicavit, ut Macrobius lib. 1. *Saturn.* cap. 13. scribit: „Februus deus lustrationum potens „creditur: lustrari autem mense Februa-„rio civitatem necesse erat, quo statuit, „ut justa diis Manibus redderentur. †

Jovi & diis sacrum facit. DCXC. Ante triumphum, ipso in prælio quæ voverat, Jovi Feretrio ac Statori construxit, ingentique pompa dicavit templa: præterea antequam Regni fo-

† In Edit. *solverentur*.

A lium adscenderet, inquit Dionysius Halicarnasseus *l. b.* 2. *stans in loco puro, & rite mactatis victimis, vota fecit Jovi Regi & diis aliis, quos Coloniæ duces fecerat*. Solertiam satis admirandam adolescentis in sacrorum pompa perhibet, utpote Auguris ab ineunteque ætate viri religiosissimi, ait namque Plutarchus: *Mire Romulum fuisse tradunt religiosum, augurandique peritum, atque eam ob scientiam lituum gestasse*: est lituus bacillum incurvum, quem, qui auspicantur templa, capiunt: Romulus mire religiosus.

B hunc in Capitolio ferunt servari solitum; sed capta a Gallis Urbe perditum: mox ejectis illis, inter cætera incensa omnia & corrupta, multo obrutum cinere, *inventum fuisse, intactum autem ab igne*. Ab eo Litui prodigium. mos, ut Reges litarent; expulsique post stupri facinus Reges impiissimi, remansit *Sacrificulus Rex, qui*, teste Festo Pompejo, *ea sacra, quæ facere Reges sueverant facit: primus memoratur post Reges exactos Sicinnius Bellutus*: emendat Scaliger, *Papisius Mantus*; animadversumque voluit Romulus, *partem sacrorum* cumpri-

C mis exhibendam Sacerdotibus, ne inopia laborantes, victimis indigerent & igne; prodit illustre facinus Dionys. Halicarnass. lib. 2. *Antiq.* „Digesto per Tri-„bus atque Curias populo, agro quoque „in triginta sortes æquales diviso, singu-„las Curias sortiri jussit, exemplo prius „quantum in ministerium Sacrorum ac „templorum sufficeret, & quadam par-„te, quæ esset Juris publici. Quod sapienter proinde Platonem sanxisse, etiam apud Stobæum compertum est. Pars sacrorum Sacerdotibus assignata, ne indigeant.

D DCXCI. Erat namque Romulus Martis ac Vestalis puellæ filius, ideoque in numinum obeundis jure riteque sacris præstantior videbatur, instituitque auspicato posteros Regnum assumere: imo deorum Minister indicabat & ipse auspicia, ut sciret populus. Audiamus Dionysium: „Ro-„mulus confirmatus in Regno divinitus, „advocata concione, & indicatis auspiciis, „Rex declaratur consensu omnium, & „morem instituit in posterum, ne quis „nisi auspicato Regnum assumeret, Ma-„gistratumve iniret: firmatque morem Valer. *l.* 1. *prisco instituto rebus divinis opera datur*: & uti Sacerdotem decebat, so- Romulus sanxit ne quis nisi auspicato Regnum assumeret. Romulus sobrius

E brium fuisse legimus, & procuranda re divina præstantem: etenim L. Piso lib. 1. *Ann.* cum de Romuli Regis vita atque victu scriberet, inquit: „Romulum, di-„cunt, ad cœnam vocatum, ibi non mul-„tum bibisse, quia postridie negotium „haberet; & dicunt, Romule si istud o-„mnes homines faciant, vinum vilius sit: „Is respondit, imo vero carum, si quan-„tum quisque volet, bibat; refert hæc Aulus Gellius lib. 11. *Noctium Atticarum*; & negotii nomine Pithœus sacrum intelligebat; sed vel Aulæ, sive templi nego- Sobrietas in sacris commendatur.

F tium quisque putet, in utroque excellentissimum Romuli genium, & accuratam prorsus operam percipiet, commendata viri sobrietate.

DCXCII. Cætera adnotabamus supra, ideo illa revocare operæ non fuit pretium: tantummodo *Augurum Collegium* animadverto a Romulo institutum: de quo Panvinius erudite admodum edisserit. Augurum Collegium a Romulo institutum.

Augurandi ars antiquissima est, quæ a Chaldæis ad Græcos, a Græcisque ad Etruscos, ab Etruscis ad Latinos devenit: nam veteres Chaldæos optimos Augures fuisse, memoriæ proditum est. Amphiaraus quoque, Mopsus, & Calchas peritissimi apud Græcos Augures memorantur. In Thuscis vero hæc ars multum floruisse constat; Ascanium etiam apud Latinos augurasse legimus, cum aciem contra Mezentium educeret; & ubi micare sinistris fulgur adspexit, pugnavit, & vicit. Dionysius vero antiquam augurandi peritiam apud Aborigines etiam fuisse tradit: „ROMULUS IPSE SUMMUS „AUGUR FUIT: idcirco instituit Magistratus cum auguriis creari: & postea „ri non nisi augurato res gerebant: tanta autem veneratio huic arti accessit, „ut Romulus principio trium Augurum „COLLEGIUM constituerit, singulos „e singulis Tribubus, quæ tres erant, „Rhamnensium, Tatiensium, Lucerum. Hactenus ille, & nos *lib.* 2. ubi de Numa, de Auguriis eorumque Sacerdotibus plura disseruimus.

Augures præstantissimi.

Ex singulis Tribubus.

DCXCIII. Addidit Romulus *Curiones*, ut sacra publica facerent, de quibus Festus ait: „In Curias Romulus populum „distribuit, numero triginta, (quibus „postea additæ sunt quinque) ut in sua „quisque Curia Sacra publica faceret, fe„stasque † observaret. Dionysius *hostias immolare publicas* scripsit: *Curio maximus* præcedebat: hinc ex Festo Pompejo & Verrio, *Curiales Flamines* Curiarum Sacerdotes erant: *Curionia Sacra*, quæ in Curiis fiebant: *Curionium æs*, quod dabatur Curioni ob sacerdotium Curionatus: *Curiales* ejusdem Curiæ, ut tribules, & municipes: unde Terentius, *Curialis vernula est, qui me vocat*. Reliqua Numæ adscripserunt, utpote viro religiosissimo, cum revera Sacra fere omnia a Romulo instituta legimus, exculta proinde a Numa.

Curionum Collegium Sacerdotum.

Sacra publica curabat.

Curio maximus.

Curiales Flamines.

Æs Curionium.

Curialis vernula.

CAP. LVII.

Romulus trucidatus a Senatoribus ad Capreæ Paludem disparuit, & inter numina Quirini nomine colitur.

DCXCIV. PRimus Olympiadis XVI. annus agebatur ab Orbe condito CIↃ CIↃ CIↃ CCXXXV. ante Christi Nativit. DCCXIII. anno Olympiaco LXI. Urbis conditæ XXXVII. Romuli, juxta Dionysii calculum & Publii Nasonis, LV. Solini, Tarrutii, Plutarchi, & Varronis, LIX. Sethi, quem adscripsimus, LXIII. Non. Quint. ut Plutarchus refert, qui mensis postea, Macrobio, Fulvio Nobiliore, Pisone, ac Gaza testantibus, Julius dictus fuit, rogante M. Antonio Consule pro Julio Cæsare Imperatore, & juxta exactum Juliani computum, ut recens Ovidii Scholiastes animadvertit die vigesimo sexto Maii Juliani, sicut Valerius Messala ad Octavianum Augustum scribit: „Romulus vi„ctis Fidenatibus ac Vejentibus ad Ca„preæ Paludem concione habita subito „turbine, & imbre, lumine Solis adem„to inter fulgura obstrepentia cæli ere„ptus nusquam apparuit, postquam tri„ginta septem regnaverat annis. Hinc Romuli mortem enarrare, argumentum veritatis historiæ arbitror esse, præcipue Plutarcho scribente, *nihil dictu certum & constans est de obitu suo præter tempus*.

Romulus ad Capream Paludem orat.

Inter fulgura eripitur.

Post 37. Regni annum.

† Rep. *feriasque*.

DCXCV. Defuncto Tatio Romulus, Tyranni potius quam Regis secutus vestigia, crudelitatem sævissime exercebat, pœnas inhumaniter exigebat invisis Patriciorum familiis; quod Dionysius *lib.* 2. sic refert: „Romanorum quosdam latro„ciniis convictos a finitimis, nec obscu„ros viros, nec paucos sua unius senten„tia damnatos duxit de pendula rupe da„ri præcipites; sed maxime ostendebat, „quod videbatur esse factus arrogantior „ac durior, imperiumque non amplius „regio, sed tyrannico more gerere. Hæc ultima ratio odii seminarium fuit; nam fures cum adhuc adolescens persequeretur, Romæ Imperium meruit, sicut ex Publio Nasone, Diocle Peparetio, Dionysio, Livio, cæterisque diximus. Audi Plutarchum: „Neque enim adhibe„bantur ad Rempublicam gerendam Se„natores, sed nomen modo & speciem „obtinebant honorificam, ac de more po„tius quam sententiæ dicendæ causa co„gebantur in Senatum, ubi jubenti au„scultabant, neque ulla re alii prælati „vulgo, quam quod priores acta audien„tes discedebant, ac cætera quidem mi„nus angebant eos. Itaque etiam Livius, qui juxta immortalium operam culmen jure inter divos relatum adulatorie censet, confitetur, *Multitudini gratiorem fuisse quam Patribus, longe ante alios acceptissimum militum animis*. Lucius Florus Livii Sectator *lib.* 1. *cap.* 1. & ipse causam refert, *discerptum aliqui a Senatu putant ob asperius ingenium*.

Tyranni dem exercet.

Odio habetur a suis.

Per adulationem inter divos adscribitur.

DCXCVI. Crudelitas haud securos Reges facit; audi Senecam lib. 1. *de Clement.* cap. 19. *Errat si quis existimat tutum ibi esse Regem, ubi nihil a Rege tutum est, sed securitas securitate mutua paciscenda est*. Heron apud Xenophontem: *Tyrannum tot hostes metuere autumat, quot cives habeat obvios, aut intueatur*. Quod Claudianus, & Seneca Tragicus in *Oedipo* firmant vers. 705.

Crudelitas Regem tutum non reddit.

Qui sceptra duro sævus imperio gerit,
Timet timentes; metus in auctorem redit.

Et Chorus apud eumdem in *Hercule Oetæo* vers. 638.

Perdatque aliquos, nullumque levet.
Tantum ut noceat, cupit esse potens.
Quota pars moritur tempore fati!
Quos felices Cynthia vidit,
Vidit miseros habitura dies.
Rarum est felix idemque senex.
Cespes Tyrio mollior ostro
Solet impavidos ducere somnos.
Aurea rumpunt tecta quietem,
Vigilesque trahit purpura noctes.
O si pateant pectora ditum,
Quantos intus sublimis agit
Fortuna metus! Brutia Coro
Pulsante fretum mitior unda est.

Hæc ille ex Sophocle & Euripide, Bathonis sententiam illustrans, qui de Tyrannis dixit, *Rarum est felix idemque senex*. & Boetius lib. 3. *de Consolat. Philosoph.*

Quos vides sedere celsos
Solii in culmine Reges,
Purpura claros nitente,
Septos tristibus armis,
Ore torvo comminantes,
Rabie cordis anhelos.
Detrahat si quis superbis
Vani tegmina cultus,
Jam videbit intus artas
Dominos ferre catenas:
Hinc enim versat libido
Avidis corda venenis;
Hinc flagellat ira mentem
Fluctus turbida tollens
Mœror, aut captos fatigat,
Aut spes lubrica torquet.
Sævos caput tot unum
Cernas ferre TYRANNOS.
Non facit, quod optat ipse,
DOMINIS PRESSUS INIQUIS.

Cicero lib. 2. *de Officiis*, *qui se metui volent a quibus metuuntur, eosdem metuant ipsi necesse est*. Seneca *epist.* 105. „Confu„sam vitam & perturbatam impotentes „agunt, tantum metuunt, quantum no„cent, nec ullo tempore vocant*...... „Dat pœnas quisquis exspectat; quis„quis autem metuit, exspectat. Statius in *Achilleide* lib. 1. vers. 152.

—— ipsi mihi semper queruntur
Centauri, raptasque domos, abstractaque coram
Armenta, & campis sese fluviisque fugari.
Insidias & bella parant, timidique † minantur.

Nec tamen quisquam melius hac de re quam Sallustius sententiam edidit in *epist* ad Cæsarem: „Equidem ego cuncta im„peria crudelia magis acerba quam diu„turna arbitror, nec quemquam a mul„tis metuendum, quin ad eum ex multis „formido recidat: ex quo forsan Boetius lib. 3. *de Consolat.* cap. 5. *Potentem censes, qui satellite latus ambit? qui quos terret, plus ipse metuit?* Regni potius pondus ac perpetuitatem adducunt rectitudo, pietas, & clementia. Apud Justinum *lib.* 23. *cap.* 4. de Hierone Syracusarum Rege: „Pulchritudo ei corporis insignis, vires „quoque in homine admirabiles fuere: „in alloquio blandus, in negotio justus, „in imperio moderatus; prorsus ut nihil „ei regium deesse præter Regnum videre„tur. Quod Claudianus innuit in 2. *Consul. Stilichonis*, Urbis perpetuitatem enarrans vers. 150.

Imperia crudelia non diuturna.

Pietas Regnum perpetuat.

Hieronis laus.

Hæc est, in gremium victos quæ sola recepit,
Humanumque genus communi nomine fovit,
Matris, non dominæ, ritu.

DCXCVII. Itaque ob Romuli crudelitatem erga Patritios Senesque, quos Patres, ut periclitantibus vel vim patientibus præsto essent, nuncupavit, conspirarunt in ipsum, trucidatumque perdiderunt. Rem sic scribit Dionysius: „His „ergo de causis ajunt Patritios conspiras„se in ejus perniciem, necatum autem „in Curia, & ne cadaver compareret, fru„statim corpus discerptum a Senatoribus, „elatumque sub togis, & clam terra ob„rutum. Nonnulli apud Plutarchum non in Curia, sed in templo Vulcani interfectum referunt: *Suspicio fuit aliquorum, in templo Vulcani Senatum illi manus attulisse, dissectoque interfecti corpore partem quemque in sinu extulisse*. Livius, Florus, Juba, Ælius Tubero, ac Publius Ovidius lib. 2. *Fastorum* vers. 491. ad Capreæ Paludem disparuisse scribunt:

Ob crudelitatem a Patritiis trucidatur Romulus.

Discerptus sepelitur

In templo Vulcani trucidatum referunt.

Ad Capreæ Paludem disparuisse scribunt alii.

Est locus; Antiqui Capreæ dixere Paludem:
Forte tuis illic, Romule, jura dabas.
Sol fugit, & removent subeuntia nubila cœlum;
Et gravis effusis decidit imber aquis:
Hinc tonat, hinc missis abrumpitur ignibus æther.
Fit fuga; Rex patriis astra petebat equis.
Luctus erat, falsæque Patres in crimine cædis.
Hæsissetque animis forsitan illa fides.

DCXCVIII. Hæc ultima verba firmat quamplurimorum oraculo Plutarchus: „Aliorum opinio est, neque in Vulcani, „neque Patribus tantum præsentibus „fuisse ablatum; sed cum extra Urbem „forte Romulus concionem ad Capreæ „Paludem haberet, stupendam subito „coortam & atrocem tempestatem, cæ„lique miram conversionem, Solis ob„scuratam lucem, noctem ingruisse non „placidam neque quietam, sed cum ve„mentibus tonitruis, ventoque & procel„la undique incumbente, ibi multitudi„nem effusam fugisse, primores se colle„gisse in globo, postquam ex tam turbi„do dilux rediit, & plebe in concionem „reversa Rex requisitus & desideratus est. „Non permisisse Principes de eo ut in„quirerent curiosius. Quod probabilita„te non caret. Nam Romulus, inquit Livius *lib. 1. cap.* 16. *trecentos armatos ad custodiam corporis, quos Celeres appellavit, non in bello solum, sed etiam in pace habuit;* a quibus tempestatis vi ingruente relictus evanuit trucidatus, ut Dionysius Halicarnasseus scribit: *Ausos illos eam cædem oborta subita illa caligine, quum turba diffugiente a satellitio quoque destitutus esset.*

Stupenda oborta tempestate Sol obscuratur, & dies in noctem convertitur.

Satellitio destitutus ex occasione occiditur.

DCXCIX. Ad Capreæ Paludem concionem habuisse non mirum; nam fœdus iniit cum Tatio ac Sabinis, simulque degebant, cum Sabini ortum a Lacedæmoniis, ut ex Plutarcho, Dionysio, ac Gneo Gellio diximus, duxissent, morem illorum sequutum Romulum credere haud piget. Lacedæmonii etenim prope fluminis littora conciones convocabant. Sic Cracchius* *lib. 1. cap.* 7. refert: „Locus, ubi con„ciones celebrabantur, erat in campo sub „dio ad amnem Cnacionem, quem postea

Lacedæmonii ad fluminis littus conciones convocabant.

* Leg. *vacant*. † Alii, *tumidique*. *Sallen. Tom. II.*

* Rest. *Cragius*, qui habetur Tomo 5. Antiq. Græc. pag. 2497.

„ Oeuntem dixerunt, & juxta pontem „ Babycam; qui locus juſſu oraculi ele- „ ctus erat. Plutarchus in Lycurgo de „ Cnacione inquit. In medio eorum (in- „ telligit autem amnem & pontem ita di- „ ctum) conciones habebant, ubi neque „ porticus erant, neque alia ſtructura. Hactenus ille ex Plutarcho; & ſi quæras cur extra urbem conciones fierent, reſpondet, ne ſenſus diſtraheretur, hinc inde nutabundus dum videt. Unde addit: „ Nihil enim ea arbitrabantur ad † E..... „ ... ſeu conſilia recte capienda intereſſe, „ quin citius officere, quod futiles & flu- „ xas inani ſenſu congredientium mentes „ efficiant, quum in ſigna, & tabulas, & „ proſcenia theatrorum, & lacunaria fa- „ brefacta, illi, qui in concionem veniunt, „ defigunt oculos. Hæc ille, & optime; enimvero obſervo apud Tertullianum *de Spectaculis* cap. 12. *has conciones fulgente purpurarum pompa quam ſæpe habitas*; unde exclamat Q. Septimius Florens: „ Idem „ de apparatibus interpretabimur in ipſo- „ rum honorum ſuggeſtu deputandis, „ quod purpuræ, quod faſciæ, quod vit- „ tæ, quod coronæ, quod denique con- „ ciones, & edicta, & pultes pridianæ „ ſine pompa Diaboli, ſine invitatione „ Dæmonum non ſunt. Hinc colligo ex Tacito lib. 3. *Hiſtor.* cap. 56. de Vitellio, omen mortis excepiſſe, dum concionaretur, inquit etenim: *Concionanti (prodigioſum dictu) tantum fœdarum volucrum ſupervolitavit, ut nube atra diem obtenderent. Acceſſit dirum omen*, &c.

Mortis ſuæ omen.

Ipſo concionante Sol deficit.

DCC. Dum ad hanc concionem Romulus parabatur, Sol continuo defecit, ut Plutarchus, Aurelius Victor, Tullius, Conon Athenienſis, cæterique quamplures ſcribunt; quod obſervans Dionyſius lib. 2. *Antiquit. Roman.* inquit: „ Videan- „ tur porro ea, quæ in ortu atque interi- „ tu Romuli divinitus acciderunt, non „ parvam illis præbere occaſionem qui „ deos e mortalibus faciunt, illuſtriumque „ virorum animas in cælum evehunt; „ nam & cum matri ejus inferretur vis, ſi- „ ve ab homine, ſive a deo, Solem defe- „ ciſſe totum, terriſque interdiu tenebras „ nocturnis ſimiles incubuiſſe dicunt, „ idemque etiam necis ipſius tempore ac- „ cidiſſe. Qua de eclipſi Sethus hæc adnotat: Anno primo Olymp. 16. fuit eclipſis Solis die vigeſimo ſexto Maii, & quæ quidem exhibetur in Tabulis Prutenicis, cum Sol occideret; ſed ad haſce Tabulas eadem ſit propter Parallaxin poſt occaſum Solis, ideo ambiguum fere eſt, quid de hac eclipſi ſentiendum. Ante ſeſquiannum ſpatium exſtitit ſimiliter eclipſis die decimo Septembris ultra ſex digitos min. 43. ante meridiem. Sed tamen nihil innovandum videtur.

Etiam dum concipitur ac dum moritur, Sol obſcuratur.

Solis eclipſis necem ejus portendit.

DCCI. Quæ omnia ſive fulgura, ſive eluvies, ac Solis defectio caſum Romuli portenderunt. Lucanus lib. 7. *Pharſaliæ* factum decantat verſ. 151.

Non tamen abſtinuit venturos prodere caſus
*Per varias natura * notas: nam Theſſala raſa ‡*

† Reſcr. Εὐβουλίαν. * Alii, *Fortuna*.
‡ Rep. *rura*.

Cum peterent, totus venientibus obſtitit æther,
Inque oculis hominum fregerunt fulmina nubes,
Adverſaſque faces, immenſoque igne columnas,
Et trabibus mixtis avidos typhonas aquarum
Detulit, atque oculos ingeſto fulgure clauſit:
Excuſſit criſtas galeis, capuloſque ſolutis
Perfudit gladiis, ereptaque pila liquavit,
Æthereoque nocens fumavit ſulphure ferrum.

Sic Alladius Albæ Rex poſt Tyberinum & Agrippam, ut diximus ex Plutarcho, Publio Naſone, Dionyſio, Livio, Cornelio Nepote, ac Diocle, imbribus ac fulminibus in terram irruentibus abſumtus eſt: Silius *lib.* 5. verſ. 70.

Alladius Rex ita abſumtus.

Ac ſuper hæc divum genitor, terraſque fretumque
Concutiens tonitru, Cyclopum rapta caminis
Fulmina Tyrrhenas Thraſymeni torſit in undas,
Ictuſque ætherea per ſtagna patientia flamma
Fumavit lacus, atque arſerunt fluctibus ignes.

Nec ſemel fulgura inſolitæ tempeſtatis impetu oborta Principibus mortem portenderunt. Lege Zonaram, Cedrenum, Genebrardum, Anaſtaſium, Nicæam, Julium Obſequentem, Senecam, cæteroſque, quorum revocare oracula longum eſſet.

Mors Principum ſimili tempeſtate portenditur.

DCCII. Nihilominus dum in ortu & interitu Romuli Sol obſcuratus evanuit, myſterium latere compertum eſt: nam Sol ab Orpheo *numen* dictus, ab Homero *Vatum princeps*, a Zoroaſtro *divinationis numen*, a Sophocle *omniſcius*, velut ab Euripide *qui omnia videt*, *Muſarum cor & cælorum* a Tullio, *ductor Vatum* a Callimacho, tandem *juris divini dator* a Proclo, vere grande aliquod grandi motu portendit. Eclipſim legimus naſcente Romulo juxta Varronis, Tarrutii, Plutarchi ac Jubæ præſcriptum, cælum pertuliſſe, tandemque dum e vivis migraret, ipſe Principatus fons Principum curas gerit, ut Zoar, Haly, Ptolomæus, & Averroes cum Alberto docent. Unde inquit Zonaras, cum impius Julianus Imperator Apoſtata eſſet Antiochiæ in loco, quem Phrygiam nuncupabant, per viſum ſolam ſui perniciem ſentiens, exclamavit, O SOL JULIANUM PERDIDISTI. Virgilius lib. 1. *Georg.* verſ. 463.

Solis nomina.

Sol Principum curas gerit.

Jul. Imper. dictum.

—— Solem quis dicere falſum
Audeat? ille etiam cæcos inſtare tumultus
Sæpe monet, fraudemque & opera † tumeſcere bella:
Ille etiam exſtincto miſeratus Cæſare Romam,
Cum caput obſcura nitidum ferrugine texit,
Impiaque æternam timuerunt ſæcula noctem.

Et denuo idem *ibid.* verſ. 438.

† Leg. *operta*.

Solis præsagia.

Sol quoque & exoriens, & cum se condit in undas,
Signa dabit; Solem certissima signa sequentur,
Et quæ mane refert, & quæ surgentibus astris:
Ille ubi nascentem maculis variaverit ortum
Conditus in nubem, MEDIOQUE REFUGERIT ORBE.

Ovidius lib. 15. *Metamorph.* vers. 784. Virgilium secutus:

Arma ferunt inter nigras crepitantia nubes,
Terribilesque tubas, auditaque cornua cælo
Præmonuisse nefas. SOLIS QUOQUE TRISTIS IMAGO
Lurida sollicitis præbebat lumina terris:
Sæpe faces visæ mediis ardere sub astris;
Sæpe inter nimbos guttæ cecidere cruentæ.
Cærulus & vultum ferrugine Lucifer atra,
Sparsus erat; sparsi lunares sanguine currus.

Prodigia in Orbis excidium.

Quæ omnia Orbis deliquium, cladem civium, eversionem Regnorum portendunt & exterminium, sic Sol deficit, ut præmoneat ventura, & cum ipse in genitura Principatum significat, Principum calamitatem funere compensat: quod totum ex Fragmentis Vestii Valentis Antiochæi de potestate septem Planetarum colligitur; inquit enim: „Sol omnium rerum „inspector est igneus, & lumen intelle„ctuale, sensuumque animi instrumen„tum, in genituris significat Regnum „Principatus, mentem, prudentiam, „formam, motum, sublimitatem fortu„næ, deorum instinctum, publicam vi„tam, actiones, præstantiam in popu„lo, amicitias, homines claros, hono„res imaginum, statuarum coronatio„nem, &c. Qui si semper luceret, semper ista præstaret, quæ cum ex inopinato & violenter interfectores ab Heroe præripere tentent, deficiente Solis adspectu, deficiunt & illi qui forsan subsisterent.

Sol in genitura quid prodat?

DCCIII. Verba Dionysii, Plutarchi, Aurelii Victoris, ac Livii de hac tempestate animadvertere suadet ratio: *Subito coorta tempestate*, &c. ac si dicerent, Sole diem serenum ac cælorum adspectu procul nubium turbine illucescente, tempestas horrida ingruit, pessimum ac mortale omen, quod quamplures evulgarunt: Virgilius *Æneid.* lib. 8. vers. 528.

Tempestas malum omen.

Arma inter nubem cæli regione serena
Per sudum rutilare vident, & pulsa tonare.

Lucanus *lib.* 1. vers. 530.

Fulgura fallaci micuerunt crebra sereno,
Et varias ignis denso dedit aere formas.
Nunc jaculum longo, nunc sparso lumine lampas
Emicuit cælo: tacitum sine nubibus illis,*
Fulmen, & Arctois rapiens de partibus ignem.
Percussit Latiale caput, stellæque minores
Per vacuum solitæ noctis decurrere tempus,
In medium venere diem.

Tullius ex Arato,

Aut cum terribili percussus fulmine civis
Luce serenanti vitalia lumina liquit.

Virgilius lib. 9. *Æn.* vers. 630

Audiit, & cæli genitor de parte serena
Intonuit lævum.

Lucretius *lib.* 6. vers. 399.

Denique cur nunquam cælo jacit undique puro
Juppiter in terras fulmen, sonitusque profundit.

Hinc omnes conveniunt Romulum non apparuisse, etsi a militibus quam maxime conquisitum; Livius: „Romana pubes „sedato tandem pavore postquam ex tam „turbido die serena & tranquilla lux re„diit, ubi vacuam sedem regiam vidit, „etsi satis credebant Patribus, qui pro„ximi steterant, sublimi raptum procel„la, tamen velut orbitatis metu icta mœ„stum aliquanto silentium obtinuit. At ex Livio, Plutarcho, cæterisque constat cognovisse eum a Patribus Patritiisque interfectum; unde ex eo quia non apparuit, Plutarchus similem Scipionis Africani eventum enarrat, & subjungit: „Germana hæc profecto cum fabulis vi„dentur apud Græcos de Aristea Procon„nesio & Cleomede Astypalensi; Ari„stæam in fullonis taberna vitam perhi„bent finisse, corpusque ejus, cum ne„cessarii adessent ad id auferendum, e „conspectu raptum, ac quosdam, qui „modo peregre veniebant, affirmasse A„risteæ se occurrisse Crotonem tendenti. Sic etiam Cleomedes cum in arca se conclusisset, eamque perfringerent, neque vivum, neque mortuum invenere; ac consultus Apollo ab his, quos Delphos miserant, respondit,

Romulus non apparuit.

Aristæa & Cleomedes mortui disparent.

Ultimus Heroum Cleomedes Astypalensis.

Unde inter Heroas *stolidum ac insanum*, ut ait Plutarchus, coluerunt.

DCCIV. Nec aliter Senatus ac Proceres Romuli interfectores, ut facinus occultarent, ipsum inter deos referre sanxerunt. Plutarchus: „Postquam ex tam „turbido dilux rediit, & plebe in con„cione reversa Rex requisitus & deside„ratus est; non permiserunt Principes „de eo, ut inquirerent curiosius, sed, „ut omnes Romulum colerent, jussisse, „venerarenturque ut ad Superos raptum. „Livius: Deinde a paucis initio facto „deum deo natum Regem parentemque „Urbis Romanæ salvere universi Romu„lum jubent, pacem precibus exposcunt, „uti volens propitius suam semper sospi„tet progeniem. Sic Quirini nomine ipsum coluerunt, præcipue Julio Proculo id afferente, per visum Romulum vidisse, ac sub Quirini nomine cultum optasse; quod Ovidius in *Fastis* libro 2. sic narrat vers. 499.

Romulus inter deos relatus.

Jul. Procul. per visum apparuit.

* Rep. *ullis*.

*Sed procul * e longa veniebat Julius Alba;* A
Lunaque fulgebat, nec facis usus erat.
Cum subito motu sepes tremuere sinistræ;
Rettulit ille gradus, horrueruntq; comę.
Pulcher, & humano major, trabeaque decorus
Romulus in media visus adesse via;
Et dixisse simul, pr obibe lugere Quirites;
Nec violent lacrymis numina nostra suis.

Unde Quirini nomen.

Thura ferant, pacemque † novum pia turba Quirinum;
Et patrias artes militiamque colant.
Jussit; & in tenues oculis evanuit auras. B
Convocat hic populum, jussaque verba refert.
*Templa deo faciunt *, collis quoque dictus ab illo est,*
Et referunt certi sacra paterna dies.

Proculi verba Livius eleganter profert: „Romulus, Quirites, parens Urbis hujus „prima hodierna luce cælo repente delapsus se mihi obviam dedit; cum perfusus „horrore venerabundusque adstitissem, „petens precibus, ut contra intueri fas esset. Abi, nuncia, inquit, Romanis Cælestes ita velle, ut MEA ROMA CAPUT ORBIS TERRARUM SIT. Proinde rem militarem colant; sciantque & „ita posteris tradant, nullas opes humanas Romanis armis resistere posse; hæc „locutus sublimis abiit. Hactenus ille, & „sequitur Livius: *Mirum, quantum illi viro nunciantí hæc fides fuerit, quamque desiderium Romuli apud plebem exercitumque, facta fide immortalitatis, lenitum sit.* Quod Lactantius Firmianus lib. 1. *de falsa Religione* cap. 15. ex oraculo Ennii sic refert: *Romulum desiderio suis fuisse declarat Ennius, apud quem populus amissum Regem dolens hæc loquitur:*

Roma caput Orbis.

O Romule, Romule, dic, o,
Qualem te Patriæ custodem dii genuerunt?
Tu produxisti nos intra luminis oras,
O pater, o genitor, o sanguine† diis oriundum.

„Ob hoc desiderium facilè creditum est „Julio Proculo mentienti, qui subornatus „a Patribus est, ut nuntiaret plebi suæ vidisse se Regem humano habitu augustiorem; eumque mandasse ad populum, „ut sibi DELUBRUM fieret, se deum „esse, & Quirinum vocari.

Subornatus Proculus.

DCCV. Lactantius subornatum a Senatoribus Proculum refert, per perjurium edidisse; unde Divus Cyprianus libro *de Idol. vanit. Est Romulus pejerante Proculo deus factus.* Tertullianus lib. 4. *adversus Marcionem* cap. 7. id ipsum inculcat: „Indignum denique ut Romulus quidem „adscensus sui in cælum habuerit Proculum affirmatorem, Christus vero descensus de cælo sui non invenerit annuntiatorem, quasi non sic & ille adscenderit „iisdem mendacii scalis, sicut & iste descendit. Div. August. l. 3. *de Civit. Dei* c. 15. „Viderint quidam Scriptores eorum, „qui Romulum propter ferocitatem a Senatu discerptum esse dixerunt, suborna-

* Alii melius, *Proculus Longa*. †Rescr. *placentque*. * Emend. *fiunt*. † Leg. *sanguen*.

„tumque nescio quem Julium Proculum, „qui eum sibi apparuisse diceret, eumque „per se populo mandasse Romano, ut inter numina coleretur. Nec aliter Justinus Martyr in *Apologia* 2. Gentiles perjurio reos premit, morisque meminit in consecratione Imperatorum: „Porro cur morientes apud vos semper immortalitati „consecrare dignamini, producentes „quempiam, qui jurejurando confirmet „vidisse se e rogo in cælum adscendere ardentem Cæsarem.

Mos circa mortuos immortalitati donatos.

DCCVI. Invaluit hic mos consecrandi mortuos immortalitati, ut inter numina colerentur usque ab Romuli tempestate qua vixit; Divus Cyprianus *de Idolor. vanit.* „Romanorum vernaculos deos novimus, est Romulus pejerante Proculo „deus factus, & Picus, & Tiberinus, & „Pilumnus, & Consus, quem deum fraudis velut Consiliorum deum coli Romulus voluit, postquam in raptum Sabinarum perfidia pervenit, deam quoq; C loacinam Tatius adinvenit & coluit, &c. Quem iterum Imperatores revocarunt, ut Tacitus, Suetonius, Appianus, Vellejus, Dionysius, Jornandes, Gneus Gellius, cæterique scribunt. Dio *lib.* 44 de Cæsare: *Aram quamdam in loco, ubi pyra fuerat, cum extruxissent, aggressi sunt sacrificare in ea, & initiari Cæsari ut deo.* Virgil. Georg. lib. 1. ad Augustum vers. 24.

Virg. adulatio in Aug.

Tuque adeo, quem mox quæ sint habitura deorum
Concilia, incertum est, Urbis-ne invisere Cæsar,
Terrarumque velis curam, & te maximus Orbis
Auctorem frugum, tempestatumque potentem
Accipiat, cingens materna tempora myrto;
An deus immensi venias maris, ac tua nautæ
Numina sola colant; tibi serviat ultima Thule,
Teque sibi generum Tethys emat omnibus undis:
Anne novum tardis sidus te mensibus addas,
Qua locus Erigonem inter Chelasque sequentes
Panditur: ipse tibi jam brachia contrahit ardens
Scorpius, & cæli justa plus parte relinquit.

Lucanus *lib.* 1. vers. 45.

—— te cum statione peracta
Astra petes serus, prælati Regia cæli
Excipiet gaudente polo, seu sceptra tenere,
Seu te flammiferos Phœbi transcendere currus,
Telluremque nihil mutato Sole timentem
Igne vago lustrare juvat; tibi numine ab omni
Cedetur, jurique tuo natura relinquet
Quis Deus esse velis; ubi Regnum ponere Mundi.

Manilius lib. 1. *Astron.* vers. 9.

Nunc † mihi tu Cæsar Patriæ Princepsque paterque,
Qui regis augustis parentem legibus Orbem,

† Leg. *Hunc*.

Concessumque patri Mundum deus ipse mereris,
Das animos †, viresque facis ad tanta canendum.

Arbores ante domum Augusti. Ovidius quam sæpe, Valerius Flaccus, Statius; unde cum ante valvas domus Augustæ duæ arbores lauri essent, quibus meminit Plinius *lib.* 15. *cap.* 30. & Dion Nicæus, eleganter Publius Naso lib. 3. *Trist.* in elegia 1. quam in ædes Augusti Palatinas Romam transmittit, sic ait:

Inde petens dextram, Porta est, ait, ista Palati;
Hic Sator, hoc primum condita Roma loco est.
Singula dum miror, video fulgentibus armis
Conspicuos postes, tectaque digna deo,
En Jovis hæc, dixi, domus est; quod ut esse putarem,
Augurium menti querna corona dabat.
Cujus ut accepi dominum, non fallimur, inquam;
Et magni verum est hanc Jovis esse domum.
Cur tamen apposita venatur janua lauro,
Cingit & augustas arbor opaca comas?*
An quia perpetuos meruit domus ista triumphos?
An quia Leucadio semper amata deo est?

Cæterum passim plura Vatum carmina, quæ deos Principes mortuos vulgant, in trivio decantantur.

Romulus fit deus. DCCVII. Ergo Romulus pejerante Julio Proculo fit deus apud homicidas, ipsique interfectores Quirinum vocant interfectum ac numen; potissima fuit ratio desiderium, quo cives erga eum tenebantur, ut Livius ait. Unde sic Majores nostri Reges velut deos fere semper habuerunt. Audi Lactantium lib. 1. *de falsa Rel.* c. 15. ,, Non ,, est dubium, quin illis temporibus homi- ,, nes Regem ipsum, totamque gentem ,, summis laudibus ac novis honoribus ja- ,, ctare cœperint, ut etiam deos appella- ,, rent, sive ob miraculum virtutis, sive in ,, adulatorie †† præsentis potentiæ, sive ob ,, beneficia, quibus erant ad humanitatem ,, composita. Deinde ipsi Reges cum chari ,, fuissent iis, quorum vitam composuerant, ,, magnum sui desiderium mortui reliqué- ,, runt. Itaque homines eorum simulacra ,, finxerunt, ut haberent aliquod ex imagi- ,, num contemplatione solatium. Tullius *de Natura Deor.* id firmat: ,, Suscepit au- ,, tem vita hominum, consuetudoque com- ,, munis, ut beneficiis excellentes viros in ,, cælum fama ac voluntate tollerent; hinc ,, Hercules, hinc Castor, hinc Pollux, ,, hinc Æsculapius, hinc Liber. Clarius Divus Cyprianus *de Idol. vanit.* ,, Reges ,, olim fuerunt, qui ob regalem memoriam ,, coli apud suos etiam postmodum in mor- ,, te cœperunt; inde illis instituta templa, ,, inde ad defunctorum vultus per imagi- ,, nem detinendos expressa simulacra; nam ,, & immolabant hostias & dies festos dan- ,, do honores celebrabant, unde posteris ,, facta sunt sacra, quæ primitus fuerant ,, assumta solatia. Et sequitur id probare ex Melicerte & Leucothea, Æsculapio, Hercule, Apolline, Neptuno, Jove, & Saturno; qui latuit, & Latium de suo nomine dixit. Probat insuper Athenagoras Philosophus excultissimus firma eruditione præditus in *Legat. pro Christ.* ubi ait: ,, Quid est, quod Ino fœminam post suum ,, furorem, & quæ in illo perpessa est, ,, deorum ordini adscìscunt?

Periclitantes in mari hanc cognomine
Divam vocabunt Leucotheam.

,, Et de filio,

Nautæ invocabunt opiferum Palæmonem.

,, Quod si reprobi etiam & Deo invisi ho- ,, mines in deorum numerum relati sunt, ,, & Dercætus filia Semiramis libidinosa ,, & sanguinaria mulier Syriæ deæ nomine ,, culta est, & propter eamdem Dercætum ,, columbas & Semiramin honorant Syri, ,, (in columbam enim mutata est mulier, ,, ut nugatur Ctesias) quid mirum si impe- ,, rio & tyrannide florentes aliqui a subdi- ,, tis deorum nomine nuncupati sint? con- ,, sensit nobis Sibylla, cujus & Plato me- ,, minit;

Exstitit in terris decimum mortalibus ævum,
Postquam diluviis homines periere priores;
Porro Saturnus, & Titan, Tapetusque †
Regnarunt: cælo quos & tellure creatos
Dixerunt homines, Terræ Cælique vocantes
Nomine, quod cunctos homines virtute præirent.

Hactenus Athenagoras, cui adde Arnobium, Minucium Felicem, & Tertullianum.

DCCVIII. Sed de nomine Quirini aliquid dicendum restat; Romulus etenim, ut Quirinum ipsum dicerent, jussit. *Quirini nomen unde dictum?* *Quirinum quasi bellorum potentem*, inquit Macrobius in *Saturnal.* lib. 1. cap 9. *ab hasta, quam Sabini Curim vocant.* Becmanus, *a* κῦρος, κύριος, *a dignitate & præstantia; sive ab hasta, quam ille gesserat: Hebræis enim* כר, *car, est hasta, item cohors militum lanceam gestantium; a Radice* כרה, *idest, scidit securi, dissecuit, excidit. Helias Huterus* כרתים *interpretatur milites, Curetes, Quirites, a* כרת *Carath: unde etiam* Kerethi *&* Pelethi, *hoc est, stipatores, & satellites, qui custodiæ & magnificentiæ causa adhibiti sunt.* Festus Pompejus hanc & alteram etymi nomenclaturam expendit: ,, Curis est Sabine hasta: unde Romulus ,, Quirinus, quia eam ferebat, est dictus: ,, & Romani a Quirino Quirites dicuntur. ,, Quidam eum dictum putant a Curibus, ,, quæ fuit urbs opulentissima Sabinorum. Cæterum Clemens Alexandrinus, M. Varro, Plutarchus, & fere omnes eadem firmant; omnia vero Publius Naso complectitur, ubi de consecratione Romuli apud deos inter numina excepti, ac de ejusdem festo, sic canit lib. 2. *Fast.* vers. 475.

Proxima lux vacua est; ac tertia dicta Quirino:
Qui tenet hoc nomen, Romulus ante fuit.

† Refer *animum.* * Alii rectius, *fores.*
†† Rest. *adulationem.*

† Rep. *Japetusque.*

Sive quod hasta curis priscis est dicta Sabinis;
(Bellicus a telo venit in astra deus)
Sive suo Regi nomen posuere Quirites;
Seu quia Romanis junxerat ille Cures.
Nam pater omnipotens † postquam nova mœnia vidit,
Multaque Romulea bella peracta manu,
Juppiter, inquit, habet Romana potentia vires:
Sanguinis officio non eget illa mei.
Redde patri natum; quamvis intercidit alter,
Pro se, proque Remo, qui mihi restat, erit.
Unus erit, quem tu tolles ad sidera cæli;
Tu mihi dixisti: sint rata dicta Jovis.
Juppiter annuerat, nutu tremefactus uterque
Est polus, & cæli pondera movit Atlas.

Idem *ibid.* vers. 127.

Sancte pater Patriæ, tibi Plebs, tibi Curia nomen
Hoc dedit, hoc dedimus nos tibi nomen equos.*
Res tamen ante dedit; sero quoque vera tulisti
Nomina; jam pridem tu pater Orbis eras.
Hoc tu per terras, quod in æthere Juppiter alto,
Nomen habes: hominum tu pater, ille deum.
Romule, concedas; facit hic tua magna tuendo
Mœnia.

Et sæpe apud Horatium, Prudentium, Propertium, Virgilium, ac Lucanum Quirinus nuncupatur.

Reges suos colere cunctarum nationum mos.

DCCIX. Tandem nota fere cunctas terrarum Orbis nationes Reges suos velut deos coluisse; quod Lactantius Firmianus lib. 1. *de falsa Religione* cap. 15. sic asserit: „ Privatim vero singuli populi, gentis, „ aut urbis suæ conditores, seu viri fortitudine insignes erant, seu fœminæ castitate mirabiles, summa veneratione „ coluerunt; ut Ægyptii Isidem, Mauri Jubam, Macedones Cabyrum, Pœni Uranum, Latini Faunum, Sabini „ Sancum, Romani QUIRINUM. Eodem utique modo Athenæ Minervam, „ Samos Junonem, Paphos Venerem, „ Lemnos Vulcanum, Naxos Liberum, „ Apollinem Delphi. Sic per populos atque regiones varia sacra suscepta sunt, „ dum homines grati esse in suos Principes cupiunt. Hactenus ille.

Templum Rom. erectum.

DCCX. Romulo deinde templum erexerunt in Colle Quirinali, sic ab ejus cultu, vel Tatio, ut placet Varroni ac Festo, nuncupato, ac diem elevationis ejus Græci *Poplifugium* dixerunt, causamque reddit Dionysius: *διὰ τοῦτό γε οὖν φασι τὴν ἡμέραν ἐν ᾗ τὸ πάθος ἐγένετο, τῆς τροπῆς τοῦ πλήθους ἐπώνυμον εἶναι, καὶ μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων, ὄχλου φυγὴν καλεῖσθαι*, *ideoque diem ejus casus hodieque averso in fugam populo, Poplifugii nomen retinere*: & Scholiastes Ovidii sic habet: *Græci inquiunt diem illum ὄχλου φυγὴν, id est, plebis fugam*, Romani *Poplifugia* appellarunt, *ut habet vetus Kalendarium*. De Etymo differitas apud Antiquos, vide M. Varronem l. 5. *Linguæ Latinæ*, Dionysium lib. 2. *Antiquit. Rom.* & Macrobium.

* Rescr. *Eques*.

DCCXI. Ultimo Dionysius scribit raptum fuisse, sive interfectum Romulum, *nulla ex se relicta prole*. Ovidius vero lacrymas Hersiliæ, quam Romuli uxorem appellant Livius, Dionysius, ac Plutarchus, recenset; sed a Junone missa Iride consolatur, inde Hersilia Iride præeunte in Collem Quirinalem se confert, ubi Romulum videns hilaris astra petit, ac deinde ORA *dea* nuncupatur, quod ille lib. 14. *Metamorph.* Iridem loquentem sic facit vers. 832.

Hersilia Rom. uxor Ora dea dicta.

O & de Latia, o & de Gente Sabina
Præcipuum matrona decus, dignissima tanti
Ante fuisse viri conjux, nunc esse Quirini,
Siste tuos fletus; & si tibi cura videndi
Conjugis est, duce me lucum pete, Colle Quirino
Qui viret, & templum Romani Regis obumbrat.
Paret, & in terram pictos delapsa per arcus
Hersiliam jussis compellat vocibus Iris.
Illa verecundo vix tollens lumina vultu,
O Dea (namque mihi, nec quæ sis dicere promtum est,
Et liquet esse deam) duc, o duc, inquit, & offer
Conjugis ora mei; quem si modo posse videre
Fata semel dederint, cælum adspexisse fatebor.
Nec mora, Romuleos cum virgine Thaumantea
Ingreditur Colles: ibi sidus ab æthere lapsum
Decidit in terras, a cujus lumine flagrans
Hersiliæ crinis cum sidere cessit in auras.
Hanc manibus notis Romanæ conditor Urbis
Excipit; & priscum pariter cum corpore nomen
Mutat, ORAMQUE vocat, quæ nunc dea juncta Quirino est.

Hactenus Publius Naso: & de Hersilia dea Ennius *Ann.* lib. 1. sic inquit,

Teque Quirine pater venerande, Oramque Quirini.

Et Romani eam in comprecationibus cum Neriene Martis uxore invocare consueverunt, ut Scholiastes hic animadvertit, quem si nosse lubet, Criticos consule.

Cum Martis uxore invocatur.

CAP. LVIII.

Romulus Legislator, ejusque duodecim leges exhibentur & illustrantur.

Lex Reip. munimentum.

DCCXII. Leges urbium regnorumque munimentum insigne Deo feruntur auspice, & Reges utplurimum viriq; Legislatores præstantissimi, post deorum oracula, numen utplurimum passi, illas

illas evulgant; sunt namque, auctore Xenophonte, *fulcimentum Reipublicæ*: bene beateque ad vivendum omnino præsunt, inquit Socrates: enimvero scibit Plato lib. 4. *de Legibus*; *Necesse est leges hominibus ponere, ut secundum leges vivant: nam si absque his viverent, nihilo a feris atrocissimis discreparent: cujus rei causa est, quia nullius hominis ingenium ita natura institutum est, ut quæ ad publicum humanæ vitæ bonum conferunt, sufficienter cognoscat; & si cognovit, ut optimum id quod novit semper agere possit ac velit*: pluribus hæc probat Aristoteles lib. 10. *de Moribus* cap. 9. & Theognidis testimonio demonstrat, verba non sufficere ad recedendos * homines probos: „ Quapropter, *ait*, sunt qui censeant „ Legislatores oportere invitare ad virtu„ tem ac provocare homines honestatis „ causa, eo quod probi ex consuetudine „ præcipue obtemperaturi sunt: illis vero, „ qui non parent, suntque natura ineptio„ res, castigationes & pœnas irrogare: qui „ autem insanabiles sunt, prorsus exter„ minare. Ideo recte Archytas Tarentinus, e Pythagoreorum Schola illustris Philosophus, ubi de lege & justitia disseruit apud Stobæum, inquit *Serm.* 41. „ Omnis ho„ minum cœtus ex Principibus, ac Subdi„ tis, & Legibus consistit: Lex alia ani„ mata, nempe Rex est; alia inanimata, „ scilicet scripta; & hæc quidem lex parti„ bus Reipublicæ cæteris præferenda est: „ hujus enim conservatione Rex legiti„ mus erit, Princeps seu Magistratus suo „ officio satisfaciet, Populus erit liber, u„ niversus autem cœtus felix futurus est. „ In ejusdem violatione, Rex tyrannus „ fiet, Magistratus officio suo deerit, Po„ pulus servus, totus denique cœtus infe„ lix evadet. Hæc ille: œconomicam namque ac politicam Legislatorem respicere in constituenda Reipublicæ felicitate compertum est; unde Diotogenes Pythagoricus in libro *de Sanctitate* ait: *Lex præses ac Auctor eorum est, quæ juxta humanos mores ad concordiam civilem perducunt*: suadet namque bonum, malos vero ab impietate deterret, ut voluntas, a qua hominum actus procedunt, libertatis usu excellens, civiliter agat, ut sit homo homini Deus; videlicet Deum colat ac parentes, suumque proximum charitate prosequatur, honesto vivendi studio, ut simul plerique degere valeant, ad constituendam Rempublicam idonei: hoc bonum quod congregat, malum vero quod geritur ad destructionem urbium, procedit a voluntate hominum; ideo illam allicere præmiis, pœnisque simul deterrere Legislatorem oportet: occinitque Prudentius lib. 2. *in Symmachum*, qui a fato humanos actus pendere putabat;

Lex animata, & inanimis.

Ejusdem emolumenta.

Allicere præmiis, pœnisque deterrere oportet.

—— dicant cur condita sit LEX
Bis sex in Tabulis? aut cur rubrica minetur;
Quæ probibet peccare reos, quos ferrea fata
Cogunt ad facinus, & inevitabile mergunt?

Adversus illos qui fata promovent inniti-

A tur, & a voluntate, quam legibus cohibere expedit, facinora tanquam a fonte emanare declamat; sic fatuum hoc Manichæorum fatum inter vulnera sapientum militat, illudque evincit Didymus libro *adversus Manichæos* edito, dicens: *Lex Creatoris hortatur, & roborat, atque adjuvat ad virtutem, dehortans naturam a vitio: virtutis nempe & vitii sunt potestates & electiones*. Si quandoque labitur demersus vitiorum eluvie homo malignantibus æmulatus: *Lex Domini sancta convertit animas*, ne abeant in consilio impiorum, neve stent in via peccatorum, & in cathedra pestilentiæ non sedeant; hinc concludit Prudentius,

Manichæi Fatum refellitur.

B

Nemo nocens, si fata regunt, quod vivitur, ac fit;
Imo nocens, quicumque volens, quod non licet, audet;
Alterutrum quia velle suum est, nec fata reatum
Imponunt homini, sed fit reus ipse suopte
Arbitrio, placitumque nefas & facta rependit
Impia suppliciis, merito, non sorte peremtus.

C

DCCXIII. Utrumque igitur complectitur Romulus, & ex pluribus Gentium & Regionum consuetudinibus, præclarisque legibus, Urbem ornat ac fovet, ut imperet: etenim, inquit Dionysius, Thuscorum, Lacedæmonum, Græcorumque ritus, iique antiquissimi ab atavis Aboriginum & Albanorum exculti florent in Urbe; quod Archytas in libro *de lege & justitia* adamussim confirmat: „ Oportet sa„ ne ut tum Lex tum Respublica, quæ ex„ cellere debent, ex omnibus Rerumpu„ blicarum formis constet: ita ut & popu„ laris aliquid insit, & paucorum, & re„ giæ, & optimatum aliquid Reipubli„ cæ: ad hunc modum Lacedæmoniorum „ Respublica composita est: in ea enim „ Monarchia ad Regem, Aristocratia ad „ Senes, Oligarchia ad Ephoros, Demo„ cratia denique ad Hippagretas & Coros „ pertinet. Institutionem hanc e vestigio apud Romanos induxisse Romulum, ex ejus gestis quisque deprehendet.

Romulus legibus Urbem ornat.

D

E

DCCXIV. Leges, quæ teste Diogene apud Laertium indigent urbe, cum præcipue urbes illarum* quam maxime indigeant, Romulus præstantissimus primum edidit, quas etsi passim quamplurimas autument, sufficit, dum Plutarchum, Dionysium, Cornelium Nepotem, Ennium, Dioclem Peparetium, Fabium Pictorem, Cononem Atheniensem, M. Varronem, Festum Pompejum, ac Livium sequimur, duodecim Capita perstringere, ut vel sic expensæ facilius prodeant, ac illustrentur Scriptorum sapientissimorum oraculis.

F

DCCXV. Sic primum tamquam in vestibulo animadvertendum, verba legum barbarie respersa rustico adhuc sæculo Romanorum prodiisse; nam juxta sermonem, quo utebatur vulgus, scriptitarunt Legislatores, sive Romulus, sive

* Resc. *reddendos*.

* Videtur leg. *illis*.

A Numa Pompilius, sive Tullus Hostilius, sive Decemviri, quorum verba refert Tullius in libro *de Legibus*, nec semel Aulus Gellius, Macrobius, M. Varro, Nonius, Fabius Pictor, Seneca, Fenestella, Pompejus, Pomponius, aliique passim. Unde verum est quidquid Curius Fortunatianus Rhetor præstantissimus inquit, Romanos aliter scripsisse, aliter inter mutua colloquia pronunciasse; nam quam maxime eumdem calamum extrahebant, linguam vero juxta rude eloquium plebis; sicut etenim Itali diversimode calamum exercent ac sermonem, ipsique Etruriæ incolæ, sic & Romani. B

§. I.

Lex prima, *Deos patrios coluuto, externas superstitiones, aut fabulas ne admiscento.*

Lex I. Dii Rom. Penates.

DIis patriis Romam stetisse Scipio apud Silium Italicum *l.* 4. vers. 672. testatur, C

Di patrii, quorum auspiciis stat Dardana Roma.

Ipsorum meminit Tullius *Orat. pro Sestio*, ac Festus Pompejus, & Virgilius libro 1. *Georg.* ni fallor, sunt Mars, Testa, Phœbus, Juppiter, sive mavis Penates, ut Ovidius ultimo *Metamorph.* decantat, quos si cum Penatibus confundere volumus, Festus Pompejus inquit eorum nomina fuisse arcana, ut Macrobius, Solinus, Plinius, Servius, Verrius Flaccus, Pierius Valerianus, ac fere omnes tradunt. Divus Cyprianus *de vanitate Idolorum* testatur Facinum *, Picum, Tyberinum, Consum, & Pilumnum velut deos coli Romulum sanxisse. Sed Sempronius ignotos omnino etiam inter Romanos fuisse tradit, hinc deos patrios venerabantur anonymos: Virgilius lib. 1. *Georg.* vers. 498. D

Dii patrii anonymi apud eosdem.

Di patrii Indigetes, & Romule, Vestaque mater,
Quæ Thuscum Tyberim & Romana Palatia servas:
Hunc saltem everso juvenem succurrere sæclo
Ne prohibete. E

A diis incipit, ut Solon & Lycurgus. Tullius *de Leg.* lib 2. *Ad divos adeunto caste, pietatem adhibento, opes amovento: qui secus faxit, deus ipse vindex erit.* Nec aliter Socrates apud Platonem, unde Plutarchus *Romulum mire religiosum fuisse* tradit.

Fabulæ non admittendæ.

De fabulis exterorum non admittendis, vide quæ Plato apud Plutarchum *de Aud. Poet.* inquit, & Tullium: fabulæ, ait Phavorinus, enervant animos; unde Lycurgus procul a civibus expellendas censuit. F

* Rest. *Faunum.*

§. II.

Lex secunda, *Ne quid inauspicato publice gerunto.*

Lex II. De Auspiciis.

HAnc legem Decemviri tandem revocarunt: *Auspicia Patrum sunto ollique ex se prodeunto, qui Comitiis creare Consules rite possint omnes magistratus, auspicium, judiciumque habento, ex iisque Senatus esto.* Apud Livium *l.* 6. Appius Patricius sic loquitur; *Sunt auspicia more Majorum penes Patres: nam plebejus quidem Magistratus nullus auspicato creatur.* Virgilius lib. 4. *Æneid.* vers. 45.

Dis equidem auspicibus reor, & Junone secunda.

Tullius lib. 2. *de Leg.* „ Interpretes Jovis „ Opt. Max. publici Augures signis & prodigiis postea vidento, disciplinam tenento. Sacerdotes vineta, virgetaque, & „ salutem populi auguranto; quique agent „ rem duelli, quique popularem, auspicium præmovento, ollisque obtemperanto, divorum iras providento, iisque „ apparento, cælique fulgura regionibus „ ratis temperanto, Urbemque, & agros, „ & templa libera & effecta habento, quæque Augur injusta, nefasta, vitiosa dixerit, irrita, infecta sunto: quique non „ paruerit, capital esto. Hactenus ille: & cultum consule apud Livium de Numa in Regem electo, apud Plutarchum de Marcello, qui Magistratu se abdicavit. Dares Phrygius *l.* 4.

—— Balearius Augur
Gentiles distinguit aves, vel voce, vel alis,
*Vel gestu vario venturis omnia * poscens.*

Vide Tacitum lib. 2. *Annalium*, Plutarchum in *Dione*, Plinium *lib.* 28. *cap.* 2. Livium *libro* 23. & passim quamplures alios.

§. III.

Lex tertia, *Nocturna sacrificia, pervigiliaque amoventor.*

Lex III. de nocturnis sacrificiis.

VEteres noctu sacrificare solebant; hinc Hesiodus monet *Op. & Dies* vers. 336.

Ἄλλοτε δὴ σπονδῇς θυέεσσί τε ἱλάσκεσθαι,
Ἠ μὲν ὅτ' εὐνάζῃ, καὶ ὅταν φάος ἱερὸν ἔλθῃ.
Interdum certe libaminibus atque hostiis placa deos,
Et quando cubitum ieris, & quando lux sacra venerit.

Quod Papinius Statius *lib.* 2. in Noctis Hymno decantat, præcinerantque Orpheus ac Hesiodus.

* Leg. *omina.*

Sed cur Romulus nocturna sacrificia amoveat, suspicor, quia noctu Veneri indulgent, ac diis Inferorum Veteres sacra peragebant; utrumque nefastum: ex Atheniensium more, qui noctu Bacchanalia, Cottyttia*, & alia Inferorum sacra, Proserpinæ celebrabant: Poeta utrumque premit,

Romulus cur ea amovet?

Noctu Veneri sacrificabatur.

Nox, & amor, vinumque nihil moderabile suadent.
Illa pudore vacat, vina, Venusque metu.

Tibullus *lib.* 1. *el.* 5. vers. 15.

Ipse ego velatus filo, tunicisque solutis
Vota nomen † Veneri nocte silente dedi.

Statius de equo maximo Domitiani lib. 1. *Silv.* vers. 98.

—— huc & sub nocte silenti
Dum Superis terrena placent, tua turba relicto
Labetur cælo, miscebitque oscula juxta.

Hæc Venerea indignum aris amasium scortumque reddebant: Tibullus *lib.* 2. de agri lustratione *eleg.* 1.

*Vosque abesse procul jubeo: discedite** ab aris,*
Cui tulit hesterna gaudia nocte Venus:
Casta placent Superis; pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Mane Vestales litabant.

Mane Vestales veste sacra solvebant, ut Plutarchus, Cornelius Nepos, Valerius Antias, Livius, Licinius Macer de Rhea Sylvia scripserunt; & mane apud Homerum Nestor sacrificabat; Magi Persarum semper diluculo, simulque Gymnosophistæ, & Apollonius Thyaneus *primo mane cum diis esse versandum* docebat. Vide Philostratum.

Diis inferis noctu.

Secundo diis Inferorum noctu libabant, cum vero, teste Platone, quæ de Inferis dicuntur, juvenum deterrent animos, unde & ille Poetas & præcipue Homerum de Rhadamantho & Minoe, Furiis, ac igne autumantem, ab sua expulit Republica, & Plutarchus ac Tullius in *Tuscula is* referunt, non mirum si Romulus sacrificia nocturna prohibuit.

§. IV.

Lex quarta, *Rex Sacrorum Præses, Legum custos esto; Judicia exerceto; bell. imperium habeto.*

Lex IV. De Rege sacro.

Forsan Sacrificulum sacrum Regem nuncupavit. Livius *lib.* 2. *Regem sacrificulum creant: id Sacerdotium Pontifici subjecere, ne additus nomini honos aliquid libertati, cujus tunc prima erat cura, officeret.* Ipsius meminere Tullius, Varro, Dionysius, & Ovidius *Fast.* lib. 2. de Februa dea vers. 21.

Pontifices a Rege petunt & Flamine lanas,
Queis vetere in Lingua Februa nomen erat.

Et basis marmorea apud ejusdem Scholiastem semifracta Regis ac uxoris Reginæ nomen exhibet:

REX SACRORVM AVGVR
CVM MANLIA L. F. FADILIA
REGINA SACRORVM
PATRI CARISSIMO.

Rex Sacrificulus.

Sic nuncupabatur, ait Paullus ex Festo Pompejo, *quia ea sacra, quæ Reges facere assueverant, fecisset.* Gracchius * *lib.* 1. *cap.* 2. „ Regis Sacrorum sacerdotium „ majus multo illustriusque erat quam Fla„minum, ut qui in Regis locum (quod „ quidem ad sacra attinet) successerat; „ ideoque ei, & nomen Regis, & ornatus „ regius relictus erat. Post exactos Reges a Bruto cæterisque Rex Sacrificulus factus est Manius Papyrius, ut Dionysius, & Livius, ac Plutarchus in *Probl.* scribunt. Legum ergo cura, quia inter ea præcipue sanctiora colebantur, apud ipsum erat, sic & judicia circa auguria, an auspicato Magistratus inirent fœdera, bella, cæteraque similia.

Apud eundem judicia & auguria.

Ex pullis belli auguria.

Sed cum inquit, *belli imperium teneto*, sensus est, quod absque pullorum capto omine ad bellum non procedebant Veteres, ut Minutius Felix, Divus Cyprianus, Dionysius, Isidorus, & Aulus Gellius, qui sic ait *l.* 6. *c.* 6. † „ Tripudio augu„rium accipiebatur ex pullis modo galli„naceis,quos in cavea inclusos asservabant „ pullarii, quibus e cavea eductis pastus „ objiciebatur, tumque ex pascendi ratio„ne, cæteroque gestu pullorum, augu„rium accipiebat pullarius, quod deinde „ ad Magistratum referebat, &c. ex quo an procedendum ad certamina omen erat; vide Livium *dec.* 1. *l.* 10. ubi de Sp. Papyrio, Valerium Maximum *lib.* 1. *cap.* 4. de Publio Claudio bello Punico primo tunc urgente, & de C. Hostilio, quod totum Tullius lib. 1. *de Divinat.* enarrat. Spectabat itaque ad Regem Sacrificulum omen exceptum probare, & belli expeditionem permittere juxta augurium.

* Rep. *Cocytia.*
† Emend. *novem;* Notasque Illustriss. Scaligeri ibi vide is.
** Rescr. *discedat.*

* Rep. *Gruchius.*
† Hæc oscitanter exscripsit Auctor noster ex Gruchio mox cit. *de Comit. Roman.* lib. 1. cap. 4. cujus sunt verba quæ hic afferuntur, non vero A. Gellii: consule locum; ac errorem facile deprehendes.

§. V.

Lex quinta, *Patres Sacerdotia ac Magistratus capiunto, Plebis Patroni sunto.*

Lex v. Quid Pater significet?

PAtres Senatores appellat, ut ex Plutarcho, Publio Nasone, Dionysio, ac Festo diximus, forsan etiam Patritios comprehendit. Pater apud Varronem lib. 4. *Linguæ Latinæ* dicitur ex eo, quod *patefaciat omnia*, quod ad Senatores spectabat; Livius *lib.* 1. *Quirites Regem create, ita Patribus visum*. Erant etenim Patres auctores horum quæ fiebant, ut Appianus in concione sua, quæ est apud Livium *lib.* 6. vulgat, quod Appianus lib. 1. *Belli Civil.* ubi de Sylla, & Livius denuo *lib.* 8. ubi de P. Philone Dictatore agunt.

Pontifices ex Ord. Senat.

Sacerdotia & Magistratus nonnisi Senatorii viri exercebant. Lege Macrobium de Metello Pontifice, Suetonium de Cæsare, & Plinium, qui *lib.* 4. epistola 11. de Domitiano Imperatore sic ad Minutianum scribit: „ Domitianus Pontificis Maximi „ jure reliquos Pontifices in Albanam Vil„ lam convocavit. Zosimus *lib.* 4. *cap.* 36. Τοῦτο παραλαβόντες ἀφ' Ἑλλήνων Ῥωμαῖοι τοὺς πρώτην τὴν παρ' αὐτοῖς ἱερατικὴν ἔχοντας τάξιν, Ποντίφικας προσηγόρευσαν· οἷς συναριθμεῖσθαι τοὺς Βασιλέας, διὰ τὸ τῆς ἀξίας ὑπερέχον, ἐνομοθέτησαν. *Romani hoc mutuati a Græcis eos, qui principem in sacrificiis locum tenerent, Pontifices vocarunt: quibus adcenturiari Reges propter dignitatis excellentiam censuerunt.* Et antequam essent Imperatores, semper Pontifices & Magistratus a viris Senatoriis eligebantur. Livius *lib.* 5. *decad.* 4. „ Aliquot publici Sa„ cerdotes mortui eo anno sunt, L. Cor„ nelius Lentulus Pontif. Max. & C. Pa„ pyrius, C. F. Masso Pontifex in Lentu„ li locum, M. Cornelius Cethegus in Pa„ pyrii, Cn. Servilius Cæpio Pontifices „ suffecti sunt. Omnes viri Patricii & Senatoria dignitate decorati.

Plebis Patroni sunto. Plutarchus in *Romulo*, *Patros dictos ferunt a patrocinio*. Paullus ex Festo Pompejo: „ Patronus ab „ Antiquis cur dictus sit, manifestum est; „ quia ut patres filiorum, sic numerari in„ ter dominos clientum consueverunt: sic præstantiores opem plebeiis ferre debebant. Sicut Patronus Evandri socius, qui egenos ac pauperes a diripientibus se, teste Plutarcho, eruebat.

Unde Patres dicti?

§. VI.

Lex sexta, *Populi suffragia sunto; Magistratus creanto; Leges sciscunto; Pacem bellumque jubento.*

Lex vi. Quid sit populus?

POpulus fere Urbis universa multitudo nuncupatur, ut Labeo apud Festum Pompejum docet, antea Gn. Gellius, & Verrius Flaccus, ac patet ex Livio, Cornelio Nepote, Licinio Macro, ac Dionysio. Festus hanc legem dilucidat: „ Popu„ li commune est in legibus ferendis cum „ Plebe suffragium; nam Comitia Centu„ riata ex Patribus & Plebe constant in „ Centurias divisis. Cicero *pro Sestio*: „ cum & sacratis Legibus & duodecim „ Tabulis sanctum esset, ut neque privile„ gium irrogari liceret, neque de capite ci„ vis, nisi Comitiis Centuriatis rogari: & lib. 3. *de Legibus* firmat hanc legem denuo.

Ergo Populus Comitia agebat, suffragia præstabat, creabat Magistratus, ac decernebat; audi Gracchium * *lib.* 2. *cap.* 2. „ Erant autem ordinarii Magistratus, qui „ iis Comitiis creabantur, omnes minores „ Magistratus, qui singulis annis ad suum „ munus ordinarium in Urbe obeundum a „ Populo creabantur: in quo genere erant „ Ædiles Curules, Tribuni Plebis, Ædi„ les Plebis, Triumviri Capitales, & Tri„ umviri nocturni, & Triumviri auro, æ„ ri, argento flando feriundo præfecti, „ Quæstores, Tribuni militum: neque „ enim plures ordinarii Magistratus mino„ res in Urbe fuerunt usque ad Rempubli„ cam a Cæsare Dictatore occupatam. Tandem consule Fabium Pictorem, M. Varronem, Gneum Gellium, Paullum, Festum Pompejum, Livium, ac Dionem, qui diversimode populorum jura expendunt, enarrantque.

Magistratus creabat Populus.

Hæc lex fuit exhibita post mortem Numitoris, qui fuit ultimus Rex Albæ, de quo sic Plutarchus in *Romulo*, Ἐπεὶ δὲ τοῦ πάππου Νομήτορος ἐν Ἄλβῃ τελευτήσαντος, αὐτῷ βασιλεύειν προσῆκον, εἰς μέσον ἔθηκε τὴν πολιτείαν δημαγωγῶν, καὶ κατ' ἐνιαυτὸν ἀπεδείκνυεν ἄρχοντα τοῖς Σαβίνοις. Ἐδίδαξε δὲ καὶ τοὺς ἐν Ῥώμῃ δυνατοὺς ἀβασίλευτον ζητεῖν καὶ αὐτόνομον πολιτείαν. *At Romuli avo Albæ defuncto Numitore, licet regnum ad ipsum pertineret, Rempublicam in populi gratiam jussit liberam esse, ac Magistratum supremum Albanis quotannis crearet. Docuit eadem opera Principes Romanos liberæ & suijuris oculos adjicere Reipublicæ*. Forsan tunc motus Romulus, ut Populo gratum faceret, hanc legem edidit, quam postea potentes abrogarunt.

§. VII.

Lex septima, *Mœnia sancta existimanto.*

PLutarchus ex Diocle Peparetio, quem sequitur, in *Romulo* sic inquit: Ὁ δὲ οἰκιστὴς ἐμβαλὼν ἀρότρῳ χαλκῆν ὕνιν, ὑποζεύξας δὲ βοῦν ἄῤῥενα καὶ θήλειαν, αὐτὸς μὲν ἐπάγει περιελαύνων αὔλακα βαθεῖαν τοῖς τέρμασι, &c. Τῇ μὲν οὖν γραμμῇ τὸ τεῖχος ἀφορίζουσι, καὶ καλεῖται κατὰ συγκοπὴν Πωμήριον, οἷον ὄπισθεν τείχους, ἢ μετὰ τεῖχος. Ὅπου δὲ πύλην ἐμβαλεῖν διανοοῦνται, τὴν ὕνιν ἐξελόντες καὶ τὸ ἄροτρον ὑπερθέντες, διάλειμμα ποιοῦσιν· ὅθεν ἅπαν τὸ τεῖχος ἱερὸν πλὴν τῶν πυλῶν νομίζουσι· τὰς δὲ πύλας ἱερὰς νομίζοντας, οὐκ ἦν ἄνευ δεισιδαιμονίας,

Lex vii Mos ad Urbis mœnia.

* Leg. *Gruchium*.

τὰ μὲν δέχεσθαι, τὰ δ' ἀποπέμπειν τῶν τε ἀναγκαίων καὶ τῶν μὴ καθαρῶν. Conditor Urbis *aratro æneum vomerem adjungit, junctisque bobus mare & fœmina, ipse circum lineamenta profundum inducit sulcum, & cæt. Mœnia linea definiunt, idque elisis aliquot litteris Pomerium dicitur, quasi post, vel pone mœnia. Ubi portam designare visum est, vomere exemto atque aratro sublato, spatium relinquunt: unde totum habent murum præter portas sacrum: nam eas si ducerent sacras, religiosum esset necessaria & impura in Urbem recipere & exportare.* Hactenus ille; qui mos ab Etruscorum disciplina invaluit, teste Festo Pompejo, ceciditque Remus, hanc legem qui sprevit, sicut ex Eusebio, Dionysio, Zenodoto, Fabio, Cornelio Nepote, ac Publio Nasone diximus.

§. VIII.

Lex octava, *Uxor farreatione viro juncta in sacra & bona ejus ventio*, jus devortendi ne esto.*

Lex VIII. Uxor idem ac vir.

UXor idem ac vir censetur a Phavorino Philosopho, ac Hierocle Pythagorico: unde bona utrisque communia, quod, ubi de nuptiis scribam Deo favente, ostendam; nunc audi Dionysium lib. 2. *Antiq. Rom.* *Σωφρονοῦσα μὲν γὰρ καὶ πάντα τῷ γεγαμηκότι πειθομένη γυνὴ, κυρία τοῦ οἴκου τὸν αὐτὸν τρόπον ἦν, ὅνπερ καὶ ὁ ἀνήρ· καὶ τελευτήσαντος τοῦ ἀνδρὸς, κληρονόμος ἐγίνετο τῶν χρημάτων, ὡς θυγάτηρ πατρός· εἰ μὲν ἄπαις τε καὶ περὶ μηδενὸς διαθέμενος ἀποθάνοι, πάντων οὖσα κυρία τῶν ἀπολειφθέντων· εἰ δὲ γενεὰν ἔχοι, τοῖς παισὶν ἰσόμοιρος γινομένη. Uxor enim pudica & marito in omnibus obsequens, æque ac ille domus erat domina; & in ejus defuncti bona succedebat hæres, sicut filia in parentis: ex asse quidem, si is sine liberis ac intestatus decederet; quod si prolem haberet, ex æquo cum liberis.*

Plutarchus hanc legem duram appellat, expenditque, dicens: *Σφοδρὸς ὁ νόμος ἐστὶν, ὁ γυναικὶ μὴ διδοὺς ἀπολείπειν ἄνδρα, γυναῖκα δὲ διδοὺς ἐκβαλεῖν, ἐπὶ φαρμακείᾳ τέκνων, ἢ κλειδῶν ἀποβολῇ, καὶ μοιχευθεῖσαν. Dura est illa lex, quæ mulieri a viro vetat divertere, at viro permittit illam, veneficio sublatis liberis, vel subdito partu, vel adulterio admisso, repudiare.*

Adulteras necare licuit.

Cato in *Orat. de Dote*, *in adulterio uxores deprehensas jus fuisse maritis necare*. Quod Aulus Gellius *lib.* 10. *cap.* 23. firmat. Nihilominus, ut observo, & ante me Vinandus adnotavit, Romæ per annos DXX. nullum divortium fuit, ut Dionysius ac Valerius Maximus referunt.

Romæ per annos 520. nullum divortium fuit.

* Emend. *venito*.

§. IX.

Lex nona, *Si stuprum commisit, aliudque quid peccavit, Martius † Judex, & Vindex esto, deque eo cum cognatis cognoscito.*

Lex IX. de adultera morte plectenda.

AUlus Gellius *lib.* 10. *cap.* 23. ex Catone sic ait: „ Vir cum divortium fecit, mulieri Judex pro censore est; imperium, quod videtur, habet: si quid perverse tetreque factum est a muliere, mulctatur, si vinum bibit, si cum alieno viro probari * quid fecit, condemnatur. Palæstini ante Legem Moysis adulteram flammis comburebant, *Gen.* c. 38. 24. Lex Julia adulterium morte pensitabat, quam tandem abrogatam revocavit Domitianus, ut Juvenalis & Martialis scribunt. Euripides in *Troadib.* Menelaum loquentem sic facit vers. 1055.

Ἐλθοῦσα δ' Ἄργος, ὥσπερ ἀξία, κακῶς
Κακὴ θανεῖται, καὶ γυναιξὶ σωφρονεῖν
Πάσαισι θήσει· ῥᾴδιον μὲν οὐ τόδε,
Ὅμως δ' ὁ τῆς δ' ὄλεθρος εἰς φόβον βαλεῖ
Τὸ μῶρον αὐτῶν, κἂν ἔτ' ὦσ' ἐχθίονες.

Ubi vero venerit Argos, ut digna est, male
Mala morietur, & mulieribus, ut castæ sint,
Omnibus exemplum erit; facile quidem hoc non est,
Sed tamen hujus cædes in metum conjiciet
Fatuitatem illarum, etsi fuerint pejores.

§. X.

Lex decima, *Temetum mulier ne bibito.*

Lex X. Vinum fœminis interdictum.

TEmetum juxta Plauti ac Livii oracula vinum est, quod mentem labefactam hebetat ac tundit. Romanis mulieribus, juxta Catonis censuram in *Orat. de Dote*, interdictum, quod valde notum mitto.

§. XI.

Lex undecima, *Quod natum erit parentes tollunto; monstrosos tamen partus sine fraude exponi fas est.*

Lex XI. Monstra abominatio.

MOnstra Gentes quæcunque ob pessimum, quod portendunt, omen abominatæ sunt: apud Phlegontem Trallianum, quem recens Meursius vertit, hæc leguntur: „ Polycritus Locyde ‡ uxore ducta tertio post die mortuus eam gravidam reliquit, quæ peperit Androgynum; qui cum in concionem populi delatus esset, de-

† Rest. *maritus*. * Rep. *probri*. ‡ Scrib. *Locride*.

Clades portendunt.

„ repente exſtitit Polycritus, & futuram „ Ætolis ac Locrenſibus cladem prædixit, „ filiumque monſtroſum demto capite devoravit. Tacitus *lib.* 12. *cap.* 64. „ M. „ Aſinio & Marco Acilio Coſſ. mutatio„ nem rerum in deterius portendi cogni„ tum eſt crebris prodigiis..... Biformes „ hominum partus; & ſuis fœtus editus, „ cui accipitrum ungues erant, &c. Lege Tull. lib. 1. *de Divinat*. Plinium *lib.* 6. *cap.* 30. & Juvenal. *Satyr.* 13.

Dionyſius tamen Romulum ſanxiſſe inquit, nullam prolem triennio minorem poſſe necari, ut vel ſic ratum haberent monſtrum; ſed potius intelligendus de monſtroſis, quorum aliquod ex membris deficit: ſecus ſi monſtrum fuiſſet triceps, ut tempore Apollonii Thyanei teſte Philoſtrato viſum eſt; vel ſi puer elephanti caput præferret, ſicut Livius *lib.* 27. acciđiſſe ſcribit; vel caprinos pedes, & unum oculum in fronte, ſicut Byzantii ortus eſt, refertque Zonaras.

§. XII.

Lex duodecima, *In liberos ſuprema patrum auctoritas eſto, venundare, occidere, liceto.*

Lex XII.

HÆc Lex naturæ jus ſequitur; nam filius a patris ſemine ſuum eſſe cognoſcit, unde cum ſit pars potiſſima patris, ut Ariſtoteles docet, in patris arbitrio ſemper remanet, quod quamvis Romulus permiſerit, lege hiſtorias, & forſan unquam hoc reperies, cum parricidia quam ſæpe offendas. Lege apud Euripidem, Sophoclem, Libanium, ac Dionem Chryſoſtomum, patris qualitatem erga filios, & vide ne pellicano ſimilis mortem præoccupet, & pro incolumitate natorum.

Vide Ariſt. l. 1 Polit. c. 8.

CAP. LIX.

Romuli cultus poſt obitum.

DCCXVI. THEMISTIUS, Platonicorum Orator optimus, Socratis, divinique Platonis oracula præfert, docetque Reges Deo ſimiles per ſceptra, vel faſces, ac virtutis omnimodæ ornamenta fieri, idque ex Thucydide, Xenophonte, Homero, Euripide, cæteriſque Sapientum columinibus eleganter expendit, ſuadetque dicens: „ Summum illum in cælo Deum, qui præpe„ tem currum agit, quique omnia mode„ ratur ac gubernat, quem primo loco „ gradientem deorum ac dæmonum cater„ va conſequitur, juxta Iliſſum recum„ bens, & Atticum adoleſcentem auſcul„ tans, etiam factis ipſis imitari poteſt,

Reges Deo ſimiles.

Qui populos regit, & tantas fert pectore curas.

„ Cui deorum loco hominum comitatur „ exercitus, confectanee diſpoſitus, cu„ jus nutus non aliter ac Jovis omnia gu„ bernat ac regit, non fruſtra ergo Calliopes Chorus Reges aſſidue ab Jove e„ ducatos ac genitos appellat,

Jove conſilio non inferiores.

Hæc ille, & Simonides antea diſſeruit, quomodo Reges Dei ſimilitudinem adipiſcantur.

DCCXVII. Romulus ergo Rex potentiſſimus, &, ut ſcribit Ennius, deorum ſanguine genitus, poſt obitum tamquam deo ſimilis templa in Urbe meruit. Ovidius in *Faſtis* lib. 2. verſ. 511.

Romulus poſt obitum templa meruit.

Templa deo faciunt, Collis quoque dictus ab illo eſt,*
Et referunt certi ſacra paterna dies.

Loquitur de Colle Quirinali, de quo Feſtus ex Varrone inquit: „ Quirinalis Col„ lis, qui nunc dicitur, olim Agonus ap„ pellabatur, antequam in eum commi„ grarent fere Sabini Curibus venientes „ poſt fœdus inter Romulum & Tatium „ ictum, a quo hanc appellationem ſor„ titus eſt: quamvis exiſtiment quidam, „ quod in eo factum ſit templum Quirino „ ita dictum. Æmilius Probus, ſive Plinius Secundus, in libro *virorum illuſtrium* inquit: *Proculi auctoritati creditum eſt, ædes in Colle Quirinali Romulo conſtituta, ipſe pro deo cultus, & Quirinus eſt appellatus*. Plinius *lib.* 15. *cap.* 29. ibi myrtum fuiſſe fatidicam, a Cerauniis Montibus, primum Circeiis in Elpenoris tumulo viſam, & a Græcis, ubi Roma ſurrexit, delatam tradit, cultamque in æde Romuli: „ Inter antiquiſſima delubra ha„ betur Quirini, hoc eſt, ipſius Romu„ li. In eo ſacræ fuere myrti duæ ante æ„ dem ipſam per longum tempus; altera „ Patritia appellata, altera PLEBEJA. „ Patritia multis annis prævaluit, flacce„ ſcente Plebeja, exuberans ac læta quan„ diu Senatus quoque floruit, illa vigens; „ Pleb ja retorrida ac ſqualida: quæ po„ ſteaquam evaluit, flacceſcente Patritia „ Marſico bello, languida auctoritas Pa„ trum facta eſt, ac paulatim in ſterilita„ tem emarcuit majeſtas. Ibi multos convenire Martialis *lib.* XI. *epigr.* 1. eleganter prodit:

Collis Agonus unde Quirinalis?

Myrtus Patritia, & Plebeja.

Vicini pete Porticum Quirini;
Turbam non habet otioſiorem
Pompejus, vel Agenoris Puella.

Juvenalis *Satyr.* 2. verſ. 132. nuptias ibi recoluiſſe frequentiori hominum conventu Veteres carpit:

Ibi nuptiæ celebrabantur.

—— vade ergo, & cede ſeveri
Jugeribus campi, quem negligis; officium cras
Primo Sole mihi peragendum in Valle Quirini.
Quæ cauſa officii? quid quæris? nubit amicus,
Nec multos adhibet. Liceat modo vivere: fient,
Fient iſta palam, cupient & in acta referri.

* Reſt. *fiunt*.

Vetus Scholiastes, a jugeribus Campi Martii, qui ager Tarquinii Superbi fuit, ad Quirini Vallem descendisse ait, ubi Romulus colebatur sub Quirini nomine: & Ovidius in *Fastis* scribit lib. 2. vers. 476.

Qui tenet hoc nomen, Romulus ante fuit.

Et idem *Metamorph.* lib. 14. vers. 835. ibi Irim Hersiliam Romuli conjugem adduxisse ait, ut viri templum veneraretur cælorum præcurrente numine:

—— si tibi cura videndi
Conjugis est, Duce me lucum pete, Colle Quirino
Qui viret, & templum Romani Regis obumbrat.

Juvenalis *Satyr.* XI. vers. 104. Romuli Remique Quirinorum simulacra ærea ibi desingit:

Romuleæ simulacra feræ mansuescere jussæ
Imperii fato, geminos sub rume Quirinos.*

Quirini simulacrum illacrymans.

Et Silius an hujus simulacri meminit lib. 8. *Belli Pun.* vers. 647. illacrymantis vide; inquit enim:

—— lacrymæque vetusta
Effigie patris large fluxere Quirini.

DCCXVII. Sit tandem ut sit, tamquam deus habebatur, dignus ara ac templo duplici populorum, deorumque oraculo inter numina feliciter nuncupatus. Hinc Ovidius eleganter cecinit lib. 14. *Metamorph.* fab. 15. vers. 605.

Lustratum genitrix divino corpus odore
Vinxit †, & ambrosia cum dulci nectare mixta
Contigit os, fecitque deum; quem turba Quirini
Nuncupat Indigetem, temploque arisque recepit.

Juppiter apud Virgilium lib. I. *Æneid.* non absque arcano referat idipsum, dicens vers. 295.

Aspera tum positis mitescent secula bellis:
Cana Fides, & Vesta, Remo cum fratre Quirinus
Jura dabunt: diræ ferro & compagibus arctis
Claudentur belli portæ.

Vates innuit Remi ac Quirini statuas, quæ tamquam numina simul cum Vesta, Marte, Vulcano, Jove, cæterisque, quos decantat Publius Naso, ubique vel cum Penatibus numina colebantur.

Cur Romulus inter deos adscribitur?

DCCXVIII. Hinc Tullius causam, cur Romani Romulum inter numina adscripsere, *Orat. 3. adversus Catilinam* scribit: *Profecto illum, qui hanc Urbem condidit, ad deos immortales benevolentia famaque sustulimus.* Lactantius Firmianus lib. 1. *de falsa Religione* cap. 21. *Romulus post mortem Quirinus factus est, & Leda Nemesis, & Circe Marica*, &c. Divus Cyprianus *de van. Idol. Romanorum Vernaculos deos novimus: est Romulus pejerante Proculo deus factus, & Picus, & Tyberinus, & Pilumnus, & Consus.* Arnobius lib. 1. *adv. Gent.* „Nonne ipsum Romulum patrem Senatorum manibus dilaceratum, & Quirinum esse Martium „dictis *, & sacerdotibus & pulvinaribus honoratis, & in ædibus adoratis „amplissimis, & post hæc omnia cælum „adscendisse juratis? Tertullianus *de Spectaculis* c. 9. *Si Romæ Romulus quadrigam primus ostendit, puto & ipse inter Idola conscriptus, si idem est Quirinus.* Tullius l. 1. *de Nat. deorum* eadem fere verba novissima profert; forsan censebatur, ut deus recens juvenum inter deorum turbam adscriptus, ad quos Statius in *Synephebis* apud eumdem Tullium exclamat,

Dii Vernaculi Rom.

Romulus inter juvenes deos.

Proh Deum! popularium omnium adolescentium
Clamo, postulo, obsecro, oro, ploro, atque imploro fidem.

Præter templum Quirinale, quod usque ad hæc tempora Monti nomen indidit, in Foro Romano Romuli statua colebatur, quæ Lupæ prodigium puerorumque fatum ære expressa ostentabat, de quibus Claudianus eleganter enarravit, simulque Statius, Virgilius, Dionysius, Plutarchus, cæterique, quos supra retulimus.

Ejusdem statua in Foro Romano.

DCCXIX. Inter deos, quos vel Penates nuncupabant, vel Patrios, Romuli nomen omni ævo ab Urbe præferendum censebant; quod his Lucilii carminibus confirmatur:

Ut nemo sit nostrum, quin aut pater optimus Divum,
Aut Neptunus pater, Liber, Saturnus pater, Mars,
Janus, Quirinus pater, nomen dicatur ad unum.

Ovidius postremo *Metamorph.* libro concludit, & Romulum inter deos precatur, dicens vers. 861.

Vesta & Romulus inter deos Penates.

Di, precor, Æneæ comites, quibus ensis & ignis
Cesserunt, diique Indigetes, genitorque Quirine
Urbis, & invicti genitor Gradive Quirini,
Vestaque Cæsareos inter sacrata Penates;
Et cum Cæsarea tu, Phœbe domestice, Vesta,
Quique tenes altus Tarpejas Juppiter arces,
Quosque alios Vati fas appellare piumque est.

Virgilius lib. 1. *Georg.* vers. 498.

Di patrii Indigetes, & Romule, Vestaque mater,
Quæ Thuscum Tyberim & Romana Palatia servas.

* Scrib. *rupe*. † Leg. *Unxit*.

* Rescr. *dicitis*.

Equus albus Romulo sacrificabatur.

Unde in sacrificiis, quæ Romulo litabant, equum album inprimis nonnulli censent fuisse, sed Martem cum Romulo, utrumque Quirinum confundere compertum est; Marti Equiria a Romulo instituta diximus, nunc sufficit Tertullianum *de Spectaculis* revocare cap. 5. ubi ait, *Equiria Marti Romulus dixit*. Equiria non solum ab equorum cursu dicta in Campo Martio, ut Varro inquit, & Festus, sed ob equi sacrificium, ut supra adnotasse liquet: sequitur etenim idem Septimius Florens dicens, *post hunc Numa Pompilius Marti & Robigini fecit*. Quod in Numa expendo juxta Divi Augustini, Lactantii, & Varronis mentem. Nunc sufficit juxta Scriptorum sententias, aras ædemque habuisse Romulum, simulque Sacerdotes, qui ipsum colebant thure ac victimis, quas tempore congruo recensebo in antiquis & variis Lectionibus, quas præ manibus ut edam habeo, ubi de Sacrificiis Gentilium, quæve vetustate ac religione digna fusius enarrare operæ pretium fuit.

Equiria quid?

A

F I N I S.



CLAU-

CLAUDII SALMASII
DE
SECRETARIIS
DISSERTATIO
NUNC PRIMUM EDITA.

CLAUDII SALMASII
DE
SECRETARIIS
DISSERTATIO.



Ecretariorum hodie nomine uno ut non unum officium, ita & genera diversa: quosdam publicos, quosdam privatos dixisse liceat. Privati erant Principum & aliorum magnatum ut plerumque domestici, qui ipsis sunt ab epistolis: hos enim vulgo vocant Secretarios. Publici vero sunt non unius generis, in his quos Regios proprie appellant, qui Notarii ac Secretarii Regis ac regii vulgariter audiunt: quorum & ipsorum aliquot sunt differentiæ, de quibus hic non tractamus. Præter hos longe honoratissimi & eminentissimi censentur, quos nunc Secretarios *Status* dicimus: olim mandatorum Secretarios dictos legimus; eosdem & *Clericos Secreti* aliquando a nostris nuncupatos constat. Notarii ac Secretarii etiam vocantur in his Parlamentis, quæ jure scripto utuntur, ut Aquensi & Gratianopolitano, quos in aliis appellari mos est *Grafiarios*, id est, Scribas. Quod ad ipsum nomen attinet Secretarii, Veteribus usitatum non fuit, sed nec in usu medii ævi Latinis Scriptoribus, qui a Secretis eos solent appellitare: unde & Græci posterioris Imperii vocem formarunt Ασηκρήτις, qui & nomen etiam declinabile inde finxerunt ὁ Ἀσηκρήτης, τοῦ Ἀσηκρήτου, ut ὁ προφήτης. Ex quo etiam prodita hæc appellatio ultimæ ætatis Latinis barbaris *Asecreta*, ut Propheta, qua & Carolus Magnus utitur. Ad eundem modum & Protosecretam alii dixere, qui Græcis Πρωτοσηκρήτης, qui dicendus fuit Πρωτοασηκρῆτις primus a Secretis, hoc est, primus Secretarius. Quod si Latini vocem Secretarii usurpassent eo sensu, pronum erat Græcis & in hac re eos sequi ac pariter dicere Σηκρητάριον, ut dixere Σκρινιάριον, & Πρωτοσκρινιάριον, & Πρωτοβεστιάριον. Hoc de nomine. Latinos Secretaria proprie dixisse invenio loca, in quibus consessus Judicum habebatur, ac judicia reddebantur, quæ Græcis Σέκρετα. Glossæ Nomicæ, Σέκρετον, δικαστήριον: de quo infra. At Secretarios nunquam dixere pro his qui in illis Judicum Secretariis mandata eorum exciperent perferrentque; sed ut dixi, *a Secretis* eos appellarunt, aut *Secretorum Notarios*, quia mandatis Judicum secretioribus excipiendis ac perferendis inservirent, vel etiam causarum *brevibus* conficiendis, quos in consilio referrent. Ita intelligendus Secretorum *Notarius* apud Vopiscum in *Aureliano* his verbis: *Incidit autem, ut res se fataliter agunt, ut Mnestheum quemdam, quem pro Notario Secretorum habuerat, libertum, ut dicunt, suum infensiorem sibi minando redderet.* Zosimus in eadem historia ac de eodem Mnestheo loquens eum vocat τῶν ἔξωθεν φερομένων ἀποκρίσεων μηνυτὴν, Relatorem vel Referendarium, ut postea locuti sunt, responsorum quæ ἔξωθεν afferebantur. Qui μηνύσεις igitur illas faciebant, & breves causarum in consilio referebant, dicti Notarii, ut aliquando putavi, non quod notis exciperent ac σημειογράφοι essent, sed quod notarias ac breves conficerent, quos ad consilium referebant. Notaria quippe vel notoria idem quod brevis vel indiculus, ἀναφορὰ, μήνυσις. Optimæ Glossæ: *Notaria ἀναφορά*. De his Notariis accipio & locum Lampridii in *Alexandro Severo: Eum Notarium, qui falsum causæ brevem in consilio Imperatorio retulisset, incisis digitorum nervis, ita ut nunquam posset scribere, deportavit.* Nihil tamen vetat & Notarios hujusmodi appellatos, quia etiam *notis exciperent* mandata Principum & responsa vel ab ipsis ad alios, vel ad ipsos edenda. Græci Ταχυγράφους eos passim Lingua sua reddunt, vel σημειογράφους, quos opponunt καλλιγράφοις, hoc est, ut eos Latini nominarunt, antiquariis, qui libros antiquos manu sua describebant planis plenisque litteris, & ad decorem scripturæ expressis, quos etiam εἰς κάλλος γράφειν dicebant: horum usus ac munus in Bibliothecis ac Bibliopoliis: at Notariorum, qui notis dictata exciperent ac velocissime scriberent, in Judicum tribunalibus ac consistoriis. Earum notarum duo genera: Unum quod a litteris differebat & exigui characteris forma verbum integrum significabat, de quibus Manilius*:

> —— *cui littera verbum est,*
> *Quique notis linguam superat.*

De his circumfertur de Notis Tyronis ac Senecæ liber in multis Bibliothecis repertus. Aliæ notæ sunt litterarum, cum singularis littera ac prima verbi pro toto verbo ponitur: has proprie notas litterarum dixere & singulas litteras Græci μονόγραμμα Justinianus voce ex Latino detorta Σίγλας, pro Singulis. De his exstat libellus Valerii Probi & Magnonis, qui Juris Notas appellant: quas Siglas perperam Cujacius Ziffris nostris nomen dedisse autumat. Res quidem eadem ferme est, nam genus scribendi, quod fit per Ziffras, respondet quadamtenus Veterum Notis: sed aliud tamen Ziffra, aliud Sigla, vel Singula. Vox illa Arabica ad nos cum plerisque aliis transiit. Græci recentiores, qui de numeris scripserunt, τζίφραν appellant, hoc est, Arabice صفر *sifron*, ex Hebræo ספר, quod est *numerare*, *recensere*: idem verbum Arabes pro scribere usurpant, unde & scriptorem & Scribam nominant سافر *Saphir*, ut & Hebræis ספר *Sopher* Scriba est vel Notarius. Horum Notariorum varia apud Antiquos notio, quatenus varios ad usus ac ministeria adhibiti pro temporum ratione aut hominum quibus ministrabant. Quod enim Notarii non tantum scribendi compendiariam artem per notas callerent, sed etiam utplurimum in ea quoque an-

* Lib. 4. vers. 197.

A tiquaria docti essent quæ litteras integras plene exprimit, hinc factum, ut etiam Notarius pro quolibet Scriba usurparetur. Inde & quos Scribas vel Librarios Antiqui appellarunt, posterior ætas Notarios vocare passim non dubitavit. In ministerio Judicum apud Veteres passim legas *Scribas* ac *Librarios*, Accensos, Præcones, quæ officia illis Senatusconsulto utplurimum attribuebantur. Omnes fere Magistratus majores minoresque suos Scribas ac Librarios habuere, eo usque ut Curatoribus aquarum publicarum Senatusconsultum, quod apud Frontinum legitur, Lictores, Servos publicos, Scribas & Librarios, Accensos ac Præcones tribuat:
B *Et Scribas & Librarios, Accensos, Præconesque totidem*. Ubi notandum Scribas a Librariis distingui, cum tamen alias ubique in veteribus Inscriptionibus ac monumentis Scribæ Librarii vocitentur conjunctim, ut Scriba Librarius Ædilicius, Scriba Librarius Quæstorius, Scriba Librarius Tribunicius. Quamobrem & in illo Senatusconsulto tollendam putem disjunctivam particulam, legendumque, *Et Scribas Librarios*. Hi Librarii Scribæ dicti, qui acta Magistratuum ac rationes & commentarios libros integre ac nitide descriptos regerebant, eoque diversi a Notariis proprie dictis, qui littera-
C rum compendiis, hoc est, notis res scribebant. Vocati illi Scribæ Librarii, etiam simpliciter Librarii. Optimæ Glossæ, Librarius, γραφεύς, Scriba iisdem & γραφεὺς & γραμματεὺς exponitur. Mentio frequens in antiquis Inscriptionibus Librarii Quæstorii, Tribunicii, Consularis, Censorii, qui Librarii omnino iidem putandi cum Scribis Librariis. Nec hoc sensu diversi aut dividundi Scribæ a Librariis. Tribunis quoque militaribus ac Ducibus sui fuere Scribæ: quin & Legionis Scriba memoratur in antiqua Inscriptione. Posterior ætas *Notarios* pro Scribis vel Librariis Scribis maluit dicere; quo nomine non tantum eos comprehendebat qui nota-
D rum peritiam haberent, sed etiam qui quocumque modo scriberent, utpote in utroque genere scribendi periti, antiquario per litteras, & compendioso ac veloci, quod notis expeditur. Hinc sub medii ævi Imperatoribus Notarios suos Tribuno cuique aut Duci assignatos e publico videmus quos refunderent. Epistola Valeriani apud Trebellium in *Vita Claudii*; Cum Valerianus eumdem Claudium Tribunum Martiæ quintæ Legioni daret, ad ministerium ejus Notarium etiam ei attribuit, sed quem refundat: *Notarium quem refundat* unum pari conditione & mulionem & cocum eidem assignavit: Notarius ille apud ævum prius dictus esset Scriba
E Librarius Tribuni. Sed nunc, ut dixi, ab arte difficiliori qui utramque callebant potius denominati sunt: inde & passim tum temporis Judicibus sui Notarii, quos & Domesticos dixere. Principibus etiam sui fuere, de quibus mox dicendum. Hujus generis apparet fuisse Notarios Ecclesiasticos, qui Patriarchis & Metropolitanis aliisque Episcopis in scribendi munere apparebant, qui non solum notis, sed etiam litteris scribebant, ac libris etiam describendis operam navabant: hinc πατριαρχικῶν Νοταρίων tam sæpicule mentio occurrit in Historia Græca Ecclesiastica. Atque ut scias hujusmodi Notarios non tantum compendia Notarum in scriben-
F do sequutos, sed etiam καλλιγραφίαν & Antiquariorum munus exercuisse in vetustissimo Eusebii libro *Præparationis Evangelicæ* sub finem hæc adscripta leguntur Antiquarii manu, ἐγράφη χειρὶ Βαάνους Νοταρίου Ἀρέθα Ἀρχιεπισκόπου Καισαρείας Καππαδοκίας ἔτει κόσμου ςΥΚΒ. Hic vides Notarium eundem esse cum Antiquario, aut Notarium Arethæ munere Antiquarii ac Scribæ Librarii functum fuisse in eo libro describendo. Arethas auten ille est Cæsareæ Cappadociæ Archiepiscopus, cujus

Commentarius exstat in Apocalypsin. Tales porro Notarii illi, quos a Fabiano Pontifice institutos per septem regiones Urbis Romæ refert Anastasius in *Vita ejus*, qui acta Martyrum colligerent & integre perscriberent: *Fecit septem Subdiaconos, qui septem Notariis imminerent, ut gesta Martyrum in integro colligerent*. Non est quod quis putet his Notariis munus tantum hoc injunctum fuisse, ut notis exciperent ac scriberent Martyrum gesta: immo veri fuere Antiquarii, vel Librarii Scribæ, qui ea in libros plene planeque καλλιγραφικῇ manu perscripta referrent. Quod Notarios eos vocavit, seculi sui consuetudine loquendi usus est. Et diligenter notandus hic abusus vocis Notariorum de quibuslibet Scribis, etiamsi nihil minus essent quam Notarum scriptores, qui ad hæc usque tempora transmissus est, quando Notarios & Secretarios Regios eos vocamus, quorum tamen munus aut ars non est scribendi Notis. Sed & Notarios eadem abusione appellamus Veterum Tabelliones vel Συμβολαιογράφους, qui contractus publicos scribunt, quos certum est litteris duntaxat, non Notis eos mandasse. Fallitur enim si quis putat olim contractus scribi primum solitos compendiaria Notarum scriptura, deinde expressis litteris in mundum sive purum redigi: quod temere videtur sensisse eruditus Jurisconsultus in libris *de Officiis*. Certum quidem in Schedis primum mandatos contractus Tabellionibus vel Tabellionum Amanuensibus, ac minutiori littera perscriptos, quam *cursivam* hodie vocant. In omnibus enim Linguis antiquitus duplicium semper litterarum usus fuit. Unum genus grandiusculum fuit & expressius ad decorem magis formatum & compositum, quo genere libri edendi utplurimum perscribebantur, & publica monumenta, item Inscriptiones, edicta in publico proponenda & alia ejusmodi, necnon contractus in purum redigendi. Minutius alterum & paululum ab illo antiquario genere deflexum, repertumque ad velocius scribendi compendium: unde & *cursivum* vulgo appellatum. Hebræis, Syris, Arabibus, Græcis, Latinis utraque hæc duo genera usitata, qui omnes duplex litterarum genus diversum adhibent, cum ὀξυγραφοῦσι & cum καλλιγραφοῦσι. Arabes ac Turcæ *Divan* appellant genus illud scripturæ, quod in forensibus & quotidianis negotiis ac contractibus solent usurpare. Notarii nostri *Minutam* nuncupant primam contractus scriptionem, quam penes se retinent, quia littera illa minutiore ac *cursiva* conscripta sit. *Grossam* vero, quam in mundum regerunt, quamque contrahentibus exhibent, quia grandiuscula ac nitidiore littera exarata sit. Latini Schedas vel Schedulas vocabant chartas inemendatas ac obvias, cui primam contractus scriptionem ingerebant, in mundiore postea & accurata littera transferendam. Hieronymus, *Schedulis nondum emendatis, nondum ad purum digestis*. Græcis σχέδια dicuntur ac σχεδάρια, unde & σχεδάζειν dicunt de his, quæ studiosi meditantur ac commentantur in tumultuariis chartis, emendatiora postmodum in mundum transferenda. Τετράδας & τετράδια hæc dicebant. Epiphanius lib. 3. *adversus Hæreses* sub finem: ἅμα τε καὶ Ὑπάτιος ὁ τιμιώτατος Συνδιάκονος, ὁ τὴν μεταγραφὴν ἀπὸ τῶν σχεδαρίων ἐν τετράσι ποιησάμενος. *Simul & Hypatius venerabilis Diaconus, qui illud Opus e Schedulis transcripsit in quaterniones*. Ut sciamus quæ differentia fuerit Schedularum sive σχεδίων & τετράδων vel τετραδίων, hoc primum tenendum in tetradiis perscripta quæ emendationem non amplius requirerent, in σχεδίοις autem vel σχεδαρίοις adhuc emendanda. Chartas sic vocabant quæ in volumen complicabantur. At τετράδια vel quaterniones ejus formæ erant, qua vulgo li-

bri compinguntur ex multis paginis quadratis compositi, quacumque tandem ex materia fierent, sive ex charta, sive ex membrana. Glossæ Nomicæ hoc perbelle discrimen explicant his verbis: Ἰστέον ὅτι τὸ μὲν ἐν σχήματι τετράδος ἐξ οἵας δήποτε ὕλης συντιθέμενον καὶ δεχόμενον τὴν διαθήκην, ταβοῦλλα λέγεται, τὸ δὲ ἐξ εἰλήματος χάρτου αὐτὸ τοῦτο χάρτης λέγεται. Ex his chartis convolutis fiebant illæ Schedulæ, quibus quæcumque scriptura tumultuaria mandari solebat. A quadrata vero forma τετράδες & τετράδια, qua libri componebantur ac commentarii, in quos quod emendatum fuerat regerebatur. Inde dictos Ταβουλαρίους Græci illi volunt, qui in tabulas, hoc est, in paginas librorum ac τετράδια contractus referebant. Certe Justinianus *Novella* XLIV. Tabellionem, hoc est, Συμβολαιογράφον, distinguit ὑπὸ τοῦ Ταβουλαρίου: Tabelliones quippe dicebantur, qui scribendo instrumento præesse & adesse ipsi debebant, qui illas ingenio suo formabant ac dictabant: sub se iidem Tabularios ac Notarios habuere, qui manum suam scribendo commodabant. Tabellio relegebat, subsignabat, curabatque in mundum redigi, εἰς χάρτην καθαρὸν, ut eadem *Novella*. Tum contractus firmitatem suam obtinere censebatur. Glossæ Nomicæ: Ὁ τὰ τῆς πόλεως γράφων συμβόλαια, ὁ παρὰ τοῖς πολλοῖς νομικὸς λεγόμενος, ἅπαντα ἐπιτελῶν τὰ τῆς πολιτείας γραμματεῖα ἕκαστον αὐτῶν οἰκείοις ἐπισφραγίζων γράμμασι. Eædem Glossæ Tabularium cum Tabellione confundunt, quos eadem *Novella* aperte separat, ut jam diximus. Tabularii quidem proprie dicebantur, qui chartas publicas ac Tabularia civitatum tractabant Sed & Ταβουλάριοι, ut Græci recentiores exponunt, qui in tabulis scribunt, hoc est, librorum paginis quadratis, in quas recipitur quod in Schedis extemporali ac subitaria opera exaratum fuerat. Isidorus: *Scheda est, quod adhuc emendatur, & nudum in libros redactum est.* Eustathius, σχεδάριοι τὸ τῶν σχεδίων λόγων ἐδάφιον, hoc est, *Schedula extemporalium scriptorum receptaculum*. Certum igitur est Tabelliones, sive Tabellionum exceptores ac Notarios, contractus primum in Schedis digessisse fortuitis ac tumultuariis, deinde in chartas mundiores regessisse, tabulatim librorum more compactas, sive ut Græci loquuntur per τετράδια compositas. At Notarum sic proprie dictarum usus nullus unquam fuit in scribendis contractibus. Ubi velocitate opus erat & lingua dictantis manu scribentis exæquanda, ut in pronunciatis judicati excipiendis, tum illæ Notæ adhibitæ.

Notarii itaque contractuum publicorum scriptores non a Notis dicti, sed abusive quilibet exscriptores, vel exceptores ac Scribæ sic appellati. Idem dicendum est de nostris Notariis ac Secretariis. Nec secus quid opinandum de Notariis medii ævi sub Imperatoribus, quorum & officium fuit & ordo in Augusta domo. De his hic præcipue agimus, quos & Secretorum Notarios & a Secretis proprie dixerunt, qui in Secretario Principis & aliorum Judicum militabant ad secreta eorum mandata & consilia expedienda ac peragenda. Inde quoque Secretarium appellatum locus, in quo Judices cum suis Assessoribus considebant. Quo in Secretario apparebant quoque secretorum Notarii & Cancellarii, qui ad cancellos stabant ad intromittendos litigantes. De Principis quidem Secretario prius est tractandum ac munere Notariorum a secretis. Quale id esset satis prodidit Zosimus, cum Notarium Secretorum Aureliani Mnesthe-

A um ipse Græce reddidit τῶν ἔξωθεν φερομένων ὑποκρίσεων μηνυτήν. Hi Notorias vel Notarias, hoc est, breves conficiebant causarum, quæ in consilio Principis erant referendæ, & responsa ejusdem ac mandata secretiora peragebant. Ad suggestionem ac relationem quippe eorum rescripta plerumque Princeps edebat; atque inde dicta rescripta Principis, hoc est, ἀντιγραφαὶ, αἱ ὑπὸ ἀναφορᾶς ἢ μηνύσεως ἐξενεχθεῖσαι. Notarios illos Imperatorios, qui & Secretorum dicti Notarii, causarum breves in consilio Imperatorum retulisse constat ex *Alexandri Severi Vita*, ut supra notabamus, ubi dicitur de illo Principe Notarium B ab eo deportatum incisis digitorum nervis, ut nunquam posset scribere, quod falsum causæ brevem in consilio Imperatoris retulisset, hoc est, in Principis Secretario. Hæ sunt ὑποκρίσεις ἔξωθεν φερόμεναι, quarum μηνυτὴς erat Notarius Secretorum: idem & secreta Principis mandata portasse colligitur ex *L. unica de Mandatis Principum Cod. Theod. Si quis asserat cum mandatis nostris se venire secretis, omnes sciant nemini quidquam nisi quod scriptis probaverit esse credendum: nec ullius dignitate sive ille Tribuni, sive Notarii, sive Comitis præferat dignitatem.* C In quibus verbis legerim potius, *sive ille Tribuni Notarii, sive Comitis præferat dignitatem*. Notarii quippe illi Imperatorii Tribunorum etiam dignitate decorabantur, unde & dicebantur Tribuni ac Notarii, vel etiam conjunctim Tribuni Notarii. Marcellinus Comes in *Chronico*: *Anastasius Imperator donativum Illyricianis militibus per Paulum Tribunum Notarium erogandum misit:* ita ibi legendum, non *Tribunum Notariorum*. Notitia Consuetudinum: Τῷ Πριμικηρίῳ τῶν λαμπροτάτων Τριβούνων Νοταρίων νομίσματα κδ. Zosimus, τῶν Βασιλικῶν ὑπογραφέων, οὓς Τριβούνους καλοῦσι. Imperatorii Notarii, quos Tribunos nominant, D ὑπογραφέας Græce vocat, ac recte quidem, quod subsignarent rescripta ac mandata Principum: dicti & ὑπογραμματεῖς ab eadem ratione. Constantinus Manasses,

Ἀσηκρήτων ὑπογραμματεὺς, ὃν φασιν Ἀσηκρῆτιν,
Principum Notarius, quem dicunt a secretis, vel *Asecretam*, ut tunc loquuti sunt. Sozomenus Βασιλικοὺς ταχυγράφους vocat, minus fortasse recte; ταχυγράφον certe Græci dicunt, quem Antiqui Notarium vocarunt, qui compendio litterarum aut per Notas scriberet; sed hujusmodi Notarii, de quibus hic disserimus, non a Notis dicti, nec ab eorum veloci ac compen-E diosa scriptura, ut supra ostendimus: verba Sozomeni *lib.* IV. *cap.* X. Βασιλικός τις ταχυγράφος ἐκ τοῦ τάγματος τῶν καλουμένων Νοταρίων. Corpus igitur fuit & ordo Notariorum in Augusta domo, qui Tribuni Notarii, vel Tribuni ac Notarii dicebantur. De his titulus est in *Theodosiano Codice l.* V. *de Primicerio & Notariis*, qui de his Notariis Augustæ domus accipiendus est, quos Græci etiam vocarunt Βασιλικοὺς Νοταρίους, *Regios Notarios*, vel *Imperatorios*. Non minima illa dignitas fuit Notariorum in Imperatoris consistorio, adeo ut eorum Primicerii, hoc est, in unaquaque decuria primi, Proconsulibus æquarentur; & Vicariis anteponebantur, ubi de con-F sistorio Principis recessissent ab administratione semoti, ut testatur *lex secunda* titulo qui supra. Eodem honore fruebatur secundus in eodem ordine, cæteros Vicariis pares esse jubet eadem *lex*; quos omnes Tribunos & Notarios, vel etiam Tribunos Notarios vocatos supra docuimus. Verba *legis*, *Eodem honore atque ordine sequens Primicerium Tribunus ac Notarius perfruetur. Alios porro Notarios & Tribunos Vicariis jubemus*

æquari, ac si priores id vocari cœperint, anteferri.

Quod ad titulum Tribuni attinet, quem præferebant isti Notarii, nomen fuit honorarium ea ætate haud secus ac Comitis: quin & Tribunum Glossæ Græcorum exponunt Comitem, Τριβοῦνος ἤτοι Κόμης. Alii Tribunum minorem Comitem interpretati sunt. Certe vox Tribunus aliquando, & eo præsertim tempore, pro quolibet Præposito usurpata est, sed & pro Comite. Qui Comes stabuli sub Justiniano dicebatur, Honorius ac Theodosius Tribunum sacri stabuli vocant, *lege unica de Comitibus & Tribunis Scholarum*, his verbis: *Præpositos ac Tribunos Scholarum, qui & divinis epulis adhibentur, & adorandi Principis facultatem antiquitus meruerunt, inter quos Tribunus etiam sacri stabuli & cura Palatii numerantur*. Ita legendum. Justinianus in *Codice* suo pro Tribuno stabuli maluit quid* usitatius tunc erat ponere, inter quos etiam Comes sacri stabuli. Comites erant majores ac minores, quos in laticlavios ac angusticlavios Tribunos distinguebant Antiqui: Vegetio Comites majores censentur qui Magistri erant militum, quasi ut Consules & Proconsules quando exercitus ducebant. At singularum legionum ductores pro minoribus Comitibus, qui Tribuni olim proprie dicebantur. Titulus est *lib.* VII. *Cod. Theod. ne Comitibus ac Tribunis lavacra præstentur*; ubi Tribunos & Comites jungit, videturque Tribunos pro minoribus Comitibus interpretari: nec ullas privatas ab his succendi balneas ad Tribunorum sive minorum Comitum usus, sed illustribus tantum viris Comitibus & Magistris militum. Comes, ut dixi, eo sæculo quilibet Præfectus vel Præpositus: qui titulus sæpe etiam præponebatur cum ipso quo denotabatur præfecturæ genus; ut exempli gratia Comes ac Magister militum, & ita in aliis. Magister igitur militum quasi major Comes exercitus. At Tribunus, cui una tantum legio commissa, quasi minor Comes legionis. Quin immo & isti legionum Præfecti, quos Tribunos Romani veteres proprie dixerunt, Comites appellavit sequior ætas a Græcia præcipue barbara: Glossæ Nomicæ, Κόμης ὁ μιᾶς κοόρτις ἄρχων, ᾧ οἱ ἑκατοντάρχοι ὑποτάττονται, *Comes unius cohortis dux, cui Centuriones parent*. Tribunos antiquitus dictos constat. Hi Comites quidem sed minores, ut majores Comites totius exercitus Ductores ac Magistri militum. *Lex secunda* titulo qui supra: lege dudum lata, quæ omnem licentiam exigendi a provincialibus lavacra Tribunis & inferioribus Comitibus denegavit. Certum est officiorum domus Augustæ pleraque dignitatum nomina a militia desumta. Exemplo sint hi Tribuni ac Notarii in Consistorio Principis, quos Tribunos cum minores Comites quidam exponant, sciendum est contrarium usu venisse in hac Tribuni appellatione quam in Comitis. Ex vero quippe officio ac præfecturæ militaris nomine factus est honorarius titulus. At contra ex Comitis honoraria appellatione factum est muneris ac præfecturæ nomen. Comites siquidem olim proprie dicti Prætoris vel Imperatoris cohors familiarium, qui Prætorem aut Imperatorem aliquem ad bellum aut in Provinciam sequebantur. His Comitibus & amicis suis quia utplurimum varias præfecturas mandabant Imperatores, hinc factum ut Comitis nomen præponeretur & dignitati, quam beneficio Imperatoris in comitatu ejus erant adepti. Exempli gratia, si quem ex Comitum suorum cohorte militiæ præficeret Imperator, is dicebatur Comes ac Magister militiæ. Si cui largitiones su-

* An voluit, *quod*.

A as committeret, Comes ac Præfectus sacrarum largitionum vocabatur. Hi majorum gentium Comites. Postea transiit nomen Comitis ad præfecturam ipsam designandam, ac dici cœptum est tantum, Comes sacrarum largitionum; atque ita in aliis. Hinc passim nomen comitis pro Præfecto usurpari cœpit. Hinc Græcis Κόμης exponitur ἄρχων: idem & circa *Patricii* nomen accidit. Primo dignitas sine re ab Imperatoribus excogitata, quo qualibet alia dignitas decorabatur, quasi titulo quodam magnifico, adeo ut quem Patricium crearat Imperator, si præfecturam Prætorii eidem postea daret, nuncupabatur Patricius ac Præfectus Prætorio; ita de cæteris. B Unde illæ appellationes ultimo Latinitatis ævo, Patricius Africæ, qui olim nominatus esset Proconsul & Patricius Africæ. Patricius Orientis, qui olim Patricius & Comes Orientis. Comitati autem Imperatoris, unde & comitatus pro tota Imperatoris familia, quam *cortem* vulgo dicimus. Alii primi ordinis censebantur, alii secundi, alii tertii. Primi ordinis Comitibus insigniores præfecturæ ac dignitates mandabantur; hi sunt majores Comites: inferiorum autem ordinum Comitibus Tribunatus militaris & alia minora officia. Hinc Tribunus di- C ci cœptus pro Comite inferiore, & pro honoraria appellatione sumtus, ut in hac Tribunorum ac Notariorum dignitate. Alias Tribunum etiam ut & Comitem pro quolibet Præfecto posuerunt. Sic Tribunus sacri Palatii, qui & Comes, sic Tribunus fabrum in veteri Inscriptione, & Tribunus Fori suarii.

Non solis porro Notariis hoc Tribunorum nomen adjunctum, sed etiam Protectoribus, qui appellabantur Tribuni & Protectores, ut constat ex titulo XXI. *Cod. Theod.* de testimoniali ex Tribunis & Protectoribus. Testimoniales epistolas intelligit quæ dabantur iis qui fuerant Tribu- D ni ac Protectores. Nec prohibet quod in ipsa *lege prima* hæc verba sic concipiuntur: *ideoque si qui ex Protectoribus vel ex Tribunis epistolas reportaverint*: illud *vel* apud illius ætatis Scriptores non disjunctiva, sed conjunctiva est particula, ut alibi multis probavimus. Placeret tamen potius heic legi, *si qui ex Protectoribus & Tribunis*, ut in titulo legitur, *ex Tribunis & Protectoribus*; quod idem est: nam Tribuni & Notarii non solum dici soliti, sed etiam Notarii & Tribuni, ut *lege* II. *de Primicerio & Notariis* in *Cod. Theod. Alios porro Notarios & Tribunos Vicariis jubemus æquari*. Cæterum hi Notarii Imperatorii duum gene- E rum fuere: nam præter hos, quos vocatos Tribunos & Notarios docuimus, alii erant, qui dicebantur Domestici ac Notarii, vel Domestici Notarii: eorum mentio *Cod. Theod. de Primicerio & Notariis leg.* I. ubi enim egit de dignitate Tribunorum ac Notariorum hæc verba subjungit, quæ sic legenda sunt: *At vero Domesticos & Notarios Consularibus simili ratione componimus*. Horum etiam meminit *lege* sequenti in his verbis: *Reliquos vero, quos domesticum inter Notarios & familiares nobis nomen insinuat, parem gradum cum Consularibus obtinere sancimus*. Sic inter Protectores Imperatoris, hoc est, σωματοφύλακες, F quidam Domesticorum nomen sortiti sunt, ac dicti Domestici & Protectores, vel etiam Domestici Protectores: de quibus titulus est in eodem *Theod. Codice de Domesticis ac Protectoribus*, qui *leg.* III. & IV. & X. vocantur Domestici Protectores. Constat autem ex *leg.* IX. ejusdem tituli aliquos fuisse Principis Protectores, qui Domestici non dicerentur. Devotissimos Protectores, qui armatam militiam subeuntes non solum defendendi corporis sui, verum etiam protegendi lateris no-

ſtri ſollicitudinem patiuntur, unde etiam Protectorum nomen ſortiti ſunt, inglorios eſse non patimur, ſed ut devotiſsimis nuper Protectoribus Domeſticis, ita his quoque honorem congruum condonamus. De horum differentia nos alibi in libro commentario *de Officiis Auguſtæ domus*.

Quod attinet ad Tribunos Notarios & Domeſticos Notarios Principis, hoc inter eos puto diſcrimen fuiſse; Tribuni ac Notarii in conſiſtorio ac publicis conſiliis Principis inſerviebant ſecretioribus mandatis expediendis ac peragendis, cum Domeſtici Notarii quaſi domus Auguſtæ familiares privata Principis juſsa exſequerentur. Eadem differentia hodie poteſt ſtatui inter Secretarios Status quos vocant, & Secretarios Cabineti, qui ſunt quaſi Domeſtici Notarii Principis. Duplex igitur genus Notariorum a Secretis Imperatoris, privati quodammodo & publici. Publicos dico, qui in conſilio publico Imperatoris ac conſiſtorio ejus operam navabant; atque hi Tribuni ac Notarii dicebantur. Alii privati, qui familiaribus Principis mandatis inſerviebant; hi Domeſtici ac Notarii vocati. Mentio etiam veteri Inſcriptione cujuſdam, qui Protector ac Notarius dicebatur pag. DCXXVI. 8. Protector & Notarius: quod de his Domeſticis Notariis fortaſse accipiendum. Duo quippe genera Protectorum Principis: Unum eorum, qui armatam militiam ſequebantur; qui abſolute Protectores, Græce Δορυφόροι. Alterum familiarium Principis ac Domeſticorum, qui eum honoris gratia comitabantur in publicum; hi Domeſtici ac Protectores vocabantur: quos aperte *lex* IX. *de Domeſticis ac Protectoribus Cod. Theod.* diſtinguit ab illis Protectoribus, qui armatam militiam ſubeuntes latus Imperatoris protegebant: in acie tantum eos militaſſe fruſtra volunt viri docti: diverſi quidem Domeſtici Protectores a Domeſticis Notariis; ſed cum utrique inter Domeſticos Principis ducerentur a male intelligentibus, puto factum ut Protector ac Notarius poneretur pro Domeſticus ac Notarius, quia etiam Protector Domeſticus: niſi quis malit eumdem fuiſſe Protectorem ac Notarium.

Ut Principis autem domus ac conſiſtorium ſive ſecretarium ſuos habuit ſecretorum Notarios, qui a ſecretis dicti, ita Judicum quoque ſecretaria habuere. Titulus eſt in *Cod. Theod. lib.* II. *de Aſſeſſoribus Domeſticis ac Cancellariis Judicum*. Aſſeſſores qui fuerint Judicum ſatis notum eſt: Domeſticos puto officium ſubiiſſe Notariorum a ſecretis. Et Domeſtici Imperatoris Notarii ejus familiares appellati. Putant viri docti commune nomen habuiſſe cum Domeſticis Protectoribus Principum, ſed cur non potius cum Domeſticis Notariis? Domeſtici autem ideo dicti * ad provinciam ſibi commiſſam euntes eos ſecum eduxiſſent, quorum opera uterentur: quod tamen vetat *lex* II. *Cod. Theod. Nullus Judicum ad Provinciam ſibi commiſſam ſecum quemquam ducere audeat, aut Domeſtici vel Cancellarii nomen imponat*. Non poſſum probare obſervationem doctiſſimi Juriſconſulti, qui ad illum titulum *Codicis de Aſſeſſoribus* notavit, qui ſunt a ſecretis Principum Tribunos ac Notarios dictos, qui vero a ſecretis Judicum Cancellarios. Sui etiam fuere Principi Cancellarii, ut ejus conſiſtorium vel ſecretarium & Cancellos habuit; ſed ab initio Cancellariorum munus vile admodum fuit, & longe infra Notarios ſecretorum. Cancellis Secretarii aſſiſtebant ad intromittendos litigantes, aut ſi qui alii conſiſtorii ingrediendi jus habebant. Vopiſcus in *Vita Carini*; *Præfectum Urbi unum ex Cancellariis ſuis fecit, quo fœdius nec cogitari potuit aliquando, nec dici*. Et paulo poſt: *Unum ex his Notarium, quem ſtuprorum ac libidinum conſcium ſemper atque adjutorem habuerat, invito patre Conſulem fecit*. Vides Principem non tantum Notarios tum habuiſſe, ſed etiam Cancellarios: nec Cancellarium Judicum tantum proprium fuiſſe; ſed magnopere notandum eſt, vehementer indignari Vopiſcum, quod Carinus unum ex Cancellariis ſuis Præfectum Urbi fecerit, idque fœdiſſimum dictu ac cogitatu fuiſſe aſſerit. Quod vero idem Carinus unum ex Notariis ſuis Conſulem deſignarit non nimium quiritatur. Hoc tantum dicit, invito patre hoc ab illo factum. Atqui Conſulatus dignitas tum omnium maxima: hinc colligas licebit Cancellariorum tum fuiſſe viliſſimum munus & abjectiſſimum, Notariorum vero honeſtum honoratumque. Nec enim tam ægre ferre videtur Vopiſcus, quod Notarium Conſulem fecerit Carinus, ſed quod eum Notarium, qui ſtuprorum ac libidinum conſcius & adjutor ſemper ei fuerat. Cancellariorum ætate munus & officium non aliud erat quam cancellos ſecretarii aperire intromittendis qui conſiſtorium Principis aut ſecretarium Judicis ingrederentur, ac poſt introductos claudere. Dionis *Epitome* in *Severo*: Καὶ αὐτὸν εἰσιόντα οἱ θυρωροὶ οἱ ἐπὶ τῶν κιγκλίδων μόνον εἰσεδέξαντο, οὐδ᾽ εἴασαν οὐδένα αὐτῷ συνεισελθεῖν. *Et ipſum quidem intrantem Oſtiarii qui ad cancellos ſtabant ſolum admiſerunt, nec quemquam cum ipſo ingredi ſiverunt*. Non diverſum itaque eorum munus ab Oſtiariis, nec honoratius. Primo cancellorum januarumque poteſtates nominat Tertullianus officia Janitorum & Cancellariorum qui cancellos cuſtodiebant: eorum officium eleganter exponit Agathias his verbis, quæ alibi * retulimus: Οἷς δὴ τὰ ἀρχεῖα ἐπεφρόντιστο τῆς ἄλλης εὐκοσμίας πέρι καὶ ὅπως μὴ χύδην ἅπασι τοῖς βουλομένοις ὡς αὐτὸν εἰσιτητέα εἴη· τούτοις δὲ ἔθος Ῥωμαίοις ἐκ τῶν κιγκλίδων ἐπονομάζειν, καὶ τῆς ἐν τούτοις ἐπιμελείας: quibus ſecretaria Judicum curanda erant commiſſa, ut ordo in omnibus eſſet, tum ne qua confuſio oriretur ac tumultus ab ingredi paſſim volentibus, hos Romanis mos eſt a cancellis nominare, & ab ea quam in his habent ſollicitudine. Non igitur ſecretarii cancellos egrediebatur eorum procuratio, quos apertos aut clauſos tenebant, prout opus eſſet, quæ hodie partes ſunt *Huiſſiariorum*, hoc eſt, *Oſtiariorum*, tam in ſupremis regni Curiis quam in conſiſtorio ac conſilio Principis. Secundum ordinem dignitatis enumerantur tam in *Cod. Juſtinianeo* quam in *Theodoſiano*, qui Judicibus ſubſerviebant Aſſeſſores primo, deinde Domeſticos, ultimo loco ut viliſſimos Cancellarios. Cum igitur eo tempore munus aliud non habuerint, nec in ſecretariis Judicum nec in conſiſtoriis Principum, quam ad cancellos aperiendos & claudendos, admittendoſque quibus ingreſſus permittebatur. At non eſt quod aliquis putet, eos tum expediendis ac ſcribendis Principum ac Judicum juſſionibus, edictis, reſponſis, ſententiis, operam navaſſe: quas vices conſtat fuiſſe Notariorum apud Principem, quorum

* Vocula *quod* videtur excidiſſe.

* Notis in Flav. Vopiſcum pag. 485.

alii dicebantur Domestici, alii Tribuni; Domesticorum vero penes Judices, quod opera Domesticorum suorum ad id plerumque uti consuessent. Sic in nostra Gallia ante Philippi Pulchri constitutionem Anni CIƆCCCIII. Judices Domesticorum suorum opera utebantur, qui ipsis Notarii erant & Scribæ, sive ut nunc vocamus *Graphiarii*. Olim certe etiam in nostra Gallia vocabantur Notarii, qui nunc Graphiarii; hodieque in his Parlamentorum Curiis, quæ jure scripto utuntur, vocantur Notarii & Secretarii. Qui hoc tempore igitur apud nos appellantur in supremis Curiis Ostiarii & Graphiarii, sub Imperatoribus Romanis Cancellarii nominabantur & Notarii, sive Domestici: Cancellarii quippe tunc Ostiariorum vicem gerebant ad cancellos stantes septorum judicialium, ac Domestici Judicum ipsorum erant Notarii. Postea Cancellariorum munus paulatim ultra cancellos suos progressum ad ea subrepsit, quæ proprie ad Notarios pertinebant: Notarios eos semper intelligo, non qui ipsi scriberent, sed qui dictarent: unde in veteribus Glossis, quæ Isidoro tribuuntur, Cancellarii exponuntur Antigraphei, Cancellarius Ἀντιγραφεὺς is est, qui dictat, unde Ἀντιγραφεὺς τῆς μνήμης Græcis appellatur, qui apud Vopiscum ad memoriam dictare dicitur. Tria erant hæc officia diversa Ἀντιγραφέως, Γραφέως & Ὑπογραφέως: qui dictabat Ἀντιγραφεὺς dictus, qui scribebat Γραφεὺς, qui subscribebat, vel subsignabat, Ὑπογραφεὺς. Eleganter Tertullianus libro I. *adversus Marcionem* hæc munera sic distinguit his verbis: *Verum professio ejus alterius auctoritate conficitur, alius scribit, alius subscribit, alius obsignat, alius actis refert*. Sic qui ab Epistolis erant Principis, ubi Principes desierunt eas proprio formare ingenio, quod Antiquis in more fuit, Epistolas dictabant, quas alii scriberent: de quibus nos alibi Tabellionis auctoritate conficiebatur instrumentum, quod Scriba excipiebat. Notarios porro eos appellatos qui tantum ipsi dictarent aut subscriberent, supra docuimus. Græci Ἀντιγραφεῖς vocant & Ὑπογραφεῖς, unde eum qui a secretis dictus, vel secretorum Notarius, libentius Ὑπογραφέα vel Ὑπογραμματέα solent interpretari Græci quam Γραφέα, qui proprie Scriba est Librarius: in Notariorum igitur munus, hoc est Ὑπογραφέων, tam in consistorio Principum quam in secretariis Judicum, processu temporis invaserunt Cancellarii, quibus a principio cancellorum tantum tuendorum cura erat mandata. Recte itaque Hincmarus Cancellarium sui temporis eum esse autumat, qui olim a secretis appellabatur, hoc est, Notarius secretorum, vel, ut nunc usurpamus, Secretarius. Apocrisiario sociabatur summus Cancellarius, qui a secretis olim appellabatur, erantque illi subjecti prudentes & intelligentes ac fideles viri, qui præcepta regia absque immoderata cupiditatis venalitate scriberent & secreta illius fideliter custodirent. Per istos, quos ait præcepta regia scripsisse & secreta illius fideliter custodisse, Notarios secretorum veteres plane designari constat; quos cum fuisse dicit sub summo Cancellario, per summum Cancellarium intelligit qui olim dicebatur Primicerius Notariorum, quem sequior ætas Πρωτοκαγκελλάριοι. Jam magna erat Cancellarii dignitas Theodorici Regis temporibus, ut liquet ex Formulis Cassiodori, qui officium Cancellarii ita describit: *Cancellorum tibi decus attribuit, ut consistorii nostri secreta fideli integritate cu-*

A *stodias, per te præsentandus accedat, per te desiderium supplicis nostris auribus innotescat, jussa nostra sine studio venalitatis expedias*. Ex veteri Cancellariorum munere hoc solum retinuit, quod per eum præsentandus accederet: nam priscorum Cancellariorum, quamdiu intra solos cancellos steterunt, hæ fuere partes, ut admittendos præsentarent: at quod jussa Principis expediret, & Judicis auribus desiderium supplicum exponeret, & secreta consistorii custodiret, hæc omnia spectarunt olim officium eorum, qui Notarii secretorum vel a secretis dicebantur: nam & causarum breves sive Noto-
B rias, quæ in publico Principis consilio intimandæ erant, conficiebant, jussa ejus expediebant, mandata secreta perferebant; ideoque, ut supra habuimus, hujusmodi secretorum Notorios Zosimus μηνύτας ἀποκρίσεων τῶν ἔξωθεν ἀποφερομένων interpretatur. Ex Cancellariorum itaque veterum & Notariorum a secretis duobus olim diversis officiis unum postea coaluisse constat sub Cancellarii nomine, vel potius dicendum Præfectum sive Magistrum illorum Principis Notariorum appellatum esse Cancellarium, cum antiquitus Cancellarius infra omnes Notarios positus esset, supra eosdem po-
C stea constitutus. Cancellarium Notariis præsedisse ultimis Imperii temporibus multis testimoniis colligitur: Constantinus Porphyrogenneta *Constitutione* 10. τῷ δὲ πρώτῳ Καγκελλαρίῳ ἕτερον νόμισμα ἓν καὶ τοῖς δυσὶ Νοταρίοις ἀνὰ ἥμισυ τοῦ νομίσματος. Cancellarii tamen in eo Imperio ne illa quidem ætate summa dignitas non fuit. Testamenta aperiebantur apud Quæstorem adsistentibus Cancellariis & Notariis. Ἐπειδὴ δὲ, inquit eadem *Constitutio*, αἱ διαθῆκαι παρὰ τῷ Κοιαίστωρι ἀνοίγονται τοῖς ὑπουργοῦσιν ἐν τῇ αὐλῇ ξεν Καγκελλαρίοις. Duos tantum eos fuisse in-
D nuunt Glossæ Basilicæ, καὶ ὑποκορισικῶς καγκελλον, ὅθεν Καγκελλάριοι οἱ ἐν αὐτῷ ἑστηκότες· δύο δὲ οὗτοι μόνοι. Cancellarii certe appellationem frequens usus medii ævi, ut Caroli Magni ætate, pro Notario publico usurpavit, & quem Græci Ἀντιγραφέα nominant. Frequenter tamen eum Cancellarium proprie appellarunt, qui Regum præcepta conscriberet, vel subscriberet, ut Notarium, qui vulgaria ac publica instrumenta. Notarii tamen, ut dixi, semper Regii fuere, quos Græci Ὑπογραφέας Βασιλικοὺς vocant, quorum corpus & ordo certo numero militabat in consistorio Imperatoris, cu
E etiam deserviebant. Cancellarii cancellis primo custodiendis adhibiti, mox sublabente Imperi ævo ipsis Notariis præpositi; quod ex paucitate decus ipsis adrogatum videtur: cum enim mul ti essent Notarii, unus aut alter Cancellarius in consistorio Principis, ex raritate supercilium his crevit: tum quod per eos admitterentu quibus ingressus in consistorium dabatur. Eam dem rationem reddit D. Hieronymus cur Dia coni Romæ Præsbiteris præferrentur; cum ta men jure divino Presbyteri Diaconis essent su periores. In *Epistola ad Evagrium*: *Sed dici
F quomodo Romæ ad testimonium Diaconi Pres byter ordinatur? Quid mihi profers urbis uni us consuetudinem? Quid paucitatem, de qu ortum est supercilium, in leges Ecclesiæ vin dicas? Omne quod rarum est plus appetitur* Inde & Archidiaconi Archipresbyteris supe riores. Ut ut sit, certum est Cancellario prius in nulla aut parva admodum dignitate fu isse, & multum infra Notarios secretorum, po stea præfuerunt ipsis Notariis, quasi Archino ta

tarii in consistorio Principis ac Notariorum Magistri. Sub Imperatoribus ut in omnibus officiis Primicerii fuere officii οἱ πρωτεύοντες τῦ τάγματος, ita & Magistri Primicerii ad tempus Magistri perpetui. Exempli gratia qui secundus in ordine & officio Notariorum per biennium fuerat vel annum Primicerius exsistebat, ubi biennio in primatu manserat, ab officio dimittebatur, secundo Notariorum in ejus locum admisso, in locum secundi tertio, in tertii quarto. Atque ita ferme obtinebat in omnibus officiis Palatinis, ut alibi pluribus observavimus. De Primicerio Notariorum titulus est in *Cod. Theod.* Sed quomodo vocaretur eorum Magister, nemini quod sciam adhuc observatum. Lex tamen ultima ejusdem *Codicis* titulo quo supra, si recte ejus verba interpungantur, nomen ejus ac dignitatem aperte significat hoc modo: *Eos qui ex Primiceriis Notariorum ad illustrem meruerint Magistri a vigiliis atque laboribus procedere summitatem, minime redigendi sunt in ordinem cæterorum, qui honorarios meruerint codicillos*. Dicebantur ergo Magistri a vigiliis ac laboribus: de quibus nos alibi; ita & Magistri Domesticorum vocabantur præpositi laborum, ut constat ex titulo ejusdem *Codicis de præpositis laborum*, quos Domesticos fortasse de Domesticis ac Notariis, non de Domesticis ac Protectoribus intelligi par est. Qui ex devotissimis Domesticorum Scholis præpositi laborum nostro judicio & stipendiorum sudoribus promoventur. Idem titulus habetur & in *Codice Theodosiano*, quem Cujacius perperam pro præpositis signorum accipit, quæ *Labara* vocabantur. Atqui dicendi essent præpositi Labarorum, non laborum. De omnibus officiis Palatinis non solum militare dicebantur, sed etiam laborare qui ea exercebant. Cassiodorus de Primiscrinio: *Sed & nunc divino favore commendatus erigeris, quando militiæ laboribus perfunctus esse monstraris*. Hic erat qui egrediebatur; at de eo qui accedebat ita loquitur: *Demus igitur quæ sunt justa laboribus;* & alibi passim. At absolute præpositi laborum vel Magistri laborum, vel a laboribus, vocati ac κατ' ἐξοχὴν Notariorum Magistri: quod assidua lucubratione Principis curiis militabant, ut idem Cassiodorus ait in formula Notariorum: *Nam qui nostris curiis militat assidua lucubratione juste videtur & curiam libertatis intrare*. Curiam libertatis Senatum vocat Romanum, cujus ingressu donabatur Primicerius Notariorum, Principis dum Senator efficiebatur. Mereri igitur ait curiam libertatis, hoc est, Senatum intrare, Senatoremque fieri, qui curiis Principis assidua lucubratione militaverat, hoc est, in secretariis Principis. Nolim damnare tamen vulgarem lectionem, *qui nostris curis*: ita igitur in formula Notariorum Principis loquitur: *Notarium te nostrum esse censemus, ut ordine decurso militiæ ad primiceriatus feliciter pervenias dignitatem. Honor qui efficit Senatorem, cui Patrum aula reseratur, non injuria: nam qui nostris curiis assidua militat lucubratione, juste videtur & curiam libertatis intrare*. De Notario secretorum Principis, quales nunc Secretarii vocantur, intelligere ex initio formulæ colligitur his verbis: *Non est dubium ornare subjectos Principis secretum, dum nullis æstimantur necessaria posse committi, nisi qui fuerint magna fide solidati. Publicum est quidem quod agimus, sed multa non sunt ante scienda, nisi cum fuerint Deo auxiliante perfecta*. Ab illis Principum secretis dicti secretorum Notarii, sed & secretarium appellatum locus consilii tam Imperatoris quam aliorum Judicum. *Codex Theodosianus leg.* I. *de Præfectis Prætorio* sic secretaria Judicum proprie vocat, & cum extraordinariis conventibus conjungit, ut a Curia amplissima, hoc est, Senatu distinguat: quocirca „ expressum ordinem dignitatum illic potissimum „ volumus custodiri, ubi intra secretaria, „ extraordinariosque conventus subest ratio visendi „ salutandique Judices. Cæterum in amplissimo „ curiæ nostræ intimoque consessu digestæ „ ordinationibus priscis obtineant dignitates. Græci σέκρετον dixerunt pro Latinorum secretario, hoc est, loco ipso consilii. Glossæ Nomicæ, Σέκρετον, δικαστήριον. Habuerant & Basilicæ Christianorum sua secretaria, in quibus judicia Ecclesiastica reddebant Episcopi, atque etiam Synodi habebantur & conventus Ecclesiastici: ut plerique Carthaginenses habiti in secretario Basilicæ Fausti, quod Græci more suo vertunt εἰς τὸ σέκρετον τῆς Ἐκκλησίας Φαύστου. Paulo Samosateno objectum olim in Antiocheno Concilio, & inter condemnationis ejus causas hæc una fuit, quod more sæcularium Judicum secretarium haberet nominaretque, ut apud Eusebium legitur, Σήκρητον δὲ ὥσπερ οἱ τῦ κόσμου ἄρχοντες ἔχων τε καὶ ὀνομάζων. Antiquitus Notarii secretorum vel a secretis Imperatoris interpellantium desideria ad eum referebant, & causarum ordines exponebant, brevesque conficiebant, ut supra exposuimus. In summa veri erant Referendarii, quod postea nomen ac munus diversum factum est a Notariis: cum enim Notarium secretorum Zosimus interpretetur μηνυτὴν τῶν ἔξωθεν ἀποφερομένων ἀποκρισέων, Referendarium vel Apocrisiarium prorsus designat. Hoc officium, ut dixi, posteris sæculis Referendariorum factum, de quibus in eorum formula ita habet Cassiodorus: *Per eum nobis causarum ordines exponuntur, per eum interpellantium vota cognoscimus, & ipsis responsa diximus ut negotia expedite solvamus*. Referendarii porro sub prima Familia nostrorum Regum easdem ferme partes habuere quæ nunc sunt Cancellarii: ut ex variis locis Gregorii constare potest: quod & Sigebertus adstruit ad Annum DCXXXVII. Referendarius dicebatur, ad quem publicæ conscriptiones referebantur, ut per eum annulo seu sigillo Regis confirmarentur; vel hinc colligenda * quanta fuerit affinitas ac pæne conjunctio Notariorum ac Referendariorum cum ultimorum temporum Cancellariis: certe olim Notarii secretorum Imperatoris jussiones ejus & edicta subscribebant; unde Ὑπογραφεῖς & Ὑπογραμματεῖς Græci eos vocabant. Sigilli vero Regibus aut Imperatoribus nullus tunc usus ad publicas conscriptiones confirmandas. Quod autem Cancellariorum occurrit mentio sub primis nostris Regibus, aliud illi munus sustinuere: ita enim dicebantur qui Græce Ἀντιγραφεῖς, nec alias vices obibant, de quibus supra. Nam summus Cancellarius idem nostris qui Græcis Πρωτοκαγκελλάριος. Ut discreta sunt officia procedenti tempore Notariorum ac Referendariorum, quæ olim ad solos Notarios pertinebant, referendi nempe ad Principem & a Principe, subscribendique ejus jussiones, ita & Cancellarius supra utrosque impositus postremo fuit, qui olim inferior erat tam Notariis quam Referendariis. In locum veterum Referendariorum sub-

* Annon potius, *colligendum?*

A ſtituti ſunt qui nunc vocantur ſupplicum Libellorum Magiſtri, quorum etiam ſupremus eſt Cancellarius: unde & in minoribus Cancellariis, ut ſunt Parlamentorum, Magiſter ſupplicum Libellorum quicumque in ea urbe deprehenditur Cancellarii vices agit. Græci etiam infimi ævi nunquam Cancellarii nomen pro eo qui apud nos nunc dicitur uſurparunt, ſed Λογοθέτην, vel μέγαν Λογοθέτην dixerunt: ideo Nicetas in *Manuele Comneno* hanc differentiam notat Latinorum & Græcorum in dignitate Cancellarii ſignificanda, ὡς ἡ Λατίνων βούλεται φωνὴ Καγκελλάριον, ὃ δ' Ἕλληνες εἴποιεν Λογοθέτην. Codinus de officio magni Logothetæ hæc dicit: ὁ μέγας Λογοθέτης διατάττει τὰ παρὰ Βασίλεως ἀποστελλόμενα προστάγματα καὶ χρυσόβουλλα πρός τε Ῥῆγας, Σουλτάνους καὶ Τοπάρχας. Habuit quidem illud Imperium Cancellarios ſuos, ut ſupra oſtendimus, ſed neutiquam officio & dignitate reſpondentes Cancellario hodierno: quin nec primæ Familiæ Regum noſtrorum ætate parem habuit dignitatem Cancellarius cum hoc noſtri ævi. Referendarius vocabatur, qui Principis ſigillum aſſervabat & juſſiones ejus ac pragmaticas ſanctiones ſubſignabat. Et de his quidem hactenus.

F I N I S.



OCTAVII FERRARII
DE
PANTOMIMIS ET MIMIS
DISSERTATIO,

IN PATAVINO LYCEO
PUBLICE OLIM, MAGNOQUE CUM
ADPLAUSU RECITATA.

JACOBUS FACCIOLATUS
NOBILISSIMO AC LITTERATISSIMO
JOANNI FABRICIO
S D.



Tſi non una de cauſſa ſtatueram Lucubrationem hanc *Octavii Ferrarii* τῦ πάνυ, quæ de publico ſuggeſtu olim excepta, perque manus hominum tradita ad me denique pervenit, intra domeſticos parietes perpetuo retinere; id tamen accidit per hoſce dies, quod me ſententiam mutare juſſit, & opes exquiſitiſſimas in medium proferre. Cum enim conſiderarem, quanto ſtudio *Ferrarii* Scripta ab Eruditis conquirantur & legantur, quantumque utilitatis inde liceat haurire, viſum eſt re eſſe notitiæ litterariæ, hanc eruditi theſauri particulam non mihi ſoli aſſervare, ſed cum aliis etiam, imprimis tecum, communicare, *Fabrici* præſtantiſſime, qui olim *Ferrario* familiariſſime uſus, hac ipſa de re diſputantem audieris. Immo ſi nec ulla tibi cum viro illo immortali neceſſitudo fuiſſet, nec lectionibus ejus interfuiſſes unquam, tamen erat, cur ad te potiſſimum *Ferrarii* ἀνέκδοτα mitterem, qui varia ejus Opera, undique ſtudioſiſſime collecta, typis nitidiſſimis procudenda curaſti. Conſilium hoc noſtrum probavit inprimis ornatiſſimus vir, *Julius Ferrarius*, Octavii filius; qui multa jam diu patris ſui ἀνακεχωρηκότα φροντίσματα in lucem emiſiſſet, tibique inſcripſiſſet, niſi teſtamenti religione prohiberetur. Accidit etiam hoc peropportune ad meum in te ſtudium ſingulare declarandum, ut luculenter oſtenderem, quanti a me fieres; eaque potiſſimum re oſtenderem, quæ tibi eſſet gratiſſima & forte probatiſſima. Non debuit ſane, neque potuit anguſtis Germaniæ finibus nominis tui fama contineri, ſed late vagata ut omnes ubique, ita me præſertim in tui admirationem pertraxit, ut cauſſas ſæpe aliquas diligentiſſime quæſierim, quibus litterarum commercio aliquando conjungeremur. Ubi autem ſe primum occaſio dedit, ſtatim occurri ac libentiſſime arripui. Si quid eſt, quod in hac noſtra erga te voluntate probandum putes, mutua inprimis benevolentia ſignifica, deinde iis rebus, quibus ſtudia noſtra Græcæ Latinæque humanitatis juvari poſſint. Vale. Patavii a. d. 14. Martii 1714.

OCTAVII FERRARII DE PANTOMIMIS ET MIMIS DISSERTATIO.

I. 

Uiritium animos tot bellis efferatos, trucesque adhuc imagine cædis & sanguinis, ut permulceret Augustus, mollitosque paulatim obsequio assuefaceret, præter alia innumera spectacula Histriones ac Pantomimos induxit, præcipuusque eorum fautor & spectavit ipse frequenter, & pleraque iisdem indulsit: primo, ut ait Tacitus *Annal* l.54. *dum Mæcenati obtemperat effuso in amorem Bathylli*: deinde, *quod civile rebatur misceri voluptatibus vulgi*. Immo hoc genus ludicri primo ab Augusto inductum existimarunt docti viri ex Suida, qui ait, saltationem pantomimicam ab Augusto inventam, Pylade & Bathyllo eam exercentibus; nam ante Augustum nullum Pantomimorum vestigium fuisse: & ideo hanc quoque labefactati Imperii causam ab Zosimo *l.*1. p.329. referri, quod Octavii temporibus Pantomimorum saltatio, ante incognita, in usu esse cœperit, Pylade & Bathyllo primis ejusdem auctoribus. Ita Lipsius. Quod an verum sit, * infra videbimus.

II. Certe eorum ars valde mirabilis fuit, ut vix a nobis percipi, ne dum recte explicari possit, cum penitus ætate nostra interciderit. Nam cum primo in Tragœdiis, sublato choro, introducerentur qui modos facerent, etiam actores inducti sunt extra argumentum, quorum urbanitate ac jocis animi spectatorum laxarentur: atque hi ab imitatione *Mimi* dicti sunt. Sed alii, quod taciti sola saltatione ac gestu omnia, quæ a Tragœdo canebantur, exprimerent ac repræsentarent, Græca voce *Pantomimi* dicti sunt, quasi omnium imitatores. Antiquitus dicebantur *Histriones*: quæ vox Etrusca erat, ut ait Livius *l.* 7. item *Ludii*, sive *Ludiones* a Lydis: nam Thusci Lydorum colonia. Igitur discrimen erat inter Tragœdum & Comœdum, & inter Histrionem. Tragœdus & Comœdus cantabant carmina in scena: sed Histrio ea, quæ a Tragœdo, vel Comœdo canebantur, sola saltatione ac manuum gestu exprimebat ac repræsentabat. Clarum hoc ex Suetonio in *Caligula* c. 54. *Canendi ac saltandi voluptate ita efferebatur, ut ne publicis quidem spectaculis temperaret, quo minus & Tragœdo pronunciant i concineret, & gestum Histrionis, quasi laudans, vel corrigens, palam effingeret*. Ubi Tragœdo tribuitur cantus, saltatio & gestus Histrioni. Omnis ergo eorum ars, ac virtus, motu corporis, pedum agilitate, & gesticulatione, quæ in scena canebantur, ita imitari & exprimere, &, ut loquitur D. Cyprianus, *verba manibus expedire*, ut muti intelligerentur, &, ut sic dicam, spectatorum oculi audirent. Nec inepte Cassiodorus *l.* 1. *ep* 20. ubi loquitur de Pantomimo: *Hanc partem musicæ disciplinæ* mutam *nominaverunt Majores, scilicet, quæ ore clauso manibus loquitur, & quibusdam gesticulationibus facit intelligi, quod vix narrante*
A *lingua, aut scripturæ textu possit cognosci*. Idem lib. 4. *Var.* loquacissimas eorum manus, & linguosos digitos appellat.

III. Quomodo autem hoc fieret, difficile nobis explicatu est, quia nulla artis ejus vestigia ad memoriam nostram, aut admodum tenuia, pervenerunt. Ita autem factum esse, non pauci Scriptores testantur. Quod ut clarius intelligatur, exempli causa, Hercules furens in scena per Pantomimum saltandus fuit atque exprimendus. Poetæ carmina in hanc rem adhibito tibicine a Tragœdo canebantur, ut nunc Venetiis canuntur. Tum Pantomimus Herculis ornatu inducebatur, qui
B ea omnia, quæ canebantur, saltatione ac gestu exprimebat, caput jaciens, cervicem intorquens, comam rotans, minaciter oculos obvertens, fremens frendensque, humum pedibus plaudens, frontem manu feriens: mox arcum expediens, contrahens cornua, sagittis liberos trajiciens, alios manu lacerans, tandem semivivus humi procumbens; & cetera, quæ ab Hercule furente acta veteres Tragici, præcipue Seneca, finxerunt. Eadem ratione Pantomimus gestu referebat Oedipum sibi oculos eruentem, Medeam liberos necantem, Ajacem vesanientem, Canacen parturientem, Thyestem mandentem liberos, & reli-
C qua theatrorum spectacula, nec fabulas modo, sed historias. Seneca *ep.* 121. Mirari solemus *scenæ peritos, quod in omnem significationem rerum & effectuum parata illorum est manus, & verborum velocitatem gestus assequitur*. Unde Pantomimus *Chironomus* dictus, & ars *chironomia*, quasi lex ad eorum gestum, quæ manibus fiunt. Quod Lucianus *de Saltatione* dixit, *manibus loqui*, & Sidonius *carmine* 23. *Clausis faucibus & loquente gestu*. Juvenalis *Sat.* 6. vers.63.

Chironomon Ledam molli saltante Bathyllo:

D Ledam scilicet ab Jove sub specie cycni compressam, id est, gesticulatricem. Hinc Græcus Poeta lib.2. c.38. *Antholog.* jocatur in saltatorem ineptum:

Πάντα καθ' ἱστορίην ὀρχούμενος, ἓν τὸ μέγιστον
Τῶν ἔργων παριδὼν, ἠνίασας μεγάλως.
Τὴν μὲν γὰρ Νιόβην ὀρχούμενος, ὡς λίθος ἔστης,
Καὶ πάλιν ὢν Καπανεὺς, ἐξαπίνης ἔπεσες·
Ἀλλ' ἐπὶ τῆς Κανάκης ἀφυῶς, ὅτι καὶ ξίφος ἦν σοι,
Καὶ ζῶν ἐξῆλθες· τοῦτο παρ' ἱστορίην.

E *Omnia juxta historiam saltans, unum maximum*
Negligens molestia nos affecisti.
Nioben enim saltans stetisti ut lapis,
Et rursus Capaneus statim concidisti:
Sed in Canace inepte, quod ensis esset tibi,
Et vivus existi: hoc contra historiam:

debebas enim te vere interficere.

IV. Tacitos autem solo gestu ac saltatione egisse, non est dubitandum. Narrat Macrobius l. 2. *Saturnal.* c. 7. Pyladem Histrionem Augusti tem-

† Num. XIII.

poribus clarum fuiſſe, qui Hylam diſcipulum uſque ad æqualitatis contentionem eruditione provexit. Cum Hylas iſte canticum quoddam deſaltaret, cujus clauſula erat, Τὸν μέγαν Ἀγαμέμνονα, ſublimem ingentemque Hylas velut metiebatur. Non tulit Pylades, & exclamavit e cavea: Σὺ μακρὸν, οὐ μέγαν ποιεῖς, Tu longum, non magnum facis. *Tunc populus eum coegit idem ſaltare canticum, cumque ad locum veniſſet, quem reprehenderat, expreſſit cogitantem: nihil magis ratus magno duci convenire, quam pro omnibus cogitare. Saltabat idem Hylas Oedipum, qui ſe obcæcarat. Pylades ut ſaltantis ſecuritatem caſtigaret*, dixit, Σὺ βλέπεις, Tu vides. *Cum in Herculem furentem prodiiſſet, & nonnullis inceſſum Hiſtrioni convenientem non ſervare videretur, depoſita perſona ridentes increpit*, Μωροὶ, μαινόμενον ὀρχοῦμαι, Stulti, furentem ſalto. *Hac fabula & ſagittas jecit in populum. Eandem perſonam cum juſſu Auguſti in triclinio ageret, & intendit arcum, ut Hercules, & ſpicula miſit: nec indignatus eſt Cæſar, eodem ſe loco Pyladi, quo populum Romanum, fuiſſe*.

Nec minus inſigne exemplum eſt Pantomimi apud Suetonium in *Nerone*. Nam cum Hiſtrio Atellanarum exprimeret canticum ejus fabulæ, quod tale erat, ὑγίαινε πάτερ, ὑγίαινε μῆτερ, ita geſtu demonſtravit, ut bibentem natantemque faceret, exitum Claudii & Agrippinæ ſignificans; & in noviſſima clauſula, *Orcus nobis ducit pedes*, Senatum geſtu notavit. Idem Nero pollicitus fuerat, ſe Hiſtrionem ſaltaturum Virgilii Turnum, id eſt, ſaltatione ac geſtu repræſentaturum. Tertull. *Apolog*. 217. Edit. Pamel. 234. 172.

Alterum Pantomimorum exemplum luculenter ſuppeditat Apulejus l. 10. *Mileſ*. p. 233. Nam Paridis judicium ſaltatione ac ſolo geſtu actum deſcribit ſat copioſe. Nos ſumma tantum capita tangemus. Ac primo fuiſſe, qui Phrygio habitu Paridem referret pecoris magiſtrum, mox adfuiſſe nudum adoleſcentem, talaribus & caduceo ornatum, qualis Mercurius inducitur: „ Is, *inquit*, ſaltatorie procurrens, malumque bracteis inauratum dextera gerens, ei, qui Paris videbatur, porrigit, quid mandaret Jupiter, nutu ſignificans. Sequebatur puella in deæ Junonis ſpeciem ſimilis, quæ varios modulos laſciva concinente tibia procedens, quieta & inaffectata geſticulatione nutibus honeſtis paſtori pollicetur, ſi ſibi præmium decoris addixiſſet, ſe regnum totius Aſiæ præbituram. At Minerva inquieto capite, & oculis * in aſpectu minacibus, citato & intorto crure, geſticulatione alacri demonſtrabat Paridi, ſi ſibi victoriam formæ tradidiſſet, fortem tropæiſque bellorum inclytum ſuis adminiculis futurum. At Venus nudo & intecto corpore perfectam formoſitatem profeſſa, circumfuſo Amorum populo placide commoveri, conſtantique lenta veſtigio, & ſenſim annutante capite cœpit incedere; & nunc mite conniventibus, nunc acre comminantibus geſtire pupillis, & nonnunquam ſaltare ſolis oculis. Hæc ut primum ante judicis conſpectum facta eſt, niſu brachiorum polliceri videbatur, ſi fuiſſet deabus ceteris antelata, daturam ſe nuptum Paridi forma præcipuam, ſuique conſimilem. Tunc animo volenti Paris malum, quod tenebat, aureum, veluti victoriæ calculum, puellæ tradidit.

V. Hactenus Apulejus, qui rem totam tantum non oculis ſubjecit; ſed & funeſta ſpectacula, & atroces hiſtoriæ exprimebantur, ſive ſaltabantur. Narrat enim Appianus Alexandrinus in *Parthicis*, Craſſo a Parthis cum toto exercitu interfecto, caput ipſius Craſſi a Surena copiarum Duce ad Orodem Regem in Armeniam miſſum. Qui cum nec Linguæ Græcæ, nec litterarum rudis eſſet, in convivio Græca acroamata introduxit. Cumque allatum eſſet caput Craſſi inter epulandum, Jaſon Trallianus Tragœdus cecinit ex Euripidis *Bacchis* carmen de Agave, cum caput Penthei filii ab ſe interfecti furens geſtaret; atque ita correpto Craſſi capite bacchabundus, magno ſpiritu pergebat canere verſus illos, *Ferimus ex montis ambitu nuper cæſam venationem optimam*: cumque, ſubjicit Appianus, redeuntibus chori vicibus, quidam, id eſt, Pantomimus, ſaltaret illa verba, *Meus, meus hic honor*; proſiliens Maxarthes, qui Craſſum interfecerat, (diſcumbebat enim in convivio) ad ſe trahebat caput, tanquam ſibi potius, quam illi debitum. Rex vero ſpectans lætabatur: & utrumque magnis muneribus proſecutus eſt. *In tale*, inquit Appianus, *exodium expeditio Craſſi deſiit, ſicut quædam tragœdia*.

VI. Cæterum Lucianus *de Saltatione* T. IV. pag. 119. cum clariſſimam ſaltatoris, ſive Pantomimi, laudem eſſe dixiſſet, *noſſe, quid deceat*, ſive decorum ſervare, & id ipſum explicare poſſe, ſubjicit: *Explicatam autem babituum perſpicuitatem ego dico*, rectius in Græco, τὴν σαφήνειαν τῶν σχημάτων, perſpicuam figurarum expreſſionem. *Quoniam vero*, inquit, p. 129. *imitatrix eſt ſaltatio, motibuſque & geſticulatione ea, quæ cantantur, ſemet expreſſuram pollicetur; ſummopere illi neceſſarium eſt, ut unumquodque, quod ab illa demonſtratum fuerit, ita clare, ita perſpicue ob oculos poſitum repræſentet, ut nullius enarratoris egeat opera: ſed, quod Pythico Oraculo proditum eſt, oportet ſaltationis ſpectatorem & mutum ſaltatorem intelligere, & nihil loquentem audire*. Narrat ergo, Neronis tempore Pantomimum eximium ac celebrem ſaltaſſe Veneris & Martii † adulterium, Solem furtivi concubitus proditorem, Vulcanum mœchantibus inſidias machinantem, ac vinculis utroſque illaqueantem, deas ſpectaculo aſſiſtentes, Venerem ſuffuſo rubore pudefactam, & meticuloſius veluti ſupplicantem. Quare Demetrium illum, qui ab ſaltatore invitatus fuerat ad ſpectandum, exclamaſſe: *Audio, o homo, cujuſmodi facias; neque enim tantum video, ſed mibi videris ipſis loqui manibus*. Subjicit porro, barbarum quendam ac ſemi-Græcum, cum hunc ſaltantem ſpectaſſet tam perſpicue, ut, quanquam nihil eorum, quæ canebantur, intelligeret, callide tamen omnia perciperet, diſceſſurum rogatum a Nerone, ut, ſi quid vellet, peteret, *Da mibi*, dixiſſe, *hunc ſaltatorem*; *nam cum nobis vicini ſint barbari Lingua diſpares, nec ita facile ſit mihi tot interpretes comparare, ſi alicujus egens ero, hic nutu ac geſtu quæque mihi interpretabitur*.

VII. Idem Lucianus, ubi docet, quemadmodum in orationibus, ſic in ſaltatione vitandam eſſe cacozeliam, ſive malam affectationem, (quod fit, quando in actione exceditur modus: ut ſi magnum quid demonſtrandum eſt, illud præter modum demonſtratur; ſi quid molle ac tenerum, illud nimis effœminatur:) narrat, quendam Pantomimum alioqui celebrem, cum illi Ajax deſaltandus eſſet furens, tantum a ſaltationis decoro excidiſſe, ut non Ajacis furentis inſaniam repræſentare, ſed ipſe omnium judicio plane furere ac debacchari videretur. Unius enim, qui ferreis calceamentis ſolum pulſabat, veſtitum violenter diſcidit; alterius e Muſicorum numero correptam tibiam Ulyſſis juxta ſtantis, & ob armorum victoriam geſtientis, capiti illidens incuſſit: & niſi tiara obſtitiſſet, quæ ictus violentiam excepit, infelix ille Ulyſſes periiſſet, ad verberantis ſaltatoris pedes prolapſus. Atqui univerſa ſpectan-

* Alii, *inſpectu*.

† Reſt. *Martis*.

tium corona simili morbo vesaniæ correpta, una cum Ajace pariter insaniebat:& exilientes vociferabantur, ac vestes a se projiciebant. Neque vero ille his contentus quietum egit; sed progressus in medium Senatorum, id est, in Orchestram, inter duos Consules consedit medius, admodum metuentes, ne unum ex illis correptum, ut Ajax arietem, flagellis cæderet. Ut aliqui existimarent, ex immodica insanire affectatione; alii vero, furoris morbo correptum fuisse. At prudentiores hæc reprehendebant; quod etiam in repræsentanda insania modus non sit excedendus, & quoties contra decorum aliquid Pantomimus peccabat, coarguebant: ut cum aliquis cælum indicans, manum & oculos demitteret, eum *gestu solœcismum facere* dicebant, & si quæ corpori vitia inerant, ut si quis longior æquo, aut brevior, pinguior, aut strigosior esset, illudebant. Ita cum Antiochiæ corpusculo admodum modico Pantomimus scenam ingressus saltaret Hectorem, uno ore omnes exclamaverunt, *Astyanactem videmus; ubi Hector est?* Rursus alio quopiam præter modum longo Capanea saltante, qui Thebarum muros conscendere conabatur, *Transcende*, inquiunt, *saltu: nihil scalis opus tibi est.* Quin etiam impendio corpulentum & obesum saltatorem salse subsannarunt: qui cum ingentem saltum facere adniteretur, *Theatrum nobis*, inquiunt, *fulciendum fuerat*.

VIII. Pantomimi igitur cuncta nutu & saltatione sine voce exprimebant. In *Antholog.* l. 3. c.7. de Chrysomalo Pantomimo mortuo dicitur.

Σιγᾷς, Χρυσεόμαλε, τὸ χάλκεον· οὐκέτι δ' ἡμῖν.
Εἰκόνας ἀρχεγόνων ἐκτελέεις μερόπων
Νεύμασιν ἀφθόγγοισι. Τεὴ δ' ὄλβιστε σιωπὴ
Νῦν στυγερὴ τελέθει, τῇ πρὶν ἐθελγόμεθα.

Taces, Chrysomale, instar ferrei. Non autem amplius nobis
Imagines priscorum absolvis hominum
Nutibus mutis. Tuum vero beatissimum silentium
Nunc triste est, quo antea delectabamur.

Cui simile de Philistione Mimo mortuo: *Sæpe quidem mortuus, nunquam vero sic.* Alibi Pyladem inducit πανφώνοις χερσὶ, nihil non gestu exprimentibus, sive omnia significantibus. Notum est ex Plutarcho, & aliis, Ciceronem operam Roscio Comœdo & Æsopo Tragœdo studiose dedisse. Eum Macrobius tradit cum Roscio etiam contendere solitum, utrum ille sæpius eandem sententiam variis gestibus efficeret, an ille per eloquentiæ copiam sermone diverso pronunciaret. Artemidorus *l.* 2. *cap.* 38. *Si quis puerum saltantem in somnis viderit*, id est, Pantomimum, *eum, & surdum & mutum futurum: quando solis gestibus cuncta repræsentantur sine voce, & ubi auribus opus non sit.* Athenæus *l.* 1. ait, quendam saltatorem nomine Memphim, eundemque Philosophum Pythagoræum, aperte demonstrasse, quanta Pythagoricæ Philosophiæ vis esset: ut qui tacens sola gesticulatione omnia manifestius indicaret, quam qui artem dicendi se docere profiteretur.

IX. Ingens itaque voluptas spectatorum esse debuit. Sane Juvenalis *sat.* 6. matronas Romanas usque ad insaniam huic ludicro deditas insectatur.

Chironomon Ledam molli saltante Bathyllo,
Tuccia vesicæ non imperat: Appula gannit
Sicut in amplexu; subitum & miserabile longum
Attendit Thymele.

A Ait enim, Romanas mulieres, cum spectarent Pantomimos, non sibi temperasse, quin præ dulcedine lotium emitterent: alias, quoties Ludi cessarent, personam ac larvam, thyrsum, & reliqua Pantomimorum ornamenta, tristes exosculari solitas: nec præter rem est, quod *mollem Bathyllum* appellat: nam hi homines effœminati fuerunt atque impudici. Columella *de Re Rust.* lib. 1. *Attonitique miramur gestus effœminatorum, quod a natura sexum, viris denegatum, muliebri motu mentiantur, decipiantque oculos spectantium.* Tertull. in *Apolog. Quid, quod imago dei vestri ignominiosissimum caput & famosum vert.t: quod corpus impurum, & ad illam*
B *artem effœminatione productum, Minervam, vel Herculem repræsentat: nonne violatur majestas, & divinitas constupratur laudantibus nobis?*

X. Non est igitur mirum, si propter artificium & propter formam viri ac mulieres Pantomimos æque deperirent. Ita Mæcenatem in Bathylli amorem effusum diximus ex Tacito; cui ut faveret Augustus, eidem ludicro plurimum indulsit. Immo tantum studium, atque honos in hæc propudia hominum fuit, ut vestibula eorum, quasi Principum, frequentarentur, eosque domo egressos non modo vulgus, sed Equites, ac Senatores deducerent.
C Tacitus *Annal.* 1. 77. *De modo Lucaris & adversus lasciviam fautorum multa decernuntur: ne domos Pantomimorum Senator introiret: ne egredientis in publicum Equites Romani cingerent, aut alibi, quam in theatro, spectarentur.* Plinius *l.* 29. *Nullius Histrionis equorumve trigarii comitator egressus in publico erat.* Seneca *epist.* 4. 7. *Ostendam nobilissimos juvenes mancipia Pantomimorum.* Et l. 7. *Quæst. Natural.* p. 32. *Stat per successores Pyladis & Bathylli domus: harum artium multi discipuli sunt, multique doctores: privatim urbe tota sonat pulpitum.* (in quo saltabant) *In hoc viri, in hoc fœminæ tripudiant: mares inter se, uxoresque contendunt, uter det latus illis, id est,*
D *eorum latera in comitatu cingat.* Nisi forte *Hylæ* legendum, qui inter Pantomimos valde erat celebris, maximeque æstimabatur. Hinc Auctor *de Causis corruptæ eloquentiæ* graviter conqueritur, propria & peculiaria Urbis Romę vitia pene in utero matris concipi, histrionalem favorem, id est, Pantomimorum & Gladiatorum, equorumque studia, idque inter causas corruptæ eloquentiæ retulit. Postremo Tertullianus *de Spectac* cap. 22. *Etenim ipsi auctores & administratores spectaculorum quadrigarios, scenicos, xysticos, arenarios, illos amentissimos, quibus viri animos, fœminæ autem illis etiam corpora substernunt.* Ita Galenus *de præcognit. ad Post.* cap.
E 6. narrat, *se deprehendisse morbum mulieris, qui cæteris incognitus. Ægra enim erat ex amore Pantomimi, & morbum indicare erubescat* *: *nam dum assidet ægræ, quidam,* inquit, *e theatro superveniens narravit, se Pyladem saltantem conspexisse. Statim mulieris vultus, & faciei color immutatus est. Cum viderem,* ait porro Galenus, *brachio manum statim admovi, pulsumque subito variis modis agitatum inveni; id quod animi perturbati indicium est: talem enim pulsum & qui de re aliqua certant, habere solent.* Hinc Ammianus Marcellinus † indignatur, cum sub Constantio Urbe Philosophi ob metum caritatis
F annonæ pellerentur, *tria millia saltatricum ne interpellata quidem, totidemque remansisse magistros*, hoc est, trium Pantomimarum millia, totidemque Pantomimos pulsis Philosophis in Urbe retentos. Nec minor indignatio Senecæ cap. 12. *de Consolat. Quorum Pantomimæ decies HS. nubunt*, id est, XX. millibus aureorum.

XI.

* Leg. videtur, *erubescebat*.
† Lib. 14. cap. 6.

XI. Nec mirum: tam lucrosa ars illa erat, immensaque Pantomimorum pretia fuerunt. Nam Budæus *de Asse* l. 2. ex Plinio, Æsopum Histrionem sestertia D. id est, XII. millia & D. aureos annuos meritasse, sive mercedis loco accepisse, ostendit. Quæ licet incredibilis summa videatur, levis tamen censenda est ex eo, quod Cicero in *Oratione*, quam *pro Roscio* habuit, ait, eum jam factum divitem, cum HS. sexagies consequi posset, noluisse, jureque *infinitas pecunias* Cicero appellat: sunt enim CL. aureorum millia. Et Macrobius l. 3. c. 14. *Saturnal.* ait, eundem Roscium mercedem diurnam de publico mille denarios sine gregalibus solum accepisse, id est, C. aureos. Quam summam si singulis anni diebus accepisset, essent XXXVI. millia & D. aurei: sed cum Budæo credimus, diebus tantum Ludorum accepisse. Verum, quod fidem omnem exsuperat, subjicit Macrobius, Æsopum, de quo ante dicebamus, ex arte ducenties HS. reliquisse filio, quæ sunt D. coronatorum millia: &, quod majus argumentum est, inusitato luxu vitam transegisse dicitur. De eo Plinius *l.* 10. *c.* 51. *Maxime tamen insignis est in hac memoria Clodii Æsopi tragici Histrionis patina*, DC. *HS. taxata: in qua posuit aves cantu aliquo, aut humano sermone vocales, nummum* VI. *millibus singulas coemtas. Dignus prorsus filio, a quo devoratas diximus margaritas*. Ergo una patina XV. millia aureorum æstimata cum C. aviculæ singulæ CL. aureis constarent. Quod a filio ait devoratas margaritas, id posuerat *l.* 9. *cap.* 35. cum Cleopatræ mentionem faceret, quæ unionem, centies HS. æstimatum, aceto liquefactum absorbuit: „ Non ferent tamen, „ *inquit*, hanc palmam, spoliabunturque etiam „ luxuriæ gloria. Prior id fecerat Romæ in unio„ nibus magnæ taxationis Clodius, Tragœdi Æ„ sopi filius, relictus ab eo in amplis opibus hæres, „ (ne triumviratu suo nimis superbiat Antonius „ pene Histrioni comparatus) & quidem nulla „ sponsione ad hoc perductus, quo id magis re„ gium erat: sed ut experiretur in gloria palati, „ quid saperent margaritæ, atque ut mire placue„ re, ne solus hoc sciret, singulos uniones convi„ vis absorbendos dedit. Tanti expedit Mimum esse aut Histrionem, quam Rethorem aut Philosophum.

XII. Ceterum cum non unus tantum Pantomimus saltaret, sed alii Tragœdias, ut Æsopus, alii Comœdias, ut Roscius, exprimerent, orta sunt civium certamina. Et cum ipsi inter se Pantomimi contenderent, discors in Histriones favor, cum alii Bathyllo faverent, & eorum successoribus, alii in Tragœdum, alii in Cómœdum proniores essent. Maleque semper coercita eorum licentia, eaque contentio ad manus & cædes veniebat. Tacitus *Annal.* l. 1. c. 77. *Theatri licentiam proximo anno cœptam gravius erupisse, cæsis non modo e plebe, sed militibus & Centurione, vulnerato Tribuno prætoriæ cohortis, dum probra in Magistratus & dissensionem vulgi prohibent*. Aucta ea licentia, postquam Augustus *immunes verberum Histriones* pronunciaverat. Macrobius l. 2. *Saturn.* cap. 7. de Pylade: *Is cum propter seditionem pro contentione inter se atque Hylam habita, concitatam indignationem Augusti vidisset, dixit: Etiam ingratus es, Imperator, sine eos circa nos feriari*. Magnum civilis prudentiæ arcanum, etiamsi ab Histrione pronunciatum. Videlicet ad securitatem Imperii conducebat, ut Populus non de libertate & Cæsaris dominatu cogitaret, aut concors viveret; sed de Ludis atque Histrionibus contenderet, & hisce nugis occuparetur. Et ideo Augustus cunctos dulcedine otii pellexerat: eo tamen res deducta est, ut sub Tiberio Pantomimi Italia pellerentur, & ab ipso Nerone ac Domitiano vel Scena pellerentur, vel relegarentur: cumque Nerva reduxisset, Trajanus optimus Princeps hanc Imperii labem, tot discordiarum malorumque causam, in totum sustulit.

XIII. Ex quibus falli necesse est Lipsium, (quod Salmasius *ad Histor. Aug.* notavit) qui ex Suida & Zosimo † sub Augusto Pantomimos primo inductos existimat: nam antiquissimos fuisse, & pene cum ipsa Rep. ortos, docet Livius *l.* 7. ubi loquens de Ludis Scenicis, primo institutis, parvam rem initio fuisse tradit: sine carmine ullo, sine carminum imitandorum actu, Ludiones ex Etruria accitos, ad tibicinis modos saltantes, haud indecoros motus more Tusco dedisse, & quia *hister* Tusco vocabulo *ludio* dicebatur, nomen Histrionibus inditum; *primo autem*, inquit, *iidem canebant, & quæ canerent imitabantur*, id est, saltatione ac gestu. *Primus Livius Poeta*, ut idem narrat, *cum sæpius revocatus a Populo*, id est, jussus eadem repetere, *vocem obtudisset; venia petita puerum ad canendum in vicino posuit, canticumque egit, aliquanto magis vigente motu, quia nihil vocis usus impediebat. Hinc cani ad manum Histrionibus cœptum*. Quid plus egerunt sub Augusto Pantomimi, quam quod, quæ ab alio canerentur, ipsi saltarent? Itaque assentimur Salmasio, cum initio Pantomimi cum Tragœdis & Comœdis inter actus (*per intermedio*) saltarent, sub Augusto separasse se ab illis, & artem propriam ac peculiarem fecisse, ac propterea dicendum, tum primo inventam esse. Sed *Pantomimi* vox Veteribus ignota: cum simpliciter Histriones dicerentur. Macrob. *l.* 2. *c.* 7. *Pylades, quia ferebatur mutasse rudis illius saltationis ritum, qui apud Majores viguit, & venustam induxisse novitatem, interrogatus ab Augustò, quæ saltationi contulisset? respondit*, αὐλῶν συρίγγων τ' ἐνοπὴν, ὅμαδόν τ' ἀνθρώπων, tibiarum fistularumque sonum, & multitudinem hominum. Nam primus pro una tibia adhibuit plures: item fistulas, (quod antea non factum) & choraulem cum choro; cum antea pythaules accineret sine choro, sic dictus quasi qui Pythia cantaret.

XIV. Sed Pantomimi a theatro ad mensas & convivia vocati sunt. Et quod est plane ridiculum, scissores sive structores, & carpi, id est, *trincianti* & *scalchi*, saltantes ac gesticulantes carpebant cibos & contruncabant. Juvenalis *sat.* 5. vers. 120.

Structorem interea, ne qua indignatio desit,
Saltantem specta, & chironomonta volanti
Cultello, donec peragat dictata magistri
Omnia: nec minimo sane discrimine refert,
Quo gestu lepores, & quo gallina secetur.

Chironomon, & chironomia lex gestuum, qui manu fiunt.

XV. Ceterum plane mirum est manuum gesticulatione fabularum argumenta expressa; quis credat, etiam solis cruribus ac pedibus, veluti manibus, id artificium peractum, & quidem inverso corpore, capitique ac manibus incumbente? Herodotus *l.* 6. narrat: „ Clistheni Sicyoniorum „ Regi filiam fuisse. Hanc pater destinabat nu„ ptum dare ei, quem præstantissimum Græco„ rum omnium comperisset. Cum igitur Ludi O„ lympici celebrarentur, nunciari jussit voce præ„ conis, ut, quisquis se dignum putaret, qui Cli„ sthenis gener esset, is intra sexaginta dies Sicyone „ præsto foret, quod Clisthenes vertente anno nu„ ptias celebraturus esset. Convenere igitur ex „ tota Græcia, atque ex Italia opibus ac genere cla-

† Casaubonus *Animadv. in Athen.* lib. 1. c. 17.

„ rissimi; inter quos Megacles & Hippoclides A- A
„ thenienses præcellebant. Clisthenes ante omnia
„ patriam singulorum familiamque percontatur.
„ Deinde eos omnes annum apud se detinens, ex-
„ ploravit uniuscujusque & virilitatem, & iracun-
„ diam, & eruditionem, & mores: nunc cum sin-
„ gulis, nunc cum universis congrediens. Sed in-
„ ter eos præcipue illi cordi Hippoclides. Cum au-
„ tem destinatus nuptiis dies illuxisset, quo edi-
„ xerat, judicaturum se, quem ex omnibus gene-
„ rum deligeret; mactatis centum bobus in convi-
„ vium tum ipsos procos, tum omnes Sicyonios
„ accepit. Postea vero quam cœnatum est, proci
„ certamen de musica habere cœperunt, & de ser- B
„ mone, qui in medio proponebatur. Procedente
„ potatione Hippoclides jussit tibicinem sibi cane-
„ re ἐμμέλειαν, id est, sedatum quoddam saltatio-
„ nis genus. Tibicine obsequente saltavit, sibi
„ quidem placens, sed Clisthenes omnem rem cer-
„ nens, suspectam habebat. Post hæc Hippocli-
„ des jussit sibi mensam inferri, qua illata, primum
„ super eam Laconicos saltavit modulos, mox alios
„ Atticos, demum supra mensam capite statuto,
„ auribus † veluti manibus gesticulabatur. Ad cu-
„ jus primam & secundam saltationem etsi stoma-
„ chabatur Clisthenes, eum, qui tam impudens
„ esset, generum sibi fieri; tamen sese continebat, C
„ nolens excandescere. At ubi vidit cruribus velu-
„ ti manibus gesticulantem, jam se ultra continere
„ non sustinens, Hippoclides, inquit, desaltasti
„ matrimonium, id est, hac impudenti saltatione
„ nuptiis excidisti. Cui ille, Non est istud curæ
„ Hippoclidæ; unde natum proverbium. At Cli-
„ sthenes Megacli filiam collocavit.

XVI. Diximus, aut nulla, aut admodum exigua exstare hodie Pantomimorum vestigia: nam fugientes eorum reliquiæ durare videntur in eo ludionum sive saltatorum genere, qui in Gallia Cisalpina *Mattaccini* appellantur. Eorum vesti- D tus, quo agiliores sint, corpori adpressus, & membra exprimens. Persona sive larva antiquo more sine barba, neque admodum venusta, prominente mento, & qualis vetularum facies est. Hi per urbem saltantes discurrunt, obvios loris & scuticis, quod veteres Luperci faciebant, incessentes. Manum fronti obtendunt: quod Fauni ac Sileni agebant ad Solem defendendum, quod essent calvi. Incredibili agilitate currus ac rhedas saltu transcendunt: per parietes repunt, in fenestras enituntur, citatique & intento crure corpus in sublime vibrant. Sed & diversos actus saltatione ac gestu imitantur, tonsorem, fabrum, suto- E rem, & id genus scite referentes. Mox & simulacra pugnæ taciti edunt, rudibus concurrunt, & digladiantur. Conjecturæ nostræ fundus est Athenæus *l.* 1. qui ὁπλοποιίαν sive bellicam saltationem, quam alii a Pyrrho *Pyrricham* appellant, describens, *eam saltationem esse*, ait, *earum rerum imitationem, quam dictio cantionis enunciat*, id est, pantomimicam. Tradi autem a Xenophonte in *Cyri expeditione*, eam in convivio apud Thraces adhibitam:

„ Nam postquam diis libatum est,
„ surrexere primi Thraces, & ad tibiam armati
„ saltavere, leviter in altum subsilientes, ac vi- F
„ brantes quatientesque gladios. Tandem alterum
„ ferit alter, ut homines percussum omnes crede-
„ rent. Ille vero artificiosa simulatione cecidit,
„ cunctis reclamantibus. Mox qui sauciasse vide
„ batur, jacentem armis spoliat. At reliqui Thra-
„ ces humi stratum ut mortuum efferunt.

XVII. Hoc enim inter alia a Saliis nostris sive *Mattaccinis* agi, sæpe non sine voluptate spectavi; nam & armatam saltationem edunt gesticulando, & aliquis se mortuum fingit: eum reliqui inter manus efferunt. Idque mihi revocat in mentem tragicum facinus, quod ex hac mimica saltatione conflatum est ante aliquot annos in Germania, ut a viro gravissimo accepi. Duo primarii juvenes eandem puellam summo loco natam procabantur. Ea postquam alteri desponsata est, rivalis amore atque æmulatione amens, rationem excogitavit, qua illas nuptias funestas, & sponso pestiferum gaudium redderet. Nam cum nuptiale convivium per dies Bacchanalium celebraretur maxima hominum frequentatione & hilaritate; ille re cum sociis communicata, *Mattaccinorum* agmen ducens, ingressus triclinium, circa discumbentes tripudiare cœpit, nec indecoros modos saltatione edere. Unus ex his ad sponsi aurem accedit, ac nescio quid insusurrat. Sponsus artificii non ignarus, juvenili lascivia surgit de convivio, ac ceteris immixtus ad numeros corpus movet, & reliqua spectaculi ejus peragit. Armatam saltationem occipiunt, ac post breve certamen cadit sponsus, & se mortuum simulat. Illum reliqui in vicinum conclave efferunt, & de more funebrem gesticulationem peragunt, ac veluti næniam celebrant. Paulatim deinde saltantes dilabuntur, adhuc jacente sponso. Fabulæ hujus tristis admodum atque atrox exitus fuit: nam postquam illum Salii extulerant, ut res vere non ficte repræsentaretur, ab infenso rivali obstricta gula suffocatus est. Putabant convivæ cum ceteris ad consueta tripudia discessisse. Cum mora suspecta esse inciperet, ingressi cubiculum servi solum eum eliso gutture jacentem invenere. Quis sponsæ & convivarum sensus fuerit, malo vos ex rei atrocitate conjicere, quam ex verbis meis æstimare.

DE MIMIS.

XVIII. Præter Pantomimos & Mimi fuerunt, dicti quidem & illi ab imitando, sed in hoc ab iis diversi, quod non saltatione ac gestu, sed voce ac verbis res ridiculas in scena repræsentabant; ut meretricem, mœchum, lenonem, avarum, virum ebrium, qui comessatum eat ad amicam, hortorum furem, Medicum peregrinum ægris præcepta dantem. Qualia autem essent Mimorum argumenta, declarat Tertullianus in *Apologet.*

„ Cete-
„ ra lasciviæ ingenia etiam voluptatibus vestris per
„ deorum dedecus operantur. Dispicite Lentulo-
„ rum & Hostiliorum venustates: utrum Mimos,
„ an deos vestros in jocis & strophis rideatis: mœ-
„ chum Anubim & masculum Lunam, & Dia-
„ nam flagellatam, & Jovis mortui testamentum
„ recitatum, & tres Hercules famelicos irrisos.
„ Luget Sol filium jactatum de cælo lætantibus vo-
„ bis: & Cybele pastorem suspirat fastidiosum,
„ non erubescentibus vobis.

XIX. Turpia ergo & obscœna ferme Mimorum argumenta erant: præcipue adulteria, & maritorum deceptiones. Ovidius 2. *de Tristibus* conquestus, se ob carmina damnatum, subjicit ℣. 497.

Quid si scripsissem Mimos obscœna jocantes,
Qui semper juncti crimen amoris habent?
In quibus assidue cultus procedit adulter,
Verbaque dat stulto callida nupta viro.

Subdit vers. 504. virginem nubilem, matronas virosque ac pueros & magnam Senatus partem spectaculo interfuisse: nec satis fuisse incestis vocibus aures temerari; sed

Assuevisse oculos multa pudenda pati.
Cumque fefellit amans aliqua novitate maritum,
Plauditur, & magno palma favore datur.

† Emend. *cruribus*.

Quodque minus prodest, pœna est lucrosa Poetæ,
Tantaque non parvo crimina Prætor emit.

Nam Ædiles & Prætores Ludos edituri, Mimos & fabulas a Poetis magno redimebant. Et conversus ad Augustum ait *ibid.* vers. 513.

Luminibusque tuis, totus quibus utitur Orbis,
Scenica vidisti lætus adulteria.

Et initio quidem tam Mimi quam Pantomimi pars Comœdiæ fuere: mox, ut diximus, separati sunt & seorsum in scenam prodiere. Mimi autem vox tum ipsum drama, sive rem repræsentatam significat, tum ipsum actorem. Dicti autem παρὰ τοῦ μιμεῖσθαι, sive ab imitatione vilium rerum & personarum. Etsi enim non solus imitetur, (nam & Comœdia, & Tragœdia, & tota Poesis imitatrix est) solus tamen, ut Scaliger in *Poetic.* privilegio quodam hoc nomen possidebat: quemadmodum qui versus facit, per excellentiam ποιητὴς dicitur, id est, *fictor*, sive *artifex*; cum alii sint artifices, nec Poetæ appellentur. Diomedes *l.* 3. *Mimus est sermonis cujuslibet motusque sine reverentia, vel factorum turpium cum lascivia imitatio, ita ut ridiculum faciat. Neque negamus*, inquit Vossius *de Poet. Comœdiam etiam ridicula, multa & lasciva imitari. Quod ex Aristophane ac Plauto videre est. Sed longe lascivia vincebant Mimi, totique erant ridiculi.* Præterea aliud erat discrimen, ac magis ad rei pertinens naturam: nam nulla erat in Mimis, ut in Comœdia, fabulæ constitutio: & ideo aberat connexio, & solutio: quæ Comœdiæ partes præcipuæ esse solent. Cicero *pro Cœlio*: *Mimi ergo jam exitus est, non fabulæ: in quo cum clausula non invenitur, fugit aliquis e manibus: deinde scabella concrepant, aulæum tollitur.*

XXI. Finis ergo Mimorum erat duplex, ut universæ Comœdiæ, scilicet docere, & delectare. Docebant enim utilibus vitæ sententiis: quales ex P. Syro & Laberio supersunt non paucæ, & quædam egregiæ apud Senecam & Macrobium. Eo etiam moribus conducebant, quod homines improbos salsis suis dictis riderent, interdum etiam nec viris principibus parcentes. Capitolinus in *M. Antonino Philosopho* cap. 29. „Crimini ei data tum est, quod adulteros uxoris promoverit: „cum Tertullum etiam prandentem cum uxore de„prehenderit. De quo Mimus in scena præsente „Antonino dixit, cum stupidus nomen adulterii „uxoris a servo quæreret, & ille diceret *ter Tullus*, & adhuc stupidus quæreret, respondit il„le: Jam dixi *ter*, *Tullus* dicitur. Sed festivius est, quod narrat de Vespasiano Suetonius *cap.* 19. qui, reliqua Imperator optimus, avaritia infamis fuit: *In funere*, inquit, *ejus*, *Favor Archimimus personam ejus ferens, imitansque, ut est mos, facta ac dicta vivi, interrogatis palam procuratoribus, quanti funus, & pompa constaret? ut audivit, HS. centies, id est*, CCCL. millibus aureorum, *exclamavit: Centum sibi HS. darent, ac se vel in Tiberim projicerent.*

XXII. Alter Mimorum finis erat, ut populum delectarent. Quod consequebantur dictis ridiculis; sed ferme, ut diximus, turpibus, obscœnis, ac plane scurrilibus. Et ideo civitas Massiliensium, disciplinæ sanctitate pernobilis, *nullum aditum in scenam Mimis dabat, quorum argumenta majore ex parte stuprorum continerent actus*, ut ait Valerius *l.* 2. *c.* 6. n. 7. Unde liquet, cur jocos mimicos ab Oratore segreget Cicero in 2. *de Orat.* Atque ex eo, quod risum captarent, *urbani* & *scurræ* dicebantur; Plautus *Trinum.* Act. 1. Sc. 2. vers. 165.

Urbani assidui cives, quos scurras vocant.

Nunc distinguuntur hæ voces: & *urbanus* dicitur, qui modesto lepore ac facetiis intra pomœria natis utitur: *scurra*, qui turpibus dictis & conviciis de trivio aut lupanari sumtis risum inverecunde captat. Accedebat ad turpitudinem, quod Bacchum repræsentabant, & *Ithyphalli* ac *Phallophori* dicebantur, ut ait Arnobius *l.* 7. p. 103. facinorum ingentium rubore; quas voces interpretari pudor vetat.

XXIII. Ex Mimorum genere fuere *Planipedes*, quorum meminit Juvenalis, & Macrobius. Sic autem appellati, ut ait Diomedes *l.* 3. quod actores planis pedibus, id est, nudis, sive cum soleis proscenium introirent: non, ut tragici actores, cum cothurnis, neque ut comici, cum soccis: sive, quod olim non in suggestu ac pulpito, sed in plano Orchestræ actitabant: *a piè piano*: quod placet Vossio *de Arte Poet.* mihi prior notatio verior videtur. Non omnes autem Mimos, sive Mimorum scripta fuisse obscœna, vel hoc argumento erit, quod Plato Sophronis Mimos tanti semper fecit, ut iis indormiret, & suppositos capiti libros ejus, cum moreretur, habuisse credatur, ut tradunt Valerius Max. & Quintilianus.

XXIV. Apud Romanos fuerunt *Atellani*, sic dicti ab Atella Oscorum urbe; unde & fabulæ Romam translatæ. Qui & *Exodiarii* dicti sunt: nam cum in fine fabulæ intrarent ad risum ciendum, & exodus sive exodium Græce dicatur finis, sive exitus, Exodiarii appellati sunt. Juvenalis *sat.* 6. vers. 71.

Urbicus exodio risum movet Atellanæ.

Quæ fabulæ partim ad Comœdiæ, partim ad satyricæ fabulæ naturam accedebant: ut dici possint Comœdiæ satyricæ. Livius *l.* 7. ubi Ludorum Scenicorum originem tradit, narrat, juventutem Romanam, Histrionibus, id est, Pantomimis, fabularum actu relicto, *inter se ridicula intexta versibus jactitasse: quæ inde postea* exodia *appellata, consertaque fabellis potissimum Atellanis sunt. Quod genus Ludorum ab Oscis acceptum tenuit juventus, nec ab Histrionibus pollui passa est.* Itaque Atellani differebant a Mimis, quia joci Atellani gravitate Italica condiebantur; quippe plurimum erant ingenui, non turpes & obscœni. Qua de causa Atellani honestiore loco erant quam ceteri Histriones; &, ut Livius ait, *nec tribu movebantur, & stipendia, tanquam expertes artis ludicræ, faciebant.*

XXV. Ceterum Mimi paulatim a scena Ludisque in convivia & segne otium oblectandum vocati sunt: resque in scurrilitatem plebejam versa est. Qui quoniam de sua virtute prædicabant, *Aretalogi* dicti sunt. Et quia nimia de laudibus suis jactabant, quod putidi essent, &, ut Plautus loquitur, *stercorei*, Græce Copriæ sive Copreæ dicebantur: quod idem sonat. Suetonius in *Tiberio* cap. 61. *Interrogatum eum subito & clare a quodam nano adstante mensæ inter copreas*, id est, inter scurras. Et in *Claudio* cap. 8. de ejus contemtu, in quem propter stupiditatem venerat: „Quoties „post cibum obdormisceret, (quod ei fere accide„bat) olearum & palmularum ossibus incesseba„tur. Interdum solebant & manibus stertentis „socci induci, ut repente expergefactus faciem „sibi confricaret: interdum ferula, flagrove, ve„luti per ludum, excitabatur a copreis. Ita D. Cyprianum olim Gentiles *Coprianum* appellarunt, quod aniles, ut ipsi volebant, fabulas & multa mendacia suis scriptis inseruisset.

XXVI. Scurras mimarios & scenicos hodie vocamus *Buffones*; atque ita a Veteribus vocabantur, quod buccas & genas inflarent alapis excipiendis, ut validius sonarent: nam alapæ propriæ scurrarum deliciæ fuerunt. Juvenalis *sat.* 8. *Mamercorum alapas*. Tertullianus *de Spectac. Faciem suam contumeliis alaparum sic objicit; quasi de præcepto Domini ludat: si quis percusserit tibi maxillam*, &c. Martialis *lib.* 5. *epigr.* 62.

O quam dignus eras alapis, Mariane, Latini:
Te successurum credo ego Panniculo.

Et alibi *l.* 2. *epigr.* 72.

Os tibi percisum, quanto non ipse Latinus
Vilia Panniculi percutit ora sono.

Nam *percidere* est batuere, tundere. Et Panniculus Latini Mimi minister, ad risum concitandum sinebat se percuti alapis, crepitantibus malis. Venetiis ajunt, *far posca*, ubi turgentibus genis vilissimi homines impactas alapas excipiunt, a sonitu illisarum maxillarum & collisione labiorum. Juvenalis *sat.* 5. vers. 171.

—— pulsandum vertice raso
Præbebis quandoque caput.

Nam iidem moriones raso vertice erant. Arnobius *l.* 7. p. 103. *Delectantur stupidorum capitibus rasis salapittarum sonitu atque plausu*, id est, alaparum. Quoniam igitur scurræ excipiendis alapis genas inflabant, *Buffones* dicebantur, ut Salmasius *ad Tertullianum de Pallio* notat. Adamantius Martyrius: *Bufo*, ὁ φυσίγναθος. Sic ranarum dux ab Homero appellatur: & rospi (*die kroten*) *bufones* vocantur; sicut lagena vitrea rotunda ac tumida, *buffone*: *beffare* autem est subflare. Hinc *saccibucces* Arnobio dicuntur, qui buccas naturaliter tumidas & inflatas habent, *Nonnullos turgentibus malis, aut buccarum cumulatione*, l. 3. p. 48.

XXVII. Iidem & *Sanniones* dicti sunt, & hodie *Zanni*, a sannis. Homines enim hujusmodi facie magis quam facetiis ridiculi, qui rictu oris, labiorum ductu, totius vultus distorsione, atque gestu ridenda schemata exprimerent, aliorumque mores ac gestus per ludibrium imitarentur, Græcis *sannæ* & *sanni*, recentioribus ζάννοι: atque ita ab idiotis appellatos tradit Eustachius * *Odyss.* ξ. nam sanna pro irrisione & subsannatione. Vetus Interpres Persii: *Sanna est os distortum cum vultu: quod facimus, cum alios deridemus*. Quæ etiam μωκία & μωκᾶν ore vultuque distorto aliquem deridere; nos, *Far la mocca*. Plautus *Mil. glor.* Act. 2. Sc. 1. v. 15. *Labiis dum ductant eum*. Et Gellius *lib.* 18. *cap.* 4. *Labiorumque* (al. *labearum*, vel *labiarum*) *ductu irridere*.

* Rep. *Eustathius*.

Tria autem sannarum genera expressit Persius *sat.* 1.

O Jane, a tergo quem nulla ciconia pinsit,
Nec manus auriculas imitata est mobilis albas,
Nec linguæ quantum sitiat canis Appula, &c.

Ubi vetus Interpres primum genus sannæ ait esse ciconiam: cum coactis in longum digitis rostrum ciconiæ formarent, idque post tergum deridentes motitarent: Secundum, apposito temporibus pollice, auriculas asini imitari; quo gestu stultos & præcipue Poetas deridebant. Eumolpus apud Petronium; *& me pueri quidem, velut insanum, imitatione petulantissima illudebant*. Tertium genus sannæ, linguam exserere, ut canes sitientes solent.

Neque adeo recens sannæ genus est, quo impudicarum mariti duobus digitis corniculorum instar erectis denotantur. Nam κερασφόρον vocabant, quorum uxores mœchabantur. Exstat Lucilii Græcum epigramma in Grammaticum κερασφόρυς sive cornutum:

Nunc vero doce narrans Paridis, & Menelai,
Intus habens multos tuæ Helenæ Parides.

Artemidorus *l.* 2. *c.* 12. Fuit quispiam somniorum interpres, qui cuidam, qui sibi visus fuerat in somnis desidere super ariete, & ex ipso ex anteriori parte cecidisse, (erat autem procus, puellamque desponsatam habens, illis diebus nuptias celebraturus erat) hoc somnium sic exposuit: Uxor tua scortabitur; & quod dici solet, cornua tibi faciet. Atque sic evenit. Ille ob somnii præsagium recusatis nuptiis vix post multum tempus ab amicis persuasus duxit illam, quæ erat desponsata. Verum præ somnii metu uxorem custodiebat. Et illa quidem post annum sine probro decessit. Cum autem aliam duxisset, ratus, somnii minas prætergressas, in infortunium incidit: hæc enim ad ultimam scortationem progressa est.

F I N I S.

NICOLAI CALLIACHII
DE LUDIS SCENICIS
MIMORUM ET PANTOMIMORUM

SYNTAGMA POSTHUMUM,

QUOD E TENEBRIS ERUTUM RECENSUIT,

AC PRÆFATIONE AUCTUM

P E T R O G A R Z O N I O

SENATORI AMPLISSIMO DICAVIT

MARCUS ANTONIUS MADERO

Venetæ D. M. Bibliothecæ Curator.

ILLUSTRISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO

D. D.

PETRO GARZONIO

SENATORI AMPLISSIMO

MARCUS ANTONIUS MADERO

BIBLIOTHECÆ D. MARCI CURATOR.



Ibenti animo, quidquid operis hoc eſt, merito tibi, ampliſſime Senator, conſecro, & frontem ejus ſplendore nominis tui illuſtro, tuoque patrocinio veluti clypeatum in lucem prodire, ut in votis erat, ſic ſummopere geſtio. Plura me ad hoc impellunt: Operis ipſius argumentum, beneficia tua, dignitas denique, & amplitudo. Intacta, & haud ulli mortalium huc uſque (quod ſciam) delibata rerum materies, cui explicandæ & adornandæ volumen excrevit, Philologiæ cupidos allicere, ſimulque invidos excitare potens, validæ tutelæ, livorique non reverendæ tantum, ſed & metuendæ committenda fuit. Beneficiorum tuorum copiam, vel pondus, in avunculi mei ſinum erogatorum ad trutinam revocare, non minoris eſſet indaginis, quam fuit olim in arenario computo illa Archimedis. Quis enim enarrare poterit blandum illum & ad beneficia pronum animum tuum, cuncta benigne tribuentem, non ſuperbe abjicientem, aut irate effundentem? cui Deum, non fœneratores imitanti nullum ad ea ſcribenda Kalendarium adeſt, quo ad horam & diem appellet. Eapropter avunculus meus ὁ μακαρίτης, in recenſendis tuis in ſe tam uberi fonte manatis muneribus, teſtatus eſt, PETRUM GARZONIUM in adverſis magnum præſidium, in ſecundis dulce decus ſuum exſtitiſſe; tantique ſub umbra Patroni ſævientis fortunæ ictus vel declinaſſe, vel viciſſe, vel ſaltem dignationis tuæ gloria damna penſaſſe: quæ porro fauſta & blandientis ſortis dona ſibi contigerint, in pretio habita, non quia dona, ſed quia a te profecta, tuoque, ut ita dixerim, ſidere prius fuerint afflata. Quod ſi dum inter vivos ageret Cliens tuus, cuncta tibi, velut Genio tutelari, accepta referebat, eaque confeſſionis teſſera grato eſſe illi licuit, quamvis & excuſſis manibus: nunc defuncti labores jure potiori tibi adferre, ſubque tuis auſpiciis diem adſpicere volui: Volui, immo debui, ſive amoris in eumdem tui, ſive virtutis doctrinæque ergo: quarum utraque bonorum omnium oculos, certe meos, in te raptos jugiter adſervas. Etenim niſi exploratum & omnium ſermone celebratum foret, non minus litterariæ rei quam publicæ ſalutem & dignitatem tibi eſſe curæ, non ſuſtinuiſſem tot curis, ſolicitudinibus, & negotiis circumſeſſum, dies noctesque pro communi felicitate excubantem hoc adire munuſculo. Cujus vero in ſinum cupidius quam in tuum confugiunt Muſæ, cum nuſquam amicius excipiantur, nullibi præſidium firmius inveniant? Itaque laborant & contendunt omnibus viribus, ut gratas ſe præ-

beant, & decantent tua in Rempublicam merita. Prædicare haud unquam cessabunt summam tuam prudentiam in administranda Republica; mirificam solertiam & celeritatem in capiundis consiliis, & rebus impeditissimis sagaciter explicandis; singularem fidem & invictam vigilantiam prospiciendi Patriæ: ut tamquam in specula positus pro commodis & utilitatibus ejus undequaque & indesinenter circumspicias. Nec tantum recte agendo temetipsum Patriæ impendis; sed, quod summum laudis est, & recte scribendo præclara ejus gesta memoriæ tradens, æternitati commendas: delata tibi Senatusconsulto perardua hæc provincia, qua belli & pacis dissita negotia, Principum fœdera, hostium conamina, Reipublicæ victorias & triumphos veritatis simplicitate facundiæ lumine posteritati noscenda proponas & repræsentes: Quo munere adeo feliciter fungeris, ut cum ars summa sit, ingenium tamen supra artem exstet. Hisce permotus & suffultus novum hoc Opus (veluti prolem orbatam parente, ideoque posthumam) nunc primum in lucem editum tuæ benevolentiæ obstetricis vices subituræ commendo, tibique tamquam propitio numini servandum voveo, ne livescentium oculorum fascino contabescat, neve iniquo Censorum criterio sine vadimonio jura sua perdat. Causas habes, sapientissime Mæcenas, consecrati Operis, quo cum me simul etiam tibi dico. Felici sidere natum utrumque dixerim, si quandoque illud in manum, & me in excelsi animi tui partem aliquam admiseris. Post illa, quæ inconcussam felicitatem tuam præoptant, votorum meorum hæc summa. Vale.

PRÆ-

PRÆFATIO.



SI quod unquam sæculum benigniori cælorum adspectu ad artium & doctrinarum accessiones faustum & felix exstiterit, hoc nostrum esse, constanter defendimus, & jure merito gloriamur. Tanta quippe eminuit doctissimorum virorum ubertas, qui fœcundi ingenii bonitate, quasi divino quodam afflatu, concitati in omni doctrinæ & eruditionis genere, eo elaborarunt studio & contentione, ut quæ prius impervia & salebrosa, ea nunc velut sentibus amotis obvia & facilia reddita, recentium cuique priorum laudem in se derivandi ansam præbeant. Jam omnium Scientiarum pomœria eo usque sunt prolata, ut ea ulterius proferre improbus sit labor, ne dicam religio. Analyseos speciosioris & infinitorum penetralia reserata vix initiati magno ausu possunt adire. Tribuniciam & Censoriam potestatem adepta Critice, ad scita & leges suas sine ulteriori provocatione cuncta advocat. Quid plura? Uberrimam Philologię segetem plures in manipulos discerptam jure temporis quam multi Auctores sibi arrogant! ut ne spicilegium quidem absque magno impendio faciendum posteris reliquisse videantur. Et heu! quot Eruditorum ingenia otio, velut rubigine, hebetantur, quia falcem suam in messem alienam mittere vel tumidi dedignantur, vel nimis timidi absterrentur: & cum non ulla jugera tantum, verum etiam neque aliquas in litteraria provincia glebas sine possessoris titulo credant inveniri, aliena vivere quadra malunt, quam de alieno fundo censum profiteri. Quot igitur viri præclara litterarum lumina, lucernarum ad instar sepulchralium, mortuorum monumenta lustrare satis superque ducunt, etiamsi oleum & operam perdant in eorum paginis indesinenter evolvendis, dum nihil sibi ipsis detegendum superesse putant, nihil sua lima poliendum ad augmentum rei litterariæ & amplitudinem sui nominis. Sed o seri studiorum! quasi jam omnia essent excussa, omnia aspera complanata, & de puteo tota veritas emersa, nec amplius artes & scientiæ larvatæ appareant, nec fucum pusillioribus faciant ingeniis.

Huic desperationi, vel desidiæ, non hæsit Auctor noster, nullamque remoram offendit, quin ad nostri sæculi felicitatem tuendam juxta & augendam per omnia Musarum & Apollinis regna vagaretur, quærens Spartam primo sibi exornandam rudera omnia Antiquitatis rimaretur, an saltem ex illis aliquod monumentum nomini suo construere posset, materiam superante forma, quam totam ingenio suo imputet. Post multos exantlatos labores, voti tandem compos factus est, præsentisque Operis novitate inventoris fama immortalitati est consecranda. Multi etenim Scriptores Mimorum & Pantomimorum sola vocabula & nominum etymologias innuere satis duxerunt: alii de artificio ipsius saltationis, vel de fabula quadam ab illis desaltata, sed velut ex tripode, oracula pronunciarunt: alii tandem certamina illorum & populi in eos studia. Verum ex parergo pauca & primis labiis delibarunt. Nemo totam hanc provinciam suscipere est ausus, nec totam exhaurire materiam, sive difficultate operis absterritus, sive conscientia virium sibi male fidens: ideoque ex vasto Antiquitatis naufragio sarcina hæc (primi occupantis futura possessio) soli Calliachio propitio sidere obvenit, qui eam sibi adsciscere non dubitavit, tueri quoque certus & potens.

Sed priusquam hujus Syntagmatis synopsin quandam facere incipiamus, Auctoris ipsius prænotionem aliquam præmittere erit operæ pretium, cujus vitam licet Carolus Patinus in suo *Patavino Lyceo* apposite descripserit, non potuit tamen usque ad interitum ejus eam deducere, & simul ostendere, magnum exemplum non invenire, nisi malam fortunam.

Natus est Nicolaus Calliachius Cretæ Anno salutis 1645. ex parentum honestissima familia, sed imagine sua facturus illustriorem, Patriam suam vastantibus immanissimis Barbaris: sed hoc infortunium hac mercede placuit, ut nempe amissis fortunæ bonis pauper, vel pauperi similis, Philosophiæ vacare posset. Ad ingenii sui cultum promovendum adhuc impubis Romam migravit, & in Gregoriano Collegio ætatis suæ acerbitatem præcocis ingenii præstantia & judicii maturitate pensans, Græcarum & Latinarum Litterarum possessione ornatus, novem annorum curriculo Philosophiæ & Theologiæ stadia feliciter emensus, in utraque Scientia lauream adeptus est. Percrebuit hujus juvenis fama in hac quoque Venetorum urbe, solusque visus est capax Archilycei Patavini Moderatoribus Græcæ juventutis instituendæ in Seminario jam proxime erigendo ære Thomæ Flanginii Cyprii; Romaque Venetias evocatus est, ut disciplinis & moribus ad Romani Seminarii exemplar Venetum illud dirigeret. Quo munere suscepto, tam provide existimationi suæ consuluit, ut omnium confessione spem de se conceptam non adimpleverit tantum, sed superaverit. Græcas & Latinas Litteras atque Philosophiæ præcepta ad Aristotelis mentem per undecim annos exposuit, tanto ingenii acumine & intellectus capacitate, ut tanti fama Doctoris fluminis adinstar perennis ex claustris privatæ illius Academiæ efflueret, laxiorique alveo aptanda judicaretur. Igitur cum fato cessisset Joannes Baptista Negronius e Corsica oriundus, qui posterioris Analyseos Aristotelicos textus in sede primaria commentariis enucleabat, excellentissimorum Moderatorum commendatione, summo Senatus consensu in ejus locum suffectus est Anno 1678. Suscepit hanc provinciam Calliachius, totisque ingenii sui nervis contendit, ne sibi imparem, nec exspectatione, licet maxima, minorem se ostenderet. Tanto eruditionis & facundiæ papavere & sesamo dialecticæ austeritatem condivit, ut omnium aures ad delectationem, animos ad sui admirationem alliceret. Interea vero mortuo Comite Petro Franzano, Senatusconsulto in ejus exedram Philosophiæ extraordinariæ primam est subrogatus Anno 1681. in qua sapientiæ & doctrinæ suæ thesauris effusis totam sibi mercatus est gloriam. Tanta quippe ingenii solertia Aristotelicorum oraculorum arcana protulit, & mentem Auctoris assequutus est, ut vel naturæ μυσταγωγὸς, vel Stagyritæ genius judicaretur. Post plures *missus* in hoc Circo philosophico gloriose peractos, eloquentiæ tandem viridaria excolere est jussus; inque Octavii Ferrarii (viri summa eruditione non minus quam summa fortuna præditi) stipendia est avocatus, ut scilicet humaniores Litteras cum Græcas tum Latinas profiteretur; amplissimumque theatrum haberet, in quo magna polymathiæ suæ pompa totum se exhiberet, suoque exemplo probaret, quod in sua quadam prolusione præfatus est, optimum Oratorem nisi Philosophum esse non posse.

Usque ad obitum in hac desudavit palæstra, licet diutius infirmioris valetudinis salo jactatus, atque in-

gravescentibus veterum ægritudinum incommodis, velut decumanis fluctibus, colluctatus: in villulam ad Euganeos colles de more quotannis secedebat, ubi sin minus portum ab accessu pravarum affectionum immunem, tutiorem certe ac minus incommodam stationem agere solebat. Ibi dum procul negotiis, otio atque tranquillitati vacabat, perque has inducias firmiorem cum tenui dubiaque salute pacem atque pristinam humorum adglutinare concordiam adnitebatur, cumque multorum annorum curriculo vim ingravescentis morbi non Stoicorum larvata ἀπαθεία, sed solida animi constantia sustinuisset, anno tandem sexagesimo secundo ætatis suæ ad Superos migravit, mercedem laborum & virtutum præmia accepturus, cum semper adesset lectulo morientis amicorum fidissimus Comes Hieronymus Frigimelica Robertus, qui nobilitatis gentilitio jubari, adscitis virtutum & litterarum splendoribus, ut luminare majus in Patria sua fulget. Hujus tanta fuit in defunctum bonitas, ut pro tessera veteris amicitiæ in monumento familiæ suæ in templo Divi Nicolai posito voluerit condi illius cadaver, ut esset & cinerum, quæ fuit concordia animorum. Talis fuit vitæ & obitus velut in tabula compendiosa descriptio Auctoris nostri, in quo certarunt probitas, candor, humanitas, modestia, & doctrina, quibus multorum Optimatum lucratus est patrocinium: quos sobrie colendo, non superstitiose captando, amicus potius quam illorum adulator censebatur. Inter cæteros vero Petrum Garzonium Senatorem amplissimum tum propter veteris consuetudinis prærogativam, tum vel maxime propter morum suavitatem religiosius prosequebatur. Sylvestrum Valerium ad principatus fastigium evectum eloquentissimo panegyrico typis edito, ut debitæ gratulationis officio, & apparatu laudum non translatitio condecoravit: cujus & hæc non minima pars gloriæ fuit, eo quia in amicum ex Principe submittebatur, & in omnia familiaritatis officia cum tali Cliente descendebat. Quod si fortuna meliori, vel firmiori valetudine usus fuisset, majora certe ingenii & doctrinæ monumenta reliquisset, præter illa, quæ jam penes me asservantur, illius αὐτόγραφα diem suum exspectantia, ut in lucem prodeant ad majores Eruditorum delicias. Impræsentiarum vero exspectationis damnum hoc Syntagma penset, ex quo, ut ex ungue leo, satis superque patescat, qualis quantusque vir ille fuerit.

Ab ovo primordia sumit præsentis Tractatus, & primum de Ludis Scenicis agit, cum & Ludi Mimorum & Pantomimorum Scenicis accenseantur. In primo capite illorum etymologiam a Scena derivasse demonstrat; Scenam vero ἀπὸ τῆς σκιᾶς dictam per E simplex scribi, licet ab antiquioribus per Æ scriberetur. Multa significare affirmat, aliquando formam & speciem alicujus rei, non raro figmentum, ut apud Auctores passim: sed proprie Tabernaculum, Tentorium, seu Domicilium aliquod temporarium ex frondibus, culmis, tabulis, pellibus, similique alia materia ad faciendam umbram, aut arcendas pluvias, ut Servius & Placidus Grammatici confirmant. Immo & Ovidius testatur, hujusmodi temporarium theatrum fuisse Romuli in Ludis, quibus raptum Sabinarum molitus est. Postquam vero theatra æternum statura construi cœperunt, Scenam appellatam fuisse theatri frontem asserit, illam nempe partem ab uno ejus cornu ad alterum extensam, Ludosque Scenicos dictos, qui in hac Scena exercebantur.

In secundo capite Scenæ duas partes describit: interiorem aulæis aut sipariis tectam, ne apparatus spectantium oculis pateret: exteriorem apertam, & Proscenium vocatam, in qua Histriones agebant. Aulæi atque siparii voces promiscue usurpatas, auctoritate Festi opinatur: licet aliqui existiment aulæum in Scenis Tragicis, siparium in Comicis dictum: cumque fabula quævis in quinque actus divideretur, sub finem singulorum siparium obduci, atque reduci sub novi actus initium. His aulæis aut sipariis reductis, Scenæ interiorem formam patefactam in tres partes divisam ostendit: mediam, dexteram, & sinistram: & cum Scena alia esset Tragica, alia Comica, alia Satyrica, tres illas partes diversas quoque fuisse pro fabularum diversitate. In partibus istis tres etiam fuisse januas docet: mediam, a qua Protagonistæ exibant; dexteram, a qua Actores secundarum partium; sinistram, a qua Tritagonistæ: mediam vero alias adjunctas habuisse, quibus affixæ essent machinæ περίακτοι dictæ, quia pro re ac tempore verterentur. Advertit denuo, a Servio duo Scenarum genera poni, versatilium, & ductilium: Primas verti subito machinis quibusdam, & aliam picturæ faciem ostendere: Secundas tractis tabulatis hac atque illac speciem interiorem apicturæ nudre. Ad exteriorem vero Scenæ partem spectare primo Proscenium, docet, in quo Comici cum soccis; Tragici cum cothurnis; Actores alii planis pedibus agerent: non vero in toto Proscenio, sed in suggestu quodam, quod in medio Proscenii excitabatur, & appellabatur Pulpitum, a Græcis λογεῖον, a Polluce θυμέλη, quia ara posita erat, in qua Sacrificia dividerentur. Planum hujus Pulpiti fuisse altius Orchestræ plano, demonstrat, altitudine pedum quinque apud Romanos, ut Senatores ex Orchestra commode spectare possent: fuisseque amplius multo in Romanis theatris quam Græcis; quia Græci chorum & Saltatores in medio plano constituebant, quod ἀπὸ τοῦ ὀρχεῖσθαι Orchestram appellarunt, quam Romani cum Senatoribus destinassent, in Pulpito omnia agebant.

Post Orchestram fuisse Conistram, infimum nempe Theatri solum, Cavea, & Area appellatum, concludit.

In tertio capite de Scenarum mutatione quæstionem tractat, an scilicet Poetæ veteres pro rerum diversitate repræsentanda illas mutarent, ut nunc temporis fieri consuevit. Et primo mutationes fuisse, suaderi videtur auctoritate Servii Maronianos quosdam versus exponentis: Secundo Scenis versatilibus Antiquorum, quæ iterum iterumque versæ pulcherrimarum semper picturarum species præ se ferrent. Tertio Græcorum tetralogiis una eademque die, in quibus quartum drama semper erat Satyricum, quod aliam requirebat Scenam longe diversam a Tragica & Comica. His non obstantibus, Scena in una eademque fabula stabili usos fuisse Veteres, deducitur ex descriptione partium veteris Scenæ a Polluce & Vitruvio enucleate facta: qui tria fuisse Scenarum genera, Tragicum nempe, Comicum, & Satyricum, summo consensu referunt, instructamque vel tragice, vel comice, vel satyrice Scenam numquam in eadem fabula mutatam advertunt, nec mutationis rationem, aut instrumenta exponunt. Secundo ex descriptionibus prodigialis Romanorum magnificentiæ in Scenarum apparatu, apud quos illarum mutationes nusquam legantur: quæ si fuissent, illas nobis describere non neglexissent, quia major fuisset illarum varietas, opulentior, & admirabilior apparatus. Tertio, & validius ex usu machinarum, per quas supplebant Veteres, quæ sine Scenarum mutatione Recentiores spectatorum oculis sistere vix possent. Scenæ igitur versatiles, vel ductiles a Servio sic dictæ, erant illæ, quæ ductilibus ac versatilibus machinis utebantur: vel Pegmata illa a Lipsio nobis descripta, quorum usus erat in theatris ad repentina quædam exhibenda. Ad tetralogias vero Græcorum quod attinet, versis semel machinis a Daniele Barbaro expositis *ad cap. 7. lib. 5. Vitruvii*, atque Scena vel Tragica, vel Comica, vel Satyrica exposita, non amplius mu-

tari consueverat usque ad catastrophen illius fabulæ. Quarto denique, quia nulla ratione verisimiles sunt tales Scenarum mutationes: quis enim adeo rudis hermas putabit, Regiam verbi gratia momento temporis in sylvam, aut pelagus fuisse conversam? Ergo sicut artis poeticæ peritissimus spectatorem ab uno ad aliud tempus longe dissitum numquam transferet; ita si sapit, numquam illum momento temporis ad loca distantissima traducet.

Caput quartum primam Scenicorum Ludorum originem continet, totiusque Antiquitatis sipario reducto, festivæ Paganorum religionis nugas exponit, & ludibria pandit. Probat etenim primo, Ludorum Scenicorum artem primordia sua ab extemporaneis quibusdam conatibus (quod omnibus artibus peculiare) sortitam fuisse, illorumque celebritatem in dies Deorum festos referendam instinctu naturæ institutos, ad colendos scilicet Deos, iisdemque pro acceptis beneficiis gratias agendas, immo & propter remissionem, atque a laboribus cessationem, quod utrumque humanæ naturæ est consentaneum. Festas autem istas celebritates sub ipsum vindemiæ tempus institutas fuisse, libens Athenæo subscribit: licet Aristoteles post collectas fruges atque frumenta in horreis congesta asserat sacrificiis homines cum summa hilaritate operam dedisse; cui adhærent Maximus Tyrius & Horatius. Autumnali igitur tempore Liberum Patrem sacrificiis fuisse cultum autumat, Scenicosque Ludos consecratos, immo & Comœdiam inventam simul cum Tragœdia: quæ sic dicitur, quia κατὰ τὸν τῆς τρύγης καιρὸν εὑρέθη; vel quia τράγος esset canentium victorum præmium, utpote vitibus nocens.

Caput quintum Ludorum Scenicorum ortus & incrementa in Sacris Dionysiacis continet, docendo primo, Veterum sacrificia nil aliud fuisse, nisi publica quædam convivia Diis atque hominibus parata ad mutuam consuetudinem significandam, propter quæ Ludos etiam sacrificiis additos, & antiquioribus illis temporibus hæc omnia composite & moderate facta fuisse: cum enim illis epulis ac Ludis Deos arbitrarentur præsentes, nefas putasse quidquam admittere, quod non eorundem aures & oculi ferre possent: illam tamen Veterum moderationem posteros neglexisse, inque contrariam licentiam, incontinentiam, & ebrietatem degenerasse, & in Dionysiacis agonibus ubi se vino ingurgitassent, hoc est, toto jam pectore Deum hausissent, risus ciendi gratia, se invicem dicteriis provocare, scommatis lacessere, atque vitia tum corporis, tum animi mutuo sibi objectare cœpisse: cumque maximam auditoribus parerent voluptatem hæc scommata, ex iis tam levibus principiis paulatim incendi studia, & Satyris, & Tragœdiæ, Mimisque initium dedisse.

In sexto capite Mimorum originem ex ruderibus Antiquitatis eruere nititur Auctor noster, eorumque inventorem non Philistionem, ut Cassiodorus putat, nec illo antiquiorem Sophronem illum ἠθολόγον, cujus Mimi Platoni adeo in deliciis fuere, ut in iisdem indormisceret; sed Mimorum primos auctores arbitratur fuisse, qui artem ridiculorum primi sudaverunt: conscriptos vero fuisse a Sophrone atque Xenarcho Mimos partim soluta, partimque juncta oratione, adeoque similes fuisse Satyris Varronis & Petronii Satyrico.

In septimo capite varias illorum species apud Græcos, eorumque nomina & etymologias, nec non eorum vestitus, & carminum subjecta, & formas ex Athenæi armariis promit, & luculenter parata Philologis profert.

In octavo de Latinorum Mimis agit, & præcipue de Planipedibus, quorum definitionem ex Diomede *lib.* 3. petitam, utpote optimam, a Vossii censoria virgula defendit. Illorum deinde ornatum describit, & quas Personas repræsentarent, exponit: occurrit denique cuidam objectioni, & opportuna distinctione optime a Festo dictos reciniatos Mimos, ostendit.

Caput vero nonum de Pantomimorum prima origine diffuse & erudite tractat: atque ut e Comœdiæ veluti servitute assertos ac sui juris factos Mimos ostenderat; sic ex istis exortos paulatim Pantomimos non voce & cantu, sed pedum ac manuum agilitate, totiusque corporis variis gesticulationibus facta dictaque hominum & fabulas integras repræsentasse, demonstrat. Saltationem hanc Pantomimicam a temporibus Aristotelis deducit, non vero ab Augusti ævo, ut Suidas, & alii non spernendæ auctoritatis affirmant: opera nempe Pyladis & Bathylli, ut rigidiores libertatis amatores iis ludicris cicuraret Imperator ille, & populum dulcedine otii ad parendum pelliceret.

In capite decimo cum Salmasio in arenam descendit: asserit etenim ille, Pyladem primum saltationis artem a Tragœdia & Comœdia separatam in Scenam Latinam introduxisse; sed nullius Auctoris testimonio, sua tantum fretus auctoritate, rem, quam adstruebat, confirmat: Auctor vero noster testimonio Livii constantissime probat, ante Tragœdiam atque Comœdiam saltationem in Scena Romana visam fuisse; longeque ante Pyladem & Augusti tempora Mimicas & Pantomimicas saltationes ab Tragœdia & Comœdia fuisse separatas. Id vero quando contigerit, in Suetonii fragmento exponit nobis Diomedes *lib.* 3. de variis poematum generibus: ibi namque docet, separationem Mimorum ab Tragœdia & Comœdia ab illo tempore factam fuisse, quo pro Mimis cantica successere, atque tibiæ pares & impares in Comœdiis. Nam Terentianæ fuerunt hujusmodi: & tamen Terentius floruit inter primi & secundi belli Punici tempora: ergo ex tunc Mimi & Pantomimi a Comœdia & Tragœdia separati sunt. Non igitur id evenit sub Augusto ex Pyladis & Bathylli institutione, ut asserit Salmasius. In Scenam vero & Orchestram comparuisse illico ac separatos fuisse, genusque quoddam Dramaticæ imitationis per se constituisse, validissimis rationibus probat. Quid plura? Pyladis ipsius testimonio de Salmasio triumphat, cujus responsione ad Augusti quæsitum clare colligitur, saltationem Pantomimicam non fuisse ejus inventum, sed magis ab illo excultam, & cum tibiis pluribus, fistulis, atque choro exhibitam. Per hyperbolen forsitan ejus inventor audiri potuit.

In capite undecimo primam Pantomimorum originem ex penitioribus eruditionis & doctrinæ alveis diligenter educit. Ante omnia proponit nobis Lucianum asserentem, libello *de Saltatione*, antiquissimam rerum omnium saltationem Pantomimicam extitisse, immo Mundo ipsi coævam, atque cum Amore Deorum antiquissimo exortam, & primum exemplar saltandi ab sideribus & planetis homines desumsisse. Deinde opiniones multorum ad calculos revocando, sola Stagyritæ ex utraque parte perfecta Auctori nostro videtur: & ideo cum eodem lib. *de Poet.* cap. 4. arbitratur, iisdem initiis eodemque tempore & Poesim & Saltationem veluti gemellas fuisse exortas, atque idcirco Saltationem Poesim quandam, sed mutam, appellatam fuisse: & quemadmodum Poesim varie excultam fuisse, atque inde Satyram, Tragœdiam, Comœdiam, & Mimos exortos; ita varia quoque fuisse saltationum genera: aliud nempe Tragicum, & vocabatur Ἐμμέλεια; aliud Comicum, quod Κόρδαξ; aliud Satyricum, quo Σίκιννις dice-

batur : quæ ſaltationes omnes, licet mores, & perturbationes, & actiones exprimerent; id tamen ſibi vindicaſſe potiſſimum illam, quæ Pantomimica eſt appellata, atque poſtmodum Italica; eo quia in Italia maximos progreſſus feciſſet, quia non mores tantum & actiones, ut antea, ſed fabulas etiam integras motibus ac geſticulationibus repræſentaret.

Caput duodecimum Pantomimicæ ſaltationis artificium exponit, tot Auctorum præcinente choro, ut a legentibus non intelligatur tantum, ſed, quaſi dixerim, videatur etiam induſtria illa tam mirabilis Pantomimorum, qui fabulas, quas præcinebant Cantores, variis geſticulationibus primo referebant: creſcente deinde arte magis magiſque in dies, eam evidentiam atque ἐνάργειαν adepti ſunt, ut ipſi ſoli, nullis præcinentibus tibiis, aut cantibus, mutis geſticulationibus tantum integras fabulas eloquentiſſime repræſentarent: idque exemplo Saltatoris illius ex Luciano excerpto evidenter probatur, & demonſtratur etiam, artem illam perfectionis colophona temporibus Neronis maxime acquiſiſſe. Corripit demum textum quendam Macrobii *lib. 2. cap. 7.* & ſimul corrigit ingenioſe, oſtendendo Bathyllum potius quam Hylam diſcipulum cum præceptore ſuo Pylade ad æqualitatis contentionem perveniſſe.

In decimo tertio capite Pantomimorum apparatus, Scena, veſtitus, inſtrumenta etiam muſica exponuntur. Et primo quidem oſtenditur, Pantomimicam ſaltationem apparatum ſibi proprium & peculiari ratione ſibi convenientem habere debuiſſe, poſtquam ſe ſola Ludum Scenicum ab aliis tribus, Tragœdia nempe, Comœdiaatque Satyra diſtinctum conſtituerit: quarum & ornatus ſunt inter ſe diſſimiles, diſpariquetione, ut ex Vitruvio *lib. 5. cap. 8.*

Et Pantomimorum quoque apparatum peculiarem fuiſſe, patet ex Apulejo lib. 10. *Metamorph.* in deſcrip tione judicii Paridis pantomimice deſaltati. Cumque fabulæ, quas illi deſaltarent, aut Tragicæ eſſent, aut Comicæ, aut Satyricæ, convenientem fabulis apparatum adhibuiſſe, liquido conſtat: & ideo nec Vitruvius tribus Scenarum generibus addidit quartum, nempe pantomimicum; ne entia ſine neceſſitate multiplicarentur. Veſtitus illorum non Toga fuit, ne ſcenicis actionibus dehoneſtaretur; ſed Palla, & Tunica, ut ex Suetonio in *Calig.* & Plauto in *Menæchmis*.

Sed illico occurrit difficultas, quam Ferrarius lib. 3. *de Re Veſtiaria* cap. 18. ſubolfecit, ſed non exhauſit: quomodo nempe Saltatores, longis atque fluentibus velati Tunica & Palla, deſaltarent. Cui occurritur opportune reſpondendo, Saltatores Pallis ad talum uſque demiſſis (non iis Gallicis brevioribus, ut quiſpiam gratuito credit) optime fabulas referre potuiſſe, cum manibus potius quam pedibus uterentur: χειρόσοφοι etenim appellabantur, quia capitis, oculorum, manuum, atque totius corporis variis, ſed numeroſis, & compoſitis geſticulationibus omnia referebant potius, quam ſaltibus in altum ſublatis; quando nempe honeſtiores referebant Perſonas: cum vero Silenos, aut alias furentes, alio utebantur habitu iis convenienti, & qui motibus illis & ſaltibus impedimento non eſſet. Adeoque dicendum eſt, Pantomimos uti conſueviſſe habitu accommodatiſſimo Perſonæ, quam referebant. Chorum etiam adhibuiſſe recentiores Pantomimos clarum eſt, chorique carmina apta totius corporis geſticulatione expreſſiſſe, duce & anteſignano Andronico Livio, certo certius: ne ſcilicet motus corporis ex anhelitu vocem interturbaret, neve vox ipſa multum geſticulationi adimeret, licet antiquiores inſimul & canerent, & ſaltarent.

In decimo quarto capite inquiritur, quid eſſet ποδοκτυπία in pantomimicis Ludis. Et ante omnia opinioni Salmaſii textum quendam Luciani male torquentis opponitur, quia οἱ ποδὶ κτυπῦντες non erant οἱ χοροδιδάσκαλοι, ut ille aſſerit, qui chorum moderarentur, atque menſuram percuterent: χειρονομία enim, non ποδοκτυπία, cantus figuralis Græcorum dirigebatur, qui ad octo Muſices tonos efformabatur, & notulas habebat proprias cuique verborum ſyllabæ ſuperimpoſitas, quæ digitis manus dexteræ efformabantur & indicabantur. Probatur igitur validiſſime, ποδῶν κτύπον, de quo Lucianus, non ad Saltatores, ſed ad Tibicines potius ſpectaſſe; idemque fuiſſe, ac ſtrepitum Scabillorum, quæ organa quædam fuerunt inſtar noſtrorum, quæ ſpiritu in tubulis recepto, a Tibicinum pedibus cum ligneis ſoleis, quandoque etiam ferreis, numeroſe pulſata ſonitum emitterent. Scabilla iſta Tibicines, non vero Saltatores, pulſabant, ut falſo credit Nicolaus Abramus in ſuis Commentariis *in 3. Volumen Orationum Ciceronis, in Oratione pro M. Cælio* ad illa verba: *Mimi ergo eſt jam exitus, non fabulæ, in quo cum clauſula non invenitur, fugit aliquis e manibus, deinde ſcabella concrepant, aulæum tollitur*, &c. E quibus vides, inquit nuperus ille Interpres, Mimos, dum ſaltabant, non oculis ſolum fuiſſe blanditos, ſed etiam ſcabellis concrepantibus numerum quendam & concentum ad aurium voluptatem edidiſſe. Quod falſitatis arguitur ex variis Inſcriptionibus a Raphaele Fabretto explicatis, quæ in ædibus paternis aſſervantur, ex quibus patet, Operas ſcabillares numero non parvo exſtitiſſe, cum quatuor Decurias conſtituere valerent: eorumque munera & officia plane a Mimorum & Pantomimorum muneribus disjuncta & diverſa fuiſſe. Nec mirum cuiquam videatur, ſi Tibicen ore tibiam inflando, aliud pede non abſimile organum pulſare poſſet, quia organa illa ſine ulla ſoni varietate tenore quodam continuo feriebantur; & ſyntona fuiſſe credendum eſt cum Salmaſio. Advertendum etiam eſt, Veteres teſtarum crepitu rhythmicum quendam ſonum ſaltantibus commodaſſe ex Ariſtophanis, Juvenalis, & aliorum auctoritate: erant enim teſtæ, vaſa principio fictilia, quorum inventor ex Suida audit Diocles, & bacillo pulſabantur: mox ex variis metallis fuerunt conflata, & Latinis appellabantur acetabula.

In capite decimo quinto examinantur fabulæ a Pantomimis deſaltatæ. Et primo quidem probatur, illa cantica fuiſſe deſaltata, quæ ὑπορχήματα, hoc eſt, ſaltationes voci ſubſervientes dicebantur: exprimebatur enim aliquid ſaltando congruens illi, quod voce canebatur: & qui ἔλεγόν τι κατὰ τὴν ὄρχησιν, ex Athenæo probatiſſimi ſaltantium dicebantur. Et cum Lucianus duo Saltatorum genera feciſſet: aliud ἁπλῶς χορευόντων, atque aliud ὑπορχουμένων; primi ſaltabant, ſed nullatenus exprimebant ſaltatione id quod voce canebatur: alii apta geſticulatione vocibus & cantico congruebant. Cum vero ars illa ad ultimum perfectionis apicem evecta eſſet, quaſcumque fabulas a Poetis Epicis, Tragicis, Comicis, atque Satyricis ſudatas Pantomimicæ ſaltationis fecere incitamenta & exemplaria. Omnium tamen frequentiſſime Deorum fabulæ, utpote ſpectatoribus magis notæ, fuere deſaltatæ: quod jure merito Arnobii nemeſim provocavit *lib. 4.* Deinde & Heroum a Poetarum deſumtæ monumentis: quarum aliæ erant μονοπρόσωποι, quando unus erat Pantomimus, qui unam tantum Perſonam referebat, ut puta Ajacem, Herculem, vel etiam plures, ſed in quas tamen unus ſe transformabat: ut erat illa, cujus meminit Lucianus: Aliæ πολυπρόσωποι, in quibus plures aderant Pantomimi, diverſas Perſonas referentes, atque deſaltantes, quale fuit Paridis judicium ab Apulejo relatum: taleſque Pyladis Saltationes fuiſſe, teſtantur Plutarchus & Athenæus: ex quo etiam diſcimus, a Pylade & Bathyllo fuiſſe conflatam Italicam ſaltationem ex Comica, quam Cordaca,

ex Tragica, quam Emmeliam, & Satyrica, quam Sicinnim appellarunt: & licet omnes iſtas fabulas promiſcue deſaltarent Pylades & Bathyllus, primus tamen in Tragicis, ſecundus in Comicis palmam retulit.

In decimo ſexto & ultimo capite proponit Pantomimos certantes, quinam eandem fabulam venuſtius & magis ad vivum deſaltaret: ut fecerunt Pylades & Bathyllus in Agamemnone deſaltando. Nec tantum gladiatoria φιλονεικία illos certaſſe, (quod Lucianus inficiari videtur) ſed victores etiam fuiſſe coronatos, ex variis Inſcriptionibus deducitur. Immo tanto ſtudio in eos populus ferebatur, ut Tiberius Urbe & Italia expulerit Pantomimos, cum propter eorumdem laſciviam, tum propter ſeditiones, quas nimia in eoſdem faventium ſtudia concitabant, ut ex Tacito *Annal.* lib. 4. & Dione *lib.* 57. Ulterius progrediendi deſiderium Auctoris mors præpropera diremit, filumque vitæ & Operis una abſcidit prope jam ad umbilicum perducti. Quod igitur e fati acerbitate evaſit, tibi, humaniſſime Lector, do, dico toto ſuo pretio æſtimatum. Illud amplexari ne dedignare, ſi in ſinum tuum ſe recipere geſtit. Forſitan & alias Lucubrationes ejuſdem Auctoris non minoris cenſus in diem proferendi ſtimulus mihi erit, ſi præſentem æqui bonique conſulas. Vale.

INDEX CAPITUM.

NICOLAI CALLIACHII
DE LUDIS SCENICIS
MIMORUM ET PANTOMIMORUM
SYNTAGMA.

CAPUT I.

De Scenæ etymologia.



De Ludis veteribus Mimorum & Pantomimorum fusius σὺν Θεῷ acturi, cum hi quoque Scenicis accenserentur, de Scenicis Ludis in universum, hoc est, de eorumdem etymologia ac prima origine, pauca quædam delibare opus est, ad clariorem ac magis absolutum dicendorum intellectum. Ad Scenicorum igitur Ludorum etymologiam quod spectat, Scenicos Ludos a Scena nomen desumsisse, verius est, quam ut pluribus exponi debeat. Inquirendum proinde restat, undenam nomen istud Scenæ derivatum sit, quemq; proprium intellectum habeat. Scenæ vocabulum, nulli dubium est a Græco derivatum: quam enim Græci Σκηνὴν, Latini dixere Scenam; atq;idcirco per simplex E vulgo scribitur, licet ab antiquioribus per Æ scriberetur. *In pluribus enim,* docet Varro lib. 6. *de Ling. Lat.* p. m. 80. *A ante E alii ponunt, alii non, ut quod partim dicunt* scæptrum, *partim dicunt* sceptrum: *alii* fænus, *alii* fenus, *sic* fænisicia, *&* fænisicia. Et Festus quidem, quem citat Josephus Scaliger in suis *Conjectaneis ad Varronem*, ait *proprie rusticorum fuisse, ut diphthongos non pronunciarent, & quod recte* aurum *diceretur, ipsos* orum *dicere*. Sed vereor tamen, ne id usquequaque verum sit: namque Varro in præsentia, alios inquit A ante E ponere, alios vero non. Non fuisse autem rusticos, qui A ante E non ponerent, ut innuere videtur Festus, evincit, quod subdit ibidem Varro inquiens, *a quo rustici pappum Mæsium, non* Mesium, *a quo scripsit Lucilius Cecilius, Næ rusticus fiat, si* Mæsium *rusticorum more pronunciet*. En igitur rusticos *Mæsium* per Æ diphthongum pronunciasse, cum alii dicerent *Mesium* per E simplex. Arbitror proinde non fuisse proprium rusticorum, non pronunciare diphthongos; sed alios quidem sive rusticos, sive urbanos illas pronunciare, alios vero non: seu voces aliquas, quæ ab urbana plebe per Æ pronunciabantur, ab rusticis per E simplex fuisse pronunciatas; & vice versa alias quidem per Æ ab rusticis fuisse prolatas, quas tantum per E simplex cæteri efferrent. Atque idcirco idemmet Varro, ut refert Scaliger *loco* supra *citato*, dixerat; hædum *in Urbe, rure autem* hedum *dici*.

Ad rem nostram, Scenam per Æ ab antiquioribus scribi solitam, non ab rusticis, per E simplex ab Actio fuisse prolatam & scriptam, docet idemmet Varro, ubi *obscænum*, inquit *ab* Scæna, *ea ut Græci, ut Actius scribit*, Scena. Actius autem Poeta fuit, qui sene jam Pacuvio floruit Populo Romano gratissimus: teste Gyraldo *de histor. Poetar.* dial. 8. p. m. 898.

Jam vero Σκηνὴ, hoc est, Scena, aliquando for-

A mam tantum aut speciem alicujus rei significat; atque hac ratione Scenam acceperunt, & Sidonius, dum *lib.* 7. *epist.* 1. *Scena*, inquit, *Mænium publicorum*, hoc est, facies seu species illorum: & Tertullianus lib. *de Anima* inquiens: *cum ipsam corporis Scenam*, hoc est, formam seu speciem, *tempus aboleverit*: & Apulejus *Milesf.* 5. *Scenam*, dicens, hoc est, speciem, *quam sponte susceperat*. Quia vero in Scena utplurimum res fictæ repræsentantur, exinde profluit, ut Scena haud raro pro figmento usurpetur; atque in hoc sensu *lib.* 8. *novi sceleris Scenam*, inquit idem Apulejus; atque Tertullianus *Scenam erroris*, hoc est, figmentum, ap-

B pellat.

Verum si vocis proprietatem spectes, Scena Tabernaculum denotat, Tentorium, seu Domicilium aliquod temporarium ex frondibus, culmis, tabulis, pellibus, pannis lineis, aut laneis, similique alia materia; qualia in castris semper, interdum etiam in hortis erigi solent ad faciendam umbram, aut arcendas pluvias. Dicta autem fuit ἀπὸ τῆς σκιᾶς, scilicet *ab umbra*. Adeoque Servius *ad versum Virgilii* 168. *lib.* 1. *Æneid.*

— tum silvis Scena coruscis

C *Desuper, horrentique atrum nemus imminet umbra:*

Scena, inquit, *inumbratio, ita dicta* ἀπὸ τῆς σκιᾶς.

Atque ita acceptam optime definit Placidus Grammaticus *arborum in se cubantium quasi concameratam densationem, ut subter positos tegere possit.* Nimirum *Scena*, testatur Servius *loco* mox *citato*, *apud Antiquos parietem non habuit, sed a frondibus umbracula quærebant*. Hujusmodi vero & temporarium illud Theatrum fuisse, quod exstruxit Romulus in iis Ludis, quibus raptum Sabinarum molitus

D est, testatur Ovidius lib. 2. *de Arte amandi* v. 100. dum canit:

Primus sollicitos fecisti, Romule, Ludos,
Cum juvit viduos rapta Sabina viros.
Tunc neque marmoreo pendebant vela theatro:
Nec fuerant liquido pulpita rubra croco.
Illic, quas tulerant nemorosa Palatia frondes
Simpliciter positæ, Scena sine arte fuit.

Verum postquam Theatra non lignea & tempo-

E raria, sed marmorea atque æternum statura magnifice construi cœperunt, Scena appellari cœpit Theatri frons, hoc est, illa ejusdem pars, quæ ab uno ejus cornu ad alterum extendebatur: in hac autem Scena, qui exercebantur Ludi, exinde Scenici appellati sunt. De quibus antequam agamus, animus est, Scenam ipsam, ejusdemque partes singulas recensere atque describere. Id enim licet plerique tum ex Antiquis, tum ex Recentioribus præstiterint; ideo tamen obscure at-

que confuse id præstiterunt, ut si Scenam illam veterem, ejusdemque partes distincte ante oculos mentis posuerimus, maximum facturi simus operæ pretium.

CAP. II.

Scena vetus, ejusdemque partes singulæ accuratius describuntur.

Scena igitur frons erat Theatri, sive illa Theatri pars, quæ ab uno ejusdem cornu ad alterum cum coopertura extendebatur. Hujus autem Scenæ duæ erant partes, quarum interior aulæis aut sipariis tegebatur, ne Actores Scenici, atque totus apparatus spectantium oculis pateret. Exterior autem erat aperta, ubi Actores atque Histriones agebant, hæcque Proscenium appellabatur. Agamus, si libet, de priori illa atque intimiori parte, & mox de hac exteriori & aperta.

Pars igitur illa interior velo quodam obducebatur, quod aulæum aut siparium vocabatur. Aulæum quidam existimant fuisse dictum in Scenis Tragicis, in Comicis vero siparium. Festus pag. mihi 423. *Siparium genus veli mimicum:* definiturque a Donato, sive Evanthio, in fragmento de Trag. & Comœd. *Mimicum velum, quod populo obsistit, dum fabularum actus commutantur.* Sed has tamen voces, aulæi nimirum atque siparii, promiscue atque pro eodem fuisse usurpatas, auctor est nobis Festus in fragmento pag. m. 147. ubi ait: *Siparium, quo in Scenis Mimi utuntur, dictum ait Verrius a Velamento, quod vocetur alias aulæum.* Fortassis antiquitus dicebantur aulæa, quæ subsecutis temporibus siparia vocitata sunt. Favet huic conjecturæ Donatus *loco supra cit.*, dum ait: *Aulæa quoque in Scena intexta sternuntur, quo quibus siparia ætas posterior accepit.* Erant autem hujusmodi aulæa, sive siparia, vela quæ prætendebantur, iisdemque Scena velabatur, ne spectatoribus integrum esset, quæ intra Scenam essent, conspicere. Quæ proinde ducebantur, reducebantur, deponebantur, ut Scenæ interioris species spectatoribus appareret. Quamobrem cum fabula quævis in quinque communiter actus divideretur, sub finem singulorum actuum siparium obducebatur, atque reducebatur sub novi actus initium. Clare id innuunt verba definitionis siparii a Donato superius allata, dum dicebatur, *Siparium esse mimicum velum, quod populo obsistit, dum fabularum actus immutantur:* obducebatur enim siparium, dum singuli fabularum actus immutabantur.

Interea vero his aulæis aut sipariis reductis, spectatorum oculis species ipsa, & Scenæ interior forma patebat. Cujus tres erant partes, Media, Dextera, atque Sinistra. Cum autem Scena triplex esset, ex triplici nempe fabularum discrimine, atque alia quidem Tragica, alia Comica, alia Satyrica, pro fabularum diversitate, tres etiam illæ partes interiores Scenæ erant diversæ. In Scena Tragica media pars Regiam exhibebat, ornabaturque Prætoriis, Palatiis, regiisque Turribus. In Comica media pars domus referebat magnificas, projectis & mœnianis ornatas. In Satyrica vero mediam sibi partem vendicabat spelunca. Dextera pars in Tragœdia continebat τὰ ξενῶνα, hospitalia; ædes scilicet hospitibus excipiendis accommodatas: Læva autem pars carcerem. In Comœdia vero non semel Græci præsertim addiderunt Tabernaculum, κλίσιον nuncupatum; ubi a nonnullis Poetis jumentorum statio posita erat; cujus ostia κλισιάδες dicta; quæ idcirco ampliora etiam effingebantur, cum per ea carros & jumenta transmitterent. Alii vero Poetæ hujusmodi partem ad officinæ usum transferebant.

In partibus istis tres occurrebant januæ, Media, Dextera, atque Sinistra. A media primarum partium Actores, Protagonistæ nuncupati prodibant: a dextera Actores secundarum partium: atque a sinistra aliæ humiliores Personæ exibant, dicti Tritagonistæ, aut Tetragonistæ.

Media janua alias utrimque adjunctas habebat, quibus affixæ erant machinæ περίακτοι dictæ, hoc est *versatiles*: pro re enim ac tempore hujusmodi machinæ circumagebantur & vertebantur. In his machinis a dextera quidem efferebantur ea, quæ extra Urbem acta factaque essent: a læva vero, quæ in Urbe jussu permissuque Populi aut Principis, vel etiam iis invitis, acta, gesta, aut transacta fuissent. Per hanc autem prisci quidam Tragici marinos Deos, Acheloum, Thetim, Proteum, aliosque hujusmodi introduxere. Quæ vero Personæ non circumagebantur machinis, sed pedibus veniebant, aliam etiam viam inibant. In Scena aram etiam pro foribus statuit Pollux *lib.* IV. *cap.* XIX. quæ diceretur ἀγυιεύς. Ἐπὶ δὲ τῆς σκηνῆς, verba ipsius sunt, καὶ ἀγυιεὺς ἔκειτο βωμὸς πρὸ τῶν θυρῶν. Aras namque pro foribus stantes, Atticis appellatas fuisse ἀγυιεῖς, advertit Aristophanis Enarrator in *Vespis*. Erant autem nil aliud, quam columnæ (ὀβελίσκους appellat Eupolis) pro foribus stantes, in summa parte acutæ. His autem alii quidem Apollini, alii Baccho, atque alii utrisque proprias & sacras fuisse docent. Alii dexteram Baccho in Tragœdia, Apollini in Comœdia: sinistram ei vel Deo, vel Divo, vel Heroi, vel civi, cui fiebant Ludi, vel justa, vel parentalia. In iis verbenæ apponebantur Apollini, ut est in *And.* Terentii Act. 4. Scen. 3. Baccho hederæ. Vide Scaligerum *Poet.* lib. 1. c. 21. Mensam quoque addit ibidem Pollux πέμματα ἔχουσαν, ἢ θεωρὶς, ἢ θυωρὶς ὠνομάζετο: mensam scilicet placentas & bellaria continentem, quæ θεωρὶς, hoc est, Diis sacra, appellabatur. Erant in hac Scena & aliæ plures partes, episcenia, parascenia, hyposcenia dictæ; de quibus videsis Auctores, atque ex his Bulengerum in *descriptione Theatri Romani & Græci* pag. m. 217. Sed omnium præcipue adverte Scenarum duo fuisse genera, ex Servio *in lib. 3. Georg. ad illud Virgilii,*

Vel Scena ut versis discedat frontibus.

Alia enim erat versatilis, ductilis alia: Versatilis subito quibusdam machinis tota vertebatur, & aliam picturæ faciem ostendebat: In Ductili, tractis tabulatis hac atque illac, species picturæ interior nudabatur. Atque de parte Scenæ interiori ἀρκείσθω ταῦτα.

Ad exteriorem vero partem Scenæ spectat primo Proscenium. Hoc autem, Isidoro teste, *Locus erat ante Scenam patens & liber, in quo Actores sive Comici, sive Tragici, sive Planipedes histrioniam agebant.* Ita Diomedes *lib. 3. Mimi, Latine Planipedes dicti, quod planis pedibus, id est, nudis, Proscenium intrarent, non ut Tragici cum cothurno, neque ut Comici cum soccis.* Ergo Actores alii quidem cum soccis, alii cum cothurnis, aliique planis nudisque pedibus: sed omnes tamen in Proscenio agebant, atque munere suo histrionali ibidem fungebantur. Agebant autem, atque histrioniam exercebant, non in toto Proscenio, sed in suggestu quodam, quod in medio Proscenii excitabatur, appellabaturque Pulpitum. Atque hinc Junior Plinius *Epist.* lib. 4. ep. 90. *Inde ista ludibria, scena, & pulpito digna.* Et Juven. *Satyr.* 6. vers. 78.

Longa per angustos figamus pulpita vicos.

Pulpitum istud Græcis appellatum λογεῖον, atque θυμέλη: ad quod respiciens Martial. *lib.* 2. ad Domitianum ait *epigr.* 5.

Qua Thymelen spectas, derisoremque Latinum.

Hinc λογεῖον, inquit Hesychius, τῆς σκηνῆς τόπος, ἐφ᾽ ᾧ ὑποκεῖται λέγουσι: *locus in Proscenio, ubi dicunt Histriones.* Pollux autem θυμέλην appellat βῆμα τι, εἴτε βωμὸν, *suggestum* scilicet, *seu aram.* Antequam enim Tragœdia exornaretur atque perficeretur, mensa quædam, seu suggestus, in quo stantes in agris Actores canebant, θυμέλη appellata est; ex eo scilicet quia ara in ipsa esset, in qua τὰ θύη, τουτέστι τὰ θυόμενα ἱερεῖα, sacrificia scilicet dividerentur. Atque ad hanc aram in Pulpito, sive Proscenio, positam allusit Plautus in *Amphitr.* dum ait in Prol. vers. 91.

Etiam Histriones anno cum in Proscenio hic
Jovem invocarunt, venit, &c.

Planum autem hujusce Pulpiti erat altius Orchestræ plano, altitudine pedum quinque apud Romanos: nempe ut Senatores, qui in Orchestræ plano sedebant, commode agentium gestus spectare possent. Proinde apud Romanos Scena, atque Proscenium Pulpito, Pulpitum altius erat Orchestra. Amplius quoque multo erat Pulpitum istud in Romanis Theatris quam in Theatris Græcorum. Discriminis ratio, quoniam Græci Saltatores & Chorum in medio plano constituebant, quod ἀπὸ τοῦ ὀρχεῖσθαι, nempe *a saltando*, Orchestram appellarunt. Igitur apud ipsos Tragici solum & Comici Actores in Scena & Pulpito fabulas suas recitabant: ast Actores reliqui suas in Orchestra agebant actiones. Non ita Romani: cum enim hi locum Senatoribus in Orchestra destinassent, in Pulpito omnia agebant: hæcque * propter hoc etiam multo ampliore, quam Græci, utebantur.

Cæterum cum Pulpitum idem esset ac suggestus, Pulpitum etiam appellatus est suggestus, ex quo Professores docerent, aut declamarent. Atque huc vergit quod apud Suetonium legimus *de claris Gramm.* cap. 4. *Quendam Principem nomine mane disserere, post meridiem remoto Pulpito declamare solitum.* Quintilianus quoque *Demosthenem* ait *angusto Pulpito stantem declamare solitum.* Græci autem Christiani ἄμβωνα, *ambonem*, appellaverunt Pulpitum, hoc est, suggestum illum in Ecclesia, in quo Diaconi, vel Sacerdotes ad Populum sermonem haberent: quod etiam Lectorium appellatum est, quod in eodem Evangelia ab Diaconis legerentur.

Tandem post Pulpitum occurrebat Orchestra, Græcis Ὀρχήστρα, ita dicta ἀπὸ τῆς ὀρχήσεως, *a saltatione*, quod in ea apud Athenienses Chorus esset, atque Thymelici & Musici Actores saltarent. Ideo, ut superius advertimus, Orchestræ planum apud ipsos amplius erat quam apud Romanos: quoniam illi Scenam & Pulpitum Tragicis & Comicis Actoribus, Orchestram vero Choro, atque aliis Thymelicis Musicisque Artificibus assignaverant: qui cum in plano illo Orchestræ saltationes ederent suas, exinde nomen Orchestræ dederunt. Ex quo cursu & saltatione Orchestra Tarentinis dicta fuit δρόμος: ideoque Hesychius: Δρόμος, ἡ Ὀρχήστρα Διονυσιακοῦ θεάτρου παρὰ Ταραντίνοις: *Dromus, Orchestra Dionysiaci Theatri apud Tarentinos.* Romani Orchestram subselliis Senatorum assignaverant: adeoque Vitruvius *lib.* 5. *cap.* 6. *Orchestra*, inquit, *locus est inter Scenam & cuneos, Senatoribus ad spectandum*

* Videtur leg. *atque*, vel quid simile.

A *dum assignatus*: atque hinc Tullius de Provinciis Consularibus, *Consul Piso*, inquit, *nunc in Orchestra helluatur, antea post siparium.* Id vero posterioribus Reipublicæ temporibus factum est: nam a principio, toto scilicet quingentorum annorum spatio, Senatus populo permixtus spectaculis interfuit. Sed ad extremum Atilius Serranus & L. Scribonius Ædiles, Majoris Africani sententiam secuti, separari Senatorum sedilia jussere; quæ non fuere stabilia, sed pro tempore in Theatrum ferebantur, ibique collocabantur: ubi docet Vitruvius, ut ostendit Barbarus *in Vitruvium, inter Senatores, adeoque in Orchestra locus sociarum gentium Legatis datus.* B Quo more cum Germanorum Legati accersiti non essent, ultro sese ad Senatorias sedes contulere, atque recepti consedere. *Barbari fuit*, subdit ad hunc locum Jul. Cæs. Scaliger. lib. 1. *Poet.* cap. 12. *non accersere: Germanum, uti etiam inferiorum Gentium prærogativa: Romanum, agnoscere, quod & suum esset, & aliorum quoque esse vellent.*

Sed labentibus deinde temporibus moribusque, Caligula Equites quoque & Equitum uxores in Orchestram induxit: quod postea Claudius imitatus est, teste Dione *lib.* 60. pag. m. 669. ubi de Claudio loquens, εἰσήγαγε, inquit, ἐς τὴν Ὀρχήστραν ἄλλους τε C ἱππέας καὶ γυναῖκας τῶν ὁμοίων· ὅπερ που καὶ ἐπὶ τοῦ Γαΐου τοῦτο ποιεῖν εἰώθεσαν: scilicet, *induxit etiam Equites atque Equitum uxores in Orchestram: quod facere & sub Cajo consueverant.* Sed & plures etiam Libertini generis in Orchestram irrepserant, vel ante Caii & Claudii tempora: quam ob rem Augustus, teste Scaligero ubi supra, in Orchestra Legatos sociarum Gentium non recepit, cum eum locum a Libertini generis hominibus occupatum deprehendisset.

Advertendum autem est, hujusmodi Orchestram aliam quidem fuisse in Theatro, ubi Scenici Ludi spectabantur; atque aliam in Amphitheatro, ubi D Gladiatorum munera, venationes, naumachiæ, atque alia id genus spectacula edebantur: namque in Theatris Orchestra erat ipsum Theatri planum, ad quod recta ex Proscenio & Pulpito descendebatur. Atque in hoc plano subsellia pro tempore collocabantur, in queis Senatores aliique honorati homines sedendo ludos Scenicos spectarent. In Amphitheatro autem, cum istud planum cederet aut Gladiatoribus, aut sylvis, seu navibus, cum naumachiæ, aut venationes exhiberentur; Orchestra appellabantur quatuor, aut quinque gradus inferiores atque proximiores Arenæ, unde optimus erat inspectionis locus. Igitur gradus illi quatuor, aut E quinque, qui statim post Podium assurgebant, & supra quos erant alii quatuordecim, Equestria appellati, utpote Equitibus Romanis destinati, constituebant Orchestram in Amphitheatro. Erat autem Podium, ut optime exponit Lipsius c. XI. *de Amphitheatro, Muri illa pars projectior & prominentior, ante imum spectaculorum gradum, cui columnæ impositæ cum epistyliis ad ornatum, sive, cum liberet, ad innixum.* In hoc Podio eminentior quidam suggestus erat exstructus in cubiculi formam, ex quo Cæsares & Imperatores spectabant. In hoc eodem Podio sedes erant Consulum, Prætorum aliorumque Magistratuum, quibus jus esset Sedis F Curulis; Imperatores tamen aliquando ex Proscenio spectarunt: testis Suetonius in *Nerone* cap. 12. ubi habet: *Hos Ludos spectavit e proscenii fastigio.* Alii autem Magistratus cum suis sedibus, lictoribus, viatoribus, & magistratus sui pompa ad Podium spectabant: in hoc sedebant etiam Editores, quando forte non erant aut Cæsares ipsi, aut Consules, seu Prætores. Virginibus Vestalibus datus etiam est locus in Podio, contra Prætoris Tribunal, jussu ipsius Augusti, ut liquet ex Sue-

Suetonio. Gradus autem, qui statim supra Podium assurgebant quatuor, vel quinque, appellabantur Orchestra, eratque locus ex quo spectabant Senatores & Sacerdotes: atque huc alludens Ausonius in *Ludo Sapientum* ait:

—— tu qui Orchestræ proximus
Gradibus propinquis in quatuordecim sedes.

Nimirum in Orchestra Senatores, proximi autem Orchestræ erant quatuordecim gradus Theatri, in quibus Equites sedebant: unde & Suetonius in *Julio* cap. 39. *Decimus Laberius Eques Romanus Mimum suum egit: donatusque quingentis sestertiis, & annulo aureo, sessum in quatuordecim e Scena per Orchestram transiit.*

Sed ex hac Amphitheatri ad illam Theatri Orchestram redeamus; in qua Græci aram Dionysio collocarunt, quæ *ἀπὸ τῦ θύειν, a sacrificando,* Θυμέλη, Thymele, dicta est. Ibidem Tripodes etiam Baccho sacros videre erat, ad quos allusit Aristides *Orat. de concordia* ad Rhodienses, dum ait: *ἀποβλέψατε δὲ καὶ πρὸς τὺς Τρίποδας τὺς Διονύσυς τυτυσί. πάντως δὲ χείρετε αὐτὺς εἰσορῶντες:* nempe, *adspicite hos Tripodas Libero sacros; omnino autem gaudetis eos adspicientes.*

Post Orchestram erat Conistra, infimum scilicet Theatri solum, idcirco Cavea, & Area appellatum. Plaut. in *Amphitr.* Prol. vers. 65.

Ut conquisitores singuli in subsellia
Eant per totam Caveam.

Et M. Tullius *de Amicitia: Qui clamores tota Cavea nuper in hospitiis & amici mei M. Pacuvii fuerunt nova fabula, cum,* &c.

Tandem illud advertendum, apud Latinos Auctores Orchestræ nomine locum etiam illum appellatum, in quo a Poetis & Oratoribus carmina & Orationes suas recitaturis cathedræ auditoribus collocabantur. Quo sensu Juvenal. *Satyr.* 7. vers. 45.

—— quanti subsellia constent,
Et quæ conducto pendent anabathra tigillo,
Quæque reportandis posita est Orchestra cathedris.

Ad quem locum, *Orchestra,* inquit vetus Scholiastes, *spatium in Theatro, quod Pantomimo saltanti vacabat. Ejusmodi autem & Poetæ legitur, in quo stans recitet.* Atque hæc de Scena, & ejusdem partibus (de quibus mirum quam involute & obscure egerunt Auctores) invenisse sufficiat.

CAP. III.

An Poetæ & Actores veteres in eadem Fabula, prout res forent diversæ repræsentandæ, Scenas mutarent, ut nunc temporis fieri consuevit.

Licet nostri temporis Theatra Veterum, ac præsertim Romanorum, magnificentiæ nulla ratione comparari queant; Scenicus tamen apparatus splendide satis adornari consuevit. Actus singuli plures Scenæ mutationes exhibent, quæ tantam varietatem præ se ferunt, ut spectatorum oculos mirifice capiant; & sin minus ex sui constitutione, ex iis certe non parum admirabiles fabulas reddant. An vero id ex arte fit, atque Actoribus & Histrionibus mutationes hujusmodi permittendæ, sunt qui merito dubitant. Cum igitur de Scena & ejusdem partibus hactenus egerimus, libet rem hanc ad disquisitionis calculos revocare; & primo quidem perquirere, an hujusmodi mutationibus Veteres unquam usi fuerint: ac deinde, an, & quatenus Recentioribus permittendæ, aut saltem tolerandæ sint, stabilire.

Et sane mutationes istas Scenarum inter actus usurpatas Veteribus quoque fuisse, non invalide suaderi videtur Servii Grammatici haud spernendi auctoritate, qui ad illud Maronis ex 3. *Georgicorum* vers. 24.

Vel Scena ut versis discedat frontibus: utque
Purpurea intexti tollant aulæa Britanni:

Duo, inquit, *fuisse Scenarum genera: Versatilis una, Ductilis altera. Versatilis erat, cum tota machinis quibusdam verteretur, & aliam picturæ faciem ostenderet: Ductilis, cum tractis tabulatis hac atque illac species picturæ nudaretur interior.* Quod si igitur in veteribus fabulis modo tota Scena machinis quibusdam versa, modo tractis hac atque illac tabulatis, alias atque alias picturæ species & formas exhibebat, profecto plures igitur hujusmodi Scenarum mutationes Veterum fabulis inerant: nam nostris quoque temporibus non alia ratione fiunt, quam aut tractis hac illac tabulatis, aut per machinas conversis.

Confirmari autem potest hæc sententia primo: Quoniam inter alios longe plurimos, qui Scenam antiquitus apparatu superbissimo instruxerunt, referuntur Luculli Scenam fecisse versatilem. Quæ res si miraculo atque admirationi Romanis civibus exstitit, profecto exinde tota orta est, quod iterum iterumque ac sæpius versa pulcherrimarum semper picturarum species faciesque præ se tulerit; idque in una & eadem fabula.

Confirmari potest secundo. Namque in antiquissimis Græcorum Tetralogiis, in quibus eximii illi Poetæ una eademque die quatuor diversis Dramatibus in certamen descendebant; constitutis Judicibus, qui Victores pronunciarent, iisdem statuta præmia dividerent; quartum Drama erat semper Satyricum. Poetæ veteres, testatur Laertius Diogenes in *Platone*, *τέτρασι δράμασιν ἠγωνίζοντο, ὧν τὸ τέταρτον ἦν Σατυρικὸν*, hoc est, *quatuor dramatibus decertabant, quorum quartum erat Satyricum.* His suppositis, cum Drama Satyricum aliam requirat Scenam longe diversam a Tragica, (alia enim est Scena Tragica, alia Comica, atque alia Satyrica, ut superius notabamus) profecto Scenam mutari summe necessum erat in veteribus Tetralogiis, dum editis Tragicis postremum Drama quoque Satyricum edebatur. Cum enim post Tragica in eodem Theatro statim Drama Satyricum ederetur, nisi Scena verti potuisset, atque aliam speciem præ se ferre, vix ac ne vix quidem Satyricum Drama statim post Tragica edi potuisset: non enim tam parum temporis suffecisset, ut Scena ex Tragica præsertim penitus diversa in Satyricam adornaretur. Quod si ita igitur Scena erat constituta, ut facile ex Tragica in Comicam, aut Satyricam migrare posset, profecto versatilis igitur erat: adeoque non in diversis solummodo dramatibus, sed in una atque eadem fabula, ubi licuisset, facile verti poterat, atque plurimas Scenarum mutationes præ se ferre; ut in nostratibus cum voluptate & plausu usu venit.

His tamen non obstantibus, Scena in una & eadem fabula stabili usos fuisse Veteres, tam certum esse convincitur, ut nullus hac super re dubitationi relinqui locus videatur.

Nam sive Pollucem, sive Vitruvium, sive alium, A quemvis ex Antiquis consulamus, qui Scenæ veteris genera ejusdemque partes pensiculate atque enucleate descripserunt; Tria quidem fuisse Scenarum genera, Tragicum, Comicum, Satyricum, summo consensu referunt, singularum etiam partes accurate expendunt; cæterum instructam semel aut tragice, aut comice, aut satyrice Scenam, nunquam in eadem fabula mutatam advertunt, neque ullam ad hujusmodi mutationes exsequendas rationem, aut instrumenta exponunt. Indicio vel maximo, semel instructas Scenas a protasi ad catastrophen easdem semper permansisse, neque ullam subivisse mutationem, nisi ubi fabulas forte mutari contingeret. B

Ratio facta validissime confirmatur: crescente namque luxu, præsertim apud Romanos, tanta Scenæ magnificentia instrui cœperunt, ut jam ὁ τῆς ὄψεως κόσμος, loci scilicet apparatus, longo intervallo fabulis, licet summa industria ab ingeniosissimis Poetis concinnatis admirabilior videretur. Non desinit unquam admirari Plinius *lib.* 34. *cap.* 7. & 36. *cap.* 2. 5. 6. 15. varium istum atque magnificentissimum Scenarum apparatum: quippe auro, argento, Attalicis vestibus, tabulis pictis, signis, columnis, atque aliis hujusmodi pretiosissimis ornamentis distinguebantur. In Theatro M. C Scauri, qui Sullæ gener fuit, Scenam triplicem fuisse, refert *cap.* 15. *lib.* 36. in altitudinem 360. columnarum: imam ejus partem e marmore fuisse; mediam e vitro, inaudito etiam postea genere luxuriæ: summæ tabulis inauratis columnæ: imæ duodequadragenum pedum: signa ærea inter columnas fuisse tria millia numero. Addit *ibidem*, C. Curionem, qui bello civili in Cæsarianis partibus obiit, funebri patris munere, Theatra duo juxta fecisse amplissima e ligno, cardinum singulorum versatili suspensa libramento, in quibus utrisque antemeridiano ludorum spectaculo edito inter sese aversis, ne invicem obstreperent Scenæ, & repen D te circumactis, ut contra starent, cornibus inter sese coeuntibus faciebat Amphitheatrum, & Gladiatorum spectacula edebat, ipsum magis authoratum Populum Romanum circumferens. Profecto majus aliquid est Theatrum universum versatile, quam solam Scenam versatilem facere. Sed tamen, si in una atque eadem fabula hæ quoque verti atque mutari Scenæ consuevissent, jam obvium est cuique conjicere, quanto major fuisset earumdem varietas, quanto opulentior & admirabilior apparatus: quem proinde describere nobis non neglexissent accurati alias & navi prodigialis Romano rum luxuriæ descriptores. Cum igitur nusquam E legamus hujusmodi Scenarum mutationes, necesse omnino est fateri, illas minime in usu fuisse: adeoque semel instructis Scenis, in illis integras fabulas repræsentatas.

Sed rem hanc adhuc confirmare videntur machinæ, quarum in Theatris frequentissimum usum fuisse constat. Nimirum ante portas, quibus Scenæ facies distinguebatur, machinæ apponi consueverant, postibus portarum affixæ, quas Græci περιάκτυς, hoc est, *versatiles*, appellabant, ut superius innuimus: ut enim res aut tempus requirebat, circumagebantur, ac spectatorum oculis nun- F tios, peregrinos, cives peregre revertentes siste bant. Tertia alia erat machina, quam alii ἐξώστραν, alii ἐγκύκλημα nominabant: eratque sedes sublicis elata, strata longuriis, super quibus sella, ubi loci ea recitabantur, quæ patrata fuissent secreto in ædibus. Quarta erat machina, quæ remedia accersebat humanis majora: demissa namque Deos ostendebat ex improviso, aut Heroas per aerem ferebat, ubi opus fuisset. Atque hinc Pollux *lib.* 4. *cap.* 19 ponit θεολογεῖον, unde Dii super Scenam apparebant; κεραυνοσκοπεῖον, ex quo fulmina Jupiter jaculabatur; & βροντεῖον locum post Scenam, in quo utribus calculis confusis & per aera versatis tonitru fiebat. Plurima de his atque aliis machinis occurrunt apud istarum rerum Scriptores, quibus utebantur veteres Poetæ ad ea repræsentanda, quæ aut extra Urbem, aut in Urbe gerebantur, in locis scilicet, quorum imagines Scena ipsa spectatorum oculis non subjiciebat. Non erat igitur, cur alias Scenæ mutationes adhiberent: nam & temporibus nostris, hisce mutationibus utuntur Actores ad ea referenda, quæ aut in hortis, aut in sylvis, aut in portu, aut in mari, aut in intimis penetralibus geruntur: mutatæ quippe Scenarum facies modo portum, modo mare, hortum alias, alias nemora, atque alia id genus referunt: quæ Veteres sine Scenæ mutatione per machinas supplebant.

Sed quænam est igitur, dicet hic aliquis, divisio illa Scenæ in ductilem, atque versatilem, cujus nobis meminit Servius? Equidem machinas alias versatiles, alias ductiles antiquitus in usu fuisse, passim lego. Scenam aliam versatilem, aliam ductilem solus appellat Servius, non contemnendus hercle Grammaticus; sed id tamen nullo antiquioris Auctoris citato testimonio. Restat igitur, illam appellatam ab Servio fuisse Scenam ductilem atque versatilem, quæ ductilibus ac versatilibus machinis uteretur. Sane eruditissimus Turnebus *Advers.* lib. 5. cap. 4. ad illud idem Virgilii testimonium ex 3. *Georgicor.* allatum: *Hic existimo*, inquit, *significari Scenam, quæ periactos habet, ubi versatiles sunt machinæ, auctoribus Vitruvio lib.* 5. *cap.* 7. *& Polluce lib* 4. *cap.* 19. *quæ versatæ, quæ extra Urbem, aut quæ in Urbe erant, ostendebant: nam & dextra & sinistra erat*. Tarquinius Gallucius de Tragœdia ad calcem *cap.* 8. communem quidem Scenam stabilem fuisse docet, hoc est, quæ verteretur, neque diduceretur in partes, sed eandem semper ostenderet spectatoribus speciem: sed ad ostentationem tamen majorem & luxum varia eidem appingi additamenta consuevisse; nec materia tantum, sed etiam forma diversa fuisse adornatam: quemadmodum ergo Scena interdum aurea fuit, ut Petreii; interdum argentea, ut Antonii & Murenæ; interdum marmorea, ut M. Scauri; interdum versatilis ex ligno & suspensa cardinibus, ut Curionis; ita interdum etiam fuisse ductilem, hoc est, quæ hac atque illac tabulis tractis interiorem picturæ speciem denudaret, ut vult Servius ad illud Virgilii ex 3. *Georg.* citatum.

Aliter & magis ad rem præsentem fortassis, eadem Virgilii verba exponit Ludovicus de la Cerda, putans Maronianum illum locum de Romano Pegmate intelligendum esse. Pegma, machina quædam erat e ligno, cujus erat usus frequentissimus, & in Theatris, & in Arenis. Eratque, ut optime describit Lipsius cap. 22. *de Amphith.* grandis quædam & ingeniosa contabulatio, raris quibusdam compacta tabulis & sublicis, quæ sponte statim cresceret, statim subsideret. Ita enim fabricata erat, ut conjuncta subito discederent, disjuncta subito conjungerentur; convertebatur etiam quamcumque in partem; neque id tantum, sed sursum etiam surgebat, deprimebatur deorsum. Hæc omnia Pegmatis munera exprimit nobis Seneca *ep.* 91. ubi legimus: *His licet annumeres Machinatores, qui Pegmata ex se surgentia excogitant, & tabulata in sublime crescentia, & alias ex inopinato varietates, aut dehiscentibus quæ cohærebant, aut quæ distabant sua sponte cohærentibus: aut iis, quæ eminebant, paulatim in se residentibus*. Hæc autem machinæ duplex habuit nomen, subdit de la Cerda, Scenæ nimirum & Pegmatis.

Dicta est Scena, quod constructa in modum tabernaculi: nam latiore significatione temporaria quæcumque domicilia ex frondibus, culmis, pellibus, tabulisque dicuntur Scenæ. Pegma vero dicta est origine Græca ἀπὸ τῶ πήγνυμι, quod est *figo, compingo*. Itaque Glossæ priscæ πῆγμα interpretantur *confixum*: & Apulejus ad vim ipsam verbi alludens, confixilem machinam appellavit.

Ex his igitur liquere potest, quænam essent Scenæ illæ versatiles ac ductiles, de quibus loquitur Servius. Non enim intelligendus est de Scena ipsa, quæ frons erat Theatri, (hæc enim secundum rationem fabularum stabilis erat) verum de Pegmatis hisce, seu scenis, quarum erat usus in Theatris ad repentinos Deorum adventus, atque ad alia plura, quæ essent de novo in Fabula exhibenda. Hæ namque cum tractis hac illac tabulatis, dehiscentibus quæ cohærebant, alias atque alias species referrent, modo totæ conversæ aliam picturæ faciem ostenderent, merito ductiles atque versatiles appellari potuerunt. Sed instabis fortassis adhuc: Non has solum Scenas, hoc est, Pegmata, sed Scenam ipsam principalem, & Theatri frontem versatilem esse debuisse, nempe ut statim post Tragica, Satyrica possent Dramata repræsentari ab Actoribus. Verum enimvero pluribus in dies Dramatibus ad singulare certamen descendere solitos Athenis Actores, legimus; quorum etiam quartum Satyricum semper fuisse, testatur Laertius: sed hujusmodi Tetralogias atque certamina apud Romanos viguisse, legimus nusquam. Virgilius autem, atque ex ipso Servius, de Romanis loquebatur, dum Scenas alias versiles * fuisse dixit, aliasque ductiles. Nil proinde mirum, si quæ ad solvendam hanc difficultatem ex Servio allatam faciunt, non convenirent, nec satisfacerent illis Scenarum mutationibus, quibus Græci in suis Tetralogiis uterentur. Verum ne quis suspicari, aut dubitare queat, Græcos saltem nostratibus Scenarum mutationibus usos fuisse, operæ pretium fuerit exponere, qua ratione frontem ipsam Theatri, hoc est, Scenam, mutarent, cum statim post Tragica, Satyrica Dramata essent edenda. Rem hanc autem nobis prorsus ob oculos ponit Daniel Barbarus in suis doctissimis *Commentariis ad cap. 7. lib. 5. Vitruvii*: ibi namque hæc habet: *Valvæ mediæ, quæ medio cuneo e quinque Scenæ attributis respondent, ab ornamentis & amplitudine, quam habebant, regiæ dicebantur. Utrimque aliæ portæ erant concharum modo, quas* Nichios *dicimus. Ita pro fronte Scenæ tres erant apertiones, ante quas in singulis machinæ erant collocatæ triangulares, axibus versatiles: in singulis earum frontibus picturæ erant, secundum fabularum, quas agebant, opportunitatem. Nam in una Comica Scena pro Comœdiis, in altera Tragica pro Tragœdiis, in tertia Satyrica pro Satyris designabatur*. Hactenus Barbarus: ex quo jam intellectu facillimum est, qua ratione Veteres illi post Tragicam, Comicam statim, aut Satyricam fabulam edere possent in eodem Theatro: nam iis duntaxat versis machinis, alia statim atque alia Scenæ facies apparebat, Tragœdiæ nempe, aut Comœdiæ, aut Satyris conveniens. Cæterum versis semel hisce machinis, atque Scena aut Tragica, aut Comica, aut Satyrica spectatorum oculis exposita, Scena non amplius mutari consueverat ad exitum usque & catastrophen illius fabulæ.

Ex his autem satis clare demonstratum arbitror, nostratibus Scenarum mutationibus Veteres usos minime fuisse, licet in apparatu scenico adornando quamcumque nostrorum temporum magnificentiam longissimo intervallo superarent.

* Rescr. *versatiles*.

Non deest autem & validissima ratio, propter quam fortassis hujusmodi mutationibus uti detrectarunt. Artis namque Poeticæ peritissimi atque intelligentissimi Actores facile perspicere potuerunt, hujusmodi mutationes nulla ratione verisimiles esse: quid ergo mirum si easdem neglexerunt, cum totius Poetici laboris scopus & finis esse debeat verisimilis repræsentatio? Sane quis adeo rudis hermas est, qui putare, aut imaginari possit, locum illum, qui sibi Regiam, verbi gratia, referebat, momento temporis in sylvam, aut carcerem, aut pelagus fuisse conversum; adeoque non Reges, aut aulicos Proceres agentes & colloquentes, sed vel naufragia, vel venationes, vel catenas, & compedes, aut supplicia, vel id genus alia exhibere? Profecto quemadmodum navus Dramatum Scriptor spectatorem ab uno ad aliud distans tempus transferet nunquam; idque summæ inverisimilitudinis ergo, quæ nunquam sinet nos existimare id reapse ita contigisse: ita si sapit, imo vero ut sapiat, nunquam spectatorem ἐν ἀκαρεῖ, momento scilicet temporis, ab uno ad alium longe dissitum atque distantem locum traducet. Quippe momento temporis ad loca distantissima deferri, vix ac ne vix quidem beatarum Mentium pernicitati conceditur. Adeoque quemadmodum Poeta artis suæ non negligens ita fabulæ partes coaptabit atque connectet, ut tota, integra, verisimilis, atque admirabilis appareat illo tempore, quod spectatores transire verisimiliter potuisse arbitrantur a principio ad finem usque repræsentationis: ita quoque repræsentationem illam terminis circumscribet illius loci, cui interesse sibi videntur immoti spectatores. Proinde si, quemadmodum Priscis in more positum fuit, ita adornetur Scena, ut fronte regias domos referat, a lateribus hospitalia, aut carcerem; licebit hercle reclusis Regiæ, hospitalium, aut carceris valvis & foribus, quasdam velut illarum interiores partes exhibere, atque ita variis rerum imaginibus atque picturis spectatorum oculos pascere. Cæterum ubi semel Regiam fixerunt, ibidem ex improviso aut sylvam, aut castra, aut aliud simile subjiciet nunquam: hoc enim nunquam verisimile, adeoque nunquam ex arte futurum est. Jure igitur omnes fere nostri temporis Actores damnabimus, dicet hic aliquis: hi namque hisce mutationibus Scenarum in eadem fabula passim utuntur; qui tamen non reprehensionem, sed plausum potius & admirationem maximam referunt. Ego vero, si in hac tantum re in leges verisimilis delinquerent nostrorum temporum Actores Scenici, non admodum grandem iisdem dicam impingerem, nec in invidiam raperem. Magis doleo, quod in aliis pluribus & quidem gravioribus adhuc enormius peccant. Sed in hac etiam re, qui excusari possint, non video; nisi, ut solent, (temere ne dicam, an libere) fateantur, quod volentes atque scientes peccant: nam vel nulla ratione habita priscorum exemplorum, quorum tamen summa semper fuit auctoritas, dummodo quidquam iis saliat in dextra parte mamillæ, mutationes istas verisimiles non esse facile judicabunt. Et tamen, ut majori aliqua voluptate minus attentum atque eruditum spectatorum vulgus perfundant, ab artis suæ & verisimilis legibus discedere tanti putant.

CAP. IV.

Inquiritur prima Scenicorum Ludorum Origo.

Scenicorum Ludorum quatuor præcipuas fuisse formas, seu mavis species, Tragœdiam

nimirum, Comœdiam, Satyram, & Mimum, Philologorum omnium est summa consensio. Porro quandonam hi primum civitate Romana donati fuerint, atque apud Martium illum Populum in usu esse cœperint, luculenter nobis tradit Livius, ut infra patebit. Major eaque difficilior controversia est de prima istorum Ludorum origine in universum, quam in præsentia disquisitius examinare animus est. Igitur cum Artes omnes perfectæ atque numeris omnibus absolutæ ab extemporalibus quibusdam & sine arte conatibus exortæ sint; quibus conatibus ipsa natura faces & stimulos addidit, quæ idcirco πρῶτόν τι καὶ ἀρχέτυπον γενέσεως στοιχεῖον ἐπὶ πάντων ὑφέστηκε, *primum* scilicet *atque archetypum generationis principium rebus omnibus subest*, ut optime advertit Longinus; ideo Ludorum hujusmodi Scenicorum ars, quæ mirum in modum posterioribus temporibus exculta est, ut videbimus, prima quidem sua initia ab extemporalibus quibusdam conatibus sortita est, quæ dubio procul orta sunt a natura. Nimirum tota Scenicorum Ludorum celebritas in dies Deorum festos referenda est: adeoque primum atque archetypum istorum Ludorum initium in natura collocandum est; cujus stimulis & instinctu festivæ illorum sacrorum celebritates institutæ sunt. Sane nihil hominum naturæ magis est consentaneum, quam post labores quieti indulgere, atque otio negotia interpolare. *Cum enim laborem ferre sempiternum datum non sit*, inquit Naturæ genius Aristoteles *Ethic.* lib. 10. *cessatione opus est*. Atque primo *Rhetor.* cap. 38. tex. 445. cum *jucundum illud esse* statuisset, *quod ad id accedit, quod rebus est ex natura*; tex. 449. inter maxime jucunda, adeoque naturæ maxime convenientia, otia, cessationes, relaxationes, ludos, atque quietes recenset. Cui concinens Romanæ fidicen lyræ *Carm.* lib. 2. od. 16. omnes otium exposcere tradit:

Otium divos rogat in patenti
Prensus Ægeo, simul atra nubes
Condidit Lunam, neque certa fulgent
Sidera nautis.
Otium bello furiosa Thrace,
Otium Medi pharetra decori.

In hoc autem otio nihil iisdem hominibus prius, aut antiquius, eadem natura duce & auspice, quam Deo Opt. Max. quem bonorum omnium largitorum inserta nobis a natura persuasio demonstrat, gratias & laudes offerre. Non latuit hoc veteres etiam illos Ethnicorum Sophos; inter quos Strabo *lib.* 10. κοινὸν, inquit, τοῦτο καὶ τῶν Ἑλλήνων, καὶ τῶν Βαρβάρων ἐστὶ, τὸ τὰς ἱεροποιΐας μετὰ ἀνέσεως ἑορταστικῆς ποιεῖσθαι, scilicet, *commune hoc & Græcis, & Barbaris, rerum sacrarum curam cum festiva quadam intermissione celebrare*. Quod si hæc igitur dierum festorum celebratio communis est & Græcis & Barbaris, omnibus scilicet Gentibus, (genus enim humanum universum in Græcos & Barbaros, a Græcis præsertim, dispesci consuevisse, nemo non nescit) quis verebitur hanc dierum festorum celebritatem fateri naturalem, hoc est, a natura hominibus ipsis insertam? *Omnium enim consensio naturæ vox est*, inquit Cicero *Quæst. Tuscul.* 1. sed & citatus Strabo id ipsum advertit; subdit enim: καὶ τοῦθ' ἡ φύσις ἀπαγορεύει, scilicet, *atque hoc ita dictat natura*. Natura nempe hoc docet & dictat, labores otio atque quiete interpolare, illamque ἀπὸ τῶν ἔργων ἐκεχειρίαν, *ab operibus cessationem*, in Deorum laudes impendere, atque aut pro acceptis beneficiis εὐχαριστικὰ, aut pro impetranda venia ἱλαστικὰ sacrificia celebrare.

Et hactenus quidem bene, interdicit *ad nunc locum* Casaubonus *de Satyr. Poes.* lib. 1. cap. 1. *hactenus quidem bene prudentissimus Strabo. Sed virum*, subdit, πολυμαθέστατον *fugit, quod erat præcipuum, & momenti maximi. Hic enim tantus omnium Gentium consensus non solum ab instituto quodam communis naturæ est profectus, verum etiam a Dei ipsius, qui naturæ auctor est, institutione ac jussione: dierum enim distinctio in* ἐργασίμους καὶ ἑορτασίμους, *festos scilicet atque profestos, non hominum est inventum, sed illius, qui & hominem & omne hoc solus esse jussit, ac jubendo fecit.*

Verum enimvero cum ante præscriptos in Lege Mosaica dies festos & profestos, cæca Ethnicorum superstitio cælo jam & divinitate donasset Jovem, Apollinem, Martem, Junonem, Minervam, Venerem, ac reliquum illum Deorum gregem; dubio procul id ita dictante natura, & hos sacrificiis coluit, & festas in eorum laudem & honorem dierum celebritates instituit. Eaque propter, etiamsi in Libris Mosaicis hanc festorum ac profestorum dierum institutionem perlegisset Strabo, confirmare quidem potuisset, festas celebrationes jussu divino Hebræis fuisse præscriptas, ut eorumdem Libri referebant; sed non tamen ab illa divina jussione affirmare poterat apud reliquum humanum genus fuisse exortas: tum quia leges illæ Hebræis præscriptæ reliquo humano generi erant ignotæ; sed potissimum quia festas illas celebritates multo antiquiores præscriptis in Lege Mosaica ritibus ac ceremoniis noverat.

Illud adde: sive Strabo, sive alius quilibet Mosaicos attentius Libros perlegisset, atque iis tantum stare voluisset, etiam ante institutos a Deo festos dies atque profestos, sacrificia in verum Deum viguisse, animadvertisset: namque *Genes.* 4. Caini & Abelis filiorum Adami sacrificia legimus; illud quidem de frugibus, istud vero de animalibus terræ oblatum. Ad quæ quidem sacrificia nullo, quod constet, prævio divino jussu adducti sunt, sed fortassis exemplo dumtaxat parentum, Adami nimirum & Evæ, qui naturæ dictamen ac persuasionem secuti, Deum Opt. Max. non intimo tantum cordis affectu, sed externis etiam illis oblationibus colendum atque propitiandum instituerunt. Sapuit igitur etiam in hoc, eruditissime Casaubone, sapuit πολυμαθέστατος Strabo, qui dierum festorum celebritatem, divinis in Lege Mosaica præceptionibus antiquiorem, hominibus potius ex instinctu naturæ atque rectæ rationis operantibus maluit acceptam referre. Utque nihil omittam; Si Deos potius illorum auctores adstruere voluisset, ut erat Ethnicæ superstitionis pice infectus, Platonem potius sequi debuerat, quid id apertissime sub ipsum ferme initium secundi *de Legibus* asserit; ait enim: Θεοὶ δὲ οἰκτείραντες τὸ τῶν ἀνθρώπων ἐπίπονον πεφυκὸς γένος, ἀναπαύλας τε αὐτοῖς τῶν πόνων ἐτάξαντο, τὰς τῶν ἑορτῶν ἀμοιβὰς τοῖς Θεοῖς, καὶ Μούσας, Ἀπόλλωνά τε μουσηγέτην, καὶ Διόνυσον ξυνεορταστὰς ἔδοσαν. hoc est, *Dii genus humanum ad labores & miserias natum miserati, laborum intermissiones ac relaxationes constituerunt, dierum*, videlicet festorum celebritates *in honorem Deorum, & Musas, & Apollinem Musagetem, & Liberum Patrem quasi festivitatum præsides statuerunt.*

Quibus ex verbis deducitur, dies igitur illos festos institutos fuisse, & propter Sacrorum curam, scilicet ad colendos Deos, iisdemque pro acceptis beneficiis gratias agendas; sed etiam propter remissionem atque a laboribus cessationem: quod utrumque quam sit conveniens, atque humanæ naturæ consentaneum, nemo non videt. En quam clare utrumque istum finem complectatur Aristoteles *Nicomach.* 8. cap. 11. dum inquit: *Quando cives*

una sacra conficiunt, atque ad ea celebranda una conveniunt & congregantur, & honores Diis immortalibus tribuunt, & sibi requiem cum voluptate conjunctam. De tempore autem, quo festæ istæ celebritates primo fuerunt institutæ, non una est Auctorum sententia. Aristoteles *loco* mox *citato*, post collectas fruges atque frumenta in horreis congesta, sacrificiis homines cum summa hilaritate operam dedisse, auctor est; ait enim: Αἱ γὰρ ἀρχαῖαι θυσίαι καὶ σύνοδοι φαίνονται γενέσθαι μετὰ τὰς τῶν καρπῶν συγκομιδὰς, οἷον ἀπαρχαί· μάλιστα γὰρ καὶ ἐν τούτοις ἐσχόλαζον τοῖς καιροῖς. Scilicet, *Verisimile enim est, prisca sacrificia cœtusque & conventus, qui sacrificiorum causa habebantur, collectis jam frugibus, ut primitias quasdam fuisse instituta: his enim temporibus maxime ab opere cessabant.* Adhæret Maximus Tyrius *Serm.* 21. ubi: Ἀθηναίοις δὲ ἡ μὲν παλαιὰ Μοῦσα, χοροὶ παίδων οὖσα, καὶ ἀνδρῶν, γῆς ἐργάται κατὰ δήμους συνιστάμενοι, ἄρτι ἀμητοῦ καὶ ἀρότου κεκονιμένοι ᾄσματα ᾄδοντες αὐτοσχέδια. Hoc est, *Vetus Atheniensis Musa nihil aliud erat, quam chori puerorum, atque agricolæ tributim divisi, & adhuc a messe & semente sordidi, cantica quædam canentes subita & extemporanea*. Concinit & Horatius *ep. ad Aug.* dum ait:

> *Agricolæ prisci, fortes, parvoque beati,*
> *Condita post frumenta, levantes tempore festo*
> *Corpus, & ipsum animam spe finis dura ferentem,*
> *Cum sociis operum, & pueris, & conjuge fida*
> *Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant,*
> *Floribus & vino Genium memorem brevis ævi.*

Alii vero non Æstatem, qua fruges & frumenta conduntur, sed Autumnum potius atque tempus vindemiæ hilaritatibus hisce, festisque, atque Scenicis Ludis initium dedisse, auctores sunt. Omnium proinde primum Bacchum, seu Liberum Patrem, sacrificiis fuisse cultum autumant, cui & Scenici Ludi consecrati fuerint, qui idcirco Διονυσιακοὶ ἀγῶνες, *Dionysiaca certamina*, nuncupati sunt: quemadmodum & eorum auctores Διονυσιακοὶ τεχνῖται, *Dionysiaci artifices*, sunt appellati. Quin imo τρυγῳδία primum dicta est Musica illa in varias formas seu species divisa, vel quod κατ' αὐτὸν τὸν τῆς τρύγης καιρὸν, *sub ipsum* scilicet *tempus vindemiæ* fuisset inventa, vel quod τράγος, *hircus* nempe, esset canentium victorum præmium. Audiamus Eustathium, qui in suis ad Homerum eruditissimis Commentariis *ad Odyss.* ξ'. hæc refert ex Pausania: Ἱστέον δὲ, ὅτι τὸ πρῶτον οἱ Παλαιοὶ, ὡς ἱστορεῖ Παυσανίας, τιμῶντες τὴν εὕρεσιν τοῦ οἴνου, ᾄδειν ἐφεῦρον, καὶ τοὺς ἑαυτῶν κωμήτας κακολογεῖν, ὅθεν εὑρέθη καὶ τὸ κωμῳδεῖν· καὶ τὴν λυμαινομένην ταῖς ἀμπέλοις αἶγα ἆθλον τῆς ᾠδῆς ἐκάλεσαν, διὰ ἐπὶ τράγῳ ᾠδήν. Hoc est, *Sciendum vero, Veteres primo, ut Pausanias refert, magni facientes inventionem vini, reperiisse etiam cantum & morem ejusdem pagi incolis conviciandi: & capram vitibus nocentem præmium cantus statuerunt, ac eos qui certarunt*, Tragœdos *dixerunt, quia* τράγος, hoc est, *hircus, esset* ᾠδῆς, nempe *cantus præmium*.

Sed clarius adhuc Athenæus *lib.* 2. *cap.* 3. Ἀπὸ μέθης, inquit, καὶ ἡ τῆς Κωμῳδίας, καὶ ἡ τῆς Τραγῳδίας εὕρεσις ἐν Ἰκαρίῳ τῆς Ἀττικῆς εὑρέθη, καὶ κατ' αὐτὸν τὸν τῆς τρύγης καιρὸν, ἀφ' οὗ δὴ καὶ τρυγῳδία τὸ πρῶτον ἐκλήθη καὶ ἡ Τραγῳδία, καὶ ἡ Κωμῳδία. Scilicet, *Ab ebrietate & Comœdia, & Tragœdia inventa est in Icario Atticæ monte, & sub ipsum vindemiarum tempus, exindeque* τρυγῳδία Tragœdia *primum, atque* Comœdia *appellata est*.

Ego vero quemadmodum non inficias iverim Stagyritæ, post collectas fruges, atque frumenta in horreis condita, homines tum vel maxime otiantes, sacrificiis ac festis diebus operam navasse, (namque & festi dies exinde nonnullis videntur appellati, quasi fessi, eo nimirum quia homines fessi atque defatigati reliquorum dierum laboribus, iis refici solerent ac recreari) ita libens Athenæo subscribo, sub ipsum vindemiæ tempus, atque Dionysiacis festivitatibus, & Tragœdiam, & Comœdiam, & reliquos Scenicos Ludos ortum habuisse. Hoc autem fusius capite sequenti ostendam.

CAP. V.

Ostenditur, qua ratione Scenici Ludi in Dionysiacis Sacris primum fuerint exorti.

OTio & quiete labores atque negotia interpolare, inque illa quiete & otio, Deorum recolendo beneficia, & illis honorem ac gratias, & sibi hilaritatem quærere, humanæ naturæ maxime consentaneum, in superiori capite stabilivimus. His si rationes illas addideris, & causas, quas Poesi in universum assignat Aristoteles, imitationis scilicet naturale studium, atque aliam non minus insitam a natura proclivitatem ad harmoniam & cantum, adeoque etiam ad loquendum metrice; jam facile erit intelligere, qua ratione in Sacris potissimum Dionysiacis Scenici Ludi fuerint exorti.

Hac autem in re illud advertendum est, Veterum sacrificia in genere nihil aliud exstitisse, nisi publica quædam convivia Diis atque hominibus apparata, ad mutuam eorumdem communionem atque consuetudinem significandam. Atque hinc nullum ferme fuit sacrificium publicum, quod non cum epulo aut convivio fuerit conjunctum. Primo namque Deus ipse Opt. Max. ut erudite advertit Stuckius *Antiquit. Conviv.* lib. 1. cap. 33. p. m. 116. *ad suam cum Hebræo Populo familiaritatem atque arctissimam consuetudinem testificandam, sibi ab illo carnes, sanguinem, fruges in altari atque mensa offerri voluit: non quod his indigeret, sed ut ostenderet*, &c. Atque hinc ex iis, quæ offerebantur, renes, reticulum hepatis, agnæ cauda, atque omnis adeps coram Domino comburebatur, sanguis circa altare fundebatur: reliquæ vero partes, aliæ quidem cedebant Sacerdotibus, aliæ vero ad ipsos offerentes redibant, quibus illo ipso die summa cum hilaritate vescebantur: utque illas omnes absumere possent, (præceptum enim id erat) amicos etiam & vicinos invitare consueverant; quin imo & pauperes, & peregrinos, & viduas, & pupillos; ut constat ex *Deuter.* 14. & 16. & *Levit.* 7.

Hunc Veteris Testamenti morem imitari placuit etiam Ecclesiæ primitivæ, quæ proinde cum Cœna Domini convivia & ipsa conjunxit, quæ ἀγάπαι, hoc est, *charitates*, dictæ sunt, eo quod Christianæ charitatis essent symbolum & argumentum.

Ad hæc autem convivia ditiores conferebant panes, vinum, pecunias, atque alia necessaria, & in illis divites cum pauperibus promiscue discumbebant: si qui vero adesse non possent, iisdem panes, tamquam eleemosynæ, mittebantur. Rem hanc nobis exponit Stuckius supra citatus ex Zonara in *Can.* 74. Concilii Laodiceni, cujus hæc sunt verba: *Antiquus mos erat, post communionem divinorum mysteriorum*, συσσίτια & συμπόσια, hoc

est, coepulationes & compotationes, fieri, divitibus epulas suppeditantibus, & præterea pauperiores invitantibus.

Sed non alia magis sacrificia epulis, symposiis, atque compotationibus fuere solemnia, ut Ethnicorum. Quemadmodum neque alia majori cum hilaritate, quin imo protervia etiam atque licentia fuerunt celebrata: nam Ethnici præter epulas, Ludos etiam sacrificiis addiderunt, qui Lege Divina Judæis fuerunt prohibiti: adeoque Macrobius lib. 1. *Saturnal.* cap. 16. *Sacra celebritas est*, inquit, *vel cum sacrificia Diis offeruntur, vel cum dies divinis epulationibus celebrantur, vel cum Ludi in honorem aguntur Deorum.*

Et antiquioribus quidem illis atque simplicioribus temporibus hæc omnia κοσμίως καὶ εὐτάκτως, *composite* nempe & *moderate*, fiebant: cum enim præsentes illis epulis ac Ludis Deos arbitrarentur, nefas putabant quidquam admittere, quod non eorumdem aures & oculi ferre possent. En quam diserte id nobis testetur Athenæus *lib.* 8. *cap.* 16. p. m. 364. Οἱ δὲ ἀρχαῖοι, inquit, καὶ τοὺς Θεοὺς ἀνθρωποειδεῖς ὑποστησάμενοι, καὶ τὰ περὶ τὰς ἑορτὰς διέταξαν· ὁρῶντες γὰρ, ὡς τῆς μὲν ἐπὶ τὰς ἀπολαύσεις ὁρμῆς οὐχ οἷόν τε τοὺς ἀνθρώπους ἀποστῆσαι, χρήσιμον δὲ καὶ συμφέρον τοῖς τοιούτοις εὐτάκτως καὶ κοσμίως ἐθίζειν χρῆσθαι, χρόνον ἀφορίσαντες, καὶ τοῖς Θεοῖς προθύσαντες οὕτω μεθῆκαν αὐτοὺς εἰς ἄνεσιν, ἵν' ἕκαστος ἡγούμενος ἥκειν τοὺς Θεοὺς ἐπὶ τὰς ἀπαρχὰς, καὶ τὰς σπονδὰς, μετὰ αἰδοῦς τὴν συνουσίαν ποιῆται. Et paulo post: Ὑπολαμβάνοντες οὖν τοὺς Θεοὺς πλησίον αὐτῶν εἶναι, τὰς ἑορτὰς κοσμίως καὶ σωφρόνως διῆγον· ὅθεν οὔτε κατακλίνεσθαι παρὰ τοῖς ἀρχαίοις ἔθος, ἀλλὰ δαίνυνθ' ἑζόμενοι, οὐδ' εἰς μέθην πίνειν.

Ἀλλ' ἐπεὶ ἔσπεισαν, ἔπιόν θ' ὅσον ἤθελε θυμὸς,
Ἔβαν οἶκόνδε ἕκαστος.

Sed illam tamen Veterum moderationem posteros neglexisse, inque contrariam licentiam, incontinentiam, & ebrietatem abiisse, testis est idem Athenæus, qui statim subdit: *At nostro sæculo, qui sacrificare se Diis fingunt, convocatis ad sacra sua epularia maxime necessariis & amicis, ubi nempe se vino ingurgitaverint, liberis suis male imprecantur, conviciantur uxoribus, objurgant domesticos, servis interminantur, tantum non Homeri hæc dicentes,*

Νῦν δ' ἔρχεσθ' ἐπὶ δεῖπνον, ἵνα ξυνάγωμεν Ἄρηα.

Atque hic abusus adeo percrebuerat, ut turpis & inhonesta alias ebrietas, in his tamen epularibus sacris, utpote jam familiaris, toleranda quoque videretur. Hoc etiam idem testatur Athenæus perpetuus in hac re Magister, qui *lib.* 2. *cap.* 3. hæc ex Seleuco refert: *Seleucus memoriæ prodidit, non esse vetusti moris, aut vinum, aut alias delicias quasque largius apponere, Deorum causa nisi fieret; ideoque vocatas* θοίνας, θαλίας, μέθας: *θοίνας quidem, quod fas esset* διὰ τοὺς Θεοὺς, *id est, ob Deorum Sacra, vino indulgere:* θαλίας *vero, quod ob reverentiam Deorum* ηὐλίζοντο καὶ συνῄεσαν, *id est, coibant & excubabant: id quod Homerus vocat* δαῖτα θάλειαν, *convivium abundans rebus omnibus, & tamquam floridum: denique* μέθας, *quod* μετὰ τὸ θύειν, *hoc est, peractis sacrificiis, biberent.* Ad quem morem respexit etiam Tibullus *lib.* 2. *eleg.* 1. p. m. 309. dum canit:

Nunc mihi fumosum veteris proferte Falernum
Consulis, & Chio solvite vincla cado.
Vina diem celebrent: non festa luce madere
Est rubor, errantes & male ferre pedes.

Neque vero ebrietas solum, sed jurgia quoque & injuriæ in his sacris primum auditæ sunt. Credamus id quoque Athenæo, qui *lib.* 1. ἀπαθαλία, inquit, hoc est, *impietas dicta est*, ὅτι ἐν ταῖς θαλείαις τὰ πρῶτα ἐξημάρτανον οἱ ἄνθρωποι εἰς ἀλλήλους, hoc est, *quod in splendidis illis Deorum festivitatibus, atque epulis, primo homines cœperunt mutuis se invicem injuriis afficere.*

Quod si paulatim pessimi isti mores in omnibus illis sacris Ethnicorum irrepserunt, ut in iis homines & intemperantiores redderentur, & magis magisque cum licentiæ, tum jurgiis ac injuriis indulgentiores; fingere facile sibi quisque potest, quanta licentia atque intemperantia sacra Libero Patri dicata celebrarentur: hunc enim deum, sive vini inventorem crederent, sive vitis tantum demonstratorem, ut mavult Tertullianus in *Apolog.* cap. 11. & Lactantius lib. 2. *de orig. error.* cap. 10. totius hilaritatis largitorem arbitrabantur. Sane non alias magis vino indulgere, grandioribus certare poculis, atque largius sese invitare poterant, quam cum illius dei Sacris operam darent; quem vinosum, ebrium, ac temulentum prædicabant; cujusque comites non alio magis, quam vini furore & œstro percitos bacchantes fingebant. Audiamus Athenæum, qui *lib.* 11. p. m. 464. ita ex Philochoro Dionysiacos istos ludos atque certamina describit: *Athenienses*, inquit, *ludis ac certaminibus Bacchi, primum cum jentassent & bibissent, ad spectacula se conferebant, coronisque redimiti spectabant. Toto vero tempore, quo agebantur ludi, vinum ipsis miscebatur, & afferebantur bellaria: choris Scenam ingredientibus ad potum vinum affundebatur, merumque a Scena discedentibus, posteaquam certassent*: paucisque adjectis, *cum*, subdit, *sic bibissent, læti ac hilares Bacchum versibus canebant, nunc Floridum invocantes, nunc Dithyrambum, nunc bacchantem fumosumque Bromium.* In quem eundem sensum & *lib.* 8. *cap.* 16. p. m. 363. Τὰς εὐωχίας, inquit, ἐκάλουν οὐκ ἀπὸ τῆς ὀχῆς· ἥ ἐστι τροφή, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ κατὰ ταῦτα δεῖν ἔχειν, εἰς ἃς δὴ συνιόντες οἱ τὸ θεῖον τιμῶντες, καὶ εἰς εὐφροσύνην καὶ ἄνεσιν αὑτῶν μεθιέντες, τὸ μὲν ποτὸν μέθυ, τὸν δὲ τοῦτο δωρησάμενον θεὸν Μεθυμναῖον, καὶ Λυαῖον, καὶ Εὔιον, καὶ Ἰήιον προσηγόρευον. Liquet autem quanta & qualis esse deberet illa compotatio, quæ appellabatur μέθυ, cum hæc vinolentiam, temulentiam, & ebrietatem significet, & cujus veluti datorem potissimum colebant Bacchum, illum μεθυδότην καὶ μεθυμναῖον appellantes.

Igitur in his Liberi Patris festivitatibus atque Dionysiacis agonibus ubi se vino ingurgitassent, hoc est, toto jam pectore deum hausissent, risus ciendi gratia alius alium dicteriis provocare, scommatis lacessere, atque propria cum corporis, tum etiam animi vitia sibi mutuo objectare cœperunt; excusante dicteriorum acerbitatem ac velut hebetante aciem conviciorum epularum licentia atque temulentia. Ecquis enim vino calentibus τὸ πρέπον commendare, aut præ temulentia jam prope de mentis sanitate dejectos in officio continere poterat? Cæterum cum hujusmodi scommata atque dicteria maximam auditoribus parerent voluptatem, ex iis tam levibus principiis paulatim incendi studia, atque exacui magis & expoliri cœperunt: nam licet primitus nulla esset ars, ad cujus præcepta sese componerent; nihilo tamen minus, majori aliquo studio atque diligentiori præmeditatione ad illa se convivia atque scommata

A præparare cœperunt, laudem ingenii aucupantes, metientesque ex risu & plausu, quem ab auditoribus extorsissent; adeoque cum inter epulandum, tum post epulas in ludis, ac certaminibus, salibus istis & scommatis, veluti papavere & sesamo omnia farciente, atque ridiculas gesticulationes, saltus que quosdam inconditos adhibentes, paulatim & Satyris, & Tragœdiæ, atque Comœdiæ, Mimisque initium dedere. Illi namque saltus atque dicteria numeris alligata, hoc est, cum rhythmo metro, & harmonia edita Choros primum, mox Tragœdiam, atque Comœdiam pepererunt. Ex iis quippe extemporaneis scommatis, ac sine arte conatibus, & saltibus, optime advertit Maximus Tyrius *Serm.* 21. p. m. 205. *μετέπεσεν ἡ ψυχὴ ἐπὶ τέχνην ἀκορέστου χάριτος ἐν σκηνῇ καὶ θεάτροις*, *deflexit* scilicet *animus ad scenicam paulatim & theatralem artem, quæ voluptatem prorsus habet insatiabilem*. B

Liquet igitur ex hactenus enucleatis, in Sacris potissimum Liberi Patris, atque ejusdem festis, & Enascoliis Ludos Scenicos, atque in universum totam musicam Theatralem, originem suam habuisse. Quam etiam ob causam, ut superius tetigimus, jure merito eidem Baccho fuit sacra, in tantum ut Histriones Scenici *Διονυσιακοὶ Τεχνῖται*, Dionysiaci Artifices, ipsaque scenica certamina, *Διονυσιακοὶ ἀγῶνες* fuerint appellata. C Qui tamen primo, qui posterius ex his Scenicis Ludis instituti sint, non ita facile decerni, aut statui potest. Namque Tragœdiam longe antiquiorem fuisse Comœdia, pluribus rationibus demonstrare nititur Aristoteles, aureo suo *de Poetica* libello: cujus tamen auctoritate minime fractus Isaacus Casaubonus lib. *de Satyr. Poes.* cap. 1. Satyricam Poesim vetustate cum Tragœdia certare, atque ejusdem potius parentem & altricem videri, pluribus evincere conatur. Nos de Mimis potissimum ac Pantomimis acturi, horum potissimum originem primam ex ruderibus Antiquitatis eruere ac demonstrare debemus. D Sit igitur.

CAP. VI.

Quid sit Mimus, & quænam Mimorum Origo, & Antiquitas.

Mimus nomen commune est, quod & Poemati, & Poetæ, & Dramati, & ejusdem Auctori promiscue tribuitur. *Ut enim πλάνος*, inquit Vossius lib. 2. *de Poet.* c. 29. §. 3. *tum errorem, tum erronem* notat: *ut μῶμος tum irrisionem, tum irrisorem*; E sic *μῖμος* & *fabulam* denotat, & *Histrionem*. Sed pro fabula tamen acceptus Mimus definitur ab Diomede lib. 3. cap. 4. *de Poem. Dram. generibus* p. m. 487. *Mimus est sermonis cujuslibet, motusque sine reverentia, vel factorum & turpium cum lascivia imitatio*. A Græcis ita definitur: *μῖμος ἐστὶ μίμησις βίου, τά τε συγκεχωρημένα καὶ ἀσυγχώρητα περιέχων*, hoc est, *imitatio vitæ concessa atque inconcessa complectens*. Dictus autem est Mimus *παρὰ τοῦ μιμεῖσθαι*, *ab imitando*: non quasi solus imitetur, cum & alia poemata idem F faciant; sed quia veluti privilegio quodam, quod fuit commune, possedit. *Tantum potuit*, inquit Jul. Cæs. Scaliger lib. 1. *de Poet.* cap. 10. *tantum potuit aperta & expressior actio, ut generis nomen, quod esset Poeseos universæ, ipsi soli sibi vindicarent*. Qua ratione & mortalis pro homine tantum, & *ποιμὴν* pro *opilione*, & *ποιητὴς* pro *Poeta*, & Factor apud Latinos pro olei tantum effectore accipiuntur; licet nomina illa se ipsis generalia, aliis etiam pluribus apponi apta nata essent. Sed quemadmodum Mimi per excellentiam quandam communem reliquis Poematis imitationem sibi vindicarunt; ita magis etiam propria illorum visa est lascivia, atque petulans quædam obscœnitas, qua Comœdiam ipsam, lasciviusculam licet haud raro atque turpiculam, longe superabant.

Equidem non me latet, fuisse etiam quosdam Mimos honestiores. *ἠθολόγους* idcirco a Græcis appellatos; non quia de virtute morali aut ethica agerent, sed quod mores hominum dictaque eorumdem & facta ita imitarentur, ut actionem suam gravibus sententiis condirent, atque honestis etiam præceptis respergerent. Atque hac gravitate & honestate refertos fuisse Sophronis Mimos, testatur Ulpianus *ad 2. Demosthenis Olynth.* pag. m. 36. ubi ait: B Οἱ Μῖμοι Σώφρονος Ποιητοῦ σπουδαῖοι εἰσί, ἄλλοι δὲ Μῖμοι γελοίων, hoc est, *Mimi Sophronis graves & honesti, alii vero Mimi ridiculorum*. Atque idcirco Mimos in *παίγνια* & *ὑποθέσεις* divisit Plutarchus *Sympos.* l. 7. probl. 8. ubi *Μῖμοι τινές εἰσιν*, inquit, *ὧν τοὺς μὲν ὑποθέσεις, τοὺς δὲ παίγνια καλοῦσιν*. Erant autem *ὑποθέσεις* Mimi quidam longiores & honestiores, atque ad Comœdiæ speciem propius accedentes: quemadmodum *παίγνια* breviores quidem erant, sed *πολλῆς* tamen *γέμοντα βωμολογίας καὶ σπερμολογίας*, *plurima* scilicet *scurrilitate atque verborum inanitate abundantes*. C Sed utplurimum tamen Mimi turpes erant, lascivi, & obscœni: adeoque hanc potissimum obscœnitatem & lasciviam in definitione expressit Diomedes, tanquam germanum Mimorum *χαρακτῆρα*: atque concinit Ovidius, qui passim turpes & obscœnos Mimos appellat; ut 2. *Tristium* vers. 515.

Scribere si fas est imitantes turpia Mimos.

Et vers. 497.

Quid si scripsissem Mimos obscœna jocantes?

D Ex his igitur colligamus, Mimos poemata quædam fuisse, quæ mores hominum, dictaque eorumdem, & facta turpia, ac lasciva turpiter atque lascive repræsentarent.

Mimi autem hujusmodi e Comœdia exorti sunt, cujus erant antiquitus partes. Nimirum cum inter actus Comœdiæ apponi solerent, ex ea extracti, atque divisi, ac veluti in libertatem asserti genus quoddam Poematis se solis constituerunt. Rem nobis ex Suetonii fragmento refert Diomedes, *loco* mox *citato*; ubi hæc quoque legimus: *Primis temporibus, omnia quæ in Scena versabantur, in Comœdia agebantur: nam Pantomimus, & Pythaules, & Choraules in Comœdia canebant.* E *Sed quia non poterant omnia simul apud omnes artifices pariter excellere, si qui erant inter auctores Comœdiarum pro facultate & arte potiores, principatum sibi artificii vindicabant. Sic factum est, ut nolentibus cedere Mimis in artificio suo cæteris, separatio fieret reliquorum. Nam dum potiores inferioribus, qui in omni magisterio erant, servire dedignabantur, se ipsos a Comœdia separaverunt: ac sic factum est, ut exemplo semel sumto, unusquisque artis suæ rem exsequi cœperit, neque in Comœdiam venire.* F Igitur ex Comœdiæ veluti servitute asserti Mimi, genus quoddam Poematis se solis constituerunt; atque post Tragœdiam, Comœdiam, Satyros, quarta Dramaticæ Poeseos forma esse cœperunt. Quæ licet fabulæ constitutionem, ac nexum, & solutionem non haberet, *πλοκὴν* tamen habebat *δραματικὴν καὶ πολυπρόσωπον*, *implexionem* scilicet *dramaticam atque multis constantem personis*, ut affirmat Plutarchus lib. quo *terrestria & aquatilia animalia* comparat.

Mimorum inventorum Philistionem fuisse, tra-

dit Caſſiodorus *Variarum* lib. 4. ep. 51. his verbis: *Mimus etiam, qui nunc tantummodo deriſioni habetur, tanta Philiſtionis cautela repertus eſt, ut ejus actus poneretur in litteris: quatenus Mundum curis edacibus æſtuantem lætiſſimis ſententiis temperaret.* Sed allucinatus tamen hac ſuper re fuit magnus ille Theodorici Inſtitutor: multo namque antiquior Philiſtione fuit Sophron: ille namque temporibus Auguſti, anno octavo a Chriſto nato, floruit. *Hoc enim tempore*, inquit Euſebius in *Chronico* p. m. 70. *Philiſtion Mimophus natione Magneſianus Romæ clarus habetur*. Aſt Sophron, ſi Suidæ fides eſt, Syracuſanus Agathoclis & Damaſyllidis filius, temporibus Xerxis & Euripidis viguit: atque adeo ſcite Mimos compoſuit, ut illos in deliciis haberet Plato ille Philoſophorum Anteſignanus, nocturnaque atque diurna manu volutaret, iiſdemque etiam indormiſceret.

Sed quantumvis famam & venuſtatem in Mimis componendis Sophron adeptus fuerit, ægre tamen inducor, ut primum eorumdem auctorem exiſtimem: cum enim genus illud Poematis laſcivum eſſet, ac petulans, totumque ad riſum extorquendum compoſitum, illos eoſdem videtur primos auctores atque inventores habuiſſe, qui & ridicula excoluerunt. Porro Athenæus *lib.* 14. *cap.* 1. p. m. 614. ex Anaxandridis cujuſdam ſententia in γεροντομανία, ridiculorum inventores fuiſſe Rhadamanthum & Palamedem, ſcribit: quo ad artem intellige ridicula dicendi, vel agendi, ut optime advertit Voſſius lib. 2. *Poet.* cap. 23. p. m. 160. Quis enim definire poterit, quando primum quid ridicule factum, ut dictum ſit? hoc quippe cum hominibus ipſis eſt cœptum.

Quamquam & hoc ipſum difficultatem non levem præ ſe ferre videtur, qui unquam ex arte riſus excitari potuerit: aut quæ tandem inſtitui ars hujuſmodi ridicula dicendi, aut agendi: cum enim riſus oriatur a turpitudine citra dolorem cum admiratione, ut innuit Ariſtoteles particula 29. *Poet.* a natura potius provenire videtur, non autem ab arte. Atque idcirco Cæſar apud Ciceronem lib. 2. *de Orat.* exiſtimat, a natura potiſſimum atque ingenio urbanitatem, hanc ſcilicet ridiculorum effectricem, proficiſci; nullo autem modo doctrina tradi poteſt.

Et ſané de ridiculis privatim, ſive, ut inquiunt Scholæ, ἐν μέρει *in particulari* nulla ars tradi poteſt: ut enim optime advertit Madius *ad Ariſtotelis Poet.* 1. *de ridiculis* p. m. 307. non ut in arte Medica, hunc morbum hoc remedio depelli; ita hoc dictum hoc ridiculo labefactari doceri poſſumus. Quoniam in ridiculo ſpectari novitatem oportet, quæ pariat admirationem, nil autem admirationis in eo eſſe poteſt, quod arte ita inventum ac partum eſt, ut aliis etiam uſui eſſe poſſit. Ars igitur de ridiculis ſolum in univerſum tradi poteſt: nil enim obeſt, quo minus aliquid in univerſum arte doceatur, quod privatim non doctrinæ, ſed naturæ opus ſit: adeoque Ariſtoteles *Rhetor.* 3. c. 25. τὰ ἀςεῖα, inquit, ποιεῖν μὲν ἐςὶ τοῦ εὐφυοῦς, ἢ τοῦ γεγυμνασμένου, δεῖξαι δὲ τῆς μεθόδου ταύτης, hoc eſt, *urbana quidem formare, ingenioſi eſt hominis, ſive exercitati, viam autem & rationem eorum tradere, hujus eſt doctrinæ proprium.* Nimirum ridicula ſpeciatim quidem a natura pendent, & quatenus a natura ſunt, nova exſiſtunt, & ex novitate admirationem eliciunt: generatim autem atque in univerſum ab arte demonſtrantur. Atque hinc Tullius ipſe, licet urbana atque ridicula nulla doctrina tradi poſſe affirmaſſet, poſtea tamen præcepta quædam tradit utiliſſima, non quæ hos vel illos jocos ſpeciatim excitent: ſed quæ generatim naturam atque exercitationem ad jocandum maximopere juvare poſſint.

A Sed hæc tamen ex parergo: redeo modo ad Mimos, quorum primos auctores illos fuiſſe arbitror, qui artem ridiculorum ſudaverunt, ſive Pylades*, & Rhadamanthus, ſive alii fuerint: quibus tamen paulatim cultus, atque ornatus, atque major artis acceſſit perfectio. *Nihil enim eſt*, ut advertit Apulejus lib. 1. *Florid.* p. m. 3. *quod poſſit in primordio ſuo perfici, ſed in omnibus ferme ante eſt ſpei rudimentum, quam rei experimentum.* Prorſus igitur ante Sophronem & alii viguerunt Mimorum Scriptores: quos tamen inter nil mirum, ſi non principatum modo, ſed primatum quoque vindicaſſe Sophron creditus eſt, cum adeo Platoni placue- B rit, eidemque ingenium probarit.

Cæterum ad Mimos quod attinet, ſive Sophron præcipuus excultor, ſive etiam inventor exſtiterit, magna lis eſt, ſoluta-ne ac proſa, an vincta & adſtricta numeris oratione fuerint conſcripti. Videtur autem difficultatis auctor præcipuus Suidas, qui de Sophrone loquens, ἔγραψε, inquit, μίμους ἀνδρείους, μίμους γυναικείους· εἰσὶ δὲ καταλογάδην, διαλέκτῳ Δωρίδι, ſcilicet, *ſcripſit mimos viriles, mimos muliebres: ſunt autem oratione ſoluta ſcripti, Dorica Lingua.* Sed & Ariſtoteles part. 7. lib. *de Poet.* Mimos Sophronis & Xenarchi proſa oratione fuiſſe conſcriptos, videtur innuere: docens enim, epo- C pœiam latiſſime acceptam imitationem quamcumque ſignificare, licet nudis ſermonibus atque ſoluta oratione factam, ſubdit: οὐδὲν γὰρ ἔχοιμεν ὀνομάσαι κοινὸν τοῦ Σώφρονος καὶ Ξενάρχου μίμους, καὶ τοὺς Σωκρατικοὺς λόγους, ſcilicet, *nam quod Sophronis & Xenarchi Mimis commune dicamus, ſermonibuſque Socraticis, aliud prorſus habemus nihil.* Quaſi vero diceret: Niſi epopœiam latius ſumamus, nulla communis erit vox, qua imitationem omnem nudo ſermone factam ſignificare valeamus, qualis erat imitatio in Mimis Sophronis & Xenarchi, & præterea in Socraticis Dialogis. En igitur Ariſtotelem D quoque non obſcure innuentem, Mimos Sophronis & Xenarchi ſoluta oratione fuiſſe conſcriptos: quam idcirco rem ita fuiſſe, affirmant Robortellus, Lombardus, Madius, Caſtelvetrius, præclariſſimi Ariſtotelicæ Poeſeos enarratores.

Sed & Athenæus *lib.* 11 *cap.* 14. p. m. 505. ex lib. *de Poet.* Ariſtotelis teſtimonium affert, hujus ſententiæ conficientiſſimum. Verba enim Ariſtotelis ſunt: οὐκοῦν οὐδὲ ἐμμέτρους τοὺς καλουμένους Σώφρονος μίμους μὴ φῶμεν εἶναι λόγους καὶ μιμήσεις: quæ verba ſic vertenda ſunt, ſi ſenſum aſſequi velimus, *non igitur ſermones atque imitationes fatebimur, non verſibus comprehenſos Sophronis Mimos.* Quod ſi E non verſibus comprehenſi Sophronis Mimi, ſoluta igitur oratione erant conſcripti, & Lingua Dorica, ut Suidas affirmavit. Sed hæc tamen contra Franciſcus Patricius *Decadis ſuæ diſputatæ* lib. 5. pag. m. 103. plura affert teſtimonia, & ex Phalereo Demetrio, & ex Athenæo, qui verſus plurimos citant ex Mimis Sophronis virilibus & muliebribus: indicium clariſſimum, vincta igitur oratione fuiſſe conſcriptos. Omitto auctoritates reſcribere, quibus omnino perſuaſit Jacobum Mazzonum, qui lib. 3. *de Dantis defenſione* p. m. 979. cap. 70. ſubſcribens Patricio, teſtimonium e Suida allatum emendare non dubitat, adeoque non κα- F ταλογάδην, ſed κατὰ λόγον ſcribendum eſſe ait: quaſi vero ſenſus Suidæ ſit, Mimos Sophronis, quantum ad dictionem, hoc eſt, dialectum, Lingua Dorica fuiſſe conſcriptos, ſed numeris tamen adſtrictos.

Ego vero, quemadmodum hujus emendationis libenter gratiam facio Mazzono, utpote ingratiis allatæ; ita rite libratis utriuſque ſententiæ auctoritatibus, illas conciliarem potius dicendo, So-

* Videtur leg. *Palamedes*.

phro-

phrorem atque Xenarchum Mimos conſcripſiſſe partim ſoluta, partimque juncta oratione, adeoque ſimiles Satyris, quas edidit Terentius Varro, Satyrico Petronii, aliis pluribus.

CAP. VII.

Referuntur variæ Mimorum ſpecies apud Græcos.

EGimus hactenus de Mimis, quatenus Poema ſignificant. Agendum modo de iiſdem eſt, quatenus etiam Actores denotant. Horum autem varias fuiſſe ſpecies apud Græcos Auctores tradunt; & Athenæus præcipue *lib.* 14. *cap.* 4. pag. m. 621. ex quo plura reſcribere neceſſe eſt, ad abſolutam hujuſce rei tractationem. Igitur qui Ludos Mimicos exercerent Δικηλιστὰς a Lacedæmoniis appellatos fuiſſe tradit: *ὡς ἄν τις σκευοποιοὺς εἴπῃ καὶ μιμητὰς*, ſcilicet, *tamquam Mimos & Scenicum apparatum inſtruentes*: namque ante Hiſtriones in Scenam prodibant, erantque veluti fabularum præluſores, ſeu prologi. Eſt autem nomen deſumtum procul dubio a δείκηλον, quod, Heſychio & Suida teſtibus, *μίμημα, εἴκασμα*, ſeu *εἴδωλον*, ſignificat. *Non erat autem admodum magni laboris pervetuſtus ille luſionis modus*, ſubdit Athenæus; *quoniam in iis apparandis ſimplex erat Spartanorum frugalitas*. Populari & parum exquiſita oratione quoſdam fructuum fures imitabantur, aut peregrinum aliquem Medicum præcepta, aut pharmaca ægris propinantem.

Hos vero apud Lacedæmonios appellatos Deceliſtas, aliis in regionibus alia habuiſſe nomina, refert *ibidem* Athenæus: *Namque Sicyonii illos appellabant Phallophoros: nonnulli* Αὐτοκαβδάλους; *alii, ut Itali*, magnam Græciam ſcilicet incolentes, Φλύακας: *alii Sophiſtas: Thebani, quamvis aſſueti multa propriis nominibus appellare, Voloñes, ſeu Voluntarios*. Phallophorus proprie erat, qui Phallum geſtabat: erat autem Phallus veretrum, ſeu virile pudendum, quod de pertica pendulum gerebatur. Sed & pompa iſta appellabatur φαλλαγωγία, & παραφαλλία: quique pompam ſequebantur φαλλοφόροι. Et præcipuus quidem ille Phallophorus, qui phallum de pertica ſuſpenſum geſtabat, oppletus fuligine recta incedebat. Qui vero pompam illam ſolemnem exſequebantur, reliqui Phallophori, „ perſonam faciei „ non admovebant, ſed hederaceum integumen- „ tum circumponebant, ſerpillo & acantho ſu- „ perinjecto: coronabantur e denſis floribus, atque „ hedera ornati amictique læna, per mediam Or- „ cheſtram in Scenam tranſibant, ordinatoque „ rhythmis greſſu, quædam occinebant carmina, „ quæ *φάλλικα ᾄσματα, phallica cantica*, appel- „ labantur: quibus recitatis, ſtantes ſannionum „ inſtar, quos vellent deridebant. Αὐτοκάβδαλοι „ hedera coronati, pedetentim ac inceſſu compo- „ ſito gradientes, verba tamquam irrorant. No- „ men autem iis acceſſit ex eo, quod non præmeditata, ſed velut extemporanea dicteria effunderent. *Αὐτοκάβδαλον γὰρ λέγεται*, inquit Brodæus *Miſcel.* lib. 5. cap. 34. *τὸ ταπεινὸν, καὶ εὐτελὲς, καὶ αὐτόξεστον, καὶ αὐτοσχέδιον ἐκ μεταφορᾶς τῶν κονταρίων, ἐν οἷς οὐχὶ ἀπεξέσθη τὸ ἄκρον παρὰ τοῦ τέκτονος, ἐν ᾧ τὸ ξίφος ἐντίθεται.*

Jam inter Mimos a Græcis recenſebantur & Ithyphalli, & Hilarodi, & Lyſiodi etiam, & Magodi. Ithyphalli induebant ebriorum perſonas, coronas geſtabant, utebantur manicis violacei coloris ac tunicis albo ad medium diſtinctis. Præcingebantur Tarentinorum amictu, qui e molliſſima erat lana; quem ad talos uſque demittebant. Atque hi per veſtibulum, cum ad Orcheſtræ medium veniſſent, convertebant ſe ad Theatrum, & loquebantur.

Hilarodi (quos etiam Simiodos appellatos fuiſſe, inquit Ariſtocles apud Athenæum, quod Simus Magneſ aliis Poetis hilarodus elegantior atque concinnior fuerit) virilem candidam veſtem induebant, auream coronam geſtabant, atque olim quidem ſoleis, mox crepidis pro calceamentis utebantur. Canebant autem hilaria, fauſta, & læta, ut de amoribus & aliis rebus jucundis, ſed condita gravitate quadam tragica: atque idcirco *ibidem* Ariſtoxenus poſt Tragœdiam inquit hilarodiam graviſſimam fuiſſe.

Magodos idem ac Lyſiodos fuiſſe, docet *ibidem* citatus Ariſtocles: Magodus enim, inquit, eſt, qui habitu muliebri viri perſonam gerit: contra Lyſiodus, qui mulieris virili cultu: cætera eoſdem verſus canunt, & aliis in rebus omnibus nihil differunt. Subdit autem *ibidem*, & quas perſonas iſti repræſentent, & quomodo tympanis & cymbalis fœminæ, vel mœchi, vel lenonis, quandoque & viri ebrii, qui comeſſatum eat ad amicam. Addit, ſæpe etiam ſumere comica argumenta, quæ ſuo adaptent inſtituto, ita tamen, ut laſcivius & obſcœnius omnia repræſentent, quam ſoleat fieri in Comœdia: tandem & illud docet Λυσιῳδοὺς appellatos fuiſſe, quod ejuſmodi dramata *ἐν λυσίοις τελεταῖς* peragerentur: Μαγῳδοὺς vero *ἀπὸ τοῦ οἱονεὶ μαγικὰ προφέρεσθαι, καὶ φαρμάκων ἐμφανίζειν δυνάμεις*. Proinde Muſicos iſtorum cantus, laſcivos, viles, obſcœnos, ſimiles omnino arbitrari poſſumus Medicorum noſtri temporis circumforaneorum cantibus, quos vulgo *Ciarlatanos* appellamus.

CAP. VIII.

De Mimis Latinorum.

EXpoſitis ſpeciebus præcipuis Mimorum apud Græcos, ad Latinos deſcendimus: apud quos celebres illi fuerunt, qui Planipedes audivere. Duplicem hujus nominis etymologiam tradit *lib.* 3. Diomedes his verbis: *Planipes Græce dicitur Mimus: ideo autem Latine Planipes, quod Actores planis pedibus, id eſt, nudis potiſſimum introirent; non, ut Tragici Actores cum cothurnis, neque, ut Comici cum ſoccis. Sive quod olim non in ſuggeſtu Scenæ, ſed in plano Orcheſtræ poſitis inſtrumentis Mimicis actitabant.* Hoc teſtimonium ubi attulit Voſſius *Poet. Inſt.* lib. 2. cap. 32. *Errat*, inquit, *Diomedes, cum idem Planipedem fuiſſe putat, ac Mimum: nec enim quivis Mimus Planipes*. Sed pace tamen tua, Voſſi, parum apte in præſentia cenſoriam diſtringis virgulam in Diomedem: neque enim Mimum idem eſſe ac Planipedem, navus ille Grammaticus unquam aſſeruit, ut tute ipſe ſupponis, ſed ſolummodo Planipedem a Græcis vocari Mimum, quod hercle veriſſimum eſt: nam ſi vel te adſtipulatore Mimi omnes fuerunt Planipedes, cur Planipedes Mimi appellari non potuerunt? An quia non omnes Planipedes Mimi? Sed o bene, male-ne quis homines appellarit animalia, eo quod non omnia animalia ſint homines? Quid, quod Diomedes non docuit, Planipedem & Mimum idem eſſe, ſed ſolum aſſeruit, Planipedem a Græcis vocari Mimum? Equidem ſi verbum verbo reddere voluiſſet, Planipedem Græcis χαμαίποδα ſonare dixiſſet. Sed cum inter non paucas Mimorum ſpecies ſeu formas a Græcis recenſitas, ut ſuperiori capite enucleavimus, nullos ab iiſdem χαμαίποδας appellatos reperiſſet Diomedes,

maluit Latinorum Planipedes, generico illi Mimorum nomini respondentes affirmare. Verum hæc ex parergo. A

Ad rem quod attinet, Mimorum nomen honestius quidem fuit quam Planipedum: quemadmodum & Comœdorum honestius quam Histrionum: nam hercle inter Mimos erant & qui Ethologi audiebant, quod mores hominum jocis, sed honestis, exprimerent, atque sententiis etiam gravioribus condirent. Ast vero Planipedes humiliores erant Mimis, utpote qui & argumenta vilissima & tenuissimas personas referrent. Adeoque Donatus in *Proleg.* suis ad Terentium, *Planipedia*, inquit, *dicta ob humilitatem argumenti ejus ac vilitatem* B *Actorum, qui non cothurno, aut socco utuntur in Scena, sed plano pede.* Plano pede, hoc est, nudo, & prorsus excalceato, si credendum est Senecæ, qui *epist.* 8. *quantum*, inquit, *disertissimorum versuum inter Mimos jacet? Quam multa Publii non excalceatis, sed cothurnatis dicenda sunt?* Ubi pro excalceatis Mimos intelligit.

Sed melior fortassis est secunda ejusdem vocis etymologia, quam & Diomedes innuit, & probat etiam Donatus his verbis: *Vel ideo quod non ea negotia continet, quæ personarum in turribus, aut in cœnaculis habitantium sunt, sed in plano & humili loco.* C Planum enim idem quod Græcis χθαμαλὸν, hoc est, terræ æquale, vel non multum a terra assurgens: unde dicitur, de plano legere. Atque hinc Vitruvius *lib.* 6. *cap.* XI. ædificia plano pede instituta apogæis & concamerationibus opponit; quod scilicet illa sint terrena atque humilia: adeoque Turnebus *Adversf.* lib. 22. cap. 22. *planus pes*, inquit, *est locus, cujus area humilis est:* & Ausonius in *Mosella*:

Quin etiam riguis humili pede condita pratis.

D Planipedes igitur dicebantur Mimi, qui non in Orchestra, sed alio humiliori loco agebant, vel qui vilium atque in terrenis ædificiis habitantium dicta & facta imitabantur. Vilitatem istorum Mimorum illa demonstrant, quod calvo, hoc est, raso prodirent capite, vili centunculo essent amicti, atque alaparum contumeliis vultum objicerent. Calvos prodire solitos Mimos, testatur Nonius ad *Calvitur*: ubi, *Calvitur*, inquit, *dictum est frustratur, tractum a calvis Mimicis*, quod sint omnibus frustratui.* Quare Notæ in Nonium: *calvi in Mimis ubique introducti, & semper derisui; ut in palliatis Lenones, & Parasiti.* E Hinc in *Piscatoribus* Pomponius:

Quid habes in sirpiculis, calve?

Et in *Præcone posteriore*:

At te Dii omnes cum consilio, calve, mactassint tuo.

Adhæret Arnobius *adversus Gentes* lib. 7. p. 229. ubi, *delectatur*, inquit, *ut res est, stupidorum capitibus rasis.* Atque Artemidorus Ὀνειροκριτικῶν lib. 1. c. 22. p. m. 23. ξυρῆσθαι δὲ δοκεῖν τὴν κεφαλὴν ὅλην, πλὴν Αἰγυπτίων Θεῶν ἱερεῦσι, καὶ γελοτοποιοῖς, καὶ οἷς ἔθος ἔχουσι ξυρᾶσθαι ἀγαθόν. F Scilicet, *radi sibi videri totum caput, (exceptis Deorum Ægyptiorum sacerdotibus) & risus movendi studiosis*, hoc est, Mimis, *& his quibus mos est radi, bonum.*

De centunculis testis Apulejus in *Apologia* p. m. 15. ubi, *Quid enim*, inquit, *si choragium thymelicum possiderem, num ex eo argumentarere, etiam*

* Rep. *Mimis*.

uti me consuesse Tragœdi syrmate Histrionis, crotaloque ad Trieterica Orgia, aut Mimi centunculo? Jam vero alapis pervios hujusmodi Mimos testatur Martialis *lib.* 2. *epig.* 72. dum ait:

Os tibi percisum, quanto non ipse Latinus
Vilia Panniculi percutit ora sono.

Et *epig.* 62. *lib.* 5.

O quam dignus eras alapis, Mariane, Latini!
Te successurum credo ego Panniculo.

Quo & Juvenalis respexit, dum *Satyr.* 5. v. 170. ait:

——*omnia ferre*
Si potes, & debes; pulsandum vertice raso
Præbebis quandoque caput, nec dura timebis
Flagra pati.

Quos secutus Septimius Florens *de Spect.* cap. 23. „ Placebit & ille, *inquit*, qui vultus suos novacula mutat, infidelis erga faciem suam, quam non contentus Saturno, & Isidi, & Libero proximam facere, insuper contumeliis alaparum se objicit, quasi de præcepto Domini ludat.

Sed si hæc tamen pro veris habenda sunt, errasse credendus est Festus, qui reciniatos Mimos appellat: „ Recinium, verba ipsius sunt, erat omne vestimentum quadratum. Ii, qui duodecim Tabulas interpretati sunt, esse dixerunt virilem togam, qua mulieres utebantur, prætextam clavo purpureo: unde reciniati Mimi Planipedes. Quod si Mimi Planipedes reciniati, hoc est, toga clavo purpureo prætexta induti; non erant igitur vili centunculo amicti. Sic & Hilarodos superiori capite ostendimus veste candida & corona aurea indui solitos; non ergo centunculo.

Sed respondendum est, Mimos non unam semper atque eandem Personam repræsentasse; adeoque non uno atque eodem semper ornatu usos fuisse. Qui rasi, vili centunculo amicti, caput ac vultum alapis & contumeliis objiciebant, proprie erant ii, quos stupidos appellabant. Audiamus Heraldum in suis *ad Arnobium Animadversionibus ad lib.* 7. p. m. 276. ubi, „ in γελοτοποιοῖς, *inquit*, quidam stupidorum partes agebant; atque hi tarditatem simulabant in rebus omnibus: eruntque proinde simillimi scurris secundarum partium Comœdiarum nostri temporis, qui rusticos quosdam Bergomenses referunt insulsos, tardos, atque ad omnia stupidos. Atque ex his igitur stupidis erant & Panniculus, de quo Martialis, & alii similes in veteribus Mimis, qui & calvi, & rasi, & verberibus atque alapis obnoxii. Sed præter hos tamen alii etiam esse poterant, qui paulo graviores & non ita viles personas in Mimis & Planipedia repræsentarent: atque etiam non raro fœminas, quas nil vetat recinia & crocotas gestare, & præcipue si recinia illa, & crocotæ non equidem novæ, sed vetustiores essent, ac magis detritæ.

CAP. IX.

De Pantomimis, eorumque prima Origine.

Mimos olim quidem Comœdiæ partes fuisse, sed e Comœdiæ veluti servitute assertos, ac sui juris factos, quartam Poeseos dramaticæ formam constituisse, in superioribus stabilivimus: in qua nempe & cantu, & sono, & versibus adhibitis, res utplurimum viles & obscœnæ, vilissimarumque personarum mores &

affectus referebantur. Ex Mimis autem istis paulatim exorti sunt Pantomimi, qui omissa voce & cantu, non canendo aut loquendo, sed pedum atque manuum agilitate, totiusque corporis variis gesticulationibus facta dictaque hominum atque integras etiam, si liberet, fabulas repræsentabant. Dicti autem fuerunt Pantomimi, eo quod πάντα imitarentur: adeoque non viles tantum Personas, sed graves etiam ac tragicas; idque non voce & gestu, quemadmodum Mimi, sed solis gesticulationibus. Adeoque Cassiodorus de Pantomimis hisce loquens lib. I. *Variarum*, epist. 20. *Hanc partem*, inquit, *Musicæ disciplinæ mutam nominavere Majores, scilicet quæ ore clauso manibus loquitur, & quibusdam gesticulationibus facit intelligi, quod vix narrante lingua, aut scripturæ textu possit agnosci*. Quo vergit & illud Simonidis apud Plutarchum lib. 9. *Sympos.* cap. ultimo p. m. 748. qui Poesim quidem loquentem saltationem, hanc vero tacitam Poesim nominavit. Saltationem hanc pantomimicam, prioribus quidem temporibus ignotam, ab Augusto primum in Urbem invectam, opera Pyladis & Bathylli uso, plerique atque ii quidem non spernendæ auctoritatis affirmant. Suidas ad ὄρχησις παντόμιμος: Ταύτην, inquit, ὁ Αὔγουστος Καῖσαρ ἐφεῦρε, Πυλάδου καὶ Βαθύλλου πρῶτον αὐτὴν μετελθόντων. Et in Ἀθηνόδωρος: κατὰ δὲ τοὺς καιροὺς ἐκείνους, ait, καὶ ἡ παντόμιμος ὄρχησις εἰσήχθη οὔπω πρότερον οὖσα. Ac eisdem fere verbis & Zosimus idem repetit de Augusti imperio, & Zonaras *lib.* I. Hisque omnibus auctoritate prior Athenæus *lib.* I. *cap.* 17. Pyladem & Bathyllum hujusce saltationis auctores agnoscit; qui sane Augusti tempore celeberrimi Romæ fuerunt Histriones. His vero non subscripsit modo Lipsius, sed in suis *ad Tacitum Commentariis* cap. 54. se hanc rem primum advertisse gloriatur. Rationem hujusce rei politicam comminiscitur Vossius lib. 2. *Poet. Inst.* cap. 37. p. m. 179 nempe ut animos eorum, qui libertatem rigidius amarent, emolliret rebus ludicris: adeoque non modo Histriones verberum immunes esse jussit, quod prius aliter fuerat, sed etiam Pantomimorum artem incognitam primus in Urbem induxit.

Verum ut ab hoc ultimo exordiamur: Augustum quidem spectaculorum & assiduitate, & varietate, atque magnificentia omnes antecessisse, *cap.* 43. testatur Suetonius, dum ait: *Studio spectandi, & voluptate, qua teneri se neque dissimulavit unquam, & sæpe ingenue professus est*. Nunquam autem ego dicerem, Ludos, aut saltationes pantomimicas Augustum invexisse, ut rigidiores libertatis amatores iis ludicris cicuraret, aut Populum dulcedine otii ad parendum pelliceret. Nota jam erat omnibus, etiam ante Augustum, Romani Populi θεατρομανία, atque nimium in omne genus Ludorum studium. Tacitus sane, non is hercle malus politicorum consiliorum interpres, Pantomimis non perfunctoriam operam Augustum dedisse, testatur; non ut emolliret Populum, sed potius, ut se civilem ac popularem ostenderet, iisdem vulgi studiis obnoxium, atque ut Mæcenati gratificaretur. Verba ipsius sunt ex I. *Annalium* libro cap. 54. *Indulserat ei ludicro*, nempe Pantomimorum, *Augustus, dum Mæcenati obtemperat effuso in amorem Bathylli: neque ipse abhorrebat talibus studiis, & civile rebatur misceri voluptatibus vulgi*. Et licet immunes verberum Histriones jusserat, ea forte ratione id fecit, (ut suspicatur Marcellus Donatus in suis *ad Suetonium Notis ad cap.* 45.) ut in publicis spectaculis, præsertim Scenicis, libere publica & privata malefacta redarguere possent, ex quo homines erubescere pudereque discerent. Quam Donati conjecturam confirmant quæ alias adversus petulantiores Histriones severe animadvertit Augustus. Teste namque eodem Suetonio *cap.* 45. *Histrionum licentiam adeo compescuit, ut Stephanionem togatarium, cui in puerilem habitum circumtonsam matronam ministrasse compererat, per trina Theatra virgis cæsum relegaverit: Hylam Pantomimum, querente Prætore, in atrio domus suæ, nemine excluso, flagellis verberaverit: Et Pyladem Urbe atque Italia submoverit, quod spectatorem, a quo exsibilabatur, demonstrasset digito, conspicuumque fecisset*.

Verum age, illud prius exactiori trutina pensitemus, an pantomimica saltatio, & artificium, temporibus Augusti primum inventa atque invecta fuerit, vel longe antiquior Augusto extiterit. Et antiquiorem quidem Augusti sæculo extitisse, exinde probat Bulengerus tractatu *de Theatro*, quod Lesbonax Mitylenæus, Auctor vetustissimus, ὀρχηστὰς χειροσόφους noverit; atque ita illos appellarit, qui manuum agitatione res imitarentur, hoc est, Pantomimos: nil enim magis proprium Pantomimi, quam τὰ λεγόμενα ταῖς χερσὶν δεικνύειν, scilicet *manibus verba expedire*: quorum proinde digitos linguosos, aut loquaces audivisse scimus: quin imo καὶ ἥκει ἐπὶ τὴν θέαν αὐτῶν, addit Lucianus pag. mihi 137. ex quo rem desumsit Bulengerus, ὡς βελτίων ἀναστρέψων ἀπὸ τοῦ θεάτρου.

Verum cum Lesbonax iste Mitylenæus Philosophus temporibus Augusti floruerit, teste Suida; ipsius testimonio vix evincitur, χειροσοφίαν istam, seu pantomimicum artificium Augusti ævo antiquius exstitisse. Hanc eandem rem clarissimus Salmasius, in suis *ad Vopiscum Notis* p. m. 496. Quintiliani testimonio probari, auctor est; qui scilicet Chironomiam antiquissimam fuisse docet. Verba Quintiliani sunt ex II. *c.* I. *lib.* p. m. 96. atque ita se habent: *Cum præsertim Chironomia hæc, quæ est, ut nomine ipso declaratur, lex gestus, & ab illis heroicis temporibus orta, & a summis Græciæ viris, & ab ipso etiam Socrate probata, a Platone quoque in parte civilium posita virtutum, & a Chrysippo in præceptis de Liberorum educatione compositis non omissa*. Verum cum Chironomia non sit semper cum saltatione conjuncta, (nam apud Xenophontem in *Symposio* quidam didicisse se quidem ait χειρονομεῖν, non autem ὀρχεῖσθαι: καὶ αὐτὸς, verba ipsius sunt, ἐλθὼν οἴκαδε, ὀρχούμην μὲν οὔ, οὐ γὰρ πώποτε τοῦτ' ἔμαθον· ἐχειρονόμουν δὲ, ταῦτα γὰρ ἠπιστάμην) Chironomiam istam antiquissimam asserere quis poterit, sed non quæ cum saltu esset conjuncta. Certe χειρονομία, si vim Græcæ vocis exprimere velimus, nil aliud est, nisi manuum certus cum lege motus: atque idcirco *legem gestus* optime vertit Fabius: cum enim maxima pars gestus in manu sit posita, legem motus manuum legem gestus appellavit. Esto, hæc lex motus manuum fuerit antiquissima, atque ab ipsis heroicis temporibus & usurpata & tradita; non hinc clare deducitur, paris etiam antiquitatis esse χειρονομίαν illam ὀρχηστικὴν, legem scilicet saltationis gesticulatricis, quæ Pantomimorum erat propria. Validius propositum demonstrat idem Salmasius ibidem ex illo Telesia, seu Teleste, quem refert Athenæus *lib.* I. πολλὰ ἐξευρηκέναι σχήματα, ἄκρως ταῖς χερσὶν τὰ λεγόμενα δεικνύοντας, scilicet, *multa invenisse schemata, & manibus omnia, quæ dicerentur, graphice ostendisse*. Namque hunc eundem Telestem adeo præclarum Saltatorem fuisse, ibidem testatur Athenæus, ut cum τοὺς ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας desaltaret, φανερὰ ποιῆσαι τὰ πράγματα δι' ὀρχήσεως, quæ in illo scilicet Dramate agerentur, omnia gestibus expresserit, ac veluti spectatorum oculis supposuerit. Namque ex his ars ista pantomimica, quæ res saltibus ac gestibus sine voce exprimebat, tanto antiquior temporibus Augusti deducitur, quanto fuit Æschylus Augusto antiquior.

Sed rem hanc tamen non alius mihi clarius demonstrat Aristotele: part. namque 5. *Poet.* suæ, Αὐτῷ δὲ τῷ ῥυθμῷ μιμῦνται, inquit, χωρὶς ἁρμονίας οἱ τῶν ὀρχηστῶν· καὶ γὰρ οὗτοι διὰ τῶν σχηματιζομένων ῥυθμῶν μιμῦνται καὶ ἤθη, καὶ πάθη, καὶ πράξεις: quæ Latinis auribus sic sonant: *Numero vero ipso seorsum ab harmonia imitantur Saltatores: quandoquidem hi gesticulationis numerosæ varietate mores, perturbationes, actionesque imitantur.* Ergo inde usque ab Aristotelæis temporibus noti erant Saltatores atque Histriones, qui & actiones, & perturbationes, & mores hominum sola gesticulationis numerosæ varietate exprimebant. Quid autem aliud erant Pantomimi, seu quid aliud Pylades unquam, aut Bathyllus præstitit, quam ut mores, actiones, ac perturbationes hominum variis motibus ac gestibus repræsentarent? Quod si hoc artificium jam a temporibus Aristotelis fuit notissimum, falluntur qui temporibus Augusti inventum existimant.

CAP. X.

Sententia Salmasii expenditur.

Eruditissimus Salmasius *loco* supra *citato*, asserens & ipse ore rotundo, illos tota re falli, qui putant, ante Augusti tempora nulla Pantomimicæ saltationis exstitisse vestigia, quæ scilicet manibus loqueretur, & omnia effingeret gestibus: *Quid ergo*, inquit, *illis opponemus, qui ejus inventorem Pyladem perhibent?* Statimque respondet: *Interpretandi nobis sunt, non refutandi: nam & verum illi dixerunt, si recte capiantur. Saltatio, qualis Augusti temporibus in Scena versabatur, & quæ post illa tempora passim viguit, quæque nihil amplius commune aut conjunctum habebat cum Comœdia atque Tragœdia, sed seorsim in Orchestram veniebat, inventum procul dubio Pyladis fuit & Bathylli: res vero ipsa, & ars illa, saltandique modus, quo omnia, quæ dicerentur, manibus expediebantur, quoque etiam Pylades in sua saltatione usus est, longe ante Pyladem nota Scenæ & in usu posita fuere; sed in Tragœdia tantum, & Comœdia, & Satyris locum habebant: nusquam enim sola per se ante id tempus ὄρχησις in Orchestra comparuerat. Primum Pylades saltationis artem a Tragœdia & Comœdia separatam in Scenam Latinam introduxit.* Hactenus Salmasius.

Enimvero quemadmodum hac in re non possum non mentem commendare Salmasii, (benigni namque semper Lectoris est in meliorem partem sensum interpretari Auctorum: præsertim vero si veteres fuerint, atque nobilis & non surdæ famæ) ita ejusdem sententiæ atque interpretationi subscribere non valeo: quamvis in illam Vossius, Josephus Scaliger in suis *ad Manilii lib.* 5. *Notis*, atque alii Recentiores eruditissimi pedibus iverint. Primo namque Italicæ saltationis, nempe pantomimicæ, inventorem Augustum, hoc est, Pyladem sub Augusto, disertis atque sonantibus verbis asserit Suidas: *τὴν παντόμιμον ὄρχησιν*, inquit, Αὔγουστος Καῖσαρ ἐφεῦρε, Πυλάδου καὶ Βαθύλλου πρῶτον αὐτὴν μετελθόντων. Sed artem illam atque saltandi modum longe ante Pyladem Scenæ fuisse notum, tute ipse fateris; qui igitur ab errore unquam vindicabis Suidam, qui Pyladem & Bathyllum ejus inventores diserte pronunciat? Audio quid reponis: Pylades atque Bathyllus primi saltationem illam extra Tragœdiam atque Comœdiam in Scenam Latinam induxerunt. Et hoc quidem quam verum sit, statim expendemus. Sed amabo te, num-ne Pylades atque Bathyllus hanc unam ob causam illius saltationis inventores dici potuerunt,
A quod illam solum extra Tragœdiam atque Comœdiam saltaverint? Profecto hæc longe diversissima sunt, saltationem pantomimicam invenisse, atque illam jam inventam, atque usu in Scenam receptissimam & notissimam ab Tragœdia & Comœdia separasse. Debuerat igitur Suidas, & qui Suidæ subscripserunt; debuerat, inquam, asserere, Pyladem atque Bathyllum omnium primos separatim ab Tragœdia & Comœdia illam desaltasse; non vero illius inventores fuisse.

Sed utinam alicujus saltem veteris Auctoris testimonio rem hanc, quam adstruebat, confirmasset Salmasius: Pyladem nempe omnium primum fuis-
B se, qui saltationem pantomimicam extra Tragœdiam atque Comœdiam in Scenam Latinam introduxerit. Equidem fateor, Salmasium non suæ modo ætatis, sed omnis ante se memoriæ nulli Philologorum eruditione secundum: sed dum de re antiquissima agitur, an sola ipsius auctoritas satis sit ad veritatem aliquam confirmandam ac statuendam, dubius hæreo. Et tamen nullum veteris Auctoris testimonium adducit, qui vel hoc saltem afferat, Pyladem atque Bathyllum extra Tragœdiam atque Comœdiam pantomimicam saltationem in Scenam Latinam introduxisse. Videant modo, quibus esse corculis datum est, an ex
C hoc effato, quod nullius veteris Scriptoris auctoritate fulcitur, possit illud deinde rite deduci, Pyladem atque Bathyllum veros idcirco pantomimicæ saltationis inventores fuisse.

Sed quoniam, ad hujus rei plenissimam fidem, satis forte fortuna aliquibus videri possit eruditissimi Salmasii auctoritas; accuratius examinare non abs re fuerit, an, & quantum cum veritate consentiat. Ait igitur Vir præclarissimus ante Pyladis tempora nunquam solam per se ὄρχησιν in Orchestra comparuisse. Ast ego ante Tragœdiam omnem atque Comœdiam saltationem in Scena
D Romana visam fuisse, reperio. Testem profero, non Auctorem ex trivio, sed omni majorem exceptione Livium, qui *dec.* 1. *lib.* 7. Scenicorum Ludorum primam originem exponens, hæc habet: *Ludi quoque Scenici, nova res bellicoso populo, inter alia cælestis iræ placamina instituti sunt. Cæterum parva quoque (ut ferme principia omnia) & ea ipsa peregrina res fuit. Sine carmine ullo, sine imitandorum carminum actu, Ludiones ex Etruria acciti ad tibicinis modos saltantes, haud indecoros motus more Thusco dabant.* En igitur, quid primum in Romana illa atque omnium antiquissima Scena comparuerit. Nullum car-
E men, nullus imitandorum carminum actus: adeoque non fabula ulla, aut Comica, aut Tragica: nam hæ sine carmine non subsistunt: sed Ludiones Etrusci, ad tibicinis modos saltantes. Atque post hos, paulatim deinde, testatur idemmet Livius, paulatim, inquam, & Satyræ modis impletæ, &, auctore Andronico Livio, argumentis fabulæ insertæ; atque tunc Tragœdia & Comœdia introductæ. Et dici-ne igitur, aut affirmari unquam poterit, nusquam ante Pyladis tempora ὄρχησιν in Orchestra comparuisse, si, teste Livio, omnium primam ex Ludis Scenicis ὄρχησιν Romani specta-
F verunt? Neque enim, opinor, quis sanæ mentis arbitrabitur, saltationem illam Ludionum Etruscorum non in Scena, aut extra Orchestram exercitam: nam licet

> *Tunc neque marmoreo pendebant vela theatro,*
> *Nec fuerant liquido pulpita rubra croco;*

at saltem, quod de primis Ludis ab Romulo in raptu Sabinarum editis affirmat Ovid. *de Arte* l. 1. v. 103.

Illic, quas tulerant nemorosa palatia, frondes
Simpliciter positæ; Scena sine arte fuit, &c.
Dumque, rudem præbente modum tibicine Thusco,
Ludius æquatam ter pede pulsat humum.

Sane cum Ludi Scenici a Scena nomen desumserint; quando primum Romæ spectari cœperunt, extra Scenam editi non sunt. Sed primo spectati sunt, cum Ludiones Etrusci ad tibicinis modos saltarunt: igitur saltatio illa in Scena edita est. Adeoque manifestum est, τὴν ὄρχησιν, etiam ante introductas Tragœdiam & Comœdiam, in Scena Latina apparuisse.

Enimvero subsecutis temporibus Mimi atque saltationes partes esse cœperunt Comœdiæ atque Tragœdiæ: sed partes tamen extrinsecus advenientes atque accessoriæ: adeoque ita separatæ, ut, etiam extra illas, facillimum fuerit easdem exerceri, atque etiam in Scenam descendere. Nimirum cum Latinæ Comœdiæ, Diomede teste *lib.* 1. choros non habuerint; atque inde usque ab Andronici Livii temporibus, auctore Livio, diverbia tantum Poetarum vocibus essent relicta; Poetæ quidem diverbia, hoc est, actus ipsos fabularum recitabant: hos autem inter actus, exhilarandorum auditorum ergo, sublato choro, Mimi primum fuerunt introducti: sed postquam hi quoque per se stare maluerunt, cantica successere: in quibus inter singulos actus tibiis paribus, vel imparibus canebatur. Patet igitur, Mimos, & Pantomimos, atque saltationes etiam istas, de quibus in præsentiarum est sermo, partes quidem Dramatum fuisse, sed accessorias, adeoque ab eorumdem Dramatum constitutione adeo separatas, ut facile etiam per se stare quiverint.

Quid vero si illud etiam demonstravero, longe ante Pyladis & Augusti tempora Mimicas & Pantomimicas saltationes ab Tragœdia & Comœdia fuisse separatas? Enimvero Mimi & Pantomimi tunc a Comœdia & Tragœdia separati sunt, cum in eorumdem locum cantica successerunt. Id vero quando contigerit, ex Suetonii fragmento exponit nobis Diomedes *lib.* 3. *cap.* de variis Poematum generibus: ibi namque docet, separationem Mimorum ab Tragœdia & Comœdia ab illo tempore factam fuisse, quo pro Mimis cantica successere, atque tibiæ pares & impares: *Hujus enim rei*, inquit Diomedes, *indicia produnt nobis antiquæ Comœdiæ; in quibus inveniemus actus tibiis paribus, aut imparibus, aut Sarranis*. Sed hercle longe ante Pyladis ætatem tibiæ pares, aut impares in Comœdiis esse cœperunt. Nam Terentianæ fuerunt hujusmodi: & tamen Terentius floruit intra primi & secundi belli Punici tempora: ergo ex tunc Mimi & Pantomimi a Comœdia & Tragœdia separati sunt. Non igitur id evenit sub Augusto ex Pyladis & Bathylli nova institutione & professione, ut asserit Salmasius, inquiens, eosdem primos saltationem a Tragœdia & Comœdia segregatam artificio suo vindicasse, & separatam in Scena actitasse.

Sed esto, dicet hic aliquis, Mimi & Pantomimi ex tunc a Comœdia & Tragœdia separati fuerint: non tamen ex tunc in Scenam Latinam comparuerunt: sed solus primusque Pylades, Augusti tempore, illos in Orchestram invexit. Verum si Mimi & Pantomimi tunc genus quoddam Dramaticæ imitationis per se constituerunt, cum a Comœdia & Tragœdia separati sunt, profecto in Scenam etiam & Orchestram, non minus quam reliqua Dramatum genera, spectari debuerunt: aliter enim Dramaticæ atque Scenicæ imitationis genus, atque quartum ab Satyra, Comœdia, & Tragœdia distinctum minime fuisset. Sed & ratio id ipsum validissime persuadet. Nam si Mimi ideo a Comœdia

A separati sunt, quia in artificio suo cæteris inferiores non erant; adeoque iis servire dedignabantur; qui deinde Theatrum ac Scenam aliis relinquere aut potuerunt, aut debuerunt? Profecto decedere campo, illumque adversario relinquere, est se victum atque inferiorem fateri. Non igitur cæteris Scenicis artificibus Scena cessissent tunc, cum se illis nihilo inferiores jactitabant.

Equidem saltandi, cantandique studium, adeoque histrionicam universam honestissimo loco habitam Romæ fuisse, reperio, inter duo illa bella Punica; adeoque quo potissimum tempore mores optimi Romæ floruerunt. Do testem Furium Albinum
B antiquitatis peritissimum, apud Macrobium lib. 3. *Saturn.* cap 14. ubi hæc leguntur: *Inter illos*, scilicet Romanos veteres, *saltatio certatim vel ab honestis appetebatur. Ecce enim (ut ab illo ordiar tempore, quod fuit optimis moribus) inter duo bella Punica ingenui: quid dicam ingenui? filii Senatorum in ludum saltatorium commeabant, & illic crotala gestantes saltare discebant. Taceo, quod matronæ etiam saltationem non inhonestam putabant; sed inter probas quoque earum erat saltandi cura, dummodo non curiosa usque ad artis perfectionem*. Nobilium vero filios, & quod dictu nefas est, filias quoque virginis inter studiosa exerci-
C tia numerasse saltandi meditationem, testis est Scipio Africanus Æmilianus, qui in *Oratione contra legem judiciariam Tiberii Gracchi* sic ait: *Docentur præstigias inhonestas, cum cinædulis, & sambuca, psalterioque. Eunt in ludum Histrionum, discunt cantare: eunt, inquam, in ludum saltatorium, inter cinædos virgines, puerique ingenui. Hæc cum mihi quisquam narrabat, non poteram animum inducere, ea liberos suos, homines nobiles docere: sed cum ductus sum in ludum saltatorium, plus medius fidius in eo ludo vidi pueris, virginibusque quingentis*. Et quo igitur tempore Cinædi, hoc
D est, Pantomimi (ita namque communiter appellabantur propter lascivas ac turpes gesticulationes) quo, inquam, tempore Cinædi ludos saltatorios publice habebant; atque adeo exaggerato discipulorum numero, ex pueris, virginibusque ingenuis, atque matronis confecto, coronabantur, quibus effectum erat, ut ars illa honestissima censeretur; illo tempore Scena eosdem abstinuisse quispiam arbitrabitur, atque non in Orchestram comparuisse, ut artis suæ specimen ederent, atque magis magisque ad se & Ludos suos frequentandos juventutem allicerent? Ego vero mihi videor jure quinimo meritissimo existimare, non alio magis tempore Pan-
E tomimos Scenam frequentasse, atque in Ludis Scenicis principatum quæsivisse, quam quo tanto studio intentam sibi atque obnoxiam utriusque sexus nobilitatem intuebantur.

Sed age, Salmasi: vis controversiam istam dirimendam ipsimet Pyladi relinquamus? Non repugnabis, opinor: ecquis enim alius certius nobis exponet, quid Pylades invenerit, aut in Romanam Scenam invexerit, quam ipsemet Pylades? Igitur mecum adire quæso ne pigeat Macrobium lib. *Saturn.* 2. cap. 7. p. m. 347. ubi loquens de Pylade, *Hic*, inquit, *quia ferebatur mutasse ru-*
F *dis illius saltationis ritum, quæ apud Majores viguit, & venustam induxisse novitatem; interrogatus ab Augusto, quæ saltationi contulisset*, quid, quæso, respondit? Forte-ne saltationem pantomimicam invenisse, ut asserit Suidas? An ab aliis inventam primum in Scenam Latinam invexisse, ut tu, Salmasi, contendis? Nihil minus. Respondit enim versiculo ex *Iliad.* K. ab Homero petito:

Αὐλῶν, συρίγγων τ' ἐνοπὴν, ὅμαδόν τ'......
Tibiarum, fistularumque sonum, & multitudinem....

Egregie sane & vere: nam ante Pyladem Mimi ad tibicinis cantum saltabant: sed is plures adhibuit tibicines. Deducitur id ex Luciano, dum Pantomimum Ajacem saltantem describit p. m. 148. ἑνὸς δὲ, inquit, τῶ ὑπαυλούντων τὸν αὐλὸν ἁρπάσας, scilicet, *unius quidem ex tibia canentium tibia arrepta*. Ergo plures aderant tibia canentes: Pyladis inventum, a quo morem & reliqui sumserant. Primus insuper fistulas præcinere saltantibus jussit. Ita Eusebius in *Chronico*: *Pylades Cilix Pantomimus* πρῶτος τὰς σύριγγας, καὶ τὸ Χορὸν ἑαυτῷ ἐποίησε, hoc est, *primus fistulas & Chorum sibi concinere fecit*. Ex quibus, Chorum etiam in saltatione Pyladem adhibuisse, constat. Quod & ipse designavit illis Homerici versiculi verbis ὁμαδεῖτ'..... quibus τὴν τοῦ Χοροῦ συμφωνίαν intellexit; hoc est, Choraulem cum septem cantoribus: pro quo citat Salmasius Hygini testimonium ex Mythologia. Pythaules, qui Pythia cantaverat, septem habuit Palliatos, qui voce cantarent: unde postea appellatus est Choraules.

Ex quibus omnibus colligendum igitur est, Saltationem pantomimicam non fuisse Pyladis inventum: nec ab ipso primum extra Comœdiam & Tragœdiam in Scenam Latinam invectam, sed magis excultam, atque exornatam, atque cum tibiis pluribus, fistulis, atque Choro exhibitam. Ratione cujus novitatis, & majoris etiam fortassis in saltando dexteritatis, & concinnitatis adeo commendatus est, ut Inventor illius saltationis per hyperbolen audiverit.

CAP. XI.

Prima Pantomimorum origo diligentius exponitur.

DUo in saltatione palmaria inesse, auctor est nobis Philosophus *Poet.* suæ part. 5. quod solo rhythmo absque harmonia imitationes conficiat: adeoque certa quadam, justa atque concinna temporis mensura motus suos distinguat: quodque numerosa ista motuum atque gesticulationum varietate mores, actiones, ac perturbationes repræsentet. Jam vero cum pantomimica Saltatio supra communem saltationem ita acceptam ac definitam nil addat aliud, quam majorem quandam ἐνάργειαν, atque concinnitatem & dexteritatem in exprimendis moribus, perturbationibus, atque actionibus humanis cujusvis generis personarum; sitque propterea nil aliud, nisi perfectior quædam, ac magis artificiosa, omnibusque numeris absoluta saltatio; profecto ejusdem origo prima ex primis ipsius saltationis principiis repetenda est.

Porro saltationem non novitium quoddam inventum exstitisse, aut avorum abavorumque nostrorum tempore fuisse usurpatam; sed antiquissimam rerum omnium exstitisse, utpote Mundo ipsi coævam, atque cum Amore Deorum antiquissimo exortam, auctor est Lucianus libel. *de Saltat.* sub ipsum fere initium pag. m. 98. namque, οἵγε τ' ἀληθέστερα, verba ipsius sunt, ὀρχήσεως πέρι γενεαλογοῦντες, ἅμα τῇ πρώτῃ γενέσει τῶν ὅλων φαῖεν ἄν σοι καὶ ὄρχησιν ἀναφῦναι, τῷ ἀρχαίῳ ἐκείνῳ ἔρωτι συναναφανεῖσαν. Scilicet, *qui super saltationis ortu quam verissima perscrutati sunt, affirmant illam una cum Mundi ac omnium rerum generatione natam esse, & cum Amore Deorum illo vetustissimo in lucem prodiisse*. Profecto Amorem Deorum omnium antiquissimum exinde Phædrus apud Platonem in *Sympos.* deducit, quod ipsius parentes prorsus ignorentur: *Quod magnus deus sit*, verba sunt Phædri, *& hominibus atque Diis admirabilis Amor, id jam compertum est sæpius cum in aliis, tum in iis, quæ ad ejus originem spectant præcipue. Neque enim me præterit, esse quidpiam præclarum, inter antiquiores Deos recenseri: Amoris autem parentes neque sunt, neque ab ullo vel privatorum, vel Poetarum, quinam fuerint, dicuntur.* Hinc Amorem ex illa *primigenia & informi materia, Chaos appellata, educit Hesiodus in Theogonia*. Quod si cum Amore saltatio in lucem prodiit, profecto antiquissima & illa fuit; atque primigeniæ illi materiæ, adeoque rerum omnium generationi coæva, ut vult Lucianus. Qui in hanc eandem rem ingeniosissime subdit, primum saltandi exemplar ab sideribus & planetis homines desumsisse: *Etenim ipsa*, inquit, *siderum chorea, & errantium cum non errantibus conjunctio, eorumdemque modulata atque concinna participatio, & illa bella tam præclare instituta harmonia, primigeniæ saltationis argumenta fuere & indicia certissima*.

Alii una cum religione ac rebus sacris saltationem exortam affirmant: nulla enim antiquitus erant sacra, in quibus non saltaretur. Musæum atque Orpheum præcepisse referunt Græci, ut omnia sacra atque initiationes cum rhythmo & saltatione fierent. Ducebant autem antiquissimi illi Ethnicorum choreas circa aras fumantes, ut inquit Donatus in *Prolegomenis ad Terentium*: modo quidem ab earumdem parte sinistra ad dexteram, quo motum cæli ab Oriente in Occidentem referebant: mox a dextera redibant ad sinistram, ut errantium stellarum cursum exprimerent. Hanc autem fuisse rationem, propter quam in religionibus saltationem adhiberent, inquit Servius *ad illud Eclog.* 5. v. 73. *Saltamus Satyros: quod nullam Majores nostri partem corporis esse voluerunt, quæ non sentiret religionem: nam cantus ad animam, saltatio ad mobilitatem pertinet corporis*. Quod si cum religionibus igitur ac primis sacris orta saltatio est, quis ejus antiquitatem, aut primam originem expediet?

Tandem alii Erato Musam saltationis fecerunt inventricem. Alii antiquissimi illius temporis decantatos Heroas, saltandi studio exercitatissimos, ex hac ipsa re artem fecisse autumarunt. Cæterum cum quatuor antiquissima saltationum genera in veterum Scriptorum monumentis passim occurrant: sacrum, seu mysticum ac divinum, quod nempe in sacris atque religiosis celebritatibus erat in more; Militare, Convivale, atque Theatricum; Pantomimica autem saltatio ad theatricum dubio procul ὀρχήσεως genus pertineat; hujus potissimum primam originem eruere, præsentis instituti scopus esse debet. Cumque pantomimica saltatio gestibus, motibus variis corporis, ac nutibus mores, perturbationes, atque actiones cujusvis hominum generis repræsentaret; non defuerunt, qui primam ejus originem ab Hierone Siciliæ Tyranno deducerent. Is enim cum Populo mutuis colloquiis interdixisset, ut suam melius tyrannidem stabiliret; sensus & cogitationes suas, quas vocibus exponere vetitum erat, nutibus ac gestibus aperire studuerunt. Quæ deinde necessitas in artem pulcherrimam ac vetustissimam multiformium saltationum abivit. Verum quidquid sit de hac historia, cujus veritatem exagitare non vacat: si necessitas illa sensus & cogitationes exprimendi per nutus & gestus artem gesticulatoriæ saltationis parere potuit, aut debuit, profecto multo antiquior ars ista fuisset. Nam si non primi ipsi parentes; hercle post Turris illius Babylonicæ exædificationem, atque confusionem Linguarum non potuerunt homines nova constituere idiomata, atque talibus vocibus vim ita significandi impertiri, nisi nutibus, ac gestibus, ac demonstratione rebus obiter occurrentibus applicata, internos suos sensus & cogitationes sibi mutuo aperuissent. Ergo inde usque a prima Linguarum in-

ſtitutione, prima hujuſce pantomimicæ ſaltationis fundamenta apparere debuiſſent.

Ingenioſius multo hujus ſaltationis primus auctor dici poteſt ille fabulis decantatus Proteus: *Nam vetus illa fabula*, inquit Lucianus lib. jam ſæpius citato *de Salt.* p. m. 106. *Proteum Ægyptium, nihil aliud quam ſaltatorem eximium, mihi plane confirmare videtur, hominem effingendi imitandique peritum: quique ſemet in varias rerum facies mutare ac transformare potuerit: ut modo in aquas tenues dilapſus abiret, imitando; mox ignis celeritatem & vehementiam agilitate corporis; mox leonis immanitatem ac pardalis impetum; deinde arboris motum flexibilem; poſtremo quidquid collibuiſſet, exprimeret. Cæterum fabula eas Protei proprietates ad inuſitatiorem opinionem detorquens, eam ejus naturam commenta eſt, quaſi ea quoque fieret, quæcumque ſaltandi artificio imitaretur.* Sane ſi hæc pro veris haberi poſſent, atque propter hanc ſaltandi excellentiam in omnium rerum formas abire Proteus dictus eſt; haberemus Pantomimorum omnium Protocoryphæum Proteum. Verum cum hæc fabularum ludibria oleant; ut ad verum propius prima theatricæ ſaltationis origo eruatur, ad naturam potius humanam, aut ego fallor, recurrendum eſt.

Igitur egregius vir ingenio Ariſtoteles lib. ſuo de *Poet.* cap. 4. Κατὰ φύσιν δὲ ὄντος ἡμῖν τοῦ μιμεῖσθαι, καὶ τῆς ἁρμονίας, καὶ τοῦ ῥυθμοῦ (τὰ γὰρ μέτρα ὅτι μόρια τῶν ῥυθμῶν ἐστὶ, φανερὸν) ἐξ ἀρχῆς οἱ πεφυκότες πρὸς αὐτὰ μάλιστα, κατὰ μικρὸν προάγοντες ἐγέννησαν τὴν ποίησιν ἐκ τῶν αὐτοσχεδιασμάτων. Hoc eſt, *Cum ſit nobis naturalis imitatio, & harmonia, & rhythmus, (metra enim particulas eſſe rhythmorum, manifeſtum eſt) initio qui maxime natura ad ea facti erant, progrediendo paulatim, a rudimentis illis Poeticen genuerunt.* Arbitror igitur, qua ratione, ex imitandi naturali ſtuſtio, atque ex naturali itidem propenſione ad harmoniam & cantum, extemporalia quædam modulamina, atque ἄῤῥυθμα potius, quam ἔμμετρα cantica exorta ſunt; quibus paulatim ad limatos atque politos verſus perventum eſt, atque ars ipſa Poetica orta, exculta, atque perfecta: ita ex non abſimili naturali proclivitate ad rhythmum, homines, inconditos primum quoſdam ſaltus edidiſſe, atque paulatim ad choreas numeroſa varietete concinnas fuiſſe progreſſos. Nimirum homines omnes, impulſu naturæ, cum in adverſis, tum etiam in ſecundis rebus, & animo & corpore commoveri apti nati ſunt, atque varios motus & geſtus edere. Hos autem naturales motus & geſtus ex peculiari propenſione ad rhythmum curioſius obſervando, artificioſus quidam numerus paulatim iis tributus eſt, ex quibus choreæ atque ſaltationes fuerunt exortæ. Et quemadmodum in Poetica factum eſt, advertente Philoſopho, ut qui nati ad graviora & auguſtiora erant, graves atque præclaras talium quoque hominum imitarentur actiones; qui vero ad humiliora, vilium & improborum; (ex quo duo potiſſimum Poeſeos genera exorta ſunt, unum quidem totum grave ac ſerium, quod Deorum hymnos atque Herоum laudes complectebatur: alterum vero joculare & ridiculum, quod Mimos, Satyros, & Phallica ſub ſe continebat) ita & in ſaltatoria, ſuo ſinguli genio obſequentes, qui ſerii magis erant & graves, ad Hormos, & Pyrrhicas, martiales ſcilicet quaſdam ſaltationes abierunt: alii vero, qui ſequiori erant ingenio, atque ad turpitudines & laſciviam propenſi, ad Ionicas & Sicinnides, obſcœnas ſcilicet atque ridiculas choreas converterunt ſeſe: καὶ πάλιν: quemadmodum in Poeſi, Deorum hymni & carmina in eorumdem laudem modulata vel ipſis paſtorum Idylliis atque Eclogis fuerunt antiquiora; adeoque Poeſis ipſa inter altaria atque Deorum ſacra exorta eſt; ita quoque primi ſaltus atque choreæ circa fumantes Deorum aras viſæ ſunt. Priſci enim illi homines, Agricolæ nempe, inſtitutis in honorem Deorum diebus feſtis, eorum encomia muſicis modulationibus efferebant; ita circa eorumdem aras, cum ab Ortu ad Occaſum, vel ab Occaſu ad Ortum ultro citroque in chori formam moverentur, choros produxerunt. Mox in Dionyſiacis ſacris, & Enaſcoliis, fecibus peruncti, in utres inſiliebant, vel per ignes trajiciebant. Atque hinc Tibullus *lib.* 2. *eleg.* 1. p. m. 309.

> *Agricola aſſiduo primum ſatiatus aratro*
> *Cantavit certo ruſtica verba pede:*
> *Et ſatur arenti primum eſt modulatus avena*
> *Carmen, ut ornatos duceret ante Deos.*
> *Agricola & minio ſuffuſus, Bacche, rubenti*
> *Primus inexperta duxit ab arte choros.*

Et *eleg.* 5. pag. 341.

> *Ille levis ſtipulæ ſolemnes potus acervos*
> *Accendet, flammas tranſilietque ſacras.*

Ex quibus jure merito deducere quis poteſt, iiſdem initiis eodemque tempore & Poeſim & ſaltationem veluti gemellas fuiſſe exortas. Atque idcirco ſaltatio Poeſis quædam, ſed muta, appellata eſt, ut ſuperius notabamus. Cæterum ubi deinde μετέπεσεν ἡ ψυχὴ ἐπὶ τέχνην ἀκορέστου χάριτος, ἐν σκηνῇ καὶ θεάτροις, ſcilicet, *paulatim animus ad ſcenicam & theatralem curam deflexit, quæ voluptatem prorſus habet inſatiabilem*; quemadmodum varie Poeſis fuit exculta, atque Satyri, Tragœdiæ, Comœdiæ & Mimi exorti ſunt; ita varia quoque fuerunt ſaltationum genera. Namque aliud erat genus tragicum, & vocabatur Ἐμμέλεια: aliud comicum, quod Κόρδαξ: atque aliud ſatyricum, quod *Sicinnis* dicebatur. Quæ ſaltationes omnes licet & mores, & perturbationes, & actiones exprimerent, id tamen ſibi potiſſimum vindicavit illa, quæ Pantomimica appellata eſt, atque poſtmodum Italica; eo quia in Italia maximos progreſſus feciſſet. Nimirum cum, parto jam totius Orbis imperio, artes omnes in Urbem confluerent, & vitiis & virtutibus magna pretia ponentem, pretio illecti Mimi quoque ita in arte ſua excellere conati ſunt, ut non mores tantum & actiones, ut antea, ſed fabulas etiam integras moribus atque geſticulationibus repræſentarent. Hoc autem ut clarius conſtet, Pantomimicum iſtud artificium ex fide dignis Auctoribus ſequentibus capitibus pro virili noſtra explicare conabimur.

Cap. XII.

Exponitur Pantomimicæ ſaltationis Artificium.

Saltationem numeroſa motus ac geſtus varietate & mores, & actiones, & perturbationes hominum repræſentare ſuapte natura aptam eſſe, retulimus ſuperius ex Ariſtotele. Atque hinc Lucianus, & aliarum quidem diſciplinarum plurium, ſed Rhetorices potiſſimum, participem eſſe, contendit libello *de Salt.* καθ' ὅσον ἤθους τε καὶ πάθους ἐπιδεικτική ἐστιν, ὧν καὶ ἡ ῥητορικὴ γλίχεται, *quatenus nempe mores atque affectus demonſtrat, quorum judicandorum cupidi ſunt etiam Rhetores*

Hormum deinde ipse tradit p. m. 103. Laconicæ saltationis genus fuisse, a pueris & puellis ita concinne alternatim saltari solitum, ut ex temperantia & fortitudine compositus videretur. Athenæus vero *lib.* 14. Pyrrhicham belli imaginem præ se tulisse ait, & in qua impetus & ardor adorientium, & fugientium celeritas esset conspicua. Proinde quantum saltationis studium crevit, & ars illa exculta magis est & perfecta; alterum tantum & studium crevit, & artificium numerosis saltibus ac totius corporis gestibus exprimendi & mores, & affectus, & actiones; non singulares tantum & simplices, sed multijuges, atque implicatas, & complexas, quales in integris fabulis occurrunt. Porro hujusmodi absolutæ perfectionis culmen ac veluti apicem temporibus Romanorum Cæsarum videtur saltatio consecuta. Atque de his temporibus loquens Lucianus ubi supra p. m. 117. *Priores*, inquit, *illæ perinde ut radices & saltationis fundamenta fuere: ejus autem florida venustas, & fructus absolutissimus nunc omnium perfectissime cunctis augmentis emanavit*. Nimirum iis temporibus, ut testatur Sidonius Apollinaris in *Narbone*,

Clausis faucibus, eloquente gestu,
Nutu, crure, genu, manu, rotatu:

hoc est, nutando modo, modo nutum capite dando, modo oculos ipsos rotando, tibias, crura, genua, totum denique corpus varie circumflectendo, non loquebantur modo manibus ac gestibus, verum quamcumque personam, atque integras & satyricas, & comicas, & tragicas fabulas ad vivum exprimebant. Atque ideo vere dixit apud Xenophontem Socrates in *Symposio*: *Οὐδὲν ἀργὸν τῦ σώματος ἐν τῇ ὀρχήσει, ἀλλ᾽ ἅμα καὶ τράχηλος, καὶ σκέλη, καὶ χεῖρες ἐγυμνάζοντο*. Scilicet, *Nulla pars corporis in saltatione otiosa; sed insimul cervix, crura, & manus exercebantur*. Atque Nonnus Panopolit. lib. 2. *Dionys.* de Pantomimo loquens, ait:

Νεύματα μῦθον ἔχων, παλάμην στόμα, δάκτυλον φωνήν.

Scilicet, *Nutum habens pro sermone, manum pro ore, digitos pro voce*. Et fusius *lib.* 19. *Saltabat*, inquit, *Myro planta volubili, dextrum ex sinistro advenam pedem alternans, silentium varie loquax, manu muta signans. Oculos vero rotabat vagos, imaginem verborum, nutu artificioso intelligentem rhythmum texens*. Et mox: *Depingebat gestu loquaci Titanum gentem, Ganymedis pingebat formam, manibus mutis versatiles digitos movens*.

Graphice eosdem describit etiam Manilius *lib.* 5. dum canit:

Nunc saturo gestu, referetque affectibus ora,
Et non dicendo faciet; solusque per omnes
Ibit personas, & turbam reddet in uno:
Aut magnos Heroas aget, Scenisque Togatas
Omnis fortunæ vultum per membra reducet.

Eleganter eorumdem artificium exponit etiam Aristænetus *lib.* 1. *epist.* 25. dum inquit: *Καὶ πράγματα γράφεις, καὶ λόγυς παντοδαπὺς ὑποφαίνεις, καὶ φύσεως ἁπάσης ἐναργὴς ὑπάρχεις εἰκών· ἀντὶ χρωμάτων, καὶ γλώττης, χειρὶ πολυσχήμῳ, καὶ ποικίλοις ἤθεσι κεχρημένη, καὶ οἷά τις φάελος Πρωτεὺς ἄλλοτε πρὸς ἄλλα μεταβαλλῆσθαι δοκεῖς, πρὸς τὴν δὲ μυσον τῦ ὑπορχημάτων ᾠδήν*. Quæ postrema Aristæneti verba indicant unam illamque sæpius usurpatam a Pantomimis rationem, res atque actiones referendi. Nimirum sive canticum illud esset, ac *ὑπόρχημα* in nobilem aliquam Personam ab aliquo Poeta scriptum; sive fabula aliqua, Deorum aut Heroum referens actionem, Cantor quidem, sive Poeta is esset, sive Chorus, aut Histrio, fabulam illam præcinebat. Pantomimus vero gestibus atque nutibus saltans, quæcumque auribus Chorus, oculis ipse, mutis gestibus referebat. Rem hanc ita fieri consuevisse, incerti Auctoris epigramma, quod est lib. *Anth.* 4. sub hoc lemmate, *Pantomimus*, nobis clarissime testatur: ait enim:

Egressus Scenam populum Saltator adorat,
Solerti spondens prodere verba manu.
Nam cum grata Chorus diffundit cantica dulcis,
Quæ resonat Cantor, motibus ipse probat.
Pugnat, ludit, amat, bacchatur, vertitur, adstat:
Illustrat verum, cuncta decore replet.
Tot linguæ, quot membra viro: mirabilis est ars,
Quæ facit articulos, voce silente, loqui.

Atque his consentit Cassiodorus *lib.* 4. *ep.* 51. dum inquit: „ Pantomimo igitur, cui a multifaria imitatione nomen est, cum primum in Scenam „ plausibus invitatus advenerit, assistunt consoni „ chori diversis organis eruditi, dum illa sensuum „ manus oculis canorum carmen exponit, & per „ signa composita, quasi quibusdam litteris edocet „ intuentis adspectum: in illaque leguntur apices „ rerum; & non scribendo facit quod scriptura de„ claravit. Idem corpus Herculem designat & Ve„ nerem; fœminam repræsentat & marem; Re„ gem facit & Militem; Senem reddit & Juvenem: „ ut in uno credas esse multos tam varia imitatione „ discretos. De his quoque loquens Manilius lib. 5. *Astron.* hæc habet:

Omnis fortunæ vultum per membra reducet;
Æquabitque choros gestu; cogetque videre
Præsentem Trojam, Priamumque ante ora cadentem
Quodque aget, id credes stupefactus imagine veri.

Judicium quoque Paridis nutibus ac gestibus ad tibiarum sonum & cantum desaltatum, pulcherrime & fuse describit nobis Apulejus *Metamorph.* lib. 10. prope finem p. m. 235. Omitto ejus verba referre, cum paulo sint longiora.

Atque hinc orta contentio illa inter Pyladem & Hylam discipulum, quam nobis tradit Macrobius *Saturn.* lib. 2. cap. 7. p. m. 346. ubi loci hæc legimus: „ Pylades Histrio clarus in opere suo fuit „ temporibus Augusti, & Hylam discipulum us„ que ad æqualitatis contentionem eruditione pro„ vexit. Populus deinde inter utriusque suffragia „ divisus est: & cum canticum quoddam saltaret „ Hylas, cujus clausula erat, *Τὸν μέγαν Ἀγαμέμνονα* sublimem ingentemque Hylas velut metie„ batur. Non tulit Pylades, sed exclamavit e ca„ vea, *Σὺ μακρὸν, ὐ μέγαν ποιεῖς*. Tunc Populus „ eum coegit idem saltare canticum: cumque ad „ locum venisset, quem reprehenderat, expressit „ cogitantem: nihil magis ratus magno Duci con„ venire, quam pro omnibus cogitare.

Ex quibus omnibus luce clarius deducitur, Panto-

tomimis ſolitos præcinere Hiſtriones, aut choros: ita tamen, ut quæ cantica, aut fabulas illi retuliſſent, motu atque geſticulatione explicarent atque imitarentur Pantomimi. Atque idcirco Lucianus p. m. 131. *Saltatio*, inquit, *motibus & geſticulationibus quæ cantantur ſemet expreſſuram pollicetur.*

Sed antequam ulterius progrediar, illud obiter advertere operæ pretium duco, aut mendum irrepſiſſe, aut lapſum fortaſſis fuiſſe Macrobium, qui *loco* ſupra *citato* bis terque Hylam memorat; cum Bathyllus potius fuerit, in quem hiſtoriæ illæ quadrant. Sed Macrobius tamen conſtanter poſt ſupra allatam hiſtoriam, *Saltabat*, inquit, *Hylas Oedipodem, & Pylades hac voce ſecuritatem ſaltantis caſtigavit*, Σὺ βλέπεις. *Et mox idem*, inquit, ſcilicet Pylades, *cum propter Populi ſeditionem pro contentione inter ſe Hylamque habita concitatam indignationem excepiſſet Auguſti, reſpondit*, Καὶ ἀχαειστεῖς, Βασιλεῦ· ἔασον αὐτοὺς περὶ ἡμᾶς ἀσχολεῖσθαι. Poſtrema iſthæc hiſtoria errorem vix excuſandum detegit: eamdem enim referens Dio *lib.* 54. p. m. 533. Ὅθεν περ, inquit, πάνυ σοφῶς ὁ Πυλάδης ἐπιτιμώμενος ὑπ' αὐτοῦ, ἐπεὶ Βαθύλλῳ ὁμοτέχνῳ τε ὄντι, καὶ τῷ Μαικείνᾳ προσήκοντι διεστασίαζεν, εἰπεῖν λέγεται, ὅτι συμφέρει σοι, Καῖσαρ, περὶ ἡμᾶς τὸν δῆμον ἀποδιατρίβεσθαι. Scilicet, *Proinde ſapienter admodum Pylades ab eo objurgatus, quod cum Bathyllo eandem artem exercente, & Mæcenatis familiari rixaretur, reſpondiſſe fertur, Expedit tibi, Cæſar, populum nobis intentum tempus conſumere*. Subolfecit hunc eundem errorem ante me Iſaacus Pontanus in ſuis *ad Macrobium Notis*, ubi, *Hylam*, inquit, *ſemper dicit: at Bathyllus tamen capiendus*, &c. *Sed iſto tamen*, ſubdit, *cur nomine Macrobio nuncupatus? An quod in amoribus fuerit Pyladæ domino, quomodo Alcidæ ille toties clamatus Hylas? Viſum id fere clariſſimo peritiſſimoque viro Franciſco Junio, quem & memini de hoc per occaſionem conſuluiſſe*.

Sed pace tamen iſtorum virorum, nullam minus ob rationem Bathyllus Hylas appellari debuit, quam quod Pyladæ domino delicium fuerit, quemadmodum Hylas Alcidæ. Nam etſi mollicies Bathylli aliquid de illo ſequius judicare permitteret: hercle non Pyladis, ſed Mæcenatis Servus, aut Libertus fuit Bathyllus. Servum facit Lipſius in ſuis *ad cap.* 54. 1. *Annal. Taciti Notis*; adducitque Senecam Patrem id referentem his verbis: *Recitabat reſcriptum Labieni pro Bathyllo Mæcenatis, in quo ſuſpicietis adoleſcentis animum illos dentes ad mordendum provocantis*. Et Mæcenatem ipſum effuſum in ejus amorem teſtatur *ibidem* Tacitus: adeoque ſi Bathyllus Hylas appellari debuit, Hylas Mæcenati domino fuit, non Pyladi, qui dominus nunquam fuit. Sed Libertum mavult Caſaubonus in ſuis *ad verſ.* 123. *ſatyr.* 5. *Perſii*: ubi, *fuit*, inquit, *Bathyllus Chironomus Pantomimus, & Saltator geſticulatione utens, & fuit Mæcenatis Libertus*. Sed utrumque facile eſſe potuit. Servus primo, mox ob inſignem induſtriam, atque χειρονομίας excellentiam, libertate donatus a Mæcenate, adeoque ejuſdem Libertus. Quamquam ſi verba Dionis nuper allata perpendamus, honeſtus admodum fuit Mæcenatis amor erga Bathyllum; cujus προσήκοντα tantum appellat Dio, hoc eſt, familiarem aut neceſſarium, qualem eſſe decebat Servum aut Libertum. Sed quacumque tandem ratione Bathyllus Hylas nuncupari quiverit; illum quoque perperam affirmavit Macrobius Pyladis fuiſſe diſcipulum. Quippe Bathyllus fuit quidem & ὁμότεχνος, & ἀντίτεχνος Pyladis: & cum illo in Scena pro principatu variantibus vulgi ſtudiis decertavit: ſed diſcipulus nunquam fuit: cum ex æquo pantomimicæ ſaltationis inventores paſſim perhibeantur. Imo Athenæus *lib.* 1. *cap.* 17. p. m. 20. diſerte Bathyllo vel principatum inventionis defert; ait enim: τῆς ὀρχήσεως τῆς τραγικῆς καλουμένης πρῶτος εἰσηγητὴς γέγονε Βάθυλλος ὁ Ἀλεξανδρεὺς, hoc eſt, *ſaltationem tragicam appellatam primus invexit Bathyllus Alexandrinus*. Et mox ex Ariſtonico, in partem invectionis etiam Pyladem aſſumit; ait enim: τοῦτον τὸν Βάθυλλον, φησὶν Ἀριστόνικος, καὶ Πυλάδην τὴν Ἰταλικὴν ὄρχησιν συστήσασθαι ἐκ τῆς κωμικῆς, ἣ ἐκαλεῖτο κόρδαξ, καὶ τῆς τραγικῆς, ἣ ἐκαλεῖτο ἐμμέλεια, καὶ τῆς σατυρικῆς, ἣ ἐλέγετο σίκιννις. Scilicet, *hunc Bathyllum & Pyladem*, *inquit Ariſtonicus, Italicam ſaltationem conſtituiſſe ex comica, quæ vocabatur cordax; ex tragica, quæ audiebat emmelia; atque ſatyrica, quæ ſicinnis appellabatur*. Si igitur Bathyllus aut ipſe primus, aut una cum Pylade Italicæ ſaltationis inventor extitit, Pyladis diſcipulus eſſe non potuit. Proinde ſi quis hæc hariolando conciliare vellet, dicere poſſet, præter Bathyllum ὁμότεχνον, ſeu ἀντίτεχνον, Hylam quoque temporibus Pyladis floruiſſe ejuſdem Pyladis diſcipulum, ſed ad æqualitatis contentionem eruditione atque dexteritate provectum: atque hunc Hylam Pyladis diſcipulum, illum fuiſſe, quem refert Suetonius *cap.* 45. ab Auguſto in atrio domus ſuæ, nemine excluſo, flagellis fuiſſe verberatum. Non enim hanc contumeliam feciſſet unquam Bathyllo Auguſtus, quem noverat corculum atque ocellulum Mæcenatis; in cujus gratiam eidem ipſe quoque prolixius favebat. Igitur hæc potius Hylæ illi conveniunt, quem Pyladis diſcipulum tradit Macrobius. Cæterum cum eodem tempore & hic Hylas cum Pylade & Bathyllo floruerit, vel cum præceptore certare non dubitaverit, nil mirum, ſi ὁμωνυμία ſubrepere potuit, atque aliqua referri a Macrobio, tamquam cum hoc Hyla geſta, quæ ſoli Bathyllo convenire poſſunt. Verum hæc obiter.

Redeamus ad Pantomimos noſtros, qui, ut referebamus, fabulas, quas præcinebant Cantores, variis geſticulationibus referebant. Hoc autem licet ita frequentiſſime uſurpatum ſit, Pantomimorum tamen induſtria magis magiſque in dies creſcente, eam evidentiam atque ἐνάργειαν adepti ſunt, ut ipſi ſoli, nullis præcinentibus tibiis, aut ſonis, & cantibus, mutis geſticulationibus tantum, integras fabulas eloquentiſſime repræſentarint. Rem hanc Neronis temporibus potiſſimum obtinuiſſe, auctor eſt nobis Lucianus his verbis, quæ Latina tantum, quia paulo plura ſunt, afferam: „ Saltator, *inquit*, Neronis tempeſtate „ eximius & celebris, nec, ut ferebatur, impru„ dens: ſed ſi quis etiam alius hiſtoriarum memoria „ & movendi eleganti artificio præcellens pluri„ mum, precatus eſt Demetrium ſapientiſſimis, ut „ mihi videtur, precibus, (is Demetrius Cynicus „ Philoſophus Orcheſtricen univerſam flocci facie„ bat, dicens ſaltationem tibiæ, fiſtularum, atque „ ſtrepituum eſſe ſupervacaneum quoddam & va„ num additamentum) ut ſe ſaltantem ſpectare vel„ let: deinde ſi videretur, reprehenderet, & ſalta„ tionem acerbiſſime accuſatam exſibilaret & explo„ deret. Pollicebatur ad hæc, ſe nullis tibiis & can„ tilenis adhibitis ſaltaturum: quemadmodum & „ fecit. Etenim ſtrepitibus, & tibiis, & choro im„ poſito ſilentio, ipſe per ſe ſaltavit Veneris & Mar„ tis adulterium: Solem furtivi concubitus prodito„ rem: Vulcanum mœchantibus inſidias machinan„ tem, & vinculis utrumque & Martem & Vene„ rem illaqueantem: Deos ſpectaculo aſſiſtentes: Ve„ nerem ſuffuſo pudore pudefactam, ſubverentem, „ & meticuloſius Martem ſupplicantem: præterea „ quaſcumque alias hæc fabula partes complecti„ tur: adeo ut Demetrius ipſa artificioſa ſalta-

„ tione exhilaratus, maxima laude saltatorem ex-
„ tulerit. Exclamabat enim voce quam potuit acu-
„ tissima, in hæc verba prorumpens: ἀκέω, ἄνθρωπε, ἃ ποιεῖς, ὐχ ὁρῶ μόνον· ἀλλά μοι δοκεῖς ταῖς χερσὶν αὐταῖς λαλεῖν, hoc est, *audio, o homo, quæ facis, neque video tantum: videris enim mihi ipsis manibus loqui.*

Ex his igitur manifestissimum est, licet communius Pantomimi, quas fabulas & actiones chorus & cantores præcinerent, motibus ac gestibus spectatorum oculis repræsentarent; attamen cum ars illa ad ultimum fastigium ac veluti perfectionis colophona evecta est, nullis canticis, aut musicis instrumentis præcinentibus, solis ipsos gestibus fabulas repræsentasse, & quidem tanta dexteritate, & evidentia, ut ab spectatoribus optime intelligerentur. Id autem Neronis potissimum tempore evenisse legimus, neque id hercle mirum, si citharœdo Principe Mimi & Pantomimi adeo excelluerint.

CAP. XIII.

Exponitur Pantomimicus Apparatus, Scena, Vestitus, Instrumenta musica.

Scenarum tria genera, ut superius quoque monuimus, recenset nobis Vitruvius *lib.* 5. *cap.* 8. Tragicam nempe, Comicam, atque Satyricam: *Horum autem*, inquit, *ornatus sunt inter se dissimiles, disparique ratione: quod Tragicæ deformantur columnis, fastigiis, & signis, reliquisque regalibus rebus: Comicæ vero ædificiorum privatorum & mœnianorum habent speciem, prospectusque fenestris dispositos imitatione communium ædificiorum rationibus: Satyricæ vero ornantur arboribus, speluncis, montibus, reliquisque agrestibus rebus, in topiarii operis speciem deformatis.* Verum, inquam ego, postquam pantomimica saltatio se sola Ludum Scenicum ab aliis tribus Tragœdia, Comœdia, atque Satyra distinctum constituit, atque se sola in Scenam prodiit; dubio procul apparatum & ipsa scenicum sibi proprium, atque peculiari ratione sibi convenientem habere debuit. Sane illum habuisse, luculentissimus est nobis auctor Apulejus, qui lib. *Metam.* 10. supra citato, antequam judicium illud Paridis pantomimice desaltatum exponeret, Scenæ apparatum primo omnium describit: ait enim p. m. 232. *Aulæo subducto, & complicatis siparis, Paridis Scena disponitur. Erat mons ligneus, adinstar inclyti montis illius, quem vates Homerus Idæum cecinit, sublimi instructus fabrica, consitus viretis & vivis arboribus, summo cacumine de manibus fabri fonte manante, fluviales aquas eliquans. Capellæ pauculæ tondebant herbulas*, &c. En scenicum illius fabulæ apparatum. Cur igitur tribus Scenarum generibus non addit quartum, pantomimicum nempe, Vitruvius? Arbitror, hujus rei rationem illam fuisse, quod cum fabulæ, quas saltarent Pantomimi, aut Tragicæ essent, aut Comicæ, aut Satyricæ, convenientem fabulis apparatum adhibebant: vel tragicum nempe, vel comicum, vel satyricum; adeoque hæc tantum tria genera recensere satis habuit Vitruvius.

Ad vestitum quod attinet, non videntur Pantomimi usi toga: adeoque Martialis *Epist. lib.* 2. ad Decianum: *Noli*, inquit, *ergo, si tibi videtur, rem facere ridiculam, & togam saltanti inducere personæ.* In quem locum Musambertius, *Noluerunt*, inquit, *Quirites togam suam gravitatis cultum & notam propriam civitatis, actionibus scenicis dehonestari.* Palla tamen & tunica usos legimus apud Suetonium in *Calig.* cap. 54. his verbis: *Saltabat autem nonnunquam etiam noctu: & quondam tres consulares secunda vigilia in palatium accitos, multaque & extrema metuentes super pulpitum collocavit: deinde repente magno tibiarum & scabellorum crepitu, cum palla tunicaque talari prosiluit, & desaltato cantico abiit.*

Atque huc respicit & illud Plauti in *Menæchmis*: ibi enim Scen. 5. Act. 1. cum Menæchmus pallium Peniculo traderet, quod pallæ occultandæ superinduxerat, quam Erotio destinatam uxori subripuerat; Peniculus recepto pallio, cum Menæchmum in palla conspexisset, orat, ut in illa, priusquam deponat, aliquantulum saltet: alloquens igitur Peniculum Menæchmus, tradensque illi pallium, ait:

Sustine hoc, Penicule: exuvias facere, quas vovi, volo.

Cui respondens Peniculus subdit:

Cedo: sed obsecro hercle, salta sic cum palla postea.

Quoniam, ut advertit Turnebus *lib.* 20. *cap.* 28. qui saltabant olim in Scena, & cantabant, aut citharam pulsabant, palla ornati erant.

Erat autem palla genus vestimenti proprie muliebris, deducta usque ad talos: ita Servius *ad illud Virgilii*,

—— pro longæ tegmine pallæ.

Confirmatur & ex Horat. *Satyr.* lib. 1. sat. 2. ubi Matronarum habitum describens, ait:

Ad talos stola demissa & circumdata palla.

Subscribit & Ovidius lib. 3. *Amorum* eleg. 13. dum ait:

Virginei crines auro gemmaque premuntur;
Et tegit auratos palla superba pedes.

Mirum autem videbitur fortassis alicui, qui Saltatores longis atque fluentibus velati tunica & palla desaltarent; cum expeditiores essent futuri, succincti & tunicati tantum. Sane cum antiquitus vel milites essent togati, cinctus Gabinus inventus est, ut promtiores essent ad conferendas manus: potiori igitur jure cinctus aliquis erat Saltatoribus necessarius, qui & manibus & pedibus, atque corporis totius varia gesticulatione fabulas repræsentabant. Subolfecit difficultatem hanc Ferrarius *de Re Vestiaria* lib. 3. cap. 18. sed contentus illam tetigisse, non exhausit.

Feliciter autem hanc exire, sibi fortassis quispiam videri posset, dicendo, pallam, qua Saltatores uterentur, fuisse Gallicam, quæ scilicet ad nates usque pertingebat. Docet id Martialis relatus a Baysio *de Re Vest.* cap. 13. dum ait:

Dimidiasque nates Gallica palla tegit.

Sed & Strabo eamdem lib. *Geogr.* 5. nobis describit, inquiens: αὐτὶ δὲ χιτώνων χιλὲς χειριδωτὲς φέρεσι μέχει αἰδοίων ϗ γλυτῶ, hoc est, *tunicarum vice pallas manicatas gestant ad verenda usque natesque medias pertingentes.* Atque his Gallicis igitur pallis optime uti poterant Saltatores, atque ad saltum etiam esse succincti & expediti. Sed Gallicas tamen non fuisse hujusmodi pallas, Suetonii testimonium superius allatum convincit: ait enim, Caligulam cum tunica & palla talaribus desaltasse: longioribus igitur utebantur pallis Saltatores, non

autem iis Gallicis brevioribus. Dicerem ego, Saltatores pallis ad talum uſque demiſſis optime fabulas referre potuiſſe: ad quas nempe deſaltandas manibus potius quam pedibus utebantur; adeoque χειρόσοφοι, *manibus* ſcilicet *eruditi*, appellabantur. Sane capitis, oculorum, manuum, atque totius corporis variis, ſed numeroſis & compoſitis geſticulationibus omnia referebant, potius quam ſaltibus in altum ſublatis: illorum enim motus non tam ἅλσις erat quam ὄρχησις: adeoque ad varias illas geſticulationes cum palla, ad talos licet demiſſa, impedimento non eſſet, illa indui poterant. Atque id tum vel maxime ita fuiſſe, credi poteſt, quod & mulieres ſaltatione pantomimica celebres inferius afferemus; quarum erat veſtis propria palla illa talaris.

Sed hæc quoque everti videtur reſponſio ab iis, quæ refert Nonnus lib. 19. *Dionyſ.* ubi pantomimicam ſaltationem deſcribens, corporis vibrationes, ſaltuſque ingentes recenſet: ait enim: „ Hoc „ corniger Silenus manu erudita texens, dexteram „ quidem ceſſare fecit; multum autem ſaltante pe- „ de, ex terra tollebatur, & in aera mittebat ocu- „ los: interdum pedes pedibus innectens, inter- „ dum ſeparans, alterna arte vibrabatur. Inter- „ dum multum volubilis ſolo inſultans, rectus in „ pectus, vibrabatur volubiliter. Pes dexter fir- „ mus ſtabat, neque flectebatur, alterius pedis „ ſummum digitum tenens, aut genu flectens, col- „ latis manibus, aut femora complicata extendens „ Silenus genibus gravis, pedis rectum impetum „ habens, ſiniſtrum pedem ſuſtulit, a latere & „ humero elevans volutim.

Sed reſponderi poteſt, Pantomimos, dum aut Silenos referrent, aut Satyros, aut alias repræſentarent furentes præſertim Perſonas, ſaltus hujuſmodi inconditos cum multa & pernicitate & volubilitate edere conſueviſſe. Sed non, credo, tunc tunica, aut palla utebantur, ſed alio potius habitu iis convenienti, & qui motibus illis & ſaltibus impedimento non eſſet. Aſt vero in aliis ſaltationibus, in quibus honeſtiores, neque ita volubiles referebant Perſonas, in his & tunica & palla talari optime uti potuerunt.

Sed antequam hanc pallam deponamus, non inutile fuerit paululum digredi. Quippe Ferrarius *loco* mox *citato*, *Mirum mihi videtur*, inquit, *cum palla veſtitus exterior mulíebris eſſet, eamque Menæchmus Paraſito per jocum olfaciendam dediſſet, illum adſpernantem dicere* Act. 2. Scen. 2.

> *Summum me olfactare oportet veſtimentum muliebre.*
> *Nam ex iſtoc loco ſpurcatur naſus odore illutibili.*

Nam ſi de tunica, aut ſubucula loqueretur, credibilius id eſſet. Sed hoc tamen mirum, Ferrari, non eſt. Illud hercle mirum, quod alias navus & diligens non adverteris, Menœchmum palla pro tunica uſum fuiſſe: nam ſuperinduxerat pallium, ut ſuperius retulimus: quo depoſito, cum in palla ſtetiſſet, ut cum illa ſaltaret a Paraſito admonebatur. Quod ſi pallam igitur ſurreptam uxori pro tunica induerat, utque illam occultaret, pallium ſuperinduxerat; nil mirum, ſi olfacere detrectavit Paraſitus, metuens fortaſſis, ne fœda eſſet odore illo illutibili, qui ſcilicet lavando elui vix poſſet. Quod ſi minus hoc in Plauto adverriſti, Ferrari, aſt hercle meminiſſe debueras, quæ *lib. 3. part. 2. cap. 13.* habes: inibi namque doces, tunicam etiam aliquando pallam fuiſſe dictam: probaſque ex Auct. lib. *ad Heren.* ubi legimus: *Uti Citharœdus cum prodierit*

A *optime veſtitus, palla inaurata indutus, cum chlamyde purpurea coloribus variis intertexta.* Nam quæ hic dicitur palla, pallium eſſe non potuit: quale utplurimum erat fœminea palla: quomodo enim chlamys ſupra pallium ſumeretur? Sed ſi palla igitur pro tunica aliquando uſurpatur, ut tute doces, an mirari deinde potes, quod pallam a Menæchmo oblatam olfacere detrectet Paraſitus, cum ſi de tunica aut ſubucula ſermo eſſet, nil mirum fuiſſe fatearis?

Redeo nunc ad veſtitum Pantomimorum, qui non palla tantum & tunica, ſed aliis etiam veſtibus uſi ſunt. Helladium chlamydem Hectoream indutum canticum quoddam Hectoris deſaltaſſe, legi-
B mus *Anthol.* lib. 4. cap. 25.

> Ἕκτορα μέν τις ἄεισε νέον μέλος Ἑλλάδιν δὲ
> Ἑσσαμένη χλαῖναν, πρὸς μέλος λωτίασεν.

Igitur Pantomimi quamcumque perſonam repræſentarent, in quam ſcriptum eſſet ab aliquo Poeta canticum, ſeu ὑπόρχημα, non manu tantum ac geſtu, ſed veſte etiam & habitu illam ad vivum referre ſtudebant. In Deorum judicio, quam fabulam deſaltatam deſcribit Apulejus ſuperius citatus *lib.* 10. ita Paridem indutum deſcribit: *In modum Pa-*
C *ridis, Phrygiique paſtoris, barbaricis amiculis humeris defluentibus, pulchre induſiatus adoleſcens, aurea tiara contecto capite, pecuarium ſimulabat magiſterium.* Et mox deſcribens Mercurium, *Adeſt*, inquit, *luculentus puer nudus, niſi quod ephebica chlamyde ſiniſtrum tegebat humerum, flavis crinibus uſquequaque conſpicuus: & inter comas ejus aureæ pinnulæ cognatione ſimili ſociatæ prominebant: quem caduceum & virgula Mercurium indicabant. Is ſaltatorie procurrens, malumque bracteis inauratum dextera gerens, ei, qui Paris videbatur, porrigit, quid mandaret Jupiter, nutu*
D *ſignificans; protinus gradus ſcitule referens, e conſpectu faceſſivit.* Atque ſimili ratione Deas quoque diverſimode indutas, ac diverſo inſtructas comitatu deſcribit inibi Apulejus: quibus clariſſime oſtenditur, habitu Perſonæ, quam referebant, accommodatiſſimo uti Pantomimos conſueviſſe.

Tranſeamus ad Chorum: nam hunc quoque adhibuiſſe, atque ejus carmina apta totius coporis geſticulatione expreſſiſſe, clarum eſt. Meminit hujus Chori Manilius *lib.* 5. ſupra *citato*, dum ait:

> *Omnis fortunæ vultus per membra reducet,*
> E *Æquabitque choros geſtu.*

Subſcribit & Caſſiodorus lib. 4. *Var.* epiſt. 51. ubi, *Pantomimo*, inquit, *cum primum in Scenam advenerit, aſſiſtunt conſoni chori diverſis organis eruditi.*

Sed hic tamen chorus a recentioribus Pantomimis introductus eſt: namque antiquiores ipſi inſimul & canebant, & ſaltabant. Verum quia motus corporis ex anhelitu vocem interturbabat, atque vox ipſa multum geſticulationi adimebat; introductum eſt, ut alii quidem canerent, alii tibiis
F occinerent, atque Hiſtriones, ſeu Pantomimi geſticulationem tantum adhiberent. Rem ita fuiſſe, teſtatur nobis Lucianus, dum ait: Πάλαι μὲν γὰρ αὐτοὶ καὶ ᾖδον, καὶ ὠρχοῦντο· εἶτα ἐπειδὴ κινουμένων τὸ ἆσθμα τὴν ᾠδὴν ἐπετάραττεν, ἄμεινον ἔδοξεν ἄλλους αὐτοῖς ὑπᾴδειν. Livius autem *lib. 7. dec.* 1. non rem tantum, ſed tempus etiam quo primum uſurpata eſt, nobis exponit: ait enim: *Livius poſt aliquot annos, id quod omnes tum erant, ſuorum carminum actor, dicitur, cum*

ſæpius revocatus vocem obtudiſſet, venia petita, puerum ad canendum ante tibicinem cum ſtatuiſſet, canticum egiſſe (hoc eſt, geſticulationem) *aliquanto magis vigente motu, quia nihil vocis uſus impediebat. Inde ad manum ſaltari Hiſtrionibus cœptum.* Ex hujus igitur Andronici Livii tempore Pantomimi & puerum qui caneret, & Tibicinem qui ſibi ſaltantibus occineret, adhibuerunt. Hic autem Tibicen πυθαυλὴς appellabatur; eo quod Pythia carmina, τὰς πυθίας αὐλὰς, Pæanas nempe caneret. Primus autem Pylades pro una tibia plures adhibuit; nec plures tantum tibias, verum etiam fiſtulas plures, atque chorum etiam ſibi præcinere fecit, cum Choraule: adeoque interrogatus ab Auguſto, ut ſuperius diximus, quid ſaltationi contuliſſet, Homerico illo verſu, non unam tantum, ſed plures tibias, ac fiſtulas, hominumque multitudinem, hoc eſt, Chorum, reſpondit: quem ᾀδόντων ὁμοφονίαν appellat Lucianus: qui pantomimicum iſtum apparatum exponens, & tibiam, & fiſtulam, & citharam, & pedum ſtrepitum, & clangorem cymbalorum, repræſentatoris vocem concinnam, & canentium concentum conſonum & continuum recenſet. Et per concentum quidem conſonum canentium, ὁμαδὸν ἀνθρώπων, Chorum ſcilicet intelligo: per repræſentatoris vocem, illum qui canticum aliquod a Poeta compoſitum recitabat: tibia, fiſtula, cithara, atque cymbala, muſica ſunt inſtrumenta omnibus nota. Sed quid ſibi vult ille ποδῶν κτύπος, *pedum* ſcilicet *ſtrepitus*, cujus adeo ſæpe in illo ſuo libello meminit Lucianus? libet id curatius perquirere. Sit igitur.

CAP. XIV.

Perquiritur, quid eſſet ποδῶν κτύπος, ſeu ποδοκτυπία in Pantomimicis Ludis.

CLariſſimus Salmaſius *loco* ſupra *citato*, *ſaltante Pantomimo*, inquit, *alii tibiis canebant; alii vocibus concinebant; alii fiſtulis ſibilabant; alii cymbala concrepabant; alii pede ſonabant*: atque hi ποδοκτύποι, & ποδοψόφοι dicebantur. His autem ut lucem addat, ſubdit: „ In omnibus Veterum choris Meſochori, quos τῦ χορῦ κορυφαίυς Græci appellant, qui cæteris ad canendum præibant, & modum canendi dabant, „ pede in eam rem pulpitum aut ſolum tundere „ conſueverant. Pedem enim levantes, & cum ſono ponentes, æquali ſemper ac perpetuo quodam „ tenore cantici modulationem temperabant & „ moderabantur. Hoc idem hodieque, ſed manu, „ fit in muſicis ſymphoniacorum cantibus, ab eo, „ qui reliquis una canentibus modum dat, levata „ poſitaque manu menſam aut librum feriendo: & „ *menſuram percutere* vulgo dicitur. Id apud Veteres in Choris pedum ſupploſione fieri ſolebat. „ Et quo clarior ſonus eſſet, ligneis ſoleis ad hunc „ ſolum uſum factis uti conſueverant, quæ κρυπέζια, ſeu κρύπαλα appellabantur. Quin immo „ ad majorem crepitum ſtrepitumque non ligneas „ ſolum, ſed etiam ferreas ſoleas adhibebant. Hactenus Vir magnus.

In quibus tamen plura occurrunt, quibus ſubſcribere minime valeo. Et primo quidem hic quoque diſplicet, quod nullo Veterum teſtimonio probat Salmaſius, apud Veteres, qui cantum moderabantur, non manu, ut nunc temporis, ſed pedum ſupploſione menſuram percutere conſueviſſe. Citat quidem Lucianum, ſed vereor an invitum: qui de Laconicorum puerorum choro verba faciens p. m. 102. Ὁ αὐλητὴς, inquit, ἐν τῷ μέσῳ κάθηται ἐπαυλῶν, καὶ κτυπῶν τῷ ποδί· οἱ δὲ κατὰ ςοῖχον ἀλλήλοις A ἑπόμενοι σχήματα παντοῖα ἐπιδείκνυνται. Sed aliud eſt, Tibicen in medio locatum, tibiam inflando, ac pede obſtrependo, pueris ſaltantibus accinere: aliud vero, cantus moderatorem pedum ſupploſione menſuram percutere conſueviſſe. Sane ſaltantibus non alia ratione quam ſono Tibicines moderari queunt. Cum enim illi modo huc, modo illuc vertantur, ac ſæpius etiam altius conſtitutos Tibicines ne reſpiciant, quidem, ad ſonum tantum advertunt, quo motus ſuos temperant; non autem ad pedum ſupploſionem, quam vix ac ne vix quidem in illo muſicorum inſtrumentorum atque motuum ſtrepitu audire poſſent. Fortaſſis igitur ille Luciani Tibicen, ut ore tibiam, ita pede muſicum aliud B inſtrumentum pulſabat, atque id erat τῷ ποδὶ κτυπεῖν: de quo clarius infra.

Rurſus Μεσόχοροι, quos τῦ χορῦ κορυφαίυς καὶ ἡγεμόνας Græci appellabant, atque aliis ad canendum præibant, atque Choro ἐνδόσιμον, ſignum ſcilicet, atque præſcriptum dabant, quo edito Chorus accinebat; in ſingulis choris ſinguli tantum erant: quemadmodum & nunc temporis in ſymphoniacorum concentibus unus eſt moderator, & χοροδιδάσκαλος. Atque in hunc ſenſum dicebat Junior Plin. *Ep.* lib. 2. ep. ad Maximum; *Hoc ingens corona colligitur: hoc infiniti clamores concitantur, C cum μεσόχορος ſignum dedit.* Jam vero ποδὶ κτυπῦντας non unum, ſed plurimos Pantomimis accinere conſueviſſe, & Lucianus aſſerit, & non diſſimulat Salmaſius, dum, ποδὶ κτυπῦντες, inquit, *multi erant, qui ſaltantibus Pantomimis obſtreperent.* Igitur οἱ ποδὶ κτυπῦντες non erant οἱ χοροδιδάσκαλοι: ii nempe, qui chorum moderarentur atque menſuram percuterent. Tandem id ipſum confirmo, quoniam noſtri temporis Græcorum χοροδιδάσκαλοι, quos πρωτοψάλτας vocant, quique muſicis ſymphoniis præſunt, atque canentes alios moderantur, non manu, aut pede terram, aut menſam, ſeu librum feriendo, verum manum, aut D digitos diverſimode movendo atque inflectendo cantus moderantur: quos proinde veriſſime appellares χειροσόφυς. Cantus enim figuralis Græcorum ad octo muſices tonos efformatur. Tonorum quatuor ſunt principales, atque hi primarii & recti appellantur. Quatuor reliqui minus principales, atque hi obliqui, & miniſtrantes audiunt. In muſicis libris notulas habent proprias, a primis inventoribus inſtitutas, & cuique verborum ſyllabæ ſuperimpoſitas, quæ numero quatuordecim ſunt. Harum notularum octo quidem vocem extollunt, ſex vero deprimunt: omnes autem hujuſmodi notulæ digitis manus dexteræ efformantur, & indicantur: E hincque fit, quod præcinente cantus Præfecto ſeu Protopſalta, & formante manus geſticulatione notulas cantus, cantores reliqui, diſtantes licet, obſervantes Præfecti manum, ſuam quiſque vocem eidem cantui accommodare, flectere, ac variare optime norunt. Morem autem hunc ita cantus moderandi, non heri aut nudiuſtertius obtinuiſſe, ſed ab antiquiſſimis retro temporibus defluxiſſe, certum eſt. Auctor enim Epiſtolarum ſub Ariſtæneti nomine editarum, qui poſt Conſtantinum vixiſſe communiter creditur, rem hanc apertiſſime confirmat: F ait enim: Καὶ ἡ διδάσκαλος ἐπέβλεπε τὴν ἐπάδυσαν, καὶ εἰς τὸ μέλος ἱκανῶς ἐνεβίβαζε χειρονομῦσα τὸν τρόπον: ſcilicet, *& Præceptrix reſpiciebat concinentem, & apte ad cantum moderabatur, manu indicans modum.* Igitur οἱ ποδοκτυπῦντες, καὶ ποδοψόφοι, de quibus loquitur Lucianus, non erant οἱ μεσόχοροι, καὶ οἱ χοροδιδάσκαλοι: monſtrum enim eſt aſſerere, hos ποδοκτυπίᾳ canentes moderatos fuiſſe, cum χειρονομίᾳ potius canentibus præirent.

Sed quid igitur erit τῷ ποδὶ κτυπεῖν, ſeu quinam

fuerunt hi τῷ ποδὶ κτυπῦντες? Arbitror, Choros ipsos, si ex Saltatoribus quibusdam agrestibus componerentur, vere ποδοκτυπῦντας fuisse, ac dici potuisse. Densior enim solea, atque fortassis etiam lignea agrestium, inter saltationem durius terram feriendo, strepitum illum & κτύπον edere poterat. Juvant hanc conjecturam, quæ Aristophanes habet in *Pluto* scen. 2. versus finem p. m. 77. dum ait:

——— ἐκτυπεῖτο δὲ
Ἐμβὰς γερόντων εὐρύθμοις προβήμασιν.

Hoc est,

Quin etiam solea senum in numerum saltantium
Apte compositis perstrepebat passibus.

Idem facile contingere poterat, si forte soleæ quædam in hunc solum usum tales fierent, ex ligno ut puta, aut alia simili materia, ut illis utentes Saltatores non ingratum quendam strepitum ederent. Nam hujusmodi artificiosa solea usum fuisse inter saltandum Oeagri gnatum, legimus apud Apollonium *Argon.* lib. 4. vers. 1195. verba ipsius sunt:

——— ἐν δέ σφισιν Οἰάγροιο
Υἱὸν ὑπαὶ φόρμιγγος εὐκρέκτυ, καὶ ἀοιδῆς
Ταρφέα σιγαλόεντι πέδον κροτέοντα πεδίλῳ.
——— *interque eos Oeagri*
Gnatum ad modulos canoræ citharæ, & canticum
Crebriter solum artificiosa plaudentem solea.

Cæterum cum ποδῶν κτύπος, de quo Lucianus loquitur, non ad Saltatores, sed ad Tibicines potius spectet, arbitror, ποδῶν κτύπον, seu ποδοκτυπίαν idem omnino fuisse, ac crepitum scabillorum: quorum supra meminimus ex Suetonio saltantem Caligulam referente; & pluribus etiam in locis Arnobius meminit. Scabellum autem, seu scabillum, aut scamillum, dum de symphoniacis choris atque saltationibus est sermo, non arbitror instrumentum fuisse in modum scabelli ex ligno factum, vel scabellum potius reapse, hoc est, ὑποπόδιον, quod pede feriretur cum lignea aut ferrea solea, ut crepitus major ederetur. Quæ enim, malum, esse poterat hujusmodi symphonia, cum tibiis, fistulis, citharis, cymbalis, atque aliis id genus instrumentis, atque hocce scabellorum rudi & incondito crepitu? Profecto crepitus iste ad lædendam atque exasperandam symphoniam aptior videri poterat, quam ad augendam aurium voluptatem. Temporibus certe nostris hoc scabellorum crepitu ad silentium potius Actoribus indicendum utimur, quam ad complendam Musices voluptatem.

Potius igitur illorum sequor sententiam, quam obscure innuit idem Salmasius, qui scabella organa quædam fuisse tradunt, quæ instar nostrorum organorum, spiritu in tubulis recepto a Tibicinum pedibus cum ligneis soleis, quandoque etiam ferreis pulsata sonum emitterent. Vide Albertum Rubenium *de Re Vestiaria* c. 17. pag. 186. Præit vero huic conjecturæ Papinius, dum ait,

—— *& ad inspirata rotari*
Buxa.

Ubi loci vetus Scholiastes, *Buxa*, inquit, *tibia, vel scabillum, quod in sacris Tibicines pede sonare consueverant.* Tibicines igitur duplici non raro tibia accinebant. Alia quidem, quam ore inflarent;

A atque alia, quam pede ad sonum edendum adjicerent: atque hæc ποδὶ κτυπεῖν dicebantur, illaque utentes ποδοκτυπῦντες. Cave autem, cum nuperrimo *Orationum* Ciceronis Enarratore credas, tibias istas, aut scabilla a saltantium pedibus numerose pulsata sonitum edidisse; adeoque Mimos, dum saltarent, non oculis tantum fuisse blanditos, sed etiam scabillis concrepantibus numerum quendam & concentum, ad aurium voluptatem edidisse. Non enim Mimi, aut Pantomimi, & Saltatores, sed Tibicines ipsi illa scabilla pulsabant: adeoque Lucianus, *loco* supra *citato*, *Tibicen*, inquit, *in medio sedet concinens*, καὶ κτυπῶν τῷ ποδί. Atque B de Pantomimo, qui Ajacem furentem desaltabat, ἑνὸς γὰρ, inquit, τῷ σιδηρῷ ὑποδήματι κτυπῦντων τὴν ἐσθῆτα κατέρρηξεν, sc. *unius enim ferrei calceamentis instrepentium vestimentum violenter discidit.* Adeoque passim hos ποδὶ κτυπῦντας inter alios chorum symphoniacum componentes recenset, & a Saltatoribus ipsis semper distinguit.

Neque vero mirum cuiquam videatur, si Tibicen ore tibiam inflando, aliud pede non absimile pneumaticum organum pulsare posset: namque organa illa, seu scabilla, sine ulla soni varietate, tenore quodam continuo feriebantur: atque hinc σύν- C τονα, hoc est, unius appellata fuisse toni, ejusdemque tenoris, suspicatur Salmasius. Rem docet Augustinus ab Salmasio & aliis citatus, dum lib. 4. *de Musica* ait: *Veluti cum symphoniaca scabella & cymbala pedibus feriuntur, certis quidem numeris, & his qui sibi cum aurium voluptate junguntur, sed tamen tenore perpetuo: ita ut si tibias non audias, nullo modo notare ibi possis, quousque procurrat connexio pedum, & unde rursus ad caput redeatur.*

Tandem ut universum hunc musicorum instrumentorum apparatum Pantomimis inservientium absolvam: illud etiam adverto, Veteres testarum D quoque crepitu rhythmicum quendam sonum saltantibus commodasse. Unde illud Juvenalis *Satyr.* XI. v. 169.

——— *audiat ille*
Testarum crepitus cum verbis, &c.

Ubi vetus Interpres: *Testas enim antea percutiebant, saltantibus Pantomimis.* Nimirum antiquissimi illi homines, musica adhuc rudiori, aliorum inopia instrumentorum figlinis crepitaculis atque vasorum figlinorum collisione oblectabant sese. E Ita Aristophanis Enarrator, ad illud ex *Ranis*, pag. m. 273. πῦ στιν ἡ τοῖς ὀστράκοις αὕτη κροτῦσα, Ἀπορία, inquit, λύρας ὄστρακα τινὲς λαμβάνοντες, ἦχον μὲν ἀπετέλυν, πάνυ δὲ ἄσημον.. Ad quem eundem Aristophanis locum respiciens & Didymus relatus ab Athenæo *lib.* 14. εἰωθέναι, inquit, τινὰς ἀντὶ τῆς λύρας κογχύλια, καὶ ὄστρακα συγκρῦντας, εὔρυθμον ἦχόν τινα ἀποτελεῖν τοῖς ὀρχυμένοις. Atque hanc Græcos appellasse ὀξυβάφων μυστικὴν ἁρμονίαν, advertit Casaubonus *ad cap.* 4. *lib.* 5. *Athenæi*. Cujus inventorem ex Suida Dioclem quendam fuisse, subdit: ait enim Suidas: φασὶν Διοκλέα τὸν Ἀθηναῖον εὑρεῖν τὴν ἐν τοῖς ὀξυβάφοις ἁρμονίαν, ὀστρακίνοις ἀγγεί- F οις, ἅπερ ἔκρυσεν ξυλιφίῳ. Scilicet, *Dioclem Atheniensem ferunt invenisse harmoniam in testaceis vasis, quæ bacillo pulsabat.* Latini hujusmodi vasa appellarunt acetabula: quæ antiquitus quidem erant fictilia, atque bacillo percutiebantur: mox ex variis metallis fuerunt conflata, ære, argento, vel alio. Unde Isidorus *lib.* 3. *Acetabula ænea, & argentea, vel alia, quæ metallico rigore percussa reddunt cum suavitate tinnitum.* Adeoque & Cassiodorus *epistola* sæpius jam *citata* ad Symmachum:

Quid acetabulorum tinnitus, &c. Addit Casaubonus ex Suida, hujusmodi acetabula non ex variis tantum metallis, sed ex pluribus etiam in unum confusis & colliquatis parari consuevisse: *διὰ*, inquit, *καὶ τὰ ὀξύβαφα εἰώθασιν ἐκ διαφόρου κατασκευάζειν ὕλης, ἵνα τῇ διαφορᾷ τῶν ἀπηχήσεων τὴν ἁρμονίαν ἀποτελέσωσι*. Sed ex his tamen verbis, acetabula ex metallis diversis parari consuevisse, liquet: quæ scilicet simul pulsata, pro diversitate metallorum diversos ederent sonos: non autem quod ex plurimis in unum commistis, ad modum Corinthiaci æris; ut facile patebit verba ipsa perpendenti.

Ex hucusque dictis igitur constat, ad Pantomimorum saltationes adhibitas fuisse Tibias, Fistulas, Citharas, Cymbalorum, Scabillorum, & Testularum, sive Acetabulorum crepitus, Chorique concentus. Quæ fere omnia complectens Nonnus lib. 18. *Dionys.* ait:

Cymbala sonabant; ad mensam vero bene sonantem
Panicæ fistulæ bombum edebant; fremebant tibiæ
Implexæ, & circulus graviter sonantis tympani
Duplici strepitu tinniebat in ædibus;
Et sonus erat crotalorum ad cœnam.

CAP. XV.

Examinatur, quas Fabulas Pantomimi desaltarent.

Pantomimi prima omnium illa cantica desaltarunt, quæ ὑπορχήματα dicta sunt. Rem atque etymologiam habemus in Athenæo *lib.* 14. *cap.* 6. pag. m. 628. his verbis: *Ἐξ ἀρχῆς ἐπέταττον οἱ Ποιηταὶ τοῖς ἐλευθέροις τὰς ὀρχήσεις, καὶ ἐχρῶντο τοῖς σχήμασι, σημείοις μόνον τῶν ᾀδομένων, τηροῦντες ἀεὶ τὸ εὐγενὲς καὶ ἀνδρῶδες ἐπ' αὐτῶν· ὅθεν καὶ ὑπορχήματα τὰ τοιαῦτα προσηγόρευον· εἰ δέ τις ἀμέτρως διαθείη τὴν σχηματοποιΐαν, καὶ ταῖς ᾠδαῖς ἐπιτυγχάνων μηδὲν λέγοι κατὰ τὴν ὄρχησιν, οὗτος δ' ἦν ἀδόκιμος*. Quæ verba omnium optime Casaubonus sic vertit: *Ab initio Poetæ saltationes liberis assignabant, & figuris saltationum utebantur tantum pro signis eorum, quæ voce canebantur, semper in iis animum servantes virilem & generosum: quam ob causam ὑπορχήματα appellarunt, quasi dicas saltationes voci subservientes: si quis autem figuras exprimeret, non servato modo, & cantionibus congruens nihil diceret in saltatione, eum improbabant*. Qui igitur ἔλεγόν τι κατὰ τὴν ὄρχησιν, hoc est, *qui exprimebant aliquid saltando congruens illi*, quod voce canebatur, hi probatissimi saltantium dicebantur: adeoque erant Pantomimi, atque ab illis quibuscumque Saltatoribus discriminabantur, erantque inter illos optimi.

Atque ex his rite intelliges Lucianum, quem non bene assecutus est eruditus alias Interpres. De Deliacis puerorum choris loquens pag. m. 105. hæc habet: *Παίδων χοροὶ συνελθόντες ἐν αὐλῷ καὶ κιθάρᾳ, οἱ μὲν ἐχόρευον, ὑπωρχοῦντο δὲ οἱ ἄριστοι προκριθέντες ἐξ αὐτῶν. Τὰ γοῦν τοῖς χοροῖς γραφόμενα τούτοις ᾄσματα ὑπορχήματα ἐκαλεῖτο*. Ubi Latinus Interpres: *Ingressi*, inquit, *puerorum chori, tibia & cithara præcinentibus, saltabant. Quos subsecuti optimi, facto delectu, choreis excipiebant*, &c. Sed quid istud est, optimos choreis factis, alios excepisse? quis hoc, quid esset, intelliget? Ex dictis autem clarissima est Luciani mens. Duo enim Saltatorum genera facit Lucianus: aliud quidem ἁπλῶς χορευόντων: atque aliud ὑπορχουμένων: atque hos optimos, exque primis iis delectos docet. Quid ita? quoniam primi illi rudiores puerorum chori saltabant quidem, atque figuras quasdam exprimebant; verum id tantum: nam κατὰ τὴν ὄρχησιν οὐδὲν ἔλεγον: hoc est, *nullatenus exprimebant saltatione id*, quod voce canebatur. At vero οἱ ὑπορχούμενοι delecti ex iis, atque optimi judicati, non figuras tantum exprimebant, sed & modum servabant, atque motu & σχηματοποιΐᾳ, hoc est, *apta gesticulatione*, vocibus & cantico congruebant. Erant proinde ὑπορχήματα saltationes illæ, quæ voci subserviebant; hoc est, quæ a Saltatoribus, corporis & motuum agitatione, voces ipsas depingebant: adeoque quæ gestus illos atque motiones requirebant, sine quibus ἦν ἀδόκιμοι, scilicet, *non probabantur*. Cum autem hæc ὑπορχήματα fuerint antiquissima, liquet, hæc primum a Pantomimis desaltata fuisse, veste, habitu, manuum ac totius corporis gesticulatione iis canticis congruenti.

Cæterum ubi Pantomimorum ars augeri cœpit, atque eorumdem studia diligentius excoli, jam non illa tantum cantica, seu ὑπορχήματα, sed alias quascumque fabulas a Poetis Epicis, Tragicis, Comicis, atque Satyricis sudatas desaltarunt. Atque idcirco Lucianus pag. 120. & 130. „ Statim, „ *inquit*, a Chao & primo rerum generatione facto exordio, cuncta Pantomimo ad unguem „ cognita esse necesse est, usque ad Cleopatræ „ Ægyptiæ tempora. Hoc enim sæculorum inter- „ vallo circumscripta est nobis multiplex illa Sal- „ tatori paranda cognitio. Recenset mox veteres cum historias, tum fabulas: ac tandem concludit: *οὐδὲν τῶν ὑπὸ τοῦ Ὁμήρου, καὶ Ἡσιόδου, καὶ τῶν ἀρίστων Ποιητῶν, καὶ μάλιστα τῆς τραγῳδίας λεγομένων ἀγνοήσει*: scilicet, *nihil ex iis, quæ aut Homerus, aut Hesiodus, aut alii Poetæ meliores, ac præcipue Tragici finxerunt, ignorabit*.

Omnium tamen frequentissime antiquiores Deorum saltabant fabulas; arbitror, quia spectatoribus magis notas. Atque Arnobii Nemesin provocat, qui *lib.* 4. prope finem p. m. 151. *Quid Pantomimi vestri*, inquit, *quid Histriones, quid illa Mimorum atque exoleti generis multitudo? Sedent in spectaculis publicis Sacerdotum omnium, Magistratuumque collegia, Pontifices, & Maximi Curiones: Sedent Quindecimviri Laureati, & Diales cum apicibus Flamines: Sedent Augures interpretes divinæ mentis & voluntatis: nec non & castæ Virgines perpetui nutrices & conservatrices ignis: Sedet cunctus Populus, & Senatus: Consulatibus functi Patres, Diis proximi, atque augustissimi Reges: & quod nefarium esset auditu, gentis illa genitrix Martiæ, regnatoris & populi procreatrix amans saltatur Venus, & per affectus omnes meretriciæ vilitatis impudica exprimitur imitatione bacchari. Saltatur & Magna sacris comta cum infulis Mater, & contra decus ætatis illa Pessinuntia Dindymene in bubulci unius amplexu flagitiosa fingitur appetitione gestire*. Atque *lib.* 7. pag. m. 238. *Ponit*, inquit, *animos Jupiter, si Amphitryo fuerit actus pronunciatusque Plautinus? aut si Europa, si Leda, Ganymedes fuerit saltatus, aut Danae, motum compescit irarum? Tranquillior, lenior Mater magna efficitur, si Attidis conspexerit priscam refricari ab Histrionibus fabulam? Obliterabit offensam Venus, si Adonis in habitu gestum agere viderit saltatoriis in motibus Pantomimum?* Fabulæ igitur Deorum, utpote omnium notissimæ; sed & aliæ etiam Heroum, a præclarissimis atque omnium ore vulgatis Poetarum monumentis desumtæ saltabantur. Et aliæ quidem erant Monoprosopi, quando sci-

licet unus tantum erat Pantomimus, qui vel unam tantum Personam referret, ut puta Adonidem, Ajacem, Herculem: vel etiam plures, sed in quas tamen unum se transformaret. Atque hujusmod. erat illa, cujus meminit Lucianus pag. m. 135. in qua cum Barbarus quidam quinque Personas vidisset desaltandas, unumque tantum adstare Saltatorem, quærebat, quinam reliqui essent futuri, qui alias Personas saltando repræsentarent. Postea vero quam certior factus est, unum illum saltatione sua omnes repræsentaturum, ἐλελήθεις, ἔφη, ὦ βέλτιστε, σῶμα μὲν τοῦτο ἓν, πολλὰς δὲ ψυχὰς ἔχων, hoc est, *fefellisti inquit, o optime, quod cum corpus unum tibi sit, animas plures habeas*. Quo ingeniosior, sed mea tamen sententia insulsior ille alius fuit e Barbaris quidam homo regius e Ponto, qui cum ex negotio ad Neronem Romam venisset, atque talem quempiam spectasset Pantomimum, omnia unum scitissime atque clarissime referentem, in discessu Saltatorem illum sibi dari a Nerone enixe petiit. Percontante vero Nerone cui rei sibi utilem futurum existimaret, *Sunt mihi*, inquit, *vicini Barbari, Lingua dispares: ad illos intelligendos interpretum parare copiam haud mihi promtum & facile est. Itaque si alicujus egens ero, ille intuens singula quæque mihi interpretabitur*. Sed o bone, respondere Nero potuisset. Pantomimus quidem curabit, ut nutibus & gestibus tu omnia intelligas; sed quæ tamen ipse ante noverit: Qui autem Barbaros illos tuos finitimos Lingua dispares intelliget aut Latinus, aut Græcus Pantomimus? Profecto quibus tu carere dicis, indigebit ille interpretibus, ut Barbarorum legationes audiat, quas tibi nutibus repræsentet. Sed non tam longe respexit ille Barbarus, imo ne Lucianus quidem, qui fortassis historiam illam finxit.

Redamus ad saltationes Pantomimorum: quarum aliæ erant igitur, ut dicebamus, μονοπρόσωποι: sed erant etiam πολυπρόσωποι, in quibus scilicet plures aderant Pantomimi, diversas Personas referentes atque desaltantes. Atque hujusmodi fuit Paridis illud judicium superius ab Apulejo relatum. Namque in illo alius, quidem Mercurium, alius Paridem, alii Deas referebant. Atque hujuscemodi Pyladis saltationes fuisse utplurimum, testantur & Athenæus & Plutarchus. Hic enim *Symp.* lib. 7. cap. 8. ἀποπέμπω δὲ, inquit, τῆς ὀρχήσεως τὴν Πυλάδειον ὀγκώδη, καὶ παθητικὴν, καὶ πολυπρόσωπον οὖσαν, hoc est, *a saltatione quidem Pyladeam removeo, tumidam scilicet, & affectuum plenam, multasque requirentem personas*. Et Athenæus *lib.* 1. *cap.* 17. ἦν δὲ ἡ Πυλάδου ὄρχησις ὀγκώδης, καὶ παθητικὴ, καὶ πολυπρόσωπος, ut emendat Salmasius: nam vulgo legitur πολύκοπος.

Et quoniam Pyladis hic meminimus, ab hoc & a Bathyllo, ut superius quoque tetigimus, Italicam saltationem conflatam fuisse, docet ibidem Athenæus, ex Comica quam Cordaca, ex Tragica quam Emmeliam, & Satyrica quam Sicinnim appellabant. Cave tamen, exinde deducas, veluti commistam ex illis tribus fuisse, atque illarum quidem participem, sed a singulis tamen discrepantem. Id enim vult Athenæus, ut eruditissimus advertit Salmasius *loco* jam sæpius *citato*, Pyladem atque Bathyllum non aliqua tantum ὑπορχήματα, aut peculiares aliquas fabulas, sed omnia Tragœdiarum, Comœdiarum, atque Satyrorum argumenta desaltasse: ita tamen ut Tragica secundum Tragicæ, Comica vero & Satyrica secundum Comicæ atque Satyricæ saltationis instituta peragerent.

Atque licet omnes istas fabulas promiscue desaltarent; nihilo tamen minus, in Tragicis quidem Pylades, in Comicis autem Bathyllus magis placuit. Quippe Pyladea saltatio, describentibus eodem Athenæo & Plutarcho, fastuosa erat, & gravis, movendis affectibus idonea, atque plures requirens Personas: adeoque de hac Pyladea saltatione intelligendus Artemidorus lib. 1. *Onirocrit.* cap. 78. dum inquit: βασιλικὰ μὲν πρόσωπα μιμεῖται, καὶ πολλοὺς ὑποκριτὰς ἔχει ὁ ὀρχηστής· ἀλλὰ μετὰ τὸ δρᾶμα μόνος παραλείπεται. Contra vero Bathyllica hilaris, jocosa, pedestris, quæque tota in rebus lætis versabatur, atque fabulas & Personas comicis affines referebat: id quoque testatur Plutarchus ubi supra, subdens: Δέχομαι τὴν Βαθύλλειον αὐτόθεν πεζὴν, τοῦ Κόρδακος ἁπτομένην ἠχοῦς, ἢ τινος Πανὸς, ἢ Σατύρου σὺν ἔρωτι κωμάζοντος ὑπ' ὀρχήματος ἀντιθεμένην.

Ex quibus liquet, lapsum igitur fuisse Rhodiginum, dum *lib.* 7. *cap.* 4. *Comœdia*, inquit, *Pyladem habet eximie clarum, Bathyllum Tragœdia: muta vices, neutrum noveris*. Sed non ita sane dicit Seneca, cujus mentem, & sensum, ac fere etiam verba rescripsit ibidem Cælius: namque in Præfat. lib. 3. *Controvers. Pylades*, inquit, *in Comœdia, Bathyllus in Tragœdia multum a se aberant*. Quoniam scilicet quemadmodum Bathyllus optime quidem comicas, minus apte tragicas desaltabat fabulas; ita Pylades e contra minus in comicis, maxime in tragicis fabulis probabatur. Sensus proinde Senecæ est, nec Pyladem fuisse Pyladem in Comœdia, nec Bathyllum satis agnosci potuisse in Tragœdia, ut optime exponit Vossius lib. 2. *Poet.* cap. 37. Quascumque autem fabulas referrent, nil ipsis magis erat cordi, quam ut Personas, quas substinebant, ad vivum exprimerent: adeo ut si furentes repræsentarent, furerent plane atque insanirent. Testatur id de celeberrimo sui temporis Pantomimo Lucianus pag. 148. dum ait: „ Cum „ Ajax illi desaltandus esset, mox furens, post „ victoriam, tantum a saltationis decoro excidit, „ ut nullo modo Ajacis furentis insaniam repræ„ sentare, sed ipse omnium judicio plane furere „ ac debacchari videretur. Namque unius vesti„ mentum discidit, alterius correptam tibiam in „ Ulyssis juxta stantis caput illisit: progressusque „ in medium Senatorum, inter duos Consules „ consedit medius, admodum metuentes, ne unum „ ex illis correptum flagellis, quemadmodum arie„ tem, cæderet. Sed & de Pylade loquens Macrobius lib. 2. *Saturn.* cap. 2. p. m. 347. „ Cum in „ Herculem furentem prodisset, sagittas jecit in „ populum. Eamdemque Personam cum jussu Au„ gusti in triclinio ageret, & intendit arcum, & „ spicula mittit: nec indignatus est Cæsar, eo„ dem se loco Pyladi, quo Populum Romanum „ fuisse. Quod si dum furentes fingerent, adeo vere insaniebant; jam facile sibi quisque finget, quos gestus, motusque, quamve impudicos & lascivos ederent, dum obscœna & turpia repræsentarent: propter quæ nescias, hujusmodi artificium famosum-ne magis fuerit, an infame.

CAP. XVI.

Exponuntur Pantomimorum Certamina.

Pantomimorum committi consuevisse certamina, inficiari videtur Lucianus p. m. 115. ubi rationem istius rei illam fuisse suspicatur, inquiens: *Quod autem saltationum nulla sunt certamina, hanc ego causam esse opinor, quod certaminum auctoribus res major & gravior visa sit saltatio, quam ut de ea exacte pronunciari possit*. Sed quidquid sit de hac causa, Pantomimos inter sese contendere consuevisse, quis scilicet eandem fabulam venustius, magisque ad vivum desaltaret, multa sunt, quæ clarissime persuadent. Et primo quidem φι-

λονεικία superius a nobis relata inter Pyladem & Bathyllum: quorum ille cum reprehendisset Bathyllum, quod longum, non grandem Agamemnonem saltando expressisset, jussus a Populo est eandem saltare fabulam, ut palam fieret, an ipse aptius illum effingeret. Jam & veteres Inscriptiones, quam refert *loco* supra *citato* Salmasius, & ex illo alii plures, facile ostendunt, & certasse inter se Pantomimos, & victores etiam fuisse coronatos. Lapidem antiquum in Inscriptionibus suis refert Gruterus p. 1024. n. 5. qui hæc habet:

THEOCRITO AVGVST. LIBERT.
PYLADI PANTOMIMO &c.

Ad hæc Genuæ in antiquo Lapide:

P. ÆLIVS AVG. LIBERT. PYLADES PANTOM. &c.

Sic & in Inscriptione veteri:

M. VLPIVS AVG. LIBER.
APOLAVSTES &c.

Cujus generis & alia apud Dempsterum p. 457.

M. AVREL. AVG. LIBER.

Quid ergo dicemus, hujusmodi Pantomimos certasse, & coronatos fuisse in sacro certamine Neapolitano? nam & Lucianus ipse, ubi in thymelicis agonibus de artificii sui præstantia Pantomimos certasse inficiatus est, subdit statim: *Ἐῶ λέγειν, ὅτι πόλις ἐν Ἰταλίᾳ τοῦ Χαλκιδικοῦ γένους ἡ ἀρίστη, καὶ τοῦτο ὥσπερ τι κόσμημα τῷ παρ' αὐτοῖς ἀγῶνι προσέθηκεν.* Ego vero non in hoc Neapolitano certamine tantum, sed etiam alibi, ac Romæ potissimum, Pantomimos de primatu inter se contendisse, auctor sum: idque vel ex Luciano manifeste deduco: qui licet id inficiari in superius allatis verbis videatur, apertissime tamen fatetur, Pantomimos inter se decertasse: namque ubi Pantomimum illum superius relatum descripsit, Ajacem furentem cum A maximis intemperiis repræsentantem, illum ipsum affectatæ nimis insaniæ pœnituisse, subdit; neque id dissimulanter, aut occulte, sed satis manifeste declarasse. Siquidem postulantibus iterum æqualibus, ut Ajacem in illorum gratiam desaltaret, adhibito repræsentatore, inquit, *ad Theatrum satis superque esse semel insanivisse*. His vero relatis, subdit: *Maxime vero omnium ejus animum discruciavit æmulus: cum enim idem Ajax illi ex composito desaltandus esset, adeo modeste & temperanter ejus repræsentavit insaniam, ut magnam inde laudem reportaret, saltationis fines nusquam egressus, neque repræsentando furenter in quemquam debacchatus*. En igitur ex Luciano Pantomimos inter se B æmulos, atque ex composito easdem fabulas desaltantes. Quod vero pro primatu & victoria decertarent, populi factiones evincunt, in apertas seditiones non raro erumpentis; dum suis quæque pars acerrimis studiis favebat, ut ex Macrobio supra retulimus lib. 2. *Saturn.* cap. 7. Irato enim ob seditionem exortam Augusto, *ἔασον*, respondit Pylades *περὶ ἡμᾶς ἀσχολεῖσθαι*, *sine, eos circa nos feriari*: quasi vero Reipublicæ & Augusti interesset, si Populus non de unius dominatu, aut præsenti rerum administratione, sed de ludis potius disceptaret. Sed & Tiberius eosdem Pantomimos expulit Urbe, & Italia, cum propter eorumdem lasciviam, tum propter seditiones, quas nimia in eosdem faventium studia concitabant. Testatur id C Tacitus *Annalium* lib. 4. ubi, *postremo*, inquit, *Cæsar de immodestia Histrionum retulit, multa ab his in publicum seditiose, fœda per domos tentari*: & mox, *pulsi tunc Histriones Italia*. Eademque tradit Dio *lib.* 57. *Τοὺς δὲ ὀρχηστὰς τῆς τε Ῥώμης ἐξήλασε, καὶ μηδαμόθι τῇ τέχνῃ χρῆσθαι προσέταξεν, ὅτι τάς τε γυναῖκας ᾔσχυνον, καὶ στάσεις ἤγειρον.* Igitur non contendebant solum de primatu inter se Pantomimi, & quidem in Urbe; sed tam acri partium studio, ut seditiones & frequentes & graves adeo in Populo concitaverint, propter quas exsilii pœna fuerant coercendi. Quid igitur in mentem D venerit Luciano, dum hujusmodi certamina inficiatus est, non satis intelligere, aut expedire valeo * . . . .

F I N I S.

JOH. ANTONII ASTORII

EPISTOLA

DE

DEO BROTONTE

Ad Illustriss. ac Eruditissimum Virum

APOSTOLUM ZENUM.

JOH. ANTONII ASTORII
EPISTOLA
DE DEO BROTONTE
Ad Illustriss. ac Eruditissimum Virum
APOSTOLUM ZENUM.



Venetiis in Ædibus Grimanis.



Rovocasti me, illustriss. Vir, in Epistolam; pono pallium, decumbo. Exspectas moræ difficilis, quemadmodum conscribam? non cesso adhuc explanare cujus transmisisti exemplar *Brotontis dei* monumentum, dum salvis meis conjecturis hoc liceat. Quoad alia, quæ in Cimelio illustrissimi & excellentiss. D. Johannis Caroli Grimani, Academiæ nostræ *Animosorum* Mæcenatis amplissimi, vidisse præ illo retulisti, chartæ non parcam, quum tempus suppetat. Modo ni sat tute rerum antiquarum detur agitare, saltem hoc irreprehensibile datum, tuum hic consolandum ingenium: non adeo vana nominis gloria facienda, ut quod dare me ludum erudito refugiam, dubitem pauca scriptitare, nec pro votis. Legent hæc alii, (hoc scio) qui alienis me exemplis ludificentur, at ego dissimulabo me horum quicquam scire, novasque improbus mittam lineas. Sed quam mihi moram timidus facio? Quid ago? Qua fiducia tot ausus, nunc manum tabulæ inducam, ac ut rem agere occœpi, impatientem ne fatigare animum distinear. Vacuis non opus verbis. Quid subsculptæ monumento proposito loquantur litteræ, attente dignoscere gestis, eæ sunt,

A

BONO DEO
BROTONTI.

Egomet illas multis modis meditatus sum, & ita sensum earum esse arbitror, si αντί τῦ *Brotonti Brontonti* legas, quod verisimilius,

Jovi Tonanti deo domestico sacrum. Βρονταῖς namque, sive Βροντῶν, ἀπὸ τῦ βροντεῖν, quod est *tonare*. Hæc tamen diu volutavi, & mecum disceptatus, num *Lares* a Diis majorum Gentium discernerentur, id repperi ad usum, Theologiam, & Populorum pietatem illos istis confundi: eo magis quod licet multa Deorum attributa ad multos B illos adstruendos adducerent, iidem omnino a cordatis alias viris haberentur: *Fragilis namque & laboriosa mortalitas in partes ista digessit, infirmitatis suæ memor, ut portionibus quisque coleret, quo maxime indigeret*. Implebatur itaque cubiculum turba Numinum, & omnium sub vulgari *Larium* nomine comprehensorum, *Jane*, *Juppiter*, *Mars*, *Pater Quirine*, *Bellona*, *Lares*, *Divi Novensiles*, *Dii Indigetes*. Hæc Decii Consulis pro salute Romanorum contra Latinos a Tito Livio memoriæ tradita Invocatio addit fundamentum asser- C tioni. Satyrici * velim recenseas versus huc spectantes:

Hic nostrum placabo Jovem, Laribusque paternis
Thura dabo.

In quibus non distinguit Jovem a Laribus: sed confundit in tutelam suæ domus una cum illis adsciscens. Subinde Inscriptionem:

IOVI. PRAESTITI
HERCVLES. VICTOR. DICAVIT
BLANDVS. PR. RESTITVIT.

D Ex qua dignosces datum Jovi attributum, reservatum alias Laribus a Romanis. Cognomina alia ut ΚΤΗΣΙΟΣ, ΕΦΕΣΤΙΟΣ, ΕΣΤΙΑΡΧΟΣ, ipsi præstita juxta peculiaria, quæ habuisse ajebant, rei curandæ domesticæ munera. Videas, quam Dn. Baudelot eruditissimam scripsit *de Diis Laribus* Dissertationem, & abunde, qui tibi fiat satis, invenies. Quædam tamen non omittenda hujus generis Epigrammatum, uti

E

IOVI REGI
GENIO DOMVS
ISIDORI
LARINATIS
ARAM
EX VOTO
L... CASTOR
D. D.

* Juvenalis. *Sat.* 12. vers. 89.

I. O. M.
DEO DOMES
TICO
BRATO
VETERA
NVS L. M

Relationi aliarum ſuperſedeas, (nimia faſtidiens, ſic aurem mihi vellicare videris) & facilem animi te offeras; hoc namque & minus antiquitatum ſtudioſo innoteſcit. Nolo, ſi pergam, moleſtus eſſe, abſtineo ſermonem de his.

Agedum duas res tantummodo eloquar, & breviter, expetitus: quid ſcilicet *τὸ Bono Deo*, ac *τὸ Brotonti* fieri ſibi velint. Primum igitur pro nullo alio propius ſumam quam pro *Deo Lare*: Græcis namque Ἀγαθὸς Δαίμων, *Bonus Genius*, idem ac *Lar* Latinis. Legas Inſcriptionem, qua *Larem Phoſphorum* appellatum probat Dn. Baudelot:

BONO DEO PVERO
PHOSPHORO
T. FL. ITALICVS
PRIMVS IIII.
VIR M. A. A.
CVM STATILIA
LVCINA CONIVGE ET
SVIS EX VOTO.

Hic habes *Bonum Deum*, ſeu *Genium*, non eſſe alium quam *Deum Larem*. Ne pigeat, quam Reineſius fol. 161. de bona Dea refert, Inſcriptionem adducam:

VOTO SVSCEPTO
BONAE DEAE
ASTRAPTON. CAESARIS. VILLIC. &c.

Hanc ſunt, qui Πανείτῃ Μάνῃ, *Genetrici Bonæ*, curatam ab Aſtrapto Cæſaris Villico, inſinuant, ut idem inibi Reineſius. Illi autem immolaſſe canem Romanos pro Domeſticorum incolumitate, ex Plutarcho q. 32. & rem divinam Catulo factam ex Plin. *l.* 3. *c.* 4. habemus, quod forte fuerit in Præſtitem & Proximam Deam inter Lares adſumta. Quid hoc? Deam quoque Larem *Bonæ Deæ* titulo donatam. Sed dictum ab omni aſſerit dubietate Cenſorinus, qui ait: *Eundem eſſe Genium & Larem multi Veteres memoriæ prodiderunt.*

Seneca Genios a Laribus ſeparavit *ep.* 90. *Quid ſint Inferi, quid Lares & Genii.* Uti Lex quoque Theodoſiani Codicis diſtincta ſignans *l.*16. *tit.* 10. *leg.*12. *Lari* ac *Genio* ſacrificia, *Larem igne, mero Genium*, &c. innuere videtur. Pythagoras primus hoc docuit (Laert. *de plac.*c.8) εἶναι πάντα τὸν ἀέρα ψυχῶν ἔμπλεον, καὶ τούτους, Δαίμονάς τε, καὶ Ἥρωας νομίζεσθαι: *eſſe totum aera plenum animis, eaſque & Dæmonas, & Heroas exiſtimare.* Gloſſa autem non ſemel Ἥρωας *Lares* interpretatur, & Δαίμονας *Genios* Latini dicunt. Tertullianus *Apolog.* c. 32. *Neſcitis Genios Dæmonas dici, & inde diminutiva voce Dæmonia.* Et Lactantius *l.*2. *c.*24. *Hi ſpiritus ſibi Geniorum nomen adſumunt, ſic enim Latino ſermone Dæmones interpretantur.* Attamen Capella & generalem quemdam & ſpecialem Genium diſtinguens, ubi de ſpeciali verba facit, *præſtitem* vocatum adſtruit: *Quem & præſtitem, quod præſit gerundis omnibus, vocaverunt.* Ex quibus deduco idem cum *Lare* Genium eſſe, eo quod *Præſtitis* cognomen, uti ſupra diximus, *Laribus* attributum. Jam Inſcriptioni credas, quæ omnem tollit difficultatem fidei:

GENIO LARVM
HORREI PVPPIENI, &c.

Si plura deſideras, lege eruditionum in hoc genere promum D. Baudelot.

At quod *τὸ Brotonti* ſignare poſſit, videamus. Illud eſt ut Grammatici dicunt, participium Verbi Græci Βροτῶ, quod interpretatur, *reddo*, vel *facio hominem mortalem*: Βροτὸς namque hominem ſonat. Heraclides Lembus *Hiſtoriarum* lib. 37. referente Athenæo *lib.* 3. prodit Alexarchum, qui Uranopolim ædificavit, loquendi peculiares formas invexiſſe, ut qui præ aliis tonſorem appellarit *a radendis hominibus* Βροτοκέρην. Et ſane, quum *Genius*, ſi verbo ſtandum Varronis, *Deus ſit, qui præpoſitus eſt, ac vim habet omnium rerum gignendarum, & propterea Genius nominetur*, ut inquit Auguſtius in Feſto, *quia genuit*; *Genium* enim a *Genendo* non dubium; Juppiter autem Omnipotens ſit & hominum ut cunctorum progenitor quod illi hoc ſit attributum *Brotontis* cognomen, interpretarer, ut *Genitori*, aut *Creatori*, vel *Factori hominum*.

Attamen ſit hoc gratis dictum, nam, qui ab oppoſitionibus vindicarer, ignoro. Veriſimilius ad cacophoniam in dictione vitandam ἀντὶ τοῦ *Brontonti Brotonti* legendum nimis duriuſcule traditum; ubi hoc artis characteariæ profeſſorum imperitia, uti in multis Epigrammatum, qualia de Diis Belleno, Endovellico, & aliis comperitur non eſſet quoque conjecturæ locus accidiſſe: quippe nunquam Inſcriptionum collectoribus vix una huic noſtræ ſynonyma ſe obtulit inter alias recenſenda: Gruterus *pag.* XVII.

IOVI.SANCTO. BRONTONTI. AVR.
POPLIVS.

Idem *pag.* XXXIV.

DEO. SOLI. INVICTO. MITHRE
FL. SEPTIMIVS. ZOSIMVS. V. P.
SACERDOS. DEI. BRONTONTIS, &c.

Hiſce duabus *Brontontis* attributum, futilibus miſſis commentis, ſatis probatur. Quid *τὸ Brontonti*? ne repetam placet? & mihi.

Omnium corollarium, quæ dicta noſtram Jovi Inſcriptionem dedicatam, ut qui inter cæteros Lares in Familiæ tutelarem fuerat adoptatus, & cui attributum *Brontontis*, ſeu *Tonantis*, uti proprium ejus cognomentum. Stetit in adſcenſu Capitolii templum *Tonantis Jovis* ab Auguſto excitatum, quod, ut Suetonius, *cum expeditione Cantabrica per nocturnum iter lecticam ejus fulgur perſtrinxiſſet, ſervumque ducentem exanimaſſet, ipſe liberatus periculo fuerit.* Antiquiſſima Præneſte reperta Inſcriptio, in qua votum Primigeniæ Fortunæ dat hoc deducere:

TV. QVAE. TARPEIO. COLERIS.
VICINA. TONANTI &c.

Capitolium autem Arx Tarpeja a Tarpeja Virgine vocabatur. Viſitur quoque in nummo Auguſti templum Jovis Tonantis, in cujus ille ſtat medio ſiniſtra haſtam, dextra fulmen tenens, cum Epigraph. IOV. TON. ſimiliter & in nummo Ha-

driani. Præ Græcis & Latinis ab aliis Gentium eodem donatus Juppiter cognomine. Leguntur in Sponii *Miſcellaneis* ſect. 3. pag. 73. & 74. Jovi *Tanari*, & *Taranuci* adjecta Epitheta:

I. O. M. TANARO
T. ELVPIVS. GALER. &c.

IOVI. O. M.
TARANVCO. &c.

Tanarus autem & *Taranucus* Tonantem Latinorum, Græcorumque Βροντaῖον, ſeu Βροντῶντα exprimunt: *Tonitru* namque in Lingua Latina & in Græca Βροντὴ appellatur, quod in Brittannica *Tanar*, ac in Cambrica *Taran*, vel *Taram*; ſic Grenehalgh, Prideaux, & ante eos Bochartus.

Quare *Brotontis* ſeu *Tonantis* Juppiter donatus ſit cognomento, recolendum eſt, ſub diverſis nominibus Jovem cultum a Gentibus: „In tantam namque (Lactantius lib. 1. c. 22. *de falſa Religione*) inſolentiam Jovem veniſſe Hiſtoria Sacra teſtatur, ut ipſe ſibi fana in multis locis conſtitueret. Nam cum terras circuiret, in quamcumque regionem venerat, Reges, Principeſve populorum hoſpitio ſibi & amicitia copulabat; & cum a quoquam digrederetur, jubebat ſibi fanum creari, hoſpitis ſui nomine, quaſi ita poſſet amicitiæ & fœderis amicitia † conſervari. Sic conſtituta ſunt templa Jovi Atabyrio, Jovi Labradæo: Atabyrus namque & Labradæus hoſpites ejus atque adjutores in bello fuerunt. Item Jovi Laprio, Jovi Molioni, Jovi Caſſio, & quæ ſunt in eundem modum. Quod ille aſtutiſſime excogitavit, ut & ſibi honorem divinum, & hoſpitibus ſuis perpetuum nomen acquireret cum Religione conjunctum. Gaudebant ergo illi, & huic imperio ejus libenter obſequebantur, & nominis gratia ſui ritus annuos & geſta ‡ celebrabant. Sed probabilius, quod vana hujus perſuaſio obvius fuerit titulus vel Loci, in quo, aut quem juxta coleretur, vel ritus, quo ſpecialis ejus inſinuaretur beneficentia, vel quo inſigniretur geſtaminis, vel queis in hoc mundo ejus appareret numen, attributorum. Sic *Aſbamæus* ab aqua juxta Tyana Cappadociæ, quam vocant Aſbamæam illi ſacram. Ammianus *lib.* 25. *cap.* 6. „Apud Aſbamæi quoque Jovis templum in Cappadocia, ubi ampliſſimus ille Philoſophus Apollonius traditur natus, apud oppidum Tyanam, ſtagno effluens fons cernitur, qui magnitudine aquarum inflatus, ſeſeque reſorbens, nunquam extra margines intumeſcit. *Eſt autem*, Apollonius * *lib.* 1. *cap.* 4. *circa Tyana, aqua Jovi ſacra, quam Aſbamæam vocant*, &c. *Atabyrius* a celeberrimo Rhodi Monte *Atabyri*, vel *Atabyrio*, in cujus vertice templum habuit. Strabo *lib.* 14. ubi de Rhodo, & de eodem Diodorus *lib.* 5. pag. 228. Επὶ δ' ὄρυς Αταβύρυ Διὸς ἱερὸν ἱδρύσατο τῦ προσαγορευομένυ Αταβυρίυ, *ſuper montem Atabyrum templum Jovis condidit, qui dicitur Atabyrius*. *Caſſius* a Caſſio monte prope Lacum Serbonidem.

Sic *Labræus*, *Labradæus*, vel *Labradenſis* in Caria dictus, quod ſecurim pro triſulco fulmine geſtaret: Lingua namque Lydorum λάβρυν ſecurim vocabant, Polyb. *lib.* 7. Ejus ſimulachrum primum dicitur conſecraſſe Arſelis Rex, cum Gygi adverſus Candaulem Lydorum Regem ſuppetias tuliſſet, indeque ſecurim Lydorum Regum geſtamen in Cariam retuliſſet: unde Jovi cognomen ἀπὸ τῆς λάβρυς, non a Labradæo hoſpite ejus, quod adſtruit Lactantius, factum eſt. Aſſeverabat mihi hanc veritatem Cl. Vir ac eruditus Nicolaus Bon. I. V. D. ex nummo maximi moduli Septimii Getæ in Cimeliis Corrariis repoſito, in quo aſſerebat templum, ac intus ſimulachrum Jovis Labradæi, qui læva haſtam, dextra ſecurim geſtat, nummo Mylaſæis Gentibus obſignato eminente Epigraphe ΜΥΛΑCΑΙΩΝ. Nam Plin. *l.* 5. *c.* 19. *Milaſii Jovem Labradæum, ſeu Labradenum, in maxima veneratione habent*, &c.

Sic *Aldemius* ἄλδος ἀλδήμιος, Gazæ cultus, quia credebatur ἀλδήμειν, id eſt, *augere* terræ fructus, ut in Eubœa ἐπικάρπιος, apud Heſychium ex Methodio. *Icmæus* ex eo quod Icari mortui ultor Syrio torruerit æſtu interfectorum ejus receptores, Cei nempe Incolas. Apollonius l. 2. *Argonaut.* verſ. 524. ubi de ſacrificio ab Ariſtæo inſtituto, & Ceis celebrari ſolito ad impetrandos Eteſias, queis æſtui caniculari mederetur:

Καὶ βωμὸν ποίησε μέγαν Διὸς Ἰκμαίοιο,
Ἱερά τ' εὖ ἔρ'ῥεξεν ἐν οὔρεσιν ἀςέρι κείνῳ
Σειρίῳ, αὐτῷ τε Κρονίδῃ Διΐ.
Icmæoque Jovi ſolemnem condidit aram,
Sacris per montes rite peractis & ſtellæ illi
Sirio, & ipſi Saturnio Jovi, &c.

Sic Bronton tandem, ſeu Tonans. Mitto innumera, quæ apud Gruterum, Reineſium, & Sponium accuratiſſimos legenda jacent.

Adhuc hæres? Idoli circumſtantiæ non tam præcipitem aſſenſui exigunt fidem: pileatum illud, vel ut melius dicam petaſatum: petaſus namque a pileo diſtinctus, quod ille ad umbram faciendam marginatus, cujuſmodi videas in Mercurii ſtatuis, hic non item, ſed quales Dormitorii, & Nautici. Petaſatum Idolum? Lares quoque petaſati, vel pileati; nil enim inter petaſum & pileum diſcriminis notabiliter, quin & petaſus, pileolus & pileus: pileus dictus ſic, vel quod ex pilis fieret, vel quod capitis pilos tangeret. Pileo igitur donabantur: unde in Saturnalibus ad libertatem declarandam Plebs tota pileata. Jovem inter Deos Lares aſſumtum, eccur pileatum negabis? Multis te meæ comitem opinioni adducerem; hoc unum pro cunctis: Martialis *lib.* 14. *epigr.* 1.

Dumque decent noſtrum pilea ſumta Jovem.

Sed hoc quoque mihi permittas percenſeam, feſta quædam Græcis celebrata in Syracuſis, Tarenti, & Platæenſibus in Caria in honorem Jovis Eleutherii: quem & Σωτῆρα, id eſt, *Liberatorem*, dicebant; hæc vero *Eleutheria* ἀπὸ τῆς ἐλευθερίας, *a libertate*, ſcilicet vocabantur, quippe in his nec heris in ſervos, nec Magiſtratui in maleficos animadvertere liceret. Hinc Plautus in *Sticho*, & in *Perſa*, *Baſilice Eleutheria agito*. Ex quibus deducere eſt pileatum Jovem utpote liberatorem: ſicuti & Caſtor & Pollux pileati, quod Σωτῆρες, id eſt, *Liberatores* Græciæ, & Bruti imago pileata, quod Romanæ vindex libertatis.

At qui pileatus quum Tonans? & eo magis, quod titulo Σωτῆρος, ſcilicet *Servatoris*, vel Ἐλευθερίου, id eſt, *Liberatoris*, inſcriptus, laureatus nobis exhibeatur, nunquam pileo diſtinctus? Reſpond. In nummis & in Idolis præ Epigrammatis effigies, ut ſymbola loquaces: ideoque ubi Juppiter inſcriptus titulo *Liberatoris*, ſupervacaneam ſymbolicam ejus expreſſionem, ubi vero Tonantis obſignatus Epigraphe, ſpecioſum *Libertatis* ſymbolum *pileo* innuendum. Jovi namque *Tonanti* primum quod excitatum Fanum

† Leg. *memoria*. ‡ Alii rectius, *feſta*. * Reſcr. *Philoſtratus in Vita Apollonii*.

est, non alias quam *Liberatori* excitatum: quippe illud (quod supra) Cæsar liberatus periculo consecravit.

Adde quod prius quum me admonitum voluisses circa Lapidis congruam in foci domestici fastigio positionem, Vulcano deo sacrum argueram: eum namque Eusebius in sua *Præparatione Evangelica* ignis virtutem appellat; imo si de femore Junonis fingitur procreatus, eo quod & fulmina de imo aere nascantur, quod Lucanus innuit,

Fulminibus propior terræ succenditur aer.
Pacem summa tenent.

τὸ *Brotonti*, quod *Tonanti* Latine, ei proprium adstruere non dubitaveram: nam fulmina non sine tonitru cælo decidunt; Ausonius:

Qualiter expressum ventis per nubila fulmen
Ætheris impulsi tonitru, &c.

A Præterquam quod ex Servio I. *Æneid.* adnotaveram, certa etiam Numina possedisse fulminum jactus, quas manubias Etrusci appellabant, inter quæ Vulcanus recensetur. Unde conjicere datum Tonantis cognomentum non improprie ei potuisse attribui.

Ulterius, quod ejus simulachrum pileo donaretur cæruleo cælestis symbolo volutionis, ubi integer sincerusque ignis invenitur, & eumdem in Idolo nostro distinxerim, securus animi inscriptionis sensum hunc habendum censueram: *Vulcano Tonanti Deo Domestico sacrum*. Hanc tamen opinionem rejeci, ac de Jove intelligendam censeo
B inscriptionem.

Juxta conjecturas meas, sic mea dictante Minerva, Epistolam dedi. Placet? Minime. *Aut proferas tu meliores epulas, & me conviva utere, aut qualicumque mea cœna contentus esto*. Vale.

Dabam Venetiis V. Kalendas Aprilis, Salutis An. M. DC. XCVIII.

F I N I S.



JOH. ANTONII ASTORII
COMMENTARIOLUM
IN
ANTIQUUM ALCMANIS
POETÆ LACONIS MONUMENTUM,
ALLATUM E GRÆCIA.


ΚΜΑΝΟΣΤΡΑΤΗΕΣ ΗΚΕΣΤΙΔΟΣΕΣΗΔΙΣΧΙΡΑ
ΔΗΣΟΣΝΥΜΕΤ ΧΗΣΤΗΣΕΡΕΣΣΗΧΙ ΝΙΗΛΑΤΟΝΣΤΕΦΑΝΟΝΤΟΙΣΠΑΔΙΟΝΣΙΝ
Ε Σ ΗΚΕΣ ΓΙΔΗΣ ΠΡΟΤΙΟΝ ΟΣΑΙΖΟΝΕΥΣΖΑΝ

ILLUSTRISSIMO ET ERUDITISSIMO D.

ANTONIO MALIABECHIO,

Sereniſſimi Magni Ducis Etruriæ Bibliothecario,

JOHANNES ANTONIUS ASTORIUS

Τὸ ἐσαεὶ δ'ρωςεῖν,



AD te geſtiebat evolare hoc qualecumque Commentariolum, non tam ut decus mutuaretur & gloriam, quam ut nomini tuo ampliſſimo conſecraretur. Ingeniolum meum ſuam mihi recogitans tenuitatem, a concepta nobili nuncupatione retraheret, ſed animus tui ſtudioſiſſimus, tacitæ hactenus venerationis impatiens, ut obſervantiæ aliquale teſtimonium maturet, audax illud tibi Litteratorum Apollini litaturum advexit. Tu, cujus in omnem partem non minus nota bonitas, ac genii benefici magnitudo, obſequentis munuſculum benignus excipias, & præſidio interim mihi tuum politiſſimum judicium eſſe volens, Theonici dentis injuriæ ſubtrahas pientiſſime.

Datum Venetiis pridie Cal. Decemb. An. D. 1697.

Monumentum Alcmanicum, ex marmore albo puriſſimo longum pedes VII. $\frac{1}{2}$ latum IV.

I N S C R I P T I O.

..ΚΜΑΝΟ ƷΤΡΑΤΗΕƷ. ΗΚΕΣ ΤΙΔΟΣΕΣΗΔΙΣ ΧΙΡΑ ΧΤΕ....

..ΔΗΣΟωΝ ΥΜΕΤω....... ΧΗƷΤΗƷ ΕΠΕωƷΗΧΗ. Ν⌑ΗΛΑΤΟΝƷΤΕ.

ΦΑΝΟΝΤΟΙΣ ΠΑ6ΙΟΝ ƷΙΝ.......

..... ΕƷΗΚΕƷ ΡΙΔΗΣ ΠΡΟΤΙΟΝ, ΟΣΑΙΖΟΝ ΕΥΣ ΖΑΝ.

Alcman qui militiæ Præfectus fuiſti, victoriis tibi glorioſe ab amantiſſima vidua Bone vale.

Qui in fugam conjeciſti ad Hymetum... in Xyſto quodie te exercuiſti, coronam præ aliis retuliſti.

...... *Qui ſuperans rheda antea fato paratus fortis exſtitiſti......*

Apud Bernadum Juſtinianum Abb. Sancti Leonardi Venetiis.

JOH. ANTONII ASTORII
COMMENTARIOLUM
IN
ANTIQUUM ALCMANIS
POETÆ LACONIS MONUMENTUM,
ALLATUM E GRÆCIA.



Effossum est duobus abhinc annis in Agro Laconico Monumentum in duas discissum partes, quod columnis fragmentisque marmoreis continuo confusum Venetias advectum, & in Pupiliæ Insula tandem ad usum aliquem præstantissimo Viro Bernardo Justiniano Abb. S. Leonardi, Sacri & Inclyti Equestris Ordinis S. Georgii Equiti Magnæ Crucis, donatum est asservandum. Religiosa hujus nunc temporis curante pietate, sacra illic Martyri Vitali ædes, & restaurabatur, & ornabatur; quum inter alia, quæ parabantur duabus aris fundamenta, sculptor adstans quod neglectum & sine honore jacebat, observatum caute Monumentum jubet asservari, cousque aliquod eruditissimo Viro Justiniano de illo communicaret. Relatio suasit ut a temporis injuria vindicaretur, & ejus dum exstaret epigraphes, haberetur interpres. Obiter ego, quod huc devenerat, illi officiosus occurro, & super hoc sequitur non breve alloquium: unde Monumentum visurus ad Pupiliæ Insulam pergere devincor. Visi Monumenti meo committitur studio explanatio; recuso in messem non meam falcem immittere.

Bono omine sit, quod inde solus hanc Spartam suadeor ornare. Traxit renitentem Genium ad perantiqui hujus Monumenti religiosam, ut ita dicam, divinationem quorumdam circa illud omni spe destituta curiositas. Et quamvis non paucis præpediar curis, & multorum librorum auxiliatricem copiam desiderem, pro mei ingenioli tenuitate qualiacumque scribam, nullus dubito, quin Viris eruditis æquanimiter accipiantur, æstimenturque. Non moror otiosorum garritus, sive risus, quibus me sacrorum studio vacare idonea videbatur ratio, ut profanis hisce ineptum haberent. Securus animi me longe alium promitto, non quod lenocinio quodam gloriolæ mea venditare gestiam, verum quod nunquam de me ipso velim tam humiliter sentire. At ajunt quidam: ecquid hæ nugæ ad moralem Oeconomiam? Quid ad Politiam humanam? Si id nugari est, fateor & ad curarum mearum remissionem huic me subcesivis horis ingenuum dare. Sed & otii mei habendam cedo rationem obgannientibus? Sacrum sit nihilum ultro commoveri, & cuilibet, quicquid ineptiant illi, operam dare. Verum quis hucusque verborum hic spumeus ambitus? Et ingenium excuso, & moras necto: sat nempe vanitati datum, & fatigata nimium impatiens exspectatio.

Age itaque quod in Monumenti hujus illustrationem scripturus expediam paucis, & promissis supersedeam. Duo igitur tractanda reor, quid arguatur ex figurarum in monumento sculptarum positione, & num Laconi sit illud erectum, dein

A quales Inscriptionis characteres, cujus ætatis, & quid notent speciale, licet multum detriti ac indistincti. Hæc quantum per me poterint: sed peccatum quod effugeram denuo pecco. Hoc tantum: Alcmanis Poetæ Laconis, quem 27. Olympiade floruisse perhibent Chronologi, Monumentum forte illud exstare, hujus erit conclusio Dissertationis.

Ad Figurarum quod attinet positionem, illud constare arbitror, cuidam cum jam deficere videretur & denasci, proximiores circumstantes ultima verba dare ultimis illius verbis exceptis, & majori de familia affinitatis vinculo conjunctam personam,
B morituri dexteræ dexteram conjungere, ultimum quod renuntiantis est funebre *Vale* dicentem. Inter alios, qui hæc observarunt suprema verba, Suetonius in *Augusto* c. 99. tradit in osculis Liviæ, & in hac voce defecisse, *Livia, conjugii nostri memor vive, ac vale*. Non tam enim morituro adsidentes, quam adsidentibus moriturus, hæc dicebant. Argylippus Plauti in *Asinar.* hunc morem mirifice explicat, qui cum a Philenii complexibus arceretur,

Vale, *inquit*, &c.

C Servius *in lib.* 2. *Æneid.* ad eum versum,

Sic, o sic positum affati discedite corpus.

Sensus talis est, præstate vos mihi funebre dictum, id est, affamini me, ut dici solet mortuis vale, vale, vale. Apud eundem Virgil. *l.* 11. Pallantem mortuum Æneas ita affatur:

—— *Salve æternum mihi maxime Palla,*
Æternumque vale.

D Ubi Servius: *De quibus verbis Varro in* Logistoricis *ait, ideo mortuis salve & vale dictum, non quod valere aut salvi esse possint, sed quod ab iis recedimus, eos nunquam visuri,* &c. *cum mortuo igitur dicitur, vale, non etymologia consideranda est, sed consuetudo, quod nullis vale dicimus, nisi a quibus recedamus.* Hoc totidem prope verbis idem Servius *in lib.* 5. *Æn. id.* tradit ad hæc verba:

Salve sancte Parens, iterum salvete recepti
Nequicquam cineres, animæque, umbræque paternæ.

E Ovidius lib. 6. *Metamorphos.* vers. 509.

Supremumque vale pleno singultibus ore
Dixisset.

Et *lib.* 8. vers. 717.

Mutua, dum licuit reddebant dicta, valeque
Conjuncti dixere simul.

Et *lib.* 10. verſ. 62.

Supremumque vale, quod jam vix auribus ille
Acciperet, dixit.

Idem lib. 4. *Faſtorum*: verſ. 851.

Oſculaque applicuit poſito ſuprema feretro,
Atque ait; Invito frater ademte, vale.

Synonymorum monumentorum hoc etiam innuunt Inſcriptiones mutas illorum referentes voces, qui *μνήμης* ergo & periſtylium, cum terra conderentur, mortuis erigebant, inſcriptum: Lapis Venetiis in Ædibus Grimanis:

ΔΟΔΟΡΑ ΧΡΗΣΤΗ
ΧΑΙΡΕ
ΚΑΙ ΣΥΓΕ.....
Dodora bona
Vale
Et tace.....

Hæc ſubſcripta periſtylio, in quo figura virilis ſtans dexteram dexteræ figuræ muliebris ſedentis conjungit. Alter apud Gualdos:

ΜΕΝΑΝΔΡΕ ΜΕΝΑΝΔΡΟΥ
ΧΡΗΣΤΕ ΧΑΙΡΕ
Menandre Menandri fili
bone Vale.

Non diſſimiliter ab alio ſuperſculpta huic Inſcriptioni figura muliebris ſtans, dexteram & dexteræ viri ſedentis, ad cujus ſiniſtram hæret puer, ſupremum porrigens. Multa poſſent Marmora Græca ejuſmodi produci, ea tamen videre licebit apud Monumentorum veterum collectores. Mortuis igitur proximiores periſtylium erigebant, in quo ritum hunc ſupremum exprimerent, addita epigraphe, qua mortuos valere æternum jubeant. Sicyonios ſic monumenta deſcripſiſſe Pauſanias *lib.* 2. *cap.* 7. Sicyoniorum refert, ſed prætermiſſis quibuſdam: *Αὐτοὶ δὲ Σικυώνιοι τὰ πολλὰ ἐοικότι τρόπῳ θάπτουσι. Τὸ μὲν σῶμα γῇ κρύπτουσιν· λίθου δὲ ἐποικοδομήσαντες κρηπῖδα, κίονας ἐφιστᾶσι, καὶ ἐπ' αὐτοῖς ἐπίθημα ποιοῦσι κατὰ τοὺς αἰετοὺς μάλιστα τοὺς ἐν τοῖς ναοῖς· ἐπίγραμμα δὲ ἄλλο μὲν γράφουσιν οὐδὲν, τὸ δὲ ὄνομα ἐφ' ἑαυτοῦ δὲ οὐ πατρόθεν ὑπειπόντες κελεύουσι τὸν νεκρὸν χαίρειν. Ad hunc modum autem fere ſuorum ſepeliunt cadavera. Corpus terra condunt: & lapidea baſi exſtructa columnas erigunt, ſuperpoſitis faſtigiis inſtar eorum, quæ in templis ſunt, & Græcis aquilæ dicuntur; inſcribentes vero nihil aliud præter nomen, patris prætermiſſo nomine mortuum valere jubent.* Nuda illis tamen Inſcriptio, Græciſque omnibus, ut Romanis etiam qui in Græcia defuncti eſſent, uſurpata, quod hiſce in marmoribus videre eſt. Aquis Sextiis ad ædem D. Nicolai:

ΝΙΚΩΝ ΑΓΑΘΩΝΟΣ
ΧΑΙΡΕ
Nicon Agathonis fili
Vale.

ΑΝΑΞΙΩΝ
ΕΥΜΗΤΙΩΝΟΣ
ΧΑΙΡΕ
Anaxion Eumetionis
Vale.

Comore in Hungaria ex Itiner. Ed. Bran:

ΙΤΑΛΜΥΡΙ ΕΥΨΥΧΕΙ ΜΕΓΑC
ΙΑΤΡΟC.
Italmyri bene vale magne
Medice.

Lariſſæ in Turcarum Cœmeterio:

ΟΝΗCΙΜΟC ΟΝΗCΙΜΟΥ
ΙΑΤΡΟΥ ΥΙΟC ΧΡΗCΤΕ
ΧΑΙΡΕ.
Oneſimus Oneſimi Medici
filius bone, Vale.

ΥΑΚΙΝΘΕ ΛΑΡΙΣΑΙΩΝ
ΔΗΜΟΣΙΕ ΗΡΩΣ
ΧΡΗΣΤΕ ΧΑΙΡΕ.
Hyacinthe Lariſſenſis civis
Heros bone, Vale.

ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΣ ΑΓΛΑΟΦΩΝ
ΤΟΣ ΚΥΖΙΚΗΝΟΣ ΧΑΙΡΕ
Apollodorus Aglaophontis
Cyzicenus, Vale.

ΝΙΚΗΦΟΡΟΣ
ΕΙΣΑΓΟΡΟΥ
ΗΡΩΣ ΧΑΙΡΕ.
Nicephorus Iſagori Heros, Vale.

ΠΑΡΜΟΝΗ ΠΑΡΜΕΝΙΣΚΟΥ
ΓΥΝΗ ΔΕ ΘΡΑΣΩΝΟΣ
ΗΡΩΣ ΧΡΗΣΤΗ ΧΑΙΡΕ.
Parmone Parmeniſci filia, uxor
autem Thraſonis, Heroina bona, Vale.

Ad uſum Sicyoniorum ſimplex Epitaphium in via ad Lebadiam:

ΗΡΑΚΛΕ
ΧΑΙΡΕ.

Patavii e Langerm.

MENOPHON
ET CALLICLEA SALVETE.

Romæ:

HAVE. AVE. HEROTION. ET.
VALE. AETERNOM. C.
CESTIVS FILIAE. P. C.

Apud Gruterum f. CLXIII.

VALE. TIBERI.

Sed quod ſic Monumenta quamplurima erigerentur abſque jam dicti ritus, ſcilicet *Vale* dicentium, & *Vale* excipientium, ſculptili expreſſione, nil obſtat conjecturæ noſtræ, quam ex figurarum in Monumento noſtro poſitione duximus. Sat aliis de hoc ſcriptum puto, & plura in medium afferens crambem mihi recoquere videor. Pro certo hoc habito, aut ſaltem probabili. Laconi erectum illud forte aſſeram. Et primo ex unica veſte ambas figuras viriles ſedentem ac ſtantem cooperiente. Unica enim veſtis Laconibus ex inſtituto Lycurgi, quæ toto anno geſtabatur. Xenophon: *Καὶ ἀντί γε τοῦ ἱματίοις διαθρύπτεσθαι, ἐνόμισεν ἑνὶ ἱματίῳ δι' ἔτους προσεθίζεσθαι· νομίζων οὕτω καὶ πρὸς ψύχη, καὶ*

πρὸς θάλπη ἄμεινον ἂν παρασκευάσασθαι. Id est, *Pro eo quod in vestibus luxuriarentur, statuit, ut ad unum vestimentum se anno toto adsuefacerent: putans eos hac ratione tum ad frigora, tum ad calores rectius instructos fore*. Hæc longa gestatione tenuis evadens, non secus ac Romanorum lacerna, τρίβων dicebatur scilicet, ut Festus *adtrita*. Ἐξωμίδα illam esse deduco: ἐξωμὶς enim erat tunica manicam unicam habens; hoc Pollux: Ἐξωμὶς δὲ περίβλημα, καὶ χιτὼν ἑτερομάσχαλος. Hanc licet Hesychius servorum & operariorum vestem asserat, attamen ingenuorum exstitisse declarat Aristophanes in *Lysistrata*, ubi cives senes ajunt;

Ἀλλὰ τὴν ἐξωμίδ' ἐκδυώμεθ' ὡς τὸν ἄνδρα δεῖ.

Sed & exomidem exuamus, ut virum decet.

Quod autem hæc esset vestis Lacedæmoniorum, Ælianus lib. 9. *Variæ Hist.* cap. 34. *Diogenes cum venisset Olympiam, & Rhodios quosdam adolescentes videret pretiosis vestibus amictos, inquit, hic est fastus. Dein cum incidisset in Lacedæmonios* ἐν ἐξωμίσι φαύλαις καὶ ῥυπώσαις, *in vili ac sordida exomide, hic, inquit, alius est fastus*. Proprium igitur exomidis, ut inde humeri exstarent. Cynici quod dexterum humerum exertum haberent ἐξωμίαι dicti, eorum tribonium ἐξωμὶς, ut multi adnotare. In veste autem nostrarum figurarum, & unica manica brachium sinistrum amiciens, & humerus dexter exertus habetur.

Secundo ex baculo præ manibus figuræ virilis, stantis, quem, ut Scholiastes Aristophanis *ad Aves*, ἐφόρων οἱ Λάκωνες. Graves enim baculos gestabant Lacedæmones; cum baculo autem prodire in Concionem solebant, quod moris destitit post excussum ab Alcandro viro adolescente respicientis * oculum, ut ex Plutarcho. Hicque, ut ex eodem in *Vita Niciæ*, erat Insigne Spartæ & dignitas. Et quod attinet ad illius materiam, dicam, ex agresti olea, cujusmodi fuisse legitur apud Apollon. Rhod. *lib.* 4. vers. 1439. ubi de aureis Hesperidum malis, nodosam & ponderosam Herculis clavam:

—— στιβαρὸν δ' ἔχεν ὄζον ἐλαίης,
Τόξά τε, τοῖσι πέλωρ τόδ' ἀπέφθισεν ἰοβολήσας.

Id est, *Robustum autem habebat ramum oleæ, sagittasque, quibus emissis hoc ingens monstrum interemit*. Festivissimus Lucianus donavit hujusmodi baculo, nempe qui esset e cotino, Antisthenem Philosophum, in *Dialog. Mort.* πάνυ καρτερὰν (βακτηρίαν) ἐκ κοτίνου ποιησάμενος, id est, *valde robustum (baculum) e cotino cum fecisset*.

Amycus Rex Bebricum, homo ferus, quique hospites nonnisi singulari excipiebat apud se certamine, solitus gestare baculum. Id quum Argonautæ eo adpulsi cognovissent, Tyndarides obtulit se huic pugnæ, & quum ad manus utrinque ventum esset, posita utrinque impedimenta ad majorem expeditionem. Et Rex quidem

—— καλαύροπά τε τρηχεῖαν
Κάββαλε, τὴν φορέεσκεν ὀρειτρεφέος κοτίνοιο.

Id est, *baculum durum projecit, quem ferebat e cotino*, &c. Apollon. Rhod. *lib.* 2. vers. 33.

Tertio ex corona, qua stanti figuræ virili circumdatum caput: coronæ enim in multis Laconibus usurpabantur. Vel in bello ante prælium, ita Rege edicente, sumebantur; Plutarchus in *Lycurgo*: Ἤδη δὲ συντεταγμένης ἅμα τῆς φάλαγγος αὐτῶν καὶ τῶν πολεμίων παρόντων ὁ βασιλεὺς ἅμα τὴν χίμαιραν ἐσφαγίζετο, καὶ στεφανοῦσθαι παρήγγελλε πᾶσι. Id est, *Jam instructa acie eorum, quum adesset hostis, Rex simul capellam immolabat, edicebatque, ut omnes coronam sumerent*. Vel erant insignia præmia rerum bene gestarum, eæque oleaginæ fiebant: tali corona Eurybiades donatus est, ut Herodotus *l.* 1. & Plutarchus in *Themistocle*. Vel erant Insigne libertatis & honoris, ideoque servi post manumissionem coronabantur, & id apud Græcos in universum, quod colligitur ex Thucydide *l.* 4. ubi de bis mille servis ἐστεφανώσαντο καὶ τὰ ἱερὰ περιῆλθον ὡς ἠλευθερωμένοι, id est, *quod coronabantur, & templa circuibant tanquam manumissi*. Vel in Olympicis Ludis Victori, hæcque ex olea agresti electa forte in coronamentum masculæ virtuti, quam quis professus esset, ex eo quod Herculis sacrorum horum certaminum auctoris pro comperto haberetur cotinum oleæ speciem, fuisse coronale gestamen. Et quidem apud Sophoclem Hercules ex hac agresti oliva rogum sibi strui vult ab Hyllo filio suo, nempe e fronde sibi admodum dilecta & propria. Sophocles *Trachin.* vers. 1203.

—— πολλὴν δ' ἄρσεν' ἐκτεμόνθ' ὁμοῦ
Ἄγριον ἔλαιον, σῶμα τοὐμὸν ἐμβαλεῖν.

Id est, *Et agresti olea mascula simul cæsa oportet te corpus meum superimponere*. Et credibile est hanc esse figuræ nostræ coronam, quum ex uno continuo ramo contexta sit, nec ex duobus ramulis, ut aliæ de quibus Pascalius. Et vero Hercules fratres suos κλάδῳ στεφανῶσαι κοτίνου coronavit ramo, non ramis, oleastri, ad quod exemplum laureola triumphantium, ideoque dicebatur Laureola: *Tantummodo ut haberem negotii, quod esset ad Laureolam satis*, Cic. *ep. fam.* lib 2.

Quarto ex raso quasi ad cutem capillo; licet enim Lycurgo institutum comam alere ad decorem adspectus, & in libertatis signum; non est dubitandum, quin multi ex Lacedæmoniis antiquum tonsuræ morem etiam retinuerint, ut Alcibiadem Lacedæmone exsulantem, & ad mores Laconicos sedulo se accommodantem inter alia habemus ad cutem rasum: videatur Plutarchus l. *de discr. adul. & am.*

Quinto ex barba earumdem, quod præter alia innuunt verba Nicandri apud eundem: Πυθομένου δέ τινος διὰ τί οἱ Σπαρτιᾶται κομῶσι, καὶ πωγωνοτροφοῦσι· ὅτι, ἔφη, πάντων κάλλιστος, καὶ ἀδαπανώτατος ἀνδρὶ ὁ ἴδιος κόσμος, id est, *Quærenti cur comam & barbam alerent Spartani: respondit, quia virum maxime ornat, & minimo sumtu constat proprius ornatus*.

Sexto ex calceis Laconicis, qui ut ex Hesychio ἀμυκλαΐδες dicti.

Tandem ex muliebrium figurarum peplo fibulis circa humeros constricto, ut cernitur in media, pallioque non a tribonio dissimili: nihil in contrarium innuente, quod supra genua decurtata vestis non appareat; virginibus enim hoc in usu, dicente Clem. Alex. l. 2. *Pædagog.* c. 10. οὐδὲ γὰρ ὑπὲρ γόνυ, καθάπερ τὰς Λακαίνας φασὶ παρθένους, ἐστολίσθαι καλὸν, id est, *non enim decorum, sicuti & Lacænæ virgines faciunt, decurtatam supra genua vestem deferre*. Præterquam quod sicuti & velatæ mulieres incedebant, verisimile est, & ad talos promissam tunicam usurpasse, quippe quæ non amplius virum quærebant, sed operam dabant ut maritos servarent.

* Lycurgi scil.

Nunc ad Inſcriptionis characteres deſcendamus explicandos. Ad rem igitur. Quum antiquitus Græci, eo quod Phœnices e ſtirpe Cadmi habuere Auctores, Phœnicum caracteres uſurparint, ut ex Plutarcho in *Dæmonio Socratis*, ubi narratur e ſepulchro Alcmenæ Thebis circa tempora Ageſilai effoſſam tabulam æream barbaris ſcriptam characteribus, typos Ægyptiorum referentibus juxta reſponſum conſulti Chonuphis Prophetarum Ægyptiorum doctiſſimi, quos Phœnicios exſtitiſſe contendit Bochartus; dein temporis curſu hujuſmodi characteres mutarint alios, alios ſervarint, alioſque proprios effecerint, ſitum & figuram natura duce invertentes; inoleta ratione ſcribendi, quæ boum verſuram imitabatur *βυςροφηδὸν* ab Heſychio vocabulo perquam aptiſſimo expreſſa, quoſdam ex iis in hoc pervetuſto Monumento noſtro Phœniciorum exſtare reliquias putaveram, & tales modo forſan aſſerere non dubito; aliter enim quidquam ex eis neſciam qui poſſet intelligi. Ego ipſe qua potui diligentia & fidelitate ex Marmore tranſcripſi, nec nimium facilis ab alio legere volui tranſcripta. Quotquot autem antiquorum Græcorum lingua & ſcriptura periti eſſent oculo acuto inſpecturi, hoc omnino, quod & ego, & nil aliud, forte minus perciperent. Adſunt hic Ʒ & Ƨ characteres, ut ego percipio correſpondentes Phœniciis ɰ & ϙ, ſuntque *ἐπίσημον σαῦπι*, & *ἐπίσημον κόππα*: Phœniciorum namque litterarum Græci ſitum inverterunt: ex 9 fecere B, ex ⅂, Γ, ex ⊣, E, & ſic de reliquis, quia ſitum cum ipſa ſcriptione mutari neceſſe fuit poſtquam dextrorſum ſcribi cœptum, natura duce; motus enim naturalis extrorſum eſt; unde quemadmodum linearum tractus, ita quoque litterarum ordo ſervandus erat. Et licet multis putidiſſimum hoc videatur commentum, uti Spartam ἀπὸ τῶν Σπαρτῶν ἀνδρῶν vocari, & Lacones τοῦ γένους τῶν Σπαρτιατῶν aſſerere, hæc dicentibus non Phœnicum, ſed Thebanorum oriundos exſtitiſſe, quod Thebis ſati homines coloniam deduxerint Lacedæmonem; attamen ſuppoſitum vindicatur quibuſdam vocibus ipſiſſimis apud Phœnices & Lacones, uti præ multis vox *τάιναρ* Phœniciis טינר *tinar*, quæ pro rupe in Paraphraſi Chaldæa paſſim occurrit; & vero lapidicinæ in Tænaro monte deſcribuntur a Strab. *lib.* 8. Item vox *Bela* pro Sole ut Heſychius: *Βέλα ἥλιος καὶ αὐγὴ ὑπὸ Λακώνων*. Bela autem Phœnices Solem vocabant, ſicuti notat Servius *in.* I. *Æneidos*. Et Philo Byblius de Sole, ex Sanchoniatonis Theologicis: *Τοῦτον γὰρ, φησὶ, θεὸν ἐνόμιζον μόνον οὐρανοῦ, Βεελσάμην καλοῦντες, ὅ ἐστι παρὰ Φοίνιξι κύριος οὐρανοῦ*. *Hunc enim, inquit, Deum putabant ſolum eſſe cœli dominum, Beelſamen vocantes, quod Phœnicum Lingua ſignificat cœli dominum*. Vox *malea* nomen promontorii ab Ortu Laconicum ſinum claudentis: factum eſt enim ex מתלעה *mathlaa*, vel *mathlea*, quæ vox ſignificat maxillam cum molaribus. Et vero Lycophron in *Caſſandra* verſu 94. appellat hoc ipſum Promontorium *Γαμφηλὰς ὄνου Maxillas aſini*; Strabo & Ptolomæus *ὄνου γνάθον* deſcribunt circa eadem loca, *maxillam* ſcilicet *aſini*, ſed a Malea diverſam; ſic citharam a קתרי *cethare*, id eſt, a petris, eo quod, ut Mercator in Cytheriis, *circa ipſam Inſulam ſparſi ſint plures ſcopuli*, & purpuræ, quod ſcopulis & calculis plurimum gaudere dixit Plin. *lib.* 14. *cap.* 15. circa hanc Inſulam multæ fuerint, unde *Porphyris* dicta eſt. Alia adducerem, ſed ſufficienter hiſce præmiſſis explicationi Inſcriptionis vacandum Dorica vel Æolica inſuavi Dialectorum, nec non primævorum Laconum, quæ ex dictis indicatur, vetuſta ætate, attentis.

... KMAN. ſupplerem veriſimilius quam detur *Ἀλκμᾶνι Alcman*.

O ΣΤΡΑΤΗΓΕΣ *ἀντὶ τοῦ ὁ ἐστρατεύσας*, *qui fuiſti militiæ Præfectus*.

.. ΣET, eroſa ſupple, & ſcribe *νίκες*, *victoria*, pro *νίκης*, ε pro η, ſic *διυδυμεύη* pro *διυδυμήνη*: prope Bajas ad portam Juliam:

ΘΕΑ. ΔΙΝΔΥΜΕΝΑ.
DEAE. DINDYMENAE.
EX. OPAC.

ΤΙΔΟΣΕ, *τι* pro *τοι*, verte, *tibi glorioſe*.

ΣΗΔΙΣ, lege *ab amantiſſima*, quam ſcilicet *ex amore ſingulariter curas*; a *κηδέω curo*, vel a *κέω uro*, quia ardentem curam ſignificat, qualem propinqui de ſe mutuo habent.

XIPA, a *χηρόω*, *viduo*, *vidua*.

XTE. dicerem ego Χρηστὲ abbreviatum, *bone*. Addam quod veriſimiliter ex Synonymis aliis, *χαῖρε*, *vale*, ſcilicet *recede*: invaluit namque conſuetudo ut pro diſcedendo *τὸ χαίρειν* ſumatur; ideo enim morituris & mortuis *ſalve*, aut *vale*, dicebatur, non quod valere, aut ſalvi eſſe poſſent, ſed quod ab eis recederetur non amplius videndis, de quo ſupra. Senſus ergo: *Alcman qui militiæ præfectus fuiſti, victoria tibi glorioſe ab amantiſſima vidua, bone, vale*.

... ΔH, *Jam*.

ΣΟΩΝ, *ἀπὸ τοῦ σείω*, *in fugam conjiciens*; ΥΜΕΤω, ad Hymetum, *ἀντὶ τοῦ Ὑμηττίῳ*: mons hic Athenis proximus .... ſuppleant alii, lacunam negligo quod dicere deſperans.

ΣΗΣΤΗΣ, *ἀντὶ τοῦ ξύστου*, *in Xyſto*, *ἀπὸ ξύω*, quia locus raſus & planus.

ΕΠΕωΣ, ſcilicet *ἐπ' ἕως* loco *τοῦ ἐπὶ τοῦ ἠῶς*, *ἠόος*, *aurora*, *lux diei* vertam ego, *quo die*.

HXEN pro *ἄγηχες*, th. *ἄγω*, *te exercuiſti*, *decertaſti*.

ΞΗΛΑ, pro *σέλα* a *σέλας*, hoc eſt, *jubar*, metaphorice hic pro *cum gloria*: ſic pro *κλείσω κλαξῶ*.

TON ΣΤΕΦΑΝΟΝ, *coronam*. Cætera confuſa, & ut cernitur multum detrita. Conjecturaliter ſenſum claudent hæc ſequentia: *præ cæteris decertantibus detuliſti*.

Ad ultima devenimus. ΕΣΗΚΕΣ pro *ὑπέρχες*, *ſuperans*, *excedens*. Ælianus: *καὶ ἑώρων φάσμα τὸ μέγεθος ὑπερῆκον πέρα, καὶ ἀνωτέρω τοῦ ἱστοῦ*, id eſt, *& videbant ſpectrum, quod navis malum magnitudine ſuperabat*.

ΡΕΔΗΣ. ΠΡ. ΕΤΙΟΤω. ΣΑΙΖΟΝΕΤΣΕ ΑΝ... &c.

Sed mittam Grammaticorum tricas, cum nonniſi per conjecturæ viam in omnibus procedere datum ſit: tam detriti & confuſi characteres, forte & fabrili imperitia, vel tunc temporis ſpeciali dialecto aliqua & nobis ignota inſcripti. Quod de illis intelligibile veriſimiliter eruam hoc eſt, *Qui excedens rheda, antea paratus fato, fortis exſtitiſti*. Verum quid hæc omnia? Monumentum hoc erectum Alcmani Poetæ ex Meſſoa agri Laconici loco, quem floruiſſe conſtat ann 2. Olymp. XXVII. uſque ad ann. 4. Olymp. XXX. Urb. C. 99. M. C. 3399. ante communem Chriſtianorum Æram 655. Quod *στρατηγὸς* Poeta renunciaretur, Tyrtæi Archimboti fil. notatur exemplum; licet enim nemo ex his qui de rebus Laconicis ſcripſerunt nec ullum verbum de hac *στρατηγοῦ* dignitate habeant: Suidas verbo Τυρταῖος: *χρήσαντος δὲ τοῦ θεοῦ στρατηγὸν παρὰ τῶν Ἀθηναίων λαβεῖν, λαμβάνουσι Τυρταῖον τὸν Ποιητὴν*, id eſt, *cum autem deus edito oraculo juſſiſſet eos στρατηγὸν ducem ſcilicet ab Athenienſibus accipere, Tyrtæum Poetam hominem claudum accepere*. Ob quam claruerit vi-

A ctoriam non constat; forte contra Athenienses, quum de Hymeto monte Athenis imminente innuatur in inscriptione. In Xysto, quocunque se die exerceret, coronam cum gloria detulisse, & demum in ardua aliqua actione fortiter & strenue occubuisse decertantem apparet, & verisimiliter ex eo quod nonnisi in prælio occumbentibus, & de Republica bene merentibus monumenta erigerentur inscripta, uti ex Plutarcho in *Lycurgo*: ἐπιγράψαι τοὔνομα θάψαντας οὐκ ἐξῆν τοῦ νεκροῦ πλὴν ἀνδρὸς ἐν πολέμῳ, &c. id est, *qui vos sepeliebant nomen mortui inscribere monumentis non poterant, nisi viri, qui in bello concesserat*. Hic vindican- **B** dum reor Antigonum Carystium a censura Meursii dicentis, memoria lapsum esse in sua *Hist. mirabil.* cap. XCV. tradendo morbo pediculari obiisse Alcmæonem: Alcman enim juxta Aristotelem in *Hist. Anim.* inter eos recensendus qui phthiriasi obierunt: καὶ διεφθάρησαν τινὲς ἤδη τοῦτον τὸν τρόπον, ὥσπερ Αλκμᾶνά τε Ποιητὴν, καὶ Φερεκύδην τὸν Σύρον; verba Aristotelis vel mendosa sunt, & legendum ὥσπερ Αλκμαίωνα τε φυσικὸν, pro Αλκμᾶνά τε Ποιητὴν, vel de alio Alcmane intelligenda, quem verbo Αλκμὰν Suidas unum e Lyricis exstitisse refert: ἐστὶ δὲ καὶ ἕτερος Αλκμὰν εἷς τῶν Λυρικῶν, ὃν ἤνεγκεν ἡ Μεσσήνη, id est, *est & alius Alcman unus e Lyri-* **C** *cis, quem Messene tulit*. Vel intelligendus Antigonus de Alcmæone, quem ex illis Poetis exstitisse proditum est, (ut Gyraldus & Patritius ajunt) qui Musas Cœli filias & Terræ fecerunt; & licet a Vossio & Scaligero pro Alcmæone Alcman legatur; quum hic secundum Eusebium Olymp. XXX. an. IV. clarere incœperit, ut & Lesches Lesbius, nec noster Alcman habendus est, qui 27. floruit. Ego Alcmæonem, & non Alcmanem morbo pediculari obiisse juxta Antigoni relata dicam, & eo magis quod ex hoc Monumento contrarium deducimus. Superest Rheda, de qua Quintilianus *lib. 1. cap. 9. Plurima Gallica valuerunt, ut Rheda, Petoritum quoque, quorum altero Cicero tamen, altero Horatius utitur*. Currum bellicum dicam, quum & Chaldæis רדון *Rhidvan*, cujus plurale legitur in Jonathanis & in Jerosolymitana Paraphrasi *Exod.* 14. 25. ubi de bellicis Ægyptiorum curribus. Alcman igitur sedens forte pro curru bellico Fato cedere debuit. Forte hoc illud est, quod innuit Pausanias *lib. 3.* ipsi erectum: τοῦ Σεβρίου ἐστὶν ἐν δεξιᾷ μνῆμα Αλκμᾶνος, *ad Sebrii dexteram exstat monumentum Alcmanis*. A quo illi erectum? A conjuge, quod appareat ex præhabitis. Num hæc Megalostrata, quam tantopere deperibat. Aliis examinandum scrupulose relinquo. Laconicus & ipse ad calcem sermonis & conjecturæ brevius quam volebam deveni: quod sic sagax & eruditus Vir Nicolaus Bon J. U. D. amicis plausibus arriserit.

Reliquum, Characteres ω, H, Z, Alphabeto Græco non adjectas a Simonide, quem vixisse ait Eusebius Olymp. LXI. Ƶ non esse ≷ ita quod non ἐπίσημον σάνπι sit, sed Ξ: adest enim hic ⌶ æquivalens litteræ Ξ. Ƹ in Græcis marmoribus nunquam vidi, nec in aliis, tantum excipias Hetrusca, in quibus similis sed inversa figura legitur Ʒ. Scripsi, si quid melius aliquis confidit afferere, ne parcat perituræ chartæ, sed de Republica litteraria benemeriturus exeat; ego namque in silentium compositus cedo explicandum adhuc, si Diis placet, Monumentum.

F I N I S.



JACOBI ANDREÆ CRUSII

DE NOCTE

ET

NOCTURNIS OFFICIIS

APUD VETERES

COMMENTATIO.

A U C T O R
A D
L E C T O R E M.



PAucos ante annos in publicum prodire paſſus DE NOCTE Tractatulum, quem cum viderem in manibus verſari virorum etiam eximiorum, nec non aliquoties typis deſcriptum me inſcio, a laboribus Academicis, quibus adhuc conſtringor, decerpſi ordinariis temporis tantum, ut reviderem ſtudiorum primitias, quas adoleſcens annorum 14. edidiſſem. Relegi itaque & addidi prioribus addenda, haud dubie gratiora, & exornavi pluribus ornatu digniore, quibus ut bene conſulat dominus Lector, meque ad graviora Deo auſpice aliquando obligatum habeat, velim.

I N D E X C A P I T U M.

JACOBI ANDREÆ CRUSII

DE NOCTE ET NOCTURNIS OFFICIIS APUD VETERES COMMENTATIO.

CAPUT I.

Quod viam subjectæ materiæ sternit, & suscepti Operis causas exponit.

SUMMARIA.

1. *Labor non necessarius non labor dicendus.*
2. *Quinam de nocturno tempore scripserint?*
3. *Quale argumentum illustrandum sibi sumere debeant, qui experiri famam scribendo volunt?*
4. *Nox plurima commoda humano generi præstat.*
5. *Nocte urgenda consilia, & lucubrationes nocturnæ commendantur.*
6. *Christiani in primitiva Ecclesia hymnis & precibus nocturnis Deum coluerunt.*
7. *Nocte eduxit Deus populum Israeliticum ex servitute Ægyptiaca.*
8. *Nocte Paschali olim lavacri mysteria peracta fuerunt.*
9. *Nocte media Christus humani generis Restaurator natus; ea Nox omni luce clarior in Hispania, aliisve locis fuit.*
10. *Nocte, secundum traditionem multorum, Sibyllarumque vaticinia, reventurus Christus ad extremum judicium.*
11. *Multi ex Veteribus statuerunt noctes priores diebus fuisse.*
12. *Ægyptii & Athenienses diem a Solis occasu, Romani a media nocte ordiri soliti fuere.*
13. *Ejusce rei rationes redduntur.*
14. *Quid dies civilis ac naturalis?*



Solent ii, qui fœtus ingenii sui lucem salutare satagunt, duobus præcipue argumentis niti, quorum alterum in eo versatur, ut causas suscepti Operis explicent, alterum, ut aliquid, quod ad laudes ejus Libri pertinet, dicant. Quod ut decenter fiat, & nonnihil humanæ naturæ vitio, quo probitas & virtus livori & calumniæ subjacere solent, occurratur, ego idem subveritus, neque inscius, plures vitio hoc animi magis, quam veritate ad id impellente in aliorum censendis laboribus nimis ingeniosos videri velle, operæ precium esse duxi, causas instituti mei, ne quis temeritatis vel arrogantiæ me arguat, proferre. Nec enim me præterit, non defuturos, qui mihi objicient istud Nazianzeni:

Ἔργον πάρεργον οὐδαμῶς ἔργον λέγω,
Τῶν γὰρ παρέργων καὶ καταφρονητέον.

Laborem non necessarium nequaquam laborem voco, Nam non necessaria negligenda sunt.

Vid. Clement. Alexandrin. lib. 5. *Stromat.* & Athen. *lib.* 5. *cap.* 2. eorum tamen sermones præterfluere sino, utpote calumniandi animo effusos. Est enim ita fere comparatum, si nostri seculi mores paulo penitius inspicias, ut, qui se solos sapere existimant, virtutis propriæ specimina extollant, aliorum tanquam inutilia & non magni momenti reprehendere festinent, hi ipsi sunt, qui alieni nominis ruina gradum sibi faciunt ad gloriam suam, ut Scaliger in fine *Subtilit. ad Cardan.* loquitur, quorum hominum non judicia tantum, sed & præjudicia, censuras, obtrectationes, reprehensiones in hoc toto scriptionis genere confertim quasi collatis signis in procinctu undique me circumsidere prospicio, quæ si magnifacerem, non sustinuissem præsentem Tractatum nostrum luci publicæ exponere. Cæterum, ut causas suscepti Operis proponerem, non parum ad declinandam malevolorum obtrectationem facere visum fuit, ac primo omnium movit me, non tam argumenti præstantia, quam quod nemo hactenus pro dignitate exponere illustrem alioquin hanc materiam aggressus fuerit.

2. Polydorum Ripam excipio, quem clarissimum JCtum, & sui temporis ornamentum, uti sua laude non privamus, sed potius ejus industriam, quam ad illustrandam præsentem materiam contulit, extollimus; crassior tamen est inter nos quam inter Pyramum & Thisbem paries, ut Tiraquellus in *præfat. L. si unquam. num.* 2. loquitur, id quod legentibus facile apparebit. Præter illum nemo nobis occurrit, qui ex professo hanc illustrarit materiam, & de nocturno tempore scripserit; Theodosius tamen Tripolita Mathematicus insignis, quem circa tempora Pompeii Magni vixisse suspicor, de diebus & noctibus libros duos posteritati reliquit, qui ad manus meas hucusque non pervenerunt.

3. Equidem ita mihi semper visum fuit, bene eos agere, qui, dum facere ingenii periculum & experiri famam scribendo voluerunt, non sibi ejusmodi argumentum delegant, in quo jam ante alii cum magna & undique absoluta laude versati fuere, sed quod aut nemo tractaverit hactenus, aut si quis tractaverit, non absolute admodum tractarit. In novis sane vel solus conatus laude dignus; ast qui jam ante tradita novis iisque præclaris atque egregiis accessionibus augent, infra gloriam sunt. Cæterum, involare aliorum labores & venditare pro suis, causa prostituti pudoris est plagiique crimen incurrit. Benignum potius & plenum ingenui pudoris fateri, per quos profeceris, ait C. Plin. Secundus in *Præfat. Nat. Histor.* ad Vespasianum, quem ipsum tamen diligentem potius transcriptorem alienæ industriæ,

quam naturæ observatorem fuisse observavit Nicolaus Leonicenus Medicus peritissimus, qui Anno Christi 1491. floruit. Et Scaliger 1.*Hist.animal.f.*103. de Plinio hæc habet: *Plinius, qui cum corpus nullum secuisset, animalia perpauca nota haberet, herbam nullam eruisset, e libris Librum confecit suum. Itaque recitator ille sæpe fallitur, ubi versatur in campo Philosophiæ*.

4. Porro considerandas cuique propono innumerabiles utilitates ac peculiaria commoda Noctis, quæ universo generi humano Nox, Deo ita providente, tribuit; etenim,

Nocte leves somnos resolutus compede fossor
Carpit, & in mediis nauta quiescit aquis.
Nocte leves somnos carpit defessus arator,
Nocte quies ventis, Jonioque mari.

Hinc Lucius Annæus Seneca (quem in catalogum Sanctorum retulit Hieronymus, annotante Sixto Senensi in *Bibliotb. sanct.* lib. 2. lit. P. voce *Paulus*) de Remediis fortuitorum, *habet & nox quoque suas voluptates*, ait.

5. Non exponam heic multis, quod noctu consilia urgenda, de quibus infra amplior dicendi locus, quam ob causam Scopelianus, celebris ille Philosophus ac Sophista, noctu utplurimum studiis incumbens, absoluto studiorum penso, subinde hæc verba repetebat. O nox, tu quidem sapientiæ divinæ obtines plurimum! Agellius (liceat eum pace Criticorum ita appellare) de se ipso in fine *Noctium suarum Atticarum* refert, Noctes suas Atticas noctu utplurimum se elaborasse; de eo Hadrianus Junius, *Scripta sua Noctes Atticas vocavit*, inquit, *glorioso nocturnæ lucubrationis argumento*. Artaxerxem magnum commentariis rerum gestarum conscribendis noctu invigilasse accepimus; ut prætercam Aristotelem, de quo Laertius in *ejus Vita*, & Alexandrum Magnum, de quo Ammianus Marcellinus *lib.* 16. Zasius in *L. eum qui § ff. hominem D. d. V. O. num.* 16. de se refert, multa sese cogitasse etiam de nocte, ibi: Multa mihi cogitanti etiam de noctibus, hinc Laurent. de Palat. in princ. tractat. *de Statut.* nullam acriorem nullamve aptiorem cogitationem studentibus ait esse quam nocturnam. Forstnerus in *Continuat. Not. Polit. ad lib.* 12. *cap.* 5. *Annal. Taciti* de JCto Germano noctem lucubrationibus transigente ita scribit: *Memini de quodam JCto Germano noctem lucubrationibus transigente recitari, nocte quoque nullo luminis usu ex nigro marmoretabulam ad lectum appensam habuisse, cui creta, quæcumque noctis amica silentia suggerebant, inscribebat*.

6. Christiani quoque in primitiva Ecclesia quam diligenter convenerunt, & silentio noctis Deum hymnis celebrarunt. Sic Plinius, licet Ethnicus, antelucanas preces, ex inquisitione sibi compertas, in *epist. ad Trajanum Cæsarem* commemorat: *Affirmabant*, ait, *banc fuisse suæ culpæ vel erroris summam, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi* DEO *canere*, &c. Ita de usu Psalmodiarum nocte usitatarum Clericis Ecclesiæ Neocæsarianæ Basilius Magnus: Ἐκ νυκτὸς, ait, γὰρ ὀδρίζει * παρ' ἡμῖν ὁ λαὸς ἐπὶ οἶκον τῆς προσευχῆς, &c. id est, *De nocte populus consurgens antelucano tempore domum precationis petit*. Cassianus professus se de nocturno orandi modo, de quo libellum condidit, antiquissimam Patrum constitutionem, quæ per totam Ægyptum a Dei famulis custodiatur, proferre, inter alia monet, ut, qui ad preces excitat, prædefinitas noctis horas observet: „ Non passim, *inquit*, ut libitum est, nec prout „ nocte fuerit expergefactus, ut opportunitas pro-

A „ prii somni vel insomnii eum coarctat, fratres etiam ad quotidianas vigilias excitare præsumat, „ sed quamvis eum consuetudo diurna evigilare hora solita compellat, tamen sollicite & frequenter „ ex stellarum cursu, (*unde patet horologia ipsis defuisse*) præstitutum congregationis tempus exploret, & sic ad orationum officia eos invitet, ne in „ alterutro incautus inveniatur, si vel oppressus „ somno statutam noctis horam transgrediatur, vel „ ad eandem dormiturus atque festinus ad somnum „ anticipet, nec tam officio spirituali vel quieti omnium deservisse, quam suæ quieti satisfecisse B „ credatur. Hæc Cassianus. Unde constat, quam sancte nocturnas orandi horas Veteres attenderint. De iisdem Cassiodorus in *Prologo Psalmorum*: *Psalmi sunt*, inquit, *qui nobis gratas faciunt esse vigilias, quando silenti nocte, psallentibus choris humana vox prorumpit in musicam, verbisque ante † modulatis ad illum redire facit, a quo pro salute humani generis divinum venit eloquium*. Ipsum Salvatorem nostrum JESUM CHRISTUM, cujus actio nostra est institutio, non interdiu tantum, sed & noctu orasse *Matth.* 14. *v.* 23. legimus. Vid. Guilhelm. Minutensis Ecclesiæ Episcopum in *Rationali divinorum officiorum* lib. 5.

C 7. Porro nocte profunda Deus educere voluit populum suum Israeliten e servitute Ægyptiaca, *Exod.* 12. *v.* 24. qua de re pias sancti Patres foverunt cogitationes. Ipse Deus opt. Max. *d. l. Nox ista est observabilis Domini, quando eduxit eos de terra Ægypti, banc observare debent omnes filii Israel in generationibus suis*.

8. Nocte Paschali olim lavacri mysteria peracta fuisse ex S. Patrum scriptis late juxta ac erudite annotavit Barnabas Brissonius JCtus egregius in *Comment. in. L. Domin. de Spectac. in Cod. Theod. & in L. omnes dies. C. de Feriis*.

D 9. Noctu Restaurator generis humani Jesus Christus nasci voluit testantibus Evangelistis. Damascenus scribit noctem mediam in claritatem diei versam fuisse. Wolf. cent. 1. *Lection. mem. & recondit.* Joannes Vasæus in *Chronico Hispaniæ*: *qua nocte*, ait, *natus est Jesus Christus, illuxit universæ Hispaniæ nubes candida, tantæ claritatis atque etiam caloris, ut instar Solis esset meridiani*. Verum non soli hoc contigit Hispaniæ, siquidem eam noctem omni luce clariorem fuisse scribit in *Sermone de nativitate Christi* D. Cyprianus, sive quisquis est illius Auctor, qui certe fuisse pius & eruditus negari nec potest, nec debet.

E 10. Nocte profunda Christum venturum ad judicandum vivos & mortuos non pauci tradunt, qui ipse nos toties vigilare & orare jubeat, *Apocal.* 16. v. 15. & cap. 3. v. 3. *Matth.* 24. v. 42. & seqq. & c. 25. v. 13. *Luc.* 12. v. 37. & 38. *Vigilate*, ait CHRISTUS apud *Marcum* cap. 13. v. 35. *nescitis enim, quando dominus domus veniat: sero, an media nocte, an galli cantu, an mane, ne, cum venerit, repente inveniat vos dormientes*. Huc spectavit quidam ex Veteribus, quando dicit: Traditio Judæorum est Christum media nocte venturum in similitudine temporis Ægyptiaci, quando Pascha celebratum est: *Ecce exterminator venit, & Dominus super taF bernacula transiit, & sanguine agni postes nostratium frontium consecrati sunt*. Hinc traditio Apostolica mansit, ut in die vigiliarum Paschæ ante noctis dimidium populum dimittere non liceat, exspectantes adventum CHRISTI, & postquam illud tempus transierit, securitate præsumta festum celebretur, Camerar. *Horar. Subcisivar.* Cent. 1. cap. 41. Lactantius *de divino præmio* lib. 7. cap. 19. *Aperietur*, inquit, *cælum medium, intempesta & tenebrosa nocte, ut in Orbe toto lumen descendentis Dei*,

* Leg. ὀρθρίζει.

† Vid. leg. *arte*.

tanquam fulgur appareat. Idem *Sybilla* his versibus elocuta est:

—— ὁππότ' ἂν ἔλθῃ,
Πῦρ ἔσαι, σκότος ἐν τῇ μέσσῃ νυκτὶ μελαίνῃ.
—— *quum veniet*,
Ignis erit, tenebræque in medio noctis obscuræ.

11. Cæterum non paucos in ea opinione fuisse reperio, quasi noctes diebus priores antiquioresve fuissent, testante id Alex. ab Alex. *Gen. Dier.* lib. 4. cap. 20. hinc plerique gentium eximia noctis commoda haud ignorantes diem a nocte vel occasu Solis incœperunt.

12. Ita Ægyptii & Athenienses diem a Solis occasu ordiri & ad alterum occidentem terminare soliti fuerunt, testantibus Plinio *lib. 2. cap. 27.* Plutarcho *Problemat.* cap. 84. Agell. *Noct. Atticar.* lib. 3. cap. 2. Censorino in lib. *de Die Natal.* Macrob. lib. 1. *Saturnal.* cap. 3. Serv. *in lib. 5. Æneid. Virg.* Andr. Tiraquell. in tract. *Retractuum* tit. 1. cap. 1. gloss. 2. in verbo, *Et diem*, num. 1. & multis seqq. Vid. eundem in *Notis ad Alex. ab Alex. lib. 4. c. 20.* Chrysostomus de Judæis idem tradit in *Homil.* 51. post princ. eos a vespera diem incipere, quanquam D. Augustinus lib. 1. *in Genesin adversus Manichæos*, interpretans illud principium Genesis, *Et factum est vespere & mane dies unus*, contrarium teneat. Manichæi enim censebant, diem a vespera incipere, quod refutavit Augustinus *dict. loco*. Idem Galli antiquitus facere consueverunt: hi enim spatia omnis temporis, non numero dierum, sed noctium definiebant, & dies natales & mensium initia sic observabant, ut noctem dies subsequeretur, ut scribit Cæsar lib. 2. *de Bello Gallico*. Romani a media nocte ad mediam noctem proximam diem determinabant, teste Varrone in libro *Rerum humanarum*. Proinde Paulus JCtus in *L. more Romano* 8. *D. de Feriis*: *More Romano*, ait, *dies a media nocte incipit, & sequentis noctis media parte finitur: itaque quidquid in his viginti quatuor horis* (id est, duabus dimidiatis noctibus & luce media) *actum est, perinde est quasi quavis hora lucis actum esset*. Vid. Mignon. ad *Consuet. Andegav.* fol. 5. col. 2. num. 1. 2. 3. 4. Gædd. ad *L. 2. §. 1. D. d. V. S.*

13. Plutarchus in *Quæst. Roman.* cap. 84. plurimas rationes, quare Romani media nocte diem incœperint, adducit: Διὰ τί τὴν τῆς ἡμέρας ἀρχὴν ἐκ μέσης νυκτὸς λαμβάνουσι; Πότερον ὅτι ἡ πολιτεία στρατιωτικὴν ἐν ἀρχῇ σύνταξιν εἶχε; τὰ δὲ πολλὰ νύκτωρ ἐν ταῖς στρατείαις προλαμβάνεται τῶν χρησίμων. Ἢ πράξεως μὲν ἐποιοῦντο τὴν ἀνατολὴν, παρασκευῆς δὲ τὴν νύκτα; &c. *Cur*, inquit, *diei principium de media nocte numerant? An quod Respublica ab initio militari more & instituto constituta est? in re autem militari multa noctu utiliter occupantur. An diei ortum agendi principium esse voluerunt, noctem vero consilii & apparationis?* &c. Cæl. lib. 11. cap. 1. *Antiq. Lect.* tradit Romanos idcirco civilis diei initia a media nocte duxisse, ut Solis exortus esset quidem operis initium, tempus vero, quod præcedit, apparatui impenderetur. Quippe paratos instructosque obire negotia oportet, non inter obeundum instrui appararive. Hoc autem tempus a media nocte ad sequentis noctis mediam partem, de quo Paulus in *dict. L. 8. D. de Feriis*, diem civilem Romani appellarunt, Cujac. lib. 15. *Observat.* 32. Plin. *lib. 2. cap. 77. & lib. 7. cap. 6.* Agell. *Noct. Atticar.* lib. 3. cap. 2. Macrob. lib. 1. *Saturnal.* cap. 3.

14. Censorinus civilem diem his verbis describit: *Civilis dies vocatur tempus, quod fit uno cæli circumactu, quo dies verus, & nox continetur: ut cum dicimus, aliquem dies 30. tantum vixisse, relinquitur etiam noctes intelligere*. Hujusmodi dies plerique populi a nocte auspicati fuerant, ut memorant Varro in lib. *Rerum humanarum*, Tullius in *Auguralibus*, Agell. *d. l.* Beda in lib. *de Ratione temporum* cap. 2. & iterum in lib. *de Natura rerum* cap. 5. Andreas Tiraquellus in Tract. *Retractuum* tit. 1. gloss. 21. d. 1. num. 1. *Civilem diem* Græci νυχθήμερον appellant, quia est noctis & diei artificialium completum spatium. Johanni Willio in *Rudiment. doct. Sph.* cap. civilis dies est spatium viginti quatuor horarum æquinoctialium, quo scilicet Sol ad eundem Horizontis aut Meridiani semicirculum redit. Distinguitur autem dies naturalis a civili. Naturalis enim, ut a Censorino scriptum est, tempus dicitur ab oriente Sole ad ejus occasum. Convenit hæc definitio cum illa Basilii *Homilia* 6. Ἡμέρα ἐστὶ χρόνου μέτρον, ἐν ᾧ ἐν τῷ ὑπὲρ γῆν ἡμισφαιρίῳ ὁ Ἥλιος διατρίβει, id est, *Dies est temporis mensura, qua Sol superius permeat hemisphærium*. Breviter, sed eleganter Isid. *lib. 5. cap. 3.* diem naturalem definit; *Dies est*, ait, *præsentia Solis*, hoc est, *tempus, quo Sol præsens est*. Isidorum secuti fuere e nostris Freder. de Sen. *Cons.* 44. & Cardinal. Tusch. *Practic. Conclus. Conclus.* 407. *lit. d.* voce *dies*, qui diem tum esse dicunt, quando Sol est super terram. Hac significatione sumenda definitio diei, quam proponit divinus Philosophus Plato in *Dialogo de Definitionibus* his verbis: *Dies, Solis ab Oriente ad Occidentem iter*; quo etiam spectavit Socrates apud Platonem in *Cratylo* sive *de recta Nominum ratione*, de vocis ἡμέρας derivatione disserens: *Scis igitur*, ait, *vetusto illo nomine tantum mentem ejus, qui nomen imposuit, declarari. Nam ex eo, quod ἱμείρουσιν, id est, desiderantibus hominibus gratulantibusque e tenebris lumen emicuit, diem ἱμέραν cognominarunt*. Hujus naturalis diei principium *Mane* appellavere Antiqui, vel quia tunc manet ab Oriente dies, ut tradit Varro lib. 5. *de Lingua Latina*, vel quia ab inferis locis, id est, manibus veniat: aut (quod verius existimat Macrobius lib. 1. *Saturnal.* cap. 3.) boni ominis causa. *Mane* enim Veteres bonum dicebant; *Occasus* vero suprema tempestas dicebatur: unde illud ex duodecim Tabularum Legibus, quas Decemvirales nuncupamus, apud Macrobium & Censorinum: *Suprema tempestas Solis occasus esto*. Post aliquot annos autem adjectus est *meridies*, Accenso Consulum id pronunciante, ut scribit Plinius *lib. 7. cap. 60.* unde hoc proclamat, *Ubi primum* Accensus *clamarit meridiem*, Varro lib. 5. *de Ling. Lat.* qui dicit præconem *Accensum* dictum, quod acciebat. Ex prædictis constat, quod utriusque diei naturalis & civilis diversus usus, differentia & effectus sit in Jure nostro. Naturalis diei usus & effectus occurrit in *L. 6. D. de oblig. & act. L. 23. §. 1. D. de acquir. rerum domin. L. 45. §. 1. D. eod. L. 2. §. 1. D. d. V. S.* ubi Paulus: Cujusque diei major pars est horarum septem primarum diei, non supremarum, Gædd. *ibidem*. Civilis diei *in L. 9. D. de usucap. L. 5. Qui testam. fac. poss. L. 8. D. de muner. & honor. L. 8. D. de Feriis*. Hic incœptus pro completo habetur; ille non: hic civiliter sine momentis a die in diem numeratur, ac totus computatur, licet nec dum sit exactus; ille stricto modo a momento in momentum non totus, nisi penitus sit exactus, computatur; hic in iis, quæ ad jus & leges spectant, potissimum consideratur; ille in his, quæ ad factum naturalemque actionem pertinent, Plin. *lib. 18. cap. 25.* Gædd. *ad L. 2. §. 1. D. de V. S.* Hucusque causas suscepti Operis exponere, & ex plurimis quasdam in medium afferre volui, ne quis me inutilem laborem suscepisse existimet; recte enim Nazianzenus *loco* supra a nobis *laudato* laborem non necessarium ne quidem labo-

rem vocandum existimat. Operam autem dedi, ut quicquid Veterum monumenta evolvendo notatu dignum mihi occurreret, quod hanc spectaret materiam, huc referrem, & fundamenta jacerem, quibus si quis velit superstruere speciosiora, quod felicioribus ingeniis relinquendum, adeo me invidentem non habebit, ut ultro & gratiam eidem referre velim. Cæterum videamus, *Quæ origo Noctis; quidve de ea Gentiles commenti, deinde quid Nox sit*, de qua hanc suscepimus tractationem, id quod capite sequenti docebimus.

CAP. II.

De Origine & Definitione Noctis.

SUMMARIA.

1. *Nox quid sit, maximopere expedit scire.*
2. *Nox aggravare delicta solet.*
3. *Actus clam & nocturno tempore gesti æquiparantur.*
4. *De noctis origine varia commenti Gentiles.*
5. *Nox unde dicatur?*
6. *Noctis definitiones ex variis Scriptoribus proponuntur, & examinantur.*
7. *Nox in nova Zembla aliquot mensibus continuis perdurat, & in quadam Scandiæ parte 40. diebus continua Nox.*
8. *De tenebris Ægyptiacis disquiritur.*
9. *Nox LL. 12. Tabularum quando esse dicatur?*
10. *Crepusculum proprie nox non dicitur, nec quod crepusculo perpetratum, perinde ac si noctu factum, puniendum.*
11. *In bello Nox est & dicitur excubiis factis.*
12. *In quibusdam Rebuspublicis Nox dicitur pulsata campana.*
13. *Quæ vis verbi pernoctare, simul explicata L.166 §. 1. D. d. V. S. & alii Juris textus.*

1. NOx quid sit, maximopere expedit scire, quandoquidem de negotiis tam civilibus quam criminalibus sæpius quæstiones suboriuntur, utrumne factum aliquid perpetratumve nocturno tempore, cum nox plerunque aggravare delicta soleat.

2. Andr. Tiraquell. *de pœn. temp. aut remitt. Caus.* 57. *num.* 4. Farinac. *quæst. crim.* 18. *n.* 16. & interfit Reipublicæ eo tempore pacem & tranquillitatem populi magis conservari; & alioquin constat, quod ex actu, nocturno tempore gesto, clandestinitatis vitium inducatur, & a Dd. plerunque actus clam & nocturno tempore celebrati æquiparentur, qua de re pluribus infra.

3. Priusquam autem Noctis definitionem proponamus, necesse est, ut paucis videamus ejus Originem. Et quidem DEO Opt. Max. Noctis originem adscribendam nos Christiani novimus, edocti ex *Genes.* 1. v. 5. *Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem, quod esset bona: & divisit lucem a tenebris. Appellavitque* [DEUS] *lucem diem, & tenebras noctem.*

4. Gentiles varia de Noctis origine commenti fuere. Alii enim Noctem ex ipsa informi materia, quæ Chaos dicitur, natam esse putarunt; in qua sententia post alios fuit Hesiodus in *Theogonia* vers. 123.

Ἐκ Χάεος δ' Ἔρεβός τε μέλαινά τε Νὺξ ἐγένοντο.
Inde Chao est Erebus, Nox & tenebrosa creati.

A Alii ex Erebo natam Noctem existimarunt, cujus sententiæ fuit Varro notante Festo, & quem infiniti alii secuti, moti præprimis ejus auctoritate. *Varro enim*, ait Augustinus lib. VI. *de Civ. DEI* cap. 2. *tam multa legit, ut aliquid ei scribere vacasse miremur, tam multa scripsit, quam multa vix quenquam legere potuisse credamus.* Aristophanes aliique Cupidinis filiam Noctem fuisse scripserunt; quæ sententia quoque placuit Orpheo in *Argonauticis* vers. 14.

B
—— καὶ διφυῆ περιωπέα κυδρὸν ἔρωτα,
Νυκτὸς ἀειγνήτης πατέρα κλυτὸν, ὅν ῥα φάνητα
Ὁπλότεροι καλέουσι βροτοὶ, πρῶτος γὰρ ἐφάνθη.

Id est,

—— geminum præstantem dicite amorem
Obscuræ Noctis patrem; dixere Phanetem
Illum mortales, quod primum apparuit ille.

Noctem quoque Gentiles matrem omnium vocarunt, quia omnium rerum partum antecesserit;
C alii eandem Deorum omnium antiquissimam statuerunt, cum omnes locos ante Deum ortus occupasset, & ipsam informem materiam, quæ Chaos dicta est. Præterea Ethnici multos Nocti filios filiasve adscribebant, prout ex Hesiodi *Theogonia* & Cicerone lib. 3. *de Nat. Deor.* constare poterit, qui & diem e Nocte prognatum existimarunt:

Νυκτὸς δ' αὖτ' Αἰθήρ τε καὶ Ἡμέρη ἐξεγένοντο.

Id est,

D *Nocte porro tam Æther quam Dies prognati sunt,*

ait Hesiodus *d. l.* Suspicor inde ortum errorem Manichæorum, qui a vespera diem incipere statuebant, quos refellit Augustinus libr. 1. *in Genesin*, docens diem nocte priorem fuisse. Nox enim, quæ privatio lucis est, præsupponit lucem, adeoque diem antea fuisse existimandum.

5. Cæterum reperio, Noctem ab omnibus fere a nocendo dici, quia scilicet noctis humor infe-
E stus sit hominibus, quod vel in laborantibus scabie, febre, scorbuto, testibus Sennerto & Joanne Echtio in tract. pecul. *de Scorbuto*, vel aliis morbis patet, qui quidem graviores fiunt, magisque infestant per noctem, vel quod tum spectra, nocentes lamiæ, & ipsi adversarii & hostes nocere hominibus soleant. Ita deducit Natalis Comes *Mythologi.* lib. 3. cap. 12. in fine, & adstipulantur ex JCtis nostris Albericus de Rosate in *Diction.* voce *Nox*, & Polydorus Ripa *de noctum. tempor.* cap. 2. n. 9. 10. & 11.

6. Proponenda jam erit *definitio Noctis*, eaque paulo accuratius examinanda, cum sit rei propo-
F sitæ finis; qui nisi firmo ac stabili fundamento nitatur, quæcunque superexstruas, uno ruitura sunt & eodem momento, ut ait Bodinus lib. 1. *de Republ.* cap. 1. Nox igitur *nihil aliud quam tenebræ Solis absentia obortæ.* Ipse DEUS Opt. Max. in creatione Orbis *Genes.* 1. vers. 5. Noctem tenebras vocat, ibi: *Appellavitque* [*Deus*] *lucem diem, & tenebras noctem: factumque est vespere & mane dies unus.* Nicolaus de Lira, qui e Judæo Christianus factus, Hebraicarum Litterarum peritia & Commentariis in universam Sacram Scri-

pturam imprimis clarus, d. *v.*5. *Geneſ.* 1. ita interpretatur: *Dies & nox*, ait, *diſtinguuntur per lucem, quæ eſt quoddam poſitivum, & per tenebras, quæ important privationem lucis, & opus diſtinctionis incipit a luce*. Idem paulo poſt: *Sicut per potentiam Solis efficitur dies, ita per ejus occultationem efficitur Nox*. Eodem modo Noctem deſcribit Innocentius III. Pontifex in *Reſcripto ad Archiepiſcopum Toletanum in C. Conſult.* 24. *x. de offic. & poteſt. jud. delegat.* ibi: ex qua poſſis ante noctis tenebras perficere, & Baſilius in *Homilia* 2. *in Hexaem*. Noctem definiens: Νὺξ, ait, ἐϛὶ σκίασμα γῆς ἀποκρυπτομένου Ἡλίου γινόμενον, id eſt, *Nox eſt obumbratio terræ, abſcondito Sole facta*. Iſidorus *lib.* 3. *cap.* 50. Sol occidens, inquit, noctem inducit, nam noctu Sol eſt ſub terra, & maxima ſolitudo oritur. Non prætereundus heic divinus Philoſophus Plato, qui *Dialog.* 6. *de Definit*. Noctem definit his verbis: *Nox, tenebræ, diei contrariæ Solis privatio*. Plinius lib. 2. *Nat. Hiſt.* cap. 10. Noctem terræ umbram eſſe ſcribit: Neque aliud, ait, eſſe Noctem, quam terræ umbram. Ex Plinio ſuam Noctis definitionem probabiliter depromſit Henricus Ranzovius in *Calendar.* pag. 247. *Nox*, inquit, *eſt ſolaris luminis privatio & a nobis abſentia ab umbra terræ dependens*. Ex JCtis noſtris hanc deſcriptionem approbantibus produco Nattam, qui *Conſil.*469. *num.*12. noctem dicit umbram terræ eſſe. Cicero lib.2. *de Natura Deor.* umbram terræ noluit eſſe noctem, ſed potius cauſam noctis. Prætereo lubens alias aliorum Scriptorum definitiones. Conſtat enim & expeditum eſt, noctem abſentia Solis fieri. Notanter dico *abſentia Solis noctem fieri*, nec enim certo horarum ſpatio, quo conſtet nox, definiri poterit, præſertim cum in locis ſeptentrionalibus longo diuturnioreve tempore Nox circumſcribatur.

7. Quin quod in nova Zembla Noctem aliquot menſibus continuis fuiſſe, Relationes nauticæ teſtentur, diſquirantque Eruditi de inſperato ibidem Solis exortu. Non abſimile quid refert Rodericus Archiepiſcopus Toletanus lib.1. *de Rebus Hiſpaniæ* cap. 8. *de Inſula Scandia*: *In cujus Scandiæ quadam parte*, ait, *tanta eſt frigiditas, quod apes nuſquam reperiantur, & circa ſolſtitium æſtivale* XL. *diebus & noctibus continue lux habeatur, & in ſolſtitio hiemali eodem dierum & noctium numero nox continua tenebreſcat*. Hucuſque Toletanus.

8. Horribiles fuere illæ tenebræ, quibus DEUS Opt. Max. inter alias plagas afflixit Ægyptum, quæ tribus diebus noctem effecerunt, *Exod.* 10. v.22. nec ſolum vinculis tenebrarum & longæ noctis compediti fuere Ægyptii, ſed & alia majora perpeſſi; perſonæ enim triſtes, ut textus ait, hoc eſt, ut ego interpretor, ſpectra, & umbræ, in tenebris apparentes pavorem iis incuſſerunt, uti habetur in libro *Sapient.* cap.17. Horrendum plane nullam vim ignis potuiſſe illis lumen præbere, ut *ibidem* dicitur. Quod vero Sapientia de tenebris Ægyptiis aſſeruit, idem potiore jure de infernalibus & Orcinianis dicendum: Una catena tenebrarum erunt colligati,

— *clauſi tenebris & carcere cœco.*

De hac tenebrarum pœna Chryſoſtomus tom. 5. *Paræneſi priore ad Theodorum lapſum*: Plorabimus omnes triſtiſſime, *inquit*, flamma nobis vehementius incumbente. Neminem videbimus præter condemnatos nobiſcum, & immanem ſolitudinem. Quis poteſt verbis conſequi, quam formidabiles pavores a tenebris exorientur, quæ in animis noſtris exſtabunt? Quemadmodum ignis illic non habet vim reſolvendi, ſic nec lucere poteſt: alioqui non eſſent tenebræ. Hujuſmodi igitur pavorem a tenebris, tremorem, ſolitudinem, membrorum attonitum ſtuporem adducere ſufficit una illius temporis ratio. Vide duos illos eximios e Societate Jeſu Theologos Ludovicum Granatenſem in *Exercit. meditat. veſpert.*5. & Hier. Drexelium part. 2. *Infern. damnatorum* cap. 2.

9. Quod Leges 12. Tabularum, & Jus noſtrum Civile attinet, conſtat, Noctem poſt occaſum Solis eſſe. Alexand. ab Alex. *Genial. Dier.* lib.6. cap. 10. *Noctemque*, ait, *ita lex definivit, ut poſt Solis occaſum noctem eſſe decernerent*. Verba Legis hæc ſunt: *Ante meridiem cauſam conjicito, quum perorant ambo præſentes: poſt meridiem præſenti litem addicito, ſi ambo præſentes. Sol occaſus ſuprema tempeſtas eſto*. Hactenus Alexand. ab Alex. *d. l.* Eadem ſpecialius tradunt Macrobius lib. 1. *Saturnal.* cap. 3. & Cenſorinus *de Die Natali* cap. 19.

10. Noſtris moribus in bene conſtitutis Rebuſpublicis Nox ab occaſu Solis auſpicatur, quamvis crepuſculum, quod eſt diei privatio, quodque tempus occaſum Solis concomitatur, proprie Nox non ſit, nec dici debeat, Bart. *in L. aut facta* 16. §. *tempus* 5. *D. de pœnis*. Nox enim tum eſt, quando Solis lumen occidit, *L.* 124. *D. de V. S.* ubi Gædd. Gandin. *de malef. de pœn. reor.* num.42. huic conſequens eſt, delictum ſub crepuſculo patratum, pone furtum commiſſum, non perinde puniendum ac ſi nocturno tempore committatur, tum quod crepuſculum proprie nox non ſit, ut modo dictum, hinc ἀμφιλύκη νὺξ Græcis dicitur, tum quia odia reſtringenda, *c. odia. de R. I. in* 6. ubi Pet. Peck.

11. In bello & caſtris Nox eſt & dicitur excubiis factis.

12. In quibuſdam Rebuſpublicis Nox dicitur pulſata campana, M. Mantua in *Milleloq. Jur.* Cent.1. pag. 94. Vid. Arnold. de Reiger. in *Theſaur. Jur.* pag. 268. voce, *Nox*, Chriſtoph. Cruſ. parens meus dilectiſſimus, tr. *de indiciis delictorum* part.3. cap 2. n.53.

13. Hucuſque de definitione Noctis; habereſt ut exponamus, quæ vis verbi *pernoctare* in Jure noſtro. Exponit id Pomponius *JCtus in L.*66. §.1. *D. de V. S.* Pernoctare extra urbem intelligendus eſt, ait Pomponius *d. l.* qui nulla parte noctis in urbe eſt. *Per* enim totam noctem ſignificat. Recte JCtus *adducto loco* vim verbi *pernoctare* arceſſit a præpoſitione *per*, quæ ſignificationem auget, & integrum quiddam denotat, Bald. in *Rub. C. de Except.* & Joann. de Anania *ad C. ſi conſtiterit* x. *de Accuſat.* Sic ædificia perfeciſſe dicitur, qui conſummavit, *L. ædificia* 139. §. 1. *D. de V. S.* Sic perſuadere plus eſt quam ſuadere, hoc eſt, conſilium dare, cum ſit ſuadendo eo adigere, ut in eandem ſententiam quis deſcendat, *L.* 1. §. *perſuadere D. de Serv. corrupt.* Gædd. *ad d. L.* 166. §.1. *D. de V. S.* Agell. *Noct. Attic.* lib.3. c.2. Et ita accipienda verba illa ſacratiſſimorum Imperatorum, quæ exſtant in *L.*8. §.3. *C. de Repudiis*, ibi: *Aut ipſo invito ſine juſta & probabili cauſa foris ſcilicet pernoctantem*: adde *C.*3. *de majorit. & obed. in Extravag.* ibi: *Ne de cætero Præſul aliquis ſine ſui Superioris licentia, niſi pro negotiis Eccleſiæ ſibi commiſſæ, extra ſuam Diœceſim audeat pernoctare*.

CAP. III.

De divisione Nocti., & in specie de Crepusculo, prima Face, Concubio, Nocte intempesta, Gallicinio, Diluculo & Aurora.

SUMMARIA.

1. *Romani quomodo Noctem diviserint, ex Macrobio, Varrone & Alex. ab Alex. docetur.*
2. *Subjicitur vulgata Noctis divisio.*
3. *Noctem quoque ab excubiis, in bello usitatis, in quatuor vigilias diviserunt Antiqui.*
4. *Harum vigiliarum frequens mentio, tum in sacro Codice, tum in profanis Scriptoribus.*
5. *Quid Crepusculum proprie sit? proponitur.*
6. *Notatur error eorum, qui existimant Crepusculum etiam esse & appellari dubiam illam lucem, antequam diescat.*
7. *Ovidii locus, alioquin corruptus & depravatus, emendatur.*
8. *Ut omnis repentina mutatio periculosa, ita factum, ut Deus inter diem & Noctem interjecerit Crepusculum.*
9. *Circa Crepusculum olim soluta jejunia.*
10. *Quid prima Fax?*
11. *Quid Concubium?*
12. *Intempesta Nox quid? ex Varrone docetur.*
13. *Intempestam Noctem silentium Noctis Antiquitas vocavit.*
14. *Hac Noctis parte tum spectra ad terrendos homines apparent, tum Diaboli mancipia, magi ac sagæ conventus suos habent.*
15. *Hanc ob causam, cum ubivis terrarum hac noctis parte scelera nefanda patrarentur, in primitiva Ecclesia preces circa id tempus receptæ.*
16. *Gallicinium quid sit? proponitur.*
17. *Cur galli tum temporis clament?*
18. *Gallus diei nuncius horas noctis discutit.*
19. *Sybaritæ gallum in urbe esse prohibuerunt, ne delicias eorum interturbaret.*
20. *De pugnacitate gallorum quædam proponuntur.*
21. *Æsculapio Veteres gallum sacrificarunt.*
22. *Plurimi gallum gallinaceum in insignibus gestarunt.*
23. *Gallus vigilantiæ hieroglyphicum.*
24. *Gallus in scuto Romano pictus.*
25. *Quid gallorum effigies in templorum & turrium pinnis designent?*
26. *Gallorum cantus in Norvegia vicem horologiorum implent.*
27. *Horologia quando apud Romanos cœpta?*
28. *Quid clepsydra sit? proponitur.*
29. *Umbris Romani horas notarunt.*
30. *Plauti tempore solaria in usu fuere.*
31. *Boetius Severinus primus horologia, quibus hodie utimur, confecit.*
32. *De artificioso horologio, a Bernardino Corrovigio confecto, & Andreæ Alciato donato, disquiritur.*
33. *Variæ de horologiorum ortu apud Romanos Scriptores opiniones.*
34. *Remittitur Lector ad Auctores, qui de horologiis scripserunt.*
35. *Circa gallicinium conventus magorum sagarumve dissolvuntur.*
36. *Rationes ejus rei adducuntur, ac inibi Ambrosii & Prudentii ea de re sententiæ proponuntur.*
37. *Leones an ad gallorum cantum contremiscant?*
38. *Ejus rei rationes redduntur.*
39. *Quid Conticinium?*
40. *Quid Aurora sit? proponitur, inibique variæ variorum Scriptorum definitiones proponuntur.*
41. *Auroræ cur Poetæ passim roseos digitos tribuant?*
42. *Quæ Auroræ commoda?*

1. PRoposita Noctis definitione, consequens est, ut videamus ejusdem divisionem. Et Romani quidem quomodo Noctem diviserint, exponit. Macrobius lib. 1. *Saturnal.* cap. 3. „ Deinde, *ait*, a mane ad meridiem, hoc est, ad B „ medium diei. Inde jam supra vocatur tempus „ occiduum; & mox suprema tempestas, hoc est, „ diei novissimum tempus, sicut expressum est in „ Duodecim Tabulis. Solis occasus suprema tempestas esto. Deinde vespera; quod a Græcis tractarum † est; illi enim ἑσπέρῳ a stella hespero „ dicunt; unde & Hesperia, Italia, quod occasui „ subjecta sit, nominatur. Ab hoc tempore prima „ fax dicitur; deinde concubia; & inde intempesta; „ quæ non habet idoneum tempus rebus gerendis. „ Hæc est diei civilis a Romanis observata divisio. „ Ergo noctu futura, cum media esse cœperit, C „ auspicium Saturnaliorum erit, quibus diei crastini mos inchoandi est. Sunt verba Macrobii. Melius Varro hæc expressit, secundum quem solidæ Noctis partes hæ sunt: *Vespera, Conticinium, Intempesta Nox, Concubium, Gallicinium, Lucifer, diei ortus, meridies, & occasus.* Servius *in lib. 2. Æneid.* Alexander ab Alexandro lib. 4. *Genial. Dier.* cap. 20. scribit, Romanos a primis originibus ad primum Punicum bellum, ortus tantum & occasus dierum, postea meridiem, Accenso pronunciante, notare consuevisse, ita ut maximam diem in duodecim, minimam vero in decem horas partirentur. Noctem vero ita metiti sunt, ut modo in D horas duodecim, ait Alex. ab Alex. *d. l.* nunc in quatuor vigilias, etiam longissimas noctes facili divisione distinguerent, Vesper, Conticinium, alias Intempestatem, Gallicinium & Luciferum: sicut in ternas horas singulas vigilias pensitarunt. Hæc Alex. ab Alex. *d. l.*

2. Vulgo nox dividi solet a nonnullis in partes septem: *In Crepusculum, primam Facem, Concubium, Noctem intempestam, Gallicinium, Conticinium, Diluculum sive Auroram.*

3. Cæteroquin ab excubiis in bello usitatis Nox dividi solet in quatuor vigilias; *Vigiliam primam, secundam, tertiam, & quartam,* quas vigilias φυλακὰς E vocat Vegetius lib. 3. *Rei Militaris* cap. 8. „ Et quia, „ *inquit*, impossibile videbatur, in speculis per totam noctem vigilantes singulos permanere, ideo „ in quatuor partes ad clepsydram sunt divisæ vigiliæ, ut non amplius quam tribus horis nocturnis necesse sit vigilare. A tubicine omnes vigiliæ „ committuntur, & finitis horis a cornicine revocantur. Eadem fere iisdem verbis scripsit Modestus in libello *de Vocabulis Rei Militaris*, ita ut unus ab altero accepisse videatur. Et certe Vegetius, *inquit* Andreas Tiraquellus in *Noctis* * *ad Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 20.* qui tempore Valentiniani Imperatoris floruit, & ad eum scripsit, a Modesto acce- F pit, qui ad Tacitum Imperatorem, qui longo tempore præcessit Valentinianum, scripsit. Et idem dicit Divus Hieronymus *in Psalmos*. Hæc ille.

4. Harum vigiliarum frequens mentio in sacris Litteris, ut *Matth. 24. Si paterfamilias sciret, qua vigilia fur esset venturus.* Et *Luc. 12. Beati sunt servi illi, quos* Dominus, *sive circa secundam, sive tertiam vigiliam venerit, invenerit vigilantes.* Ha-

† Leg. videtur, *tractum*. * Rest. *Notis*.

rum vigiliarum sæpius meminere & profani Scriptores, præprimis Livius. De vigilia prima *lib.* 21. *cap.* 54. *Hic erit locus Magoni ait Annibal, quem teneas. Delige centenos viros ex omni pedite atque equite, cum quibus ad me vigilia prima venias.* De secunda vigilia Cicero *Epist. Famil.* lib. 7. epist. 3. & de hac Lucanus *lib.* 5.

Tertia jam vigiles commoverat hora secundos.

Tertiæ vigiliæ meminit idem Cicero in *Orat.* 3. *in Catil.* uti etiam Cæsar lib. 1. *Belli Gall.* & Apulej. 3. *Metamorph.* Quartæ vigiliæ mentionem faciunt Plin. *lib.* 10. *cap.* 21. Dubrav. Olumuzensis Episcopus lib. 2. *Hist. Bojemic.* pag. 19. & alii quam plurimi.

5. Cæterum, ordine Noctis partes videamus, ac primo omnium quidem de Crepusculo. Crepusculum est tempus illud, quum noctescere incipit, sive cum dubitamus, dies-ne sit, an nox. Fit autem, cum Sol mox gradum suum absolvit. Græcis dicitur ἀμφιλύκη νύξ, quasi lux dubia. Audiamus Varronem lib. 5. *de Lingua Latina*: „Secundum hoc dicitur Crepusculum, *ait*, a crepero, „quod vocabulum sumserunt a Sabineis: unde veniunt Crepusci nominati Amiterno, quod eo „tempore erant nati, ut Lucii prima luce in creatione. Crepusculum significat dubium ab eo res „dubiæ dictæ Creperæ, quod Crepusculum dies „etiamnum sit, an jam nox, a multis dubitatum. Hactenus Varro. Jul. Cæsar Scaliger *Exercit.* 78. *ad Subtilit. Cardani*: *Creperum*, ait, *veteres Latini dubium vocabant, origine Græca* κρυπτόν. Hinc Lucretius *lib.* 5. vers. 1295.

—— *creperi certamina belli.*

Et Accius *Phœnis.* de auxiliis amicorum loquens: *Quæ ego, ait, cuncta esse fluxa in mea re crepera comperi.* Idem: *Nunc tu in re crepera tua, quid capias consilii, vide.* Buchananus in *Psalm.* 84. ibi:

O Rex armipotens, qui creperos tuo
Bellorum arbitrio dividis exitus.

6. Errant hoc loco ii, qui existimant, Crepusculum etiam esse dubiam illam lucem, antequam diescat, cum apud priscos & probatos Auctores solum illud tempus sub vesperam esse perpetuo reperiatur, diluculum vero sub auroram.

7. Inducti illi in errorem ejusmodi versibus Ovidii *Ep.* 14. ubi Hypermnestra Linum * inter alia affatur:

Sed tamen experiar, modo facta crepuscula terris,
Ultima pars noctis, primaque lucis erat.

Sed corruptissime ita legitur, melius in MS. Codice Achillis Statii Neapolitani, ut observavit Hercules Ciofanius, habetur,

Ultima pars lucis, primaque noctis erat.

Et ita quoque in Codice pervetusto scriptum inveni. Luctatius Placid. *ad vers.* 340. *l.* 1. *Thebaidos Papinianæ*: „Crepusculum, *ait*, dicitur, quod inter „finem diei est, & exordium noctis; unde & decrepiti senes dicuntur, jam prope occasum salu„tis & initium mortis. *Idem Luctat.* Utrumque „enim tempus ostendit, & diei initium, & ex„tremum noctis, sive crepuscula, quia præceden„tis Solis radii percutiuntur a crepusculo, id est, „ab extrema parte noctis. De Crepusculo Ovidius lib. 1. *Amor.* eleg. 5.

Qualia sublucent fugiente crepuscula Phœbo;
Aut ubi nox abiit, nec tamen orta dies,

Et *Metamorph.* lib. XI. vers. 596.

—— *dubiæ crepuscula noctis.*

Statius lib. 1. *Theb.* vers. 343.

Sed nec puniceo rediturum crastina † cœlo.
Promisere jubar, nec rarescentibus umbris,
Longa repercusso nituere crepuscula Phœbo.

A Virgilio Crepusculum vesper vocatur *Eclog.* 6. vers. 85.

—— *numerumque referre*
Jussit, & invito processit vesper Olympo,

Et idem lib. 8. *Æneid.* vers. 280.

Devexo interea propior fit vesper Olympo.

Idem *Ecl.* 10. vers. ult.

Ite domum saturæ, venit hesperus, ite capellæ.

Idem lib 1. *Georg.* vers. 251.

Illic sera jubens accendit lumina vesper.

8. Quæritur hic: *Cur Deus inter diem & noctem interjecerit Crepusculum?* Existimo, id ideo factum, quia omnis repentina mutatio noxia; hinc Dionysius Tyrannus super carcerem tenebricosum domum exstruxit splendidissimam, ut homines, e carcere liberatos, subdole excæcaret.

9. Circa hoc tempus olim & hodie apud Pontificios solvebantur jejunia. Testis est Hierem. Drexelius *lib.* 11. *cap.* 6. *§.* 1. Majores nostri, *inquit*, jejunarunt pene integro die usque ad horam vespertinam tertiam, imo temporibus primis usque ad sextam sub crepusculum, ad primam facem, præsertim quadraginta diebus verni jejunii. Ad vesperam itaque usque ab omni alimento abstinebant olim jejunantes, & postea temperantia custodita relaxabant jejunia, hoc est, post toleratam totius diei inediam cœnabant, sed parce & minus delicate sine ulla ciborum, a Deo concessorum, prohibitione. Non solum enim (utilissime monet Athanasius *Sermone* 66.) tarditas cibi sumendi jejunium est, sed & paucitas. Augustin. tom. 1. lib. 11. *de moribus Eccles. Catholic.* cap. 23. Jejunia prorsus incredibilia multos exercere didici, non quotidie, semel sub noctem reficiendo corpus. Salmeron tom. IV. *Comment. in Histor. Evangel.* tract. 10. *de Jejunio Christi* p. 83. Moris Judæorum erat per diem animam affligere, sub vesperam autem, sive sub noctem cibum sumere: quos hodie Mauri imitati nonnisi de stellæ visæ licentia jejunium solvunt, ut Tertullianus est auctor.

10. *Prima Fax* est & dicitur, qua Sole occidente faces accenduntur; hanc excipit Concubium, cum exantlatis laboribus lectum sive cubitum imus, postquam videlicet fessos sopor irrigat.

11. De Concubio Ennius:

Qua galli furtim noctu summa arcis adorti
Mœnia, concubia, vigilesque repente cruentant.

* Alii, *Lynceum*.

† Leg. *nubilo*.

Qu

Quo cum transit Martialis *lib.4. epigram.* 8.

Prima salutantes atque altera continet hora;
Exercet raucos tertia Causidicos;
*In quintam varios exercet * Roma labores;*
Sexta quies lassis, septima finis erit.

12. *Intempesta Nox* quid sit, nemo Veterum melius exposuit quam M. Varro (quo nemo, judicio Lactantii Firmiani lib. 1. cap. 6. *Instit.* unquam doctior, ne apud Græcos quidem, nedum apud Latinos, vixit) lib. 5. *de Latina Lingua:* „ Inter vesperuginem, *ait*, & jubar dicta Nox intempesta. Nox, ut in Bruto Cassius, quod dicebat Lucretia, Nocte intempesta nostram devenit domum. Intempestam Ælius dicebat, cum tempus agendi est nullum: quod alii Concubium appellarunt, cum fere omnes tunc cubarent; alii ab eo, quod sileretur, Silentium Noctis. Quod idem Plautus tempus Conticinium: scribit enim: Videbimus, factum volo: i, redito Conticinio. Audiamus eundem Varronem lib.6. *de Lingua Latina: Nunc de temporibus dicam*, ait, *quod est apud Cassium, Nocte intempesta nostram devenit domum.* Intempesta Nox *dicta ab Tempestate*; Tempestas *a tempore*: *Intempesta nox, quo tempore nil agitur.* Hanc Noctem intempestam meridiem noctis vocat idem Varro in *Marcipore*, dum ait:

Repente Noctis circiter meridiem,
Cum pictus aer fervidis late ignibus,
Cæli choreas astricas ostenderet:
Nubes æquali frigido velo leves
Cæli cavernas aureas subduxerant,
Aquam vomentes in feram mortalibus
Ventique frigido se ab axe eruperant,
Phrenetici Septentrionum filii
Secum ferentes tegulas, ramos, sirus.

13. Hanc Noctem intempestam Noctis silentium vocarunt Veteres. Plinius Junior *Epist.* lib.7. epist. 27. Athenodoro Philosopho spectrum insultasse tradit per Noctis silentium. Alexander ab Alexandro *Genial. Dier.* lib. 5. cap. 23. terribiles larvarum tumultus Romæ fuisse auditos medio fere Noctis silentio affirmat. Livius Decad. 1. lib.2. *Histor.* ibi, *silentio proximæ Noctis*. Quin & Petronius Arbiter in *Satyrico* expresse testatur mediam Noctem silentium Noctis dici. Ibi: *nec silentium Noctis jam mediæ promittebat occurrentium lumen.* Silentium Auctores passim interpretantur, ut dixi, intempestam Noctem, id est, ut Censorinus ait *de Die Natali* cap. 24. quæ mediam proxime antecedit, sive ut dissentiens Macrobius lib. 1. *Saturnal.* cap. 3. quam media proxime sequitur, quamve Plutarchus in *Bruto* profundam mediamque, Servius vero *ad* 3. *Æneid. Virgilii* mediam simpliciter, vocant. Euseb. Cæsar in *Confutat. contr. Hierocl.* 4. Noctem intempestam, *ait*, esse eam, quæ Gallicinium proxime præcedat, quam & Conticinium & Concubium dici vult Varro *lib.5. de Lingua Latina.* Nos tamen Concubium hoc ipso capite a Nocte intempesta distinguere voluimus, non vana inducti ratione, licet non ignoremus, diversas ea de re Scriptorum opiniones esse.

14. Ut ut sit, constat, hanc Noctis partem præprimis Diabolo tenebrarum Principi perquam opportunam esse ad conventus nefarios habendos cum hominibus scelestis, magis, sagisve, suis mancipiis. Hinc Telephion * apud Apulejum lib. 2. *Milesi.* Larissæ cadaveri cuidam custos adhibitus, contra sagarum insidias & spectra, ex his spectrum mustelæ specie ea noctis tempestate sibi observatum † adserit: „ Ecce, *inquit*, Crepusculum, & Nox provecta, & Nox altior, & deinde Concubia, & jam Nox intempesta, mihique oppido formido cumulatior quidem, cum repente intro repens mustela contra me constitit, obtutumque acerrimum in me destituit, ut tantillum animalis præ nimia sui fiducia mihi turbarit animum. Lubet heic audire Remigium lib. 1. *Dæmonolatriæ* cap. 14. „ Ex tot, *ait*, reorum, quos vidi, percontationibus duo tantum Joannes a Villa & Agathina Francisci sartoris uxor ejus rei me adhuc commonefecerunt, affirmantes eam tempestatem, quæ una atque altera hora mediam Noctem præcedit, apprime idoneam esse atque opportunam non modo illis conventibus, sed & quibuscunque aliis Dæmonum terriculis, ludibriis, occursationibus, strepitibus, quæ sequitur non item iis esse obnoxiam. Causam non addiderunt illi, nec ego eam hic ariolabor. Unam tamen dicam, nullas in tota Nocte horas suspectiores haberi istius umbrarum apparitionis, qui earum metu aliquo tentantur, ac trepidant. Hactenus Remigius *d. l.* Nec tantum quoad hæc Nox intempesta periculosissima est, sed & ob insidias hostium. Hinc Virgilius occupationem Trojæ describens lib. 2. *Æneid.* vers. 250.

Vertitur interea cælum, & ruit Oceano nox,
Involvens umbra magna terramque Polumque
Myrmidonumque dolos.

Et mox vers. 268.

Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris
Incipit, & dono Divum gratissima serpit.

Et Aratus in *Astronomicis* vers. 408.

Α'λλ' ἄρα καὶ περὶ κεῖνο θυτήριον ἀρχαίη νὺξ,
Ανθρώπων κλαίουσα πόνον, χειμῶνος ἔθηκεν
Εἰνάλιον μέγα σῆμα.
Nox antiqua suo curru convolvitur aram
Hanc circum, quæ signa dedit certissima nautis
Commiserata virum metuendos undique casus.

Hanc Noctis partem inactuosam, mediam, quasi sine tempore, id est, actu, appellavit Antiquitas: Romani tamen, ut *capite* 1. notatum, ab hac tempestate diem suum incipiebant, *l.* 8. *D. de Feriis*. Cæterum notatu dignum, quod inter indicia magiæ a Dd. referatur absentia sagæ circa intempestam seu mediam Noctem. Vid. Remigium lib. 1. *Dæmonolatriæ* cap. 14. & parentem meum dilectissimum Christophorum Crusium JCtum part. 2. *de Indiciis delictorum* cap.32. n. 92. Scio tamen non paucos dissentire, qui affirmant, compertum esse, sagas domi, imo in eodem cum marito cubili manifeste pernoctasse, narrasse tamen postero mane ac confidenter dixisse, multa ad ejusmodi Conventus pertinentia quibus se superiore nocte interfuisse affirmarent; exemplum hujus rei suppeditat Olaus Magnus in *Histor. de Gent. Septentr.* ubi tradit, sagas visas quidem inter dormiendum commoveri vehementius, quasi qui ingenti aliquo dolore conflictarentur, vel etiam in sedili aut alia quapiam re equitare, uti qui viam admotis calcaribus accelerant: cæterum, non egredi domo, sed tantum experrectas

* Alii rectius, *extendit*.

* Rescr. *Telephron*. † Videtur leg. *obversatum*.

lassitudinem præ se ferre: veluti qui peregre redeunt ac miranda, quæ sibi venisse videbantur, enarrare; imo & illis irasci, aut succensere, qui fidem iis non adhiberent. Hæc res non paucos impulit, ut crederent, hæc mera esse somniorum ludibria; quo inclinare video Divum Hieronymum in *Prolog. in Danielem*, cujus verba hæc sunt: *Cum vero ad Habacuc veniret, & de Judæa in Chaldæam raptum discophorum lectitaret; quærebat exemplum, ubi legissemus in toto Veteri Testamento, quemquam Sanctorum gravi volasse corpore, & in puncto horæ tanta terrarum spatia transiisse; cui cum quidam e nostris satis ad loquendum promtulus Ezechielem adduxisset in medium, & diceret, eum de Chaldæa in Judæam fuisse translatum: derisit hominem, & ex ipso volumine demonstravit, Ezechielem in spiritu se vidisse transpositum. Denique & Apostolum nostrum, videlicet ut eruditum virum, & qui Legem ab Hebræis didicisset, non fuisse ausum affirmare, se raptum in corpore, sed dixisse, sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit.* Huic sententiæ adstipulari me, non concedit experientia quotidiana, quæ vere corporaliter sagas ad scelestos suos conventus delatas testatur, idque multis exponunt Remigius, Joannes Bodinus, Petrus Binsfeldius, Martinus Delrius, aliique, quos in re adeo manifesta & omnium oculis exposita adducere supervacaneum.

15. Cum igitur hæc nox intempesta omnium periculosissima, & ea tempestate plurima ubivis patrentur scelera & delicta, ut aliqui essent, qui pro Ecclesiæ salute Deo supplicarent, sancta Ecclesia constituit, ut Monachi ac Clerici hac noctis parte orationibus ac precibus vacarent, quod etiam in primitiva Ecclesia observatum. De Paulo & Sila, intempesta nocte orantibus, testantur *Acta Apostolorum*; scriptum enim *ibidem*: *Circa mediam noctem Paulus & Silas Deum laudabant*. Atque hoc etiam Auctor *Psalmorum* considerat, dicens: *Media nocte surrexi ad confitendum Domino*. Ita nocturnas preces Basilius Magnus in *Constitutione Monast. Reg.* XXXVII. distribuit, e quibus videre est, stata orandi tempora olim fuisse, noctis primordia, noctem mediam, & auroram. Eadem hæc S. Heron. *Epist.* VIII. *ad Demetrian.* post diuturna precum tempora commemorat: *Ad vesperam*, inquit, *media nocte, & mane exercendum est*. Idem quoque Cassiodorus in *Prologo Psalmorum* tradit, & in *Vita S. Germani* de S. Benedicto, Abbate Cassinensi & Patre Monachorum Occidentis, refertur, quod media nocte ad orandum surrexerit, & cum de fenestra prospexisset, animam S. Germani, luce clarissima cinctam, ad cœlos delatam inter nocturnas illas preces viderit, auctore Gregorio *lib* II. *c.* 35. De Clotario Rege Gregorius Turonensis l. VI. *Hist.* cap. 9. scribit, quod intempesta nocte orandi causa in templum S. Martini abierit. Vide Guilhelm. Minutensis Ecclesiæ Episcopum in *Rationali divinorum Officiorum* lib. 5. in princ. Hucusque de Intempesta Nocte.

16. *Gallicinium*, quod a gallorum cantu dictum, est illud tempus Noctis, quo jam Nox est ferme exacta, & undique lucis aves cristatæ puniceam jamjam surgentis auroræ facem consalutant. C. Solinus Sidonius Apollinaris Avernorum Episcopus *lib* 2. *epist.* 2. intempesta Nocte gallos galinaceos concinentes memorat.

17. Mahometh, insignis ille Impostor, gallum quemdam cælestem, supra Solem, Lunam, & stellas degentem esse, qui si sonum emittat, cæteros illum sequi, nugatus fuit; alioquin Philosophi disquirunt, quæ causa gallorum cantus sit ante exortum Solis? Major pars eo transit, id fieri per cursum & motionem subterraneam, unde mutatio aeris in hac mundi regione afficitur.

18. Hinc eleganter Gregorius in *Moralibus*, *Gallus diei nuncius*, ait, *horas noctis discutit, & demum vocem exhortationis emittit*.

19. Quam ob causam Sybaritæ, ut Athenæus scribit, gallum in urbe esse prohibuerunt, ne voluptates eorum interturbaret, quia gens est ad omnes mollitudinis numeros nata. Vid. Polit. *Miscell.* cap. 16. & Camerar. in *Hor. Succis.* centur. 2. cap. 89. pag. 340.

20. Nec diei tantum nuncius gallus est, sed & pugnacitate insignis; Camerar. *d. l.* ubi de mira gallorum gallinaceorum natura & pugnacitate agit.

21. Hinc Æsculapio Veteres gallum sacrificasse, utpote diei Solisque nuncium, testatur Andreas Tiraquellus in Tract. *de Nobilitate* cap. 31. n. 26. & ante eum idem annotavit Lactantius *divinar. Instit.* lib. 3. cap. 20. Socrates cicuta sumta, apud Platonem in *Phædone* sive *de anima*, Critonem ita affatur; *O Crito, Æsculapio gallum debemus, quem reddite, neque negligatis. Fiet, inquit Crito, quod jubes*.

22. Qua ratione factum, ut Antiquitas in insignibus gallum posuerit. Pausanias in *Eliacis* lib. 5. pag. 218. auctor est, Idomeneum Minois nepotem, a Pasiphae Solis filia oriundum, in scuto gallo gallinaceo usum fuisse. Et quamvis Pausanias *d. loco* eum id factitasse credat, ut originem a deo Apolline jactaret suam, cui gallus consecratus esset, quod cantu suo Solis ortum annunciet; quis tamen probabiliter non conjiceret, pugnacitatis & magnanimitatis alitis imitandæ causa ducem illum, cujus facta præclara memorat Homerus, ejusque virtutem merito extollit, ejusmodi insigne in scuto tulisse? Beyerlinck tom. 4. *Magn. Theatr. Vitæ hum.* lit. I. voce, *Insignia*, tit. *signa arma impressa* §. *Regum*, *Principum*, pag. 323. Forcat. lib. 6. *de Gallor. Imp.* pag. 781. Mennen. in *delic. Equestr. Ord. Rub. Ordo Equestris* pag. 59. Dempster. in *Addit. ad Rosin. Antiq. Rom. lib.* 3. *cap.* 10. pag. 149. & seqq. ubi de galli pugnacitate auctoritates adducit, Hoeping. *de Jure Insign.* cap. 9. §. 2. memb. 5. n. 272. & 273. pag. 623.

23. Præter illam pugnacitatem, est quoque gallus vigilantiæ hieroglyphicum, lucisque nuncius, Aldrov. lib. 14. *Ornith.* cap. 1. pag. 269. & seq. tom. 2. Chassan. in *Catal. Glor. Mundi* pag. 1. Concl. 38. & 84. Lindenbruch in *Chron. Caroli Magni* pag. 69. Camer. cent. 1. *Hor. Subcis.* cap. 89. quinimo est hæc avis Martis pullus, uti eam vocat Aristophanes, imperii quoque & Principis fecundum Eucherium symbolum.

24. Memorabile est & illud, quod Plinius *lib.* 35. *cap.* 4. vers. *Deinde video*, & paulo post ibi, *talem ostendens in tabula pictum*, &c. asserit, gallum in foro Romano & scuto pictum fuisse. Et quamvis videri posset Plinius ex Cicer. lib. 2. *de Oratore* hæc transumsisse, Quintilianus tamen *lib.* 6. *cap.* 2. id factum a Julio Cæsare narrat. Illum enim obstrepenti Helvio, ac sæpius instanti, qualem se tandem ostensurus esset, digito monstrasse imaginem galli pictam in scuto Mariani Cimbrici, cui tunc Helvius simillimus videbatur, ex Aldrov. lib. 14. *Ornithol.* cap. 1. circa finem, Hoeping. *d. l.* *n.* 277.

35. Quid vero gallorum effigies in templorum & turrium pinnis referunt? Et quidem gallorum gallinaceorum effigies propterea in templorum & turrium pinnis collocatas probabile est, ut admoneamur in templis perpetuo Evangelium prædicari, ministros gallorum instar securos & dormientes ad verbi divini auditum & pœnitentiam excitare debere. Vid.

eleganter post Durand. lib. 1. *Ration.* cap. 2. Rodolph. Hospinian. lib.2. *de Templ.*c.27. Frantz *Histor. Anim.* cap. 10. Alciat. lib. 2. *Emblem.* 757. Hoeping. *de Jure Insignium* cap.2. §. 2. n. 49. Gallus enim diei nuncius horas noctis discutit, ut Gregorius loquitur; antiquitus sane ante horologiorum inventionem gentes gallicinii beneficio horas distinxerunt. De Romanis Plinius *lib.*10. *c.*21. „ Proxime, *inquit de gallis gallinaceis*, gloriam „ sentiunt & hi nostri vigiles nocturni, quos ex- „ citandis in opera mortalibus, rumpendoque „ somno natura genuit. Norunt sidera, & æter- „ nas distinguunt horas interdiu. Cantu cum So- „ le eunt cubitum, quartaque castrensi vigilia „ ad curas laboremque revocant. Neque Solis or- „ tum incautis patiuntur obrepere, diemque ve- „ nientem nunciant cantu, ipsum vero cantum „ plausu laterum. Imperitant suo generi, & re- „ gnum, in quacunque sunt domo, exercent. „ Dimicatione pariter † hoc quoque inter ipsos, „ veluti ideo agnata tela cruribus suis intelligen- „ tes: nec finis sæpe, nisi commorientibus. Quod „ si palma contingit, statim in victoria canunt, seque „ ipsi principes testantur. Victus occultatur silens „ ægreque servitium patitur.

26. In Norvegia horologii vicem implere gallorum cantum refert Majol. in *Dieb. canicul.* colloq.6. pag. 119. & testatur Thom. Garzon. in *Piazz. univers.* discurs. 79. certissima esse horologia, quæ tempore nocturno ex cantu gallorum, vel gallicinio, depromuntur. Equidem horologium solarium, in quo umbilici Solis horas ostendunt, Anaximenes Milesius Lacedæmone, teste Plinio *lib.*2.*cap.*76. primus invenit, (hoc tamen Laertius lib.1. *de Vit. Philosophorum*, ejus Preceptori Anaximandro Milesio tribuit) ipsumque ἀπὸ τῆς σκιᾶς, hoc est, *ab umbra*, *sciotericon* appellarunt.

27. Romæ multo serius contigit, in XII. enim Tabulis ortus tantum & occasus Solis nominantur. L. Papyrius Cursor autem usum solarii horologii Romæ primus intulit ad ædem Quirini, cum eandem dedicaret, a patre suo votam; quod multis circumstantiis ex Plinio narrat Zwingerus in *Spec. hum. vitæ* vol. 5. lib. 3. Huic horologio Romani paruerunt per nonaginta novem annos, donec Q. Mucius Philippus multo accuratius confecit, idque munus inter censoria opera gratissimum fuit. Etiam tum tamen nubilo die horæ incertæ fuerunt, donec Scipio Nasica collega Lænatis primus aqua divisit horas 24. & horologium hoc sub tecto dicavit anno Urbis 595. Tandiu Populi Romani indiscreta lux fuit, Plinius *lib.* 7. *cap.* 60. Seneca suo ævo facilius inter Philosophos quam inter horologia convenisse affirmat in *Ludo in mortem Claudii Cæsaris*. Horologium ex aqua Ctesibius Alexandrinus primus reperit. Vid. Cic. lib. 2. *de Natura Deorum*, Vitruv. *lib.* 9. Polydor. Vergil. lib. 2. *de rer. inventor. cap.* 5. ubi erudite de horologiis eorundemque inventoribus differit, Zwing. *d. l.* Præprimis igitur ab initio clepsydrarum magnus apud Romanos usus erat.

28. *Clepsydra* vero erat vas perforatum, in quo aquam infundebant, eamque fluere sinebant ad foramen usque, atque ita Oratori silentium imponebatur, ne fortasse dicendo diem eximeret, atque alios, ne dicerent, impediret, Cic. lib.3.*Orat.* & in fine lib. 2. *Tuscul. Quæst.* Quintil. *lib.* 12. „ Et si quid ipse tibi sumas, *ait*, probandum „ est, & ad laboratam congestamque dierum ac „ noctium studio actionem aqua deficit. Apule- „ jus in *Asino aur.* „ Rursum præconis amplo „ boatu citatus, *ait*, accusator quidam senior „ exsurgit, & ad dicendi spatium vasculo quo- „ dam in vicem colli graciliter fistulato, ac per „ hoc guttatim defluo, infusa aqua populum sic „ adorat. Carol. Sigonius lib. 3. *de Republ. Atheniens.* pag. 527. pluribus exponit, quid clepsydra fuerit: Litigatori, *ait*, hora ex lege ad dicendum statuebatur, eaque clepsydra notabatur. Erat autem modus quidam aquæ ad dimensum diei spatium fluens, quæ mense Posideone mensurata, in quo maxima & maximis de rebus judicia exercebantur, in tres partes distributa, una actori dabatur, secunda reo, tertia judici. Æschines quoque contra Demosthenem ostendit, primam aquam infundi solere actoribus, alteram reis, tertiam judicibus. Ipse Demosthenes idem pluribus in locis confirmat in *Epist. ad Polyclem*, item *contra Neæram*, & in *quæstione de hereditate aliqua defuncti*: ibi: Porro minister adfuit ἐφύδωρ dictus, qui clepsydris æqualitatem asservaret. Lucianus ἐν τῷ περὶ τῶν μισθῷ συνόντων in Rhetorem quendam jocatur, qui apud Barbaros in convivio diceret, non ad aquæ, sed ad amphoræ vinariæ modum. Vid. Desid. Erasm. *Chiliad.* 1. *Cent.* 4.

29. Umbris quoque Veteres diei horas notabant; hinc olim, qui vocabant ad cœnam, designabant ad quam umbram solarii vellent adesse convivas. Itidem, qui vocabantur, ne venirent ante tempus, rogabant, ad quotam lineam esset veniendum. Porro umbra decem pedum erat gratissima, parasitis cœnæ spem faciens, Aristoph. in *Concionatricibus*.

30. Equidem quod solaria attinet, talia jam tum Plauti ævo fuisse ex ejusdem *Bœotia* (modo ea Comœdia Plauti) apud Agellium *Noct. Atticar.* lib.3. cap. 3. apparet, ubi parasitus quispiam destomachatur in eos, qui horologia invenissent;

Ut illum Di perdant, ait, *primus qui horas repperit*,
Quique adeo primus statuit hic solarium:
Qui mihi comminuit misero articulatim diem;
Nam me puero uterus erat solarium,
Multo omnium istorum optumum & verissimum,
Ubi iste monebat esse, *nisi quum nihil erat*.
Nunc etiam, *quod est*, *non est nisi Soli lubet*.
Itaque adeo jam oppletum est oppidum solariis;
*Major pars populi avidi * reptant fame*.

31. Porro Boetius Severinus primus horologia, quibus hodie utimur, Antiquis ignota, ponderibus videlicet librariis acta, Romæ componi curavit. Post cujus obitum Italia diu tali artificio caruit. Regnante deinde in Transpadanis Johanne Baleatio † Vice-Comite, fertur ejusmodi horologium fabricatum, non solum horarum, sed etiam siderum expressis notis atque temporibus ac Solis Lunæque meatibus, cujus operis auctor ignoratur: collocatum illud in arca vel castello Papiæ defuncto Principe, despectum jacuit circulis a suo loco sublatis. Carolus vero Quintus, Bononiæ coronam imperialem suscipiens, postquam illud situ ac rubigine fœdatum conspexit, omnes artifices ibidem loci convocavit, ipsosque interrogavit, possent-ne tale horologium conficere, quibus negantibus, demum se obtulit Johannes Cremonensis, cognomento Janellus, qui magno temporis spacio tandem tale horologium confecit, quod deferri in

† Leg. *pariter*.

* Alii, *aridi*. † Rep. *Galeatio*.

A Hispaniam Cæsar voluit, magistro Janello simul deducto, Bernard. Saccus lib. 7. *Ticinensis Hist.* Post hunc Jacobus Donnus Patavinus Medicus (qui a medicamentorum collectione Aggregator dictus fuit) admirandum horologium confecit, in quo non modo horæ diei & noctis conspiciendæ erant, sed & annuus cursus Solis per signa Zodiaci; quod ipsum horologium positum fuisse super turrim Palatii Ubertini Principis Carrariensis Anno salutis 1344. refert Bern. Scard. lib.2. class.9. *Hist. Pat.*

32. Post hunc, ut ex Bern. Sacco lib. 7. *Ticinens. Hist.* refert Zwingerus vol 5. lib.3. *Spec. hum. vitæ*, B Bernardinus Corrovigius artem horologicam Papiæ discens Andreæ Alciati familiaris inter cætera tale mirabile horologium prædicto Alciato eximio JCto confecit, in quo per æris sonitum, quam quisque statuisset horam, exaudiebat, atque eodem ictu ignis scintilla ab silice inserto in subjectum sulphur excussa in flammam ibat, quæ repente ministerio ardentis sulphuris ac continuatione fila appositæ lucernæ accendebat, lucemque reddebat, ut composito horologio, ad quam Dominus destinasset noctis horam, & a somno excitari, & lumine juvari solius horologii ope unusquisque ac- C cumbens posset. Et hæc de horologiis, & quomodo eorundem usus apud Romanos cœperit, licet dissentiant Scriptores.

33. Plinius *lib.7. cap.60.* vult, quod duodecim annis exactis post devictum Pyrrhum Lucius Papyrius Cursor primum horologium confecerit. At Marcus Varro id factum existimat tempore Marci Valerii Messalæ anno Urbis conditæ quadringentesimo septuagesimo primo, alii aliter sentiunt, Gædd. *ad L.2. §.1. D. d. V. S.* Istud constat Romanos non habuisse talia horologia, aut clepsydras, quales nos; nam Romanorum polores * fuisse tradit Garzonius in *Piazza universali* discursu 79.

D 34. Et hæc incidenter de horologiis, eorundemque ortu dicta sunto; qui plura desiderat, legat Petrum Victorium, Orontium Fineum, Johannem Podoannium Veronensem, aliosve, item Munsterum, qui peculiarem Librum de horologiis conscripsit, cujus inscriptio *Horolographia*. Vide præterea Polydor. Vergil. lib.2. *de Rer. Inventor.* cap. 5. Zwinger. in *Specul. hum. vitæ* vol.5. lib.3. Joann. Gædd. *ad L.2. §. 1. D. de V. S.* Garzon. in *Piazza universali* discursu 79. & Anton. Guevarr. Episcopum Accitanum, Concionatorem, Consiliarium & Historicum Caroli V. in Proœm. ge- E ner. tract. *de Horologio Principum*.

35. Notatu dignissimum inter cætera hoc loco, quod circa gallicinium maleficia dissipentur, ac conventus & conciliabula maleficorum sagarumve dissolvantur, adeo ut nihil amplius agere hac noctis tempestate possint; qua de re audire lubet Nicolaum Remigium, Ducis Lotharingiæ quondam Consiliarium, lib.1. *Dæmonolatreiæ* cap. 14. pag. 107. differentem: „ Ac ut illum, *ait*, Apollonii de gallorum importuno nocturnis umbris cantu sermonem repetam, succurrit non ita pridem a me lecta in Dusanæ strigis quæstione quadam capitali de ea re narratiuncula, non utique F ab hac, in quam nunc dilapsi sumus, oratione admodum aliena, ei strigi Babillæ Latomæ nomen fuit. Hæc cum forte a Quæstore de nocturnis sagarum inceptis curiosius rogaretur, inter alia respondit, nihil æque illis infestum atque inimicum accidere posse, quam si gallus, interea dum se ad ea parant, occineret. Idem retulerunt & Joannes Bulmius ejusque uxor Desideria, Magistellos sæpe suos, cum dimittendæ concionis tempus instaret, identidem solitos inclamare: Eia facessite propere hinc omnes; nam jam galli canere incipiunt. Quod ego sic interpretor, ultra, id tempus negotium suum non potuisse trahere: hactenus Remigius.

36. In rationem hujusce rei non immerito inquirimus. Gentiles respondent Dæmonum noctu maximam esse potestatem, interdiu vim infringi & debilitari. Philosophi confugiunt ad dissidium naturale galli gallinacei cum leone & serpente; frustra, quia Diabolus duntaxat metaphoricus est leo & serpens. Nos, si quid veritatis huic experimento subest, cum Martino Delrio Societatis JESU Presbytero doctissimo *Disquisit. Magicar.* lib.6. c.2. sect. 1. quæst. 1. in ea sumus sententia, tenebrionibus illis galli cantum infestum propter mysterium aliquod ipsis odiosum. An quia diei prænuncius ales ad Dei laudem homines excitat, multaque peccatorum genera, quæ obscuro suo peplo nox obtexerat, solari lampade dispelluntur? an quia dominica resurrectione, quæ post noctis medium contigit, commeminit se triumphatum collisum esse? An meminit pœnitentiæ Petri Apostoli ad galli cantum, ut lapsus prædictus fuerat, inchoatæ & electissimi sibi boli sic erepti? Equidem has ipsas rationes reddunt SS. Patres. Producimus duos sanctitate & pietate conspicuos viros S. Ambrosium & Prudentium, qui easdem adducunt: & Prudentius quidem in *Hymno ad Galli cantum:*

Ferunt (ait) *vaganteis Dæmones,*
Lætos tenebris noctium,
Gallo canentes exterritos
Sparsim timere & cedere.
Invisa jam vicinitas
Ducis, salutis, Numinis,
Rupto tenebrarum situ
Noctis fugat satellites.
Hoc esse signum præscii
Norunt repromissæ spei,
Qua nos soporis liberi
Speramus adventum Dei.

B. Ambrosius in *laudib. diei Domin.* accuratius hæc consideravit;

Præco, ait, *diei jam sonat*
Noctis profundæ pervigil:
Hoc omnis errorum chorus
Viam nocendi deserit;
Mucro latronis conditur,
Lapsis fides revertitur,
Hoc ipso petra Ecclesiæ
Canente culpam diluit.
Gallus negantes arguit,
Gallo canente spes redit,
JESU labentes respice,
Tu lux refulge sensibus,
Mentisque somnum discute.
Te nostra vox primum sonet,
Et ora solvamus tibi.

Atque hæ causæ ex multis referuntur, cur magorum sagarumve conventus circa Gallicinium dissipentur; & cum Philosophos hujusce rei rationes reddentes ad naturale dissidium galli cum leone confugere jam annotavimus, videamus paucis, quidnam veri insit communi huic & apud plerosque receptæ opinioni.

37. Equidem leones ad gallorum cantum contremiscere receptum est; vide Proclum Platonicum in libro *de sacrificio & magia*, Plinium *l.18. c.16.* & *l.10. c.21.* Albertum Magnum lib. *de animal.* 32. & Lucretium *l.4.* hujus rei diversas rationes reddentes, cur leo videlicet gallum timeat.

* Forte leg. *solaria*.

38. Alexander Aphrodiſ. vir naturæ peritiſſimus eam rem inexplicabilem & ſoli Deo cognitam eſſe ſcribit in princ. *ſuorum Problemat.* idemque ſtatuit Ælianus lib. 11. *Animal.* cui adſtipulantur Cælius Rhodiginus lib. 16. *Antiq. Lect.* cap. 11. Andreas Tiraquellus in tract. *de Nobilitate* cap. 31. num. 27. & Camerarius in *Hor. ſucciſiv.* Cent. 1. cap. 22. *Audivi ab oculatis teſtibus iiſdemque fide digniſſimis*, ait Camer. *d. l. leones cantum gallorum & eorum conſpectum, quod ſint magis leonibus ſolares, vel alia occulta vi mirum in modum expaveſcere.* Albertus Magnus *lib.* 5. tantum candidis gallis hanc vim perterrefaciendi leones attribuit. Lucretius autem ſectator Epicuri, ſemina quædam vel potius idola, aut imagines ex corporibus gallorum emanare, eaſque involare in leones, ita acres & pungentes, ut leones eas ferre non poſſint, exiſtimavit. Diſſentire quodammodo videtur Camerarius *d. l.* dum ait: „Tamen compertum eſt, non ita pridem in aula „Principis cujuſdam Germaniæ leonem ſepta ſua „tranſiluiſſe, & forte fortuna in locum irruiſſe, „ubi aliquot cohortes gallorum, gallinarum, aliarumque avium altilium in uſum aulæ ſaginaren„tur, illumque iis conſpectis non ſolum nullo „modo perterritum, ſed plurimas ex iis devoraſſe. Huc uſque de Gallicinio.

39. *Conticinium* eſt tempus, auroræ proximum, quo omnia conticeſcunt propter gratiſſimam quietem. Ita Macrobius 1. *Saturnal.* 3. *Conticinium dicitur*, ait, *cum & galli conticeſcunt & homines etiam tum quieſcunt.*

40. *Diluculum* ſive *Aurora* eſt tempus, quo dies dilucere incipit: ſeu cum dieſcit, atque nobis illo tempore ſurgendum eſt, & ad intermiſſos labores properandum. Macrobius *loco cit.* diluculum dicit eſſe, cum incipit dies dignoſci: Fillivecus ait, auroram tum eſſe, quando tantum diei eluceſcit, ut ſine lucerna ſeu lumine artificiali poſſit peragi Miſſa. Vide Navarr. *Enchirid.* cap.25. n.85. & ſeqq. Joh. Lugon. *Diſp.* 20. *Sect.* 1. Quæſtione peculiari de Aurora. Franciſcus Amicus aliique affirmant, auroram eſſe primum diluculum, ſeu ſignum viſibile appropinquantis Solis, quod horæ ſpatio ante ejus ortum poſſit deprehendi. Aurora vero eſt quaſi aurea hora, & Aurora profecto aurea eſt. Ubi id & Servius annotavit, quod eximium & pulcherrimum eſt, aureum vocamus. Unde χρύσεον ὄμμα τῆς δίκης, *aureus juſtitiæ oculus.* Et Pindari Scholiaſtes: χρύσεα (inquit) φόρμιγξ ἀντὶ τῦ τιμία κιθάρα, ὡς χρυσῆ Ἀφροδίτη, *aurea cithara pro honoranda cithara, ut aurea Venus.* Videatur Andreas Tiraquellus *de Legibus Connubialibus* L. 2. Gloſſ. 1. part. 2. Hinc *verba aurea* Horatio dicuntur: Heſiodo, Ovidio, Virgilio *aureum ſeculum* prima ætas dicitur: Lucretio *aurea dicta.* Auroram maritum habuiſſe Tithonum Poetæ fingunt; hinc Virgilius lib. 4. *Æneid.* verſ. 584.

Et jam prima novo ſpargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile.

Eandem Auroram ex Hyperione & Thea Solis & Lunæ ſorore natam ſcribit Heſiodus in *Theogon.* Theam vero filium Memnonem habuiſſe, quem aureo curru vehentem roſeoſque digitos habentem narrant Poetæ.

41. Unde factum ſuſpicor, ut tam Græci quam Latini roſeos digitos Auroræ attribuerint. Ita Heſiodus in libro ἔργων ϰ ἡμέρων:

Ἀρκτῦρον δ' ἐσίδῃ ῥοδοδάκτυλος Ἠώς,
Arcturum autem inſpexerit roſeis digitis Aurora.

A Homerus etiam eandem ῥοδοδάκτυλον, id eſt, *roſeos digitos habentem*, appellat lib. 2. *Odyſſ.* verſ. 1.

Ἦμος δ' ἠριγένεια φάνη ῥοδοδάκτυλος Ἠώς.

Quando vero mane genita apparuit roſeis digitis Aurora.

Quem verſiculum non ſine cauſa repetit *lib.* 5. verſ. 228. ejuſdem operis, non ſemel & *lib.* 8. & *lib.* 9. & aliis multis locis, ut & 1. *Iliad.* & ult. Virgilius hoc vertiſſe videtur lib. 7. *Æneid.* verſ. 25.

B

—— & æthere ab alto
Aurora in roſeis fulgebat lutea bigis.

Idem *libro* 6. verſ. 535.

Hac vice ſermonum roſeis Aurora quadrigis
*Jam medium æthereo curru * trajecerat arcem †*

Et alius:

Et roſeis manibus ſidera diſpulerat.

C Ovidius *Metamorph.* lib. 2. verſ. 112.

—— ecce vigil nitido patefecit ab ortu
Purpureas Aurora fores & plena roſarum
Atria.

Papinius lib. 3. *Syl.* 1.

—— roſea ſub luce reverſi
Artifices mirantur opus.

Claudianus *de Olybrii & Probini fratrum Conſu-*
D *latu* verſ. 5.

Efflantes roſeum frenis ſpumantibus ignem.

Ad quæ verba Caſpar Barthius in *Comment.* rubicundiorem, ait, diurno, qualis ſolet eſſet Auroræ adſpectus, cujus Aula plena ideo fingitur roſarum.

Theocritus non roſeos, ſed albos equos Auroræ appellavit in *Hyla* ſeu *Eidyll.* 13. verſ. 11. his verbis;

E Οὐδ' ὄκχ' ἁ λεύκιππος ἀνατρέχει ἐς Διὸς Ἀώς,

Nec pullis Aurora domum Jovis ut petit albis.

Claudianus 4. *Conſul. Honor.* & Virg. 3. *Georg.* Soli igneos equos tribuunt. Equidem *Aurora* Muſis eſt ſacra, veneranda & amica; eam gratiſſimam agricolis eſſe teſtatur Heſiodus libro ἔργων ϰ ἡμέρων verſ. 577.

Ἠὼς γὰρ, ait, τ' ἔργοιο τρίτην ἀπομείρεται αἶσαν.
F Ἠώς τοι προφέρει μὲν ὁδοῦ, προφέρει δὲ καὶ ἔργυ.
Ἠώς, ἥτε φανεῖσα πολέας ἐπέβησε κελεύθυ Ἀνθρώπυς.

Id eſt,

Aurora enim operis tertiam ſortitur partem;
Aurora tibi promovet viam, promovet laborem;

* Leg. *curſu.* † Rep. *axem.*

Aurora, quæ apparens multos ingredi fecit viam Homines.

Et idem Heſiodus non ſemel commendat Auroram in eodem libro.

42. Eam liberalium Artium ſtudioſis perquam oportunam eſſe ſuo exemplo docuit Demoſthenes, qui omnes opifices Athenienſes nocturnis ſemper vigiliis præveniſſe ſcribitur; de quo Cicero 4. *Tuſculan. Dolere ſe ajebat Demoſthenes, ſi quando opificum opera antelucana ipſum prævenisſet.* Hanc Auroram fingit ex Oceano, tanquam Solem & reliqua aſtra, ſurgere Homerus in *Hymno in Mercurium* his verbis;

Ηὼς δ' ἠριγένεια φόως θνητοῖσι φέρουσα
Ὤρνυτ' ἀπ' Ὠκεανοῖο βαθυῤῥόου.

Hinc aurora tulit lucem mortalibus almam,
Fluctibus Oceani ſurgens ſata mane profundis.

Hanc jucundiſſimam & ſuaviſſimam, non hominibus ſolum, ſed omnibus animalibus & plantis contingere ſcripſit Orpheus in *Hymno in Auroram*, ut teſtatur Natalis Comes in *Mythologia* lib. 6. cap. 2.

CAP. IV.

De Inſignibus noctis commodis, & quod eam rebus gravioribus expediendis deſtinarint Romani.

SUMMARIA.

1. *Deus rorem præprimis nocturno tempore dare ſolet.*
2. *Olim apud Romanos, dum ros terram tegeret, elata acerba funera.*
3. *Deus ſingulari providentia bruta animalia cavernis interdiu incluſit.*
4. *Quæ Alexander Magnus in India nocte a ſcorpionibus, ſerpentibus & leonibus perpeſſus.*
5. *Noctis commodum eximium eſt, quod requiem generi humano tribuat.*
6. *Deteſtantur illi, qui diem ſomno tranſigunt.*
7. *Somnum cur in numerum Deorum retulerint Gentiles?*
8. *Senecæ locutus emendatus, ſimul notatur, ſomnum cum cornu pigni ſolitum.*
9. *Quod Auguſtinus Lunam noctis ſolatium vocarit, ac inibi de commodis Lunæ agitur.*
10. *Perſæ Solem in linteo depictum adorarunt.*
11. *Quantus Ethnicorum tremor in defectu Lunæ? & quomodo eam æris ſono revocari poſſe crediderint?*
12. *Hæc ſuperſtitio & apud Chriſtianos quandoque obtinuit.*
13. *Diſquiritur an Iris de noctu quandoque conſpiciatur?*
14. *Reſolvitur elegans quæſtio, An Iris ante diluvium fuerit?*
15. *Romani civilis diei initia a media nocte ducebant.*
16. *Teſtamenta Romani noctu quandoque ſignabant.*
17. *Tranſactiones quoque utplurimum noctu fiebant.*
18. *Evincitur contra Dd. communiter, quod Nox non ſemper aggravet delicta.*
19. *Non omnes conventus nocturni Legibus duodecim Tabularum & Lege Gabinia damnati.*
20. *Veteres in pangendis fœderibus cruorem ſibi eliciebant, eumque invicem hauriebant.*
21. *Dictator apud Romanos utplurimum nocturno tempore creatus.*
22. *Quæ jucunditas nocturni temporis in agris & locis ſuburbanis ſit, ex Sidonio Apollinari.*
23. *Noctu in bellis conſilia capienda.*
24. *Liberalium Artium ſtudioſi inſomnes noctes ducendo ſibi famam parant.*
25. *Nox agricolis plurima commoda affert.*
26. *Nocte ſpicæ in meſſe relictæ melius colliguntur quam interdiu.*

1. QUOD Seneca de Remediis fortuitorum pronunciat, Noctem ſua habere commoda ac utilitates, id verum eſſe teſtatur experientia. Quæ enim quæſo commoda DEUS glorioſus non homini tantum, ſed univerſæ naturæ præſtat, qui rorem ad conſervandas fruges non alio quam nocturno præprimis tempore dare voluit, res expedita eſt. *Ros*, ait Apulejus in lib. *de Mundo*, *eſt nocturnus humor, quem ſerenitatis tenuitas ſpargit.* Hinc Virgilius lib. 2. *Georgic.* verſ. 201.

Et quantum longis carpent armenta diebus,
Exigua tantum gelidus ros nocte reponet.

Poetæ fingunt Rorem fuiſſe filium Lunæ & Aeris, ut teſtatur inter alios Alcman Melicus, de quo Michael Prætorius in *Syntagmate Muſico* Tom. 1. part. 2. ex Suida refert, quod ad leniendam Venerem harmonicos cantus primum excogitarit:

Οἷα, ait, Διὸς θυγάτηρ ἔρσα τρέφει, ἦτε Σελανὰς
Αγρωστιν δρόσος αὔξει μὲν Μήνης τε καὶ Αέρος υἱός.
Ros Jovis & Lunæ ut ſoboles gratiſſima nutrit,
Aeris & Lunæ ſoboles ros gramina nutrit.

2. Antiquitus, dum ros terram tegeret, quomodo funera acerba apud Romanos elata, infra monebimus; ſufficiat hoc loco teſtimonium Theocriti *Idyll.* xv. de Adonide;

Αῶθεν δ' ἄμμες νιν ἅμα δρόσῳ ἀθρόαι ἔξω
Οἰσεῦμες ποτὶ κύματα.
Sub auroram vero nos illum dum ros eſt
Frequentes foras feremus ad fluctus.

3. Regius Propheta David noctis commoda recenſens in *Pſalmo* 104. ait: *Ponis tenebras, & fit nox: in ea proreptat omnis beſtia ſilvæ. Catuli leonum rugientes ad prædam & ad quærendum a Deo cibum ſuum.* Equidem ſingulari Dei providentia factum, quod leo animal tam formidoloſum luſtris ac cavernis ſuis interdiu non egrediatur, quo & mortales ſine metu agrorum culturæ incumbere poſſent, ac itinera tuta eſſent.

4. Quæ Alexander Magnus in India nocturno tempore a ſcorpionibus, ſerpentibus, leonibus, apris, aliiſve belluis conſuetam aquationem petentibus perpeſſus fuerit, ipſe exponit in *Epiſtola de ſitu Indiæ*, & itinerum in ea vaſtitate ad Ariſtotelem Præceptorem ſuum ſcripta, quam Latino ſermone donavit Cornelius Nepos, ex qua non poſſumus, quin quædam apponamus: „Tunc ad „primos Lunæ radiantis ortus, *ait Alexander Magnus d. l.* ſubito arrectis caudarum aculeis paſcualibus indiciis, ſcorpiones conſuetam petentes aquationem, ad caſtra innumeri confluxere. Tumultu „acciti noſtro, an ſiti, qua vexabantur, incertum eſt. „Cæterum ad nocendum promtiſſimi. Hæc prodigia inſecuta eſt immenſa vis locuſtarum, humidorumque ſerpentum variis diſtinctorum coloribus;

„ nam quidam rubentibus squamis erant, quidam „ nigri & candidi coloris, quidam auri fulgore „ consimiles inspiciebantur. Sibilabat tota regio „ non parvum nobis inferens metum, sed fron- „ tem castrorum densaveramus clypeis, & in mani- „ bus longas habebamus hastas, quarum acutissi- „ mis spiculis malas bestias configebamus, & igni- „ bus plures aliquando necabamus. Quæ res nos „ prope duas horas in eo opere sollicitos tenuit, „ pota autem aqua minores abire cœperunt, ser- „ pentes majores cum ingenti nostro gaudio late- „ bras petierunt. Tum ad horam noctis tertiam „ aliquam sperantibus nobis requiem, binorum „ ternorumque capitum cristati serpentes advene- „ runt, columnarum grossitudine aliquanto pro- „ ceriores, qui ad potandum aquam ex vicinis „ montium speluncis processerant, oribus squamis- „ que suis humum atterentes scintillantibus vene- „ no oculis, quorum halitus quoque erat pestifer, „ cum his horâ amplius una debellavimus, tri- „ ginta servis & viginti militibus amissis. Orabam- „ que Macedones, ne adversis casibus cederent, „ neve deficeret animus in periculis. Post discef- „ sum autem serpentum cancri immodicæ multi- „ tudinis, crocodilorum pellibus contexti, ad ca- „ stra venerunt. Quæ prodigia duritia thoracis vel „ loricæ ferrum respuebant. Multi ignibus usti, „ multi se in stagnum receperunt. Jam nos vigi- „ liis inquietos quinta noctis hora buccina admo- „ nebat ad quiescendum. Sed adfuere albi leones „ taurorum magnis comparandi corporibus, quum „ ingenti murmure concussis cervicibus, stanti- „ busque alte jubis in modum fulminum in nos „ impetum faciunt exceptique venabulis ruunt, „ tantus repente oriebatur tumultus. Nec minus „ fera nocte apri ingentis formæ metuendi, macu- „ losis lyncibus mixti tigribusque & horribilibus „ pantheris miscebant prælia. Nulla jam peste ex „ eo comparente, vespertilionum genus, colum- „ binis corporibus æquale, in nos vultusque no- „ stros inferebatur. Habebant illæ dentes homi- „ num more, quibus artus militum violabant. U- „ na præterea novi generis bestia major elephante „ comparuit, tribus armata in fronte cornibus, „ equo simile caput atri coloris gerens, hanc In- „ di appellare odonta, vel dentem, tyrannum so- „ liti sunt. Hæc pota aqua, intuens castra subito „ in nos impetum dedit, nec ignis quidem oppo- „ siti terrebatur ardoribus. Ad quam supprimen- „ dam cum opposuissem Macedonum manum, tri- „ ginta sex occidit, tres & quinquaginta falcatos „ inutiles fecit, vixque tandem ipsis defixa vena- „ bulis occubuit, &c. Sed ad commoda Noctis alia, eaque majora redeo.

5. Noctis commodum eximium est, quod Deus & natura requiem & remissionem corporum tum temporis humano generi concesserit; quæ re- quies si cessaret, vix est, ut subsistere posset mor- tale genus, nihil est in opere naturæ, quod non aliquas feriarum vices vehat, ait Plinius in *Epi- stolis*, nascitur ex assiduitate laborum hebetatio quædam, & languor animorum, danda igitur est remissio animis, nam meliores acrioresque spiritus surgent, est sane somnus refectioni necessarius Hunc tamen si per diem noctemque continuave- ris, mors erit & subsequetur immatura. Maximi Medicorum Hippocratis (quem virum doctissi- mum appellat Paulus in *L.* 12. *D. de Statu ho- minum*) exclamatio exstat, *Vitam brevem esse*, *artem longam*. Satis longa vita & in maximarum rerum consummationem large data est, si tota be- ne collocaretur.

6. Sed ubi per inertiam, somnum, & torpo- rem defluit, ubi nulli rei bonæ impenditur, ul- tima demum necessitate cogente, quam ire non intelleximus, transiisse sentimus. Equidem æsti- matione nocturnæ quietis dimidio quisque spatio vitæ suæ vivit, ait Plinius lib. 7. *Nat. Histor.* cap. 50. Quam male igitur de se statuunt, qui potiorem diei partem stertendo dormiendove consumunt, quibus:

—— pulchrum fuit in medios dormire dies, &
Ad strepitum citharæ cessatum ducere curam,

ut Horatius *lib.* 1. *epist.* 2. ait. Noctem natura somno tribuit: Sol oriens vero omne animantium genus, tum præcipue hominem, ad vitæ munia revocat. *Qui dormiunt*, inquit Paulus, *nocte dor- miunt: qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt*. Proinde, quid turpius, quam quum omnia animantia cum Sole expergiscantur, quædam etiam illum non- dum adparentem, sed adventantem cantu salutent, quam elephantes Solem orientem adorent, homi- nem diu post Solis exortum stertere? Quoties au- reus ille splendor illustrat cubiculum tuum, non- ne videtur exprobrare dormienti: Stulte, quid optimam vitæ tuæ partem gaudes perdere? Non in hoc luceo, ut abditi dormiatis, sed ut rebus honestissimis invigiletis; nemo lucernam accendit, ut dormiat, sed ut aliquid operis agat; & ad hanc lucernam omnium pulcherrimam nihil aliud quam stertis? Quam serum est, tunc vivere incipere, cum desinendum est.

7. Cæterum, somnus cum animalium faculta- tum quies sit, lassitudinemque leniat, & univer- sæ naturæ gratissima sit, hinc factum reor, ut Gentiles ipsum somnum in Deorum numerum re- tulerint; Orpheus somnum Regem Deorum vo- cavit, Hesiodus in *Theogonia* eum Noctis, Virgi- lius vero, aliique Mortis filium appellarunt. Ovi- dio somnus placidissimus Deorum est lib. XI. *Metam.* vers. 623.

Somne, quies rerum, placidissime Somne Deo- rum,
Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris
Fessa ministeriis mulces, reparasque labori.

8. Senecæ obscurus somnus dicitur, in *Ludo in mortem Claudii*:

Jam Phœbus breviore via contraxerat ortum,
Lucis & obscuri crescebant tempora somni.

Legendum existimo hoc in loco cum Dionysio Gothofredo non *tempora*, sed *cornua somni*. E- quidem testatur Servius *ad* 6. *Æneid. Virgilii* so- mnum solitum fuisse pingi cum cornu, & Poetæ somno lascivia quadam poetica tribuebant cornu plenum medicato Stygii fluvii liquore; ita Flaccus 8. *Argonauticon* & Papinius 10. *Thebaidos* somno cornu tribuunt.

9. Porro Luna, quam ad illuminandam no- ctem, & ut eidem præesset, Deus Opt. Maximus creavit, prout constat ex *Genes.* 1. v. 16. quam- ve S. Augustinus lib. 5. *de verbis Domini* no- ctis solatium eleganter vocat, quanta quæso hu- mano generi commoda affert? Ea enim irrigat, recreat, & vivificat prata, eidem fluxus & re- fluxus maris vulgo adscribitur, per incremen- tum humorum Luna semiplena faciliorem red- dit nixum, evocatque partum in lucem, hinc citiparam eam vocat Timotheus Poeta his versi- bus:

Διὰ κυάνεον πόλον ἄστρων.
Διά τ' ὠκυτόκοιο σελάνας.

Id est.

Per & cæruleum polum astrorum
Per & citiparæ Lunæ.

Et Apollodorus Cyrenaicus in libro *de Diis*, eximias ait esse vires Lunæ supra omnes Planetas fere, uno Sole excepto; sentimus facile, quamvis corporis magnitudine illis sit inferior. Vide Aurelium Theodosium Macrobium lib. 7. *Saturnal.* cap. ult. Hanc igitur ut Deam Gentiles coluerunt, Varro *de Re Rustica* in princ. Eidem sues immolari mos erat apud Ægyptios, attestante Herodoto in *Euterpe* cap. 47. Τοῖσι (inquit) μὲν νῦν ἄλλοισι θεοῖσι θύειν ὗς οὐ δικαιοῦσι Αἰγύπτιοι· Ἡλίῳ δὲ, Σελήνῃ, καὶ Διονύσῳ μούνοισι τοῦ αὐτοῦ χρόνου τῇ αὐτῇ πανσελήνῳ τοὺς ὗς θύσαντες πατέονται τῶν κρεῶν. Id est: *Cæteris quidem Diis sues immolari nefas esse putarunt Ægyptii; at Soli, Lunæ, & Dionyso* (deo suo sic dicto) *solis eodem tempore in ipso plenilunio sues mactantes carnes conculcarunt pedibus.*

10. Parem cultum Gentiles exhibebant Soli, cui & templa Romæ erecta; ac testatur Tertullianus, Persas Solem in linteo depictum adorasse; idem affirmat Damascenus lib. 4. *de fid. orthodox.* cap. 13. qui inde morem obtinuisse tradit, ut orantes ad Orientem se converterent. Orpheus in *Hymnis* Lunam ut Deam invocat his versibus:

Κλῦθι θεὰ βασίλεια φαεσφόρε δῖα Σελήνη,
Ταυρόκερως Μήνη, νυκτιδρόμε, ἠεροφοῖτι.
Audi Luna Dea, & clarissima luminis auctor,
Cornuta, & noctu incedens, qui curris & alte.

11. Quod defectum Lunæ attinet, quantus tum fuerit Gentilium timor, quantaque trepidatio, vel ex Tacito 1. *Annalium* constare poterit. Luna enim quando deficiebat, ejus lumen æris sono & tubarum cornuumque concentu revocari posse, Gentiles sibi persuadebant. *Noctem minacem*, ait Tacitus *d. l. & in scelus erupturam fors lenivit; nam Luna clariore pæne cælo visa languescere*, sunt verba Taciti: „Id miles rationis ignarus omen „præsentium accepit, ac suis laboribus defectio„nem sideris adsimilans, prospereque cessura quæ „pergerent, si fulgor & claritudo Deæ reddere„tur. Igitur æris sono tubarum cornuumque con„centu strepere: prout splendidior, obscuriorve, „lætari, aut mœrere, & postquam ortæ nubes „officere visui, creditumque conditam tenebris: „ut sunt mobiles ad superstitionem perculsæ se„mel mentes, sibi æternum laborem portendi, „sua facinora aversari Deos, lamentantur, &c. Cujusmodi moris meminit Juvenalis *Sat.* 6. vers. 441.

Una laboranti poterit succurrere Lunæ.

Et Livius *lib. 26. cap. 5. Disposita*, ait, *in muris Campanorum imbellis multitudo tantum cum æris crepitu, qualis in defectu Lunæ silenti nocte cieri solet.* Ita ante pugnam Pauli Æmilii Consulis cum Perseo Macedoniæ Rege, cum proxima nocte Luna defectura esset, C. Sulpicius Gallus, Tribunus militum secundæ legionis, Consulis permissu ad concionem militibus vocatis, pronunciavit Lunam proxima nocte defecturam, ne milites id traherent in prodigium, Liv. *Hist.* lib. 44. cap. 27.

12. Hunc morem non modo apud Ethnicos receptum invenio, sed & Christianos hæc superstitio invasit, ut crederent æris sono Lunam deficientem revocari posse, quemadmodum id valde exsecratur damnatque D. Maximus Taurinensis Episcopus in *Homilia de defectu Lunæ*, ibi: *Cum requirerem, quid sibi clamor hic vellet, dixe-*
A *runt mihi, quod laboranti Lunæ vestra vociferatio subveniret & defectum ejus suis clamoribus adjuvaret.* Simile quid refert Isaacius Pontanus in *Urbis Amstelodamensium Historia* lib. 2. cap. 24. de incolis insulæ Ternate, quæ una Moluccarum est. „Deliquia Solis, aut Lunæ eclipses, *ait Pon„tanus* d. l. maxime eis sunt formidabiles. Tum „enim lugubri voce quiritantur & ploratum e„dunt, Regis sui vitæ metuentes. Accidit, ut „sexto Augusti hora octava circiter vespertina „Lunæ esset eclipsis, hic lamentari omnes, vo„ciferari, precari, tympanum æs pulsare, omnes „denique incredibilem mœrorem præ se ferre.
B „Rogantibus nostris, Ecquid ita tristes essent? „Responderunt, Lunæ jam vultum obduci & „condi: ideoque vereri se, ne ea res vel Regi, „vel Primatum alicui mortem portendat. Ubi „Luna jam e terræ umbra est eluctata, nihilque „adversi aut Regi, aut Magnatibus accidit, diem „festum & supplicationem indixerunt. Idem Pontanus lib. 2. cap. 24. *de Chinensibus* refert: *Et hi quidem Chinenses*, ait, *Solem Lunamque conjuges esse asserunt, defectum eorum, si quando is forte in eclipsibus accidat, multis sacrificiis, ne de vita periclitentur, expiantes.*

C 13. Plane cum Luna, utpote luminare minus, non habeat tantum virium, quemadmodum Sol, ut nubes transeat, & illis colorem suffundat, hinc fit, ut ordinarie Iris de nocte non conspiciatur, ut recte annotavit Aristoteles; dico ordinarie, nam alioquin arcum cælestem & noctu conspectum fuisse constat, & notat de Iride Albertus Magnus Aristotelis errorem, negantis de nocte conspici, lib. 1. *Sentent.* Q. 3. lib. 1. *de Cælo*. Idem ex Alberto proponit Bodinus in *Præfat.* libri *de Magor. dæmonom.* Plinius quoque lib. 2. *Naturalis Histor.* cap. 29. notat Iridem noctu fieri non posse. Lambertus Schafnaburgensis ta-
D men, non incelebris Germanicarum rerum Scriptor, in *Annalibus* suis p. 497. posteritati reliquit, plurimos Iridem noctu vidisse, idque hisce verbis exponit: *Præcedenti quoque nocte cælestem arcum circa gallorum cantum serenissimo cælo plerique viderunt.* Eleganter Seneca lib. 1. *Natural. Quæst. At contra arcus*, inquit, *in nocte non fit, aut admodum raro: quia Luna non habet tantum virium, ut nubes transeat, & illis colorem suffundat, qualem accipiunt Sole perstrictæ.* Iridem sane de nocte quandoque conspici, docuit Annus 1612. & Anno 1652. Gothæ in Januario nocte tres arcus cælestes visi.

E 14. Quærunt Physici, ut id obiter annotem, fuerit-ne Iris ante Diluvium, an vero post illud demum cœperit? Et posterior quidem sententia summis viris placuit, eamque probant ex verbis *Genes.* 9. *v.* 13. *Arcum meum dedi in nube, & erit signum fœderis inter me & inter terram*, &c. Ego vero iis, qui Iridem ante Diluvium natura statuunt exstitisse, post Diluvium autem, illo demum, ex singulari Dei constitutione, respectu potitam atque officio, ut esset signum fœderis, meum adjicio calculum. Nulla enim Iridis causa defuit ante Diluvium, non Sol, aut Luna, non oculus, non aquæ guttulæ. Positis ergo causis
F iisdem naturalibus & non impeditis, effectus naturalis ponitur. Nec similia desunt exempla: aqua longe ante in mundo exstitit, quam hunc haberet usum, ut esset aqua regenerationis. Lapides, quibus agrorum discernuntur termini, in rerum natura diu fuerunt, antequam ad hoc officium adhiberentur. Pari ratione Iris dudum exstitit, priusquam ex speciali Dei jussu & voluntate hoc adipisceretur officium, quo in præsentia fungitur. Vide Conimbricenses *Comment. in lib. Meteor.*

Arist

Ariſt. tract. 5. cap. 2. pag: 47. Bartholin. part. 2. *Phyſic. Special.* lib. 4. cap. 5. pag. 249. Magir. in *Comment. in Phyſic. ſuam* lib. 4. cap. 5. pagina 304. Sperling. fautorem noſtrum colendum, *Inſtit. Phyſic.* lib. 5. c. 10. Recte Fromond. *Meteor.* l. 6. c. 1. art. 15. pag. 392. inter rem & reſpectum diſcernit. Falluntur, *inquit*, qui ante Diluvium Noe negant in nubibus viſam Iridem. Si enim nubes & Sol per 1656. a Mundi exordio annos fuerunt, neceſſe fuit aliquando Irides (niſi Deo avertere cura fuerit) generari. Fuerunt igitur ante Diluvium arcus, ſed nondum aſſumti erant ad ſignificationem pacti inter Deum & terram.

15. Sed, unde digreſſi, redeamus. Ceterum Romani noctem ad peculiares res expediendas deſtinarunt; civilis enim diei initia a media nocte ducebant, *L.* 8. *D. de feriis*, cujus rei rationes exponunt Plutarchus *Quæſt. Rom.* cap. 84. & Cæl. lib. 11. c. 1. *Antiq. Lect.*

16. Ita teſtamenta & noctu facere permiſſum; ſignari plane teſtamenta nocte poſſe conſtat ex *L.* 22. *§.* 6. *D. Qui teſt. fac. poſſ.* ubi Ulpianus, *Poſſe & nocte*, ait, *ſignari teſtamentum, nulla dubitatio eſt.*

17. Transactiones quoque noctu frequenter celebratas apud Romanos conjicere licet ex *L.* 20. *C. de transact.* ubi Imperatores Diocletianus & Maximinianus inter alia reſcribunt ibi: *Nec ad reſcindendum pactum ſufficit, quod hoc ſecunda hora noctis interceſſiſſe proponas, cum nullum tempus ſanæ mentis majori viginti quinque annis conſenſum repudiet.*

18. Quin licet vulgo Dd. noſtri, Andr. Tiraquell. *de pœn. temp. aut remitt.* cauſ. 57. n. 4. Farinac. *quæſt. crim.* 18. n. 16. & Ripa *de nocturn. tempore* c. 12. aliique paſſim tradant, noctem aggravare delicta, dubito tamen, an ſententia hæc Jure Romano ſemper ſubſiſtat: Imperator enim Alexander in *L.* 4. *C. ad L. Juliam de adulteriis*, dum numerum, qui legis auctoritate ceſſante inconſulto dolore Gracchum in adulterio deprehenſum interfecerat, exſilio tantum punit; rationem mitigationis pœnæ hanc reddit, quia & nox & dolor juſtus factum ejus relevant.

19. Romanos quoque nocte de rebus graviſſimis non raro conſultaſſe conſtat, & licet Legibus duodecim Tabularum nocturnæ conventiones prohibitæ eſſent, idemque lege Gabinia ſtatutum, tamen leges haſce de clandeſtinis tantum conventionibus, & quæ ad ruinam Reipublicæ pertinerent, intelligendas eſſe tradit Portius Latro in elegantiſſima *Declamatione contra Catilinam.* Catilina enim nocte intempeſta cum conjurationis principibus contra Rempublicam Romanam conventus habebat, deliberabatque, quomodo Reſpublica evertenda, teſte Saluſtio in *Conjurat. Catilinar.* ibi: *Rurſus intempeſta nocte conjurationis principes convocat per M. Porcium Læcam;* horrendum ſane, quod Saluſtius in *Conjurat. Catilin.* tradit: Catilinam humani corporis ſanguinem vino permixtum in pateris circumtuliſſe, eumque cum exſecratione omnes deguſtaviſſe.

20. Tale fœdus Gentiles arcanum, quaſi mutuo cruore ſacratum, appellabant, Tacito teſte lib. 12 *Annalium* c. 47. Mela *lib.* 2. *cap.* 1. *Ne fœdera quidem incruenta ſunt: ſauciant ſe qui paciſcuntur, exemtumque ſanguinem, ubi permiſcuere, deguſtant.* De Armeniis Valerius Maxim. *lib.* 9. *c.* XI. *Sariaſter adverſus patrem ſuum Tigranem, Armeniæ Regem, ita cum amicis conſenſit, ut omnes dextris manibus ſanguinem mitterent, atque eum invicem ſorberent.* Romanis hæc cruenta potio *Aſſiratum* dicta, quoniam *Aſir* ſanguis eſt, ut ajunt Gloſſæ: Feſtum auctorem ita capio: *Aſſiratum apud Antiquos dicebatur genus quoddam potionis, ex vino & ſanguine temperatum, quod Latini priſci ſanguinem Aſſir vocarent.* De Scythis alioquin idem teſtatur Lucianus in *Toxari* ſive *de Amicitia*. De Germanis Poſidon. *lib.* 2. *cap.* 2. De incolis in Palmaria idem refert Philip. Camerar. 1. *Med. Hiſtor.* c. 6. hinc Silius Italic. *lib.* 2. verſ. 426.

Parte alia ſupplex infernis Annibal aris,
*Arcanum Stygia litat * cum vate cruorem.*

Vide Camerar. *d. l.* Tertullianum in *Apologetico*, & Lipſium in *Notis ad lib.* 12. *Annalium Taciti*, & Annæum Robertum *Rer. Judicat.* in Cur. Pariſienſ. lib. 1. cap. 11.

21. Romanis quoque placuiſſe reperio, ut Dictatorem (quem Monarcham vel Regem Romanorum non improbabiliter dixeris cum Hugone Grotio *de Jure Belli & Pacis* lib. 1. cap. 3. pag. 58. & Johanne Henrico Bœclero in *Notis ad lib.* 2. *cap.* 28. *Velleii Paterculi*, fruſtra diſſentiente Bodino lib. 1. *de Republ.* cap. 8.) non alio quam nocturno utplurimum tempore crearint; ut id credam, inducor teſtimonio Livii *lib.* 9. *cap.* 38. „ Alter Conſul Fabius, *ait*, infeſtus privatim Papyrio erat: quæ ne ira obſtaret bono publico, „ Legatos ex conſularium numero mittendos ad „ eum Senatus cenſuit: qui ſua quoque eum, non „ publica ſolum auctoritate monerent, ut memoriam ſimultatum patriæ remitteret. Profecti Legati ad Fabium Conſulem, cum ſenatusconſultum tradidiſſent adjeciſſentque orationem convenientem mandatis, Conſul demiſſis in terram „ oculis tacitus ab incertis quidnam eſſet acturus „ Legatis receſſit; noctis deinde ſilentio, ut mos „ eſt, L. Papyrium Dictatorem dixit, &c.

22. Quid dicam hoc loco de jucunditate temporis nocturni in agris & locis ſuburbanis. Non meis id verbis exponam, ne minus fidei tribuatur, ſed mutuabor a C. Solino Sidonio Apollinari Avernorum Epiſcopo, qui *libro* 2. *epiſtol.* 2. ita: „ Hic jam quam volupe eſt, *ait*, inſonare „ cicadas meridie concrepantes, ranas crepuſculo „ incumbente blacterantes, cyanoſque atque anſeres concubia nocte clangentes. Intempeſta gallos „ gallinaceos concinentes, oſcines corvos voce triplicata puniceam ſurgentis auroræ facem conſalutantes. Diluculo autem philomelam inter frutices ſibilantem, Prognen inter anſeres minurientem, cui concentui licebit adjungas fiſtulæ „ ſeptivocis † armentalem Camœnam, quam ſæpe „ nocturnis carminum certaminibus inſomnes noſtrorum montium Tityri exercent inter greges „ tinnibulatos per depaſta buceta reboantes, quæ „ tamen varia voce cantuumque certamina profundius confovendo ſopori tuo lenocinabuntur. Hactenus Sidonius Apollinaris.

23. Ut brevibus expediam, Nox univerſo generi humano grata, grata & militibus, quæ enim non expediuntur nocturno tempore? annon ſalutaria conſilia in bellis noctu utplurimum cuduntur? quis unquam fortium Ducum a deliberationibus gravioribus noctem removit? Audi Libanium: *διατηρήσει τὴν ἀρχὴν*, (inquit) *ἂν μὲν ἡ νὺξ δέχηται τὰς βουλὰς, τῆς δὲ ἡμέρας φανείσης ἐπιτελῆται δόξαντα*, *in hoc conſiſtit ſalus imperii, ſi nox deliberationes admiſerit, ipſa vero exorta die decreta peragantur.* Hoc argumenti genus infra pluribus tractemus. Vide late ex Veterum monumentis id pertractantem Michaelem Piccardum in *Obſervat. hiſtoric. politic.* decad. 7. c. 9.

24. Quære a liberalium Artium ſtudioſis, quæ Noctis utilitas? Reſpondebit pro omnibus Scopelianus Sophiſta ille inſignis, exclamans, *O nox*,

* Alii rectius, *libat*. † Alii, *ſeptiforis*.

tu quidem sapientiæ divinæ obtines plurimum! Quinimo quemcunque excellentem & ad ornatum seculi natum priora secula habuere, eum noctes utplurimum insomnes duxisse reperies. Aristoteles nunquam ad id scientiæ fastigium pervenisset, ni noctu studiis invigilasset, & grues imitatus manu sphærulam tenuisset, subjecto lebete æneo, quæ per somnum delapsa strepitu suo dormientem excitaret, teste Diogene Laertio in *Vitis Philosophorum:* hæ vigilatæ noctes fecere, ut Aristotelem Averroes lib. 3. *de Anima* com. 14. appellet regulam & exemplar, quod natura invenit ad demonstrandam perfectionem humanam; ejus dicta tanquam fontem intellectus leges nostras civiles sequi, Baldi dictum est in *L. ult. C. de fideicommiss. libert.* Demosthenes nunquam Oratorum maximus audivisset, & Isidoro Pelusiotæ *lib.* III. *epist.* 81. τὸ τῆς Ἑλλάδος κεφάλαιον, hoc est, *totius Græciæ caput*, ni nocturnis semper vigiliis artifices Athenienses prævenisset, Cicero 4. *Tuscul.* De Alexandro Magno noctem vigiliis utplurimum transigente, vide quid annotaverit Amm. Marcellinus, & Antonius Guevarra in *Epistol. aur.* part. 1. p. 81. Verissimum igitur illud Laurent. de Palat. in princ. Tract. *de Statutis*, nullam acriorem, nullamve aptiorem cogitationem studentibus esse, quam nocturnam.

25. De agricolis quid dicam, quanta illis nox commoda affert, nullum industrium reperies villicum, qui non potiori parte noctis vigilet; consule Columellam, is docebit l. 11. c. 1. *de Re Rustica*, quanta vigilatæ noctes agricolis commoda afferant: tria enim a diligenti villico ibidem requirit, (1.) ut vini abstinentissimus, (2) a Veneris amoribus aversus, tum (3.) etiam, ne somno deditus sit, somniculoso enim, *ait*, plurima effugiunt.

26. Quid potest aut ipse agere, aut cuiquam dormiens imperare? quin quod quædam opera non nisi nocte ab agricolis expediri possint, spicas in messe separatas, & nondum collectas, sed in demetendo derelictas, quas denuo rustici cogunt, nocte multo melius quam die colligi posse testatur Varro *de Re Rustica*. Hinc Virgilius 1. *Georgic.* vers. 287.

Multa adeo gelida melius se nocte dedere,
Aut cum Sole novo terras irrorat Eous.
Nocte leves melius stipulæ, nocte arida prata
Tondentur: noctis lentus non deficit humor.

CAP. V.

Quæ nocturno tempore, tam in pace quam in bello, a Magistratibus & belli Ducibus observanda.

SUMMARIA.

1. *Usus Vigilum nocturnorum quam necessarius sit.*
2. *Apud Romanos Triumviris commendata erat cura actionum nocturnarum.*
3. *Ædilibus quoque hæc cura fuit commissa.*
4. *Præfecti Vigilum quodnam officium fuerit?*
5. *Præfecti Vigilum magna fuit auctoritas.*
6. *Varia adduntur statuta de actibus nocturnis observata.*
7. *Offensores Vigilum qua pœna afficiantur?*
8. *De deambulationibus nocturnis Studiosorum agitur.*
9. *De militibus ad excubias agitandas locatis, eorumque privilegiis.*

A 10. *Noctu nunquam solvendæ sclopetæ tempore belli excubiis jam hinc inde dispositis.*
11. *Qui miles excubias temere deserit, capitali puniendus supplicio.*
12. *De Postis agitur & Cursoribus publicis, an noctu sint in arces, castella, intromittendi?*
13. *Quo tempore primum usus Postarum cœperit?*
14. *Nocturnum tempus utplurimum fuit insidiarum plenum tempore belli.*
15. *Stratagemata bellica nonnulla recensentur noctu parata.*
16. *De animalibus brutis adhibendis sub vigilia.*
17. *Cur tempore belli non pulsandæ campanæ noctu?*

B

Expositis potioribus Noctis commodis, convenientissime hoc capite ea, quæ tam in pace quam in bello a Magistratibus & belli Ducibus in castris & obsidionibus observanda, pertractemus; quæ materia tam utilissima est quam necessaria.

1. Primo quidem omnium admonendum erit, constituendos in quavis bene instituta Republica viros industrios, qui noctu civitatem ad præcavenda homicidia, furta, quæ noctu utplurimum fiunt, & incendia exstinguenda obambulent; interest enim Reipublicæ noctu salutem & tranquil- C litatem populi magis magisque conservari, And. Tiraquell. *de pœn. temp. aut remitt.* caus. 57. Hos ipsos vero necesse est potestate aliqua præditos esse, ut delinquentes comprehendere, carceribus includere & coercere possint, quod ipsum plerarumque gentium moribus constitutum reperio. De Græcis testantur Scriptores, peculiares apud eos ad id munus obeundum constitutos viros, vigilantiores & optimos. A Græcis uti pleraque hauserunt Romani, ita quoque verosimile est, Romanos ad exemplum Græcorum sibi nocturnos Præfectos ad D præcavenda incendia & delicta nocturna constituisse: Urbem Romam sane incendiis obnoxiam fuisse, nemo est, in Historicorum scriptis vel mediocriter versatus, qui nesciat, & expresse id testatur Paulus Jctus *in L. 1. D. de offic. Præfect. Vigil.*

2. Apud vetustiores Romanos huic muneri Triumviri præerant, qui ab eo, quod excubias agerent, nocturni sunt appellati; horum muneri constat incubuisse, ut noctu oborta incendia, ne latius pervagarentur, exstinguerent, ex quo perspicue apparet, quod Valerius Maximus *lib.* VIII. *c.* 1. posteritati reliquit, M. Miltium*, Cn. Lollium & L. Sextilium Triumviros, quod ad ex- E stinguendum incendium tardius venerant, nec non P. Bilium † Triumvirum nocturnum, quod vigilias negligentius circumierat, a Tribuno plebis die dicta ad populum damnatos.

3. Intervenisse etiam nonnunquam Ædiles, Paulus *in L. 1. D. de offi. Præfect. Vigil.* auctor est: idque negotii eis non semel ab Augusto datum tradit Dio *libro* 53. & 54. & refert Vellejus Paterculus *libro* 2. de Egnatio Rufo, quod magnam in ædilitate exstinguendis privata familia incendiis populi gratiam sibi paraverit. Privatas familias quoque fuisse, quæ vel mercede F vel gratia incendia exstinguerent, memorat Paulus *in d. L. D. de offic. Præfect. Vigil.* Verumenimvero cum plura tam die quam nocte utplurimum Romæ orirentur incendia, iisque exstinguendis nec Triumviri nocturni, nec Ædiles & Tribuni plebis sufficerent, Augustus Imperator, cujus temporibus eo excreverat Roma ut magnitudine laboraret sua, septem cohortes opportunis locis constituit ad exstinguenda incendia, ita

* Alii, *Mulvium*. † Rescr. *Villium*.

ut binas regiones Urbis unaquæque cohors tueretur: præpoſitis eis Tribunis, & ſuper omnes ſpectabili viro, qui Præfectus Vigilum appellabatur, Paul. *in L. 3. D. de offic. Præfecti Vigil.* Sueton. in *Vita Augusti* cap. 30.

4. Præfectus vero Vigilum per totam noctem vigilabat: & coerrabat calceatus cum hamis & dolabris, *L. 3. c. 3. D. de offic. Præfect. Vigil.* Dion. lib. 55. Barnab. Briſſon. *ſelect. Antiquitat.* lib. 2. cap. 8. ubi explicat, quid dolabrum, quidve hama? unde in Provinciis Præfectus Vigilum *νυκτοςρατηγὸς* dicebatur, *L. ult. §. legati D. de mun. & hon.* in Ægypto Straboni eſt *νυκτερινὸς ςρατηγός*. Hæc dignitas cum temporibus Juſtiniani Imperatoris fere evanuiſset, quippe quod indigne & ignominioſe *νυκτεπαρχοὶ* vocabantur, eam revocavit Juſtinianus Imperator in *Novella* 13. conſtituens ibidem, ut in poſterum non *νυκτεπαρχοὶ*, ſed Prætores plebeii appellarentur. Hic Præfectus Vigilum non tam de nocturnis criminibus cognoſcebat, quam quod fuſtibus caſtigaret eos, qui negligentius ignem habuiſſent, teſte Paulo JCto *in L. 3. D. de offic. Præfect. Vigil.* de capitalibus autem cauſis nihil ſtatuere poterat, ſed eas referebat ad Præfectum Urbis, *L. 1. C. de offic. Præfect. Vigilum*, *L. final. D. eod.* hinc Caſſiodorus in formula Præfecti Vigilum 7. *Var.* 7. ibi: *Quapropter circa fures ſollicitus eſto: quos ſi tibi leges punire minime præcipiunt, tamen eos indagandi licentiam contulerunt.*

5. Cognoſcebat vero Præfectus hic Vigilum non tantum de incendiariis, ſed etiam de raptoribus, invaſoribus, furibus, receptatoribus, effractoribus, *L. 3. D. de offic. Præfect. Vigil.* & in eos jus fuſtium, flagellorum ac virgarum habebat, *L. 3. & L. ult. D. eod.* quinimo & jus gladii in ſervos fures Præfectum Vigilum habuiſſe, teſtatur Pomponius *in L. penult. D. de condict. cauſ. dat.* uti etiam in fugitivos, *L. 2. D. de ſerv. fug.* quia ſui furtum faciunt, *L. 1. C. de ſerv. fugit.* vide clariſſimum hujus ſeculi JCtum, & illuſtris Academiæ Juliæ decus, Henricum Hahnium, fautorem noſtrum colendum, in *Obſervat. theor pract. ad Parat. Weſembec. in tit. de Præfect. Vigil* Hos ipſos Præfectos Vigilum poſterioribus temporibus Romani magnifecerunt. Audiamus M. Aurelium Caſſiodorum, Cancellarium Theodorici Regis Gothorum, ac Romanæ Urbis Conſulem; qui poſtea contemtis vanis ſeculi honoribus, Monachus & Abbas Cœnobii apud urbem Ravennatenſem factus eſt, & judicio Joannis Trithemii, in divinis Scripturis valde doctus & in ſecularibus litteris omnium facile eruditiſſimus extitit. Hic Caſſiodorus 7. *Var.* 7. de Præfecto Vigilum ita: *Eris*, ait, *ſecuritas ſoporantium, munimen domorum, tutela clauſtrorum, diſcuſſor obſcurus, arbiter ſilentioſus, cui fallere inſidiantes fas eſt & decipere gloria. Actus tuus venatio nocturna eſt, quæ miro modo, ſi non cernitur, tunc tenetur. Vigila impiger, cum nox tibi pandat adſpectus: & ſicut illæ reperiunt in obſcuris cibum, ita tu poſſis invenire præconium.* Hactenus Caſſiodorus.

6. Noſtra tempora quod attinet, nullam fere reperies civitatem, quæ non vigiles ad præcavenda & denuncianda oborta incendia habeat; aſt multis in locis Germaniæ præter vigiles peculiariter conſtituti quidam reperiuntur poteſtate præditi viri, qui ad præcavendas cædes, vulnera, & alia delicta, eos, qui nocturno tempore rixas movent, carceribus includunt; id quod in plerisque civitatibus Hanſeaticis ſaluberrime conſtitutum: alibi receptum eſt, ut ſi quis nocte in plateis ſine laterna & comite reperiatur, nulla admiſſa excuſatione & ſine reſpectu perſonarum carceribus includeretur. In multis ſane bene conſti-

A tutis Rebuſpublicis Statutis cautum, ne noctu arma portare, aut ſine lumine incedere liceat; poſterius ipſis Græcis quodammodo placuit: Solon enim lege caverat, ut ſi fœmina foras proficiſcens iter facere noctu vellet, curru veheretur ad lucernam, ibi: *Μηδὲ νύκτωρ πορεύεσθαι πλὴν ἁμάξῃ κομιζομένην λύχνου προφαίνοντος*, *De nocte iter non facere, niſi curru vectam ad lucernam.* Legem hanc laudat Plutarchus in *Solone*. Vide Samuelem Petitum in *Commentario ad Leges Atticas* lib. 6. tit. 4. p. m. 467. Talis conſtitutio promulgata eſt Francofurti in Comitiis Imperii ibidem habitis Anno 1612. quam refert Dominicus Arumæus

B in tract. *de Comitiis Romano-Germanici Imperii* cap. 6. pag. 399. & 400. Non abſimile Statutum in Republica Argentoratenſi obtinere memorat clariſſimus JCtus Joannes Otto Tabor in ſcripto *de Armamentario Juſtiniani*, titulo *de legitimo armorum uſu* cap. 1. in fine pag. 164.

7. Morem Hanoverenſium quondam fuiſſe quoque, notat parens meus dilectiſſimus part. 2. cap. 10. n. 7. tr. *de indiciis delictorum*, ut quoſcunque noctu ſine laterna vigiles offendiſſent, eos confeſtim incarcerarent, cum præſumatur, male eum acturum eſſe, ſcortaturum, furaturum, vel jam ſcortatum ſeu furatum fuiſſe, qui ſine laterna in tenebris

C ambularet juxta illud; *Qui male agit, lucem odit: nox fraudibus apta eſt*, ait Poeta Palingenius in *Aquario* pag. 333. adde Crot. *Conſil.* 413. n. 32. ubi agit de muliere pulſantibus viris oſtium aperiente, viriſque transveſtitis domum mulieris noctu intrantibus. Vid. Natt. *Conſil.* 205. num. 4. Hypp. Riminald. *Conſil.* 274. num. 48. Menoch. *de Præſumpt.* lib. 5. præſ. 41. n. 21. Petr. Gregor. Tholoſan. in *Syntagm. jur.* lib. 20. cap. 2. Farinac. in tom. 4. *tract. crimin.* q. 136. tit. 16. n. 95. In ditione Mediolanenſi legibus & ſtatutis ſeveriſſime prohibitum eſſe, ne quis noctu arma geſtaret, teſtatur Polydor. Ripa *de nocturn.*

D *temp.* cap. 17. n. 12.

8. Si ullibi, ſane in Academiis expediret, ut a Magiſtratibus academicis nocturnæ Studioſorum obambulationes prohiberentur, aut ne arma ſecum noctu ferrent, ſerio interdiceretur: quæ enim rixæ, digladiationes & non raro cædes ex nocturnis ejuſmodi obambulationibus oboriantur, experientia quotidiana teſtatur.

9. & 10. Interea dubium non eſt, quin graſſatores a præſidiariis belli tempore, qui excubant, quorſum? rogari tuto queant, longe minus tolerandum, offendi debere ad excubias poſitos ſine cauſa juſta, uti ſæpenumero accidere ſolet,

E cum illi nil niſi ex mandato Capitanei agant, vel agere debeant, quorum ſtatio alioquin ſacra & inviolabilis eſt; quo ſpectat protritum: Ut, qui expoſitis excubiis bombardam noctu ſolvat, pœna arctiori teneatur, prout cujuſque loci conſuetudo id introduxit. Vide Maximiliani II. *de ſtipendio Equitum* Conſtit. de Anno 1570. articulo 72. quanto magis magiſque qui impetum facit in ipſos vigiles militares, eos offendit noctu, vel voce, clamore, armis & vi armata, neque enim privilegiis gratioſe conceſſis Studioſi abuti debent, non debent privilegia eſſe fomenta vel incitamenta iniquitatis & improbitatis. Memini, quan-

F tæ ſæpius Anno 1654. Wittebergæ digladiationes cum vigilibus militaribus noctu factæ, vix mandatis electoralibus & pœnis ſublatæ. Nihil dicam de nocturnis viſitationibus vigiliarum, nihil de teſſeris militaribus, quæ ſumme neceſſaria ſunt, præſertim belli tempore, adeo ut qui ſatisfacere expoſitus miles non queat officio, deſidioſus vel ſomnolentus factus, vel qui teſſeram juſtam proferre nequeat, coercendus ſit juxta cujuſque regiminis leges vel ſtatuta. Vide

eandem *Conſtitutionem* Maximiliani II. de Anno 1570. *artic.* 78.

11. Jure Civili Romano, ſi miles excubias palatii deſeruiſſet, capite puniebatur, *L.* 10. *D. de Re militar.* Idem habetur eodem in loco *Conſtit.* cit. Maximiliani II. Imperatoris de Anno 1570. *articulo* 51.

12. Non diſſimiles hiſce excubiis vel ſtationariis militibus poſtæ vel curſores publici ſunt, qui neque noctu, neque interdiu moleſtari vel impediri debent, qui quandoque neceſſitate exigente in ipſas urbes munitiores intromittuntur.

13. Harum poſtarum, uti populariter dicuntur, ſeu curſorum publicorum, quoad publicam relationem uſus antiquiſſimus eſt, teſte Xenophonte, de quo infra. Errat itaque Orlandus Malavolta in *Hiſtoria Senenſi*, ab Auguſto curſorios equos diſponi pridem cœpiſſe ſcribens: quoniam id inſtitutum multo antiquius ex Xenophonte ſupra relato conſtat, qui lib. 8. *Cyrop.* cap. 6. id Cyro attribuit; locus (quem notabilem vocat Chriſtophorus Forſtnerus Auſtrius in *Notis politicis ad libros ſex priores Annalium Taciti* pag. 125.) hic eſt: „ Etiam aliud quiddam excogitaſſe Cyrum cognovimus (*ſunt verba Xenophontis d. l.*) „ quod ad imperii magnitudinem pertinet, unde celeriter intelligeret, qui rerum etiam longe „ remotarum ſtatus eſſet. Cum enim conſideraſſet, quantum itineris equus agitatione diurna „ conficere viribus integris poſſet, equorum ſtabula parari curavit, & in eis equos conſtituit, „ cum illis, qui eorum curam gererent. Ordinavit „ & quovis loco hominem, qui tum ad recipiendum litteras allatas, tum ad tradendum eas aliis „ idoneus eſſet, quique defatigatos equos & homines exciperet, & recentes ſubmitteret. Atque hoc „ in itinere ne noctu quidem ceſſari dicitur, ſed „ nuncio diurno ſuccedere nocturnum. Hæc Xenophon. Nomen *poſtæ* ante Caroli V. tempora non fuiſſe in uſu, recte ſtatuit Limnæus in *Notitia Regni Franciæ* lib. 2. cap 7. in teſt. ad d. cap. 7. lit. ppppp. ſane ſub hujus imperio, ut peregrina alia complura, ita & hoc cœpiſſe uſurpari, veroſimile eſt. Certe non memini in actis publicis poſtæ nomen exſtare ſupra Annum MDXXII. ut ſic noviſſime inoleverit nomen poſtæ Apud Romanos poſtam ſeu ſpeciem ejus in uſu fuiſſe, patet ex Livio *l.* 37. *c.* 7. cum quo convenit, quod Cæſar memorat lib. 3. *de Bello Civili*, nuncios de Cæſaris victoria per diſpoſitos equos Meſſanam fuiſſe allatos: necnon quod Capitolinus ſcribit in *Vita Maximini ſenioris*, nuncium mutatis animalibus cucurriſſe, ut cædem Maximini Romæ indicaret. Auguſto alius modus placuit, quem exponit Suetonius in *ejus Vita* c. 49. hos ipſos equos curſui publico deputatos, de quibus L. *T. T. C. de curſu publico lib.* 12. curſuales vocavit Caſſiodorus lib. 1. *Variar.* 29. lib. 4. 47. & *lib.* 5. 5. Quis primum inter Reges Franciæ poſtas inſtituerit, controvertitur. Ludovico XI. hoc adſignat Cominæus *Comment.* libro 8. in princ. „ Rex, *inquit*, nuper in Gallia inſtituerat curſores, qui per diſpoſitos equos incredibili celeri- „ tate iter conficerent, rem plane novam & inuſitatam in Galliis ante id tempus. Huc etiam ex parte propendere videtur Tabætius in *Paradoxis Regum* ſect. 2. pag. 112. qui etiam id Ludovico XI. tribuit. In contrarium abeunt alii, docentque, poſtas ante Ludovicum XI. in Gallia uſitatas fuiſſe, ſed ſub eodem, cum aliquod per tempus neglectæ jacuiſſent, reſtitutas. Vide Pierre Matthieu *Hiſtoire de Louys* XII. lib. 2. p. 696. & Bret. *de la ſouveraineté du Roi* l. 2. c. 15. p. 369. Sed ad rem eam ipſam, unde nonnihil digreſſi eramus.

A 14. Nocturnum tempus inſidiis, hoſti parandis, peropportunum eſſe, Hiſtoriæ loquuntur, De inſidiis, bello Trojano ipſis Trojanis paratis, Virgilius lib. 2. *Æneid.* verſ. 250.

Vertitur interea cælum, & ruit Oceano nox
Involvens umbra magna terramque, polumque,
Myrmidonumque dolos, &c.

Occaſione ſane nocturni temporis plurimi aut inſtantia pericula evitarunt, aut aliis damna intulerunt; & conſtat, leviſſima quæque tempore nocturno hoſtibus metum incuſſiſſe. Id Annibali contigit, qui cum, ut Ennius ait,

B *Ob Romam noctu legiones ducere cœpit*,

tantus terror ex quibuſdam terriculamentis nocturnis invaſit Pœnum, ut inde pedem retulerit; quo facto, ibi fanum conſecrarunt Romani, ab eventu *Rediculum* appellatum: deum vero, cui conſecrarunt, *Tutanum* vocarunt; ita hæc colligo ex Feſto, Plinio *lib.* 10. & Varrone in *Satyra*, quam inſcripſit *Hercules tuam fidem*, ibi:

Noctu Annibalis cum fugavi exercitum,
C *Tutanus hoc, Tutanus Romæ nuncupor,*
Hoc propter omnes, qui laborant, invocant.

Ipſe Annibal quomodo prudentiſſimi Romanorum Ducis Fabii, a quo obſidebatur, inſidias beneficio noctis effugerit, exponit Livius lib. 22. *Hiſtor.* cap. 16. & 17. „ Fallacis conſilii, *ait*, talis apparatus fuit: Faces undique ex agris collectæ, faſceſque virgarum atque arida farmenta „ præligantur cornibus boum; quos domitos indomitoſque multos inter cæteram agreſtem prædam agebat; ad duo millia ferme boum effecta: „ Aſdrubalique negotium datum, ut primis tenebris noctis ad * armentum accenſis cornibus ad D „ montes ageret, maxime, ſi poſſet, ſuper ſaltus „ ab hoſte inſeſſos. Primis tenebris ſilentio mota caſtra, boves aliquanto ante ſigna acti, ubi „ ad radices montium viaſque anguſtas ventum „ eſt, ſignum extemplo datur, ut accenſis cornibus armenta in adverſos concitentur montes, & „ metus ipſe relucentis flammæ ex capite, calorque jam ad vivum ad imaque cornuum advenienſ velut ſtimulatos furore agebat boves: quo „ repente diſcurſu, haud ſecus quam ſilvis montibuſque accenſis omnia circum virgulta ardere: „ capitumque inquietatio excitans flammam hominum paſſim diſcurrentium ſpeciem præbe- E „ bat. Qui ad tranſitus ſaltus inſidendos locati „ erant, ubi in ſummis montibus ac ſuper ſe quoſdam ignes conſpexerunt, circumventos ſe eſſe „ rati, præſidio exceſſere: qua ingens emicabat „ flamma, velut tutiſſimum iter, petentes ſumma „ montium juga: tum in quoſdam boves palantes „ a ſuis gregibus inciderunt; & primo, cum procul cernerent veluti flammas, ſpirantium miraculo attoniti conſtiterunt: deinde ut humana „ apparuit fraus, tum vero inſidias rati eſſe, cum „ multo maximoque ſtrepitu concitant ſe in fu- F „ gam, levique armaturæ hoſtium incurrere. Cæterum nox æquato timore neutros pugnam incipientes ad lucem tenuit. Interea toto agmine „ Annibal traducto per ſaltum, & quibuſdam in „ ipſo ſaltu hoſtium oppreſſis in agro Aliſano poſuit caſtra. Hæc Livius.

15. Pertinet huc ſtratagema bellicum ad terrendos noctu hoſtes, quod probabiliter ab Annibale hauſerunt poſteri. Ex Julio Frontino *lib.* 1. *cap.* 5. hoc refert Henricus Ranzovius in *Commentario*

* Leg. *id.*

bellico libro 2. cap. 9. „ Reductus, *inquit*, in angustias, ex quibus difficulter elabi potes, noctu „ armentorum cornibus fasces virgarum atque „ arida sarmenta alliga, & his incensis armenta „ dimitte. Hæc quam primum adolescens flam„ma succreverit, in montes discurrent, arbusta „ incendent, iisdemque passim lucentibus ostenti „ loco habebuntur; si dolus patefiet, insidias me„ tuent hostes, seque in castris continentes tibi „ proficiscenti non obstabunt.

16. Cæterum, ad evitandas nocturnas insidias, præsertim in obsidionibus, expedit (1.) non tantum cohortem vigilum habere, quæ cuncta temporum momenta observet, aut si lumen in propinquo videat, accurrat diligenterque inspiciat, ne insidias struat hostis; sed proderit (2.) prope valla & munimenta, talia enutrire ac habere animalia, quæ nocte vigilant utplurimum, & quæ vel foliorum strepitu excitantur, & vel ipsum noctis silentium movet; talia animalia sunt vigiles canes, quorum fidelitati non domus tantum privatas, sed & palatia tuenda committimus: & refert Sylvius *de Asia Minore* cap. 88. de Rhodiensium Militum canibus, quod in Insula Rhodo ad excubias noctu faciendas collocati, Turcas a Christianis solo odore discreverint. Apud Romanos custodias nocturnas canes exseruisse publiceque Romæ in Capitolio alitos, scripsit Cicero *pro Sexto Roscio*; quin imo hos canes ad custodias nocturnas retentos, cum obdormissent, nec detexissent hostium adventum, Romæ furca fixos & suspensos fuisse, refert Gregor. Tholosan. in *Syntag. jur. univers.* part. 2. lib. 19. cap. 11. Talia sunt anseres, qui Capitolium & in eodem florem juventutis Romanæ servarunt,

—— *Romulidarum* † *longe præsentit odorem,*
Romulidarum arcis servator candidus anser,

dixit Lucretius *de Rer. natur.* lib. 4. vers. 683. & ibi Dionys. Lambin. in *Comm.* ad vocem *Romulidarum arcis* pag. 155. Etenim Manlius, qui ob defensum Capitolium Capitolinus dictus, capta Urbe confugiendi in Capitolium auctor fuit, quadam nocte clangore anseris excitus Gallos ad scendentes dejecit; mira sane fortuna, viros, qui universum orbem erant missuri sub jugum, avis una servavit, inquit post Veget. Alb. Gentil. *de injust. belli Rom.* pag. 20. hinc nutriendos in turribus anseres præcepit Veget. *lib.* 4. *cap.* 26. Vid. Columel. *lib.* 8. *cap.* 13. Gotfr. Viterbiens. part. 9. *Chron.* pag. 197. Anton. Episc. Florent. *Chron.* tit. 4. cap. 5. §. 9. Crus. part. 2. *Suev. Ann.* lib. 1. cap. 2. pag. 28. Agripp. *de vanit. Scient.* cap. 81. P. Gregor. lib. 31. *Syntagm. jur. univers.* cap. 2. n. 12.

17. (3.) Non concedet Gubernator civitatis ut nocturno tempore pulsentur campanæ, ne ad intelligendas horas hosti signum dari possit. Ita præcipit Auctor Discursus *del modo delle fortificationi al gran Duca di Toscana*, apud Honorium tom. 2. *Thesaur. polit.* pag. 12. ibi: „ Non deve „ comportare, chi governa, che nella citta, mas„ simamente di notte fianó sonate campane, ne „ hore di sorte alcuna, perche potriano essere cau„ sa di intelligenza col inimico: id est: Non per„ mittet loci Gubernator, præcipue vero tempore „ nocturno, ut pulsentur campanæ, ne ad indi„ candas etiam horas; facili enim negotio ab in„ telligentibus posset hosti aliquod dari signum. Magno suo damno Galli in Sicilia tempore Rudolphi Habsburgici Anno MCCLXXI. id experti fuere; tertia enim feria Paschatos, ad sonitum campanæ, quo ad vespertinas preces habendas populus, ut moris erat, admonebatur, omnes interfecti fuere, exceptis paucis, qui in Arce Sperlinga sese defenderunt, qui tamen omnes deficiente commeatu obsessis itineribus inedia perierunt. Vid. Camerar. in *Hor. Succis.* cent. 1. cap. 83. pag. 386. Facinus hoc nefandum vulgo vocant *Vesperas Siculas*. Vid. Speidel. in *notab. jurid. polit. hist.* Qua ratione factum, ut infensissimus Christianorum hostis Turca Græcis campanarum usum interdixerit, neve earum sono populum ad sacra convocare possent. Vide Leonem Allatium in libro *de recentiorum Græcorum templis* ad Joannem Morinum scripto, ubi inibi notat, Græcos ligneo instrumento (quod ibidem late describit) vice campanæ populum ad sacra convocare.

† Rest. *humanum.*

CAP. VI.

De commoditate nocturnorum consiliorum, nec non vigiliarum, tam in armato quam togato statu, necessitate.

SUMMARIA.

1. *Nox commodissima ad consilia capienda.*
2. *Quare noctu utplurimum consilia capienda?*
3. *Noctem cur Euphronen Antiquitas appellaverit?*
4. *De Regibus agitur & Imperatoribus, qui paucissimo somno fuerunt contenti, vigilantiores ad Rempub. bene administrandam.*
5. *De vigiliis gruum agitur.*
6. *Studiosi artium non intermittant etiam noctu invigilare litteris.*

Noctis commodum insigne est; quod tum mentis vis maxime vigeat, exerceatur, & optima quæque consilia capiantur, cui ignotum quæso illud? Noctu urgenda consilia esse. Averroes, dum Noctem multis de causis commendat, ad extremum eam deliberationibus maxime aptam esse statuit. Libanius Sophista diem actionum, noctem vero consiliorum tempus esse dixit: Τὴν γὰρ ἡμέραν, ait, τῶν ἔργων, τὴν δὲ νύκτα βουλῆς εἶναι δεῖ καιρόν: addit idem, διατηρήσει τὴν ἀρχὴν, ἂν μὲν ἡ νὺξ δέχηται τὰς βουλὰς, τῆς δὲ ἡμέρας φανείσης ἐπιτελῶται δόξαντα; id est, *In hoc consistit salus imperii, si nox deliberationes admiserit, ipsa vero exorta die decreta peragantur.* Recte proinde Onosander statim in initio *Strategici* sui requirit στρατηγὸν νήπτην, ὅπως ἐπαγρύπνῃ ταῖς μεγίσταις πράξεσιν· ἐν νυκτὶ γὰρ, addit, ὡς τὰ πολλὰ ψυχῆς ἠρεμούσης στρατηγοῦ γνώμη τελειοῦται, id est, *sobrium requirit strategum, ut in arduis negotiis parandis patrandisque pervigilet: noctu enim quasi silente & quiescente animo multa Ducis cogitatione perficiuntur.* Mauritius Imperator eadem requisivit a belli Ducibus, τὸ συμμέτρως, ait, διαιτᾶσθαι καὶ ἀγρυπνεῖν, καὶ ἐν ταῖς νυξὶ μᾶλλον βουλεύεσθαι τὰ περὶ τῶν ἀναγκαίων ἀγαθόν ἐστι· ἐν νυκτὶ γὰρ εὐχερῶς τελευτᾷ βουλὴ ἠρεμούσης ψυχῆς ἐκ τῶν ἔξωθεν θορύβων, id est, *Modice vivere & vigilare, & de nocte consilium capere: de nocte enim certius solet provenire consilium quiescente mente a tumultibus externis.*

2. Eleganter Noctem, tanquam salutaribus consiliis opportunam, belli Ducibus commendat Leo Imperator *Constit.* 2. §. 6. cujus verba hic apponi nobis longum, Lectoribus fortean tædiosum foret. Vide adducta verba Leonis apud Michaelem Piccardum in *Observat. historico-politicis* de-

cad. 7. cap. 9. Veriſſimum ſane Epicharmi dictum apud Diodorum Siculum:

Εν νυκτὶ βȣλὴ τοῖς σοφοῖσι γίγνεται,
In nocte Sapientibus consilium.

3. Ipſa Nox Sophocli dicta eſt Εὐφρόνη, παρὰ τὸ εὐφρόνειν. Idem confirmat Plutarchus περὶ Πολυπραγμοσ. dum ait: *Noctem, velut amicam intelligentiæ, Euphronen appellabant Antiqui, videlicet arbitrantes, quietem illam nullis interpellantibus aliis rebus, multum habere momenti ad inventionem eorum, quæ inquiruntur.* Sophocli & Plutarcho teſtem adjungo Clementem Alexandrinum, virum, judicio Caſauboni *Exercit.* 1. *ad Baron. Appar.* pag. 2. inexhauſtæ doctrinæ: *Ea ratione*, inquit, *Noctem vocaſſe Euphronen, mihi videtur, quoniam anima tunc a ſenſibus ceſſans magis magiſque intra ſe convertatur & prudentiæ fit capacior. Unde & ſacra myſteria noctu frequentius celebrata; ut ſignificaretur, illam animæ a corpore abſtractionem & quendam veluti χωρισμὸν devotius, quam diurnas preces, operari.* Non omittenda heic duxi ea, quæ de eadem re poſteritati reliquit idem Libanius Sophiſta in *Progymn.* Καὶ τί δεῖ (inquit) παλαιὰ λέγειν; ἀλλὰ τὸν ἁπανταχῆ περιφερόμενον τίς ȣ̓κ οἶδε λόγον; ὅς φησι δεῖν ἐν νυκτὶ βȣλῆς ἔχεσθαι. Οδὲ σοφὸς Σοφοκλῆς τι μαθὼν Εὐφρόνην ἀπεκάλει τὴν νύκτα; Οὐχ᾽ ὅτι τὸ φρονεῖν ὡς μάλιςα τότε τοῖς ἀνθρώποις παρεγίνετο. Id eſt, *Quid vero priſca afferre opus? aut cui ignotum? Noctu urgenda conſilia. Quo autem ſenſu ſapiens Sophocles noctem dixit, vocabulo a mente ducto, Euphronen? Quod tum mentis vis in homine maxime exerceatur.* Equidem nullum ſapientius conſilium eſt quam nocturnum, nulla acrior, nulla altior cogitatio, quam nocturna, non eſt vehementior mentis vis quam noctu; hinc conſilium Areopagiticum, ad quod graviſſimæ quæque cauſæ devolvebantur, (vide Iſocratem in *Orat. Areopagit.* Johannem Meurſium in peculiari, quem de hoc Judicio conſcripſit, tractatu, Nicephor. Calliſt. lib. 2. *Hiſtor. Eccleſ.* cap. 20. Ubbon. Emm. in *Deſcrip. Reipub. Athenienſ.* pag. 19. & 29.) noctu habitum, teſtibus Luciano in *Hermotimo*, Apulejo libro 14. *Metamorph.* quod, ut Eraſmus vult, ideo factum fuit, quia mentis vis noctu vehementior, & animus ab omni perturbatione liber & vacuus: nox enim eſt ſolitudo, ait Quintilianus, quæ potius quærenda eſt, aut locus opacus aliquis tenebroſuſve, liber a remoris & impedimentis, quo natura ipſa nos vocat. Lucianus in *Hermotimo* Areopagitas propterea de rebus graviſſimis noctu judicaſſe exiſtimat, ut non ad dicentes, ſed ad ea, quæ dicerentur, Judices reſpicerent. Οἱ ἐν νυκτὶ καὶ σκότῳ δικάζȣσιν· ὡς μὴ ἐς τȣ̀ς λέγοντας, ἀλλ᾽ ἐς τὰ λεγόμενα ἀποβλέποιεν, ait Lucianus *d. l.* Debet ſane Judex, ut Johannis de Pineda *in Jobum cap.* 18. *verſ.* 18. verbis utar, imitari Narvienſem illum agrum, qui imbribus ſiccior redditur, non ſecus Judices ad injuſtas preces ſeveriores & aridiores eſſe debent. Porro noctu accuſator & reus ἄνευ προοιμίȣ καὶ παθῶν, id eſt, *abſque proœmio & affectibus*, cauſas proferebant. Plutarchus in *Sympoſiacis* decad. 7. adducit Platonem, qui ſcripſerit apud Lacedæmonios fuiſſe νυκτερινὸν σύλλογον, id eſt, *nocturnum conventum* graviſſimorum virorum, ad quem arduæ cauſæ rejiciebantur. Ex dictis conſtare poterit, quid judicandum de ſententia Polydori Ripæ *de nocturn. tempor.* cap. 10. n. 7. ſtatuentis conſilium non noctu capiendum eſſe, ſed ſub die naſci debere. Equidem, qua ratione factum, ut Gentiles potiora Deorum ſuorum feſta noctu celebrarint, infra pluribus exponemus.

4. Ad priora revertendo conſtat, noctu quaſi ſilente & quieſcente animo multa Imperatoris & belli Ducis cogitatione perfici poſſe; hinc Homerus *Iliad.* 3. verſ. 24.

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα,
Ω λαοί τ᾽ ἐπιτετράφαται καὶ τόσσα μέμηλε.
Turpe duci ſomno totam traducere noctem,
Cui multi populi commiſſi, plurimæ curæ.

Hos verſus μυςηριωδῶς non ſine cauſa bis in libris ſuis repetere voluit Homerus, qui de Agamemnone lib. 10. *Iliad.* verſ. 1. etiam hæc memorat:

Αλλοι μὲν παρὰ νηυσὶν ἀριςῆες Παναχαιῶν,
Εὗδον παννύχιοι μαλακῷ δεδμημένοι ὕπνῳ
Αλλ᾽ ȣ̓κ Ατρείδην Αγαμέμνονα ποιμένα λαῶν.
Υπνος ἔχε γλυκερὸς πολλὰ φρεσὶν ὁρμαίνοντα.

Idem de Ænea affirmat Virgilius lib. 1. *Æneid.*

At pius Æneas per noctem plurima volvit.*

Mercurius ad Hannibalem apud Silium Italicum *lib.* 3. verſ. 172.

Turpe duci totam ſomno conſumere noctem,
O Rector Lybiæ: vigili ſtant bella magiſtro.

Vide Xenophontem in *Orat. de Ageſilao*, Ariſtotelem lib. 7. *de Republ.* cap. 4. Averroem lib. *de Divinat.* & Hippocratem in *Epiſtola ad Philippemenem*. De Veſpaſiano Suetonius in *ejus Vita* refert, eum ſummo mane evigilaſſe, & perlectis epiſtolis cum amicis colloquia habuiſſe. Idem de Johanne Corvino, regni Ungariæ Gubernatore, tradit Bonfin. *lib.* 7. *decad.* 3. & de Perſarum Regibus Plutarch. in lib. quem inſcribit *adverſus Ducem imperitum.* Juliano Imperatori tripertita noctis officia, quietis, Reipublicæ, & Muſarum, fuiſſe Ammianus Marcellinus auctor eſt. De S. Maria glorioſa Virgine & matre Domini noſtri Jeſu Chriſti refert Sabell. *lib.* 2. *cap.* 9. quod per totas noctes in templo conſederit, & Deo Opt. Max. inſigni & indefeſſa pietate ſervierit. Singulare quid prædicatur de Pontio Pilato, ait parens meus dilectiſſimus Chriſtophorus Cruſius in tr. *de Paſſion. Jeſu Chriſti* part. 1. cap. 6. ſect. 2. pag. 271. quod, cum ſummo mane ad Prætorium perveniſſent Judæi, ipſe jam evigilaverit, alacerque ad audiendam cauſam exſtiterit; quæ aſſiduitas quidem laude digna eſt, modo eadem non fuiſſet abuſus adverſus innocentem Chriſtum.

5. Juſtinianus Imperator alibi memorat, ſe noctes ducere inſomnes, ut quietem poſteris præpararet: debet ſane bonus Imperator exemplo gruum pro ſubditorum ſalute vigilare: grues enim noctu excubias agunt, teſte Plinio *Natural. Hiſtor.* lib. 10. cap. 23. Excubias habent nocturnis temporibus, inquit Plinius *d. l.* Excubitor lapillum pede ſuſtinet, qui laxatus ſomno & decidens indiligentiam coarguat. Cæteræ dormiunt capite infra alam condito, alternis pedibus inſiſtentes. Dux erecto providet collo & prædicit; hinc verſus Florentii Schoonhovii in *Emblem.* 22.

Excubias grus ſola gerit, pars cætera dormit

* Reſcr. *volvens*.

Tuta, nec infidos sperat ab hoste dolos:
Grus notat hæc Regem vigilantem pro grege; qui si
Dormitat, incautum vastet ovile lupus.

6. Cæterum, & liberalium Artium Studiosis ad inventionem rerum maximarum noctem peropportunam esse, supra notavimus; hinc Scopelianus Sophista noctem sapientiæ divinæ obtinere plurimum asserit, & Agellius de se testatur, *Noctes* suas *Atticas* noctu a se elaboratas: idem de se refert Cajus Plinius Secundus in *Præfat. Nat. Histor. ad Vespasianum*: *Homines sumus*, ait, *& occupati officiis, succisivisque temporibus ista curamus, id est, nocturnis, ne quid vestris putetis cessatum horis*. Recte proinde Marcellus Palingenius, Poeta non incelebris, in *Geminis* noctem Eruditis commendat:

Qui facere & qui nosse cupit quam plurima & altum
In terris virtute aliqua sibi quærere nomen,
Hunc vigilare opus est; nam non præclara geruntur
Stertendo, & molles detrectat gloria plumas.
Tu vero hunc vita, quantum potes & vigilato.
Eheu! quam longam tribuent tibi fata quietem
Quum semel adveniet nox illa novissima postquam
Non redit illa dies, gelidosque reliquerit artus
Spiritus ille levis, volucrique simillimus auræ:
Tunc tibi perpetuo claudentur lumina somno.

Verissimum sane est illud Plauti in *Epidico*:

De die cæci sumus, contra noctu
Licet senatum in corde convocare consiliarium.

Athenienses noctuam sapientiæ Symbolum non sine causa constituerunt; quia noctu avis hæc acutius videt,

Nocte vigent sensus; hinc est sacrata Minervæ
Noctua, quæ triplici lumine nocte videt.

CAP. VII.

De actibus, qui noctu expediuntur, & utrum ii subsistant ac valeant?

SUMMARIA.

1. *An nocte pacta, instrumenta, contractus celebrari possint, nec non testamenta condi?*
2. *Sponsalia, vel nuptiæ, an noctu contrahenda, celebranda?*
3. *Cur actus nocturni in genere suspecti sint?*
4. *Tutius est omnia instrumenta, testamenta & quosvis actus humanos diurno fieri tempore.*
5. *An oblatio pecuniæ vel solutio fieri possit noctu?*
6. *Refutatur sententia Ripæ, ad omnes actus nocturnos indistincte tria luminaria requirentis.*
7. *Cur, qui noctu delinquit, gravius puniatur?*
8. *Nox dicitur circumstantia delicti, ideoque ab Advocatis articulanda.*

1. EXigit instituti ratio, ut hoc capite de actibus, qui noctu expediri possunt, eorundemque validitate paucis agamus. Et quidem primo omnium actus nocturno tempore gestos in civilibus non prorsus improbandos esse Dd. statuunt; possunt sane instrumenta, contractus, & conventiones non minus nocte quam interdiu celebrari, Dd. *ad L. 20. C. de transact.* Transactiones quoque noctu celebratas firmas & illibatas

A esse voluerunt Imperatores Diocletianus & Maximinianus *in L. 20. C. de transact.* ibi: *Nec enim ad rescindendum pactum sufficit, quod hoc secunda hora noctis intercessisse proponas, cum nullum tempus sanæ mentis majoris viginti quinque annis consensum repudiet*. Ex hoc textu notant Baldus, Bartolus & Jason, quod actus consensu roborati valeant facti de nocte, uti de die; cujus quæstionis deductionem præter citatos modo Dd. vide apud Guidonem Papæ *Singul. 983. incipient. dies incipit*. Testamenta quoque noctu signari posse Ulpianus *in L. 22. §. 6. D. Qui test. fac. poss.* tradit; quid obstat, quominus & testamenta ipsa noctu condi possint, quod & hodie observari, præsertim in testamentis nuncupativis, constat, & facit heic ratio modo adducta ex L. 20. *C. de transact.*
B
2. Quid de nuptiis vel sponsalibus noctu contractis dicendum? sane ea hic excipiuntur in foro contradictorio, cum pro clandestinis habeantur. Vide Gloss. *ad cap. consuluit x. de offic. & potest. judic. delegat*. Decium *consil. 163. n. 4. vers. secundo non obstat*. ubi expresse matrimonium nocte celebratum clandestinum appellat, tum quia ea, quæ de nocte fiunt, æstimentur a jure difficilis probationis, Gloss. & Dd. *in L. item si cum exceptione 4. §. in hac actione 3. D. Quod met. caus.*
C Alexan. libro 6. *consil.* 4. num. 6. cum denique, quod sponsalia publice contrahi debeant, non occulte *C. 2. x. de clandest. desponsat.* Cujac. libro 6. *Observat.* capite 20. & quod nocte fit, non publice, sed occulte fieri dicitur, *§. 1. Inst. de obligat. quæ quas. ex delict. oriunt. L. 1. D. de furt.* Hinc ne clandestinis desponsationibus locus relinqueretur, ἱερολογία sive benedictio sacerdotalis apud Christianos invaluit, diu, non noctu celebranda; qui mos vetustissimus est; derivat enim eum Baronius in *Annalibus Ecclesiast.* a tempore Apostolorum, & Tertullianus, qui vixit in
D fine seculi II. post Christum natum, dicit eundem suo tempore obtinuisse, vocatque conciliationem contrahentium publicam. Postea in Concilio Carthaginensi IV. *c.* 13. constitutum, ut sponsi benedicendi a parentibus & paranympho presbytero offerantur, hincque Leo Philosophus in fine seculi IX. post Salvatorem natum, circa Annum 800. illius mentionem facit, *Nov.* 74. & se refert ad Synodum, quæ est Constantinopolitana III. *can.* 98.

3. Cæterum, si actus nocturno tempore celebrati quandoque improbantur, id fit ideo, quia nocturnum tempus arguit clandestinitatis vitium,
E juxta illud Joannis *cap.* 3. *Qui male agit, odit lucem*, quod usurpavit Pontifex *in cap. consuluit x. de offic. & potest. judic. delegat.* And. Tiraquell. *de pœn. temp. aut remitt.* caus. II. n. 12. & seqq. malum plane est quod occultatur, & ad dolum proxime accedit, si quid clam fiat, *arg. L. fin. D. de rit. nupt.* Concinit modo dictis, quod scribit Fabius Quintilianus libro 5. *Oratoriarum Institutionum* cap. 10. in quo de argumentis differit, tropon interdum ad conjecturas pertinere: *ut si dicam*, ait, *bona mente factum, ideoque palam; mala, ideoque ex insidiis; noctu, in solitudine*.
F Hinc Demonax Philosophus celebertimus Imperatoris Hadriani temporibus, teste Luciano in *Vita illius*, nunquam adduci potuit, ut ad sacra mysteriaque Eleusinia, quæ noctu celebrata, accederet: quo nomine accusatus veluti patriæ religionis contemtor, id in concione excusavit, testatus ea sacrificia jure sibi esse suspectissima, quod noctu, clanculum, & in occulto fierent, quoniam, si bona essent, ea omnino in aperto fieri oporteret, quo alios ad amplectendam eam religionem inducerent; si mala, ad cavendam. Equidem actum

clam & nocturno tempore factum regulariter Dd. confundunt.. Aymo Cravetta *consil.* 446. n. 8. inde voluit clandestinitatem convinci, quoniam de nocte adsportata & occupata fuerant bona. Idem tradit Cravetta *consil.* 35. n. 11. *&* 12. Dec. *in cap.* 1. *de fid. instrum.* posteaquam num. 64. dixerat, quod fit de noctu, clam fieri, *num.* 65. *versic. & ideo* subjungit, cavendum esse tabellionibus, ne instrumenta nocturno tempore conficiant, quoniam non mediocris suspicionis præsumtio oritur contra eos, qui clam acta celebrant. Idem inculcant Bald. *in L. cum fratrem. num.* 1. *C. de his quib. ut indign.* Angel. *in L. si pater. §. occisorum, n.* 1. *D. ad SCtum Syllan.* Clar. lib. 5. *recept. sentent.* §. fin. quæst. 60 Polydor. Rip. *de nocturno temp.* cap. 89. per totum.

4. Cæteroquin, quod in initio hujus capitis notatum, jure expeditum est, quosvis Contractus nocturno tempore fieri posse, *L.* 20. & ibi communiter Dd. *C. de transact.* Bald. & Decian. *in cap. consuluit* x. *de offic. & potest. jud. deleg.* Negusant. *de pignor.* part. 3. memb. 1. & instrumenta quævis noctu recte fieri posse, diximus; non ignoro, heic nonnullos statuere instrumenta facta de nocte extra causam necessitatis esse suspecta. Vid. Bald. *in cap.* 1. *de fid. instrum.* Jason *in L. more Romano* 8. *D. de feriis.* Decian. *in cap. consuluit n.* 45. *D. de offic. & potest. jud. deleg.* & plures alios. Ut in universum dicam, quid sentiam, distinguendum esse existimo inter actus, qui nocturno tempore geruntur; quidam enim sunt de genere suspectorum, quidam non: Contractus, qui de genere suspectorum sunt, omnino non sunt suspicionis expertes, si extra necessitatis causam noctu celebrentur. In Contractibus de genere non suspectorum aliud obtinebit. Ast quid dicendum de testamentis, quæ sunt de genere suspectorum? ea nocturno tempore celebrari posse, supra diximus. Vide D. Manticam *de conject. ultim. volunt.* lib. 2. tit. 8. num. 8. & in genere loquentem de omnibus ultimis voluntatibus post Felin. & Decian. *in cap. consuluit* x. *de offic. jud. delegat.* vide Nava. libro 1. *Consil.* tit 6 In contrarium tamen facere videtur, quod testamenta, ut dixi, sint e genere suspectorum, unde vi regulæ antea positæ testamenta, noctu confecta, non videntur suspicionis expertia. Ad hæc repono, quod licet testamentum sit de genere suspectorum, tamen subest sæpius necessitas, quæ legem non habet, & multum contra justitiam ipsam facit, teste Quintiliano *Declamat.* 260. hæc necessitas facit, ut testamentum noctu celebratum valeat; necessitas autem illa vel realis est, quia scilicet mors realiter instat, & fores pulsat, sana adhuc testatoris mente; vel imaginaria, quod quis se morti semper proximum animadvertat; quæ posterior necessitas in materia ultimarum voluntatum quoque attenditur; videantur Dd. supra notati.

Quid de donationibus dicendum, quæ de genere suspectorum quoque dicuntur? Resp. Donationem nocturno tempore factam plerumque præsumi dolosam; ita statuit Augustinus Berojus vol. 1. *consil.* 59. n. 10. per text. *in L. donatio* 25. *C. de donat.* in qua lege Constantinus Imperator constituit, ne donationes palam, non occulte, aut privatim fiant; jam vero quod noctu fit, non dicitur palam fieri, sed occulte potius, *L.* 1. *D. de furt.* §. 3. *Inst. de obligat. quæ ex delict.* & secundum Baldum a Berojo adductum erit hæc ratio, quia propter clandestinitatem præsumitur dolus, *L.* 1. *C. de interdict. matrim. L. fin. D. de rit. nupt.* Porro, qui Contractus de genere non suspectorum sunt, ii indistincte noctu celebrari possunt; ita venditionem nocturno tempore celebrari posse, testatur Berojus vol. 1. *consil.* 59. n. 10. Stipulationes quoque nocturno tempore concipi posse, tradit Jacobus de Nigris *in L. pen. §. qui præsens, n.* 33. *D. de Verbor. obligat.* quem secutus Polydorus Ripa cap. 114. *de noct. temp.*

5 Hucusque de Contractibus noctu celebratis eorumdemque validitate, superest ut paucis exponam, utrumne & solutio ac oblatio noctu rite fieri possit? Equidem regulariter creditorem non teneri noctu precium recipere, & eidem non recte tum solvi posse existimo; & ratio mihi hæc videtur, quia subest periculum improbæ monetæ; nox fraudibus apta est, ait Poeta Palingenius in *Aquar.* p. 33. hinc Ovidius lib. 1. *de Arte am.*

Nocte latent mendæ, vitioque ignoscitur omni,
Horaque formosam quamlibet illa facit:
Consule de gemmis, de tincta murice lana,
Consule de facie corporibusque diem.

Atqui creditor nummos reprobos recipere non tenetur, *L.* 99. *D. de solut. L. C. de vet. numismat. potest.* E. non constare sane creditori poterit, an pecunia, quam debitor noctu vult solvere, proba sit, an reproba, Tiraquell. *de retract. lignag.* §. 1. gloss. 11. num. 10. & 12. Bald. & Angel. *in l. more Romano* 8. *D. de feriis*, quin, licet creditor adhibitis luminibus nummos accurate adspexerit, parum tamen abest, quin non decipi possit; non tenetur igitur creditor noctu oblatos sibi nummos recipere; poterit plane offerens hoc casu purgare moram. Vide Guidon. Papæ *sing.* 198. 3 dies incipit, quem de hoc casu locutum fuisse recte existimat Polydor. Rip. *de nocturn. temp.* c. 109.

6. Cæterum, ut actus nocturni subsistant, requirunt Dd. communiter, ut adhibitis tribus luminaribus actus isti facti fuerint. Vid. Alber. & Jacob. Butr. *ad L. non minorem C. de transactionibus*, Decian vol. 2. *consil.* 65. n. 20. Felin. *in cap. consuluit. n.* 18. x. *offic. jud. delegat.* Menoch. *de arbitr. jud.* lib. 1. quæst. 62. & ita in praxi servari notat Polydorus Ripa, eximius alioquin JCtus, *de nocturno tempore* cap. 113. n. 14. pag. 547. ubi addit, in quibuslibet contractibus & instrumentis noctu expediendis necessario adesse debere tria lumina; quinimo Polydorus Ripa ad nauseam usque hanc suam de tribus luminaribus adhibendis opinionem Lectori in laudato tractatu proposuit; necessario enim illa tria lumina in specie adesse debere contendit in donationibus noctu celebratis, *capite* 105. n. 8. in testamentis noctu factis, &c. *capite* 141. n. 2. & 7. in Codicillis *capite* 142. in sententia noctu promulganda, *cap.* 134. n. 56. & 57. &c. ubi addit, non sufficere tres candelulas, sed tria requiri magna luminaria. Ego minimus lubenter huic Polydoro Ripæ & Dd. ab ipso allegatorum sententiæ subscriberem, si sufficientes ejusce rei rationes viderem, quæ cum reddi plane non possint, veritas, quæ divina atque cælestis, quam ut inquirere laudis, sic invenire felicitatis est, me ab eorum sententia, ut ut eam communem dicant, discedere cogit. Quæ enim ratio erit, ut necessario adhibenda sint tria tantum lumina, cur non plura aut pauciora? faciant sane adhibita lumina ad excludendum dolum, fraudem, & clandestinitatem, annon quæso idem præstare poterunt duo lumina, aut si mavis plura, quinque aut sex. In Mediolanensi sane Ducatu adhuc publica contractuum documenta de nocte confici unico duntaxat adhibito lumine, non tribus, constat & certissimum est; qui mos, quæ consuetudo in prædicto Ducatu Mediolanensi recepta, nullo modo improbanda. Quidni enim unicum lumen tantundem præstare posset, quam

quam tria; quo fundamento, quibus textibus Juris, quæso, probabis in actibus nocturno tempore expediendis tria tantum requiri luminaria, & non sufficere duo, vel si plura, quatuor vel quinque potiori jure adhiberi posse dixeris? Adducit Polydorus Ripa ad probandam suam opinionem *l. 1. §. de inspiciendo* 10. *D. de inspiciendo ventre*, ubi Prætor vult, ut in conclavi, in quo mulier parturire incipit, tria adsint lumina, ibi: tria lumina nec minus ibi sint; ast quæso, quam infirmatum, non dicam, ineptum fundamentum est, quod ex hac lege Polydorus Ripa & Dd. communiter depromunt; quod enim ibidem in casu prædicto tria lumina adhibenda ad minimum, id fit ad excludendum periculum subjectionis & suppositionis partus, quoniam, ut statim ibidem additur, tenebræ ad subjiciendum sunt aptiores: quam rationem ad sententiæ promulgationem noctu factam & contractus noctu celebratos nihil prorsus pertinere, in confesso est.

7. In causis criminalibus sane nocturni temporis ratio utplurimum major habetur, tutius quippe noctu Lucina fallitur, quam Phœbus erret quadrigis prælucidissimis. Vel, ubi periculum majus, eo cautius agatur, siquidem de luminibus numero minoribus asserendum in causis civilibus, sin causæ gravitas in civilibus major stringat, quidni adhibenda lumina plura, plura quoque, non pauciora in causis arduis & criminalibus; proinde JCtus in allegata *lege* 1. §. 10. *ff. de vent. inspic.* tria lumina (ne minus ibi sint) caute dicit, qui non excludit lumina plura, nihil hic dicam: quod gravius delicta noctu commissa quam interdiu puniantur, cum noctu pax populi & tranquillitas magis conservari debeat, And. Tiraquell. *de pœn. temp. aut remitt.* caus. 57. num. 4. & delicta nocturna graviora sint diurnis. Vid. Bald. *ad l. non minorem* 20. *C. de transact.* Marsil. *Cons.* 83. n. 16. Marc. Mant. *Consil.* 24. Blanc. *in l. fin. D. de quæst. num.* 198. Gram. *decis.* 36. Mascard. *de Probat.* conclus. 1114. num. 14. præter allegatos alios Dd. adducit Althus. in *dicæolog.* lib. 1. cap. 100. num. 11. textus hac de re sunt *in l. aut facta* 16. *D. de pœn. l.* 4. *D. ad l. Aquil. l.* 1. *&* 2. *D. de fur. balnear.* præprimis expendendus est textus *in l.* 2. *D. de effractoribus*, ibi: *atrociores sunt nocturni effractores*: hinc Bald. *ad l.* 20. *C. de transact.* non tantum gravius esse noctu ait, quam sub lucem peccare, sed etiam tempus nocturnum arguere animum delinquendi præmeditatum. Idem tradit Prosper Farinacius *part.* 1. *in tit. de delict. & pœn.* 9. 18. *num.* 64. adde Petri Theodorici in *Coll. g. Crimin.* disputat. 10. thes. 4. lit. *m.* hinc Alexander tertius Pontifex in *C.* 3. *x. de homicid. volunt. vel casual.* præcipit, ut Judices secundum tempus, quo delictum commissum, unicuique pœnitentiam injungant. Et refert affinis meus p. m. Antonius Bullæus in *Consil.* 1. n 35. inter causas mitigationis pœnarum, quando delictum non nocturno, sed diurno tempore commissum.

8. Est igitur & dicitur nox circumstantia delicti, pœnam aggravans, Farinac. *d. l.* Alex. Raud. *Consil.* 48. n. 129. in fin. nam quisquis actus suos nocturno tempore perficit, qui diu patrari poterant, in dolo esse præsumitur; qui male agit, odit lucem, *cap. consuluit* x. *de offic. & potest. judic. delegat.* Grat. *Consil.* 36. num. 21. vol. 1. Abb. in *cap.* 1. *de clandestin. desponsat.* Bald. *C.* 2. *de fid. instrum.* Cravett. *Consil.* 35. num. 12. quod ipsum ego ita accipio, si actus illi sint de genere suspectorum, vel de eorum genere, qui indifferentes sunt & permittuntur interdum, interdum prohibentur. Cum igitur tempus nocturnum sit circumstantia delicti, aggravans crimen, consequens est,

A necessariam prorsus in processu criminali esse temporis nocturni expressionem, vide Decian. in *Prax. Crim.* lib. 4. c. 24. num. 11. lib. 5. c. 48. n. 10. & lib. 9. c. 35. adde Ægid. Boss. in tract. *crim.* in tit. *de inquisit.* ubi tradit in inquisitorio processu expressionem temporis, utrum scilicet die, an noctu delictum perpetratum, omnino necessariam esse, quinimo, si tempus in inquisitione vel accusatione non apponatur, neque probetur, nulliter agi, & pro re nata reum absolvendum esse, scribit Aretinus *l. Pannonius* 86. §. *rei perduellionis* 1. *D. de acquir. hered.* adde Clar. *in l. ut vim.* 3. *D. de just. & jur.*

B

CAP. VIII.

De servitutibus, utrum earum usus noctu permissus? nec non de damno noctu dato, an eo casu de dejecto vel effuso læsus experiri possit?

SUMMARIA.

1. *Servitus ut plurimum tempore diurno, non nocturno usurpatur.*
2. *De confœderatis agitur, an sibi invicem debeant noctu aperire portas?* &c.
3. *Transitus per domum, agrum vel hortum alienum præbet furti indicium.*
4. *Refutatur Ripæ distinctio de transitione nocturna per prædia vel domos alienas, concedenda.*
5. *Ex dejecto vel effuso læsus noctu experiri omnino potest.*
6. *Qui a cane domestico eoque mordaci læditur, agit de damno dato adversus dominum canis.*
7. *Vide de antiquitate inscriptionis ad portas*, Cave canem, &c.

C

D 1. CUM capite præcedente actus, qui nocturno tempore expediri possunt, expositi sint, commode visum fuit hoc capite disceptationem de servitutibus, utrum earum usus noctu permissus, instituere. Et quidem non posse eum, qui itineris servitutem in prædiis urbanis habet, illa tempore nocturno uti, testatur Julianus *in l.* 14. *D. commun. prædior.* Iter nihil prohibet sic constitui, ait Julianus, ut quis interdiu duntaxat eat, quod fere circa prædia urbana etiam necessarium est. Ex hac lege Gloss. & Dd. notant, quod non liceat de nocte ire per civitatem vel per domos alienas, & ideo etiam, quando quis habeat
E jus aquam hauriendi, eundo per domum vicini, non potest haurire aquam de nocte: & sic intelligitur actus, ut possit uti de die, non de nocte, Bart. *ad d. l.* 14. *D. comm. prædior.* Vide Cæpoll. *de servit. urban. prædior.* cap. 38. n. 1. quinimo sic utendo jus suum perdit, Rom. sing. 8019. *incip. habeo servitutem.* Menoch. *in comment. de retin. poss. in* 8. *remedio n.* 16.

2. Prædicta Cæpolla *d. l.* non solum exemplificat in itinere inter privatas personas, sed etiam inter publicas & confœderatas; si enim plures sint Respublicæ confœderatæ, & ex conventis initisque pactionibus alteri per alterius castella & loca
F liceat transire, non poterit transire, de nocte transiturus, nec alter ex confœderatis illi portam noctu adaperire, iterque patefacere tenebitur. Idem Cæpoll. *d. l.* eleganter notat, quod si plures in eadem sint domo, sub iisdem degentes tectis, sub eadem clavi, non esse januam nocturno tempore etiam domesticis adaperiendam, hoc tamen recte exaudit Polydorus Ripa *de nocturno tempore* cap. 118. num. 6. de iis domesticis, qui passim & frequentius velint adversus quietem & tutelam do-

mesticorum nocturno tempore fores reserare, egredi, ingredi, quæ omnia ab arbitrio boni viri temperanda.

3. Per alienas igitur ædes noctu ire non licet, quin potius indicium furti est, quoties noctu quis perambulet villas, vicos, ædesve alienas, Gloss. & Paul. de Castro *in L. iter.* 14. *D. de comm. prædior.* præclare id deduxit parens meus dilectissimus Christophorus Crusius part. 3. *de indiciis delictorum* cap. 2. num. 51. neque hic valet, vel relevat, prætensio facti vel juris, ut siquidem servitutem eundi per domum, villam alienam, vel aquam hauriendi alleget, quarum exercitia noctu silescere diximus, idemque ex Bartolo Romano & Menochio annotavit parens dilectissimus *d. l.* hinc fures vulgariter dicti ἡμερόκοιτοι, quod interdiu dormiant, noctu vigilent, sic enim Hesiodus in lib. ἔργων κ̀ ἡμέρων vers. 603.

Μήποτε ἡμερόκοιτος ἀνὴρ ἀπὸ χρήμαθ' ἕληται.

Ne solitus dormire die tua tollere possit.

4. Nec video heic quid velit distinctio Polydori Ripæ, quam *cap.* 118. num. 4. proponit. Concedit is, neminem itineris servitute uti posse, nocturno tempore ut transeat alienas ædes, quod dicit obtinere respectu itineris nocturni æstivi, secus respectu temporis nocturni hiemalis. Quæ distinctio nobis videtur a ratione juris aliena, nisi insignis detur & demonstretur diversitatis ratio, quam non reperio penes Auctorem, qua cessante existimamus, tam respectu itineris nocturni æstivi, quam hiemalis, non licere per ædes alienas ire, ut qui servitutem nocturnam habeat hiemalem, is quoque æstivalem usurpare possit, nisi, ut dictum, ratio specialitatis subsit a porta, ut si quis noctu transire queat per fundum, stabula & ædes ad pecora sua noctu pascenda, fimum & quæ alia transportanda per ædes alienas, cujusmodi actus domestici non nisi tempore hiberno usurpantur, vel, quid si pactionibus ita sit constituta servitus, ut non nisi certo & præscripto tempore & modo servitus usurpetur. Alioquin dari speciem servitutis nocturnæ, quo ἁπλῶς ita dicatur, de jure nullum est dubium, videatur JCtus Paulus *in l.* 10. §. 1. *ff. quemad. serv. amitt.* longe plura haberemus ad Tractat. Ripæ *de noctur. action.* qui nuperrime ad manus nostras pervenit, adnotanda, resolvenda aliter, alia pluribus examinanda; sed quia hæc extra propositum ac quidem vulgaria isthæc omnia & parergis communioribus adimpleta, pedem hic sisto, & Lectori committo ejusmodi tradita, pro libitu & arbitrio ea æstimare. Nolo videri censor alieni laboris, multo minus exscriptor libri alieni.

5. Ad alterum Capitis hujus membrum transcendendo: *Utrum, si quando damnum de nocte datum, eo casu de dejecto vel effuso læsus experiri possit?* Constat ex T. T. D. de his, qui effuderint vel dejecerint non licere cuipiam in eo loco, quo vulgo iter sit, aliquid habere, quo nocere possit alteri transeunti, qua de re Prætor *in L.* 1. *D. de his, qui effuderint vel dejecerint*, ita cavit: *Unde in eum locum, quo vulgo iter fiet, vel in quo consistetur, dejectum vel effusum quid erit, quantum ex ea re damnum datum factumve erit: in eum, qui ibi habitaverit, in duplum judicium dabo*, &c. rationem hujus Edicti elegantem reddit JCtus Ulpianus in *d. l.* dum publice utile esse affirmat, sine metu & periculo per itinera commeari.

6. Unde & Ædiles vetuerunt, teste eodem JCto *in L. hi enim §. qui vulgo D. de ædilit. edict.* ne canem ibi haberemus, qua vulgo fit iter, vinctus alioquin canis si læserit, dominus actione noxiali non teneatur, *arg. L.* 2. *D. si quadrup.* habebant enim Veteres vinctos canes ad ædes aut thermas, quibus inscribebant etiam, ut caverent introeuntes.

7. Inscriptionis formula erat *Cave, Cave canem*. Hinc Varro: *Quod hodie*, ait, *mea est prohibitio, in janua Cave, Cave canem, inscribi jubeo.* Eodem modo Petronius Arbiter in *Satyrico*: *Ad sinistram intrantibus non longe ab ostiarii cella*, inquit, *canis ingens catena vinctus, in pariete erat pictus, superque quadrata littera scriptum, Cave, Cave canem.* Sed ut ad propositum redeam: Quæritur, an Prætoris Edictum *in L.* 1. *D. de his qui effud.* etiam ad effusa & dejecta tempore nocturno sit extendendum? Paulus JCtus *in L.* 6. §. 1. *D. de his, qui dejec. & effud.* auctoritate Labeonis fretus, id negat, & recte. Verba JCti hæc sunt: *Labeo ait, locum habere hoc Edictum, si interdiu dejectum sit, non nocte, sed quibusdam locis & nocte iter fit.* Videmus heic JCtum Paulum non simpliciter affirmare, Edictum Prætoris de dejecto vel effuso nocturno tempore cessare, sed cum distinctione: in quibusdam enim locis & noctu iter fit, quemadmodum in Germania non raro videmus, ædificia in vicis prope viam collocata, quo æstate utplurimum antelucano tempore homines prætereunt, quo casu cum posteriora JCti verba locum sibi vindicent, scilicet noctu ibidem iter fieri, dubitandum non est, quin Edictum Prætoris hoc casu locum habeat. Tradit A. Gellius *Noct. Atticar.* lib. 4. cap. 14. de Mancino Ædili Curuli, quomodo ad populum diem dixisset Manuliæ *, quod noctu ab ingressu ædium prohibitus, & lapide de ejus ambulacro ictus esset, vulnusque ostentaret, decreverunt Tribuni, jure ex eo loco Ædilem dejectum percussumque videri.

CAP. IX.

De indiciis, quæ tempus nocturnum in delictis carnis suppeditat.

SUMMARIA.

1. *Adulter nocturno vagatur tempore.*
2. *Nox fornicario panem dulcem efficit.*
3. *Nox fraudibus apta.*
4. *Agit de mulieribus, noctu domum aperientibus viris vel adolescentibus.*
5. *Mulier virili toga induta, noctu deprehensa in plateis, fustiganda.*
6. *Referuntur exempla virorum illustrium, qui temporibus diurnis muliebri vestitu induti fuerunt.*
7. *Mauritio Imperatori victo missus est vestitus muliebris, ut eum indueret, ignominiæ causa.*
8. *An pernoctatio mulieris extra domum mariti præbeat indicium adulterii?*
9. *Nox cur Cupidinis filia dicta?*
10. *Noctem & tenebras observat meretrix noctu obnupta.*
11. *Saltationes & choreæ nocturnæ l. 12. Tabularum interdictæ.*
12. *Choreæ circulus habet in centro Diabolum.*
13. *Quis auctor chorearum, & quonam seculo choreæ introductæ?*
14. *Clericus præsumitur stuprator, qui Monialis vel mulieris cujuscunque cameram vel domum sæpius visitaverit.*
15. *De Gilbertorum Ordine agitur ab Eugenio tertio confirmato, parum pudico.*

1. NOcturni actus ut in genere suspecti, ita varia in delictis carnis, ut vocant, præprimis præbent indicia. Ac quidem adulterii, ut ab eo ordiamur, indicium præbet mulieris visitatio

* Alii, *Mamiliæ*.

nocturna, seu frequentatio domus ejus, marito A
absente, ab adolescentibus aliisve viris levioribus facta, Joan. de Imola *in L. fin. D. de hered. instit.* Menoch. *de præs.* 5. *præs.* 41. Bald. *in l. fin. D. de furt.* parens dilectissimus part. 2. *de indiciis delictorum* cap. 7. num. 1. Vetus enim dictum est, & experientia comprobatum, adulterum nocturno vagari tempore, Fran. Marc. *decis.* 764. part. 2. n. 3. unde ipsi adulteri nocturni Horatio dicuntur lib. 3. *Carm.* Od. 16.

Inclusam Danaen turris abenea,
Robustæque fores, & vigilum canum
Tristes excubiæ, munierant satis
Nocturnis ab adulteris. B

2. *Nox fornicario panem dulcem efficit*, inquit Eccles. *pellicitque ad transgrediendum lectum suum, & dicentem: Quis me videt, tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, quem verear?* Inde dictum Jobi (quem patientiæ exemplar vocat Hieronymus in *Epistola ad Paulinum*) cap. 24. *versic.* 15. *Oculus adulteri observat caliginem, dicens: Non me videbit oculus: & operiet vultum suum. Perfodit in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi, & ignoraverunt lucem. Si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis: & sic in tenebris quasi in luce ambulant.* Vides hoc loco, ait Jo- C
annes de Pineda, prædicta Jobi verba explicans, impios in mediis tenebris perspicaces & oculatos, at in luce & media die cæcutientes, sordidissimi vespertiliones noctu vident,

—— lucemque perosi
Nocte volant,

Ovid. 4. *Metamorph.* vers. 414. Unde recte ex dicto Johannis Evangelistæ loquitur Pontifex in *C. consuluit* x. *de offic. & potest. judic. deleg.*

3. Qui male agit, odit lucem; nox fraudibus D
apta est, ait Poeta Palingenius in *Aquario*. Pertinet huc illud Senecæ in *Med.* Act. 1. ubi incusatur adulter noctem negligens, vers. 71.

Et tu, quæ gemini prævia temporis
Tarde stella redis semper amantibus;
Te matres avidæ, te cupiunt nurus,
Quam primum radios spargere lucidos.

4. & 5. Hinc Joann. de Pineda *ad cap.* 24. *Jobi vers.* 15. prudentes patresfamilias admonet, ut circumspiciant domum, ne qua pateat adultero & insidianti aditus, alioquin constat, mulierem, E
noctu viros in ædes proprias admittentem, præsumi adulteram, Joseph. Fontanell. lib. 2. *Consil. criminal.* consil. 97. n. 35. Bart. *in l. fin. D. de furt.* Menoch. *de præsumpt.* d. lib. 5. præsumpt. 41. Natt. *Consil.* 205. n. 4. Bald. *ad L.* 10. *C. de probat.* Hypp. Riminald. *Consil.* 274. n. 48. adde Crat. *Consil.* 413. n. 32. ubi agit de muliere, pulsantibus viris ostium aperiente, virisque transvestitis domum mulieris noctu intrantibus, & adstruunt Petr. Gregor. Tholosan. *in Syntag. jur.* lib. 20. cap. 2. rubric. *de meretric.* & Farinac. in tom. 5. *Tract. crim.* q. 136. tit. 16. num. 95. quod hoc indicium certissimum sit, nec unquam fallat, & ait Felin. *ad C. prætere* F
rea ext. de testib. quod hoc indicium utplurimum stringat contra Scholares, Bald. *in d. l.* 10. *C. de probat.* easque mulieres, quæ larvatæ viris permixtæ noctu discurrunt, vel interdiu quoque sumta virili veste choreas & tripudia ducunt, Bertaz. *Consil.* 312. num. 2. Prosp. Farinac. *d. loco* pag. 529. volum. 4. adde Wilhelm. Antonii *de rescript. morator.* conclus. 68. num. 109. lit. f. Equidem suspicione non caret, si mulier virili veste noctu induta per civitatem discurrat, Joann. Bonifac. in tract. *de furt.* §. *Est.* n. 53. & scribit Franciscus Vivius *Decis.* 345. n. 10. lib. 2. meretricem quandam, nocturno tempore virili habitu indutam, in civitate Luceriæ repertam a Regia Audientia Apuliæ fustigari jussam exsulasse.

6. Longe turpius virum vestimentis muliebribus indutum in publicum progredi, uti Caligulam Imperatorem factitasse, referunt Josephus lib. 19. *Antiq. Judaic.* cap. 1. Plin. *l.* 37. *c.* 2. & Sueton. in *ejus Vita* cap. 52. De Commodo Imperatore idem tradit Lampridius, eum veste muliebri indutum in theatro & amphitheatro sedisse; Antoninum Heliogabalum utplurimum ad meretrices muliebri ornatu processisse, Ælius Lampridius narrat: Scævola JCtus refert, sese Senatorem Romanum vidisse muliebribus indutum vestimentis. Vide Zas. *in L. si mihi* §. *si stipulatus fuero D. de V. O. n.* 6.

7. Apud Zonaram in *Vita Mauritii*, Imperatori victo muliebrem vestem ignominiæ causa missam esse legimus. Quintilianus *lib.* 5. *cap.* 9. vestem muliebrem ponit inter signa mollis & parum viri.

8. Cæterum, quid si uxor pernoctaverit extra domum mariti? indicium plane adulterii, ni aliud obstet, illa pernoctatio, *per L. consensu* 8. §. *vir quoque* 3. *C. de divortiis* ibi: *aut ipso invito sine justa & probabili causa foris scilicet pernoctantem.* Vide Riminald. *Consil.* 274. n. 31. Menoch. *Consil.* 31. n. 22. lib. 1. Mascard. vol. 1. *de Probat.* conclus. 64. duo igitur copulative requiruntur, ut possit uxor extra domum mariti pernoctare, (1.) quidem, ut fiat marito consentiente, & (2.) ut justa & probabilis causa pernoctandi extra domum mariti fuerit. Hæc licet ita sint & expressa *leg.* 8. *C. de Repudiis* abunde probentur, contrarium tamen consulendo statuit Cravetta *Consil.* 205. per totum, cujus argumentis satisfactum a Polydoro Ripa in tract. *de nocturno tempore* cap. 36. quo Lectorem remitto.

9. Quæ hactenus de adulterio diximus, ea extendenda ad stupra; nocturnæ enim virginum visitationes indicia stuprationis & artis meretriciæ præbent: verissimum plane illud Ovidii 1. *Amor.* eleg. 1.

Nox & amor, vinumque nihil moderabile suadent,
Illa pudore vacat, Liber amorque metu.

Idem lib. 1. *Amorum* eleg. 13. auroram, ne properet, inter alia ita affatur,

Quo properas ingrata viris, ingrata puellis?
Roscida purpurea supprime lora manu.

Et quia noctu utplurimum Venus regnat, juxta illud Oweni,

Nocturnum imperium muliebre, virile diurnum est,
Regnat enim noctu Cynthia, Solque diu.

Hinc factum, ut Antiqui Noctem Cupidinis filiam fuisse crederent; quod affirmavit Aristophanes, ut & Orpheus in *Argonauticis*. Equidem meretrix præsumitur illa, quæ nocturno tempore vel in proprias ædes viros admittit, vel ad eosdem ad loca suspecta venit, Natt. *Consil.* 205. Petr. Gregor. Tholosan. in *Syntagm. jur.* part. 2. lib. 10. cap. 2. n. 6. ubi hanc certissimam esse adulterii probationem statuit. Notatu digna ea, quæ de hoc indicio tradit Baldus *in L. neque natales* 10. *C. de probat.* subjiciens, meretricem aliquam præsumi inde, quod ædes ejus nocte a Scholaribus frequententur, quanquam actus venerei subinde haud probati fuerint, ut tactus, complexus, aliave indicia propinquiora, dicente Bartolo *in L.* 3. *D. de furtis.*

10. Hanc præsumtionem a communiter accidentibus depromi attestatur Eberhard. in *Top. in loc. a communiter accident.* n. 8. pag. 583. hinc meretrices tenebras observare, & ratione nocturni temporis honestioris conditionis esse, quam prostibula, quæ tam nocte quam interdiu vulgo vagabantur, tradit Nonius; & passim noctes pro concubitu & furto venereo ponuntur. Apud Romanos meretrices noctu obnuptæ erant, Juvenal. *Satyr.* 6. vers. 118.

Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos;
Sed nigrum flavo crinem abscondente galero,
Intravit calidum veteri centone lupanar.

Capitolinus in *Vero: In tantum vitiorum Cajanorum & Neronianorum*, ait, *fuisse æmulum, ut vagaretur nocte per tabernas & lupanaria obtecto capite, cucullo vulgari*: adde Sueton. in *Nerone*.

11. Quid de choreis & saltationibus nocturnis mulierum dicam? Sane suspicionis non sunt expertes; hinc lege duodecim Tabularum choreæ illæ & saltationes nocturnæ prohibebantur, Petr. Gregor. Tholosan. in *Syntagm. jur.* lib. 35. cap. 6. si enim in ipsis Deorum Gentilium pervigiliis mulieres ac virgines stupratæ, (Arnob. lib. 5. *advers. Gent.* Agell. *lib.* 11. *cap.* 12. Sueton. in *Caligula*, Plaut. in *Aulul. Prol.* vers. 36.

Qui illam stupravit noctu Veneris pervigiliis,*

unde Romulus nocturna mulierum sacrificia apud Romanos prohibuit) quidni licuisset in choreis ejusmodi nocturnis?

12. Equidem recte nonnemo ejusmodi saltationes meretriciæ lasciviæ notas appellavit, & Guilielmus Lugdunensis scribit, quod chorea sit circulus, cujus centrum Diabolus, a quo virgines ducuntur in sinistra manu, in signum malitiæ. Exstant plane tragica harum nocturnarum saltationum, quomodo eæ a Deo Opt. Max. punitæ, exempla. Vide apud Albertum Stadensem, Albertum Crantzium in *Saxon.* lib. 4. cap. 33. & Johannem Leznerum Hardessianum in *Chronico Corbejensi* cap. 17.

13. Alioquin scribit Eusebius in *Chronicis* Phidamonem hominem nobilem in Delpho apud Pythium delubrum primum choreas instituisse circa annum Mundi 3920. tempore Gedeonis. Persarum Reges semel in anno saltare consuevisse annotat Michael Prætorius in *Syntagm. Mus.* cap. 8.

14. Porro, Clerici noctu Monialium cubicula ingredientes fortissimam contra se præsumtionem & indicium habent, scortationis gratia eos accessisse, nisi dicas, eos habere continentiam Anshelmi Durotelli Abbatis, qui sæpius pernoctare solitus cum puellis, salvo & illæso virginitatis permanente statu; Lector, quid credis? ait Wolffius *Lect. mem. & recondit.* cent. 12. p. 1. pag. 351.

15. De Gilbertorum Ordine Anno Christi 1148. ab Eugenio III. confirmato scribitur, quod parietis interstitio saltem cohabitarint puellis; unde Nisell. Poeta:

Canonici Missam tantum reliquumque sorores,
Explent officii debita jura sui.
Corpora, non voces, murus disjungit, in unum,
Psallunt, directo psalmatis absque metro.

Carmelitas junctas sibi habuisse Moniales, scriptis quoque proditum est; qua de re cum passim male audirent, eas dimiserunt; at fama sopita, cum illis carere non possent, revocarunt obreptitie, ab Urbano VI. id impetrantes. Ut ut sit, fortissima præsumtio vel indicium scortationis est, quoties Clericus sine justa causa visus fuerit noctu Monialis cubiculum ingredi, Crot. *Consil.* 413. quo spectat lepida de Einhardo & filia Caroli Magni historia, quam refert Johan. Wolff. tom. 1. *Lect. memorab. & recondit.* cent. 8. pag. 109. digna, ni fallor, ut adscribatur, cum auctor Wolffius in manu paucorum versetur, quæ ita sese offert: „ Einhardus Archicapellanus, *ait*, Notariusque Imperatoris Caroli, cum in aula Regia laudabiliter serviens diligeretur ab omnibus; a filia quoque ipsius Imperatoris Imma nomine, Regi Græcorum desponsata, amabatur ardentius. Aliquantum temporis fluxerat, amor alternus quotidie inter ambos per augmenta crescebat. Utrosque enim timor retardavit, & offensio regia, ne tam gravia conveniendi inirent conamina. Sed (ut amor improbus omnia vincit) denique cum vir egregius irremediabiliter amando æstuaret, aurесque virginis per internuncium appellare non præsumeret, novissime sumta de semet ipso fiducia, nocturno tempore latenter ad puellæ tendebat habitaculum. Ibidem ergo pulsans clanculum & intrare permissus, tanquam allocuturus juvenculam de regali mandato; statim versa vice, solus cum sola secretis usus alloquiis, & datis amplexibus cupido satisfecit amori. Interea, cum jam appropinquante luce diei, per silentia noctis, unde venerat, regredi vellet, de improviso nivem haud modicam decidisse cognovit, & ne per vestigia pedum virilium agnitus proderetur, foras exire timuit: ambosque nimia, pro conscientia facti, anxietas, simul & formido intus remanere compulit. Cumque nimia solicitudine fluctuantes, quid facto opus esset, deliberarent, tandem elegantissima juvencula, quam audacem faciebat amor, consilium dedit, ut ipsa quidem super se insidentem inclinata exciperet, eumque usque ad locum, illius hospitio contiguum, antelucanum deportaret, ibique eo deposito rursum per eadem vestigia cautius observata rediret: eam noctem Imperator divino (ut creditur) nutu insomnem duxit, diluculoque consurgens, eminusque de aula prospiciens, intuitus est filiam suam sub præfato onere nutanti gressu vix incedere, & ad condictum locum, deposita, quam gestabat, sarcina, celeri repedare recursu. Quibus multo intuitu perspectis, Imperator, partim admiratione, partim dolore permotus, non tamen absque divina dispositione id fieri reputans, sese continuit, & visa interim silentio suppressit. Interea Einhardus sibi conscius certusque rem nullo modo dominum suum Regem diu latere posse, tandem inter angustias reperto consilio, Imperatorem aggreditur, flexis genibus missionem postulans: asserens, tot & tantis servitiis suis condigna non rependi præmia. Illis auditis, Rex, dissimulato rei & eventu & exitu, diu conticuit. Dehinc eum certificans, se postulationi ejus quantocyus responsurum, diem constituit, statimque Consiliarios primosque regni sui, & cæteros quosque sibi familiares, passim evocatos, convenire jussit. Congregata itaque magnifica diversarum dignitatum frequentia, ita exorsus est; Imperatoriam, *inquiens*, majestatem nimis injuriatam esse & despectam, in indigna suæ filiæ, Notariique sui copulatione, & exinde, non mediocri sese agitari perturbatione. Quibus nimio stupore perculsis, de rei novitate ac magnitudine quibusdam adhuc ambigentibus, Rex explicavit eis evidentius, referens eis a primordio, quid per semet ipsum oculata fide cognoverit,

* Rep. *Cereris vigiliis*.

,, consiliumque eorum ac sententiam super hoc
,, postulans. At illi inter se diversi diversa sen-
,, tientes in præsumptorem hujus rei duras &
,, varias dedere sententias, aliis sine exemplo pu-
,, niendum, aliis exsilio damnandum, aliis alio
,, modo disperdendum, ut cuique impetus erat,
,, adjudicantibus. Porro quidam ex eis tanto mi-
,, tiores, quanto sapientiores, habita secum de-
,, liberatione, quam intime Regem exoravere,
,, ut ipse rem per semet ipsum examinare, &
,, secundum divinitus ei collatam sapientiam,
,, diffinire dignaretur. Verum, ubi Rex singu-
,, lorum circa se affectum ponderavit, & inter
,, diversas sententias, quid potissimum consilii
,, sequeretur, expendit, sic eos allocutus est:
,, Non ignoratis, *inquit*, humanum genus va-
,, riis subjectum esse casibus, & frequenter e-
,, venire, ut res nonnullæ, quæ contrariis ini-
,, tiis inchoantur, meliorem aliquando sortian-
,, tur exitum. Proinde non est desperandum,
,, sed potius super hac re, quæ & gravitate &
,, novitate sui nostrum exsuperat ingenium, di-
,, vinæ Providentiæ, quæ nunquam in sui dis-
,, positione fallitur, quæque etiam malis bene
,, uti novit, clementia est exspectanda & pe-
,, tenda. Quapropter tam tristis facti a Notario
,, meo non exigam pœnas, per quas infamia fi-
,, liæ magis videtur augeri quam minui. Unde
,, dignius & laudabilius Imperii nostri gloriæ
,, arbitramur congruere, ut data adolescentiæ
,, venia, legitimo eos matrimonio conjungam,
,, & rei probrosæ honestatis colorem superindu-
,, cam. Regis ergo audita sententia, fit incom-
,, parabile gaudium, magnitudoque animi ejus,
,, ac mansuetudo summis effertur laudibus. In-
,, terim Einhardus jussus adesse, ingreditur.
,, Quem exinopinato Rex salutans, ita eum pla-
,, cido vultu alloquitur: Jamdudum auribus no-
,, stris a vobis delata est querimonia, quod ser-
,, vitiis vestris regali munificentia hactenus di-
,, gni non responderimus. Sed (ut verum fa-
,, tear) maxime super hoc culpanda est vestra
,, negligentia; etsi enim sustineam tot & tanta
,, negotia solus, tamen si quid voluntatis ve-
,, stræ compertum habuissem, servitia vestra di-
,, gno fuissem persecutus honore. Verum, ne
,, vos diutino sermone protraham, querimoniis
,, vestris amplissima donatione satisfaciam, &
,, vos etiam fidelem mihi, ut prius, & bene-
,, volum posthac sentiam, juri vestro nuptum
,, tradam meam filiam, vestram scilicet portatri-
,, cem, quæ quandoque alte succincta vestræ
,, subjectioni satis se morigeram exhibuit. Pro-
,, tinus ad Regis edictum cum multo comitatu
,, adducta est ejus filia, quæ roseo vultus per-
,, fusa rubore, tradita est per manus patris in
,, manus prædicti Einhardi, cum dote plurima,
,, prædiorum quoque nonnullorum, cum innu-
,, meris aureis argenteisque donariis, aliisque
,, preciosis supellectilibus.

CAP. X.

De nocturnis cædibus, earumque indiciis indubitatis.

SUMMARIA.

1. *Quomodo cædis indicium præbeant nocturni actus?*
2. *Describuntur latronum technæ nocturnæ.*
3. *An quando indicium exinde oriatur, siquidem cadaver occisi reperiatur in vicinitate, adversus vicinium?*
4. *Si reus respondere nolit Judici, quærenti ex eo, ubinam nocte præterita fuisset, quando occideretur homo, quidnam hinc indicii, vel si mentiatur?*
5. *Quid si maritus in eodem lecto recubans cum uxore interfectus dicatur noctu?*
6. *Nulla adultera, quæ non sit venefica.*
7. *Exemplis nonnullis illustratur hoc indicium nocturnum.*

1. INter plura indicia nocturnarum cædium non exiguum suggerit temporis nocturni occasio; nox enim uti fraudibus apta, ita iniquitatis delicti & infidelitatis symbolum est. Joann. Bonifac. *in tit. de furtis §. invito domino. n.*25. perpetratæ cædis indicium nox suggerit, siquidem viri suspecti circa tempus matutinum egrediuntur, seque in latebris & occultis locis abdunt, donec prædandi occasionem nanciscantur.

2. Verissimum enim illud Horatii *lib.* 1. *epist.* 2.

Ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones.

Sane, uti bestia noctu grassatur, sic latro vagatur noctu, surgitque primo mane, ut interficiat egenum, ut dicitur Job. *cap.* 24. Mane primo, inquit Pineda ad hæc verba Jobi, pro eo, quod publica & data luce malum committitur, ut sit quasi gloria facinus operantium, secundum Sodomitarum exemplum, de quibus dicitur, & peccatum suum non abscondiderunt. Hoc tempore se impius prædæ committit, cum simplices viatores se committunt itineri; grassandi igitur & fundendi humani sanguinis aviditas & cura illos excitat, sicut & interficiendi impios ipsos cura sanctissimum Regem excitabat: *Psalm.* 100. *In matutinis*, inquit, *interficiebam omnes peccatores terræ, ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Pined. *d. l.* & ibidem: *Mane surgentes*, ait, *matutini ad prædam vix exorto Sole; nam prædæ aviditas eos excitat, hoc est, suæ cupiditatis perficiendæ celeritas & diligentia*, &c. Tenebriones isti, filii tenebrarum sunt, inquit idem tom. 2. *cap.* 38. vers. 18. qui faustas sibi noctes precantur, diei interim maledicentes, & his, qui nefaria eorum opera redarguunt. Præclare hac de re egit Chrysostomus a Pineda adductus: *Ergo Deus*, ait, *præclarum est lucis beneficium, ut filios tenebrarum latrones, noctu grassantes, somno vitiorum expergefaciat, necnon qui sepulcra effodiunt, cæterosque omnes, qui ad scelera socia utuntur nocte; namque hoc hominum genus post lucis exortum, non amplius licenter audet grassari, sed compescitur, lucem, a qua illi arguuntur, odisse:* unde latrones & homicidas ejusmodi nocturnos, non incommode, uti fures, ἡμεροκοίτας cum Hesiodo dixeris, Erasm. in *Chiliad.* 4. *Cent.* 4. *prov.* 4. Recte proinde Ambrosius, adductus ab Heringio in tract. *de homicid. dolos. atrocit.* cap. 1. pa. 47. *Latro*, ait, *diem refugit, quasi criminis testem, lucem adulter, quia erubescit adultera conscientia*, &c. Talis fuit ille Ballista, latro non ignobilis, cui Epitaphium hoc Virgilius confecit*:

Monte sub hoc lapidum tegitur Ballista sepultus,
Nocte die tutum carpe, Viator, iter.

Tales nocturni tenebriones fuere quoque Argivi & Brutii, de quibus Alex. ab Alex. *Gen. Dier.* lib. 4. cap. 13. tradit, more genti insito eos latrones esse, cum illorum ingenia latrociniis lætentur & rapinis gaudeant; hinc Juvenalis *Satyra* 10. vers. 19.

Pauca licet portent † argenti vascula puri,
Nocte iter ingressus, gladium contumque timebis,

* Vid. Jos. Scaligeri *Catal. Virgil.* pag. 138. † Scrib. *porter.*

Et motæ ad Lunam trepidabis arundinis umbram.
Cantabit vacuus coram latrone Viator.

3. Equidem quod cædes nocturnas earumque indicia attinet, ſcribit Jaſon *in L. ſi quando* 9. *C. unde vi num.* 40. quod ſi aliquis noctu occiſus repertus fuerit, ſtatim oriri adverſus vicinos violentam præſumtionem, quaſi ii ipſum interfecerint, eamque præſumtionem præprimis ſtringere adverſus illum vicinum, apud cujus oſtium repertum fuerit cadaver, hoc ſingulariter notandum eſſe vult Jaſon *d. l.* Ego doctrinam Jaſonis eatenus veram exiſtimo, ſi aliæ concurrant circumſtantiæ, ut puta, ſi vicinus ille, penes cujus oſtium cadaver repertum, quondam homicidium commiſerit. Verum enim illud Lucani *lib.* 1. verſ 332.

—— nullus ſemel ore receptus
Pollutas patitur ſanguis manſueſcere fauces.

Vel fama habeat eum latronem, homicidam, inſidiatorem eſſe; illa enim plurimi æſtimatur in criminalibus, Dec. *Conſil.* 44. & 272. Palæot. in tract *de ſpuriis* cap. 24. n. 3. vel inimicitiæ capitales inter vicinum criminis ſuſpectum & occiſum interceſſerint, & vicinus ille minas atrociſſimas effuderit, Marſil. *Conſ.* 3. num. 13. Eberh. in *top. in loc. a temp. ad temp.* copioſe Farinacius 1 *part.* 4. *cap.* 24. per tot. & minas iſtas exſequi ſoleat; alioquin locum ſibi vindicabit illud Sophoclis in *Oedipo Colon.* verſ. 650.

Πολλαὶ δ' ἀπειλαὶ, πολλὰ δὴ μάτην ἔπη,
Θυμῷ κατηπείλησαν· ἀλλ' ὁ νοῦς ὅταν
Αὑτοῦ γένηται, φροῦδα τ' ἀπειλήματα.
Multæ minæ, multa inania verba,
Per iram effunduntur: ſed mens quando
Ad ſeſe rediit, evaneſcunt tales minaces voces, &c.

Vide Carer. in *Pract. crim.* pag. 59. Hoc indicium valde ſtringit, præprimis ſi concurrat fama ejuſce rei, Gomez. 3. *reſol.* 3. Hypp. de Marſil. in *pr. crim.* 2. n. 69. Conſtit. Crim. Car. V. *art.* 25. Johan. de Pined. *in Job. cap.* 22. *verſ.* 4. *n.* 3. ibi: *Quem metuunt, oderunt, quem quiſque odit, periiſſe expetit.* Hiſce & aliis indiciis & circumſtantiis non concurrentibus, non video, quomodo ulla præſumtio perpetrati delicti contra vicinum, licet apud oſtium ipſius repertus fuerit occiſus, ſtringere poſſit, præprimis, ſi vicinus ille ſit bonæ famæ vir; bona fama enim indicia etiam ad torturam ſufficientia evertit, Bald. *in L. fin. n.* 8. *C. de probat.* Cravet. vol. 1. *Conſil.* 151, *n.* 21. Pariſ *Conſil* 163. *num.* 16. *p.* 4. Weſembec. *P.* 2. *Conſ.* 98. Quid ſi vero, inſtituta inquiſitione delicti, vicinus, apud cujus oſtium noctu occiſus repertus, inſolito timore corripiatur? ſuſpicione plane non caret; memorabile exemplum eſt, quod refert Godelman. *de mag. & venef.* 3. cap. 3. Porro, ſi indiciis concurrentibus aliquis ſuſpectus ſit de homicidio noctu commiſſo, & is ea nocte, qua delictum commiſſum, abfuerit, violenta contra eum oritur præſumtio patrati ab ipſo homicidii; notabile quoque hac de re exemplum adducit Auguſt. Lercheim in *Conſil. de ſagis* pag. 121. Maximiliano I. duo juvenes nobiles famulabantur, qui ut inimici capitales ſe invicem jugulare jurarant, alter noctu interficitur, in lecto alterius enſis reperiebatur ſanguinolentus. At hic purgabat indicium hoc inde, quia ea nocte non abfuerat ſuo hoſpitio. Ergo, concludit Auguſt.

A Lerchm *d. loco*, Diabolus interfecit illum; ſomniaverat vero innocens, ſibi viſum fuiſſe, quod interfeciſſet inimicum ſuum; hoc modo manifeſtatus homicida Balthaſar Fabri de Gleichender Herbipolenſis nobilis, qui a Profeſſoribus Witteberg. Anno 1512. relegatus, clam reverſus, Uldaricum Erbar Artium & Medicinæ Doctorem & Profeſſorem ordinarium, tum temporis Rectorem magnificum prædictæ Academiæ, ſub noctem cruce ferrea interfecit, qui homicida poſtmodum deprehenſus, publice capite plexus fuit. Factum id Anno 1512. ineunte Menſe Octobri, ut refert Andreas Sennertus Profeſſor prædictæ Academiæ Witteberg. in
B *Athen.* & in *ſcript. Witteberg.* pag. 58.

4. Quid ſi vero ſuſpectus perpetrati delicti a Judice interrogatus, ubi illa nocte & quem apud fuerit, vel reſpondere nolit, vel mendax reperiatur? adverſus eum maximam exinde oriri præſumtionem, cum Caſon. in tract. 3. c. 1. n. 3. *de Indiciis*, ſtatuo.

5. Cæterum, quid dicendum, ſi maritus in eodem lecto cum uxore cubans occiſus nocte reperiatur, vel vice verſa uxor interfecta ſit? Si alioquin conſtat, non pacifice maritum & uxorem
C vixiſſe, ſed potius diſſidiis, rixis, & verberibus inter ſe dimicaſſe, vel etiam maritum repudiata uxore ita meretricibus adhæſiſſe, & quod longe turpius, ſi uxor adultera ſit, & ſe aliorum libidini exponat, ſane violenta contra ſuperſtitem naſcitur præſumtio, reum cædis iſtum eſſe, aut ſane conſcium ſceleris; & quid de adultera dubitandum, cum nullum tantum ſcelus, nullum tam magnum facinus ſit, quod ſuſcipiendum libido voluptatis violatæque pudicitiæ audacia non impellat.

6. M. Catonem dixiſſe accepimus, teſte Quin-
D tiliano *lib.* 5. *cap.* 10. nullam adulteram non eandem veneficam eſſe: videlicet homo prudentiſſimus ſentiebat, nullum eſſe ſcelus, cujus non facile ſuſpicio in eam caderet, quæ fide rupta, ſacrique lecti genio contemto adulterum admittere auſa eſſet. Vid. Senecam lib. 6. *Controverſ.* 6. ubi adultera, eo quod adultera eſt, accuſatur ſimul ut venefica.

7. Quid dicam maritorum nece adulteria cumulata? Notæ ſunt Candaulis Lydii, Herodot. *lib.* 1. Plat. lib. 2. *de Legib.* Juſtin. *lib.* 1. Uriæ, 2. *Reg. c.* 11. Agamemnonis, Patercul. *lib.* 1. Fabii Fabriciani, Plutarch. in *Parallel.* Romani
E Argyropyli, Conſtantinopolitani Imperatoris, Bapt. Egnat. in *Epit. ſua*, ex adulterio uxorum natæ cædes, vid. B. Briſſonium in lib. *ſingular. ad L. Juliam de adulteriis in princ.* & Martinum Zeilerum *ad hiſtoriam* 14. *Franciſci de Roſchet. triſt. caſ.* ubi triſtia hujus rei exempla plura adducit, quo Lectorem remitto. Equidem, ſi noctu uxor in lecto penes maritum interfecta, & vice verſa maritus occiſus reperiatur, oritur præſumtio violenta adverſus ſuperſtitem, quem ad minimum conſcium tanti ſceleris eſſe: nec enim tam profunde dormire potuit, quod ſi non dormivit, cur auxilium non tulit, cur opem domeſticorum non
F imploravit? Sane uti parricidia occulte & nocte utplurimum fiunt, ita ſervi pœna SCti Sylaniani & Claudiani non tenentur, ſecus ſi clamanti opem non tuliſſent, uti diſtinguit Ulpianus JCtus *in L.* 3. *§.* 2. *D. de SCto Sylaniano*: *Si maritus*, ait Ulpianus, *uxorem noctu intra cubiculum ſecum cubantem interfecerit, vel uxor maritum, ſervi pœna SCti liberabuntur, ſed ſi exaudiſſent & opem non tuliſſent, plectendi erunt, non tantum, ſi proprii eſſent mulieris, ſed etiam ſi mariti*. Exemplis, quibus hæc illuſtrari poſſent, abundant Hiſtoriæ; notum ex Dubravio Olomuzenſi Epiſcopo lib. 2.

Hiſtor. Bojemic. quomodo mulieres Bojemicæ inſtinctu Ulaſtæ animoſæ fœminæ & principatum adfectantis, nocte una ſomno ſopitos interfecerint maritos ſuos: hiſce annumeranda eſt illa, apud Quintilianum, quæ maritum ſuum noctu in lecto interficiens privignum ſuum eundemque cæcum homicidii reum facere voluit, contra quam pro privigno elegantem declamationem habuit citatus Quintilianus. Ubi inter alia hæc habet: „ Te te, hoc loco, *ait*, mulier, interrogo, quæ „ tam gravis quies, ut te mors tam vicina non ex- „ citet? Parvulis noctium turbamur offenſis. Ex- „ citant nos exigui plerumque motus, vox incer- „ ta, longinqua, & aliquando ipſum ſilentium. „ Illorum ſane juxta te ſuprema non ſentias, quæ „ ſenectus languoreſque diſſolvant, hominis, qui „ ferro occiditur, tumultuatur exitus & ſimilis „ eſt repugnanti. Quid, quod neceſſe eſt, nulla „ mors inquietior ſit; quam quæ ſtatim tota eſt.

CAP. XI.

De furto nocturno, ejuſve indiciis, & qua de cauſa fur nocturnus gravius diurno puniatur fure, elegans diſquiſitio.

SUMMARIA.

1. *Quomodo gentes crimen furti puniverint?*
2. *Quænam gentes furta impunita reliquerint?*
3. *Peſſima conſuetudo, qua bona naufragorum confiſcantur.*
4. *Recenſentur variæ pœnarum ſpecies, quibus hodie hinc inde in regnis & Romano Imperio furta coerceantur, plectantur.*
5. *Diſcurſus de ſtrangulationis pœna; utrum ea injuſta ſit, & quodammodo temperanda, mitiganda adverſus fures?*
6. *An in Veteri Teſtamento nonnihil mutata & exaggerata ſit pœna furti? Quod affirmatur.*
7. *Indicia furti nocturni quæ vulgo recepta?*
8. *Nocturnæ deambulationes in genere ſunt ſuſpectæ.*
9. *Famoſi fures plerumque magicam artem callent.*
10. *Quibus circumſtantiis deponere tenentur teſtes, qui de actibus nocturnis teſtificari ſatagunt?*
11. *Apud Romanos nundinæ habebantur quoque noctu: qua ratione, vide ibidem.*
12. *Fur nocturnus lege Hebræorum impune occidi poterat.*
13. *Legibus Solonis receptum fuit, ut occideretur fur nocturnus.*
14. *Jus civile non ἁπλῶς ſtatuit, ut fur nocturnus occidatur, ſed inſigni quadam diſtinctione hoc permittit.*
15. *Diſcurſus non inelegans hac de re.*
16. L. 9. ff. ad S. Cornel. de Sicar. *dextre explicatur.*
17. *Qualis Hugonis Grotii hac de controverſia mens & judicium.*
18. *Alia & nova explicatio* d. l. 9. *vel cur nocturnus fur non poſſit occidi impune?*
19. *Fures nocturni plerumque audaciſſimi, & raro, vel nunquam ſine telo vel armis inſtructi ædes alienas furandi cauſa ſubintrant.*
20. *Tragicum exemplum refertur, quomodo fur nocturnus manu prehenſus in cubili virum aliquem egregium occiderit & impunis permanſerit, quia facinus ſub obſcura nocte patratum erat, & nemo furem viderat.*

1. DE furtis nocturnis eorumque indiciis acturus hoc capite, primo omnium admonen- A dum duxi, furta graviſſime a gentibus punita fuiſſe, id quod paſſim Scriptores teſtantur. Apud Scythas, gentem alioquin barbaram, nullum ſcelus furto gravius fuiſſe, tradit Juſtinus ex Trogo Pompejo *lib.* 2. quippe ſine tecto monimentoque pecora & armenta habentibus, quid ſalvum eſſet, ſi furari liceret? Indos a rapinis, veluti quæ ſocietatem humanam & divina humanaque jura diſturbarent, prorſus abſtinuiſſe refert Strabo *lib.* 15. apud Arrios qui vel minimum quid furatus fuiſſet, ſaxis obruebatur, annotante Euſebio *Præparat. Evangel.* lib. 6. cap. 6. qui ibidem addit, apud Bactrianos fures ſputis exceptos. Locri fures oculis privabant aucto- B re Heraclide in *Politiis*, Draco legumlator, (de quo Demades dixit, eum non atramento, ſed ſanguine leges ſuas ſcriptitaſſe, quod maximæ ſeveritatis & minarum plenæ eſſent) atteſtante Alexandro ab Alexandro *Genial. Dier.* lib. 6. cap. 10. ut ab alieno omnes manum abſtinerent, furta tam moroſiſſime penſitavit, ut eum, qui ſtercorandi cauſa ſtercus bubulum abſtuliſſet, aut olera, capitis ſupplicio afficeret: cenſuitque furto teneri etiam, qui jumentum aliorſum, quam quo utendum acceperat, deduceret. Plutarchus in *Vita Solonis*; ἅπασι, inquit, ἁμαρτάνυσι μία ζημία θάνατος, τὰς C λάχανα κλέψαντες ἢ ὀπώραν ὁμοίως κολάζεσθαι τοῖς ἱεροσύλοις καὶ ἀνδροφόνοις, id eſt, *omnium flagitiorum una pœna mors, qui olera aut mollioris corticis fructus ſurripuerint, ut ſacrilegi & homicidæ puniantur.* Idem tradit Agellius *N. A.* lib. 11. cap. 18. In Lycia ſi liber homo furtum commiſerat, in ſervitutem redigebatur, teſte Stobæo *Serm.* 42. In Carinthia tale jus (ſi jus dicendum) fuiſſe Marcus Antonius Sabellicus *Decade* 10. teſtatur, ut, qui vel ſuſpicionem furti contraheret, ille ſtatim ſuſpenderetur, & triduo poſt habita examinatione, ſi nocens erat ſuſpenſus, humo non reddebatur, ſi autem innocens, cunctis ipſum laudantibus ac præ- D ſentibus ſepeliebatur.

2. Apud quoſdam populos permiſſa ac impunita furta fuiſſe, etiam reperio; ita Lacedæmonii furta permittebant, Plutarch. in *Vita Lycurgi*, Agell *lib.* 11. *Noct. Att.* cap. ult. Alex. ab Alex. lib. 6 *Genial. Dier.* cap. 19. & Sparta furto æque ac armis a primis unguiculis pueros exercebat, imo & furari jubebat, Plut. in *Lacon.* Joan. de Pined. *in Jobum cap.* 19. *v.* 12. *num.* 5. Joh. Wolff. 2. *Lect. mem.* pag. 970 Busbequius in *Epiſt.* 3. *rer. Turcic.* pag. 155. ſcribit, penes Colchos furandi ſolertiam ſumma haberi in laude, vel ut Auctoris verba ſunt, *qui dextro Mercurio furatur, magnus* E *cenſetur, qui neſcit, ut ſtipes & truncus deſpicitur.* Apud Ægyptios vetuſtiſſimos illos furta omnia fuiſſe permiſſa & impunita, tradit Crinitus *de honeſt. diſciplina* lib. 3. cap. 13. vid. Thom. Garzon. *diſcurſ.* 114. Sic Wandali piraticam, quæ ſummo in honore penes eos fuit, conceſſerunt, Albert. Crantz. in *Wandal.* c. 7. & hodie piraticam eandem quibuſdam in locis paſſibuſque maris tolerari, refert Lier. *in procem. navigat. Indicar.*

3. Cui non abſimilis inhumana illa & irrationabilis conſuetudo aliquot in locis recepta, ut bona F naufragorum occupantibus cederent. In Anglia, Sicilia, & littoribus Italiæ hujuſmodi compendia naufragiorum pro regalibus haberi referunt, Lucas de Penna & Johannes de Platea *in L.* 1. *C. de naufragiis lib.* 11. Idem receptum in Comitatu Stadenſi, atteſtantibus Abbate Stadenſi in *Chronico* circa Annum Chriſti 1112. fol. 123. & Spangenbergio in *Chronico Querfurtano* lib. 2. cap. 26. fol. 574. uti & in Gallia, Tholoſan. *de Republ.* lib. 9. cap. 1. n. 29. & Bodin. *de Republ.* lib. 1. cap. ult. nec non in Oſtfriſia, Holſatia, & Dania.

Christianus Rex Daniæ lege naufragorum bonis confiscandis abrogata dicebat sibi periisse annua c. aureorum millia; hæc irrationabilis consuetudo recte proinde damnata fuit legibus civilibus, *l.* 1. *C. de naufragiis*, *Auth. Navigia. C. de furtis*, Jure Canonico ex decreto Concilii Lateranensis in *cap. Excommunicati*, de raptoribus, novissimis Imperii Constitutionibus, inprimis Constitutione Criminali Caroli V. Imperatoris gloriosissimi *Articulo* CCXVIII. & unanimi prudentium consensu. Vide Johannem Loccenium *de jure maritimo & navali* lib. 1. cap. 7. §. 6. & lib. 2. cap. 7. §. 5. & Hugonem Grotium *de Jure Pacis & Belli* lib. 2. cap. 7. qui tamen in *Notis ad d. lib. 2. cap.* 7. §. 1. Bodino falso affingit, quasi ejusmodi inhumanam consuetudinem defenderet, quando ait: *Quid in mentem venit Bodino, ut talia defenderet?* Non defendit Bodinus, sed acriter carpit, id quod patet ex ejusdem lib. 1. cap. ult. *de Republica*. Notat Gailius 1. *Observat.* 18. n. 6. contra hujusmodi consuetudinis in Camera Imperiali mandata sine clausula decreta esse in causa Consulum Civitatis Hamburgensis contra Duces Holsatiæ; idem factum fuisse in causa civitatis Lubecensis contra Comitem Oldenburgensem; & in causa civitatis Bremensis contra eundem Comitem, testatur Sixtinus *de Regalibus* lib. 2. cap. 3. n. 96. Vide Wehnerum in *Observat. practic. lit.* g. Bernhardum Græveum in *Conclus. practic. ad Gail.* 1. *observat.* 18. & Nævium in *Syst. jur. ad l.* 44. §. 2. *D. de acquir. rer. dom.* & infinitis aliis locis, quos adducere supervacaneum. Vide ea, quæ dixi in Resolutione mea *ad l.* Ἀξίωσις 9. *D. de Lege Rhodia de jactu cap.* 4. Bene Euripides in *Helena* vers. 456.

Ναυαγὸς ἥκω, ξένος, ἀσύλητον γένος,
Sum naufragus, hospes, spoliare quod genus est nefas.

4. Pœnam furti quod attinet, ea non semper eadem, inspiciendum potius, quid in quovis Regno & Imperio constitutum, quæve pœna furibus indicta. In Hispania pro primo furto pœnam remigandi in triremibus, & pro secundo pœnam flagellorum, loco vero abscissionis aurium, itidem pœnam remigandi in triremibus imponi, scribit Molina *de just. & jure* tract. 2. disput. 695. num. 16. In Longobardia fures pro secundo furto tonderi & decalvari solebant, ut a tonsura noscerentur, teste Handino in tract. *de Pœn.* num. 56. In Scotia de unoquoque fure est, Wergel *dit.* triginta vaccæ & una juvenca, sive liber homo fuerit, sive servus, *Legib. Reg. Majest Scotiæ* lib. 3. cap. 19. ubi notandum, quod antiquitus in Scotia fere omnia crimina certo vaccarum & boum numero puniantur; eodem modo, quo apud Romanos olim, quorum mulcta pecore constabat, & mulctatio non nisi ovium boumque impendio dicebatur, Agell. *lib.* 11. *cap.* 1. Plin. *lib.* 18. *cap.* 3.

5. In Germania nostra ex *Constitutione Criminali* Caroli V. art. 157. is, qui aureos Ungaricos quinque vel rem ejusdem valoris furatus fuerit, laqueo punitur & suspenditur; quæ pœna an adæquata delicto, non immerito dubitari posset. Negant id simpliciter etiamnum Sociniani, & qui huic hæresi addicti. Vide Smalcium *contra Frantz.* pag. 391. Ego meam heic promere sententiam nolo; video enim, quibus judiciis calamitoso hoc seculo subjaceant ii, qui adversus receptam & longo usu approbatam sententiam vel hiscere audeant, scio Reipublicæ interesse, ut aliquorum maleficiorum supplicia exacerbentur, quotiens, nimium multis personis grassantibus, exemplo opus est, ut ait Claudius Saturninus JCtus in libro singulari *de pœnis paganorum*, cujus sententia relata in *l.* 16. *D. de pœnis*: an vero sit proportio quædam inter vitam hominis & rem corruptioni obnoxiam & furto subtractam, etiam vilissimam, ita ut homini vita adimenda? prudentioribus arbitrandum relinquo, deinde, utrumne aliter malo obviandum? Thomas Morus illustre illud Angliæ sidus, (quo ab Henrico VIII. Angliæ Rege capite mulctato Carolus V. Imperator dixisse fertur, Rex Henricus toti Angliæ caput amputavit, cum Morum sustulit, referente Drexelio in *Tobia* part. 1. cap. 11. §. 2. lib. 1.) Utopiæ sive de optimo Reipublicæ statu quod pœnam furum attinet, eo inclinare videtur, ut damnentur in opus publicum: *Est*, ait, *inter alia, pœna illa ad vindicanda furta nimis atrox, nec tamen ad refrenanda sufficiens. Quippe nec furtum simplex tam ingens facinus est, ut capite debeat plecti, neque ulla pœna est tanta, ut ab latrociniis cohibeat eos, qui nullam aliam artem quærendi victus habent, decernuntur furanti gravia atque horrenda supplicia, cum potius multo fuerit providendum, ut aliquis esset proventus vitæ, ne cuiquam tam dira sit furandi primum, debinc pereundi necessitas*, &c.

6. Equidem furtum simplex lege Mosaica capitale non fuit, sed quadrupli aut quintupli restitutione puniebatur, *Exod.* 22. vers. 1. hæc lex tamen, quæ mere forensis fuit, pro ratione circumstantiarum in ipso quoque Veteri Testamento exaggerationem pœnæ admisit: utpote per redditionem ad septuplum, *Prov.* 6. vers. 31. per occisionem certo casu, cum domum effringens inventus esset, *Exod.* 22. vers. 2. per reatum mortis, quale fuit judicium Davidis de divite, qui suffuratus credebatur pauperi ovem unam parvulam, 2. *Sam.* 12. vers. 5. per lapidationem, ut in sacrilegio, quod species quædam furti est, *Josuæ* 7. versic. 24. per venundationem furis in perpetuum servitium, *Exod.* 22. vers. 3. Ex hisce patet, Constitutionem Carolinam, furibus pœnam capitalem dictantem, injustitiæ ex sola illa lege Mosaica postulari non posse, &c.

7. Indicia furti, quæ tempus nocturnum progenerat, quod attinet, indicium furti est, quoties noctu homines viles & suspecti perambulant villas, vicos, ædesve alienas, Gloss. & Paul. de Castro in *l. iter. D comm. prædior.* quinimo, si reperiantur noctu in ædibus alienis sub stramento, fœno, & in angulis diliteſcentes, arg. *l.* 39. *D. de furt.* nisi repertus docere queat, se non furandi, sed adulterandi & invisendi amasiam causa in ædes pervenisse; cum voluntas & propositum distinguant delicta, *l.* 53. *D. de furtis*; hinc fures vulgariter dicti ἡμερόκοιτοι Hesiodo, quod interdiu dormiant, noctu vigilent; ibi:

Μήποτε ἡμερόκοιτος ἀνὴρ ἀπὸ χρήμαθ' ἕληται,
Ne solitus dormire die tua tollere possit.

8. Alioquin constat, nocturnas deambulationes in genere suspectas & fraudis plenissimas esse, Bald. *in l.* 19. *C. de usur.* Salyc. *in l.* 20. *C. de transact.* & Alexand. vol. 1. *Consil.* 103. Priori indicio simile est & illud, quoties vir suspectus & diffamatus noctu domo abest, cum furtum patraretur, vel a Vigilibus visus esset in plateis præter consuetum; insolita quippe fraudem arguunt, & res suspicione haud vacat, nocte vagari per civitatem sine causa urgenti, Paul. de Castro in *d. l. iter. D. comm. prædior.*

Indicium stringens est, quoties homo suspectus noctu visus est domo exire, cum clavibus adulterinis, ferramentis & instrumentis aliis, quæ ad patranda furta sunt expedita, Zieritz. & Dd. passim

sim *ad art.* 159. *Constit. Crimin.* vel si amuleta & alia hujusce, quæ ad arctum soporem inducendum faciunt , apud furti suspectum inventa fuerint. Est apud Indos planta *Datura* dicta , qui flos aut ejus semen injicitur a furibus in cibos eorum , quos deprædari volunt : mente enim quodammodo alienantur , quoquot id medicamentum sumunt , & in risum solvuntur magna cum libertate , sinentes , quod lubitum est , deprædari : durat vero hæc mentis alienatio 24. horarum spatio .

6. Famosos sane fures plerunque & magos esse , experientia testatur .

10. Testes de hoc indicio deponentes , scilicet ambulasse quem noctu cum instrumentis ad effringendum aptis , rationem dictorum omnino reddere tenentur , id est , visus , vel alloquii , Alexand. vol. 6. *Consil.* 4. Plot. *de in lit. jurand.* §. 51. *n.* 17. Mascard. *de Probat.* 2 concl. 894. (visus) ut quia luna lucebat , erat plenilunium , vel faces accensæ erant , Gomez. 3. *Resolut.* 12. *rubr. de probat.* aliter deponentes de falso suspecti sunt & reprobantur , Plot. *d. l.* hac ratione testes quosdam Athenis falsi convictos fuisse tradit Plutarchus in *Alcibiade* . Circumstantia loci hic quoque consideranda est , cum enim testis de remotioribus deponit , nedum adminiculantibus lucernis , ei fides habebitur , quandoquidem nox fallat etiam laterna accensa , Plot. *d. l.* Maschard. 2. *Conclus.* 1109. qua in parte plurimum Judicis discreti arbitrio relinquetur . (Alloquii) clamoris vel vocis , ut quia testis deponit , novisse se hominem sub obscura nocte ad vocem , debet autem testis vocem quam bene notam habere , Jul. Clar. in *Pract. crim.* §. final q. 21. num. 3. qua de re pluribus infra in capite de testibus , de actibus nocturnis deponentibus , acturus sum , quo Lectorem remitto .

11. Indicium quoque furti est , & clam & noctu res preciosas quis venum exponat , emat , vel minori precio vendat : apud Romanos res furtivæ Sole occiduo vendebantur , testatur id Petronius Arbiter in *Satyrico* : „ Veniebamus , *ait* , in forum „ deficiente jam die , in quo notavimus frequen„ tiam rerum venalium , non quidem preciosarum , „ sed tamen quarum fidem male ambulantem ob„ scuritas temporis facillime tegeret . Cum ergo & „ ipsi raptum latrocinio pallium detulissemus , uti „ occasione opportunissima cœpimus , atque in quo„ dam angulo laciniam extremam concutere , si „ quem forte emtorem splendida vestis posset ad„ ducere , &c. Per forum hoc loco Petronium Arbitrum , forum rerum furtivarum intelligere notat Commentator *ad d. l.* hinc Plautus * dixit *Vesperi suo vivere* , hoc est , pro furtis suis vitam sibi parare . Ipsi Paulo JCto *in l. 1. D. de furtis* , furtum a furvo , id est , nigro , dicitur , quod fiat clam & obscure , & plerumque nocte .

12. Alterum hujus capitis membrum quod attinet , Qua ratione scilicet fur nocturnus gravius diurno puniatur ? Constat lege Hebræa , quod fur nocturnus impune occidi possit , *Exod.* 22. versic. 2. *Si effringens fur domum sive suffodiens fuerit inventus , & accepto vulnere mortuus fuerit , percussor non erit reus sanguinis . Quod si orto Sole hoc fecerit , homicidium perpetravit , & ipse morietur* .

13. Eadem lex & apud Græcos obtinuit , & a Solone Legumlatore approbata , cujus mentionem facit Demosthenes *adversus Timocratem* , uti & Plato , qui testatur generaliter legem conceptam , licere nocturnum furem impune occidere ; ita enim Plato Dialog. 9. *de Legibus* : *Nunc dicamus* , ait , *in quibus rebus mundus est , qui occidit . Qui noctu furem domum suam ingressum interemit , mundus est* .

* Mil. glor. Act. 4. Sc. 2. vers. 5.

14. A Græcis hæc lex communicata Romanis : in Legibus enim duodecim Tabularum expresse haberi , furem nocturnum impune licere occidere , testantur rerum Romanarum Scriptores , Alexander ab Alexandto *Genial. Dier.* lib. 6. cap. 10. refert , furem nocte deprehensum quoquo modo , die vero , si telo se defenderet & demum cum clamore , occidere Legibus duodecim Tabularum permissum fuisse . Idem testatur Cicero in *Orat. pro Milone* , ibi : *Nocturnum furem quoquo modo , diurnum autem , si se telo defenderet , interfici impune voluerunt* . Ipse JCtus Cajus *in l. 4. D. ad l. Aquiliam* tradit Legem duodecim Tabularum furem noctu deprehensum occidere permisisse , ut tamen id ipsum cum clamore testificetur ; verba Caii *d. l.* hæc sunt : *Lex duodecim Tabularum furem noctu deprehensum occidere permittit , ut tamen idipsum cum clamore testificetur : interdiu autem deprehensum ita permittit occidere , si is se telo defendat : ut tamen æque cum clamore testificetur* . Ulpianus *in l. 9. D. ad l. Cornel. de sicariis* adjicit , tum demum furem nocturnum impune occidi posse , si quis parcere ei sine periculo suo non potuerit : *Furem nocturnum* , ait Ulpianus , *si quis occiderit , ita demum impune fieret , si parcere ei sine periculo suo non potuit* .

15. Cæterum , non immerito in rationem Legis ipsius , qua fur nocturnus a diurno distinguitur , inquiro ; ea enim distinctio , ut dixi , non modo lege Hebræa recepta , sed etiam approbata , tum a Solone peculiari promulgata lege , tum inprimis Legibus duodecim Tabularum , quibus Jus nostrum Civile originem debet . Quidam , uti Soto lib. 4. *Disput.* 5. artic. 8. q. 5. Jason , Gomesius , Covarruvias , & Tholosan. in *Syntag. jur.* part 3. lib. 37. cap. 14. n. 10. adde Alber. in *l. 9. D. ad l. Cornel. de sicar* Matelilan. *Notab.* 153. existimant , Legumlatores id præprimis spectasse , quod noctu discerni nequeat is , qui venit , fur sit , an sicarius , & ideo tanquam sicarium posse interfici ; adducunt illi pro stabilienda sua sententia Augustinum *super Exodum* , cujus verba relata in *Capitulo* 3. *de homicidio voluntario vel casuali* hæc sunt . *Si perfodiens inventus fuerit , non est illi homicidium imputandum . Si autem oriatur , Sol super eum , reus erit* . Intelligitur ergo non pertinere ad eum homicidium , si fur nocturnus occidatur : si autem diurnus fuerit , ad homicidium pertinere . Hoc est enim quod ait , *Si oriatur super eum Sol* , &c. quia poterat discernere , quod ad furandum , non ad occidendum venisset ; & ideo non debet occidi .

16. Hoc etiam in antiquis legibus secularibus (quibus ista est antiquior) invenitur : impune scilicet occidi nocturnum furem quoquo modo : diurnum autem , si se telo defenderet : jam enim plus est quam fur . Glossa in *l. 9. D. ad l. Cornel. de sicariis* , & Bald. in *l. si ut allegas C. de sicariis* , rationem differentiæ hanc esse putant , quia fur nocturnus aufugiens cum rebus furto subtractis difficillime recognoscitur , quod secus est diurno , quin quod noctu , quia fur ignotus , res minus videantur recuperari posse . Aliam rationem reddunt Baptista Caccialupus in tract. *de debitor. suspect. & fugitiv.* quæst. 4. num. 5. Jacobus de Ravenna & Bartolus in *l. furem 9. D. ad l. Cornel. de sicariis* , licere scilicet ajunt furem nocturnum interficere , si damnum passus eum non possit dimittere sine periculo sui ipsius vel rerum . Vide Fachinæum lib. 1. *Controvers.* cap. 31. Forner. *Select.* lib. 1. cap. 15. & 22. Leges duodecim Tabularum plane generaliter loquuntur de fure nocturno ; verba hæc sunt : *Si nox furtum faxit , si im aliquis occisit , jure cæsus esto* . Cujac. lib. 11.

Observat. cap. 27. Equidem ego salva auctoritate clarissimorum virorum Baptistæ Caccialupi, Jacobi de Ravenna, Bartoli *dicto loco*, ut & Polydori Ripæ, eorundem sententiam approbantis *cap.* 24. sentio & cum Mose Maimonide statuo, non permissam esse privato homini alterius interfectionem aliter, nisi ut servetur id, quod est irreparabile, ut vita & pudicitia.

17. Arridet mihi ratio illa, quam reddit summus vir Hugo Grotius in incomparabili opere *de jure Belli & Pacis* lib 2. cap. 1. §. 12. dum hoc spectasse Legumlatores contendit, „ directe rerum „ causa interfici neminem debere; quod fieret, „ exempli causa, si fugientem telo prosternerem, „ ut illo interemto rem meam reciperem: sed si „ ipse in periculum vitæ adducar, tunc mihi li- „ cere a me avertere periculum, etiam cum peri- „ culo vitæ alienæ: nec obstare mihi, quod me „ in id discrimen adduxerim, dum rem meam cu- „ pio retinere, aut occupatam extorquere, aut „ furem capere; nam in his omnibus nihil mihi pos- „ se imputari, qui verser in actu licito, nec cui- „ quam injuriam faciam, cum utar meo jure. „ Discrimen ergo nocturni & diurni furis in hoc „ positum est, quod noctu vix sit copia testium „ adhibendorum; (*sunt verba Grotii*) atque ideo, „ si occisus fur reperiatur, facilius credatur ei, „ qui a se vitæ tuendæ causa dicat furem inter- „ emtum, repertum scilicet cum aliquo instru- „ mento, quo nocere posset. Hæc Hugo Grotius *d. l.* Hodie sane in agris tantum valere legem duodecim Tabularum de fure nocturno *per l.* 1. *C. quand. lic. unicuique sine jud. vind.* ita ut furem nocturnum in agris quoquo modo occidere liceat, existimat Cujacius, quo nulla ætas Jurisconsultum doctiorem, acutiorem, aut judicii sincerioris vidit aut videbit, judicio Casauboni in *Not. ad Lamprid. in Observationibus suis* (Opere illo divino, ut eas hoc nomine indigitat Jac. Augustus Thuanus *Histor.* lib. 99.) *lib.* 14. *cap.* 15. cujus sententia an sustineri possit, aliis arbitrandum relinquimus. Tantum enim abest, Refutantium hic nobis sumere partes, ut sola potius pietate sedeamus defixi, ut tanti viri manes ac tot erudita librorum ejus pignora veneremur.

18. Porro & hanc rationem vir P. M. D deprehendo ad *l.* 9. *ff. ad l. Cornel. de sic. Cædes*, ait, *nocturna, hac in causa patrata in furem privilegii parum sibi vindicat, nec minus quoad aggressorem violentum, quem jura occidi haud permittunt ἁπλῶς; nisi ex necessitate urgenti, nempe si parcere eidem sine periculo suo non potuit.* Resp rationem diversitatis hoc in tertio hærere, quod cæsor nocturnus non adstringatur ad evitandam homicidii pœnam, ut probet necessariam tutelam suimet corporis, quæ sane probatu difficillima & artis plena Occisor furis nocturni ad hæc nequaquam tenebitur,

> Et quomodo hic vel unde,
> Nocte sub obscura,

sibi adsciscet testes de visu deposituros integerrime, quomodo, quo pacto defensio necessaria fuerit comparata?

19. Deinde vix, ac ne vix dabitur casus, ubi fur nocturnus omni prorsus destituatur, ad effringendum vel pro re nata sese defendendum, instrumento, siquidem, quoad hoc, deprehensus vel impeditus fuerit, ne aufugeret. Ecquis tam attonitos, imprudentes & timidos fures dixerit, alioquin audacissimos, vel quomodo conspecturus furem armatum sive inermem densa nocte & obscura, ut videant, ubivis periclitari patremfam. vel familiam furem nocturnum perquirentem. Et cur non liceat, ut sibimet ipsi, suæque saluti consulat dominus furtum passurus? E vestigio furem, quem non nisi palpando apprehenderit, instrumento quovis etiam lethali ac mortifero aggredi, & cum persentiscat, sese telo defensurum, ut interficiat eum, occidere.

20. Tragicum exemplum hac de re præterire non possum, quomodo vir militaris & egregius in furem inciderit nocturnum, a quo occisus est miserabili & fatali eventu. Vir ille audiens furem introisse conclave, ubi cum conjuge quiesceret dormiturus, surgit de lecto, &, dum furem palpando noctu quærit, in manus incidit furis, qui cum clamore excitare suam cœpit familiam ad furem comprehendendum, fur luctari incipit cum domino, & telo ipsum confodit, conjugem quoque, quæ intervenerat, viro ut succurreret, plagis excepit durioribus & aufugit; quod facinus execrandum nocturnum & occultum latuit, neque fur & latro ille unquam manifestatus fuit.

CAP. XII.

De nocturnis piscium furibus & prohibenda nocturna piscatione.

SUMMARIA.

1. *Jure divino cuilibet licet in mari piscari.*
2. *Venatio ferarum bestiarum subditis ex causa rationabili merito est interdicta.*
3. *Si ex stagnis, piscinis & lacubus privatis quis pisces cepit noctu, pro fure nocturno habendus est.*
4. *Quæ indicia arguant nocturnam piscationem?*
5. *Nocturnæ piscationes etiam licitæ non solent concedi, rationes assignantur.*
6. *Nocturnæ piscationes in mari prohibentur.*

1. & 2. Quanquam jure Divino, Civili & Saxonico in mari, nec non fluminibus publicis quilibet piscari pro arbitrio potuerit, *Genes.* 1. vers. 28. & 29. *C. jus naturale* 7. *dist.* 1. *§. flumina Inst. de rer. divis.* dubium tamen non est, quin uti venatio ferarum bestiarum subditis rationabili de causa ademta est, sic jus piscandi in fluminibus publicis, a Principe vel Imperii Romani vel Regni cujuslibet statu, qui aliquam in Republica majestatem obtinet, ex supereminenti, qua pollent, potestate adimi possit, Schneidw. & Dd. communiter *ad d. §. flumina Inst. de rer. divis.* Pœna hujus furti regulariter est arbitraria, idque per *Constit. Criminalem Caroli V. art.* 169. Petr. Gregor. Tholosan. in *Syntagmat.* lib. 37. cap. 15. num. 14. Cæpoll. *de Servit. prædior. rust.* cap. 3. in tit. *de piscat.*

3. Aliud dicendum, si ex stagnis, piscinis, & lacubus privatis pisces capiantur, & eo casu ad pœnam laquei posse perveniri arbitror: clara enim sunt verba *Constitut. Criminalis Caroli V. d. artic.* 169.

4. Indicium hujus furti dicunt Dd. esse nocturnam circa piscinas deambulationem, quam tamen non concurrentibus aliis indiciis, sufficere proculdubio nemo affirmabit.

5. Cæteroquin constat, nocturnas piscationes omnino prohibendas, cum eo modo & ipsi pisces turbentur, & eorumdem fœcunditas impediatur, uti recte annotat Noe Meurerus *de Aquar. jure* qu. 10. n. 7.

6. Porro piscatores, qui in fluminibus publicis, vel in littoribus maris piscari volunt, omnino cavere debent, ne, ostenso lumine, nocturno tempore navigantes fallant, quasi in portum aliquem

delaturi, eoque modo in periculum naves, & qui in eis sunt, deducant. Illorum enim culpæ adscribetur, si naufragium exinde contigerit, uti post Benev. Stracham. *de Nautis* part. 3. n. 34. tradit Polydorus Ripa cap. 13. *de noct. tempor.* textus ea de re est *in l. Ne piscatores* 10. *D. de incend. ruin. naufrag.* Solent in editioribus locis speculæ exstrui, in quibus noctu faces accensæ navigantium cursus dirigant, quæ Phari appellantur a similitudine Phari, id est, turris, quam in hujusmodi usum exstruxisse dicitur Ptolomæus Philadelphus in Insula Pharo, unde & nomen accepit. Sane ex legibus & statutis maritimis, qui vela laxaverunt, ignem in summa navi habere debent, ut evitetur periculum incursionis, Mornac. *in l. quemadmodum* 29. *part.* 2. *ad l. Aquil. c.* 36. *Leg. Rhodior.* Petrus Peckius in *Commentario titt. Dig. & Cod. ad rem nauticam pertinentium ad d. l.* 10. *D. de incendio, ruina, naufragio* notat, apud omnes fere nautas, & qui vasto vagantur Oceano usu receptum esse, ut imminentibus tenebris & nocte incumbente unam ex navibus ardentibus facibus præmittant, quæ cæteris viam commonstret, ne in Scyllas aut Charybdes incidant. Olim in Prætoria navi lumen, quod cætera classis prosequebatur, spectatissimum insigne noctu fuit. Quare Scipio in Africam transmissurus, velis in altum datis, singula rostratæ navi, bina onerariæ, Prætoriæ trina luminaria dedit. Idem Peckius *d. l.* refert, avorum memoria a Cacodæmone idem factum esse, idque pro certo se accepisse; is enim scopulis, quibus sinus ille inter Angliam & Galliam refertus est, insidens, lumenque in Prætoriæ navis morem navigantibus exhibens innumerabiles naves, ingentem hominum multitudinem ferentes, funditus evertit. Sane hi ipsi piscatores, vel quicunque demum sint, qui noctu ostenso lumine dolo malo prædam venantur, si amissa navis & hominum jactura facta fuit, capitali supplicio afficiendi, ut recte Peckius *d. l.* statuit, cui adstipulatur Arnoldus Vinnius *ad Peckium d. l.* causam enim morti præbuerunt. Equidem apud Persas ejusmodi faces incendebantur, ad significandum Regi, quid in Regno gereretur, testatur id Apulejus in lib. *de Mundo* his verbis: „ Duces ac Satrapæ (*apud Persas*) ubique dispositi, & permixta locis omnibus mancipia regalia. Ex eo numero erant excursores diurni atque nocturni exploratores, & per vices incensæ faces ex omnibus Regni sublimibus locis in uno die Imperatori significabant, quod scire opus. Eundem morem apud Anglos vigere Polydorus Vergilius lib. 25. *Historiarum* refert hisce verbis: „ Qui Oceanum accolunt, in vicinis tumulis lucernas pilis affixas locant, ac ubi ex hostium adventu major illustriorque res accidit, subito lucernas accendunt, clamoreque per agros & regiones significant: hinc alii deinceps excipiunt, proximisque eodem modo signum edunt, atque sic celeriter ad omnes vicos & urbes fama perfertur, & agrestes civesque se adversus hostes armant. Ubi Ulpianus Jctus: „ Ne piscatores, *ait*, nocte, lumine ostenso, fallant navigantes, quasi in portum aliquem delaturi, eoque modo in periculum naves, & qui in eis sunt, deducant, sibique exsecrandam prædam parent, Præsidis Provinciæ religiosa constantia efficiat.

CAP. XIII.

De processu nocturno tempore habito, an & quatenus valeat?

SUMMARIA.

1. *Nocturna judicia non omnino sunt interdicta.*
2. *Athenienses non nisi tempore nocturno jus reddebant.*
3. *An liceat ridere in judicio?*
4. *Quot assessores fuerint in Judicio Areopagitico?*
5. *Discursus, an noctu Romani permiserint judicia exerceri?*
6. *Hodiernis moribus vix concedetur, ut noctu habeantur judicia, nisi in casu necessitatis.*
7. *Parte adversa consentiente possunt actus judiciarii celebrari noctu.*
8. *Nox quia æquiparatur clandestinitati, regulariter noctu nihil peragi potest, quod firmum ratumque sit.*

1. DE processu, nocturno tempore habito, non inutilis hoc in loco disquisitio est, valeat-ne iste? Equidem non inusitatum, cum apud Græcos, tum apud Romanos, ut, si Judices multitudine causarum oppressi, quandoque noctu de causis gravioribus cognoscerent, reperio.

2. Areopagitas plane noctu judicia exercuisse, & de litigiis causisve cognovisse; cujus rei rationem elegantem reddit Lucianus in *Hermotimo*: *οἱ ἐν νυκτὶ*, ait, *καὶ σκότῳ δικάζουσιν, ὡς μὴ εἰς τοὺς λέγοντας, ἀλλ' εἰς τὰ λεγόμενα ἀποβλέποιεν.* Idem affirmat Ubbo Emmius in *Descript. Reipubl. Atheniens.* pag. 35. ibi: *addunt quidam noctu & sub dio, hæc acta, & quidem actor & reus nocte silenti dicere cogebantur ἄνευ προοιμίων καὶ παθῶν*: testantur id Apulejus lib. 10. *Metamorph.* Quintilian. *lib.* 2. *cap.* 17. & *lib.* 6. *cap.* 1. & Pausan. *lib.* 1. *cap.* 22.

3. Quinimo ad magnam Areopago auctoritatem conciliandam faciebat, quod ne ridere ibidem licuerit: veluti patet ex *Oratione* Æschinis *in Timarchum*, ibi: *Prodit Pyrrhander vos objurgaturus; & rogat populum, an non puderet ridere, præsente Senatu Areopagitico. Vos autem, rejecto eo, respondistis: Scimus, Pyrrhander, ὅτι οὐ δεῖ γελᾶν τούτων ἐναντίον*, id est, *quod non decet Areopagitis præsentibus ridere.*

4. Ut id addam; reperio numerum Adsessorum in Areopago fuisse incertum. Nicephorus Callistus lib. 11. *Histor. Eccles.* cap. 20. tradit novem fuisse Adsessores in Areopago; Scholiastes Æschyli *ad Eumenides* refert fuisse triginta & unum; Maximus in Dionysium Areopagitam, fuisse quinquaginta; quod etiam arridet Georgio Pachymerio in *Paraphrasi Dionysii*: sed erroneum hoc esse, patet ex Dione Laertio, qui scribit, Socratem condemnatum fuisse ab Areopagitarum *διακοσίαις ὀγδοήκοντα μιᾷ πλείοσι ψήφοις τῶν ἀπολυουσῶν.*

5. Quod Romanos attinet, certe hi ipsi processus nocturno tempore haberi minime concedebant, quinimo Senatusconsulta post Solis occasum facta omni effectu destituebantur: Magistratibus enim Romanis, vespertinis temporibus in publico esse inconveniens erat, *l.* 2. *§.* 31. *D. orig. jur.* notissima ea de re verba Legum duodecim Tabularum, ibi: *Ante meridiem causam conjicito, quum perorant ambo præsentes: post meridiem præsenti litem addicito, si ambo præsentes.* SOL SUPREMA TEMPESTAS ESTO. Alexand. ab Alex. *Genial. Dier.* lib. 6. cap. 10. Non semel tamen & noctu processus ventilatos apud Romanos fuisse, rerum Romanarum Scriptores testantur. De

Augusto Suetonius in *ejus Vita* tradit, eum assidue jus dixisse, & in noctem nonnunquam. Plinius quoque auctor est Theophanem in causa Bassi jus dixisse in noctem, atque illatis lucernis. Declamationes quoque Advocatorum non raro ad profundam usque noctem protrahebantur; quo spectavit Quintilianus *de Oratoribus*: *Hinc leges assiduæ*, ait, *hinc conciones Magistratuum pene pernoctantium in rostris, hinc accusationes potentium reorum*; ipsi Advocati proinde nocturni dicti Petronio Arbitro in *Satyrico*: ibi, *Advocati tamen jam pene nocturni*.

6. & 7. Hodiernis moribus obtinuit, ut processus noctu haberi non possit, Dd. *ad cap.* 1. X. *de feriis* & Canonistæ *ad cap. consuluit* 24. X. *de offic. & potest. judic. delegat.* quin nec consentientibus partibus processum noctu habitum valere, Dd. tradunt. Modestin. Pist. *in processu Jur.* p. 1. cap. 24. num. 1. & 2. idem inculcat parens meus dilectissimus Christophorus Crusius *de indic. delictor.* part. 4. cap. 46. num. 6. quod tamen fallit in casu necessitatis; eo enim casu secundum Baldum *ad l. casus* 8. *C. de testament.* processus noctu haberi & sententia ferri potest, vel si res litigiosa peritura sit, aut potestas Judicis finiatur, Bart. *ad l. moræ D. de feriis* Pet. Peck. in *Comment. ad regul. Juris Canonici regula* 78. *n.* 5. hisce enim casibus neque loci, ut dictum, neque temporis ratio habenda, Bald. ad *d. l. casus* 8. *C. de testament.* Dan. Moller. lib. 3. *Semestr.* pr. c. 44. & seqq. alioquin & litis contestatio invito vel reo, vel etiam Judice, nocte fieri non poterit, attestante Innocentio in *cap. consuluit* 24. *n.* 4. ibi: *nec etiam litis contestatio*, X. *de offic. & potest. judic. delegat.*

8. Quid dicendum de citatione, poterit-ne illa nocte fieri? Existimo cum Felino in *cap. ex parte num.* 7. X. *de rescript.* citationem non posse fieri clandestinis temporibus, noctu videlicet; actus enim clandestini & nocturno tempore gesti æquiparantur, Dec. in *cap.* 1. *de fid instrum.* Aym. Cravett. *Consil.* 446. n. 8. Felino adstipulatur Asinius in sua *Praxi* §. 6. cap. 6. requisito 7. Porro allegationes nocturno tempore audiri posse statuit Innocent. *in cap. consuluit* X. *de offic. & potest. judic. delegat.* quod tamen Ripa *de nocturn. temp. c.* 122. eatenus verum esse existimat, si adsit consensus Advocati.

CAP. XIV.

De probationibus, utrum noctu recipi possint, nec non de Testibus de actibus nocturnis deponentibus, quatenus iis fides tribuenda, elegans discursus.

SUMMARIA.

1. *Probationes an recipi possint noctu?*
2. *Juramentum noctu receptum nullius est momenti.*
3. *Refutatur Polydor. Ripa, statuens juramentum noctu recipiendum.*
4. *Quæ fiunt noctu sunt difficilioris probationis.*
5. *De actibus nocturnis testes alioquin inhabiles testimonium dicere possunt.*
6. *Testes de nocturnis maleficiis deponentes non possunt deponere de visu, nisi adjecerint circumstantias, nempe quod Luna plena luceret, quod accensis laternis vel luminaribus res gesta dicatur.*
7. *Testis, qui deponit de actibus nocturnis, & adserit de voce vel clamore, de cujus facto quæritur, rejici non potest omnino.*
8. *Testis de nocturnis actibus deponens auditur, si quidem dixerit, se novisse reum ex vestitu, forsan albo, candido, nocte non admodum tenebrosa exsistente.*
9. *Quid de teste, qui possit acutissime Luna non splendente videre?*
10. *Tiberius Imperator in tenebris videre potuit acutius quam Sole meridiano lucente.*
11. *Tota Albanorum gens nocte plus quam die tenere potest.*
12. *Julius Cæsar Scaliger & Justus Josephus filius ejus noctu potuerunt videre ad certum tempus, quod naturæ beneficium retinuerunt usque ad annum ætatis vigesimum tertium.*

1. Probationes omnes generaliter nocturno tempore recipi posse, scripsit Portius in §. *omnis stipulatio. Instit. de verbor. obligat.* quod ego eatenus existimo, si Judex sui ipsius copiam facere velit, & partes consentiant; hisce enim non concurrentibus probationes noctu factæ fraudulosæ & suspectæ sunt; verum enim illud Horatii *lib.* 1. *epist.* 16. *ad Quinctium*,

Noctem peccatis, & fraudibus objice nubem.

2. & 3. Hinc juramentum (quod non infimum inter probationes sibi vindicat locum *l.* 1. *D. de jurejur.* adeo ut quidam non invenuste dixerit, emplastrum æris alieni esse jusjurandum, Agell. *N. A* lib. 16. cap. 7.) de nocte factum præsumi simulatum scripsit Joannes Baptista Castellus *ad Alber. verb.* nox; cujus sententiam veram esse existimo, ut ut dissentiat Polydor. Ripa *de nocturn. temp.* cap. 130 cujus argumentum ductum a contractibus, noctu celebratis, ad juramenta prorsus nullum est, quinimo committit petitionem principii; adhuc enim in controversia est, possint-ne contractus quilibet fieri nocturno tempore, nec ne? plane contractus, qui de genere suspectorum sunt, noctu celebrari non posse constat; neque ex *l. non minorem C de transactionibus* generalis & hæc conclusio elici poterit, quam perperam allegat Ripa *d. l.* committo judicium cuilibet, legem adductam inspicienti.

4: Cæterum, quod testes de actibus nocturnis deponentes concernit, quatenus iis fides adhibenda? Sciendum est, ea, quæ de nocte facta & commissa fuerunt, reputari a jure difficilis probationis, Gloss. in *l. item si cum exceptione* 14. §. *in hac* 3. *in verbo ignoret. & ibi* Dd. *D. quod met. causa.* Alexan. *Consil.* 4. num. 6. lib. 6. Idcirco in iis testes inhabiles recipi & admitti, Dd. scripserunt. Prosper Farinacius *de Testibus* lib. 2. tit. 6. quæst. 62. num. 33. ubi multos Dd. ad confirmationem prædictorum adducit. Idem *num.* 34. ex Boss. *in tit. de indic. num.* 170. refert, quod delictum noctu commissum, licet ejus probatio difficilis sit, tamen ex natura loci tam habiles quam inhabiles admittat.

5. Noctis tempore vero commissum delictum non probatur ex eo, quod testes deponant simpliciter de visu, sive criminaliter, sive civiliter agatur, ut communis Dd. opinio est, Bald. *in l. si non speciali. C. de testibus. & in l. Arethusa D. de stat. homin.* Alex. *Consil.* 4. num 5. vol. 6. Dec. *Consil.* 363. num. 2. & *Consil.* 429. num. 14. Mascard. *de Probat.* lib. 2. conclus. 1114. num. 1. & conclus. 894. n. 7. & conclus. 1109. n. 4.

6. Ratio pronunciati est, quia, cum non dicant, quod Luna luceret, vel lumen esset accensum, contra naturam deponunt, cum dicunt, aliquem de nocte vidisse, & ideo a seipsis naturaliter reprobantur, Alexand. *Consil.* 4. num. 7. lib. 6. Gomez. 3. *Resolut.* 12. *rubr. de probat.* Marsil. *in rubr. C. de probat. num.* 167.

Burſat. *Conſil.* 34. num. 6. Viv. in *comm. opin. verſ. deponens nocte*. Quare iſto caſu teſtes deponentes ſe vidiſſe de nocte, lumine non accenſo, aut Luna non lucente, non ſolum non probant, ut videre eſt apud Dd. in *l. ſi non ſpeciali C. de teſtibus*, & ibidem Bald. num. 1. & Jaſ. *num.* 10. Alex. *d. l.* ſed etiam de falſo ſunt ſuſpecti, imo reprobantur, tanquam falſarii, Felin. *in Cod. ſicut. ext. de re judicat.* ubi dicit, *quod reprobentur tanquam falſi ratione naturali*, Plot. *de in litem jur.* §. 51. *num.* 16. *& ſeq.* Brun. *Conſil. crim.* 115. num. 2. lib. 2. vide Menoch. *de arbit. quæſt.* lib. 2. caſu 297. num. 35. cum ſequentibus. Hinc teſtatur Oldradus, evaſiſſe accuſatum, contra quem erat probatum maleficium per teſtes de viſu nocturno probando, quod illa nocte Luna non lucebat, nec alia lumina, per quæ poterant teſtes videre, ut refert Nell. *de teſtib.* num. 116. adde Angel. in *l.* 1. *§. interdum. D. ſi pars hæred. petatur & in conſil.* 194. Hac ratione teſtes quoſdam Athenis falſi convictos fuiſſe, ſcribit Plutarchus in *Alcibiade*. Joſeph. Maſchardus *de Probat.* lib. 2. concluſ. 1114. num. 3. ſcribit, adeo certam & indubitatam eſſe hanc concluſionem, ut teſtes, eo modo deponentes, ſuſpecti reddantur, neque faciant ad torturam indicium; præmiſſa autem a nobis limitata eſſe volumus, (1) quando teſtis deponens ſe vidiſſe aliquem delinquentem nocturno tempore ſubjiciat rationem, quia Luna lucebat, vel aderat lumen lucernæ vel ignis adeo, quod dignoſci poterat delinquens, quia tunc probat, Jaſ. in *l. ſi non ſpeciali, & l. ſi non minorem Cod. de tranſact.* Dec *conſ.* 163. Alex. *Conſ.* 4. nu. 5. Huic tamen communi opinioni, niſi ultra Lumen Lunæ interveniat alia certitudo, vel conjectura, non adſtipulatur Fel. *in C. ſicut de re judicat.* adhuc enim hujuſmodi teſtes non videntur omnino integri, cum fundant ſe ſuper lumen Lunæ, quæ habet radios lugubres, Sol autem claros, Roland. vol. 3. *Conſil.* 3. n. 43.

7. (2.) Etiamſi committentem delictum non bene vidiſſet, tamen ſi deponit, hominem ſe cognoviſſe ad vocem, plene probat, facitque propterea indicium ad torturam, ut volunt D. citati a Proſpero Farinacio *de teſtib.* dict. quæſt. 72. num. 47. & Joſepho Maſcardo *cit. loco* num. 3. debet autem teſtis vocem quam bene notam habere, Jul. Clar. in *Pract. crim* §. final. quæſt. 21. num. 3. ejus verba hac de re hæc ſunt: *Hoc tamen intellige, ut procedat, modo teſtis ita deponens habeat veriſimiliter adeo notam vocem rei, ut decipi non poſſit, alias ſecus, tale enim indicium vocis eſt multum fallax & periculoſum. Et ego multos cognovi ita proprie imitantes vocem aliorum, ut omnes etiam familiariſſimos & domeſticos eorum facile deciperent.* Hæc Julius Clarus *d. l.*

Diſſentiunt heic Cravetta *Conſil.* 99. Roland. a Valle vol. 3. *Conſ.* 3. num. 42. qui deponentem ſe cognoviſſe hominem ad vocem, non facere plenam probationem, multo minus indicium ad torturam volunt; hanc ſententiam communem vocant Maſcardus *dicta concluſ.* 1114. num. 9. & Farinac. *dicta quæſt.* 62. ac ita in facti contingentia judicatum fuiſſe Papiæ, teſtatur Cotta in *Memorabilibus*, in verb. *Teſtis deponens de eo, quod factum eſt de nocte:* & ita ſentiunt quoque Abbas & Felinus *in cap. præterea ext. de teſtibus:* neceſſe eſt autem, ut deponens de auditu vocem quam bene notam habeat, alioquin ejus depoſitio non attenditur; & notant Felinus *in cap. ſicut ext. de re judicat.* & Rolandus a Valle vol. 3. *Conſil.* 3. num. 42. teſtes quoſdam ideo reprobatos, quia dixerant, ſe vidiſſe de nocte contrahi matrimonium, neque addiderant, quod cognoſcerent infallibiliter voce contrahentium matrimonium. (3.) Si teſtis dicit, ſe vidiſſe ex loco vicino & propinquo, tunc bene probat, ut Plot. *de in lit. jur.* §. 51. *num.* 17. *verb. fallit tertio*. Bene au-

A item perpendere debet Judex, an, dum Luna non luceat, ſit tamen nox lucida & non tenebroſa, prout contingere ſolet tempore autumni propter aeris tenuitatem ac illius reflexionem; deinde qualitatem teſtis, an ſcilicet bonæ ſit famæ; ad hoc enim, ut teſtis faciat legitimum indicium, requiritur, quod ſit integer, & omni exceptione major, id eſt, talis, contra quem nulla poſſit opponi exceptio. Et hæc communis eſt omnium ſententia, ut dicit Ruin. *Conſil.* 147. poſt num. 3. lib. 5.

8. Deinde neceſſe eſt, ut teſtis habeat cognitionem & familiaritatem perſonarum, quas ſe vidiſſe B teſtatur; item quod ex albo veſtium colore, ex alborum parietum propinquitate, aut nivis reflexione perſonas cognoſcere potuerit. Ex iis omnibus Judex bene arbitrabitur, quid & quantum teſti deponenti de nocturno facto, Luna non lucente, credendum ſit, juncta vicinitate loci, Maſcard. *de Probat.* lib. 2. concluſ. 1109. num. 11. Cæterum conſtat, teſtem deponentem de actu nocturno, nullo obſtructum eſſe juris vinculo ad reddendam rationem, quomodo ſciret fuiſſe noctem; illud enim ſtatim cadit ſub ſenſum viſus, tanquam res obſcura, quæ ſub nigro colore concludatur; hinc Virgilius lib. 2. *Æneid.* verſ. 240.

C

Vertitur interea cælum & ruit Oceano nox,
Involvens umbra magna terramque, polumque,
Myrmidonumque dolos, &c.

Et Ovid. lib. 8. *Metamorph.*

Talia dicenti curarum maxima nutrix
Nox intervenit, tenebriſque audacia crevit.

D Idem lib. 15. *Metamorph.* verſ. 651.

Dum dubitant, ſeram pepulere crepuſcula lucem,
Umbraque telluris tenebras induxerat orbi.

Sed tamen & in iis, quæ ſub ſenſum corporis cadunt, tenetur teſtis rationem addere, ſi de ea interrogetur; hinc teſtem de actu nocturno deponentem, & ignorantem, quid nox ſit, rejiciendum eſſe, ſtatuit Cravetta *Conſil.* 75. num. 26.

9. Quid ſi teſtis ex Medicorum relatione eſſet ta- E lis naturæ, ut haberet viſum ita perſpicuum & acutum, ut de nocte etiam abſque ſplendore Lunæ aut ignis optime videret? Equidem, plurimos hujuſmodi naturam habuiſſe, ut nocte obſcura & in tenebris quælibet videre, imo & legere potuerint, infra notabimus.

10. Talis fuit Tiberius, de quo Suetonius in *ejus Vita* cap. 68. refert, quod fuerit oculis prægrandibus, & qui, quod mirum, etiam noctu & in tenebris viderent, ſed ad breve & cum primum a ſomno patuiſſent, demum rurſus hebeſcerent, verba ſunt Suetonii. Idem de Tiberio refert Plinius lib. 11. *Natural. Hiſtor.* cap. 37. Talis fuit Aſclepico- F dotus Philoſophus, cui Proclus præceptor fuit, qui in denſis tenebris & adſtantes dignoſcebat, & litteras legebat, teſte Photio in *Bibliotheca*.

11. De tota Albanorum gente ſcriptum legimus, eam glaucam oculis, id eſt, pictam habere pupillam adeo, ut nocte plus quam die cernat, Solin. *Rer. Memorabil.* cap. 20. Iſaac. Caſaubon *Adverſar. in Sueton. lib.* 3. *verſ.* 35. Michael. Piccard. Decad. 1. *Obſervat. Hiſtor.* c. 7. pag. 47.

12. De Scaligeris res notiſſima eſt: habuit ſcilicet uterque, & Julius Cæſar parens, & Juſtus,

Josephus filius, oculos *χαροποὺς*, hoc est, quod exporrectis de nocte licuerit videre per horam vel amplius objecta, non luce quidem clara, sed instar crepusculi, quod Græcis *λυκοφῶς*: idque ad annum dumtaxat vigesimum tertium. Ita Julius Cæsar Scaliger de se ipso in *Comm. in 1. de Histor. Animal.* Joseph. Scaliger in *Vita patris* & *Confutatione fabulæ Burdonianæ*. Si igitur talis testis sit, qui ex Medicorum relatione hanc haberet naturam, ut noctu perspicue & acute quævis videre possit, qualis etiam est is, qui affectus oculorum vitio, quod *νυκταλοπίαν* Medici appellant, cujus proprium esse tradunt, *ἡμέρας μὲν μὴ ὁρᾶν, νυκτὸς δὲ βλέπειν*. Huic testi deponenti de visu nocturno credendum esse existimo per tradita Prosperi Farinacii *de Testibus* dict. q. 62. n. 44. & Josephi Mascardi lib. 2. *de Probationibus* conclus. 895. num. 7.

CAP. XV.

De sententia, utrum noctu ferri possit, quibus casibus & quando lata valeat, & quæ requirantur?

SUMMARIA.

1. *Græci noctu exerruerunt judicia, & sententias pronunciarunt.*
2. *Romani actus judiciales admiserunt, quandocunque multitudine causarum obruti interdiu interesse non poterant contentionibus judiciariis.*
3. *Rationes recensentur aliquot, cur noctu hodierno seculo non exercenda judicia, neque sententiæ publicandæ.*
4. *Intellectus* Novellæ 82. *traditurus.*
5. *Sententia interlocutoria an noctu ferri possit?*
6. *An consuetudine introduci queat, ut noctu publicentur sententiæ?*
7. *Nonnunquam ex causa necessitatis publicandæ noctu sententiæ.*
8. *An omnino necessarium sit, siquidem sententiæ noctu publicandæ, ut non pauciora vel plura luminaria quam tria requirantur?*

PRobationibus hinc inde factis, consequens est, ut subsequatur sententia Judicis; cum igitur capite præcedenti de probationibus noctu faciendis, & testibus de actibus nocturnis deponentibus, actum sit, placuit hoc capite de sententia, an noctu promulgari possit? dispicere.

1. Et quidem primo omnium constat, & supra quoque a nobis adductum est, Areopagitas de rebus gravissimis noctu judicasse, sententiasve promulgasse, testante Luciano in *Hermotimo*. Vide Ubbonem Emmium in *Destript. Reipublic. Atheniens.* pag. 35.

2. Romanos quod attinet, licet Legibus duodecim Tabularum judicia Sole occiduo dissolverentur, Solem enim supremam tempestatem esse volebant, Alex. ab Alex. *Genial. Dier.* lib. 6. cap. 10. eos tamen nonnunquam, si Judices multitudine causarum obruti erant, noctu judicia exercuisse, constat; ita de Augusto tradit Suetonius in *ejus Vita*, eum assidue jus dixisse, & in noctem nonnunquam, & Quintilianus conciones Magistratuum pene pernoctantium in rostris memorat.

3. Ut ut sit, jure expeditum est, sententiam regulariter & ordinarie de nocte promulgari non posse, Vant. *de nullitat.* tit. *ex defectu jurisdictionis* num. 132. Marant. in *Spec.* p. 6. num. 92. Gloss. & Port. *in* §. 2. *Inst. de verbor. obligat.* adde Signorolum *de Homodeis* (ICtum, Equitem, Comitem Palatinum & civem Mediolanensem, ut sese appellitat sub finem Consilii 205.) in *Consil.* 52. Hujus pronunciati rationes hæ sunt. (1.) quod sententia debeat ferri palam, publice, & non occulte, per expressum textum in eleganti *l.* 6. *C. de sentent. & interlocut. judic.* ibi: *Cum sententiam Præsidis irritam esse dicis, quod non publice, sed in secreto loco officio ejus non præsente sententiam dixit.* Ast, quod nocte fit, non publice, sed occulte fieri dicitur, *arg. l.* 25. *C. de donat. l.* 1. *D. de furt.* §. 1. *Instit. de obligat. quæ ex quas. delict. oriuntur.* E. (2.) quod Judex debeat tenere morem Majorum in pronunciandis sententiis; ast mos Majorum est, ut die, non nocte sententiæ promulgentur, *arg. cap. consuluit* 24. *ext. de offic. judic. delegat.* ibi: *si tibi præsentaverint ea hora qua congrue possis procedere.* Et paulo post, *nos tamen eam procedendi horam congruam intelligimus, ex qua possis ante noctis tenebras perficere, quod incumbit.* (3.) quod Judex teneatur ferre sententiam præsentibus partibus, *l.* 9. *Cod. de judic.* ast noctu commode utraque pars semper adesse non potest, cum regulariter transitus de nocte non concedatur, ut patet *ex l.* 14. *D. Comm. prædior. l.* 6. §. 1. *D. de his, qui dejec. vel effud.*

4. Non obstat huic sententiæ (1.) *Novella* 82. cap. 3. ubi dicitur, quod judices pedanei matutino tempore, meridie & vespere causas audire debeant. Resp. *Novell.* 82. cap. 3. tantum facere mentionem temporis matutini & meridiei, unde apparet per verbum *vespere* intelligi illud tempus, quod a meridie vel post meridiem usque ad noctem excurrit; vespere igitur, hoc est, vespera instante, circa crepusculum forte Judices pedanei causas audire debent. Non stringit quoque (2 §. 31. *l.* 2. *D. de orig. jur.* non ad jus dicendum, sed ad providendum & prohibendum, ne quid noctu per vim aut tumultum fiat, constitutos intelligi. Hanc solennitatem veri temporis nocturni non esse essentiale quid ipsius sententiæ existimo; testantur enim Franciscus Vivius lib. 2. *Opin.* 709. & Maranta part. 6. *de Sentent.* num. 92. Judicem, si multis negotiis occupatus sit, aut partes præsentes sint & consentiant, recte sententiam noctu ferre posse.

5. Distinguunt tamen Dd. communiter inter sententiam interlocutoriam & definitivam; hanc noctu ferri non posse volunt, Maranta *d. l. Corn. consil.* 54. Abb. in *cap.* 1. *de feriis num.* 1. Alex. in *l. non minorem C. de transact.* Menoch. lib 1. *de arbitr. jud.* quæst. 62. illam posse de nocte ferri Bald. & Angel. in *l. more Romano D. de feriis*, quorum ratio hæc est, quod sententia interlocutoria non exigat Judicem sedere pro tribunali; quæ tamen opinio Baldi & Angeli displicet Innocentio in *cap.* 24. *ext. de offic. deleg.* Alexand. in *l. non minorem C. de transact. aliisve.* Ex dictis apparet sententiam de nocte latam non valere, Marant. *d. part.* 6. & per consequens a sententia ejusmodi nulla, non esse opus appellare, *l. si expressum D. de appellat.*

6. & 7. Prædicta limitantur a Dd. Juris nostri, ut non procedant (1) si vigeat alibi consuetudo, ut sententia de nocte ferri possit, Marant. *d. l.* Vant. *de nullitat. ex defect. jurisd.* num. 132. Alex. in *l. non minorem Cod. de transact.* Guid. Papæ *Sing.* 983. contrarium tenet Felinus in *C. consuluit* 24. *ext. de offic. jud. deleg.* ex eo, quod consuetudo ejusmodi repugnet sacris canonibus & propterea invalida, *c. fin. ext. de consuet.* (2) si Judex multitudine causarum præpeditus, hoc enim casu de nocte eum sententiam ferre posse, statuunt Vantius & Menochius *dict. l.* de quo tamen rursus dubitat Felinus *d. l.* (3.) si adsit necessitas, quæ sententiam noctu

promulgandam, puta si res continuo esset peritura, Menochius d. lib. 1. *de arbit. jud.* quæst. 62. nu. 5. Signorol. *de Homodeis* in cons. 52. vel utilitas publica suadeat, ut non habita nocturni temporis ratione confestim in causa procedatur: ita noctu processum fuisse in causa Caraffarum, testatur Auctor incertus in *discursu de successu mortis Caraffarum* apud Honorium tom. 2. *Thesauri politici*, ibi; *P. Anno 1562. al primo di Marzo fu fatto Consistorio per le cose delli Caraffi, ed il Consistorio durò dalle 17. hore fino ad un' hora di notte, il quale tempo si spese solamente a leggere la sostanza del processo et sua Santità sentenziò in cedula il caso loro Mercore di notte*. (4.) si exspiret judicantis jurisdictio, Corn. *consil.* 54. volum. 2. (5.) denique noctu ferri posse sententiam volunt, si Judex pro tribunali noctu sedere velit & partes consentiant, vid. Signorol. *de Homodeis* dicto consil. 52. & adductos a nobis Dd. ubi plures limitationes reperire licet.

8. Hisce casibus promulgandam noctu sententiam esse accensis magnis luminaribus Dd. volunt, Philippus Decius, Jason, Bartolus, Felinus, & Signorolus *de Homodeis* dicto consil. 52. Franciscus Vivius lib. 2. *Opin.* 709. de se testatur, se, cum Judicis partibus fungeretur, de nocte in causis civilibus & criminalibus multas sententias pronunciasse, adhibitis tamen, quod omnino necessarium esse putat, tribus ad minimum luminibus. Francisco Vivio adstipulatur Polydorus Ripa *de nocturn. temp.* c. 134. num. 56 & 57. ubi addit, non sufficere tres candelas, sed tria requiri magna luminaria; cujus sententiam supra latius examinavi, quo Lectorem remitto; existimo heic inspiciendam cujusque loci consuetudinem: vera enim ratio, cur tria tantum lumina adhibenda, non apparet, & in Ducatu Mediolanensi adhuc publica contractuum documenta de nocte confici unico dumtaxat adhibito lumine non tribus constat.

CAP. XVI.

De Appellationibus noctu factis, utrum exsecutio sententiæ in criminalibus quandoque noctu fieri possit.

SUMMARIA.

1. *Appellatio an & quando noctu admitti debeat?*
2. *Exsecutio an noctu fieri possit?*
3. *Lacedæmonii noctu exsecuti sunt sententias capitales.*
4. *Refutatur Polydor. Ripa, qui & Farnesium perperam allegavit de reis noctu ultimo supplicio non afficiendis, quoad consuetudinem Lacedæmoniorum.*
5. *Lacedæmonii die neminem affecerunt publico supplicio.*
6. *Christiani Martyres in primitiva Ecclesia ut plurimum noctu occisi sunt & excruciati.*
7. *Christiani usum nocturnorum luminum exhibere coacti fuerunt; quale supplicium id fuerit, demonstratur.*
8. *Cur Christiani sarmentitii olim dicti tempore persecutionum maximarum?*
9. *Qui viri clari noctu exsecutionem capitalem passi?*
10. *Quomodo Henricus II. Rex Galliæ virum tacito & nocturno tempore non accusatum, inquisitum vel non auditum supplicio capitis affici curaverit?*

1. SEntentia a Judice promulgata, ne illa transeat in rem judicatam, omnino necesse est, ut ab

A ea intra decennium appelletur, qua facta suspenditur prior sententia, *l. furt. 6. D. de his, qui notantur infam.* adeo ut exsecutioni mandari non possit, *tit. D. nihil innovari appellat. interposit.* Roland. a Valle lib. 2. *Consil.* 77. num 6. appellatio enim integrum jus ad superiorem devolvit, notante Menochio *de arbitr.* lib. 1. quæst. 67. num. 13. Hæc appellatio utrum noctu fieri possit? disquirunt Dd. Juris nostri; alii posse de nocte appellari simpliciter affirmant, alii distinguunt; simpliciter affirmarunt Decius *in C. consuluit ext. de offic. judic. delegat. nu.* 33. Jason *in l. non minorem C. de transact.* moti ea ratione, quod appellatio sit species defensionis, defen-
B sio vero quolibet tempore recte fieri possit. Bald. *in Auth. hodie C. de appellat.* distinguit, aut enim noctu Judicis copia haberi potuit, sedente forte eo pro tribunali, aut non potuit; priori casu valere appellationem noctu interpositam, posteriori vero nequaquam. Non displicet distinctio Salyceti *ad dict. Auth. hodie C. de appellat.* dum ait, perpendendum esse, utrum appelletur viva voce a sententia lata, puta, si dixerit pars gravata, *Appello* &c. *l. 1. D. de appellat.* vel in scriptis, si viva voce appelletur, considerandum esse tempus latæ sententiæ, aut sententia interdiu lata est, & tum de nocte interponi
C appellatio non poterit, aut noctu promulgata, & tum appellari omnino posse, quod Jure Romano, quo dies civilis a media nocte incipiebat, statuunt Dd. *in l. 1. D. de feriis*; antea dicta distinctio etiam in appellatione in scriptis interposita obtinet, notante eodem Salyceto. Sed quid de apostolis seu libellis dimissoriis dicendum? possunt-ne illi noctu a Judice peti? Vide Polydor. Rip. *de nocturn. tempor.* cap. 138.

2. Ad alterum capitis membrum veniendo, utrum scilicet exsecutio sententiæ in criminalibus quandoque noctu fieri possit?

3. Reperio Lacedæmonios reos mortis noctu sup-
D plicio affecisse, interdiu neminem.

4. & 5. Polydorus Ripa, cui hoc mirum videtur *de nocturn. tempor.* cap. 91. num. 12. & 13. notat, se id legisse apud Farnesium in *simulacro Reipublicæ* lib. 1. cap. 9. & existimat, ibi sermonem esse de tortura ad eruendam veritatem, vel de ipsa condemnatione, non autem condemnationis excusatione; sed errat Polydorus Ripa, clarissimus alioquin JCtus, *d. l.* ejusve conjectura nulla, expresse enim testantur Scriptores, Lacedæmonios noctu supplicio affecisse reos mortis. Audi Herodotum *lib.* 4. *Quoscunque*, inquit; *Lacedæmonii morte plectendos censent*, *eos noctu plectunt, interdiu neminem*. Idem te doce-
E bit Alex. ab Alex. *Genial. Dier.* lib. 3. cap. 5. *Lacedæmonii*, ait, *quos mortis supplicio dignos putarunt; noctu, non die, plectere consueverunt*. Vide Valer. Max. *lib* 4. *cap.* 6. in fine, Polyæn. lib. 7. *Stratagemat.* Alexander ab Alex. *d. l.* qui apud Romanos noctu sumere supplicium de nocente non licuisse annotat; *nota enim*, ait, *esse supplicia ad aliorum emendationem publice voluere*.

6. & 7. De Christianis in primitiva Ecclesia constat, eos noctu suppliciis utplurimum affectos a Tyrannis & persecutoribus Filii Dei Jesu Christi, potissimum vero id obtinuisse sub Nerone reperio;
F ab eo enim Christiani alligati axibus, cera & pice illiti, noctu cremabantur, & usum nocturnorum luminum præstabant, vide Lydium in *Glossario ad Nicolaum de Clemangis*, cui cereus Christianus est Christianus cerea tunica superindutus. Proderit heic audire Tacitum lib. 15. *Annalium: Pereuntibus*, (Christianis scilicet) ait, *addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque, ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur*. Hinc Juvenalis *Satyra* 1. vers. 155.

Pone Tigillinum; tæda lucebis in illa,
Qua stantes ardent, qui fixo gutture fumant,
Et latus mediam sulcus diducit arenam,

ita legendum putat Scaliger lib. 5. *de Emendatione Temporum*, in capite *de Roma sub Nerone incensa*; non vero,

Et latum media sulcum deducit arena.

Idem Juvenal. *Satyr.* VIII. vers. 235.

Ausi quod liceat tunica punire molesta.

Tunica molesta erat indusium cera litum, quo sontes tæda & papyro circumdati supervestiebantur, ait Josephus Scaliger *ad Euseb. num.* MMLXXXIV.

8. Tertullianus in *Apologet.* cap. 2. sarmentitios & semaxios appellatos; quia ad stipitem dimidii axis revincti sarmentorum ambitu exurimur. Hic est habitus victoriæ nostræ, hæc palmata vestis, tali curru triumphamus.

9. Ceterum constat, posse quandoque Principem vel Rempublicam, ne seditio oriatur, reos mortis noctu supplicio afficere; quod & tum obtinet, quando Magistratus causam supplicii non omnibus notam esse vult. Ita Johannes de Lignano tempore Martini Quinti Papæ, prævidens ex genitura filium cruci affigendum, volensque fatali geneseos dispositioni succurrere, eum sacris initiari ac apprime erudiri fecit. Sed nec sic quidem evitare vim fati potuit: nam cum eum concives sui ad Martinum Papam ablegant, rediens domum, propter legationem non fideliter tractatam, de nocte a Magistratu Bononiensi suspensus est: quem cum elucescente die pater pendentem vidisset, deplorans inquit, *Eheu! fili mi, tu infelicissimum fatum, nec humanis litterarum adminiculis, nec divinis mysteriis superare potuisti*, Henric. Ranzov. in lib. *inopinatorum eventuum* pag. 174.

10. Spectat huc notabilis facti species, quam refert Johannes Bodinus lib. 6. *de Republ.* cap. 6. Henricus II. Galliarum Rex, Italum familiarem, in capitali scelere comprehensum, in carcerem duci jussit: reus tædio carceris rogationem tulit, ut ex albo reorum eximeretur & vinculis solveretur; quandoque nullius criminis convictus, imo nedum accusatus esset. Prætor Curiæ cum tribus Judicibus Regem adiit, ut, quæ illum occasio adversus reum impulisset, intelligeretur. Rex hominem damnari jussit, quod eum in crimine capitali deprehendisset, nec tamen id pervulgari vellet. Ad quem Prætor: Nos jurati sumus, non nisi convictum & ex animi nostri sententia damnaturos neminem. Rex ira commotus, quod fidem suam in dubium vocari intelligeret, jurejurando obtestatus est, se hominem in scelere nefario deprehendisse; ibi Magister militum Regem paululum seduxit, & supplicium in noctem differendum sensit, ne populus rei novitate perturbaretur: nocte itaque sequenti reus in flumen jubente Rege demersus est. Eandem hanc historiam refert Matth. Stephani *ad Const. Caroli V. art.* 22. Pari causa Albertus Episcopus Magdeburgensis in Anno 1539. Johannem Schenisceum Camerarium & Quæstorem suum noctu suspendi fecit, ne, si interdiu virum innocentem, ut vulgo creditum fuit, interficeret, seditionem moveret vulgus, qui favebat Schenisceo, & maxime detestatus erat, virum de Republica bene meritum occidi debere ob injustas Aulicorum delationes & improborum invidiam. Vide Lutherum in libello *contra Albertum Cardinalem* de anno prædicto 1539.

CAPUT XVII.

De Spectris nocturnis, & utrum conductor, ob ea ædes conductas relinquens, mercedem solvere teneatur?

SUMMARIA.

1. *Spectra ut plurimum noctu infestare solent & terrere dormientes.*
2. *Spectra sæpenumero obsederunt noctu urbes & castra belli tempore adinstar exercituum.*
3. *Referuntur aliquot casus & spectrorum apparitiones.*
4. *An conductor domus ob spectrorum terriculamenta & molestias deserere eam possit, non obstante locati conducti contractu?*
5. *An locarium debeatur locatori? negatur.*
6. *Spectra plerumque assuetudine locum infestant, raro autem sequuntur personam, quam infestant.*
7. *Spectra utplurimum circa sepulcra versantur.*

1. Spectra noctu utplurimum ludibriis vigilantes perturbare, dormientes insomniis terrere, peregrinantes a recto itinere seducere, & omnibus mortalibus tum maxime insidiari eosque terrere constat, & quotidiana testatur experientia; proinde Propertius *lib.* 4. *el.* 7.

Nocte vagæ ferimur, nox clausas liberat umbras,
Errat & abjecta Cerberus ipsa sera;
Luce jubent leges Lethæa ad stagna reverti.

De Spectro, quod Sole occiduo apparuit Curtio, vide Plinium Juniorem lib. 8. *Epistol.* Horrendum sane spectrum fuit, quod sibi noctu apparuisse refert Glaber Rodolphus Monachus & Historicus Gallicus lib. 5. *Historiæ Francorum*.

2. & 3. Quinimo admirandum, non raro civitates noctu obsessas a spectris, ita ut cives hostes adesse suspicarentur; cujus rei exemplum notabile refert Hagecus in *Chronico Bohemiæ*, qui Anno 1201. urbem quandam in Bohemia a spectris obsessam memorat; & non absimile quiddam contigisse in Provincia Angelome * in Gallia Anno 1608. mense Octobri narrat Meteranus in *Hist. Belg.* lib. 28. Alexander ab Alexandro lib. 2 *Genialium Dierum* cap. 9. scribit, quendam suum familiarem, non ambiguæ fidei hominem, amici funus curasse, & cum inde Romam reverteretur, nocte adveniente in hospitium, viæ proximum, divertisse, & ibi se animo & corpore fatigatum quieti dedisse. Cumque solus degeret, & adhuc vigilaret, *ait*, repente amici nuper defuncti imaginem summo pallore & macie, ac eo ferme habitu oris, quali illum, cum ægrotaret, dimiserat, ad se accessisse: quem quum fuisset intuitus, & præ timore, nec animo, nec mente satis constaret, quisnam esset, interrogavit. Ille autem cum nihil respondisset, exutis, ut videbatur, vestibus in eodem, cui ipse incumbebat, lectulo se collocavit, ac prope accessit, quasi eum amplexurus. Alter vero cum fere jam metu exanimis videretur, ad lectuli spondam secessit, illumque propius accedentem abegit: qui se repulsam pati videns, alterum torvo & minus familiari vultu adspectat: resumtisque mox vestibus e lectulo surrexit, & cinctus calceatusque inde abiens nunquam postea apparuit. Quo timore familiaris ille perculsus gravi corripitur morbo, ut propemodum interierit. Vide de spectris & illusionibus nocturnis Ludovi-

* Resp. *Angoumois*.

cum

cum Lavaterum in peculiari libro *de Spectris*, Wierum *de præstigiis Dæmonum* passim, Zeiler. *Epist.* 85. *cent.* 4. pag. 616. & *cent.* 6. *Epist.* 20. pag. 154. Camerar. centur. 1. c. 70. *Horar. Subcis.* Maresium lib. 3. cap. 6. pag. 266. *de horrendis visis*, Vossium in Tractatu excellenti *de origine & progressu Idololatriæ*.

4. Non immerito hic quæritur; Debeat ne conductor ædium emigrans mercedem, si ædes nocturnis ejusmodi illusionibus spectrisque adeo infestentur, ut nec ipse commode & quiete ibidem habitare, nec etiam servi & ancillæ metu spectrorum apud eum permanere possint? Et dicendum videtur prima fronte, quod conductor mercedem non obstante prætenso metu spectrorum solvere teneatur, cum constet, nullibi in legibus nostris exstare, licere hoc casu non soluta mercede conductorem emigrare, quum constet, quam accurate alios casus, ob quos inquilinus emigrare poterit, JCti Romani annotarint; equidem inquilinus ob justum metum impune emigrare poterit, *l.* 28. *de damn.* talis est metus damni infecti, *l.* 13. *§.* 6. *D. de damn. infect. ignis l.* 49. *D. ad l. Aquil. exercitus advenientis l.* 13. *§.* 7. *D. Locat. conduct. pestis*. Ripa in Tract. *de peste*, Bart. *ad l.* 8. *C. Locat.*

5. Ast, hoc non obstante, nihilominus existimo, posse conductorem metu spectrorum & illusionum nocturnarum ædes conductas relinquere, neque teneri ad solutionem mercedis, idque per generalem Regulam, quam Alfenus JCtus in *l.* 27. *§* 1. *D. Locat.* 1. *conduct.* proponit, cujus verba hæc sunt: Iterum interrogatus est, si quis timoris causa emigrasset, deberet mercedem, necne? Respondit, si causa fuisset, cur periculum timeret, quamvis periculum vere non fuisset, tamen non debere mercedem: sed si causa timoris justa non fuisset, nihilominus debere. Subsumamus jam. Ast, quando spectris ædes infestantur, causa timoris fuit. Ergo emigrare poterit, neque mercedem debet. Et, ne præjudiciis destituamur, notat Dionysius Gothofredus JCtus eximius *ad d. l.* 27. *§.* 1. *D. locati conduct.* ipso adolescente Ludovicum Sanctonium, disertissimum in Foro Parisiensi Advocatum, uni ex suis clientibus remissionem pensionis impetrasse, conquerenti, se propter spectra, idola, seu φαντάσματα nocturna, domo conducta infesta frui non posse; & testatur Covarruvias 4. *Variar. Resolut.* cap. 6. semel atque iterum ita judicatum fuisse in regio Prætorio Granatensi, scilicet non teneri conductorem solvere mercedem hoc casu. Nec obstat, quod nulla ejus rei expressa in legibus nostris mentio fiat: sufficit enim nobis, si per bonam & legitimam consequentiam inde deduci hoc possit, *arg. l.* 29. & 30. *D. de legibus*; quod ex *l.* 27. *§.* 1. *D. Locati* fieri omnino potest. Videri tamen posset metus ille non justus, nec legitimus, cum conductor sibimet eum accerseret; cum constet ex Plinio *lib.* 7. *c.* 27. Athenodorum Philosophum Athenis minime eas res expavisse, & testetur Casparus Peucerus *de Divin.* in lib. *de Meteoris*, viris bonis & fortibus simulacra & visiones nocturnas nunquam apparuisse, sed pueris, mulierculis, vecordibus, atque ægrotis, qui per animi imbecillitatem assidua formidine exagitantur. Democritus Abderita spectra nocturna adeo non timuit, ut perdius & pernox sæpe extra portam in monumentis viveret, ibi scriptionibus & commentationibus vacans, ut tradit Lucianus in *Philo-Pseude*. Hic repono, non exemplis, sed legibus judicandum esse: quin etiam, non omnes sunt Athenodori, aut Democriti, neque plures proferuntur, utque ita sit, raro reperitur, qui non expavescat; hinc liquet, metum in hac hypothesi non minus verum esse, quod unicus ac alter in hoc casu talia spectra non reformidaverit: nec enim ea, quæ semel ac iterum eveniunt, a Legislatore considerantur, *l.* 4. *D. de legibus*. & ad ea potius debet aptari, quæ & frequenter & facile quam quæ perraro eveniunt, *l.* 5. *D. eod.* ut enim Theophrastus ait: Τὸ γὰρ ἅπαξ ἢ δὶς παραβαίνουσιν νομοθέται, *l.* 6. *D. eodem*.

6. & 7. Et hujusmodi nocturnis illusionibus & spectris, non modo domos, sed & regiones inhabitatas reddi, constat ex *Matth.* 8. *Marc.* 5. Ex Augustino alioquin expeditum est, spectra, illusiones & nocturnos tumultus in certis quibusdam locis contingere & non in aliis, & ita plerunque loca, non personas sequi; quam conclusionem tradunt Covarruvias lib. 4. *Variar. Resolut.* cap. 5. Petrus Binsfeldius in Tract. *de Confessionibus Malefic.* dub. 1. conclus. 5. Martinus Delrius *Disquisit. Magic.* lib. 2. q. 27. sect. 2. fol. 296. *§* 16. & spectra nocturna præprimis versari circa sepulchra, tradunt B. Chrysostomus *Homil.* 35. *in Matthæum*, & Hieronymus Magius 2. *Miscell.* cap. 12. unde quoque originem cœmeteria consecrandi morem duxisse dicunt, ut Diaboli noctu minus potentiæ ibi haberent, Concil. Meldens. *Can.* 72. Circa loca quoque, ubi prælia commissa fuere, versari spectra potissimum nocturna, auctor est Felix Malleolus lib. 2. *de Nobilitate* cap. 30. Cæterum, ejusmodi illusiones nocturnæ aut minorem molestiam inferunt, aut majorem; si minorem, non usquequaque posse conductorem emigrare existimo. Pone, infestari domum spectris nocturnis, quæ tamen inhabitantibus nullum damnum inferant, sed potius opera domestica nocturno tempore faciant, qualia sunt, qui Lingua Saxonica vocantur *Hedekin*, de quibus egit Majolus *de Angelorum spectris & terriculamentis* fol. 144. quæ spectra cocis ministrare solere notat Speideil. in *Notab. jur.* si majorem hæc spectra, Deo permittente, inhabitantibus inferant molestiam, in terribili forma apparendo, lædendo quoque, constat ex *Matth.* 8. in Regione Gerasenorum occurrisse Christo duos habentes Dæmonia, de monumentis exeuntes, sævos nimis, ita ut nemo per viam transire posset. Sic Abdias Babyloniæ Episcopus lib. 3. *Historiæ Apostolicæ* scribit, in Nicæa civitate septem Dæmonia inter sepulchra delituisse, quæ eo adveniens D. Andreas, a populo rogatus, præcepit in loca arida & infructuosa abire, neve ulli nocerent. Cæteroquin, si constaret dolo malo & scienter dominum elocasse ædes suas, spectris & illusionibus infestas, & damnum datum sit, non dubito, quin experiri eo nomine contra locatorem, quin si ejus interlit, ut eas inhabitaret, ad interesse agere posset.

CAP. XVIII.

De igni fatuo & noctu ambulationibus.

SUMMARIA.

1. *Describitur ignis fatuus, &, quibus ex causis appareat, demonstratur.*
2. *Judicium Bodini admodum grave de igni fatuo recensetur.*
3. *De flammulis crini hominum vel jumentorum adhærentibus.*
4. *Agitur præterea de causa ignis fatui materiali & formali.*
5. *Quid Lutherus hac de re sentiat?*

6. *Causæ noctu ambulationis describuntur, ex variis Auctoribus depromptæ.*
7. *Varia exempla Noctuambulonum referuntur, deque eorum dictis & factis plura habentur.*
8. *Quid si noctambulo interficiat hominem, an pœna,* l. Cornelia, *teneatur, vel prorsus a quacunque pœna absolvendus sit?*
9. *Quid si damnum dederint Noctuambulones?*
10. *Noctuambulones ad instar furiosorum custodiri debent a propinquis & amicis, ne sibi vel aliis noceant; quod, si omiserint, non erunt impunes.*

1. FAces sive ignes nocturni, quos nos ignes fatuos appellitamus, noctu apparere ac homines terrere solent. Multi autem hac de re naturales rationes reddunt. Petrus Gregor. Tholos. ita scribit in *Syntaxi art. mirabil.* lib. 2. cap. 1. Quod ejusmodi ignes, vel faces, prodigii instar sint, causam ignorantibus, quæ tamen naturalis est. Scilicet, quod procedat ex continua fumida exhalatione, quæ in castris vel navibus a militibus & hominibus elevantur, quæ incenditur impressione facta in aere, motu quodam celeri accedente, quo accendantur exhalationes, ipsæque pinguiores. Quicquid sit, latius hoc explicat ac pluribus confirmat P. Castrab. 2. *Meteororum*, & P. Medinna lib. 62. *de arte navig.* c. 8. Hinc causa quoque, cur appareant ignes ambulones potissimum circa cadaverosa patibula, cœmeteria, coquinas, ædes sacros, ubi sepulturæ & alia loca uliginosa ac viscida, in quibus fæculentus, putris, igneus, crassus, & oleagineus transpirat halitus, qui facile ignescit, Miraldus lib. 1. *Cosmogr.* c. 15. parens meus dilectiss. *de indiciis delictorum* p. 2. cap. 24. n. 54. Apparent autem noctu potissimum, quod exhalatio sit calida & sicca, aer autem frigidus & crassus; quæ duo tantisper occurrunt & ventilantur, donec agitatione flamma excitetur, &c. Vide subtilissimum Arriagam *Disp.* 3. *l. d. Gener. n.* 165. Wierum *lib.* 1. *de præstig. D. m.* c. 18. & Casparum Peucerum in lib. *de Divin. de meteorologia*. Dico noctu potissimum apparere ejusmodi ignes fatuos; nam, ut alii volunt, & interdiu acceduntur & exardescunt fuliginosi illi vapores, ita tamen, ut conspici nequeant, ut nocturno tempore, sicut lucerna magis lucet noctu quam die, causa est, quia Sol ut lumen majus obfuscat minus, parens dilectiss. *d. l.* Exstat hac de re sive vera, sive conficta narratio, & quidem faceta, Euphormionis Lusinini in *Satyrico* de ejus nocturno itinere cum suo comite Perca.

2. Bodinus in *Theatro* lib. 2. fol. mihi 129. hac de re quæstionem movet: *Cur ignes, quos fatuos appellant, flamma in aere pensili, viatores terreant, fugientes sequantur, sequentes in aquas aut præcipitia deducant, ac sibilo evocati repente advolent?* Ad istam quæstionem solvendam, *ait*, cum dubius aliquantulum hæsisset, tandem ita respondet: Mihi quidem magis ingenuum videtur, de ignorantia confiteri mea, quam ridiculam causam promere: ut, si quæratur; *Quamobrem præsterem ardentem, e nubibus violenter disjectum, exstinguit acetum superfusum, aut cur typhones levissimus imber coercet?* Probabile aceti frigiditatem eximiam in causa esse, cum ardentem naphtham, aut feces olei laricini, sulphuris, camphoræ, aqua inflammari, aceto, vel urina, vel cineribus restingui videamus. Sed, quoniam me piget ineptiarum, malo ego de ignorantia confiteri, & universa, quæ de fulgure, tonitru, procella, præter naturam fieri videmus, ad geniorum potestatem referre: quæ vera sint, an falsa, nolim asseverare: vero tamen similiora sunt, quam quæ levissimis exspirationibus tribuuntur, &c. Sed Bodinus *eodem* in *libro* fol. 201. sententiam suam apertius indicat, ubi ita quærit Theorus: *An verum est, eos ignes, qui a nostris fatui vocantur, & qui circa sulphura, paludes, ac patibula vagantur, Dæmones esse, ut plerique putant?* Cui respondet ejus collocutor Mystagogus: Ludibria Dæmonum esse, vel hoc argumento convinci potest, quod sibilo procul etiam evocati, celerrime advolent, & vocantem necent, aut crudelissime torqueant, nisi fenestram, qua venientem viderit, repente concludat. Viatores etiam in flumina aut periculosa præcipitia sequentes deducunt; quos arcere si voles, clara voce Deum appellare, aut pronum, facie terram contingente, adorare oportet. Hoc amuletum Majoribus nostris acceptum ferre debemus. Idem fere judicium est de ignibus, quos Antiqui Castorem & Pollucem vocabant, qui procella jactatos comitantur, ac navium adyta penetrant. Certe Plinius Castorem & Pollucem, & eorum causas in majestate naturæ abditas latere scribit. Hæc *ibidem* Bodinus.

Ignis ergo fatuus est id, non adurens quidem, sed præcedens & sequens aliquem, in aere diutius perdurans: quale Meteoron Plinius in *lib.* 2. *cap.* 37. Castorem & Pollucem, Græci Πολυδεύκεα, nominat: quod ambulantes noctu præcipue, vel equitantes, aut navigantes, modo præcedere, modo sequi videtur, non sine horrore aliquo.

3. Talis fere etiam ignis est lambens crines & pilos animantium, aut vestes quoque. Sic Livius in *lib.* 1 ab Urbe condita de Servio Tullio refert, ignem crines pueri cinxisse, quod in meliorem partem explicatum fuit; nec frustra: paulo enim post Rex Romanorum creatus est. Et Virgilius lib. 2. *Æneid.* de Ascanio ita scribit versu 683.

Ecce levis summo de vertice visus Juli
Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora pasci.

Quem, uti in aliis, ita & heic secutus est Silius Italicus, dum Masanissæ ex pugna reverso noctu crines arsisse ait. Versus ejus hi sunt *lib.* 16. vers. 120.

Huic fesso, quos dura fuga, & nox suaserat atra
Carpenti somnos, subitus rutilante coruscum
Vertice fulsit apex, crispamque involvere visa est
Miris flamma comam, atque hirta se spargere fronte:
Concurrunt famuli, & serpentes pectora circum
Festinant gelidis restinguere fontibus ignes.

4. Sed ut ad priora revertar, hujusmodi ignes fatui crebrius apparent, ubi sunt loca humida, & fumosa, atque palustria, ut in cœmeteriis, coquinis, convallibus. Nam illic est plus pinguedinis viscosæ, unde surgunt exhalationes illæ, quæ deinde incenduntur, Mag. l. 4. *Physic.* 2. Halitus pinguis & crassus e terra assurgens vel propter diei æstum, vel per antiperistasin contrarii frigoris nocturni comprimentis & affligentis accenditur, Barthol. *de Meteor.* cap. 6. Efficiens proxima est frigiditas infimi aeris nocturni, cum qua pugnat halitus, atque ita accenditur. Interim accendi etiam potest vel æstu nimio diei, vel collisione partium exhalationis inter se ratione ventorum, aut cum partes leviores sur-

sum tendunt ; crassiores deorsum. Meurerus *Quæst. Met.* p. 121. halitum pinguem causam ignis fatui constituit; alii fumum ponunt, qui est calidus & siccus & potentia velut ignis, ex Aristotele lib. 1. *Meteor.* cap. 4. De quo Averroes *Comment. in l.* 1. Exhalatio calida & fumosa adscendit superius propter propinquitatem naturæ ejus ad naturam ignis. Bartholinus hac de re ita: *Materia ignis fatui est fumus, ut incendi possit, crassiusculus, viscosus ac tenax, ut aliquandiu durare queat, levis quodammodo, ut hinc inde vagari.* Sed quid fumus sine sulphure ad incendendum? Fumus, nisi sulphure constet, non inflammatur: & ex materia pingui & sulphurea ignem fatuum generari, verius est; quam sententiam pluribus probat D. Ittig. disp. *de igne fatuo* th. 56. Philippus Camerarius in *Horis Succisivis* cap. 16. cent. 3. scribit, se ipsum, cum aliquot nonnullis proficiscentem, ignes hosce fatuos conspexisse, & in fine illius capitis sententiam suam de illis ita dicit: *Etsi autem non inficior, naturales causas in ejusmodi ignibus fatuis adesse; tamen negari non potest, Diaboli technas & artes tales esse, ut se naturalibus nonnunquam immisceat, quo per eorum abusum tectius & commodius hominibus nocere & in perniciem ducere possit.* Adscribamus quoque verba Plinii *cap.* 37. *lib.* 2. „ Vidi, *ait*, nocturnis militum vigiliis, „ inhærere pilis pro vallo fulgorem effigie ea: & „ antennis navigantium, aliisque navium parti„ bus, ceu vocali quodam sono insistunt, ut vo„ lucres sedem ex sede mutantes: graves, cum „ solitariæ venere, mergentesque navigia, & si „ in carinæ ima deciderint, exurentes: geminæ „ autem salutares & prosperi cursus prænunciæ, „ quarum adventu fugari diram illam ac mina„ cem, appellatamque Helenam, ferunt. Et ob „ id Polluci & Castori id numen assignant, eos„ que in mari Deos invocant. Hominum quo„ que capita vespertinis horis, magno præsagio „ circumfulgent. Omnia incerta ratione, & in „ naturæ majestate abdita.

5. Martinus Lutherus piæ memoriæ *in Genesin cap.* 9. „ Una firma & certissima demonstratio „ est, *inquit*, quod omnes illæ impressiones, ut „ vocant, sint opera Dei, vel etiam Dæmonum. „ Sicut ego non dubito, saltantes capras, volan„ tes dracones, lamias, & similia esse effectus „ malorum Spirituum in aere sic ludentium, ut „ aut terreant, aut decipiant homines. Gentes „ flammas in navibus apparentes judicarunt, Ca„ storem & Pollucem esse; & apparet aliquando „ Luna super aures equorum. Hæc omnia, cer„ tum est, esse ludibria Dæmonum in aere. Hæc ille.

6. De Noctuambulonibus dicturus, scio quidem, non paucos dubitare, an Noctuambulones illi sint, quos phantasiæ vitio correptos, incubos Medici appellant. Noctuambulatio autem est motus hominis, phantasia quoque oberrante, ubi non membra singula quiescunt, & in actione humana consistit; qua de re in *Oratione inaugurali* publice habita V. Horstius M. D. in qua recenset, se Wittebergæ novisse Studiosum, qui dormiens solitus esset adscendere parietes & tecta ædium altiorum, unde aliquando delapsus crus fregerit. Sic Theon Stoicus dormiens passim deambulavit, & servus Peridis dormiens in summa tecta raptus est, teste Ravisio, quem allegat Zvving. *vol.* 2. pag. 416. Paracelsus rejicit causam in spiritum: diem enim esse destinatum corporibus, noctem vero spiritibus: nam in die laborant, inquit Henr. Kornman in Tract. *de miraculis vivorum* fol. 199. corpora, & in nocte spiritus, & quando cessant spiritus, incipiunt cor-

A pora. Sic &, quando corpus hominis desinit laborare, & incipit quiescere, spiritus ejus incipit operari, & quando desinit operari, incipit iterum corpus. Ut igitur in die causatur homo ambulare & ambulat, adest spiritus ejus custos, qui ipsum ducit in virtute Dei; sic & in somnis quando spiritus causatur surgere & ambulare, adest spiritus custos, & ducit hominem in somno. Ut enim habemus morbos in physico corpore, ita & in anima, sed non materialiter, verum spiritualiter; ideo surgimus in somno, quando habemus maniam somni. Nec contradicit, quod si homo surgat in tali morbo, malignus spiritus accedat, ipsumque circumducat ad inaccessa loca & periculosa. Verum bonum Angelum non animadvertit, ideoque fallitur: B nam bonus Angelus custodit eum, & maligni spiritus propositum frustratur. Ideoque sæpissime fit, si nomine vocitentur ambulones, ipsos expergisci & cadere. Et ratio est, quia spiritus ejus terretur ob vocitationem. Spiritus enim terrentur æque ab hominum vocibus, ac homines a spirituum voce, & ideo, quia homo suscepit nomen in baptismo, & non spiritus. Hæc Kornmann.

Quid de Noctuambulonibus Andreas Laurentius lib. 4. *Anatom. hist.* q. 12. censeat, subjungere lubet: Dicamus, *inquit*, moveri dormien- C tes, quia exigua vis in musculis latens a forti imaginatione excitatur: propterea non moventur dormientes, nisi valida imperante imaginatione, brutorum imaginationi simillima. Est autem dormientium imaginatio brutorum imaginationi similis, quia rationem repugnantem non habet. Unde fit, ut illi multa moliantur, quæ vigilantes non auderent, tectum sublime conscendunt, per trabes & lacunaria oberrant, omnia denique audent intrepide: quia imaginatio vaporum caligine consopita pericula non agnoscit. Non sentiunt autem dormientes: quia objectum sensus D non adest, at motus objectum habet proprium, appetitum scil. qui spectra imaginationi repræsentat. Cum ergo per somnum ferientur cæteræ facultates animales, sola imaginatio itaque plerunque operatur, ut vim motricem & cæteras partes inferiores ceu mancipia quædam moveat, quod cum fit, spiritus animales motui inservientes, ad sua organa ire coguntur. Excitantur autem prædicti motus ex rerum ad id cogentium servatis intro speciebus. Huic porro affectui sunt obnoxii, qui sanguine spumante & multo fervidoque spiritu abundant, &c. Sed, ut ut sit, felix, qui potuit rerum cognoscere cau- E sas.

7. Saltem pro re nata hic quorundam Noctuambulonum exempla, memoratu digna, referam. Scribit Martin. Delr. *Disquisit. Magicarum* lib. 1. cap. 3. q. 2. fol. 15. poster. edit. in 4. in quodam Religiosorum Collegio erat Laicus unus, solitus interdiu pueros rudimentis Catechismi imbuere, cogitationes eædem dormienti recurrebant, ita ut in somnis, & præcineret, & doceret, & hortaretur, & increparet pueros æque clamose & ferventer, ac solebat interdiu: sic turbabat vicinorum somnum. Itaque qui propinquior illi habitabat alius Laicus, & sæpe F monuerat, quodam die illi per jocum minatur, si pergat hos clamores edere, surrecturum se noctu, & ad thalamum ejus iturum, & flagello ex funiculis intemperies hasce abacturum. Quid Fundisalvus? sic enim vocabatur; surgit circa noctis medium dormiens, & egressus, ut decubuerat, in indusio cubiculum fratris Collegæ ingreditur, manu forfices ferens & prætentans, & recta ad lectulum alterius, cui

fuerat interminatus, contendit. Vide Dei providentiam. Luna lucebat, & nox innubis erat, & frater iste vigilabat, videt accedentem, & celeriter de lecto se dejicit, qua paries erat nonnihil remotior. Noctambulus proximus forficibus culcitram ter quaterve petit, & confestim redit, unde venerat. Mane facto interrogatus, negat se meminisse, neque id facere unquam in animum vel leviter induxisse; tantum cogitasse, si alter cum flagello ad se accederet, illum intentatis forficibus perterrefacere & abigere. Laudensis JCtus in *Clem.* 1. *de hom.* refert, fuisse sibi apud Parisios socium Anglicum, qui noctu dormiens domo egrederetur, ad templa proficisceretur etiam procul remota: & aliquando ab usque templo Divi Benedicti iverit ad flumen Sequanæ, ibique puerum interemerit, & non expergefactus sese in lectum conjecerit. Bar. *ff. de just. & jur.* tradit, fuisse quendam Pisanum, qui se noctu dormiens armabat, vagabaturque per urbem cantando. Marianus quoque JCtus *in c. ad audientiam, in* 10. *q.* 5. testatur, se habuisse vicinam puellam, quæ dormiens e lecto surgebat panemque faciebat. Galenus lib. 2. *de Musculorum motu* cap. 4 narrat, se ipsum dormientem & somniantem integrum ferme stadium peregisse, nec a somno, priusquam in lapidem impegisset, excitatum fuisse, &c. Bodinus lib. 3. *Dæmon.* c. 6. hanc historiam de Noctuambulone quodam refert: „ Fuit vir, *inquit*, dormiens noctu obambulabat, quem socius, qui cum ipso cubabat, prosequens, cum in profluentem ire animadverteret, non processit quidem ulterius, sed ne ille procederet, nomine appellavit: sic ille repente corruit dormiens, & submersus est. *Jean l'Aleman Medecin, en son Commentaire sur le livre du grand Hippocrate*, de flatib. *dit, que le serviteur d'un Apothicaire se levoit toutes les nuits, & dormant escrimoit comme en plein jour dedans la chambre où il gisoit.* Johann. Schenk. in *Observat. Medicinalib.* lib. 1. tit. *de Noctambulis* fol. 75. ita scribit: „ Juvenem novi, *inquit*, qui somnians se propter negotia sua equitaturum esse, & lecto surgens indutus vestimentis propriis, cohurnisque ac calcaribus appositis, super fenestram (nam in tabulato degebat) conscendit, & hinc indeque divaricatis cruribus parietem, perinde ac si equus esset, & voce & calcaribus ad cursum incitabat; hic ex somno expergefactus, tanto horrore correptus est, cogitans se per somnum mortem fere sibi ex præcipitio conscivisse. Cognovi quoque artificem, *addit idem*, qui dormiens e lecto surgebat, e thalamoque exiens, domum fere totam peragebat, & descendebat: hic semel nullis indumentis amictus, domo exiens apothecam propriam adivit, eamque clavibus aperuit; a qua demum expergefactus ab amicis, qui ei forte obviam facti fuerunt, maxima cum verecundia & timore, dubitans, ne inde stultus existimaretur, non amplius dormiens, sed vigilans redivit. Hæc ille *d. l.*

Qui plura de his desiderat, legat Bodinum lib. 3. *Dæmonoman.* cap. 9. pag. mihi 292. Delrium *Disquisit. Magicar.* lib. 1. c. 3. q. 3. fol. 15. Galenum lib. 2. *de Musculorum motu* cap 4. Johann. Schenk. in *Observat. Medicinalib.* lib. 1. tit. *de Noctambulis* fol. 74. & seqq. Zvvinger. *vol.* 2. lib. 5. pag. 416. Andream Tiraquellum in Tr. *de pœn. temp. aut rem.* causa 5. n. 11. Joannem Jacobum Speideilium in *notab. Jurid. hist. polit.* lit. S. Christophorum Crusium, parentem meum dilectissimum, in nobiliss. Tr. *de indiciis delictorum* par. 4. cap. 33. n. 48. & 49. pag. 209. & 210. ubi scribit, se novisse adolescentem nobilem, solitum noctu surgere, ac insomnem hinc inde deambulare, aperire fores, libros apprehendere, scriptoriam pennam quasi scripturum manu tractare, &c. Qui præter hactenus relatas hujus noctuambulationis causas scire desiderat, pluribus legat Petrum Aponensem, virum rerum naturalium peritissimum, *in Aristotelem lib. Problematon* 30. c. *ult.* Cælium Rhodiginum libro 30. *Antiquarum Lectionum* c. 9. & Albertum Magnum lib. 2. *de somno & vigilia*, & ex antiquioribus Aristotelem lib. 1. *de generatione animalium* c. 1. Antonium Musam, aut, ut alii malunt, Apulejum in libello *de betonica*, uti scribit, hanc herbam eam vim habere, ut animos hominum & corpora custodiat, & nocturnas ambulationes a maleficiis, periculis, & visionibus metuendas tueatur & defendat.

8. Commode hic quæritur, an surgens insomnis, & occidens aliquem, pœna homicidii teneatur? Et non teneri, communiter tradunt Dd. Ratio est, quia dormiens caret dolo, adeoque mortuo & furioso, quoad intellectum, comparatur, per *Clem. unic. de homicid.* Vid. Gail. lib. 2. *Obs.* 110. n. 30. &c. Ludovic. Gilhaus. in *arb. criminal* tit. *de exceptionib.* n. 147. & seqq. & Andream Tiraquellum in Tr. *de pœnis temperandis aut remittendis*, d. caus. 5. per tot. Cum itaque dormientes parum a mortuis distent, mortui autem, ut palam est, delinquere & (ut dicunt Theologi) mereri aut demereri non possint, ut late differunt in 4. *Sententiarum, distinct. ult.* exinde colligitur, culpæ non adscribendum esse, quod illis dormientibus contingit. Quod & testatur Divus Bernardus in libro *de Libero Arbitrio* dicens: *Vesanis, & infantibus, & dormientibus, nihil, quod agant, imputatur.* Late item concludunt Theologi recentiores *in* 2. *Sententiarum dist.* 25. ea ratione moti, quod omne peccatum ex judicio rationis dependet, quo sublato tollitur omnis ratio peccati. Judicium autem in dormiente esse non potest, cum dependeat ab operationibus potentiarum animalium, quæ tunc veluti ligantur & quiescunt, Andr. Tiraquellus *d. l.* Distinguunt autem hic Dd. nisi in culpa fuerit dormiens, quoniam sciebat, se eo vitio laborare, ut dormiendo surgeret, arma caperet, vim inferret, verberaret, occideret, & cætera hujusmodi, nec diligentiam adhibuit, ut huic rei obviam iret, arma removendo, se ligari vincirique, si opus esset, præcipiendo, & alia, quibus futuro periculo consulant, facienda; teneretur enim de culpa, per id, quod simile habetur in *l. Cornelia ff. de sicar. & l. si putator ff. ad l. Aquiliam.* Et ita voluerunt Guil. de Cuneo *in l. Divus ff. de offic. Præsid.* Petr. Anchar. & Cardin. in *Clem.* 1. *de homicid.* Angel. Aretin. in Tract. *de Malefic.* in verbo *comparent dicti inquisiti*, vers. *quid si dicat*; & alii, qui allegantur ab Tiraquello *loco ante cit.* Blancus *de Indiciis* pag. 232. Gail. 2. *Observat.* 110. num. 30. parens dilectiss. pag. 2. *de indiciis* cap. 24. n. 52. Qui autem surgendo non est solitus aliquem lædere, plane inculpatus est, ita distinguunt Doct. ubi supra, maxime Blanc. in §. *dormiens*, & Hippol. *ad l.* 1. *n.* 64. *ff. ad l. Cornel. de sicar.*

9. & 10. Alias tales Noctuambulones noctu surgentes & hominibus damnum inferentes instar furiosorum custodiri fas est claustris & cancellis, ne, dum vagantur liberi, & sibi & proximo incauto noceant, *l.* 14. *ff. de offic. Præs.* non secus ac si bestiæ feræ vel nocivæ includi debent, quominus lædant hominem vel aliam bestiam, *l.* 1. *ff. si quadr. pauper. fecis. dic. l.* 2. *ff. ad l.* 2. *ff. ad l. Aquiliam in l.* 14. *modo citata ff. de offic. Præsid.* ubi præcipitur consanguineis furiosorum, ut eum in vinculis custodiant, &c. eadem

ratione dicendum est de dormiente & Noctuambulone, quia parium idem est judicium, ratio in omnibus versatur, & identitatem vel diversitatem juris inducit Eberh. in *Topic.* pag. 123.

Cap. XIX.

De Festis exsecrandis nocturnis.

SUMMARIA.

1. *Noctu celebrata festa, ut Bacchanalia, horrenda pepererunt scandala.*
2. *Quinam Consules Romani pridem hoc festum abrogarunt, quod denuo reductum est?*
3. *Scythæ gentes trucidarunt Regem suum, quod nollet hoc festum secum celebrare.*
4. *Augustini judicium de hisce festis.*
5. *Quot Reges & Optimates occisi sint in hujusmodi festis a plebe furiosa, & vino amente facta.*
6. *Dicta fuerunt hæc festa Nyctileja.*
7. *Pudenda virilia in hoc festo culta quoque a matronis honestioribus, quæ ad hoc adactæ fuerunt.*
8. *Abrogata demum hæc festa, uti & festa Adonidis sacris dicata.*
9. *Describuntur Cereales Ludi & festa Cerealia, nec non Eleusina festa.*
10. *Festis Eleusinis interesse non poterant, nec admittebantur homines impuri, scelerati & infames.*
11. *Festa Cereris Eleusinæ si una celebrarent atque templa ingrederentur homines flagitiosi, trucidabantur.*
12. *Festa hæc Cerealia peragebantur quidem magno in silentio, attamen sacerdotes discurrebant cursu phanatico.*
13. *Dicitur utplurimum a matronis honestis hæcce festa culta & frequentata fuisse.*
14. *Eupolis vetus Poeta primus fuit, qui in sacra nocturna inveheretur.*
15. *Describuntur festa Boemorum nocturna.*
16. *De ordine Fratricellorum & Beghinarum agitur eorumque sacris nocturnis.*
17. *Beghinarum quæ religio vel fides?*
18. *Exempla traduntur varia, jucunda, ac tragica, de conventibus nocturnis in locis sacris, & stupris ibidem patratis.*
19. *Historia de Paulina & Mundo ex Josepho, & alia consimilis Historia ex Eusebio narratur.*
20. *De congressibus nocturnis sagarum varia traduntur.*

1. NOCTU olim celebrata fuerant festa quæque perniciosissima, ut Bacchanalia, quæ in Etruria primo recepta, mox etiam Romam perlatæ, in quibus noctu multa facinora committebantur; nam & viri per noctem fœminis & teneræ ætati turpiter miscebantur per dolum. Unde Poeta,

Qui Curios simulant & Bacchanalia vivunt.

De illis ita Livius *lib.* 39. *cap.* 8. „Græcus, *inquit*, „ignobilis in Etruriam primum venit, nulla cum „arte earum, quas multas ad animorum corpo„rumque cultum nobis eruditissima omnium gens „invexit, sed sacrificulus & Vates; nec is, qui „aperta religione propalam & quæstum & disci„plinam profitendo animos horrore imbueret, „sed occultorum antistes sacrorum. Initia erant, „quæ primo paucis tradita sunt, deinde vulgari „cœpta per viros mulieresque; additæ volupta„tes religioni vini & epularum, quo plurium a„nimi allicerentur. Cum vinum animos & nox, „& mixti fœminis mares, ætatis teneræ majori„bus, discrimen omne pudoris exstinxissent; „corruptelæ primum omnis generis fieri cœptæ, „cum ad id quisque, quo natura pronioris libidi„nis esset, paratam voluptatem haberet. Nec „unum genus noxæ, stupra promiscua ingenuo„rum fœminarumque erant: sed falsi testes, fal„sa signa, testimoniaque & judicia, ex eadem „officina exibant: venena etiam intestinæque cæ„des, ita ut ne corpora quidem ad sepulturam „exstarent. Multa dolo, pleraque per vim aude„bant, quia præ ululatibus tympanorum & cym„balorum strepitu nulla vox quiritantium inter „stupra & cædes exaudiri poterat. Hujus mali la„bes ex Etruria Romam veluti contagione morbi „penetravit. Hæc Livius.

2. Horum sacrorum capita, teste Sabell. *Ennead.* 5. lib. 7. Qu. Martius Philippus, & Posthumius Albinus Consules abrogarunt. Dicta vero hæc festa a Baccho, vini deo, qui & propterea, quod hæc sacra noctu fiebant, Nyctileus dictus fuit. Hæc festa & in Ægypto ac Græcia primum usitata fuerunt; nam teste Herodoto, Melampus Amythaonis filius hæc sacra Bacchanalia ex Ægypto ad Græcos detulit, ubi in Parnasso monte alternis annis acta sunt magno cum hominum, multo mero incalentium, clamore, tum tympanorum crepitu. Non multo post Græcus quidam homo ignobilis, ejusmodi sacrorum antistes in Hetruriam venit, ac ritus festorum docuit. Ex Hetruria hæc mali tabes Romam tandem pervenit. Cicero lib. 2. *de Legibus* nocturna vel peregrina sacra damnat, laudat Majorum severitatem Senatusque veterem auctoritatem, & Consulum exercitu adhibito quæstionem ac animadversiones de Bacchanalibus. Inprimis deplorandum hoc exsecrandum malum apud nos, qui Christiani esse volumus, tam late vires cepisse, si tantum adspiciamus & imitemur Christum, cujus discipuli esse volumus. Nam quid eo erat simplicius? quid modestius? quid temperantius?

Scythæ gentes, quamvis barbaræ & indociles censentur, propterea Scylem Regem eorum interfecerunt, quod illi Scythicus vivendi mos cordi non esset, sed Græcus, in quo fuerat imbutus a puero, & Bacchanalibus sacris initiatus esset: Scythæ (qui Græcis probro dant bacchandi consuetudinem, negantes esse credibile, deum invenisse quo homines ad dementiam adigantur) hoc clam videntes rem ingentis calamitatis esse duxerunt, ideoque fratrem ejus Octomasadem Regem constituerunt, qui recepto fratre a Sitalce Rege Thraciæ, ad quem transfugerat, ei caput demisit. (Vid. Valerius Maximus lib. 1. *de religione*) *Adeo sua instituta*, inquit Herodotus in *Melpom.* sive l. 4. cap. 80. *Scythæ observant, & his, qui externos ritus adsciscunt, tales irrogant pœnas.*

4. & 5. De quibus festis ita Aurel. Augustin. de *Civ. Dei* lib. 6. cap. 9. *Bacchanalia*, inquit, *summa celebrantur insania.* Ubi Ludovicus Vives interpres sic scribit: „Nam si quieta essent tranquil„laque mente homines, nunquam talia facerent: „partim inepta stultaque, partim abominandæ „fœditatis, partim crudelia & inhumana; mul„tæ enim cædes per hujusmodi sacrificiorum furo„rem committebantur, sic occisi sunt Pantheus, „& Ninus Indiæ Rex, & Lycurgus Thrax, & „Orpheus. Ex his causis Bacchus ipse Mænoles, „quasi totus furens, dictus fuit, ut scribit D. „Clemens, Eusebio citante. Diodorus Siculus *lib.* 2. *cap.* 2. In multis Græcis urbibus triennio Bacchides mulieres conveniunt: apud quas de more virgines thyrsum ferunt, in honorem dei

bacchantes, eique per cœtus sacrificantes. Postremo memoriam Mænadum, quæ feruntur illi deo adstitisse, hymnis & cantu renovant; uti de his Ovid. lib. 4. *Fast.* verf. 457.

Mentis inops rapitur; ut quas audire solemus
Threicias fusis Mænadas ire comis.

Juvenalis *Satyra* 6. verf. 313.

—— & cornu pariter vinoque feruntur
Attonitæ, crinemque rotant ululante Priapo *
Mænades.

Vide & Persium *Satyra* 1. & eleganter Alexandrum ab Alexandro in *Genial. Dieb.* lib. 6. cap. 19.

6. Hæc Sacra, quoniam noctu fiebant, Nyctileja dicebantur; de illis ita Alexander ab Alexandro *d. l. Quæ sacra*, scribit, *procedente tempore, quum ex diurnis nocturna fiebant (unde Nyctileja appellata sunt) promiscuis ingenuorum & fœminarum stupris, cum strepitu & ululatu in omne facinus & libidinem, perpetuo senatusconsulto non in Urbe modo, sed per omnem Italiam coercita fuere, maximisque pœnis inhibitum, ne Bacchanalia Romæ, neve in Italia fierent, quum in contubernio sordidissimorum patrarentur, essentque maximorum scelerum causa & seminarium.* Hæc Alexander ab Alexandro *d. l.* ubi vide & Tiraquellum in *Notis*. Ipsum Bacchum vero Nyctileum vocatum fuisse, testatur Ovidius lib. 1. *de Arte amandi*:

Ergo ubi contigerint positi tibi munera Bacchi,
Atque erit in socii fœmina parte thori;
Nyctileumque patrem, nocturnaque sacra precare,
Ne jubeant capiti vina nocere tuo.

Vide & eundem lib. 4. *Metamorph.* & Virgilium lib. 4. *Æneid.* & Plutarch. in eo libro, qui inscribitur *de eo, quod erat in Delphis.*

7. D. Augustinus *de Civit. Dei* lib. 7. cap. 21. Sacrorum Liberi Patris turpitudinem acriter lacerans, sic scribit ex Varrone: „In oppido Lavinio „unus Libero totus mensis tribuebatur, cujus diebus omnes verbis flagitiosissimis utebantur, donec illud membrum per forum transvectum esset, atque in loco suo quiesceret. Cui membro „inhonesto matremfamilias honestissimam palam „coronam necesse erat imponere. Et paulo ante: „Inter cætera, quæ prætermittere, quoniam „multa sunt, cogor, in Italiæ compitis quædam „(*M. Varro scilicet*) sacra Liberi celebrata cum „tanta licentia turpitudinis, ut in ejus honorem „pudenda virilia colerentur: non saltem aliquantum verecundiore secreto, sed in propatulo „exsultante malitia. Nam hoc turpe membrum „per Liberi dies festos cum honore magno postellis † impositum, prius per rura in compitis, & „usque in urbem postea vectabatur, &c.

8. Quanquam Cicero fons eloquii in 2. *de Legibus* scribat, Diagondam quendam Thebanum primum perpetua lege apud Græcos sustulisse nocturna hæc sacrificia, quæ translata fuerit in Leges duodecim Tabularum Romæ, quamvis alii Romulo tribuant: NOCTURNA MULIERUM SACRIFICIA NE SUNTO, PRÆTER ILLA, QUÆ POPULO RITE FIENT. Dabatur enim magna ansa delinquendi mulieribus in nocturnis sacrificiis ob occasionem temporis, quæ etiam alioquin bonos ad malum perpetrandum interdum incitat, tum ob fragilitatem sexus muliebris *l. 2. §. verba n. ff. ad SC. Vellejanum*; hinc de

* Alii, *ululantque Priapi.* † Rest. *plostellis.*

Adonidis sacris dicebatur οὐδὲν ἱερὸν, id est, *nihil sanctum*. Clodius prætextu religionis nocturna contaminavit sacra, quæ dicebantur bonæ Deæ. Aristophanes facetissimus Poeta, in Cerealibus novos Deos, & in his colendis nocturnas pervigilationes sic vexat, ut apud eum Sabazius, & quidam alii Dii de peregrinis judicati, de civitate ejiciantur. Apud Plautum in *Aulularia*, Lyconides adolescens dicitur filiam Euclionis vitiasse in Cereris vigiliis.

9. Cereales vero Ludi, seu festa Cerealia erant, quæ in honorem Cereris magnificentissime fiebant. Cicero in *Oratione pro Cornelio Balbo*: „Sacra Cereris, Judices, summa Majores nostri religione confici ceremoniaque voluerunt. Quæ, „cum essent assumta de Græcia, & per Græcos „semper curata sunt sacerdotes, & Græca omnia „nominata. Vide eundem lib. 2. *de Legibus*, & Festum Pompejum *lib.* 7. Alias Græci colebant sacra Eleusinæ Cereris; de quibus vid. Divum Augustinum *lib.* 7. *cap.* 20. Lactantium Firmianum *falsæ Religionis* lib. 1. cap. 21. Lilium Gyraldum *Historiæ Deorum* Syntagm. 14. & Erasmum *chiliadis* 2. *cent.* 5. *cap.* 66. ubi scribit; *exclusis maribus.* Hinc Claudianus lib. *de raptu Proserpinæ* verf. 9.

—— jam magnus ab imis
Auditur fremitus terris, templumque remugit
Cecropidum, sanctasque faces attollit Eleusis.

10. Porro voce præconis impollutis, impiis, & sceleratis interdicebatur interesse hisce sacris; hinc Sueton. in *Nerone* cap. 34. *Peregrinatione quidem Græciæ Eleusiniis sacris, quorum initiatione impii & scelerati voce præconis summoverentur, interesse non ausus est.* Ælius Lampridius in *Alexandro Severo* scribit, eum jussisse, quemadmodum in Eleusiniis sacris dicitur, ut nemo ingrediatur, nisi qui se innocentem novit. Huc nonnulli referunt illud Virgilii lib. 6. *Æneid.* verf. 258.

—— procul, o procul este profani,
Conclamat vates.

Vide Servium *ad hunc locum.*

11. Livius *lib.* 31. *cap.* 14. tradit, quod, cum Acarnanes duo juvenes per initiorum dies, non initiati, templum Cereris imprudentes religionis, cum cetera turba ingressi essent, tanquam ob nefandum scelus interfecti sunt.

12. Notandum hic quoque, quod illa Sacra magno in silentio peracta fuerint. Huc pertinet, quod Alcibiades, ut tradit Plutarchus, accusatus fuerit, quod Sacra Cereris enunciasset. Justinus *lib.* 5. scribit, Attica Cereris festa nulla re magis quam silentio constare. Aristophanes in *Nubibus* hæc Sacra ob id ἄῤῥητα ἱερὰ, id est, *non dicenda sacra*, vocat. Vide & Gregor. Nazianzenum in *sermone solemnitatis Epiphaniorum*. Sed audiamus Alexandrum ab Alexandro *Genial. Dier.* d. lib. 6. cap. 19. „Fuisse enim, *scribit*, in Græcia Sacra „Eleusinæ Cereris spectatissima, Auctores memorant; quæ obscura luce fiebant, sacerdotesque, facibus discurrentes, cursu fanatico Sacra „peragebant, a quibus, velut sanctissimis & impollutis, impii consceleratique amovebantur „voce præconis, ita ut templum, velut omni religione sanctum, alicujus criminis aut noxæ „conscio adire non liceret: quod si quis adiisset, „non initiatus, capite luebat: ad quod Nero „conscientia sceleris agitatus, ingredi veritus „fuit. Non sic Antoninus Philosophus Augustus, „qui fretus innocentia & vitæ integritate sine discrimine adivit. Cujus mysteria magno silentio

„ inclyta, velut arcanum quid ſanctumque in vul-„ gus efferre non licebat. Hactenus ille.

13. Hæc Sacra a ſolis matronis celebrabantur ſingulis annis, teſtibus Alex. ab Alex. *d. l.* Valer Max. lib. 1. cap. 1. *de cultu Deorum*, Livio 3. *decad. lib.* 2. Abſtinebant vero vino & Venere, teſte eod. Alex. ab Alex. *loc. cit.* Vide & And. Tiraq. in *Notis ſupra eundem Auctorem*. Alioquin Romæ prohibitos fuiſſe nocturnos conventus, teſtatur Alex. ab Alexandro *lib.* 6. *cap.* 10. & Portius Latro in illa elegantiſſima *Declamatione adverſus Catilinam*: *Primum*, inquit, 12. *Tab. cautum eſſe cognoſcimus, ne quis in Urbe cœtus nocturnos agitaret.*

14. Eupolis vetus Poeta comicus in ſuis *Baptis*, nocturna Athenienſium Sacra, quæ Cotyttia dicebantur, quominus damnaret, ne mortis quidem periculo adduci potuit: de hiſce ſcribit Angelus Politianus in libro *Miſcellaneorum* cap. 10. cujus hæc ſunt: „ Athenienſes igitur ea tempeſtate Sa-„ cra quædam, religiones peregrinas, novoſque „ deos adſciverant, quibus nocturnæ pervigila-„ tiones eſſent inſtitutæ, magnorum dein flagitio-„ rum cauſæ, ſicuti Romæ Bacchanalia. Sed in-„ ter Sacra cætera fuere etiam, quæ dicerentur „ Cotyttia: contra hæc nocturna Cotyttia ſcri-„ pſiſſe Eupolin Baptas putamus. Hæc ille. Hinc eodem referente Platonius Græcus Auctor, ubi de Comœdiarum differentiis agit, ſcribit: Ισμεν γȣ̃ν τὸν Εὔπολιν ἐπὶ τῷ διδάξαν τȣ̀ς Βάπτας ἀποπνιγέντα εἰς τὰν θάλατταν ὑπ' ἐκείων εἰς οὓς κάθηκε τȣ̀ς Βάπτας, id eſt, *Scimus Eupolin, quoniam Baptas fabulam docuerit, ab iis ipſis in mare ſummerſum contra quos Baptas emiſerat*. Eleuſina celebrata noctu, auctor eſt Laertius in *Vit. Philoſoph.* pag. 234. quæ propterea Demonax Philoſophus frequentari noluit.

15. Porro Boemi nocturnos agentes conventus, Sacra ſcil. conficiendi cauſa, immania commiſerunt flagitia. Quamprimum enim Geneſeos illud pronuntiaretur, quod ſæpiſſime contingebat, *Creſcite & multiplicamini*, lumina, quæ accenſa erant, illico exſtinguebantur, & tunc neque ætatis ulla, neque ſanguinis attenta reverentia promiſcue viri, &, in quam per tenebras quiſque incideret, mulieres cognoſcebant. Peracto ſcelere, cum in locum quiſque ſuum ſe recepiſſet, luminaria rurſus accendebantur, & Sacra peragebantur; quam nefandam impietatem quatuor Reges, Wenceslaum, Sigiſmundum, Albertum & Uladislaum exſtirpare voluiſſe, ſed fruſtra id attentaſſe, ſcribit Joan. Boem. in lib. *de Morib. Gent.* lib. 3. c. 11. pag. 235. Propter quam impietatem & luxum ſimilem & jam olim Majuma ſublata in *tit. C. de Majum. l.* 11. Dd. Wilhelm. Anton. in *corollar.* ſuo *de reſcript. moral.* ſect. 1. corol. 5. in fin. Chriſtophor. Cruſ. parens dilect. *de indiciis delictorum* part. 2. cap. 5. pag. 69. Simile quid refert Joan. Wolfius *Lect. memorab. & recondit.* cent. 13. pag. 540.

16. De ordine Fratricellorum, Bechardorum, Beghinarum, ſeu Beguttarum, Wolfii verba hæc ſunt: „ Huic initium feciſſe, dicit Urſpergenſis, „ Dulcinum quendam, & Margaritam concubi-„ nam ſuam apud urbem Lombardicam Novariam. „ Balæus incognitum eſſe dicit ortum ejus. Ince-„ debant capite demiſſo: faciem cooperiebant: „ laute bibebant & comedebant: convivia & con-„ ſortia mulierum affectabant. Nocturnos agebant „ conventus in locis abditis, ubi Sacerdos eorum „ primum quædam ad laudem Dei canebat, dein-„ de de ſua religione diſſerebat. Quibus peractis „ in promiſcuos amplexus virginum & mulierum „ exſtinctis luminibus ruebant. Infans exinde na-„ tus tamdiu violentis manibus trahebatur, do-„ nec animam exhalaret. In cujus autem mani-„ bus exſpirabat, is Pontifex maximus inter eos „ creabatur. Bernhardus Lucelburgenſis ex lib. 8. „ *Saxoniæ*, Margaritam concubinam Dulcini ex „ S. Sancto concepiſſe affirmabant, addit, con-„ tra Papæ faſtum & tyrannidem, & Romanam „ non eſſe veram & Catholicam Eccleſiam, aperte „ docuiſſe, multaque Romani Pontificis ſtatuta „ damnaſſe teſtatur Palmerius, & Luzelburgius. „ Damnata hæc hæreſis nefanda a Bonifacio VIII. „ Clemente V. & a Joanne XXII. Contra hanc „ ſectam pernicioſam ſcripſere ex Germanis Felix „ Malleolus, ex Anglis Richardus Laimheim Car-„ melita, Richardus Madeſcon, & Rogerius de „ S. Ivone, teſte Balæo in Tr. *de vita Pontif. Rom.* „ Quæ turba, quoniam repullularet circa Annum „ 1328. a Gregorio IX. etiam eſt damnata: rece-„ pta autem dicitur ab Eugenio IV. & approbata; „ cujus numerus in tantum creverat, ut ſi quis „ ex Mediolano Coloniam proficiſceretur, qua-„ vis nocte ex ſecta hac hoſpites habere potuerit, „ qui certa ſigna domibus ſuis appinxerant. Ha-„ ctenus Joannes Wolfius *d. l.*

17. De falſa doctrina eorum ita ſcribit Petrus Gregorius Tholoſanus lib. 13. *de Republica* cap. 10. „ Eodem tempore, *inquit*, fuerunt Begardi „ & Beginæ hæretici in Germania, qui prætextu „ Scripturæ ſanctæ & religionis, inter cæteros er-„ rores, illud aſſerebant, mulieres quidem oſcu-„ lari, cum ad hoc natura non inclinet, eſſe pec-„ catum mortale, actum autem carnalem, cum „ ad hoc natura inclinet, non eſſe peccatum, ma-„ xime cum tentatur exercens; quorum hæreſes „ damnatæ in Concilio Vienneníi in *Clem.* 3. *de* „ *hæret. in Clem.* Sub Clemente etiam V. in Con-„ cilio Vienneníi in *Clem.* 1. *de relig. Dom.* idem „ ſtatus Beguinarum damnatus, quæ quibuſdam „ adhærebant Religioſis, ad quos ſpecialiter trahe-„ batur affectio, & ſic Hoſtienſis cavendum eſſe a „ Beginis admonet. Hæc ille.

18. Sed ad antiquiora redeo, enarraturus quomodo Deus numen caſtiſſimum, & tam Gentiles, quam ſuum ipſummet populum, luxu & Venere diffluentem, ſub prætextu ſacrorum peragendorum, puniverit & e medio ſuſtulerit, exitu admodum horrendo. Pauſanias *Achaic.* ſive lib. 7. tradit, quandam virginem Comætho nomine, Sacerdotem Dianæ, in ipſa æde Dianæ, cum juvene Menalippo cupiditatem ſuam expleviſſe, ac ſæpius deinde templo ac thalamo geniali abuſos: addit tamen ultionem, illos quidem brevi morte conſumtos fuiſſe, & impietatis pœnas dediſſe: conſecutam vero ex læſi numinis ira ſummam terræ ſterilitatem, & miſerandam hominum luem, cujus cauſam indicavit oraculi Delphici vox, tandem Comætho & Menalippus miſere perierunt. Sic fraus collegii Sacerdotum Beli Idoli in Babylonia detecta mirabiliter per Danielem *c.* 14. † Cæterum occaſione vigiliarum nocturnarum in ſolemnitatibus a Chriſtianis piis obſervatarum, aliquando data eſt maledicendi occaſio Gentibus, quod illi noctu convenirent ad Sacra peragenda, & quod hoc prætextu multa impudice clam committerentur. Eliberitanum itaque Concilium in Hiſpania nocturnos ſuſtulit conventus, præprimis mulierum in cœmeteriis pervigilationes. Exſtat & Conſtantii Conſtitutio *lib.* 16. *C. Theodoſiani*, ut aboleantur nocturna ſacrificia, Magnentio auctore permiſſa.

19. Refert Egeſippus, ut & Joſephus lib. 18. *Antiquit.* cap. 6. lib. 2. *rerum Judaicarum* cap. 4. & poſt illum Antoninus Florentin. parte 1. *Spe-*

† Vel potius in Hiſt. Idoli Beli, quæ reperitur inter Libros Apocryphos.

culi historialis, tit. 6. c. 21. §. 2. Paulinam nobilem Romanam adamatam a Mundo, & cum nec precibus nec pretio corrumpi posset, deceptam tandem hoc modo: Mundum, inquam, cum Sacerdotibus Isidis pactum fuisse, & convenisse, ut dicerent, Paulinam ab Anubi deo in amplexus desiderari: quod & ipsi fecerunt: quare illa læta, quod digna deo haberetur, ex consensu mariti ad templum nocte venit; sed ibi ex Sacerdotum arte Mundus sub specie Anubis concubuit cum illa. Quod paucis post diebus cum Mundus detexisset Paulinæ, effecit, ut illa dolens de pudicitia violata marito conquesta fuerit apud Imperatorem Tiberium, qui comprehensos & confessos Sacerdotes jussit occidi, & Isidis simulacrum in Tiberim demergi. Vide Petr. Gregor. Tholosan. d. lib. 13. cap. 19. *de Republica*. Andreas Tiraquell. *de pœn. temp. aut rem.* causa 5. scribit: Mundum exsilio tantum damnatum fuisse: dignum enim Tiberium Imperatorem eum majori pœna afficere non judicasse, quod amoris vehementia formæque superatus gratia deliquisset; amor enim est quædam furoris species, teste ipso sapientiæ antistite Platone in *Phædro*. Simile quoddam exemplum refert Eusebius lib. 11. *Histor. Eccles.* cap. 25. Alexandriæ contigisse, ubi Sacerdos nomine Tyrannus, quasi ex responso numinis, adorantibus in templo nobilibus quibusque & primariis viris, quorum sibi matronæ ad libidinem placuissent, dicebat, Saturnum præcepisse, ut uxor hujus vel illius pernoctaret in templo, & quod tum is, qui audierat, gaudens, quod uxor sua dignatione numinis vocaretur, exornatam comtius & donariis onustam, ne repudiaretur, conjugem mittebat ad templum: & ibi in conspectu omnium concludebatur, & Tyrannus clausis januis & traditis clavibus discedebat: sed facto noctis silentio, per occultos meatus & subterraneos aditus, intra ipsum Saturni simulacrum patulis irrepebat cavernis; nam erat simulacrum a tergo concavum, & parieti diligenter annexum, unde vocem per simulacrum æris concavi intonabat, ita ut pavore & gaudio infelix mulier trepidaret; postea loquutus, quæ ad irritamentum libidinis pertinerent, & alia, arte quadam linteis obductis repente lumina exstinguebantur universa, tum descendens obstupefactæ & consternatæ mulierculæ stuprum inferebat: detectus autem tandem a quadam pudica muliere, quæ ejus vocem cognovit; quocirca ad tormenta deductus Tyrannus, fassus rem omnem aperuit. Hæc Eusebius *d. l.* Nocturnæ & clandestinæ autem coitiones non carent suspicione, juxta illud, *Qui male operatur, lucem odit*, *Johan.* 1. & *c. consuluit de potest. & off. jud.* Rom. *Consil.* 54. col. 3. Similes autem hisce collegiis & conventibus illicitis sunt conspirationes, pacta, fœderationes. Ligæ eorum, nempe, qui jus fœderis non habent; qua de re Aurea Bulla *cap.* 15. ibique Buxtorf. Arum. & Rumelin. in *Comment.* & alii, Roland a Valle *Consil.* 17. volum. 4. *Constit. Imp.* de Anno 1548.

20. Sed ut ad priora revertam, nonnihil dicendum erit hic de Sagarum & Diaboli conventionibus nocturnis Bodinus lib. 2. *de Dæmonomania* cap. 4. refert Guilhelmum Edelinum, Sorbonæ Doctorem, Magicarum sortium fuisse damnatum pridie natalis Christi 1433. & confessum, se per noctem sæpe in Magorum conventus exportatum, Deo ibidem renunciavisse, Diabolum hirci figura visum adorasse, & podici ejus oscula dedisse. Libet mihi etiam referre historiam de Magna Lochiana: Vir quidam tenuis, cum uxorem interdum abesse noctu perciperet, bonamque noctis partem emanere, præterea dicentem, se aut ad deonerandum alvum egredi, aut ad lavandum cum vicina sua aliquoties falsi evicisset; suspicionem concepit de perfida ejus libidine, & necem interminatus est, nisi locum, quo proficiscebatur, indicaret. Illa sibi a periculo metuens, rem, ut erat, confessa est, atque ut explores & videas, hæc ita se habere, (inquit illa) si volueris, eodem venies: tunc tradidit ei unguentum, quo se uterque inunxerunt, & pronunciatis aliquot vocibus, Diabolus eos Lochiis in Arenarias Burdegalenses (quæ a Lochiis minimum quindecim dierum absunt) exportavit. Videns itaque vir se in ignota Magorum, Magarum, & Diabolorum (humana specie adspectus tamen horrifici) exportatum frequentia versari, dicere cœpit, Deus mi, ubinam sumus? Hoc dicto, repente cœtus disparuit: ille vero cernens nuditatem sui corporis oberravit nudus per agros, donec mane rusticos invenit, qui ipsum in viam deduxerunt. Reversus Lochias ad Quæstorem rerum capitalium contendit recta, qui audita probe historia fœminam prehendi jussit: illa vero minutatim omnia, quæ diximus, confessa est & ultro agnovit peccatum. Lugduni quoque ante paucos annos scribit idem Joannes Bodinus *de Magorum Dæmonomania* lib. 2. cap. 4. mulier potens comperta est, quæ surrexit de nocte, accendit lumen, arrepta pyxide inunxit sese, & post voces aliquot elata est: hos ritus fieri observans mœchus, qui cum ea cubaverat, lucernam capit, pervestigat undique, & ea non inventa, cum solam unguenti pyxidem reperisset, curioso animo exploraturus, quid unguentum posset, fecit, prout fieri animadverterat; ita statim elatus comperit se cum Magorum cœtu esse in agro Lotharingiæ, & consternatus est: sed cum primum Dei opem imploravit, evanuit totus cœtus: ille vero solum nudumque sese comperiens, Lugdunum reversus est, & maleficam accusavit; quæ confessa rem totam, igne periit. Idem, pergit Bodinus, quoque nobili cuidam viro non ita pridem ad Melodunum accidit, qui, & molitoris verbis, & sua ipsius curiositate adductus, cœtum maleficorum adiit: sed quoniam perhorrescebat metu, quamvis non invocaret Deum, Diabolus maxima voce inclamavit, quisnam hic metuit? Sic volente nobili viro discedere, ex oculis abscessit cœtus. Atque hic reversus indicare Magum statuerat; ille vero præmonitus sibi consuluit fuga. Olaus Magnus *l.* 3. *c.* 11. scribit, apud Boreales populos locis compluribus istas Magorum Dæmonumque saltationes nocturnas conspicuas esse. Idem in monte Atlante plerumque fieri tradunt Mela *lib.* 3. Solinus *cap.* 24. & Plinius *lib.* 5. *cap.* 1. Verum de cœtu illorum vide multa, lectu jucunda, apud ante citatum Bodinum *d. l.* Apud Philostratum Græcum Auctorem legimus, Apollonium Tyanæum a Nili fontibus in Æthiopia fuisse brevi spatio Romam exportatum, id est, (ut recta contendas) in bis millesimum quinquagesimum milliare: item Romam Corinthum, Smyrnaque Ephesum. Joannes Theutonicus, Sacerdos Halberstadiensis, Magus eo tempore notissimus, Anno M. CCLXXI. media nocte tres Missas cecinit, unam Halberstadii, alteram Moguntiaci, tertiam Coloniæ. Scribitur etiam Pythagoram transvectum fuisse Metapontum Thureis; Wierus *de præstigiis Dæmonum* lib. 2. cap. 8. & lib. 3. c. 12. affirmat, verum esse certitudine quadam scientiæ, scire etiam se multos homines ex una regione in alteram momento sic translatos esse. Qui plura de conventibus nocturnis Sagarum desiderat, legat Bodinum, Wierum, & Remigium. Eleganter Menander referente Aulo Gellio lib. 2. *Noct. Atticar.* c. 23. scribit,

Τὴν

Τὴν νύκτα τὴν πολλῶν κακῶν ἀρχηγόν,

recte igitur Lege 12. Tabularum quoque nocturnas conventiones prohibitas fuisse, auctor est Alexander ab Alexandro *Genial. Dier.* cap. 10. lib. 6. ejus verba hæc sunt: *Eadem quoque lex cœtus nocturnos & coitiones in Urbe nocte fieri vetuit: quod lapsu mox temporis obliteratum, postea Gabinia lege innovatum fuit*, &c. De hac lege Gabinia ita inquit Portius Latro in illa elegantissima *Declamatione adversus Catilinam*: „Deinde lege Gabinia promulgatum, „qui conciones ullas clandestinas in Urbe conflavisset, more Majorum, capitali supplicio mulctaretur. Acerrime prohibuerunt nocturnos illos conventus Impp. Valentinianus & Valens in *Codice Theodosiano* lib. 9. l. 7. cujus Legis hæc verba sunt: „Ne quis deinceps nocturnis temporibus, aut nefarias preces, aut magicos apparatus, aut sacrificia funesta celebrare conetur, detectum atque „convictum competenti animadversione mactare „perenni auctoritate censemus. Et Lege subsequente: „Cesset Mathematicorum tractatus, „nam si qui publice aut privatim in die noctuque „deprehensus fuerit in cohibito errore versari, capitali sententia feriatur.

CAP. XX.

De avibus quibusdam nocturnis eisque funestis, nec non de hominibus noctu acutissime perspicientibus.

SUMMARIA.

1. *Plura animalia acutius vident noctu quam interdiu.*
2. *De bubone nonnulla memorabilia traduntur.*
3. *Observatum apud Magnates moribundos, quod bubo eorundem insederit cubilibus.*
4. *Apud Tartaros bubo magni æstimatur, vide rationem cur sic?*
5. *Si militis hastæ insederit bubo, optima ominatur.*
6. *Omen bonum est, si bubo ante pugnam hostium huic vel illi exercitui apparuerit.*
7. *Si sereno tempore noctua canit, tempestas sequetur, si tempestate, cælum serenum erit.*
8. *Noctua insignibus Magnatum insculpta olim.*
9. *Jus Canonicum pastores noctuis æquiparat.*
10. *De belluis marinis noctu instar Solis splendentibus.*
11. *De vespertilionibus noctu volantibus.*
12. *Explicatur* l. 31. ff. de evict. *ubi vespertilionum vel vespillonum fit mentio.*
13. *Plura de vespertilionibus traduntur, quomodo in India nocere soleant viatoribus.*
14. *De hominibus noctu acutius videntibus quam interdiu agitur.*
15. *Agitur de speculis, quibus noctu quidvis perspici potest.*

1. QUONIAM quædam animalia inveniuntur, quæ noctu vident, interdiu vero non, libet mihi pauca haud lectu injucunda hac de re in medium proferre.

2. Et primo se nobis offert bubo: de hac ave ita scribit Plinius *Natur. Histor.* lib. 10. cap. 12. Uncos „ungues & nocturnæ aves habent, ut noctuæ, „bubo, ululæ. Omnium horum hebetes interdiu o„culi. Bubo funebris, & maxime abominatus, „publicis præcipue auspiciis, deserta incolit: nec „tantum desolata, sed dira etiam & inaccessa: no„ctis monstrum, nec cantu aliquo vocalis, sed ge„mitu. Itaque e in urbibus aut omnino in luce vi„sus, dirum ostentum est. Privatorum domibus „insidentem, plurimis scio non fuisse feralem; vo„lat nunquam, quo lubuit, sed transversus aufer-

A „tur. Capitolii sellam ipsam intravit Sex. Papellio „Istro, L. Pedanio Coss. propter quod Nonis Mar„tiis Urbs lustrata est eo anno. Hæc de bubone Plinius: de eo Ovidius lib. 1. *Amorum* eleg. 12.

Illa dedit turpes raucis bubonibus umbras;
Vulturis in ramis & strigis ova tulit.

Statius *Thebaidos* lib. 3. vers. 510.

—— *diræ strident in nube volucres,*
Nocturnæque gemunt striges, & feralia bubo
*Dira * canens,*

B

Dira canens, inquit Poeta, quoniam funebres, & mali ominis instar habebantur bubones; & hoc clarissime ostendit Ovidius *Metamorphos.* l. 5. vers. 549. dum bubonem ignavum & diri ominis vocat:

Fœdaque fit volucris, venturi nuncia luctus,
Ignavus bubo, dirum mortalibus omen.

Vocat & profanum, hoc est, exsecrandum & pessimi ominis, lib. 6. *Metamorph.* vers. 431.

C

—— *tectoque profanus*
Incubuit bubo, thalamique in culmine sedit.

3. Servius in *Fragm.* Sane bubo, si cujus ædes insederit, & vocem miserit, mortem significare dicitur, &c. Ælius Lampridius in *Commodo*, inter prodigia, ejusdem Commodi mortem præcedentia, scribit, bubonem etiam supra cubiculum ejus deprehensum esse tam Romæ quam Lanuvii. Idem refert Ammian. Marcell. de Valentiniano Imperatore *lib.* 29. *cap.* 5. Huc pertinet illud Virgilii lib. 4. *Æneid.* vers. 462.

D

Solaque culminibus ferali carmine bubo
Sæpe queri, & longas in fletum ducere voces.

Ovidius *Metamorph.* lib. 15. vers. 791. inauspicatam avem bubonem vocat his verbis:

Tristia mille locis Stygius dedit omina bubo.

Seneca in *Hercule furente* vers. 687.

Hic vultur, illic luctifer bubo gemit.

Et Lucanus *lib.* 5. vers. 396.

E

Et lætæ jurantur aves bubone sinistro.

De bubone vide etiam Alex. ab Alexandro *Genial. Dier.* l. 5. c. 13. cujus verba hæc sunt: *Maxime vero abominatus est bubo, tristis & dira avis, voce funesta & gemitu, qui formidolosas dirasque necessitates & magnas moles instare portendit: ipsum tamen cantu & stridore querulo dirum facere auspicium putant.* Silius Italicus l. 8. *Belli Punici* ad fin. recensens prodigia belli Cannensis,

Obseditque frequens castrorum limina bubo.

F

Huic convenit illud Claudiani *in Eutropium* lib. 2. vers. 406.

Protinus excitis iter irremeabile signis
Arripit, infestoque † jubet bubone moveri
Agmina.

4. Tartari Asiatici bubonem (eo quod ipsorum primum Imperatorem Changium Camum;

* Alii melius, *Damna*. † Alii, *infaustoque*.

in fuga sub arbuculis delitescentem, ab hostibus protexerit; quum enim illam avem conspicerent, non putabant ibi aliquem in latebris esse) magno in honore habent, ita ut felices putent, qui pennas de ea ave super galeis vel pileis gestent, Hajehon Armenius *de Tartaris* cap. 16. Nihil hic dicam de Balthasare Cossa, vel Joanne XXIII. teste Platina, quem perorantem bubo perterrefecit. Vide prolixe Camerarium in *H. S.* cent. 1. cap. 67. Vide hac de re etiam Lipsium in *Annot. ad* 2. *Annal. Taciti*, Julium Obsequentem *de Prodig.* c. 85. 86. 90. & 92. Hic tamen notandum, quod tacens non semper malus fuerit, nec aliquid mali significet; nam & Agrippæ captivo Judæorum regnum portendisse fertur. Vide Flavium Josephum *Antiquitatum Judaicarum* lib. 18. cap. 8. Verba ejus in Latino idiomate hæc sunt: *Agrippa tunc vinctus stabat ante palatium, in quandam arborem præ anxietate reclinatus cum plurimis, qui simul fuerant vincti: & quadam alite considente super arborem, in quam fuerat Agrippa reclinatus, quem bubonem Romani vocant; quidam ex vinctis Germanus natione contemplatus, interrogavit milites, quisnam esset ille qui ostro vestiretur: & agnoscens quod Agrippa vocaretur, genere autem esset Judæus, ex his, qui in illa Gente primates haberentur, petivit colligatum sibi militem, ut ad eum copiam acciperet accedendi, quod vellet ab eo de patria ejus aliquid percontari*, &c. Vide ibidem vaticinationem egregiam illius Germani, quam hic brevitatis causa prætereo. Porro noctuæ etiam noctu vident, interdiu cæcutiunt; multi sunt, qui scribunt bubonem & noctuam eadem esse; Servius autem distinguit, & noctuam minorem bubone dicit: hinc Virgilius lib. 12. *Æneid.* vers. 861.

Postquam acies videt Iliacas, atque agmina Turni,
Alitis in parvæ subito collecta figuram
Nocte sedens, serum canit importuna per umbras
Hanc versa in faciem Turni se pestis ad ora
Fertque refertque sonans, clypeumque everberat alis.

Et Homerus *Odyss.* 10. vers. 6.

—— νυκτερίδες μυχῷ ἄντρου θεσπεσίοιο
Τρίζουσαι ποτέονται.

De noctuis vide Plinium *Natur. Histor.* lib. 10. cap. 12. Ælianum *Histor. Animal.* lib. 10. cap. 37. ubi ita scribit: *Accedenti ad feram actionem homini occurrentem noctuam inauspicatam significationem dare ajunt: cui quidem rei testimonio fuit Pyrrhus Epirotarum Rex: cum in illius Argos proficiscentis hasta, quam erectam ferebat, hæc avis sedisset, ei malum auspicium dedit: nam Argos ingressus valde ingloria atque ignobili morte occubuit. Quare mihi Homerus præclare dixisse videtur, avem hanc mali auspicii esse.*

5. Contra Hieroni adolescenti prima bella ineunti aquila in clypeo, noctua in hasta consedit. Quod ostentum, & in consilio cautum, & manu promtum, Regemque futurum significabat, ut scribit Justinus *l.* 23. ad finem. De infelici noctuarum augurio agit Dion *l.* 41. ubi in prodigiis, cladem Pompeii significantibus, noctuas frequentes apparuisse scribit.

6. & 7. Noctuæ volatum Atheniensibus ipsis victoriæ symbolum fuisse, non tantum tradit Plutarchus in *Temistocle*, sed & Suidas & Zenodotus in enarratione illius proverbii γλαῦξ ἵπταται sive ἵπτατο; id est, *noctua volat*, sive *volavit*. Vide Erasmum *chiliad.* 1. *cent.* 1. *c.* 76. Plutarchus in *Vita Periclis* tradit, illi, e superiore navis tabulato concionanti, noctu noctuam ad dextram advolasse ac malo insedisse: quod omen effecit, ut omnes irent in illius sententiam. Alexander ab Alexandro *l.* 5. *c.* 13. ita de noctua scribit: Noctua quoque non semper infortunia fecit: namque volans insignem de hoste victoriam quandoque apportavit: apud Athenienses enim noctuæ volatus victoriæ semper fecit auspicium. Si tamen sereno canit, tempestatem; tempestate vero si occinuerit, serenum nunciare fertur. Eadem vero in hasta Regis Pyrrhi insidens, contra Argos euntis, fatum illi, & discrimen extremum prædixit. Plinius *l.* 18. *c.* 35. eodemque ultimo: Noctua, inquit, imbre garrula, serenitatem, sereno, tempestatem indicat. Hæc avis in hieroglyphicis studii & prudentiæ significationem habet. Somnum enim, referente Plinio, noctuæ caput aridum alligatum arcet, nec solum studium, sed & vigilias parit. Sanguis vero ex dextera noctuæ ala deductus lumen amissum occæcatis reddit, in quo non obscurum momentum est prudentiæ, cum prudens dicatur, quasi procul & in tenebris videns: argumentumque prudentiæ sit, stultitia occæcatos posse illuminare: sapientia namque nocturna contemplatione & vigiliis diuturnis paratur, quibus utrisque noctua cæteris avibus egregie præstare videtur. Ales igitur Atheniensium, quondam insigne Minervæ, vel potius doctrinæ, sapientiæ, consilii, ac victoriæ typus, Justin. *lib.* 23. *c.* 4. Aldrov. tom. 1. l. 8. *Ornithol.* c. 7. Farnes. lib. 3. *simul. Reip. paneg.* 1. in pr. pag. 1. & seqq. & Hopping. *de jure Insignium* c. 9. n. 286. hinc Alciatus *l.* 7. *emblem.* 76.

Noctua Cecropiis Insignia præstat Athenis,
Inter aves sani noctua consilii.
Armiferæ merito obsequiis sacrata Minervæ est,
Garrula quo cornix cesserat ante loco.

8. Porro, numismatis aureis noctuarum figura insculpebatur. Vide Erasmum *chiliade* 2. *cent.* 8. *c.* 31. hinc Aristophanes in *Avibus*:

Γλαῦκοι ὑμᾶς οὔποτ' ἐπιλείψουσι Λαυριωτικαὶ,
Ἀλλ' ἐνοικήσουσιν ἔνδον, ἔν τε τοῖς βαλαντίοις
Ἐννεοττεύσουσι,

id est, *Noctuæ vos non relinquent Lauriotica, sed hæ ædibus aderunt in ipsis, inque loculis nidulos sibi parabunt.*

9. & 10. Jura canonica Pastores Ecclesiarum noctuis æquiparant, qua de re Joan. XXII. Pontifex in *Extrav. d. majorit. & obedient. c.* 3. ibi; ubi mira noctuæ, cujus intuitum nox illuminat, lux excæcat de die latentes horis tenebrarum, quos, suis arbitrantur confirmari desideriis, visitant, vid. integrum capitulum *l.* 1 *tit.* 8. *in Extravag.* ubi habetur, quod Episcopus vel Sacerdos non debeat pernoctare extra diœcesim. Vide & Erasmum *chil. ad* 2. *cent.* 1. *c.* 44. de noctuino ovo. Plura possem hic referre exempla, ut felium & aliorum animalium, quæ noctu utplurimum vident; de quibus ita Plinius l. 11. *Natur. Histor.* c. 37. scribit: „ Nocturnorum animalium, velut felium, in tenebris fulgent „ radiantque oculi, ut contueri non sit: & capreæ „ lupoque splendent, lucemque jaculantur. Vituli marini & hyænæ in mille colores transeunt subinde. Quin & in tenebris multorum piscium refulgent aridi, sicut robusti caudices vetustate putres. Hæc ille. Multas marinas belluas noctu splendere, ut Solem, experientia testatur. Joannes Lerius tamen in *Historia navigationis in Brasiliam* c. 3. scribit, pisces sub Zona torrida noctu virides apparere, viridemque reddere maris effigiem.

11. Ut ad priora revertar, Vespertilionem noctu plerumque circumvolare certum est. Vide Erasmum *chiliad.* 4. *cent.* 9. *c.* 36. & noctu perspicaces sunt ad prædam; hinc abiit in proverbium, vespertiliones eos appellari, qui gravati ære alieno, luce domi se continent, ne a creditoribus appellentur, noctu prodeunt.

12. Ulpianus in *l. 31. ff. de Evictionibus* : „ Si „ ita quis stipulanti spondeat, sanum esse, furem „ non esse, vespertilionem non esse, & cetera, „ inutilis stipulatio quibusdam videtur : quia, si „ quis est in hac causa, impossibile est, quod pro- „ mittitur, si non est, frustra est. Sed ego puto „ verius hanc stipulationem, furem non esse, ve- „ spertilionem non esse, sanum esse, utilem esse : „ hoc enim continere, quod interest, horum quid „ esse, vel horum quid non esse. Hactenus Ulpianus. Quanquam hoc loco quidam pro *vespertilione* legunt *vespillonem*, aut *versipellem*. Alciatus tamen JCtus præstantissimus in *Commentariis suis de rerum significationibus* putat, vespertilionem dictum, quemadmodum modo diximus, qui metu creditorum interdiu latitat, noctu prodit: nam animal hinc dictum, quod vesperi volet, indicat Nonius Marcellus. Vide Erasmum *d. loco* de hoc proverbio. De vespertilionis usu in medicina vide Plinium multis in locis, ut *lib.* 29. *cap.* 4. & *lib.* 30. *cap.* 7. & *cap.* 14.

13. Vespertiliones & in America maximopere hominibus damna inferre scribit Benzo in *Historia novi Orbis* lib. 2. cap. 14. cujus verba hæc sunt: Ves- „ pertilionum quoque dirum genus eam Provin- „ ciam infestat, qui noctu dormientium corpora „ morsu appetunt & rostro pertundunt : neque „ usquam alibi per omnem eam oram, quam lon- „ ge patet, usque ad Sinum Pariensem, infestio- „ res sunt eæ volucres, quam in ea Provincia. „ Mihi quidem aliquibus ejus oræ locis Nomine- „ dei præsertim usu venit, ut ejusce modi striges „ nocturnæ dormientis pedum digitos adeo leniter „ pungerent, ut nihil persentiscerem : mane vero „ culcitram & toralia sanguine fœdata perinde mi- „ rarer, ut si ingens aliquod vulnus accepissem : „ sed in hac Provincia nunquam me rostris fode- „ runt, quin sensu vulneris excitarer, & duabus „ tribusve post horis graviter ex plaga dolerem. „ Quin etiam alis sæpe ora everberantes, si pedibus „ calceatis quiescerem, manus ipsas rostro feriebant. „ Itaque quum arcendæ illi pesti nullam commodio- „ rem opem reperirem, parata semper in cubili li- „ gamenta & fascias vulneribus habebam : & simu- „ lac rostrum defigi in me senseram, vulneratum „ locum fascia involvebam : is nullo præterea adhi- „ bito remedio, triduo aut quatriduo sanabatur. „ Hæc ille. Libet hic addere, quæ scribit de illis Joannes Lerius, cujus modo mentio facta est, in *Historia Navigationis in Brasiliam* cap. 11. ejus verba hæc sunt: „ Habent tamen præterea terræ illæ ve- „ spertiliones cornicularum nostrarum magnitudi- „ ne : hic noctu non raro in casas veniunt, si vero „ quem apertis pedibus dormientem offendant, „ summum ejus articulum adoriuntur, sanguinem- „ que exsugunt tanta copia, ut duos sextarios no- „ strates plerumque, antequam perspiciantur, e- „ bibant. Experrecti mane cubile xylinum cruen- „ tatum admirantur. Barbari, sive suis, sive no- „ stris id contingebat, in ludibria vertebant. Mi- „ hi semel istud accidit, præterquam vero quod san- „ nis sum exceptus, accessit & illud, quod extre- „ mo illo (licet non infestissimus erat dolor) sum- „ mi articuli læso, triduum in tibialibus induendis „ non parum laboravi. Cumanenses quoque, qui cis Æquatorem decem gradibus jacent, grandibus istis & infestis vespertilionibus infestantur. *Gener. Indic. histor.* lib. 2. cap. 80. Scriptor de his rem & facetam & notatu dignam memoriæ prodidit : „ Monachi cujusdam puer pleuritide laborabat, ad „ Sanfidem Ciribici, cujus cum vena aperienda „ reperiri non potuisset, mortuus vero ipse habe- „ retur, accedit ad eum noctu vespertilio, talum- „ que momordit, tantamque copiam sanguinis

A „ hausit, aperta vena sponte emisit æger, quanta „ ad valetudinem sufficiebat. Ego vero cum historiæ illius Scriptore dico, opportunissimum & faustissimum ægro illi fuisse istum Chirurgum. Itaque præter eam, quam vespertiliones istos afferre dixi, molestiam, satis docet exemplum istud postremum, non adeo noxios esse ac fuerunt olim Græcorum striges, quæ, ut inquit Ovidius *Fast.* l. 6. vers. 135.

Nocte volant, puerosque petunt nutricis egentes,
Et vitiant cunis corpora rapta suis.
Carpere dicuntur lactentia viscera rostris,
Et plenum poto sanguine guttur habent.

B Hæc ille. Meminit Oppianus lib. 2. Ἀλιευτικῶν piscis cujusdam, qui interdiu quiescens, noctu grassatur, ut ventrem satiet. Porro gemmas nonnullas noctu resplendentes hic prætercam, ut sunt Carbunculus, de quo Plinius agit *lib.* 37. *cap.* 7. & Marbodeus Gallus Cænomanensis *de gemmarum lapidumque pretiosorum formis* ita de eo scribit :

Hujus nec tenebræ possunt exstinguere lucem.

C Et de lapide Chrysopasio idem in hunc modum canit :

Æthiopum tellus lapidem Chrysopassion edit,
Quem tenebræ produnt, occultant tempora lucis,
Noctibus igne micans, vanescit luce diurna,
Absque nitore jacet auri pallore sepultus.
Hic quoque naturæ mutatus cernitur ordo :
Nam, quem lux celat, subito nox cæca revelat.

D Vide plura de hoc lapide apud Solinum *cap.* 42. & Albert. *lib.* 2. *cap.* 3. Plinius *libro* 37. *cap.* 10. eum Chrysolampim vocat, verba ejus hæc sunt : *Chrysolampis in Æthiopia nascitur, pallidi coloris die, noctu ignei* : hinc proverbium natum :

Ἐν νυκτὶ λαμπρὸς, ἐν φάει δ᾽ ἀνωφελής,

In nocte lucens, luce vero inutilis,

E quod dicitur in eos, qui sapiunt, ubi nihil est opus, cum opus est, ibi dormiunt. Erasmus *chiliad.* 4. *cent.* 3. *cap.* 30. existimat, magis competere in eum, qui inter indoctos videatur aliquid esse in litteris, inter Eruditos nihil sapiat. De hoc lapide Isidorus : *Nocte*, inquit, *igneus est Chrysopasius, die aureus, unde suum nomen habet.* Et Albertus ita de eo scribit : *In die enim evanescens, & fulgorem amittens, quasi aurum expallescit*, &c. Lignum quoque e quercu putrefacta & noctiluca resplendere noctu certum est, cujus rei rationem affert perfectam & veram Albert. in lib. *de Anima*.

F 14. Homines etiam quosdam noctu omnia videre potuisse, compertum est. Sic Julius Cæsar & Justus Josephus Scaligeri habuerunt oculos χαρωπὰς, hoc est, quibus experrectis de nocte licuit videre per horam, vel amplius, objecta, non luce quidem clara, sed instar crepusculi, quod Græcis λυκοφῶς. De se Julius Cæsar testatur *Comment. in* 1. *de Hist. animal.* Josephus in *Vita patris*, & *Confutatione fabulæ Burdonianæ*, ubi ita scribit de patre suo : *Oculis*, inquit, *fuit cæruleis dilutioribus, quibus interdum noctu videbat, ut in crepusculo solemus; quod & mihi contigit a pueritia ad vicesimum tertium annum.* Idem de Tiberio refert Suetonius *cap.* 68. *Oculis*, scribit, *fuit prægrandibus, & qui, quod mirum esset, etiam noctu*

& in tenebris viderent, sed ad breve & cum primum a somno patuissent, demum rursum hebescebant. Dio ἀμβλυωπίαν nominat; & Plinius *lib.* 11. *cap.* 87. ita scribit: „Ferunt, Tiberio Cæ„sari, nec alii genitorum mortalium, fuisse natu„ram, ut expergefactus noctu paulisper, haud „alio modo, quam luce clara contueretur omnia, „paulatim tenebris sese obducentibus. Quæ Plinii verba reprehendit Casaubonus *ad dictum locum Suetonii*. Vide Piccartum decad. 1. cap. 7. *Observat*. Quid quod de integra gente idem scriptum legimus: Isidor. *lib.* IX. Albanorum glauca oculis, id est, picta, inest pupilla, adeo ut nocte plus quam die cernant. Vid. quod scribit Levinus Hulsius VII. Navigat. in Guineam in Africa c. 37. Denique herbam Plinius l. 21. *Natural. Histor.* cap. 2. Nyctilopam vocari ait, quæ noctibus e longinquo fulgeat, nam ignei coloris, & foliis spinæ: hac Parthorum Reges ad vota suscipienda utuntur. Eodem Plinio hæc herba etiam Nyctegretum & Chenomychon appellatur.

15. Justus Cassellanus specula ex argento, plumbo & ære fecit, quibus etiam nocte ad quidvis, etiam exercitum perlustrandum, tanquam lucerna uti possent, Eberhart. a Weihe in *Discursu de Speculi origine, usu & abusu*, pag. 210. Præterea hic, quæ de lucernis usum nocturni luminis præbentibus afferri possent, de quibus Auctor *de Lucernis*.

CAPUT XXI.

De Revelationibus nocturnis, & quomodo eæ acquirantur.

SUMMARIA.

1. *Quomodo Deus per somnia Prophetis indicaverit futura, & quænam prædicenda populo?*
2. *De Revelationibus nocturnis divinis agitur.*
3. *Nullus Propheta major Mose.*
4. *Descriptiones somniorum vulgarium traduntur.*
5. *Somnia in ægrotantibus quid significent? vel inde pro re nacta divinandum?*
6. *Judicium Aristotelis de somniis.*
7. *Non omnia somnia sunt falsa, nec omnia vera.*
8. *Somnia tristia antiquitus apud Gentiles expiabantur.*
9. *An precibus & votis homo sibi possit comparare divinas Revelationes?*
10. *Quare Deus potius noctu quam interdiu voluerit revelare Prophetis & piis hominibus futura?*

1. REVELATIONES viris sanctis per somnia plerunque factas fuisse a Deo Opt. Max. constat. Quicquid sane Deus fieri & annuntiari volebat populo suo, hoc per somnia Prophetis manifestabat, & silentio noctis per revelationes nocturnas ostendebat.

2. De hisce Revelationibus nocturnis loquitur Propheta Joel *cap.* 2. *versic.* 28. suæ Prophetiæ: *Et erit post hæc*, ait Propheta, *effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ: senes vestri somnia somniabunt, & juvenes vestri visiones videbunt*. Idem paulo expressius habetur in libro Jobi *cap.* 33. *vers.* 14. & seqq. *Semel loquitur*, ait, *Deus, & secundo id ipsum non repetit, per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo. Tunc aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina, ut avertat hominem ab his, quæ facit, & liberet eum de superbia*. Exstat ea de re ipsius Dei Optimi Maximi testimonium Num. 12. *vers.* 7. & seqq. dicentis; *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est; ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata & figuras Dominum videt*.

3. Hinc Deut. *cap. ult.* dicitur, nullum fuisse Prophetam similem Mosi, qui Deum facie ad faciem cognoverit. Quoscunque igitur sermones in Scriptura sacra Deus cum Prophetis habuit, per Angelos somniis & visionibus fuerunt traditi: propterea Hebræorum Theologi, inter quos eminet R. Moses Maimonides lib. 3. *More nebocim*, omnia somniorum visionumque divinarum genera diligenter expenderunt, quæ Augustinus breviter formis quinque complexus est, comprehensis puta humanis somniis.

4. Equidem somnia & visiones nocturnæ, quæ non conveniunt cum doctrina Christi & Ecclesiæ, sunt contemnenda, *Deut.* 13. vers. 1. *Eccles.* 5. vers. 2. *Ecclesiastici* 34. vers. 1. *Jerem.* 23. vers. 25. ibi: *Audivi, quæ dixerunt Prophetæ, prophetantes in nomine meo mendacium, atque dicentes; Somniavi, somniavi*. Syracides *cap.* 34. *Qui multum tribuit somniis*, ait, *umbram & ventum persequitur: nam somnia nihil aliud sunt, quam fallax sine re similitudo*. Idem sensere Gentiles. Tertullianus *de Anima* cap. 46. *Vana*, ait, *in totum somnia Epicurus judicavit, liberans a negotiis divinitatem*. Cicero & Macrobius somnia vana & nonnisi umbras earum rerum, de quibus per diem egimus, esse statuebant, juxta illud Poetæ Tibulli *lib.* 3. *eleg.* 4.

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pavidas mentes falsa timere jubent.

Artabanus quoque apud Herodotum in *Polymnia* deridens: „Insomnia ista sunt, *ait*, quæ adeun„tia homines frustrantur, quemadmodum ego te „docebo multis, quum tu annis natu grandior. „Considerunt ipsa somniorum visa plerunque fru„strari ob ea, quæ quis per diem mente agitavit, „nos autem nudius tertius expeditionem hanc in„ter manus & quidem vehementer habuimus, &c. Ammianus *lib.* 14. *Est Sycophantarum genus, quod non solum defert dicta factaque hominum, verum etiam hominum somnia*. Vide Henric. Kornmann. in Tract. *de miraculis vivorum* fol. 293. & Simon. Majol. tom. 2. *Dier. Canicul.* colloq. 4.

Cæterum, somnia alia sunt, vel φυσικά, vel ὑπερφυσικά: alii distinguunt somnia in divina, vel naturalia, vel supernaturalia. Divinorum somniorum origo dependet a Deo Opt. Max. quorum exempla passim in sacro Codice obvia sunt.

5. Quod naturalia somnia attinet, maxima eorum parte naturalem humorem aut morbum hominis indicari, ut Galenus experientiam docuisse scribit; alioquin somnium de stellæ casu, aut fractione currus, cui ægrotus insideat, mortem homini portendere dicitur. Somnia diluculo accidentia homini, cujus animus vacet perturbationibus, Veteres pro veris annotarunt. Somniamus sæpenumero ea, de quibus vigilantes, aut cogitavimus, aut egimus, sicut apud Theocritum piscator ait, πᾶσα κύων ἄρτως μαντεύεται, *somnia cuncta canum panes*: hinc Claudianus *Præfat. de* 6. *Conf. Honor.*

Omnia quæ sensu volvuntur vota diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies.
Venator defessa toro dum membra reponit,
Mens tamen ad silvas & sua lustra redit;
Me quoque Musarum studium sub nocte silenti
Artibus innumeris sollicitare solet, &c.

Ennius: Res, quæ in vita usurpant homines, cogitarunt, curant, vident, quæque agunt vigilantes, agitantque ea, si cui in somno accidunt, minus est. Lucretius *lib.* 4. *vers.* 959.

*Et quo quisque fere studio devinctus * adhæret;*
Aut quibus in rebus multum sumus ante morati;
Atque in qua ratione fuit contenta magis mens;
In somnis eadem plerunque videamus obire;
Caussidici causas agere & componere leges;
Induperatores pugnare ac prælia obire;
Nautæ contractum cum ventis degerere † bellum.

6. & 7. Equidem, non omnia prorsus somnia rejicienda esse, experientia docet. Somnia nec debemus omnino contemnere, nec omnino de eis curare, est conclusio Aristotelis in lib. *de Somno & Vigilia*; quia nec omnia somnia sunt falsa, nec omnia vera: & in sacris Litteris quandoque prohibitum; ne somniis attendamus, *Deut.* 18. *Non inveniatur in te, qui observet somnia.*

8. Expiabant plane Gentiles somnia, teste Petronio Arbitro in *Satyrico*. Unde Propertius *lib.* 2. *eleg.* 29.

Ibat & hinc castæ narratum somnia Vestæ,
Non sibi, neve mihi, quæ nocitura forent.

Varia autem superstitio erat expiandi somnia, rem divinam enim faciebant: Tibullus *lib.* 1. *eleg.* 5.

Ipse procuravi, ne possent sæva nocere
Somnia ter sancta deveneranda mola.

Aqua lavabant; Pers. *Satyr.* 2.

—— *& noctem flumine purgas.*

Propert. *lib.* 4. *eleg.* 4.

Sæpe illa immeritæ caussata est omnia ‡ Lunæ,
Et sibi tingendas dixit in amne comas.

Hinc Suetonius: *Quumque*, ait, *exterritus luce prima ad expiandum somnium præmissis, qui rem divinam appararent, Tusculum excurrisset.* Non omnia plane somnia contemnenda esse, experientia docuit, Plinius *Naturalis Histor.* lib. 7. cap. 50. Publ. Cornel. Ruf. somnium exponens: *Publius Cornelius Rufus*, ait, *qui Consul cum M Curio fuit, dormiens oculorum visum amisit, cum id sibi accidere somniaret.* Mirandum fuit somnium Archelai, Joseph. *de Bello Judic.* lib. 2. cap. 11. civis Tyriorum de Apolline deo urbem deserente, Curt. lib. 4. *de reb. gest. Alex. Magni*; & ipsius Alexandri, Curt. *lib.* 9. nec vanum fuit somnium Marciani Imperatoris, cum videret in somniis arcum Attilæ fractum, Philipp. Melancht. in *Chron. Car.* lib. 2. pag. 272. & Cælius Rhodiginus lib. 27. cap. 9. *Antiq. Lect.* se, cum ætatis annum vigesimum secundum ageret, locum quendam in Plinio, quem vigilans assequi non potuerat, dormientem enucleasse, & librum quoque, imo & philuræ partem, ubi is ab alio enarratus esset, vidisse refert. Excitatum denique librum arripuisse, & omnia, sicut somniaverat, comperisse. Vide somnium Aspasiæ apud Ælianum *Variar. Histor.* lib. 12. cap. 1. De Henrici III. Galliæ Regis somnio vide Thanum *lib.* 78. Principis de Conde somnium exponit Serreus *tom.* 4. *p. m.* 110. *in Anno* 1562. Reginæ Mariæ, conjugis Henrici IV. somnium, quod ante ipsius lethalem confessionem habuit, narrat *Le Mercure François* pag. 310. Vide notabile somnium cujusdam apud Alexand. ab Alex. *Genial. Dier.* lib. 3. cap. 26.

* Alii, *devinctus*. † Tan. Faber legit *cernere*.
‡ Rep. *omina*.

Cæterum, Deus Optimus Maximus in somniis & visionibus tam in Veteri quam in Novo Testamento voluntatem suam aperiebat, *Gen.* 20. v. 3. *Gen.* 18. v. 12. *Gen.* 13. v. 24. *Gen.* 37. v. 5. *Gen.* 40. v. 8. & 41. v. 40. *Num.* 12. v. 6. *Jud.* 7. v. 13. 1. *Reg.* 3. v. 5. *Job.* 7. v. 13. *Dan.* 2. v. 1. & 7. v. 1. 2. *Mach.* 15. v. 11. & 13. *Matth.* 1. v. 20. *Actor.* 16. v. 9. & 18. v. 9. & 23. v. 11. & 27. v. 23. nec recentiora, si vacaret, deessent exempla eorum, qui sanctitate & integritate vitæ conspicui, nocturnas revelationes habuerunt; id quod in primitiva & puriori Catholica Ecclesia frequentissimum. Unicum produco ex recentioribus Capistranum, cui per visiones nocturnas quamplurima Deus Optimus Maximus manifestavit, qui occupata a Turca Constantinopoli Magdeburgum perveniens tanta vi orationis commovit cives, ut structo igni omnia ornamenta sua, & quicquid ad fovendam luxuriam alma rerum mater natura suppeditare posset, viri & mulieres injicerent, prout late exponit Crantzius in *Saxon.*

9. Hominem plane, qui ejusmodi revelationes nocturnas habere velit, oportet esse ab omnibus curis & solicitudinibus liberum, & in sola contemplatione Dei & divinorum mysteriorum, a quibus unica nostra salus dependet, occupatum, sobrium, temperantem, modestum, pium, & perpetuo precibus invigilantem, & demum, ut precibus ardentissimis a Deo contendat, quo sibi contingant ejusmodi revelationes nocturnæ, qua de re egit Pelagius Eremita *de Revelationibus nocturnis*, in cujus libro (quem manuscriptum inspicere mihi non ita pridem Bremæ contigit) nil nisi preces pro consequendis nocturnis revelationibus ad Deum & sanctam Trinitatem directas inveni: quædam quoque hac de re proponit Bodinus lib. 1. *de Magorum Dæmonom.* cap. 4. ubi inter cætera ita ait: „Modus divina consequendi somnia, & ad „celsum illum Prophetiæ gradum assurgendi, est, „si primum omnis arrogantia & κενοδοξία depo„natur, & ab inhonestis voluptatibus avaritiaque „abstineatur, deinde si vitæ bene instituendæ in„cumbatur, operaque in contemplandis & co„gnoscendis operibus ac Lege Dei consummetur: „Præterea antiqui Hebræorum Theologi a tristi„tia senioque non mediocriter effectum Prophe„tiæ tradunt impediri, & Prophetas bona ex par„te fuisse juvenes.

10. Queritur non immerito hoc loco, *Quare Deus sanctis suis potius in somno revelarit futura quam in vigilia?* Bonaventura *in* 2. *d.* 25. *quæst. ultima.* Primo, quia anima in vigilia dispersa est ad exteriora sensibilia, & sic minus apta comprehendere revelationes Dei. Hanc causam etiam insinuat Hippocrates in initio libri *de insomniis*; dum docet, animam hominis in vigilia gravibus distineri negotiis curisque distrahi: per sensus etiam exteriores evocari etiam ad ea: quæ extra ipsum sunt: In quiete vero & somno ejusmodi omnibus interpellationibus & impedimentis vacuus est animus, sibi totus præsens est, sibique attendit, & vires suas collectas habet. Secundo, cum sic placuit, sæpius ad occultationem sui luminis, qui posuit tenebras latibulum suum, dicente enim Deo *Exod.* 33. *Non videbit me homo & vivet.* Unde Gregorius dicit non posse hominem Deum videre & ejus revelationes, scilicet de lege communiori, nisi quando abstractus est a sen[illegible]us ut qua[illegible]tur non vivere, videlicet secundum sensuum [illegible] exteriorum.

CAP. XXII.

De Orationibus & precibus nocturnis in primitiva Ecclesia receptis, nec non de vigiliis nocturnis in festo Paschatos, & utrum sacrificium Missæ quandoque noctu celebrari possit?

SUMMARIA.

1. *Primitiva Ecclesia noctu utplurimum preces fudit ad Deum.*
2. *Noctu Servator ipse Dei Filius precatus est, & preces fudit ad Deum Patrem.*
3. *Omnes Sancti Veteris Testamenti etiam noctu precati sunt.*
4. *Patres & viri sancti Novi Testamenti præprimis oraverunt & precati sunt nocte.*
5. *Preces noctu factæ, lucernariæ fuerunt dictæ; hinc Psalmi lucernales.*
6. *Referuntur calumniæ, quibus Christiani a Gentilibus infestati fuerint, inde quod noctu convenirent & orarent.*
7. *Pietas & devotio Wenceslai describitur Regis Boemiæ.*
8. *De precibus agitur paschalibus iisque nocturnis.*
9. *Israelitæ noctu transierunt per Mare Rubrum.*
10. *Tartari, postquam diu precati essent, ab hostibus coangustati per siccum mare transiere, ut Israelitæ.*
11. *Alcoranum Turcicum jubet noctu orare.*
12. *An Missa noctu celebrari possit.*
13. *Qui hoc negant, suadent, ut a Pontifice potestas impetretur Missas celebrandi noctu.*
14. *Recensetur casus, quomodo correptus fuerit aliquis morbo caduco, qui illuderet missificantem.*

1. NOctu cum animus aliis rebus non districtus sibi vacat, nec ulla interpellatione disturbatur, Christiani in primitiva Ecclesia noctem precibus fundendis aptam esse censuerunt.

2. Salvatorem & Redemtorem nostrum Jesum Christum, cujus actio nostra erit institutio, non interdiu tantum, sed & noctu, orasse, *Matth.* 14. v. 23. legimus.

3. In Libris Ecclesiasticis Veteris Testamenti Tobias junior & Sara novi sponsi commendantur, quod primas tres noctes orationibus impenderint, *Tob.* 8. v. 4. Apostolus viduis nocturnas præsertim preces una cum diurnis commendat: *Quæ vere vidua est*, ait, *& desolata, hæc sperat in Deo, & instat obsecrationibus & orationibus de nocte ac die*, 1. *ad Timoth.* cap. 5. versiculo 5. Talis vidua erat Hanna octogenaria, quæ per noctem æque ac diem a precibus in templo avelli non poterat, *Luc.* 2. v. 37. Regius Propheta David se noctibus æque ac diebus precibus invigilasse commemorat in Psalterio suo, *Psalm.* 1. v. 2. *Psalm.* 6. v. 7. *Psalm.* 15. v. 7. *Psalm.* 21. v. 2. *Psalm.* 61. v. 8. *Psalm.* 63. v. 7. *Psalm.* 76. v. 7. ibi: *Et meditatus sum nocte cum corde meo.*

4. Horum exemplo veteres Christiani inducti nocturnas preces ibidem habebant. De S. Polycarpo ex epist. Smyrnensium ad Parochias in Ponto Eusebius refert, quod, cum rus precibus amicorum inductus aufugerat, noctes atque dies nihil aliud quam preces fecerit; quibus pro pace omnibus per Orbem Ecclesiis impetranda suppliciter oraverit, ideo quod mos hic illi perpetuus fuisset, lib. IV. *Histor. Ecclesiast.* cap. 15. Clemen Alexandrinus in *Pædagogo* cap. IX. Sæpe, *inquit*, etiam non e lecto surgendum est, Deusque est laudandus. Tertullianus cum Agapas Veterum recenset, inter alias, post aquam manualem, lumina illata scribit, ad quæ lectio ex sacris habita est, & hymnus decantatus; ita quoque omnes saturatos scribit, ut qui meminissent etiam per noctem adorandum Deum sibi esse, in *Apolog.* c. XXXIX. Philo quoque Judæus in libello, quem de vita Contemplativa Supplicum edidit, auctor est, primitivam apud Alexandrinos Ecclesiam inter alia hymnos quoque ante galli cantum lucanos celebrasse, ut habent verba Walafridi Strabonis in lib. *de rebus Ecclesiæ* cap. 25. *de horis canonicis*. Sic & Plinius, licet Ethnicus, antelucanas preces, ex inquisitione sibi compertas, in *Epist. ad Trajanum Cæsarem* commemorat. Affirmabant, *ait*, hanc fuisse suæ culpæ vel erroris summam, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo canere, &c. Cassianus professus, se de nocturno orandi modo, de quo libellum condidit, antiquissimam Patrum constitutionem, quæ per totam Ægyptum a Dei famulis custodiatur, proferre, inter alia monet, ut qui ad preces excitat, prædefinitas noctis horas observet. Unde constat; quam sancte nocturnas orandi horas Veteres attenderint.

5. Ab his nocturnis officiis preces, quas Antiquitas *lucernarias* vocavit, oriundæ sunt, juxta ac Psalmi lucernales; originem lucernariarum precum sibi ignotam fatetur Basilius Magnus.

6. Ex luminibus ad nocturnas preces accensis calumnia Ethnicorum hæc prodiit, scilicet Christianos post Thyestea sua convivia, lumina per canem funiculo lucernis adstrictum exstinguere, & exstinctis luminibus ad Oedipodios concubitus prosilire patresque cum filiabus, filios cum matribus, fratres cum sororibus nefarie commisceri; quas atroces calumnias scriptis apologeticis refutarunt Tertullianus, Justinus, Arnobius & Minutius Felix qui Cæcilium de Christianis ita loquentem inducit: Alii eos ferunt ipsius Antistitis ac Sacerdotis genitalia adorare & quasi parentis sui venerari naturam. Nescio, an falsa, certe occultis & nocturnis sacris apposita suspicio.

7. De Venceslao Boemiæ Rege narrat Æneas Sylvius *Historiæ Bojemicæ* cap. 15. eum noctu templa adiisse, noctemque precibus transegisse. De Venceslao hæc referuntur, ait Æneas Sylvius *d. l.* potus cibique parcissimum fuisse tradunt, corporis majestate decorum, virginitatem ad ultimum vitæ servasse: Divina in templis officia diurna nocturnaque nunquam neglexisse, & noctis quidem tempore nudis pedibus super glaciem ac nivem iter agentem, vim frigoris minime sensisse. Podium vero ejus comitem, quum caligatus obriguisset, jussum vestigia Venceslai pedibus premere, concaluisse, postera die cruenta sancti viri vestigia inventa. iniisse eum populo perurgente, adhuc vivente matre, principatum. Idem de Venceslao tradit Dubravius Olomuzensis Episcopus *Historiæ Bojemicæ* lib. 5. qui etiam eum media nocte precibus intentum a Boleslao fratre occisum memorat, licet paulo aliter enarret Æneas Sylvius *d. l.* verba Dubravii *d. l.* hæc sunt, ibi: At Venceslaus, quanquam intelligeret, quo tenderent blanditiæ, & quamobrem produceretur convivium, non tamen omisit, quin de media nocte surgens iret in templum, ut orationes solitas Deo optimo commemoraret; in ea re occupatum invadit Boleslaus frater, eumque interfecit, &c De Brevanovientibus Eremitis Dubravius lib. 6 *Histor. Bojemicæ* memorat, eos somnum ante mediam noctem interruptum habuisse, & quasi jam aurora illis illuxisset, reliquum noctis dieique perpetuo in hoc vigilasse, ut Deum pec-

catis hominum offensum assiduis deprecationibus placarent.

8. Cæterum, noctem paschalem vigiliis & precibus transactam & luminum splendore in primitiva Ecclesia illustratam fuisse, testantur Scriptores Ecclesiastici. Vide Greg. Nazianz. in *Serm. de Pascbate*, & Gregor. Nyssen. in *Orat. de festo Paschæ*, cujus verba, si Latine quam Græce loquentem audire quis malit, hæc sunt: „Quod oculis cernitur lumen, nocte nobis per lampades in nube ignis præferebatur. Sermo autem per totam noctem aures nostras circumsonans in Psalmis, hymnis, cantionibusque spiritualibus tan; quam flumen quoddam gaudii per aures in omnium influens nos optima spe replevit. Quoniam hæc igitur lucida nox, commixta lampadum luminibus cum matutinis radiis Solis, unum continuum nullarum interpositione tenebrarum diremtum diem effecit. De hac paschali nocte sunt versus Ausonii, quibus Christum sic affatur:

Ad temet properant vigilatu convenientes,
Nox lucem revehet funalibus anteferendam:
Nox lumen pariens credentibus indubitatum:
Nox flammis operum mediatrix syderiorum.

De hac nocte Matisconensis secundi Concilii Canon primus accipiendus est, in quo ita est: Noctem quoque ipsam, quæ nos supernæ & luci inaccessibili reddidit, spiritualibus exigamus excubiis, nec dormiamus in ea, quemadmodum dormitant, qui nomine duntaxat Christiani esse noscuntur: sed oremus & vigilemus operibus sacris, ut digni habeamur in regno coheredes fieri Salvatoris. De Constantino Magno auctor est Eusebius lib. IV. *de Vita Constantini* cap. 21. & 22. eum in festo Paschatos nocturnum pervigilium tam clarum reddidisse, quam diurnam lucem, accensis tota urbe celsissimis cereis, ut mystica illa pernoctatio longe clarior ipsa Solis luce fieret. Ad hunc modum Deo ille suo, quasi Sacerdos, sacra faciebat. Hierosolymis eundem morem orandi in vigiliis fuisse historia Narcissi Episcopi Hierosolymitani docet; nam cum oleum aliquando in vigiliis Paschæ conservandis luminibus Ecclesiæ deesset, S. Narcissus aquam lucernis infundi jussit, & super eandem oravit, ad quas Narcissi preces, aqua vices olei subiens usum nocturni luminis præbuit, hinc Rabanus Maurus lib. 2. *de institut. Clericor.* cap. 38. Notandum, ait, quod apud Hieronymum legimus, quod in Orientalibus mos sit, in hac nocte ante mediam noctem fideles ab Ecclesia non recedere, horam illam exspectantes in sacris vigiliis, de qua scriptum est: Media nocte clamor factus est. Hinc eleganter Prudentius in carmine de Sabbathi Paschalis luminibus hujus noctis hanc facit mentionem:

Nos festis trahimus per pia gaudia
Noctem conciliis, votaque prospera
Certatim vigili congerimus prece,
Exstructoque agimus liba sacrario,
Pendent mobilibus lumina funibus,
Quæ suffixa micant per laquearia,
Et de languidulis fota natalibus
Lucem perspicuo flamma jacit vitro.

B. Hieronymus Vigilantium scribit ideo vigilias, & pernoctationes in basilicis Martyrum existimasse respuendas, ne Pascha crebrius celebrari videretur. Procopius lib 2. *de Bello Persico* Christianos festum Paschæ diem magna festivitate celebravisse, & primo ejus die jejunos toto die, imo & in multam noctem perstitisse in orationibus & gratiarum actione, commemorat. Augustinus in libro *de Symbolo* scribit: Nocte Catechumenos in adspectum Ecclesiæ prolatos ac productos. Iidem in *Concione ad Catechumenos contra Judæos, Paganos, & Arrianos* eleganter ea de re tractat. Exigit a nobis, *ait*, ratio tantæ congregationis, & noctis transactæ, vobis reddere rationem, & istius diei de tanto sacramento percepto veram sempiternamque demonstrare salutem. Si enim, dilectissimi, opera tenebrarum transactæ noctis consideremus & quid egerimus, Domino donante, explicare valuerimus: inveniemus, nos in nocte non opera noctis, sed diei peregisse. Neque enim delectatione somni sopitos sensus nostros agnovimus, nec vanis phantasmatibus animas nostras illusas, nec ipsa corpora nostra stramentorum calore depressa in alto sopore requies reclinavit: sed vigilando, orando, psallendo, contra adversarium Diabolum dimicando & lucem infusam cordibus nostris sensimus, & in nocte opera Dei peregimus. Quid enim egimus in hac nocte? Captivitatem captivavimus. Quid egimus in hac nocte? Tenebras diabolicas a cordibus vestris excussimus, lumen verum hauriendum esse demonstravimus. Vide Rupertum Tuicensem lib. 6. *de divinis officiis* cap. 24. Hac nocte paschali lavacri mysteria peracta fuisse ostendit Epistola Paschasiani apud Marianum Scotum lib. 2. *Chronicor.* Vide Barnab. Brisson. in *Comment. supra l. Dominico. de Spectaculis in C. Theodos.* & *l. omnes dies C. de feriis.* Idem testatur Augustinus in lib. *de Symb.* cum ait: Nocte Catechumenos in adspectum Ecclesiæ prolatos ac productos; idem tradit in *Concione ad Cathecumenos contra Judæos, Paganos, & Arrianos*.

9. Eleganter Ambrosius lib. 1. *de Sacramentis* cap. ult. Existimant, *ait*, nonnulli, nocte ista, Judæos transiisse per Rubrum Mare, per quem transitum typum Baptismatis esse præfiguratum. Et notat Avitus *lib.* 5. poematis sui nocte paschali Israeliticæ gentis per Mare Rubrum transitus historiam legi solitam. Rupertus Tuicensis lib. 6. *de divinis offic.* cap. 24. de eadem nocte tractans: Quis enim dies nocte hac insignior? Quæ alia nostra est neomenia, nisi illa, qua hac nocte in Christo per Baptismum renascitur nova Ecclesia.

10. Cæterum, Haithonus Armenus in libro *de Tartaris* narrat rem pene incredibilem, nimirum Tartaros ultra montem Belgiam habitantes, postquam aliquando tota nocte in orationibus perseverassent, mane facto per siccum mare traduxisse exercitum in Asiam. Vide Joh. Wolff. *Lection. memorab. & reconditar.* pag. 633.

11. Mahumed impostor ille insignis in *Alcorano Turcico* vult suos noctu surgere & precibus invigilare obverso vultu Mecham versus. Ridiculum aliquando certamen de primo campanæ pulsu, quo Monachi ad preces excitarentur inter Fratres mendicantes obortum, Nicolaus Boerius in Tractatu *de auctoritate magni Concilii* num. 87. recenset: Cum diu, *ait*, in Curia Romana Franciscani & Dominicani concertassent de primo pulsandis matutinis, tandem insumtis triginta millibus aureorum lis decisa est, ut primo surgentes primo pulsarent.

12. Quod alterum capitis membrum attinet, *Utrumne Missa noctu celebrari possit?* Communis Catholicorum Dd. sententia est, non posse ante auroram missificari; auroram Fillivecus dicit esse initium crepusculi, per quod tantum diei lucescit, ut sine lucerna seu lumine artificiali possit peragi missificum; ast alii repugnant, ut Navarrus *En-*

chirid. cap. 25. num. 85. & seqq. & Joh. Lugo *Disp.* 20. sect. 1. quæstione peculiari *de Aurora*. Equidem si missa ab humani generis Restauratore una cum sacræ Cœnæ celebratione instituta, non video, cur & nocte ea haberi possit, cum eandem & noctu celebraverit ipse Salvator noster Jesus Christus; & verisimile est, non attenta nocturni temporis ratione, eam in primitiva Ecclesia & noctu quandoque habitam. Cæterum hodieque dantur casus, quibus Missam noctu celebrare liceat; & primo quidem notat Sylvester. *d. l.* nocte Resurrectionis Dominicæ Missam celebrari licuisse; idem obtinet in nativitate noctis dominicæ, quod & permissum in locis Septentrionalibus, ubi tempore brumæ dies breviores sunt, adeoque diebus festis tres vel quatuor Missæ intra Solis ortum & meridiem absolvi non possunt.

13. Posse quoque Pontificem Romanum concedere quibusdam, ut noctu celebrari Missæ possint, communis quasi Canonistarum sententia est; & notat Polydorus Ripa *de nocturn. tempor.* cap 93. n. 13. suo tempore Ticini in amplissimo Borromæorum Collegio, & alibi, Missam ex benignitate pontificia de nocte celebratam fuisse.

14. Retulit aliquando parens meus, cum Spiræ Nemetum Anno 1617. degeret, in Vigilia nativitatis Christi Missas celebratas in æde cathedrali tempore nocturno accidisse, ut quidam Studiosus ex commensalibus suis Religionis Zwinglianæ conspiciens ritus missales, quos antehac non vidisset, in altos risus sæpenumero prorupisset, petulantiæ pœnam hanc luerit, ut morbo caduco corriperetur, quo antehac nunquam laborasset, quem Catholici aliquot Missæ adhærentes una cum sodalibus suis humo elevarunt & in scamnum proximum collocarunt; existimat parens, quia hac nocte sacra ante ingressum sacrarii Studiosus ille Veneri una cum culinaria hospitis sacrificasset, quod utique animadverterint commensales, atque patrato scelere mox Missam eadem nocte visitasset, hanc sibi a Deo, sceleris vindice justissimo, illatam plagam, qua decubuerit hebdomadas aliquot lecto & sæpius hoc malo correptus fuerit.

CAP. XXIII.

De nocturnis vigiliis ad monumenta Martyrum in primitiva Ecclesia receptis, nec non de indiciis maleficiorum, quæ oriuntur adversus eos, qui noctu circa sepulcra versantur.

SUMMARIA.

1. *Apud sepulchra Martyrum in Ecclesia primitiva preces nocturnæ passim fusæ.*
2. *Cum multa flagitia patrarentur ad sepulchra Martyrum & Sanctorum, Concilio Eliberitano interdictum est, ne debinc precum fundendarum nomine convenirent homines.*
3. *Gentilibus usitatum fuit, penes sepulchra fundere preces & vota facere.*
4. *Sæpe sub prætextu ritus sepulchralis patrata sunt crimina, ut quia, nonnihil de cadaveribus depromptum ad pharmaca mala inde conficienda.*
5. *Hinc veneficæ passim bustuariæ dictæ.*
6. *Magica sæpius peracta penes sepulchra, experientia prodidit.*
7. *Celtæ & Nasamones apud sepulchra oracula consuluerunt non sine arte magica.*

1. SOlebant in primitiva Ecclesia vigiliæ & preces ad monumenta & sepulchra Martyrum noctu haberi; exempla varia suppeditat Gregorius Turonensis lib. *de Gloria Confessorum* c. XXI. ubi refert, quod Gregorius ipse ad tumulum Memmii Episcopi Catalaunensis oraverit. In Vita S. Aphræ, meretricis conversæ, narratur, quod, cum Aphra Augustæ in Germania ob fidem Christi esset combusta, mater ejus Hilaria noctu prope mœnia urbis filiam sepelierit, ibique memoriam condiderit, in qua cum ancillis suis Deum quotidie deprecata sit, donec Gajus sacellum, tumulo superstructum, apposito stramine, & clausis foribus cum Hilaria & ancillis intus orantibus concremaret, referente Georgio Wicelio in *Choro Sanctorum* lib. VIII. cap. 28. Quicquid sit de certitudine hujus historiæ, morem inde ad tumulos orandi profluxisse agnoscimus. De Monachis ad sepulchrum Austregisili vigilantibus & flebiles preces fundentibus, auctor est Vincentius in *Speculo Historiæ* lib. 23. cap. 29. & quod vindictam contra hostes obtinuerint, ad tumulos precantes, tradit Albertus Crantzius lib. XI. *Saxoniæ* cap. 14.

2. Verumenimvero, cum hisce nocturnis vigiliis (vigilabant enim Monachi & sacræ Virgines) infinita patrarentur flagitia, hic mos sublatus fuit in Concilio Eliberitano, Euseb. lib. 6. *Hist. Ecclesiast.* cap. 33.

3. Unde derivatus usque ad hodierna tempora mos, ut apud defunctos superstites invigilarent. Reperio quoque apud Ethnicos receptas ad monumenta mortuorum vigilias, vide Suetonium in *Cæsare*: In summo publico luctu, *ait*, exterarum gentium multitudo circulatim suo quæque modo lamentata est: præcipueque Judæi, qui noctibus continuis precantes bustum frequentarunt.

4. Alioquin monumenta & sepulchra defunctorum noctu accedere solent Magi, Incantatores, Veneficæ; Diaboli mancipia, ut sublatis cadaveribus, vel ossibus venena præparent, iisque ad nefarias artes abutantur, prout malum istud frequentissimum, adeo ut effossis noctu cadaveribus malefaciant hominibus. Quicunque igitur noctu frequenter sepulchra accedunt, indeque nonnihil e cadaveribus efferunt, aut capita mortuorum servant, nisi quæ ad Medicinam aut Chirurgiam faciunt, suspicionis sinistræ non sunt vacui, ii plerunque, qui exercent Necromantiam, homines enim bene instituti & qui sunt meticulosi, perhorrescunt noctu sepulchra accedere, ait Bodinus *de Magorum Dæmonomania* lib. 2. cap. 3. pag. 141.

15. Hinc Hesych. veneficas ejusmodi τυμβάδας, id est, *bustuarias*, vocari ait, quod circa monumenta versarentur, & mortuorum cadavera mutilarent; quæ postrema verba, dicit Joann. Kirchman. in Tract. *de Funeribus Romanorum* l. 3. c. 23. simul mihi in mentem revocant alium veterem ritum, quem homicidæ usurpabant, si quam cædem patrassent, nimirum vel aures, vel nasum, vel aliam corporis partem interfecto solebant abscindere, eamque sub axilla ferre, existimantes mortuum ita lacerum reddi omnino invalidum ad sese ulciscendum. Hactenus Kirchmannus *d. l.* Erichthonis sagæ nobilis domicilium in sepulchralibus fuisse monumentis, auctor est Lucan. *lib. 6.* vers. 510.

Illi

Illi namque nefas urbis ſubmittere tecto,
Aut laribus ferale caput, deſertaque buſta
Incolit, & tumulos expulſis occupat umbris.

6. & 7. Ad ſepulcra ſane, teſte Lactantio lib. 2. *Divin. Inſtit.* cap. 2. magica peragebantur utplurimum hæc exercitia; unde quoque Tertullianus *de Anima* cap. 57. Naſamones & Celtas oracula apud ſepulcra pernoctando captare tradit: Naſamones, *ait*, propria oracula apud parentum ſepulcra manſitando captare Heraclides ſcribit; Celtas apud virorum fortium buſta eadem de cauſa obnoctare, Nicander affirmat. Prudentius lib. 1. *contra Symmachum*, de Mercurio:

Murmure nam magico tenues exire figuras,
Atque ſepulcrales ſcite incantare favillas,
Vita itidem ſpoliare alios, ars noxia novit.

Tibullus *lib.* 1. *eleg.* 11.

Hæc cantu finditque ſolum, Maneſque ſepulcris
Elicit, & tepido devocat oſſa rogo.

Hinc ſub Conſtantio & Juliano Impp. ſi qui per monimentum tranſiſſe veſpere malevolorum argueretur indiciis, ut veneficus, ſepulcrorumque horrores & errantium ibidem animarum ludibria colligens vana, pronuntiatus reus capitis interibat, teſte Ammiano Marcellino *lib.* 19.

CAP. XXIV.

De nocturna funerum elatione, tam apud Romanos, quam Judæos & Chriſtianos, perſecutionis tempore frequentata.

SUMMARIA.

1. *Candelas & faces etiam uſurparunt Gentiles in funeribus efferendis.*
2. *Cur noctu elata funera?*
3. *Acerba funera quæ?*
4. *Veſperones vel veſpillones qui dicti?*
5. *An uſus combuſtionis cadaverum quoque apud Judæos fuerit uſitatus?*
6. *Tempore perſecutionis utplurimum Chriſtianorum funera noctu ſepulta.*
7. *Wenceſlai funus quomodo noctu ſepultum ſit?*
8. *Multa Pontificum funera noctu elata & ſepulta fuerunt.*
9. *Cardinalium cadavera noctu ad fanum S. Petri deducuntur.*

1. NOctem Veteres rebus ſingulariter expediendis deſtinaſſe ſupra *cap.* 4. notatum eſt, inibique dictum, quomodo apud Romanos antiquis temporibus funera noctu elata, quod argumenti genus, cum rarum ſit, hoc capite proſequemur, nec non, quod uſurpatum fuerit apud Judæos & Chriſtianos perſecutionis tempore, exponemus. Et quidem, quod Romanos attinet, res expedita eſt; ita enim Servius *in* XI. *Æneid. Virgilii*, Funera, *ait*, alii a funalibus, candelis ſevo vel cera circumdatis, dicta cenſent, quod his prælucentibus noctu efferrentur mortui. Idem tradit Iſidor. lib. 20. *Etymolog.* cap. 10. & lib. 11. cap. 11. hinc Virgilius *Æneid.* lib. XI. verſ. 143. in funere Pallantis,

—— lucet via longo
Ordine flammarum, & late diſcriminat agros.

Ab hoc more efferendi mortuos noctu, permanſit poſtea conſuetudo, ut in omnibus funeribus, etiam interdiu elatis, funalia, faces, candelæ, ac cerei adhiberentur; hinc idem Servius in *lib.* VI. *Æneid.* ibi: Per noctem autem urebantur, unde permanſit, ut mortuos faces antecederent. Huc faciunt verba Taciti lib. 3. *Annal.* Dies, quo reliquiæ, inquit, tumulo Auguſti inferebantur, modo per ſilentium vaſtus, modo ploratibus inquies, plena Urbis itinera, collucentes per Campum Martis faces. Vid. Andr. Tiraquell. in *Not. ad Alex. ab Alexandro lib* 3. *Genial. Dier. cap.* 7.

2. Hic mos efferendi noctu mortuos, quamvis poſtea in uſu eſſe deſierit, in indictivis funeribus, ad quæ, teſte Feſto per præconem pupulus evocabatur, tamen manſiſſe videtur in vulgaribus & translatitiis, ut patet ex Feſto, qui parum a Servio diſſentiens, veſpillones inde dictos putat, quia veſpertino tempore eos efferunt, qui funebri pompa duci propter inopiam nequeunt; plane huc faciunt verba Dionyſii Halicarnaſſenſis *lib.* 4. Ἀλλ' ἡ γυνὴ, ait, τοῦ Τυλλίου σὺν ὀλίγοις τισὶ τῶν φίλων Ταρκυνίου θυγάτηρ οὖσα τοῦ πρώτου Βασιλέως, νυκτὸς ἐκκομίζει τὸ σῶμα τῆς πόλεως, ὡς τῶν ἐπιτυχόντων τινός. h. e. *Sed Tullii uxor Tarquinii Priſci Regis filia proſequentibus paucis quibuſdam amicis noctu ex Urbe ipſum, ut hominis privati & plebeii funus extulit.*

3. Præprimis noctu elata fuerunt funera acerba; qua de re erudite diſſerit Johannes Kirchmannus lib. 2. *de Funeribus Romanorum* cap. 2. per totquo Lectorem remitto. Unicum adduco teſtimonium Servii luculentiſſimum; is *ad lib.* XI. *Æneid.* de acerbis funeribus agit: Et magis moris Romani, *ait*, ut impuberes noctu efferrentur ad faces, ne funere immaturæ ſobolis domus funeſtaretur, quod præcipue accidebat in eorum, qui in magiſtratu erant, filiis. Ideo Virgilius Pallantis corpus facit excipi facibus, quia acerbum funus. Ex hoc ritu ſceleri ſuo mantellum quæſivit Nero, cum fratrem Britannicum, qua nocte veneno ſuſtulerat, eadem ipſa cremandum curaſſet. Nox eadem, ſcribit Tacitus lib. 13. *Annal.* necem Britannici & rogum conjunxit. Subjungit Tacitus: Feſtinationem exſequiarum edicto Cæſar defendit, id a Majoribus inſtitutum referens, ſubtrahere oculis acerba funera, neque laudationibus aut pompa detinere. Veram hujuſce rei cauſam, cur ſcilicet funera apud Romanos elata? pete a Servio; is dilucide *ad lib.* XI. *Æneid.* eam exponit his verbis: Apud Romanos moris fuit, ut noctibus efferrentur (mortui) ad funalia: unde etiam funus dictum eſt, quia in religioſa civitate cavebant, ne aut magiſtratibus occurrerent, aut ſacerdotibus, quorum oculos nolebant alieno funere violari.

4. Inde etiam, qui funeri præerant, a veſpera primum veſperones dicebantur, deinde veſpillones dicti. Cæterum, apud Athenienſes idem moris fuiſſe, ante Solis exortum funera efferri, teſtis eſt Demoſthenes in *Oratione* ὑπὲρ Ἀγνίου κλήρου: Ἐκφέρειν δὲ, inquit, τὸν ἀποθανόντα τῇ ὑστεραίᾳ, ᾗ ἂν προθῶνται πρὶν ἥλιον ἐξέχειν. Cicero lib. 2. *de Legibus* auctorem conſtituit hujus ritus Demetrium Phalereum: Fuit hic vir, ut ſcitis, non eruditiſſimus, ſed etiam civis e Repub. maxime, tuendæque civitatis peritiſſimus. Iſte igitur ſumtum minuit, non ſolum pœna, ſed etiam tempore, ante lucem enim juſſit efferri.

5. Apud Judæos (apud quos humatio mortuo-

rum tantum recepta, nullus combustionis usus, A si excipio tantum cadavera Saulis & filiorum, quæ combusta fuisse ex 1. *Reg.* cap. ult. constat, ubi combustionis exemplum exstare recte docet R. David Kimchi; cujus sententiæ præter alios subscribunt Vatablus in *Not. ad cap. ult.* 1. *Reg.* Calixt. *in cap.* 50. *Genes. ad v.* 2.) quandoque persecutionis tempore noctu mortuos sepultos, ex lib. *Tobiæ* cap. 2. v. 9. constare poterit; ibi: *Sed Tobias plus timens Deum, quam Regem, rapiebat corpora occisorum, & occultabat in domo sua, & mediis noctibus sepeliebat ea.*

6. Apud Christianos etiam aliquando funera noctu ducebantur, præsertim persecutionis tempore; B sic enim τὸν ἀποςάτην Julianum lege vetuisse legimus, ne defuncti interdiu sepelirentur. Ita Hippolyti Romani Patricii clarissimi, a Deciano ob veram Religionem crudeliter interfecti, corpus noctu, quia interdiu non licebat, Justinus Sacerdos simul cum servorum suorum, qui cum eo interemti, corporibus sepelivit extra portæ Tiburtinæ muros, Luc. Marin. Sicul. lib. 5. *de Rebus Hispaniæ*. Jacobi Apostoli, ab Herode Agrippa capite truncati, corpus, teste Euseb. *Histor. Ecclesiast.* lib. 2. cap. 9. a Discipulis ejus nocturno tempore adsportatum, & in Hispaniam ad tumulandum translatum fuit, prout late enarrat Joannes Vasæus in *Chronico Hispaniæ*.

7. De Venceslao degenere Imperatore & Rege Bohemiæ (vide Trithemium in *Chron. Spanheim. ad Annum* 1400.) refert Dubravius Olomuzensis Episcopus libro 23. *Historiæ Bohemicæ*, eum apoplexia mortuum, & ne Hussitæ corpori illuderent, a Sophia Regina conjuge noctu, sine ullo exsequiarum honore, in aula regia sepultum fuisse.

8. Christophorus Marcellus Archiepiscopus Corcyrensis lib. 1. *Sacr. Ceremoniarum* sect. XV. cap. 11. de exsequiis Romani Pontificis agens, testatur, defunctos Pontifices Romanos noctu sepultos fuisse: *Funus Papæ mortui*, ait, *in templum S. Petri delatum nocte reponi in capella majori, & tandem noctu sepeliri*.

9. Nocte etiam portari Cardinalium cadavera ad Ecclesiam, dicit idem *ibid.* cap. 10. Idem tradit Simon Majolus Tom. 2. *Dier. Canicul.* colloq. 6. fol. 773.

FINIS.



PETRI BERTII,

GEOGRAPHI ET PROFESS. REGII,

DE

AGGERIBUS

ET

PONTIBUS

HACTENUS AD MARE EXTRUCTIS

DIGESTUM NOVUM.

LUDOVICO XIII.
FRANC. ET NAVARRÆ
REGI CHRISTIANISSIMO,

PIO, JUSTO, FELICI, INVICTO.



Educem a Victoria Santonica post debellatos singulari Dei beneficio rebelles Hæreticos, & superatos aliquoties fugatosque Anglos, quum Te, Rex Maxime, Lutetia Tua nuper triumphantem exciperet, omnique honoris ac lætitiæ genere suum erga Te affectum & obsequium testaretur, ac Te Fidei Catholicæ defensorem, Te Hæreticorum rebellium domitorem, Te auctorem pacis, Te securitatis terra marique partæ effectorem, adsertorem, conservatorem, publicis acclamationibus profiteretur, putavi me neque injucundam Majestati Tuæ, neque Publico inutilem operam susceptturum, si AGGERES illos ad Rupellam, divino consilio Tuo atque auctoritate feliciter jactos, describerem, eosque cum aliorum Regum Principumque similibus operibus conferrem, &, quod consequens hoc tempore videbatur, cives Tuos ad commercia cum exteris gentibus & populis remotioribus, aperto nunc & pacato mari, fugatisque piratis, exercenda excitarem. Feci utrumque non pro dignitate argumenti, sed ut in hac rerum temporisque angustia potui, & ex Commentariis meis excerpsi digessique ea quæ de PONTIBUS ET AGGERIBUS HACTENUS MARI OBJECTIS notata offendi, ductusque blandientis materiæ adfinitate, addidi caput singulare de prisca Francorum in navigando solertia, ut hoc saltem stimulo appetentes gloriæ laudisque avidos Tuorum animos ad restaurandam collapsam nonnihil virtutem excitarem. Unum enim hoc deesse adhuc felicitati Franciæ Tuæ videtur, quæ neglecta negotiatione, & posthabitis longinquis navigationibus, patriæ suæ proventu opibusque contenta vivit: quum constet, Salomonem Regem sapientissimum ingentes illos & sacrorum librorum historiis celebratos thesauros ex maritimis potissimum navigationibus habuisse, quas cum Tyriis exercuit in Sinu Arabico, ad portum Hezion-gaber: & Claudium Imperatorem, florenti Imperio Romanorum, *certa etiam negotiatoribus lucra proposuisse, suscepto in se damno, si cui quid per tempestates accidisset, & naves mercaturæ caussa fabricantibus magna commoda constituisse, pro conditione cujusque*, testetur Suetonius: sed magna spes est, futurum brevi, ut cives Tui cujusvis ordinis, tum ratione illecti, tum Edictis Tuis & propositis immunitatibus provocati, tum Illust. Cardinalis de RICHELIEV, cui hæc quoque pars publicæ administrationis abs Te commissa est, hortatione ac prudenti directione stimulati, repetant intermissam Majorum suorum gloriam, & neque Hispanis, neque Anglis, neque ullis aliis nationibus populisque hac in parte concedant; nam Batavorum laus cum Francorum laude hac in parte conjuncta est. Has ego Lucubrationes meas ad sacrum Majestatis Tuæ pulvinar defero, Tibique consecro, quia Tibi debentur, cui me & studia mea commendo. Dat. Lut. Paris. XVII. Kal. Feb. An. CIↃ. IↃC. XXIX.

Regiæ Tuæ Majestatis

Geographus & Professor
P. BERTUS.

PETRI BERTII
PRÆFATIO
AD LECTOREM.



MICE LECTOR, solent Lutetiæ Parisiorum Professores Regii, exactis Feriis Vindemialibus, in aditu auspicioque lectionum suarum aliquid dicere in Regum suorum laudem; &, si quid ab ipsis eo anno in bello fortiter aut feliciter, in pace juste, pie, magnifice gestum est, debitis præconiis prosequi, atque hoc modo cum grati sui in Reges animi testificatione, Auditorum pectoribus amorem ac reverentiam summæ in terris Majestatis instillare. Estque hic mos a Majoribus nostris ad nos laudabili exemplo transmissus, perpetuoque observatus. Quum autem hoc anno mirifica ad Rupellam Dei per Christianissimum nostrum Regem opera, calentibus & quotidie novam stuporis & gaudii materiam adferentibus nunciis, bonorum civium animos eo usque in hac urbe perque omnem Galliam incitassent, ut pro Regis sui incolumitate & felici armorum adversus Hæreticos rebelles ab ipso sumtorum successu, vota publica per templa omnia facerent; evenit, ut in idem tempus incideret lectionum redauspicandarum initium, & fama captæ a Rege Rupellæ. Eo factum est, ut præcipitatis fere pietatis officiis, Professores Regii, certatim singuli, aliquid in laudem Christianissimi nostri Regis, quem excelsæ & supra aliorum hominum modum positæ virtutes omni nostro præconio majorem faciunt, dicere meditarentur. Exstatque hujus argumenti edita Joannis Grangierii, viri disertissimi, Oratio Panegyrica, digna quæ non Lutetiæ tantum a Francis, sed ubivis terrarum ab omnibus hominibus legatur. Ego, qui me Christianissimo Regi præ cæteris obnoxium esse sentio, ingenueque profiteor, quum meo muneri deesse nollem, delegi tumultuario opere materiam Professioni meæ respondentem, & sepositis ad tempus Commentariis operosissimis DE GEOGRAPHIA SACRA, quos molior ad Eusebii librum περὶ τῶ τοπικῶν ὀνομάτων, ex occasione Aggeris, quem in Portu Rupellano ad impediendos aditus exitusque struxit sub Regis nostri auspiciis Cardinalis de Richelieu, misi per orbem universum perque superioris ævi tempora mentis oculos, & ex omni memoria excerpsi digessique ea, quæ de AGGERIBUS ET PONTIBUS HACTENUS IN MARI STRUCTIS in mentem veniebant. Hanc ego Lucubratiunculam nunc edo, ut, visis uno intuitu omnibus, judices postea, Lector, an non superiorum Regum temporumque gloriam Rex noster Christianissimus non tantum adsequutus, sed etiam prætergressus sit. Quæ de Amnicis Aggeribus Pontibusque dici poterant, non attigi, neque enim tanti erant, ut cum nostro Aggere componi possent. Quanto autem est difficilius, ingentem illum terrasque omnes lustrantem Oceanum frænare, quam flumina, vel lacus, vel minora maria, tanto deprehendes Regis nostri opus omnibus aliorum hactenus Regum operibus esse præponendum. Confirmabitque istud in te judicium consideratio, quod intra teli hostilis jactum oportuerit fundamenta istius Aggeris, totumque adeo opus moliri, videntibus Rupellanis, & compedes istas sibi injici de propinquo indignantibus, quin & cominus tormentorum bellicorum ictibus & ignitorum globorum ejaculationibus impedire conantibus. Frustra: quid enim est, quod non superet Francorum impetus, Regis sui præsentia, conspectu, atque hortatione incitatus? VALE.

CL. VIRO
Dno. PETRO BERTIO,
GEOGRAPHO ET PROFESSORI REGIO.

ANtiquos Pontes, & fixa repagula Ponto,
Commemorans magni Bertius *ingenii,*
Rupellæ Moles *excelsa mente recludit,*
Et quæ postgenitis fama loquetur anus,
Gentibus hæc unus potuit narrare remotis,
Qui maris & terræ scripserat ante situm.

NATALIS DE BRION
anno ætatis XIII.

ELENCHUS ET SERIES CAPITUM.

PETRI BERTII, GEOGRAPHI ET PROFESS. REGII, DE AGGERIB. ET PONTIBUS HACTENUS IN MARI STRUCTIS DIGESTUM NOVUM.

CAP. I.

De Pontibus & Structuris in aqua faciendis.



PRiusquam Historiam aggrediar Aggerum Pontiumque in mari hactenus per orbem varie exstructorum, (nam quæ in fluminibus condita sunt, a prisci aut posterioris ævi Principibus, tanquam a nostro instituto hoc tempore aliena, præterire est animus) videor mihi operæ facturus pretium, si ex Vitruvio caput descripsero istius argumenti. Etsi vero illud multa contineat quæ ad flumina etiam & stagna referri possunt, tamen quia generale est, & Aggerum muniendorum Portuumque ubivis exstruendorum doctrinam complectitur, ac præterea lucem adfert iis quæ postea allaturi sumus, non erit abs re doctrinam illam posteriori tractationi præmittere: melius enim intelliguntur magnorum virorum opera, si ad Vitruvianam regulam exigantur. Sic ergo iste libro 5. *de Architectura* ad Imperatorem Augustum, capite ultimo: „ De opportunitate Portu„um non est prætermittendum, sed quibus fe-

A „rationibus tueantur naves in his a tempestatibus, „explicandum. Hi autem naturaliter si sint posi„ti, habeantque acroteria sive promontoria pro„currentia, ex quibus introrsus curvaturæ sive „versuræ ex loci natura fuerint conformatæ, „maximas utilitates videntur habere. Circum enim „porticus sive navalia sunt facienda, sive ex por„ticibus aditus ad emporia, turresque ex utra„que parte collocandæ, ex quibus catenæ tra„duci per machinas possint. Sin autem non na„turalem locum neque idoneum ad tuendas ab B „tempestatibus naves habuerimus, ita videtur es„se faciendum, uti, si nullum flumen in his locis „impedierit, sed erit ex una parte statio, tunc ex „altera parte structuris sive Aggeribus expedian„tur progressus, & ita conformandæ portuum „conclusiones.

„Eæ autem structuræ, quæ in aqua sunt futu„ræ, videntur sic faciendæ, uti portetur pulvis „e regionibus, quæ sunt a Cumis continuatæ ad „Promontorium Minervæ, iisque misceatur cum „calce, ut in mortario duo ad unum respondeant: C „deinde tunc in eo loco, qui definitus erit, ar„cæ stipitibus robustis & catenis inclusæ, in „aquam demittendæ, distinendæque firmiter. „Deinde inter eas ex transtillis inferior pars sub „aqua exæquanda & purganda, & cæmentum „ex mortario materia mixta (quemadmodum su„pra scriptum est) ibi congerendum, donicum

„ compleatur ſtructuræ ſpatium, quod fuerit inter „ arcas. Hoc autem munus naturale habent ea lo- „ ca quæ ſupra ſcripta ſunt.

„ Sin autem propter fluctus aut impetus aperti „ pelagi deſtinatæ arcæ non potuerint contineri, „ tunc ab ipſa terra ſive crepidine pulvinus quidam „ firmiſſime ſtruatur. Iſque pulvinus exæquata „ ſtruatur planitie, minus quam dimidiæ partis, „ reliquum quod eſt proxime littus proclinatum la- „ tus habeat. Deinde ad ipſam aquam & latera „ pulvino circiter ſeſquipedales margines ſtruan- „ tur, æquilibres ei planitiei, quæ ſupraſcripta eſt. „ Tunc proclinatio ea impleatur arena, & exæque- „ tur cum margine in planitie pulvini. Deinde in- „ ſuper eam exæquationem pila quam magna con- „ ſtituta fuerit, ibi ſtruatur, eaque quum erit ex- „ ſtructa, relinquatur non minus quam duos men- „ ſes, ut ſicceſcat. Tunc autem ſuccidatur margo „ quæ ſuſtinet arenam. Ita arena fluctibus ſubruta, „ efficiet in mare pilæ præcipitationem. Hac ratio- „ ne quotieſcumque opus fuerit, in aquam poterit „ fieri progreſſus.

„ In quibus autem locis pulvis (*Puteolanus*) „ non naſcitur, his rationibus erit faciendum; uti „ arcæ duplices relatis tabulis & catenis colligatæ „ in eo loco, qui finitus erit, conſtituantur, & „ inter deſtinatas creta peronibus ex ulva paluſtri „ factis calcetur. Quum ita bene calcatum & quam „ denſiſſime fuerit; tunc cochleis, rotis, tym- „ panis collocatis, locus, qui in ea ſeptione fini- „ tus fuerit, exinaniatur ſicceturque, & tunc ſtru- „ ctura & cæmentis, calce, & arena compleatur. „ Sin autem mollis locus erit, palis uſtulatis al- „ neis, aut oleagineis, aut robuſteis configatur, „ & carbonibus compleatur, quemadmodum in „ theatrorum & muri fundationibus eſt ſcriptum. „ Deinde tunc quadrato ſaxo murus ducatur, jun- „ cturis quam longiſſimis, uti maxime medii lapi- „ des coagmentis contineantur. Tunc, qui locus „ erit inter murum, ruderatione ſine ſtructura „ compleatur. Ita erit, uti poſſit turris inſuper „ ædificari.

„ His perfectis, navaliorum ea erit ratio, ut „ conſtituantur ſpectantia maxime ad Septentrio- „ nem: nam Meridianæ regiones propter æſtus, „ cariem, tineam, teredines, reliquaque beſtia- „ rum nocentium genera procreant, alendoque „ conſervant; eaque ædificia minime ſunt mate- „ rianda propter incendia. De magnitudinibus „ autem finitio nulla debet eſſe, ſed facienda ad „ maximum * navium modum, uti etſi majores „ ſubductæ fuerint, habeant cum laxamento ibi „ collocationem.

* Videtur leg. *maximarum*.

CAP. II.

Pons Darii, Hyſtaſpis F. Perſarum Regis, ad Boſporum Thracium, quum in Scythas & Græcos tenderet.

DEcretum eſt mihi, obſervationes meas digere- re ſecundum ordinem temporum: primo er- go loco proferam in medium PONTEM DARII in Boſporo Thracio exſtructum, qui, ſi cum Moli- bus Regis noſtri ad Rupellam jactis conferatur, utut fuerit ſuperbus ac ſumtuoſus, tamen revera minor fuit. Dario negotium fuit cum freto, Re- gi noſtro cum vaſto illo & immenſo Oceano. Ille navibus junxit adverſas littorum oras; Rex no- ſter ſaxeo aggere, &, ubi alveus id non patieba- tur, palis. Spatium ab ipſo occupatum fuit ſe- ptem duntaxat ſtadiorum, tanta enim eſt maxima faucium anguſtia; itaque & *bovi permeabilis eſt tranſitus, & alitum cantus canumque latratus in- vicem audiuntur, vocis etiam humanæ commer- cia inter duos orbes meante colloquio, niſi quum idipſum auferunt venti*, teſte Plinio *lib.* 6. *cap.* I. At portus Rupellani ſpatium, quo aggeres ſtructi moleſque jactæ ſunt, eſt ſtadiorum XVI. itaque nec bovi eſt permeabile, neque voces humanæ ca- numque latratus in adverſum littus deferuntur. Præterea, Darium nemo hoſtis impedivit quin per Mandroclen Samium Architectum quod vellet strueret; at Regem noſtrum hinc Rupellani, inde Angli tormentis ſuis potuerunt indeſinenter in- ceſſere. Et tamen ſuperavit omnia adverſa iſta Re- gis noſtri Genius. Audiamus nunc Cteſiam: Στρά- τευμα δὲ ἀγείρας Δαρεῖος ὀγδοήκοντα μυριάδας, καὶ ζεύξας τὸν Βόσπορον καὶ τὸν Ἴστρον, διέβη ἐπὶ Σκύθας. *Darius collecto exercitu octingentum millium, Boſporum ponte junxit & Iſtrum, in- que Scythas profectus eſt.* Lucianus in *Nerone, qui eſt de perfoſſione Iſthmi*, poſtquam dixiſſet, Agamemnonem Achivorum Regem, ut copiis ſuis viam faciliorem faceret, Eubœam a Bœotia reſecuiſſe, medio circa Chalcidem Euripo reli- cto, addit, Boſporum a Dario ponte junctum quum in Scythas tenderet: Ὁ Βόσπορος Δαρείῳ ἐγεφυρώθη παρασκευαζομένῳ ἐπὶ τοὺς Σκύθας. Herodotus *libro* IV. qui *Melpomene* inſcribitur, auctor eſt, Darium meditantem bellum in Scy- thas Europæos, miſiſſe Legatos, alios quidem, ut exercitum pedeſtrem conſcriberent, alios, ut naves perhiberent, (parebat enim ipſi ora om- nis Aſiatica) alios denique ut Boſporum Thra- cium ponte jungerent: Δαρεῖος, inquit, παρα- σκευαζόμενος ἐπὶ τοὺς Σκύθας ἐπιπέμπει ἀγγέ- λους ἐπιτάξοντας τοῖσι μὲν πεζὸν στρατὸν, τοῖσι δὲ νέας παρέχειν, τοῖσι δὲ ζεύγνυσθαι τὸν Θρηΐ- κιον Βόσπορον. Et addit paulo poſt: Δαρεῖος δὲ ἐπεί τε πορευόμενος ἐκ Σούσων ἀπίκετο τῆς Καλ- χηδονίης περὶ τὸν Βόσπορον, ἵνα ἔζευκτο ἡ γέφυ- ρα. ἐντεῦθεν ἐσβὰς ἐς νέα, ἔπλεε ἐπὶ τὰς Κυα- νέας καλευμένας, τὰς πρότερον πλαγκτὰς Ἕλλη- νες φασὶ εἶναι. *Darius Suſis movens pervenit Chalcedonem ad Boſporum, ubi pons junctus e- rat. Illic conſcenſa navi trajecit ad Inſulas Cya- neas, quas Græci initio errabundas fuiſſe ajunt.* Poſtea ſubjicit obſervatam a ſe Ponti, Propon- tidis, Helleſponti, & oris ipſius menſuram: Τοῦτο μὲν, inquit, μῆκος εἰσὶ στάδιοι διηκόσιοι †, καὶ χίλιοι, καὶ μύριοι· τὸ δὲ εὖρος ἑωϋτοῦ, στάδιοι διηκόσιοι καὶ τρισχίλιοι. Τούτου τοῦ πελά- γεος τὸ στόμα ἐστὶ εὖρος τέσσερες στάδιοι, μῆκος δὲ τοῦ στόματος ὁ αὐχὴν, τὸ δὴ Βόσπορος κέ- κληται, κατ' ὃ δὲ ἔζευκτο ἡ γέφυρα, ἐπὶ σταδίους εἴκοσι καὶ ἑκατόν ἐστι. Τείνει δ' ἐς τὴν Προποντί- δα ὁ Βόσπορος· ἡ δὲ Προποντὶς, ἐοῦσα εὖρος μὲν σταδίων πεντακοσίων, μῆκος δὲ τετρακοσίων καὶ χιλίων, καταδιδοῖ· ἐς τὸν Ἑλλήσποντον, ἐόντα στει- νότητι μὲν ἑπτὰ σταδίους, μῆκος δὲ τετρακοσίους Ἐκδιδοῖ δὲ ὁ Ἑλλήσποντος ἐς χάσμα πελάγεος, τὸ δὴ Αἰγαῖον καλέεται. Μεμέτρηται δὲ ταῦτα ὧ- δε. Νηῦς ἐπίπαν μάλιστα δὴ κατανύει ἐν μακρῇ ἡμέρῃ ὀργυιέας ἑπτακισμυρίας, νυκτὸς δὲ, ἑξακισ- μυρίας. Ἤδη ὦν ἐς μὲν Φᾶσιν ἀπὸ τοῦ στόματος (τοῦτο γάρ ἐστι τοῦ Πόντου μακρότατον) ἡμερέων ἐννέα πλόος ἐστὶ, καὶ νυκτῶν ὀκτώ. Αὗται ἕνδε- κα μυριάδες καὶ ἑκατὸν ὀργυιείων γίνονται. Ἐκ δὲ τῶν ὀργυιέων τουτέων στάδιοι ἑκατὸν καὶ χίλιοι καὶ μύριοί εἰσι. Ἐς δὲ Θεμίσκυραν τὴν ἐπὶ Θερ-

† Alii, ἑκατόν.

μώ-

*μώδοντι ποταμῷ ἐκ τῆς * Σινδικῆς (καὶ τοῦτο γάρ ἐστι τοῦ Πόντου εὐρύτατον) τριῶν τε ἡμερέων καὶ δύο νυκτῶν πλόος. Αὗται δὲ τρεῖς καὶ τριήκοντα μυριάδες ὀργυιέων γίνονται, στάδιοι δὲ τριηκόσιοι καὶ τρισχίλιοι.* Postea concludens ait, *Ὁ μὲν οὖν Πόντος οὗτος καὶ Βόσπορός τε καὶ Ἑλλήσποντος οὕτω τέ μοι μεμετρέαται, καὶ κατὰ τὰ εἰρημένα πεφύκασι. Longitudo Ponti est stadiorum centum, & mille, & decem millium.* (nos nostro more Latine diceremus, undecim millium & centum stadiorum) *Latitudo qua maxime patet, ducentorum stadiorum & trium millium. At pelagi istius os habet latitudinem quatuor stadiorum, longitudo vero istius oris, sive collum, quod Bosporus vocatur, ad quod Pons Darii situs fuit, est stadiorum centum & viginti: tendit vero in Propontidem Bosporus. Jam vero Propontis, habens latitudinem stadiorum quingentorum, longitudinem vero quadringentorum & mille, injicit se in Hellespontum, cujus angustiæ sunt septem stadiorum, longitudo vero quadringentoram. Infundit se vero Hellespontus in vastum Pelagus, quod Ægæum vocant. Horum autem omnium ut sumta sit dimensio, exponam. Navis fere omnino meat* LXX. *millia passuum longo die, nocte vero* LX. *millia. Itaque a faucibus Ponti usque ad Phasin (hoc est enim Ponti longissimum) novem dierum est navigatio, & octo noctium, quæ fiunt mille centum & decem millia passuum, hoc est, stadiorum undecim millia ac centum. Ex Sindica † autem ad Themiscyram, quæ est super flumen Thermodontem, (istic enim Pontus quam latissime patet) trium dierum duarumque noctium est navigatio, quæ constituunt passuum trecenta ac tria millia & trecentos. Hunc igitur in modum Pontus, ac Bosporus, & Hellespontus, a me dimensa sunt, & secundum ea, quæ dixi, situm habent.* Neque vero omittendus hic nobis operis istius auctor & Architectus Mandrocles Samius, quem virtutis ergo Darius corona aurea aliisque muneribus donavit. Ille vero postea Tabulam fecit continentem picturam Bospori, & Pontis a se exstructi, & Darii ipsius, medio folio insidentis, spectantisque exercitum transeuntem; quam ille Tabulam in Junonis Samiæ templo cum inscriptione suspendit: hoc enim volunt ista Herodoti: *Δαρεῖος δὲ μετὰ ταῦτα ἡσθεὶς τῇ σχεδίῃ τὸν ἀρχιτέκτονα αὐτῆς Μανδροκλέα τὸν Σάμιον ἐδωρήσατο· ἀπ' ὧν δὴ Μανδροκλέης ἀπαρχὴν ζωαγραφάμενος πᾶσαν τὴν ζεῦξιν τοῦ Βοσπόρου, καὶ Βασιλέα Δαρεῖον ἐν προεδρίῃ κατήμενον, καὶ τὸν στρατὸν αὐτοῦ διαβαίνοντα, ἀνέθηκε ἐς τὸ Ἡραιον ἐπιγραψάμενος τάδε:*

ΒΟΣΠΟΡΟΝ ΙΧΘΥΟΕΝΤΑ ΓΕΦΥΡΩΣΑΣ ΑΝΕΘΗΚΕ
ΜΑΝΔΡΟΚΛΕΗΣ ΗΡΗ ΜΝΗΜΟΣΥΝΟΝ ΣΧΕΔΙΗΣ.
ΑΥΤΩ ΜΕΝ ΣΤΕΦΑΝΟΝ ΠΕΡΙΘΕΙΣ ΣΑΜΙΟΙΣΙ ΔΕ ΚΥΔΟΣ.

Quæ nos sic Latine reddidimus: *Darius postea delectatus Ponte, Architectum ejus Mandroclen Samium remuneratus est. Ex quibus muneribus Mandrocles primitias sacravit, Tabulamque depictam* (male transtulit Interpres illud ζωαγραφάμενος PICTIS ANIMALIBUS EFFINGENS) *continentem commissionem Bospori, & Regem Darium in solio sedentem, exercitumque ipsius transeuntem, in templo Junonis appendit, cum hoc Epigrammate,*

* Vitiose legitur in editis Græcis codicibus. Ινδικῆς.

† Male scriptum in Latino *Scythica*.

PISCOSUM RATE QUI COMMISIT BOSPORON, ISTAM
JUNONI APPENDIT MNEMOSYNON TABULAM
MANDROCLES, SAMIIS HONOR UNDE, IPSIQUE CORONA.

Copiæ Darii continebant septingenta hominum millia cum equitatu, præter classem navium sexcentarum. Ipse sibi, ad interiora Thraciæ progressus, hoc monumentum posuit, in ripa Teari amnis, ubi is ex XXXIX. fontibus oritur, TEARI AMNIS CAPITA OPTIMAM AQUAM ATQUE PULCHERRIMAM CUNCTORUM AMNIUM PRÆBENT, ET AD EA PERVENIT EXERCITUM DUCENS ADVERSUS SCYTHAS VIR OPTIMUS IDEMQUE OMNIUM HOMINUM PULCHERRIMUS DARIUS HYSTASPIS FILIUS, PERSARUM CUNTÆQUE CONTINENTIS REX. Sed Darium istum Scythæ turpi submovere fuga, ut loquitur Justinus. Ipse cum Græcis infeliciter congressus, dum bellum restaurat, in ipso apparatu decessit, ubi Themistoclis virtus emicuit. Plinius lib. IV. *Hist. Naturalis* cap. 12. *Angustiæ appellantur Thracius Bosporus, latitudine* D. *passuum, qua Darius pater Xerxis copias ponte transvexit.* Sed calculus Plinianus a calculo Herodoti manifeste recedit: nam quingenti passus non efficiunt nisi quatuor stadia, quum Herodotus ei tribuat stadia septem, hoc est, passus MCCCLXX.

CAP. III.

Pons Xerxis ad Hellespontum, inter Abydum Asiæ & Sestum Europæ, quum Græcos bello peteret.

XERXES, Dario prognatus, cœptum adversus Græciam a patre bellum per quinquennium instruxit. Hominum DCC millia de regno armaverat, & CCC. millia de auxiliis; naves quoque decies centum millia numero habuisse dicitur, inque iis MCC. rostratas, onerarias ter mille. Sed tanto agmini Dux defuit. Pontes non ad Bosporum, sed ad Hellespontum structi fuere duo, inter Sestum & Abydum; qui dum struuntur, ipse ad Sardeis cum exercitu morari voluit. De Ponte illo sic Plin. lib. IV. *Hist. Nat.* c. XII. *Primas angustias Hellespontum vocant. Hac Xerxes Persarum Rex, constrato e navibus Ponte, duxit exercitum.* Unum fuisse credidit Plinius, estque ea recepta in vulgus opinio; sed nos ex Herodoto statim intelligemus, fuisse Pontes duos. De Freti latitudine non convenit; sunt qui idem esse dicant cum Bosporo, alii septem stadiis illud finiunt, alii quingentis passibus. Plinius *lib.* IV. *cap.* XI. *Hellespontus, septem stadiis Europam ab Asia dividens, quatuor illic inter se conterminas urbes habet; in Europa Callipolim & Seston, in Asia Lampsacum & Abydum.* Hodie vocant *Dardanelli*. Lucanus Fretum istud Bosporano scribit esse angustius *lib.* IX. vers. 957.

Non Asiam brevioris aquæ disterminat usquam
Fluctus ab Europa, quamvis Byzantius arcto
Pontus, & ostriferam dirimat Chalcedona cursu.
Euxinumque ferens parvo ruat ore Propontis.

Tantum vero abest, ut istius Regis in Freto structuras cum nostri Regis MOLIBUS velim componere, ut illius quidem inceptionem stolidam, laborem furiosum, exitum funestum fuisse statuam; quum in AGGERE & MOLIBUS

Regis nostri cuncta sint prudentiæ & modestiæ plena. Præterea Rex noster in consiliis, in labore, in expeditionibus semper primus; cuncta ipse per se obire, confusa disponere, vacillantia firmare, mœstos erigere, præmiis pœnisque bonos & malos in officio continere, denique Imperatoris, Ducis, Senatoris, &, quod mirum videatur, militis interdum partibus defungi; nisi quod in consiliis plerumque Illustrissimum Cardinalem, in castris dirigendis Marilliacum, in cæteris Schonbergium & Bassonpetram adhibere solet; omnibus vero in rebus GUASTONEM Aurelianensium Ducem, non tam natura & oris lineamentis, quam voluntate & adfectu fratrem, alterumque Galliæ columen: quum Xerxes contra, *primus in fuga, postremus*) verba sunt Justini) *in pugna semper visus sit: in periculis timidus, sicubi metus abesset, inflatus: ante experimentum belli, fiducia virium, veluti naturæ ipsius dominus*, in ipso bello, trepidus, &, ut verbo dicam, lepus galeatus. Pontium Xerxis structuram sic exsequitur Herodotus *lib.* VII. qui inscribitur *Polymnia*: Μετὰ δὲ ταῦτα παρεσκευάζετο ὡς ἐλῶν ἐς Ἄβυδον· οἱ δὲ ἐν τούτῳ τὸν Ἑλλήσποντον ἐζεύγνυσαν ἐκ τῆς Ἀσίης ἐς τὴν Εὐρώπην. Ἔστι δὲ τῆς Χερσονήσου τῆς ἐν Ἑλλησπόντῳ, Σηστοῦ τε πόλεος μεταξὺ τε καὶ Μαδύτου, ἀκτὴ παχέα ἐς θάλασσαν κατήκουσα, Ἀβύδῳ καταντίον....... Ἐς ταύτην ὦν τὴν ἀκτὴν ἐξ Ἀβύδου ὁρμεώμενοι ἐγεφύρουν τοῖσι προσέκειτο· τὴν μὲν λευκόλινον Φοίνικες, τὴν δ᾽ ἑτέρην τὴν βυβλίνην Αἰγύπτιοι. Ἔστι δὲ ἑπτὰ στάδια ἐξ Ἀβύδου ἐς τὴν ἀπαντίον. Καὶ δὴ ἐζευγμένου τοῦ πόρου. ἐπιγενόμενος χειμὼν μέγας συνέκοψέ τε ἐκεῖνα πάντα καὶ διέλυσε. Ὡς δ᾽ ἐπύθετο Ξέρξης, δεινὰ ποιεύμενος, τὸν Ἑλλήσποντον ἐκέλευσε τριηκοσίας ἐπικέσθαι μάστιγι πληγὰς, καὶ κατεῖναι ἐς τὸ πέλαγος πεδέων ζεῦγος. Ἤδη δὲ ἤκουσα, ὡς καὶ στιγέας ἅμα τούτοισι ἀπέπεμψε στίξοντας τὸν Ἑλλήσποντον. Ἐνετέλλετο δὴ ὦν ῥαπίζοντας, λέγειν βάρβαρά τε καὶ ἐπίθαλα, Ὦ πικρὸν ὕδωρ καὶ ἁλμυρὸν, δεσπότης τοι δίκην ἐπιτιθεῖ τήνδε, ὅτι μιν ἠδίκησας, οὐδὲν πρὸς ἐκείνου ἄδικον παθόν. Καὶ βασιλεὺς μὲν Ξέρξης διαβήσεταί σε, ἤν τε σύ γε βούλῃ, ἤν τε μή· σοὶ δὲ κατὰ δίκην ἄρα ὡς οὐδεὶς ἀνθρώπων θύει, ὡς ἐόντι καὶ δολερῷ τε καὶ ἁλμυρῷ ποταμῷ. Τήν τε δὴ θάλασσαν ἐνετέλλετο τούτοισι ζημιοῦν, καὶ τῶν ἐπεστεώτων τῇ ζεύξει τοῦ Ἑλλησπόντου ἀποταμεῖν τὰς κεφαλάς. Καὶ οἱ μὲν ταῦτα ἐποίεον, τοῖσι προσέκειτο αὕτη ἡ ἄχαρις τιμὴ, τὰς δὲ ἄλλοι ἀρχιτέκτονες ἄλλας ἐζεύγνυσαν. Ἐζεύγνυσαν δὲ ὧδε. Πεντηκοντέρους καὶ τριήρεας συνθέντες, ὑπὸ μὲν τὴν πρὸς τοῦ Εὐξείνου Πόντου, ἑξήκοντά τε καὶ τριηκοσίας, τοῦ μὲν Πόντου ἐπικαρσίας, τοῦ δὲ Ἑλλησπόντου κατὰ ῥόον, ἵνα ἀνακωχεύῃ τὸν τόνον τῶν ὅπλων. Συνθέντες δὲ ἀγκύρας κατῆκαν περιμήκεας, τὰς μὲν πρὸς τοῦ Πόντου τῆς ἑτέρης, τῶν ἀνέμων εἵνεκα τῶν ἔσωθεν παμπνεόντων· τῆς δὲ ἑτέρης τῆς πρὸς ἑσπέρης τε καὶ τοῦ Αἰγαίου, Εὔρου τε καὶ Νότου εἵνεκα. Διέκπλοον δὲ ὑπόφαυσιν κατέλιπον τῶν πεντηκοντέρων, καὶ τριχοῦ, ἵνα καὶ ἐς τὸν Πόντον ἔχῃ ὁ βουλόμενος πλέειν πλοίοισι λεπτοῖσι, καὶ ἐκ τοῦ Πόντου ἔξω. Ταῦτα δὲ ποιήσαντες, κατέτεινον ἐκ γῆς, στρεβλοῦντες ὄνοισι ξυλίνοισι τὰ ὅπλα· οὐκέτι χωρὶς ἑκάτερα τάξαντες, ἀλλὰ δύο μὲν λευκολίνου δασάμενοι ἐς ἑκατέρην, τέσσερα δὲ τῶν βυβλίνων. Παχύτης μὲν ἦν αὐτὴ καὶ καλλονή. Κατὰ λόγον δὲ ἦν ἐμβριθέστερα τὰ λίνεα, τοῦ τάλαντον ὁ πῆχυς εἷλκε. Ἐπεὶ δὲ ἐγεφυρώθη ὁ πόρος, κορμοὺς ξύλων καταπρίσαντες, καὶ ποιήσαντες ἴσους τῆς σχεδίης τῷ εὔρεϊ. κόσμῳ ἐπετίθεσαν κατύπερθε τῶν ὅπλων τοῦ τόνου. Θέντες δὲ ἐπεξῆς, ἐνταῦθα αὖτις ἐπεζεύγνυον. Ποιήσαντες δὲ ταῦτα, ὕλην ἐπεφόρησαν· κόσμῳ δὲ θέντες καὶ τὴν ὕλην, γῆν ἐπεφόρησαν· καταναξαντες δὲ καὶ τὴν γῆν, φραγμὸν παρείρυσαν ἔνθεν καὶ ἔνθεν, ἵνα μὴ φοβέηται τὰ ὑποζύγια τὴν θάλασσαν ὑπερορῶντα, καὶ οἱ ἵπποι. Ὡς δὲ τά τε τῶν γεφυρέων κατεσκεύαστο, καὶ τὰ περὶ τὸν Ἄθων, οἵ τε χυτοὶ περὶ τὰ στόματα τῆς διώρυχος, οἳ τῆς ῥηχίης εἵνεκεν ἐποιήθησαν, ἵνα μὴ ἐμπιπλῆται τὰ στόματα τοῦ ὀρύγματος, καὶ αὐτὴ ἡ διῶρυξ παντελέως πεποιημένη ἀγγέλλετο, ἐνταῦθα χειμερίσας, ἅμα τῷ ἔαρι παρασκευασάμενος ὁ στρατὸς, ἐκ τῶν Σαρδίων ὡρμᾶτο, ἐλῶν ἐς Ἄβυδον. Et postea: Ὡς δ᾽ ἐπανέτελλε ὁ ἥλιος, σπένδων ἐκ χρυσέης φιάλης Ξέρξης ἐς τὴν θάλασσαν, εὔχετο πρὸς τὸν ἥλιον, μηδεμίην οἱ συντυχίην τοιαύτην γενέσθαι, ἥ μιν παύσει καταστρέψασθαι τὴν Εὐρώπην πρότερον ἢ ἐπὶ τέρμασι τοῖσι ἐκείνης γένηται. Εὐξάμενος δὲ, ἐσέβαλλε τὴν φιάλην ἐς τὸν Ἑλλήσποντον, καὶ χρύσεον κρητῆρα, καὶ Περσικὸν ξίφος, τὸ ἀκινάκην καλέουσι ..... Ὡς δὲ ταῦτά οἱ ἐπεποίητο, διέβαινον κατὰ μὲν τὴν ἑτέρην τῶν γεφυρέων τὴν πρὸς τοῦ Πόντου, ὁ πεζός τε καὶ ἡ ἵππος ἅπασα· κατὰ δὲ τὴν πρὸς τὸ Αἰγαῖον, τὰ ὑποζύγια, καὶ ἡ θεραπηΐη. Et post modicum intervallum: Διέβη δὲ ὁ στρατὸς αὐτοῦ ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσι, καὶ ἐν ἑπτὰ εὐφρόνῃσι, ἐλινύσας οὐδένα χρόνον. „ Secundum hæc apparabat se Xerxes tanquam Abydum profecturus, quum interea ii, quibus negotium hoc datum erat, Hellespontum ex Asia in Europam jungerent. Est autem Chersonesi in Hellesponto Sestum inter & Madytum urbes, ora omnis salebrosa, quæ in mare procurrit e regione Abydi. Ad hanc oram ex Abydo struere Pontes inchoavere ii, quibus id negotii injunctum fuit. Phœnices quidem eum fecere qui erat ex lino albo, alterum vero byblinum Ægyptii. Est autem ad ulteriorem continentem ex Abydo trajectus septem stadiorum: (*convenit numerus cum calculo Pliniano*) sed jam trajectu constructo, ingens orta tempestas omnia illa disrupit ac dissolvit. Quum vero ad Xerxem id perlatum esset, ille indignatus, jussit CCC. Hellesponto plagas infligi, & in ejus pelagus par compedum demitti. Sunt qui ferunt, misisse ipsum qui præter plagas etiam stigmata Hellesponto inurerent. Hoc constat, eum colaphos Hellesponto dari mandavisse, & præcepisse, ut hæc verba barbara & vesana ipsi dicerentur, O amara aqua, & salsa, Dominus hanc tibi pœnam irrogat, quia nihil de te male meritum prior læsisti: at te Xerxes, velis, nolis, transmittet: merito autem nemo tibi mortalium sacra facit, utpote doloso pariter & amaro amni. Hoc supplicio Xerxes adfecit mare; præpositis vero fabricæ capita præcidi jussit. Ac Pontes quidem illos ita fecerunt ii quibus tam ingrata fuerat proposita merces: sed alios alii postea architecti exstruxerunt. Junxerunt vero sic. Biremes triremesque versus Euxinum Pontum composuerunt trecentas sexaginta, item ab altero latere trecentas quatuordecim, Ponto quidem transversas, Hellesponto autem secundum defluxum, ut stabilirentur funes armamentorum. Quibus compositis, prægrandes ancoras demiserunt, partim ab hoc latere contra Pontum, ob ventos intrinsecus spirantes, partim ab altero contra vesperum & Ægæum, Euri & Austri causa; relicto ad auroram tribus in locis inter biremes transitu, ut qui vellet, in Pontum, minoribus navigiis, & ex Ponto commeare posset. His peractis, contenderunt a terra, contorquentes machinis ligneis, non jam separatim utraque; sed bina ex albo lino hinc, quaterna ex byblino illinc. Crassities ergo hæc erat, & species. Proportione autem erant linea robustiora, quorum cubitus talentum pendebat. Postquam vero Pontibus trajectus clausus erat, caudices lignorum fissos, & ad latitudinem ratis adæquatos apte instraverunt super armamenta intenta. Hos vero ubi gradatim disposuerunt, tum vero iterum desuper innexue-

A
„ runt. Quo facto attulerunt etiam materiam eam-
„ que concinne collocaverunt; & super materiam
„ aggerem composuerunt: & postea hinc atque il-
„ linc prætenderunt sepem, ne adspectu maris
„ jumenta & equi terrerentur. Perfectis autem iis
„ quæ ad pontes pertinebant, quæque ad Atho-
„ nem, emissariis scilicet ad fauces fossæ munitis
„ propter æstuaria maris, ne ipsæ fauces alvei ob-
„ struerentur, Xerxes, nunciato sibi alveo pror-
„ sus absoluto, movit ineunte Vere cum exercitu
„ instructo Sardibus, ubi hibernaverat, venitque
„ Abydum. *Et post justum intervallum*: Sole au-
„ tem orto, Xerxes libans ex aurea phiala in mare,
„ vota Soli concepit, ne quid sibi adversi contin-
„ geret, neque prius desisteret Europam subigere
„ quam ad illius fines pervenisset. Finito voto,
„ phialam abjecit in Hellespontum, cum cratere
„ & gladio Persico, quem acinacem vocant......
„ His ita actis, per alterum Pontium, qui verge-
„ bat in Pontum, peditatus omnis equitatusque
„ transivit, per alterum vero, qui vergebat in Æ-
„ gæum, jumenta & servitia. *Et paulo post*: Tran-
„ sivit autem ejus exercitus per septem dies toti-
„ demque noctes, nullo tempore intermisso. Ha-
ctenus Herodotus. Virgilius in *Culice*:

Non perfossus Athos, nec magno vincula Ponto
Jacta, meo quærent jam sera volumina famam,
Non Hellespontus pedibus pulsatus equorum,
Græcia quum timuit venientes undique Persas.

C

Mela *lib. II. cap. 2. Est & Abydo objacens in Thracia Sestos, Leandri amore pernobilis: Est & regio in qua Persarum exercitus, divisas Hellesponti pelago terras, ausus pontibus jungere, (mirum atque ingens facinus) ex Asia in Græciam pedes, non navigata maria* (lege, *non navigato mari*) *transgressus est.*

D

Panegyristes *Oratione ad Maximian. Aug. Xerxes, ut audio, Persarum Rex potentissimus, pedicas jecit aureas in profundum, Neptunum se dictitans alligare, qui fluctibus ferociret. Stulta ille jactantia & sacrilega vanitate.* Juvenalis *Satyra* X. verf. 173.

——— creditur olim
Velificatus Athos, & quicquid Græcia mendax
Audet in historia: constratum classibus iisdem
Suppositumque rotis solidum mare. Credimus altos
*Defecisse * amnes, epotaque flumina, Medo*
Prandente, & madidis cantat quæ Sostratus alis.
Ille tamen, qualis rediit Salamine relicta,
In Corum atque Eurum solitus sævire flagellis
Barbarus? Æolio nunquam hoc in carcere passos,
Ipsum compedibus qui vinxerat Ennosigæum.
(Mitius id sane, quod non & stigmate dignum
Credidit: huic quisquam vellet servire Deorum?)
Sed qualis rediit? nempe una nave, cruentis
Fluctibus, ac tarda per densa cadavera prora.

E

F

Seneca *de Constantia sapientis* cap. IV. *Quid tu putas, quum stolidus ille Rex multitudine telorum diem obscurasset, ullam sagittam in Solem incidisse? aut demissis in profundum catenis, Neptunum potuisse contigi?*

Sidonius Apollinaris *carmine* V. in descriptione exercitus navalis Aethii:

* Scamandrum, Melam, Onochorum, Lissum.

Sallen. Tom. II.

——— non tantis major Atrides
Carpathium texit ratibus, quum Doricus hostis
Sigæas rapturus opes Rheteia clausit
Pergama; nec tantæ Seston juncturus Abydo
Xerxes classis erat, tumidos quum sterneret undas,
Et Pontum sub ponte daret, quum stagna superbo
Irrupit temerata gradu, turmæque frequentes
Hellespontiaco persultavere profundo.

B

Similia leges apud Æmilium Probum in *Themistocle*, Orosium *lib. II. cap.* 10. Diodorum Siculum *lib.* XI. Isocratem in *Panathenaico*.

CAP. IV.

Agger Alexandri Magni ad Tyrum, quum tenderet in Orientem.

SEQUITUR AGGER ALEXANDRI AD TYRUM, quo nullum opus ad Regias Moles Portui Rupellano injectas propius accedit. Nam ut omittam urbes ipsas, & earum nominis appellationisque similitudinem, (quid aliud enim est צור SOR, unde Græci, addita suæ Linguæ terminatione, fecerunt ΤΥΡΟΣ, Tyrus; Celtæ inversis litteris ROTS, ex quo fluxit Gallicum Roc, & per diminutionem ROCHELLE, quam Saxum, Petra, Rupes? ut si quis Rupellam Hebraice aut Punice velit exprimere, cogatur dicere SOR; aut si Tyrum quis velit Gallice efferre, necesse habeat dicere Rupellam) sed ut hoc omittam, quam multa occurrunt alia consideratione digna? Utrobique mare; utrobique magnus & juvenis adhuc Rex; utrobique tempestas impediens conatus Regum, & moles jactas disjiciens; utrobique externi auxilii spes; par utrobique obsidentium & obsessorum animus, & obstinatio; pares in impediendo ac disrumpendo AGGERE conatus; par denique eventus; nisi quod Regis nostri arma eo sunt Alexandri armis justiora, quod ei cum civibus suis rebellibus ac refractariis res fuit; Alexandro vero cum urbe libera, quæque nulla, vel naturæ vel gentium lege ipsi erat obnoxia. Itaque quod in Tyriis fortitudo fuit, & amor patriæ, id in Rupellanis fuit defectio, perfidia, contumacia, rebellio, & impia in Regem suum patriamque conjuratio. Adde, quod quemadmodum Carthaginenses, Tyriorum coloni, urbem suam matricem juvare conati sunt adversus Alexandrum; sic Angli Rupellanos adversus Regem suum; sed illi hoc fecerunt pie, isti perfidiose & impie; augetque perfidiam, quod statim post contractam cum Rege affinitatem, quæ pacis mutuæque benivolentiæ arrha inter Principes etiam barbaros esse solet, non sunt veriti impia arma capere, & Rupellanos adversus Regem optimum concitare. Neque omittenda est nobis illa quoque similitudo, quod quemadmodum Carthaginienses ad humanas victimas rebus desperatis confugerunt; ita Rupellani, urgente fame, humanas carnes (horresco referens) devoraverunt, quumque in Regis clementia tutum possent habere perfugium, maluerunt, impiæ Calvini Religionis acti Furiis, ea committere, quæ Solis ipsius radios obtundunt, cursumque avertunt,

Tantum Relligio potuit suadere malorum!

Neque vero Religionem Calvini quum dico, ea intelligo, quæ ipse a nobis habet, Verbum Dei, Symbolum Fidei, Baptismum; sed quæ ille facta a nobis secessione invexit, partim resectis doctrinæ

& veræ pietatis capitibus, partim additis iis, quæ ipſam ſalutis doctrinam & pietatis ſtudium ſubvertunt. Miſeri ergo mortales, Religione iſta nova & impia dementati, extrema omnia odio veritatis fecerunt & paſſi ſunt; neque ullum eſt nefas, tam immane cogitatu, tam dirum dictu, tam factu aſperum, quod non illi ſibi permiſerint. Magnam habet Religio ad animos incitandos vim, magnum robur; & qui ſemel pro ea aliquid paſſi ſunt, putant ſibi quidvis poſtea eſſe perferendum: Calvini vero dogmata etiam ad evertenda imperia videntur eſſe facta & comparata. Notatum quippe eſt a viris prudentibus, in quaſcumque urbes peſtis iſta ſemel irrepſit, protinus eam cuncta ſubvertiſſe, & cum priſcæ, & avitæ, & Apoſtolicæ Religionis exſtirpatione, ipſam quoque Rerumpublicarum faciem immutaſſe. Si ejus ſectatores conſulas, dicent, ſe veros eſſe Dei filios, nos ſpurios & hybridas. Suas eſſe promiſſiones, ſua fœdera, ſuum cælum & terras, ipſumque Deum: nos allophylos, & injuſtos rerum quas habemus uſurpatores: Deo ſe adeo arcte junctos, ut nullis unquam flagitiis poſſint ipſius gratia excidere: nos autem rident, qui ſpes noſtras metu temperamus, & ſublata præfidentia, ſtudemus adhuc ſalutem noſtram operari in timore & tremore. Quin & tam juſtos ſe eſſe ajunt, ac ſi omnem illam juſtitiam, quam pro nobis Chriſtus toto vitæ ſuæ tempore ac potiſſimum moriendo præſtitit, ipſi perfecte præſtitiſſent. Et quia Chriſtus Legi ſatisfecit, negant ullam ſibi Legem eſſe poſitam, aut ullam conditionem a ſe exigi, qua præſtita ſalvari poſſint, ſed vitam æternam ita ſibi connexam eſſe credunt, ut neque bonis operibus ea procurari poſſit, neque malis averti. His tam ſtolidis opinionibus in furorem acti Rupellenſes, quid mirum eſt, ſi in ſua illa pervicacia ad mortem uſque perſtiterunt, animati præcipue a Corybantibus, quos ipſi Miniſtros vocant? impulſi adactique ab urbis Dictatore, cujus intererat, habere & ſupplicii & ſceleris ſocios quamplurimos? Hiſce obſervationibus præmuniti, audiamus nunc Q. Curtium, quo nemo exactius Tyri obſidium & AGGERIS totius exſtructionem deſcripſit: ſed ita audiamus, ut identidem animum convertamus ad Rupellam. Dictio Q. Curtii eſt pura, ſimplex, inaffectata: in AGGERIS vero deſcriptione ita inſuper florida, ut inter prima eloquentiæ Romanæ exempla locus iſte ponendus ſit. Auctor ſim iis qui ad veram Eloquentiam adſpirant, ut totum locum ediſcant. Sic ergo ille *: „ Jam tota Syria, jam Phœnice quoque, excepta Tyro, Macedonum erant, habebatque Rex caſtra in continenti, a quo urbem anguſtum fretum dirimit. TYRUS & claritate & magnitudine ante omnes urbes Syriæ Phœniciæque memorabilis, facilius ſocietatem Alexandri acceptura videbatur, quam imperium. Coronam igitur auream Legati donum adferebant, commeatuſque large & hoſpitaliter ex oppido adduxerant. Ille dona, ut ab amicis, accipi juſſit; benigneque Legatos alloquutus, Herculi, quem præcipue Tyrii colerent, ſacrificare ſe velle dixit. Macedonum Reges credere, ab illo deo ipſos originem ducere; ſe vero etiam ut id faceret, oraculo monitum. Legati reſpondent, eſſe templum Herculis extra urbem, in ea ſede quam Palæ-Tyron ipſi vocant: ibi Regem deo ſacrum rite facturum. Non tenuit iram Alexander, cujus alioquin potens non erat. Itaque, Vos quidem, inquit, fiducia loci, quod Inſulam colitis pedeſtrem, hunc exercitum ſpernitis: ſed brevi oſtendam, in continenti vos eſſe. Proinde ſciatis licet, aut intraturum me urbem, aut oppugnaturum. Cum hoc reſponſo dimiſſos, monere amici cœperunt, ut Regem, quem Syria, quem Phœnice recepiſſet, ipſi quoque urbem intrare paterentur. At illi, loco ſatis fiſi, obſidionem ferre decreverunt; namque urbem a continenti quatuor ſtadiorum fretum dividit, Africo maxime objectum mare, crebros ex alto fluctus in littus evolvit: nec accipiendo operi, quo Macedones continenti jungere Inſulam parabant, quicquam magis quam ille ventus obſtabat: quippe vix leni & tranquillo mari moles agi poſſunt: Africus vero prima quæque congeſta pulſu illiſa maris ſubruit: nec ulla tam firma moles eſt, quam non exedant undæ per enixus * operum manantes, & ubi acrior flatus exſtitit, ſummi operis faſtigio ſuperfuſæ. Præter hanc difficultatem haud minor alia erat; Muros turreſque urbis præaltum mare ambiebat; non tormenta, niſi e navibus procul excuſſa, mitti; non ſcalæ mœnibus applicari poterant: præceps in ſalum murus pedeſtre interceperat iter. Naves non habebat Rex, &, ſi admoviſſet, pendentes & inſtabiles, miſſilibus arceri poterant. Inter quæ, haud parva dictu res Tyriorum fiduciam accendit. Carthaginenſium Legati ad celebrandum ſacrum anniverſarium more patrio tunc venerant; quippe Carthaginem Tyrii condiderunt, ſemper parentum loco culti. Hortari ergo Pœni cœperunt, ut obſidionem forti animo paterentur, brevi Carthagine auxilia adfutura: namque ea tempeſtate magna ex parte Punicis claſſibus maria obſidebantur. Igitur bello decreto, per muros turreſque tormenta diſponunt, arma junioribus dividunt, opifices, quorum copia abundabant, in officinas diſtribuunt. Omnia belli apparatu ſtrepunt; ferreæ quoque manus, harpagonas vocant, quos operibus hoſtium injicerent, corvique, & alia tuendis urbibus excogitata, præparabantur. Sed quum fornacibus ferrum, quod cudi oportebat, impoſitum eſset, admotiſque follibus ignis flammam accenderent, ſanguinis rivi ſub ipſis flammis exſtitiſse dicuntur, idque omen in Macedonum metum verterunt Tyrii. Apud Macedonas quoque quum forte panem quidam Macedonum frangerent, manantes ſanguinis guttas notaverunt, territoque Rege, Ariſtander, peritiſſimus vatum, reſpondit, ſi extrinſecus cruor fluxiſset, Macedonibus id triſte futurum; contra, cum interiore parte manaverit, urbi, quam obſidere deſtinaſſent, exitium portendere. Alexander, quum & claſsem procul haberet, & longam obſidionem magno ſibi ad cætera impedimento videret fore, Caduceatores, qui ad pacem eos compellerent, miſit: quos Tyrii contra jus gentium occiſos præcipitaverunt in altum. Atque ille ſuorum tam indigna morte commotus, urbem obſidere ſtatuit. Sed ante facienda MOLES erat, quæ urbem continenti committeret. Ingens ergo animis militum deſperatio inceſſit, cernentium profundum mare, quod vix divina ope poſset impleri. Quæ ſaxa tam vaſta? quas tam proceras arbores poſse reperiri? Exhauriendas eſse regiones, ut illud ſpatium aggeraretur. Exæſtuare ſemper fretum, quoque arctius volutetur inter Inſulam & continentem, hoc acrius furere. At ille haudquaquam rudis tractandi militares animos, ſpeciem ſibi Herculis in ſomno oblatam eſse pronuntiat, dexteram porrigentis; illo duce, illo aperiente, in urbem intrare ſe viſum. Inter hæc, Caduceatores interfectos, gentium jura violata referebat. Unam eſse urbem, quæ curſum victoris morari auſa eſſet. Ducibus deinde negotium datur, ut ſuos quiſ-

* Lib. 4. cap. 2.

*Alii, *nexus*.

que castiget: satisque omnibus stimulatis, opus orsus est. Magna vis saxorum ad manum erat e Tyro vetere: materies ex Libano monte ratibus & turribus faciendis vehebatur. Jamque a fundo maris in altitudinem modicam opus excreverat, nondum tamen aquæ fastigium æquabat; & quo longius MOLES agebatur a littore, hoc magis, quicquid ingerebatur, præaltum absorbebat mare; quum Tyrii parvis navibus admotis, per ludibrium exprobrabant, Illos armis inclytos, dorso, sicut jumenta, onera gestare. Interrogabant etiam, num major Neptuno esset Alexander? Hæc ipsa insectatio alacritatem militum accendit. Jamque paulum moles aquam eminebat, & simul AGGERIS latitudo crescebat, urbique admovebatur; quum Tyrii, magnitudine MOLIS, cujus incrementum eos ante fefellerat, conspecta, levibus navigiis nondum commissum opus circuire cœperunt: missilibus eos quoque, qui pro opere stabant, incessere. Multis ergo impune vulneratis, quum & removere & appellere scaphas in expedito esset, ad curam semetipsos tuendi ab opere se converterunt. Igitur Rex munientibus coria velaque jussit obtendi, ut extra teli jactum essent, duasque turres ex capite MOLIS erexit, e quibus in subeuntes scaphas tela ingeri possent. Contra Tyrii navigia procul a conspectu hostium littori appellunt, expositisque militibus, eos qui saxa gestabant, obtruncant. In Libano quoque Arabum agrestes incompositos Macedonas adorti, triginta fere interficiunt, paucioribus captis. Ea res Alexandrum dividere copias coegit: &, ne segniter adsidere uni urbi videretur, operi Perdiccam Crateronque præfecit: ipse cum expedita manu Arabiam petiit. Inter hæc Tyrii navem magnitudine eximia, saxis arenaque a puppi oneratam, ita ut multum prora emineret, bitumine ac sulphure illitam, remis concitaverunt: ea quum magnam vim venti vela quoque concepissent, celeriter ad MOLEM successit: tunc prora ejus accensa, remiges desiluere in scaphas, quæ ad hoc ipsum præparatæ sequebantur: navis autem igne concepto latius fundere incendium cœpit: quod, priusquam posset occurri, turres & cætera opera in capite MOLIS posita comprehendit. At qui desiluerant in parva navigia, faces, & quicquid alendo igni aptum erat, in eadem opera ingerunt. Jamque non modo Macedonum turres, sed etiam summa tabulata conceperant ignem, quum ii, qui in turribus erant, partim haurirentur incendio, partim armis omissis, in mare semetipsos immitterent. At Tyrii, qui capere eos quam interficere mallent, natantium manus stipitibus saxisque lacerabant, donec debilitati impune navigiis excipi possent. Nec incendio solum opera consumta, sed forte eodem die vehementior ventus motum ex profundo mare illisit in MOLEM, crebrisque fluctibus compages operis verberatæ se laxavere, saxaque interluens unda medium opus rupit. Prorutis igitur lapidum cumulis, quibus injecta terra sustinebatur, præceps in profundum ruit; tantæque MOLIS vix ulla vestigia invenit ab Arabia rediens Alexander. Hic, quod in adversis rebus solet fieri, alius in alium culpam conferebant, quum omnes verius de sævitia maris queri possent. Rex, novi operis MOLEM orsus, in adversum ventum non latere, sed recta fronte direxit. Ea cætera opera, velut sub ipsa latentia, tuebatur: latitudinem quoque AGGERI adjecit, ut turres in medium excitatæ procul teli jactu abessent. Totas autem arbores cum ingentibus ramis in altum jaciebant, deinde saxis onerabant, rursusque cumulo eorum alias arbores injiciebant:

A tum humus adgerebatur; super quæ alia strue saxorum arborumque cumulata, velut quodam nexu continens opus junxerant. Nec Tyrii quicquid ad impediendam MOLEM excogitare poterant, segniter exsequebantur. Præcipuum auxilium erat, qui procul hostium conspectu subibant aquam, occultoque lapsu ad MOLEM usque penetrabant, falcibus palmites arborum eminentium ad se trahentes, quæ ubi secutæ, pleraque secum in profundum dabant; tum levatos onere stipites truncosque arborum haud ægre moliebantur: deinde totum opus, quod stipitibus fuerat innixum, fundamento lapso sequebatur.

B Ægro animi Alexandro, nec, perseveraret, an abiret, satis certo, classis Cypro advenit: eodemque tempore Cleander cum Græcis militibus in Asiam nuper advectis, centum & nonaginta navium classem in duo dividit cornua: lævum Pythagoras Rex Cypriorum cum Cratero tuebatur: Alexandrum in dextro quinqueremis Regia vehebat. Nec Tyrii, quamvis classem habebant, ausi navale inire certamen. Tres omnino naves ante ipsa mœnia opposuerunt, quibus Rex invectus, ipsas demersit. Postera die ad mœnia classe admota, undique tormentis & maxime Arietum pulsu muros quatit; quos Tyrii raptim

C obstructis saxis refecerunt: interiorem quoque murum, ut si prior defecisset, illo se tuerentur, orsi. Sed undique vis mali urgebat: MOLES intra teli jactum erat; classis mœnia circuibat: terrestri simul navalique clade obruebantur. Quippe binas quadriremes Macedones inter se ita junxerant, ut proræ cohærerent; puppes, intervallo quantum poterant, distarent. Hoc puppium intervallum antemnis asseribusque validis deligatis, superque eo PONTIBUS stratis, qui militem sustinerent, impleverant. Sic instructas remis ad urbem agebant. Inde missilia

D in propugnantes ingerebantur tuto, quia proris miles tegebatur. Media nox erat, quum classem, sicuti dictum est, paratam circuire urbem jubet: jamque naves urbi undique admovebantur, & Tyrii desperatione torpebant, quum subito spissæ nubes intendere se cælo, & quicquid lucis internitebat, effusa caligine exstinctum est: tum inhorrescens mare paullatim levari; deinde acriori vento concitatum fluctus ciere, & inter se navigia collidere. Jamque scindi cœperant vincula, quibus connexæ quadriremes erant, ruere tabulata, & cum ingenti fragore in profundum secum milites trahere: neque enim

E conserta navigia ulla ope in turbido regi poterant: miles ministeria nautarum, remex militis officia turbabat; & quod in hujusmodi casu accidit, periti ignaris parebant. Quippe gubernatores, alias imperare soliti, tum metu mortis jussa exsequebantur. Tandem remis pertinacius everberatum mare, veluti eripientibus navigia classicis cessit; avulsaque * sunt littori lacerata pleraque. Iisdem diebus forte Carthaginiensium Legati superveniunt, magis obsessis solatium quam auxilium: quippe domestico bello Pœnos impediri, nec de imperio, sed de salute dimicare. Syracusani tum Africam urebant, & haud

F procul Carthaginis muris locaverant castra. Non tamen defecere animis Tyrii, quanquam ab ingenti spe destituti erant; sed conjuges liberosque devehendos Carthaginem tradiderunt, fortius, quicquid accideret, laturi, si charissimam sui partem extra communis periculi sortem habuissent. Quumque unus e civibus concioni indicasset, oblatam esse per somnum sibi speciem Apollinis, quem

* Alii rectius, *appulsaque*.

A „ eximia religione colerent, urbem deſerentis;
„ MOLEMQUE, a Macedonibus in ſalo jactam, in
„ ſylveſtrem ſaltum eſſe mutatam, quamquam au-
„ ctor levis erat, tamen ad deteriora credenda pro-
„ ni, aurea catena devinxere ſimulacrum, aræque
„ Herculis, cujus numini urbem dicaverant, in-
„ ſeruere vinculum, quaſi illo vinculo Apollinem
„ retenturi. Syracuſis id ſimulacrum devexerant
„ Pœni, & in majore locaverant patria, multiſque
„ aliis ſpoliis urbium a ſe captarum, non Carthagi-
„ nem magis quam Tyrum ornaverant. Sacrum
„ quoque, quod quidem Diis minime cordi eſſe
„ crediderim, multis ſæculis intermiſſum, repe-
„ tendi, auctores quidam erant, ut ingenuus puer
B „ Saturno immolaretur; quod ſacrilegium verius
„ quam ſacrum, Carthaginenſes a conditoribus
„ traditum, uſque ad excidium urbis ſuæ feciſſe
„ dicuntur: ac niſi Seniores obſtitiſſent, quorum
„ conſilio cuncta gerebantur, humanitatem dira
„ ſuperſtitio viciſſet. Cæterum efficacior omni arte
„ imminens neceſſitas, non uſitata modo præſidia,
„ ſed quædam etiam nova admovit: namque ad im-
„ plicanda navigia quæ muros ſubibant, validis aſ
„ ſeribus corvos & ferreas manus cum uncis ac fal-
„ cibus illigaverant; ut, quum tormento aſſeres
„ admoviſſent, ſubito laxatis funibus injicerent.
C „ Unci quoque & falces ex iiſdem aſſeribus depen-
„ dentes, aut propugnatores, aut ipſa navigia la-
„ cerabant. Clypeos vero æneos multo igne torre-
„ bant, quos repletos fervida arena, cœnoque de-
„ cocto, e muris ſubito devolvebant: nec ulla pe-
„ ſtis magis timebatur; quippe ubi loricam corpuſ-
„ que fervens arena penetraverat, nec ulla vi excu-
„ ti poterat, & quicquid attigerat perurebat; ja-
„ cienteſque arma, laceratis omnibus queis prote-
„ gi poterant, vulneribus multi ‡ parebant: corvi
„ vero & ferreæ manus tormentis emiſſæ pleroſque
„ capiebant *.
„ His Rex fatigatus, ſtatuerat ſoluta obſidione
D „ Ægyptum petere: quippe, quum Aſiam ingen-
„ ti celeritate percurriſſet, circa muros unius civi-
„ tatis hærebat, tot maximarum rerum opportu-
„ nitate dimiſſa. Cæterum tam diſcedere irritum,
„ quam morari pudebat. Famam quoque, qua plu-
„ ra quam armis everterat, ratus leviorem fore, ſi
„ Tyrum, quaſi teſtem ſe poſſe vinci, reliquiſſet.
„ Igitur ne quid inexpertum omitteret, plures na-
„ ves admoveri jubet, delectoſque militum impo-
„ ni. Et forte bellua inuſitatæ magnitudinis, ſuper
„ ipſos fluctus dorſo eminens, ad MOLEM, quam
„ Macedones jecerant, ingens corpus applicuit;
„ diverberatiſque fluctibus allevans ſemet, utrim-
E „ que conſpecta eſt. Deinde a capite MOLIS rurſus
„ alto ſe immerſit, ac modo ſuper undas eminens
„ magna ſui parte, modo ſuperfuſis fluctibus con-
„ dita, haud procul munimentis urbis emerſit.
„ Utriſque lætus fuit belluæ adſpectus. Macedo-
„ nes, iter faciendo † operi monſtraſſe eam augu-
„ rabantur; Tyrii, Neptunum occupati maris vin-
„ dicem abripuiſſe belluam ad MOLEM brevi profe-
„ cto ruituram: lætique omine eo ad epulas dilapſi,
„ oneravere ſe vino; quo graves, orto Sole, na-
„ vigia conſcendunt, redimita coronis floribuſque:
F „ adeo victoriæ non omen modo, ſed etiam gratu
„ lationem præceperant. Forte Rex claſſem in di-
„ verſam partem agi juſſerat, triginta minoribus
„ navigiis relictis in littore, e quibus Tyrii duobus
„ captis, cætera ingenti terruerunt metu; donec
„ ſuorum clamore audito Alexander claſſem litto-
„ ri, a quo fremitus acciderat, admovit. Prima e
„ Macedonum navibus quinqueremis, celeritate

‡ Leg. *inulti patebant*. * Alii, *rapiebant*. † Alii, *jacundo*.

„ inter cæteras eminens, occurrit; quam ut con-
„ ſpexere Tyrii, duæ e diverſo in latera ejus inve-
„ ctæ ſunt; in quarum alteram quinqueremis ea-
„ dem concitata, & ipſa roſtro acta * eſt, & il-
„ lam invicem tenuit. Jamque ea, quæ non cohæ-
„ rebat, libero impetu evecta, in aliud quinquere-
„ mis latus invehebatur; quum opportunitate mi-
„ ra triremis e claſſe Alexandri in eam ipſam, quæ
„ quinqueremi imminebat, tanta vi impulſa eſt,
„ ut Tyrius gubernator in mare excuteretur e pup-
„ pi. Plures deinde Macedonum naves ſuperveni-
„ unt, & Rex quoque aderat; quum Tyrii inhi-
„ bentes remos, ægre evellere navem quæ hærebat.
(Hic aliquid deeſt, libenter ſcripſerim ad ſupplen-
dam lacunam, „ Fugam ergo capiunt Tyrii) por-
„ tumque omnia navigia repetunt. Confeſtim Rex
„ inſequutus, portum quidem intrare non potuit,
„ quum procul e muris miſſilibus ſubmoveretur:
„ naves tamen omnes fere aut demerſit, aut cepit.
„ Biduo deinde ad quietem dato militibus, juſſiſ-
„ que & claſſem & machinas pariter admovere, &
„ undique territis inſtare, ipſe in altiſſimam turrim
„ adſcendit, ingenti animo, periculo majore: quip-
„ pe regio inſigni & armis fulgentibus conſpicuus,
„ unus præcipue telis petebatur; & digna prorſus
„ ſpectando edidit: multos e muri propugnantes
„ haſta transfixit; quoſdam etiam cominus gladio
„ clypeoque impulſos præcipitavit: quippe turris,
„ ex qua dimicabat, muris hoſtium propemodum
„ cohærebat. Jamque crebris arietibus ſaxorum
„ compage laxata, munimenta defecerant, & claſ-
„ ſis intraverat portum, & quidam Macedonum in
„ turres hoſtium deſertas evaſerant; quum Tyrii,
„ tot ſimul malis victi, alii ſupplices in templa
„ confugiunt; alii foribus ædium obſeratis occu-
„ pant liberum mortis arbitrium; nonnulli ruunt
„ in hoſtem, haud inulte tamen perituri. Magna
„ pars ſumma tectorum obtinebat, ſaxa, & quod
„ in manus ſors dederat, ingerentes ſubeuntibus.
„ Alexander, exceptis qui in templa confugerant,
„ omnes interfici ignemque tectis injici jubet. His
„ per præconem pronuntiatis, nemo tamen arma-
„ tus opem a Diis petere ſuſtinuit: pueri virgineſ-
„ que templa compleverant: viri in veſtibulo ſua-
„ rum quiſque ædium ſtabant, parata ſævientibus
„ turba. Multis tamen ſaluti fuere Sidonii, qui in-
„ tra Macedonum præſidia erant: hi urbem quidem
„ inter victores intraverant, ſed cognationis cum
„ Tyriis memores, multos Tyriorum etiam pro-
„ tegentes, ad ſua perduxere navigia; a quibus
„ occultati, Sidona vecti ſunt. Quindecim millia
„ hoc furto ſubducta ſævitiæ: quantumque ſangui-
„ nis fuſum ſit, vel ex hoc exiſtimari poteſt, quod
„ intra munimenta urbis ſex millia armatorum tru-
„ cidata ſunt. Triſte deinde ſpectaculum victoribus
„ ira præbuit Regis: duo millia, in quibus occi-
„ dendi defecerat rabies, crucibus adfixi, per in-
„ gens littoris ſpatium pependerunt. Carthagi-
„ nienſium Legatis pepercit, addita denunciatione
„ belli, quod præſentium rerum neceſſitas morare-
„ tur. Tyrus ſeptimo menſe quam oppugnari
„ cœpta erat, capta eſt: urbs, & vetuſtate origi-
„ nis, & crebra fortunæ varietate ad memoriam
„ poſteritatis inſignis: condita ab Agenore, diu
„ mare non vicinum modo, ſed quodcumque
„ claſſes ejus adierunt, ditionis ſuæ fecit: & ſi
„ famæ libet credere, hæc gens literas primo aut
„ docuit aut didicit. Coloniæ certe ejus pene
„ orbe toto diffuſæ ſunt; Carthago in Africa,
„ in Bœotia Thebæ, Gades ad Oceanum. Cre-
„ do, libero commeantes mari, ſæpiuſque adeun-
„ do cæteris incognitas terras, elegiſſe ſedes ju-

* Alii, *icta*.

„ venturi qua tunc abundabant. Atque hæc de AGGERE Alexandri, cujus ope Tyrus capta est.

In hac autem Tyriorum cum Rupellanis comparatione, præter ea quæ initio istius capitis a nobis notata sunt, illud insuper observari velim, longe esse diversam Anglorum & Carthaginiensium, obsessis suppetias venientium, rationem; nam Carthaginienses iis conati sunt succurrere, quibus originem suam debebant; at Angli, quum originem suam debeant Gallis, ausi sunt tamen se adversus Gallos armare; illi servaverunt coloniarum pietatem & jura, isti violarunt; illorum arma fuerunt pia, istorum impia: nam si patriæ arctius obstricti sumus quam parentibus nostris, magis parricida censendus erit qui matricem & communem multo rum patriam oppugnat, quam qui in parentes suos sævit. Debent autem Angli Galliæ nostræ originem suam, insulares quum sint; debent humaniorem vitæ cultum, debent litteras,

Gallia causidicos docuit facunda Britannos.

debent SS. Germano & Lupo reformationem ab hæresi Pelagii; debent nobiliorum inter se familiarum stirpes. Itaque Carthaginienses, si non suppetias Tyriis venissent, potuissent merito violatæ publicæ pietatis ac fidei, neglectique officii accusari: at Angli, quia Rupellanas viperas, in matrem suam sævientes, Regisque patriæque hostes, adjuverunt, & adversus patriam armarunt, cui ipsi Angli tot nominibus obstricti sunt, non possunt impietatis crimen omnibus Oceani ipsos circumluentis undis eluere. Enimvero, ut olim PARISII insulares in Britannia a nostris Parisiensibus in Gallia profecti sunt, quod ipsum quoque in BELGIS & ATREBATIBUS valet, quorum nomina Ptolemæus ponit in Britannia; ita posteriore ævo ex Francia in Angliam venerunt nobilissimæ familiæ, Bloys, Courtenay, Evreux, Foix, Angoulesme, Mongomery, Plessis, aliæque, quarum frequens est mentio in Historia Anglicana. Ipse ille omnium malorum dissidiorumque auctor & fomes Buckingham, quum dictus fuerit Villerius, non potest non a Gallis profectus esse. Ut jam omittam arctissimum illud vinculum matrimonii inter sororem Regiam, Henrici Magni filiam, & Carolum Regem nuper contracti, quo majus atque illustrius ne sperare quidem aut optare Angli potuerunt. Hæc omnia quæ paci concordiæque sarciendæ fuerant instituta, quum sint impie atque injuste ab Anglis, dum Rupellanos perduelles adversus Regem suum armant, violata, non potest eadem Carthaginiensium & Anglorum ratio videri. Quod si Religionem prætexant suo sceleri, sicut video id fecisse Buckingham, quum facta in Reorum Insulam exscensione, Declarationem illam edidit stolidissimam, qua Regem suum jactat Defensorem Fidei; sciendum est, Religionem Christi longe aliter docere, a qua quum desciverint, non est mirum, si fructus proferant a Christiana fide diversos. Sed de Religione Anglicana, qualis ea quidem nunc est post Synodum Dordrechtanam, (nam ipsorum Religio instar Lunæ mutatur) erit brevi alius dicendi locus: tunc vero efficiam, favente Christo, ut vel cæci videant, miserum illum & vere deplorandum Lucumonem, qui se Cantuariensem Archiepiscopum mentitur, injuste fecisse, quod se eorum qui Thomam Morum, Edmundum Campianum, & infinitos alios pietate, sanctitate, & eruditione insignes viros occiderunt, socium, quam veteris & Apostolicæ Ecclesiæ alumnum esse maluit. Si quis vero est, qui Alexandri opera, de quibus jam diximus, Regis nostri operibus præferenda censeat, A quia illius AGGER fortius fuit a Tyriis oppugnatus, quam Regius a Rupellanis, is velim cogitet multo esse & Oceanum nostrum mari Syriaco impotentiorem, & tormenta ahenea, globos ferreos vi pulveris nitrati ejaculantia, infinitis partibus esse formidabiliora, quam fuerint Tyriorum falces, corvi, harpagones, & quicquid fornacibus ipsorum ferreis procudi potuit: multum enim ab eo tempore profecit in exitium humani generis ingeniosa malitia.

CAP. V.

B *Pons ab Hydrunte Italiæ ad Apolloniam Græciæ pertingens, opus Pyrrhi Epirotarum Regis, postea etiam Varronis, conceptum animo decretumque, nunquam structum.*

PLinius *lib.* III. *cap.* XI. *A Tarento* XXXII. *m. p. Promontorium est quod Acram Japygiam vocant, quo longissime in mare excurrit Italia. Ab eo Basta oppidum, & Hydruntum decem ac novem mil. pass. ad discrimen Ionii & Adriatici Maris, qua in Græciam brevissimus est transitus.* C *Ex adverso Apollonia oppidum, latitudine intercurrentis freti quinquaginta m. non amplius. Hoc intervallum pedestri continuare transitu Pontibus factis, primum Pyrrhus Epiri Rex cogitavit: post eum M. Varro, quum Classibus Pompeii Piratico bello præesset: utrumque aliæ impediere curæ.* Quinquaginta millia passuum constituunt septendecim leucas Gallicas, majus scilicet, quam quod oculorum nostrorum acies superare videndo possit. Etsi vero mare interjectum habeat quibusdam locis vada & pulvinaria, quibus defixi pali onus pontis potuissent sustinere; tamen aliis in locis ea est profunditas, ut non potuerit nisi navibus res confici. D Cicero ex Græcia in Italiam proficiscens, scribit, se unius noctis & unius diei spatio mare illud emensum esse. Et quamvis ille non Apolloniam nominet, sed Cassiopen, tamen quum in eodem fere Meridiano duæ illæ urbes sitæ sint, quæcunque de Cassiope dicuntur, possunt ad Apolloniam referri. Sed Cassiope ipsi ex Corcyra venienti erat propinquior, estque hæc causa cur eam ponat: *A Portu*, inquit, *Corcyræorum ad Cassiopen stadia* CXX. *processimus; inde Austro lenissimo, cælo sereno, nocte illa & die postero in Italiam ad Hydruntem ludibundi pervenimus, eodemque vento postridie hora quarta Brundusium venimus.* E Septendecim leucæ Gallicæ majores conveniunt lentæ unius diei & noctis navigationi, flante Austro lenissimo; alioqui vento pleniore perficitur uno die. Quis autem Pons tale spatium complexus fuisset? Et finge factum. Quis se committere illi Ponti, aut exercitum cum elephantis & equis voluisset? Consilium Pyrrho erat, Ponte isto in Italiam transire ex Græcia, quum a Tarentinis adversus Romanos evocatus esset. Sed consilium istud interscidit operis difficultas, itaque navibus ab Antigono acceptis trajecit. C. Terentius Varro quibus caussis adductus idem voluerit, non possum comminisci; nam quum suas quoque partes habuerit in Bello F Pompeii Piratico, Mare quidem Ionium & Adriaticum Pompejus juvenibus cessit, Ægæum & Pontum Varroni. L. Florus diserte *lib. 3. cap. 6. Pompejus dispersam toto mari pestem semel & in perpetuum volens exstinguere, divino quodam apparatu adgressus est. Quippe quum classibus suis & socialibus Rhodiorum abundaret, pluribus Legatis atque Præfectis utramque Ponti & Oceani oram complexus est. Gellius Tusco Mari impositus, Plotius Siculo; Gratillius Ligusticum sinum, Pompejus Gal-*

licum obsedit; Torquatus Balearicum, Tiberius Nero Gaditanum Fretum, qua primum Maris nostri limen aperitur; Lentulus Libycum, Marcellinus Ægyptium, Pompeii juvenes Adriaticum, Varro Terentius Ægæum & Ponticum; Pamphylium Metellus, Asiaticum Cæpio; ipsas Propontidis fauces Porcius Cato obditis navibus quasi portam obseravit. Sic per omneis æquoris portus, sinus, latebras, recessus, promontoria, freta, peninsulas, quicquid piratarum fuit, quadam indagine inclusum & oppressum est. Ex his apparet, neque Varronem Bello Piratico pontem illum facere cogitasse, neque ipsum, Pyrrhumque aliis curis impeditos ab instituto opere destitisse. Vera autem & unica caussa fuit impossibilitas. Apolloniam hodie vocant *Sissopoli*, sunt qui *Piergo* castellum esse dicant ad Mare Ionium.

CAP. VI.

Moles Scipionis Africani ad Carthaginem.

QUum Carthaginem, pertinacem Imperii Romani æmulam, obsideret missus a Senatu Scipio Africanus minor, defendente urbem Asdrubale, nihil habuit potius, quam ut urbem populosissimam, & in qua erant XXX. militum selectorum millia, interclusis aditibus annonæ subvectione privaret, atque hac ratione eam ad deditionem cogeret. Obseptis igitur omnibus terrestribus itineribus, restabat Portus. Produxit ergo in mare longum AGGEREM, ab ea tænia, quæ inter stagnum erat & mare, eumque aggerem per altum recta versus os portus protendit: postea saxa prægrandia ita dejecit disposuitque, ut ne fluctibus cederent. Hoc ergo modo portum clausit. Porro AGGERIS istius latitudo erat XXIV. pedum in suprema superficie; in fundo vero erat quadruplo major. Id opus initio Pœni ridebant, per contemtum dicentes, sero illud vel forte nunquam esse absolvendum. sed quum totus exercitus certatim conferret operas, &, non die, non nocte laborem intermitteret, tandem territi, aggressi sunt diversa Portus parte, qua peninsula procurrit in medium pelagus, fodiendo aperire os aliud, quo nullus agger pertingere poterat, propter maris altitudinem & vim ventorum sævientium. Fodiebant autem universim viri, mulieres, pueri. Atque hæc quidem Appianus Alexandrinus libro singulari, quem scripsit de *Bello Punicis*: cujus Græca verba, si quis ea malit, sic sonant: *Ὁ Σκιπίων ἐπενόει τὸν ἔσπλουν τοῦ λιμένος ἀποκλεῖσαι· χῶμα ὂν ἐς τὴν θάλασσαν ἔχον μακρὸν, ἀρχόμενος μὲν ἀπὸ τῆς ταινίας, ἣ μεταξὺ τῆς λίμνης οὖσα καὶ τῆς θαλάσσης γλῶσσα ἐκαλεῖτο. Προϊὼν δ' ἐς τὸ πέλαγος, καὶ διευθύνων ἐπὶ τὸν ἔμπλουν, ἤρει λίθους τε μεγάλους καὶ πυκνοὺς, ἵνα μὴ ὑπὸ τοῦ κλύδωνος διαφθείροιντο. Καὶ πλάτος τοῦ χώματος τὸ μὲν ἄνω, τεσσάρων καὶ εἴκοσι ποδῶν, τὸ δ' ἐς τὸν βυθὸν, καὶ τετραπλάσιον ἦν. Τοῖς δὲ Καρχηδονίοις ἀρχομένου μὲν τοῦδε τοῦ ἔργου καταφρόνησις ἦν, ὡς χρονίου τε καὶ ἴσως ἀδυνάτου· προϊόντος δὲ σὺν ἐπείξει τοσοῦδε στρατοῦ, μήτε ἡμέραν ἐκλείποντος ἐπὶ τοῖς ἔργοις, μήτε νύκτα ἔδεισαν, καὶ στόμα ἕτερον ἐπὶ θάτερα τοῦ λιμένος ὤρυσσον εἰς μέσον τὸ πέλαγος, ἣ μηδὲν χῶμα προσελθεῖν ἐδύνατο, ὑπὸ βάθους τε καὶ πνευμάτων ἀγειωτέρων. Διώρυσσον δ' ἅμα γυναιξὶ καὶ παισίν.*

CAP. VII.

Heptastadium Cleopatræ, sive Agger, Pharum continenti Alexandriæ jungens.

AMmianus Marcellinus, cujus exstat historia rerum a Constantio, Juliano & Valentiniano gestarum, agens *libro* XXII. de Cleopatra Ægypti Regina, Ptolemæi Auletæ filia, *Hæc eadem*, inquit, HEPTASTADIUM, *sicut vix credenda celeritate, ita magnitudine mira construxit, ob caussam notam & necessariam. Insula Pharos, ubi Protea cum phocarum gregibus diversatum Homerus fabulatur, a civitatis littore mille passibus disparata, Rhodiorum erat obnoxia vectigali. Quod quum inde quidam nimium quantum petituri venissent, fœmina callida semper in fraudes, solemnium specie feriarum iisdem publicanis secum ad suburbana perductis, opus jusserat irrequietis laboribus consummari, & septem diebus totidem stadia* MOLIBUS *jactis in mare, solo propinquanti terræ sunt vindicata; quo cum vehiculo ingressa, Errare ait Rhodios, Insularum, non continentis portorium flagitantes.* Hoc opus si cum Regis nostri AGGERE ad Rupellam jacto conferas, offendes multis partibus inferius: utpote conditum in freto non admodum lato, nemine obstante, per ludum & jocum. At Regis nostri MOLES objectæ fuerunt violentiæ Oceani, ubi æstus rapidissimus cuncta abripit disjicitque, ubi latitudo duplo major, ubi hostes Rupellani perpetuis maximorum tormentorum ejaculationibus, pavorem omnibus, mortem plurimis adferebant: quocirca mirum videri non debet, si illa suum Aggerem septem diebus, Rex suum vix totidem mensibus absolverit. Nos Aggeres istos inter se composuimus tali Epigrammate,

IN REGEM FRANCORUM
LUDOVICUM XIII.

Magnus Alexander summo tibi cedit honore,
Adsurgit merito, REX, *Cleopatra tibi,*
Junxerit ille Tyrum terris licet, & licet altam
Deludens Rhodios junxerit ista Pharon.
Est aliquid domuisse fretum, sed cogere quanto
Est majus totum MOLIBUS *Oceanum?*

C. Cæsar quum Alexandriæ obsidium describit, etsi nullam faciat Cleopatræ mentionem, tamen aperte ostendit, spatium illud, quod inter Pharum & continentem interjectum est, AGGERIBUS & PONTE junctum fuisse. Verba ejus ex libro III. *Commentariorum de Bello Civili* hæc sunt: *Pharus est in Insula turris, magna altitudine, mirificis operibus exstructa, quæ nomen ab Insula cepit. Hæc Insula objecta Alexandriæ, portum efficit, sed a superioribus regionibus in longitudinem passuum nongentorum, jactis in mare* MOLIBUS, *angusto itinere, &* PONTE, *cum oppido conjungitur. In hac sunt domicilia Ægyptiorum.* Stadium habet passus CXXV. hoc est, DCXXV. pedes, testibus Plinio *lib.* II. *cap.* 23. & Columella lib. V. *de Re Rustica* capite I. Præcise igitur septem stadia conficiunt duntaxat DCCCLXXV. passus. Sed Cæsar rotundo numero utitur, ponitque nongentos: estque hoc ita receptum in civili computandi ratione, ubi minutiarum non habetur ratio. Sed præter Insulas Pharum & Tyrum, quas industria humana continenti junxit, habemus etiam Clazome-

menas patriam Anaxagoræ Physici, quas Strabo *libro* I. auctor est adgestu terræ abiisse ex Insula in Chersonesum. Neque vero, quia AGGERES isti post tot annorum decursus adhuc stant, idcirco putandum est, eos nostri Regis AGGERIBUS ad Rupellam actis esse præferendos: neque enim in id struxit eos Rex, ut durarent perpetuo, sed ut obsessos premerent. Si illud fuisset propositum, excidisset sua spe: nunc quum eorum ope id consequutus sit quod volebat, inutilisque ipsi fuisset longior ipsorum duratio, credo divinæ benignitati deputandum, quod statim post captam urbem tempestatibus dissoluti sunt. Usu ergo suo & intentione Regis non cedunt operi Alexandri, aut Cleopatræ, aut Persarum ad Clazomenas.

CAP. VIII.

Opera C. Julii Cæsaris ad Portum Brundusinum.

Videamus nunc MOLES C. Cæsaris in Portu Brundusino, quarum descriptionis sola lectio, & Regiorum ad Rupellam operum cum illis MOLIBUS collatio satis clamat, quanto AGGER noster Cæsariano fuerit excellentior. Cæsar lib. I. *de Bello Civili* cap. 25. „ Reperit Cæsar Consules „ Dyrrhachium profectos cum magna parte exer„ citus, Pompejum remanere Brundusii cum co„ hortibus XX. neque certum inveniri poterat, ob„ tinendi-ne Brundusii caussa ibi remansisset, quo „ facilius omne Adriaticum Mare cum extremis „ Italiæ partibus regionibusque Græciæ in potesta„ te haberet, atque ex utraque parte bellum admi„ nistrare posset; an inopia navium ibi restitisset. „ Veritusque, ne Italiam ille dimittendam non ex„ istimaret, exitus administrationesque Brundusini „ Portus impedire instituit: quorum operum hæc „ erat ratio. Qua fauces erant angustissimæ Por„ tus, molem atque AGGEREM ab utraque parte „ littoris jaciebat, quod iis locis esset vadosum ma„ re. Longius progressus, quum AGGER altiore „ aqua contineri non posset, rates duplices quoquo„ versus pedes XXX. e regione MOLIS collocabat. „ Has quaternis ancoris ex quatuor angulis dis„ tinebat, ne fluctibus moverentur. His perfectis „ collocatisque, alias deinceps pari magnitudine „ rates jungebat: has terra atque aggere contege„ bat, ne aditus atque incursus ad defendendum „ impedirentur. A fronte atque ab utroque late„ re cratibus ac pluteis protegebat, In quarta qua„ que earum turres binorum tabulatorum excita„ bat, quo commodius ab impetu navium incen„ diisque defenderet. Contra hæc Pompejus na„ ves magnas onerarias, quas in Portu Brundusino „ deprehenderat, adornabat. Ibi turres cum ter„ nis tabulatis erigebat, easque multis tormentis & „ omni genere telorum completas ad opera Cæ„ saris appellebat, ut rates perrumperet, atque ope„ ra disturbaret. Sic quotidie utrimque eminus „ fundis, sagittis, reliquisque telis pugnabatur...... „ Prope dimidia parte operis a Cæsare effecta, die„ busque in ea consumtis novem, naves a Consu„ libus Dyrrhachio remissæ, quæ priorem partem „ exercitus eo deportaverant, Brundusium rever„ tuntur. Pompejus, sive operibus Cæsaris per„ motus, sive etiam quod ab initio Italia excedere „ constituerat, adventu navium profectionem pa„ rare incipit. Non insistam comparationi; res enim per se clara est.

CAP. IX.

Chaucorum Tumuli, vel Tribunalia, altissimum maris æstum excedentia.

Plinius *lib.* XVI. *cap.* I. „ Sunt vero & in „ Septentrione visæ nobis gentes CHAUCO„ RUM, qui majores minoresque appellantur. „ Vasto ibi meatu bis dierum noctiumque singula„ rum intervallis effusus in immensum agitur Ocea„ nus, æternam operiens rerum naturæ contro„ versiam; dubiumque, Terræ sint partes, an Ma„ ris. Illic misera gens TUMULOS obtinet altos, aut „ Tribunalia structa manibus, ad experimenta altis„ simi æstus; casis ita compositis, ut sint naviganti„ bus similes quum integunt aquæ circundata, nau„ fragis vero, quum recesserunt, fugientesque cum „ mari pisces circa tuguria venantur. Non pecu„ dem his habere, non lacte ali, ut finitimis, ne „ cum feris quidem dimicare contingit, omni pro„ cul abacto frutice. Ulva & palustri junco fu„ nes nectunt, ad prætexenda piscibus retia, ca„ ptumque manibus lutum vento magis quam Sole „ siccantes, terra cibos & frigentia * Septentrione „ viscera sua urunt. Potus iis non nisi ex imbre „ servato scrobibus in vestibulo domus. Et hæ „ gentes si vincantur hodie a Pop. Romano, ser„ vire se dicunt. Ita est profecto; multis fortuna „ parcit in pœnam. Tumulos ejusmodi per Frisiam, Hollandiam, Zelandiamque adhuc videre licet, remotos quidem nunc a littore, sed olim mari circumfusos. Fueruntque hæc majorum postea incrementorum in Insulis veluti rudimenta: nam dum pro se quisque tumulum aggere munit, atque hunc ipsum interiorem alio remotiore complectitur ad fluctus maris excludendos, factum paulatim est, ut uno exteriore aggere multi interiores cum suis tumulis clauderentur. Agros ita conclusos septosque, vocant patria sua Lingua *Polders*; Tumulos, *Motten*; Aggeres, *Dycken*. Quæcumque vero in Tabula Theodosiana illic ponuntur loca, ea omnia, vel aggeribus, vel talibus tumulis fuerunt imposita. Lugdunum, *Leyden*, ad aggerem Rheni; Prætorium Agrippinæ, *Roomburch*, in tumulo, cujus terra nostra memoria inde egesta, & alio, ad loca humiliora exæquanda, translata est; Matilo, *Coudekerck*, Albiniana, *Alphen*; Nigro pullo, *Woerden*, Lauri *Bodegraven*; Fletio, *Vleuten*; Levæ Fanum, *Leevven*; Castra Herculis, *Arckel*. Cernitur Lugduni-Batavorum ingens mons manu adgestus, & muris circulari forma in vertice munitus, opus Romanorum, qui ad tutandam adversus Frisios oram Gallicam, alveum quoque novum Rheni effoderunt, & ex terra egesta montem illum fecerunt. Posteriore ævo in Aggeribus istiusmodi cœperunt mortales convenire, & domos suas pagosque exstruere. Hinc fit, ut nomina pleraque locorum vocem aggeris, qui ipsis *Dyck* dicitur, contineant: *S. Maertens Dyck*, Agger S. Martini, *Eversdyck*, Agger Everhardi; *Wolfaertsdyck*, Agger Wolfardi; *Cattendyck*, Cattorum Agger, *Hongersdyck*, Hunnorum Agger, & alia ejusdem generis. Quod si vero ad fluminis alicujus obicem objecta esset moles, quam ipsi *Dam* vocant, & ad eam habitandi caussa convenirent, adjectione voculæ illius distinguebant loca, *Rotterdam*, Rotterodamum, quia ad Rotam amnem; sic ad Sciam, *Scydam*; ad Amstelam, *Amsteldam*; ad Yam, *Ydam*, quod nunc Edamum vocant.

* Alii, *rigentia*.

CAP. X.

Aggeres ad mare Pontesque varii, moles, chelæ, brachia, crepidines, pilæ.

JUcundum est naturæ opera scrutanti, videre singularem ejus providentiam in formandis Portibus ad usum commerciorum, & humanæ societatis conservationem. Nihil enim potest optatius nautis & vectoribus, post longam & periculosam navigationem, contingere idoneo Portu, ad quem & ipsi possint in terram descendere, verum & proprium humani generis domicilium; & naves a ventorum, fluctuum, scopulorum, ac tempestatum violentia possint subduci & refici. Commendantur autem ab his commoditatibus alii præ aliis, neque enim omnes Portus easdem habent commoditates. Sunt quibus natura præstruxit tænias ad frangendos fluctus, relictoque ore, quantum navi transmittendæ sufficit, aperto, concessit Sinum interiorem, quem homines, opportunitate allecti, ad Emporium condendum sibi delegerunt. Sunt quibus natura id negavit: sed accolæ naturæ defectum industria & arte suppleverunt, exstructis Aggeribus, Chelis, Crepidinibus. Refert autem multum, cui cæli regioni Portus quisque expositus sit, quemque ventum vel admittat, vel excludat. Rupella Santonum Septentrioni objecta, sinum aperit Oceano Austrum versus, quo fit, ut naves brevissimo aditu in portum exceptæ, ab injuriis Boreæ tutæ sint. Easdem commoditates habent versus Mare Mediterraneum Telo Martius & Massilia. Genuenses, quia Promontorium naturale habent perexiguum, jactis in altum MOLIBUS, magno Patritiorum ejus urbis honore & ambitu, conantur quotannis corrigere id quod natura ipsis denegavit. Itaque recte a Vitruvio dictum capite primo intelleximus, Portus, si naturaliter ita sint positi, ut habeant acroteria sive promontoria procurrentia, ex quibus introrsus curvaturæ sive versuræ ex loci natura fuerint conformatæ, maximas habere utilitates: ac tum circumquaque porticus esse faciendas & navalia, aditusque idoneos ad emporia, cum turribus ex utraque oris parte, quibus catenæ traduci per machinas possint. Quæ omnia Rhodi & in Rupellano Portu adornando studiose observata sunt. Butrotum naturales curvaturas habet, quibus circumactæ naves recipiuntur in Portum. Corcyrensis Portus MOLIBUS defenditur ab Aquilonis violentia; indigenæ vocant MOLI. Herculis Monœci Portus (*Monaco*) naves a Zephyro quidem & Coro egregie defendit, sed infestatur a Circio, qui ventus inter Septentrionem & Zephyrum flat. Notat hoc quoque Lucanus *libro* I. vers. 405.

Quaque sub Herculeo sacratus nomine Portus
Urget rupe cava pelagus: non Corus in illum
Jus habet, aut Zephyrus, solus sua littora turbat
Circius, & tuta prohibet statione Monœci.

Athenis natura Piræum dedit, Portum, quo naves ex Sinu Saronico in urbem ferebantur, ad cujus conservationem Athenienses Promontoria utrimque MOLIBUS & CREPIDINIBUS muniverant. Ipsi procurrentes illas curvaturas, quia ad similitudinem brachiorum cancri erant efformatæ, vocabant Χηλὰς, CHELAS, quo vocabulo & nos usi sumus, ad designandos Aggeres ad Rupellam a Rege nostro exstructos, in quodam Epigrammate. Plutarchus quoque in *Solone*: Κατὰ ΧΗΛΗΝ τινα, πρὸς τὴν Εὔβοιαν ἀποβλέπουσαν, *Ad chelam quandam quæ Eubœam respicit*. Thucydides *libro* VIII. ΧΗΛΗ γὰρ ἐστι τοῦ Πειραιοῦς ἠϊονεια, καὶ παρ᾽ αὐτὴν εὐθὺς ὁ ἔσπλους ἐστί. *Eetionia*, inquit, *est Chela Piræi, & juxta eum protinus in Portum navigatur*. Ubi notant Grammatici, ΧΗΛΑΣ vocari, τοὺς ἔμπροσθεν τοῦ πρὸς θάλασσαν τείχους προβεβλημένους λίθους διὰ τὴν τῶν κυμάτων βίαν, ἵνα μὴ τὸ τεῖχος βλάπτοιτο, *saxa littoris muro extrorsum objecta, ad undarum violentiam retundendam, murumque defendendum*, ajunt vocari CHELAS. Duas vero tales fuisse Chelas in Atheniensium Piræo, earumque alteram Eetioniam dictam fuisse, disco etiam ex Stephano *de Urbibus*: ΗΕΤΙΩΝΕΙΑ. οὕτως ἡ ἑτέρα τοῦ Πειραιέως ἄκρα καλεῖται, ἀπὸ ΗΕΤΙΩΝΟΣ. *Alterum*, inquit, *e promontoriis quæ sunt ad Piræum, vocatur Eetionia, ab Eetione conditore*. Columella vocat CREPIDINES libro IX. *de R. R. Præjaciuntur in gyrum* MOLES, *sic enim maris atrocitas objectu* CREPIDINIS *frangitur*. Græci etiam προκυμαία. Cæterum quibus Regio humilis est & palustris, quique Aggeribus se adversus maris æstus tempestatesque tuentur, ii non tantum in Portubus Chelas habent, sed etiam in aliis locis, ubi scilicet ad avertendum impetum fluctuum in aliquam partem aggeris incumbentium, earum usus requiritur, sicut capite XIII. dicemus. Fuit etiam AGGERUM & MOLIUM quondam inter Romanos usus in obsidione urbium maritimarum. Cæsar adversus Gallos (quos ab omni ævo ingeniosissimos pariter & animosissimos fuisse constat) ejusmodi aggeribus usus est. Testatur id libro III. *de Bello Gallico* cap. XII. agens de Venetis Armoricæ populis: *Venetorum*, inquit, *oppida, posita in extremis linguis promontoriisque, neque pedibus aditum habebant, quum ex alto se ventus incitavisset, quod bis semper incidit* XXIV. (vitiose legebatur *duodecim*) *horarum spatio, neque navibus, quod rursum minuente æstu naves in vadis adflictarentur. Ita utraque re oppidorum oppugnatio impediebatur: ac, si quando magnitudine operis forte superati, excluso mari* AGGERE *ac* MOLIBUS, *atque his oppidi mœnibus adæquatis, suis fortunis desperare cœperant, magno numero navium appulso, cujus rei summam facultatem habebant, sua omnia deportabant, seque in proxima oppida recipiebant, ibi se iisdem opportunitatibus loci defendebant*. Duo fecisse se testatur Cæsar: primum exclusisse MOLIBUS Oceanum: postea eas ipsas MOLES terræ adgestu in tantam extulisse altitudinem, ut muris urbium essent æquales. Cæterum, si MOLES illæ tam altæ Oceanum excluserunt, non possum concipere, quomodo potuerint Veneti, ex suis urbibus, in naves ei rei evocatas, descendere, opes & supellectilem suam deportare, & alias in urbes se recipere. Si quis dicat, AGGERES istos simul & mare exclusisse, & Venetis patuisse discedere alio cupientibus, is convincetur erroris, eo quod naves, quæ Venetos discessuros recepturæ erant, debuerint in mari esse, a quo urbs AGGERIBUS disclusa erat. Videtur mihi omnino Cæsari ipsi hic hærere aqua.

Veniamus iterum ad AGGERES MOLESQUE Portibus destinatos. Memorabilis est in Italia Portus Romanus, quem adhuc vocant *Porto*, ad ostium dexterum Tiberis, conditus ab Augusto, & omni genere Aggerum Moliumque olim instructissimus, ut eo totius mundi opes veluti maritimo urbis hospitio reciperentur. Ejus typum videre licet in Numis Neronis, quorum pars antica habet ejus effigiem cum inscriptione in orbem ista, NERO CLAUD.

CÆSAR. AVG. GERM. P. M. TR. P. IMP. PP. Poſtica, Portum Romanum ab Auguſto factum, a Nerone, ut videtur, renovatum, in quo cernuntur ſeptem naves, quarum media longe maxima eſt; infra eſt Tiberinus jacens; ſupra columna cum ſtatua. Ad latus portus cernuntur Roſtra navium, quaſi in Navalibus diſpoſita. Inſcriptio ſuperior habet AUGUSTI, inferior S. POR. OST. C. ſunt tamen qui hoc opus referant ad Imperatorem Claudium. Ex Suetonio ſane conſtat, Claudium quoque exſtruxiſſe ibi Portum; ſic enim capite XX. in *Vita ejus*: *Portum Oſtiæ exſtruxit, circumducto dextra ſiniſtraque brachio; ad introitum profundo jam ſolo** MOLE *objecta: quam quo ſtabilius fundaret, navem ante demerſit, qua magnus obeliſcus ex Ægypto fuerat advectus, congeſtiſque palis*† *impoſuit altiſſimam turrim, in exemplum Alexandrinæ Phari, ut ad nocturnos ignes curſum navigia dirigerent*. Habet ergo hoc ſimile Agger Regis noſtri cum Claudiano, quod quibuſdam locis navibus fundatus ſit: ea tamen parte Claudianus eſt inferior, quod in eo unica tantum navis Alexandrina demerſa ſit; in iſto vero XXX. & amplius. Plinius *lib.* XVI. *capite* XL. de navi illa & PORTU ſic narrat: *Qua nave n l admirabilius viſum in mari. Certum eſt*, CXX. *millia modium lentis pro ſaburra fuiſſe. Longitudo ſpatium obtinuit magna ex parte Oſtienſis Portus, latere lævo: ibi namque demerſa eſt a Claudio Principe, tribus molibus turrium altitudine in ea exædificatis, ob id* (vitioſe legebatur *obiter*) *Puteolano pulvere advecto*. Et *libro* XXXVI. *cap.* IX. *Divus Claudius navem aliquot per annos adſervatam, qua Cajus Cæſar importaverat* obeliſcum, *omnibus, quæ unquam in mari viſæ ſunt, mirabiliorem, perductum Oſtiam, portus gratia demerſit*. Dio *libro* LX. agens de Claudio, navis quidem illius non meminit, ſed Portum Aggereſque ejus & Moles accurate deſcribit: Ἐξορύξας τῆς ἠπείρȣ χωρίον ȣ̓ σμικρὸν, τὸ πέριξ πᾶν ἐκρηπίδωσε, καὶ τὴν θάλασσαν ἐς αὐτὸ ἐσεδέξατο. Τȣ̃το δὲ ἐν αὐτῷ τῷ πελάγει χώματα ἑκατέρωθεν αὐτȣ̃ μεγάλα χώσας, θάλασσαν ἐνταῦθα πολλὴν περιέβαλε. Καὶ νῆσον ἐπ᾽ αὐτῇ, πύργον τε ἐπ᾽ ἐκείνῃ, φρυκτωρίαν ἔχοντα, κατεστήσατο. Ὁ μὲν οὖν λιμὴν ὁ καὶ νῦν οὕτω κατά γε τὸ ἐπιχώρων ὀνομαζόμενος ὑπ᾽ ἐκείνου ἐποιήθη. Quæ ſic Latine verti poſſunt: *Effoſſa ex continente humo non parvo ſpatio, ambitum undequaque* MOLIBUS *& crepidine firmavit; & in eum locum mare admiſit. Deinde, ex utraque hujus loci parte* AGGERES *in ipſo mari jaciens, multum maris eo ambitu complexus eſt. Inſulam etiam in ea effecit, & turrim in Inſula poſuit, habentem locum ad ignes nocturnos accendendos idoneum. Ac ſic quidem Claudius locum illum exſtruxit, quem indigenæ patria ſua Lingua* PORTUM *vocant*. Fuit & tertius Portus ad Oſtiam, opus Trajani, cujus memoriam ſervat Numus habens in antica parte ejus vultum, cum his verbis, IMP. CÆS. NERVÆ TRAJANO OPTIMO AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. VI. PP. In Poſtica Portum forma theatrali, vel hemiſphærica, latis porticibus, columnis compluribus. In medio Portus ſpectatur arcus trium phalis, & in faſtigio bigæ cum trophæo. Cernuntur & catenæ duæ, quales Vitruvius in portibus ponendas cenſet, ſicut oſtendimus capite primo. Hæ catenæ utrinque duobus lapidibus hærent, & ad fauces Portus firmatæ ſunt. Cernuntur præterea naves aliquot, una Prætoria, tum celoces, triremes, phaſeli, promiſcue. Sub fluctibus conſpicitur Neptunus muſco coronatus, dextra gubernaculum tenens, læva delphino innixus. Hæc ego propterea diligentius exſequor,

* Alii rectius, *ſolo*. † Edit. habent, *pilis*.

A ut illis occurram, qui exiſtimant, in calculis Hiſtoricis non eſſe ponendas effigies urbium, aut perſonas humanas, ſicut a nobis factum eſt: qua de re agemus plenius capite ultimo. Habemus ergo circa Oſtiam, ad lævum Tiberis alveum, tres Portus, unum Auguſti, alterum Claudii, tertium Trajani, quos adhuc hodie diſtincte oſtendunt eorum locorum gnari, & depingunt peritiores Chorographi. Tabula Theodoſiana (quam a Conrado Peutingero acceptam M. Velſerus Abrahamo Ortelio dedit, qui eam edidit, nos autem poſtea Operi Ptolemaico a nobis evulgato, ne tantus Antiquitatis theſaurus periret, ſubjunximus) B Tiberi fluvio non niſi unicum oſtium dat, ejuſque in ripa læva ponit Viam Hoſtienſem, cum Hoſtia oppido: dextera autem ingentem typum Portus, ſine nomine, quem Portum neceſſe eſt Theodoſii ævo adhuc ſtetiſſe; nam eo imperante Tabulam factam eſſe, apparet ex nominibus locorum, quæ ad aliud ſæculum referri non poſſunt, ut ſunt, *Ad Sanctum Petrum*, extra Romam, & Segmento VI. *Deſertum in quo quadraginta annis erraverunt filii Iſrael ducente Moyſe*. Pingitur autem in ea Tabula Portus forma theatrali, cujus facies aperta objicitur Mari Etruſco: procurrentibus duobus a C ſiniſtra parte Aggeribus, cujus interior turrim in extremo habet, objectam alteri turri in continenti poſitæ: quæ duæ turres ad claudendum catena portum exſtructæ fuerunt. Inter exteriorem Aggerem & partem dexteram continentis cernitur MOLES ex aquis eminens, cui Pharus ſuperſtructa eſt. Murus in hemicyclum factus, habuit navalia, cum emporiis ſive apothecis mercium. Hanc talem loci poſitionem concepit animo Juvenalis, quum ſcriberet *Satyra* XII. verſ. 75.

Tandem intrat poſitas incluſa per æquora MOLEIS
Tyrrhenamque Pharon, porrectaque brachia rurſum,
D *Quæ pelago occurrunt* * *medio, longeque relinquunt*
Italiam. Non ſic igitur mirabere portus,
Quos Natura dedit.

Notat autem eruditiſſimus Scholiaſtes ad verba iſta, INCLUSA PER ÆQUORA MOLEIS, *Portum Auguſti ſive Trajani*. Poſtea ad iſta, PORRECTAQUE BRACHIA RURSUM, ſic notat, *Quia Trajanus Portum Auguſti reſtauravit in melius, & interius alium tutiorem ſui nominis fecit*. Sed de Portu Auguſti & Molibus in eo jactis iſta ſufficient. Quia vero tota illa Italiæ ora maritima E ſinuoſa eſt, conati ſunt ditiores, jactis inter Promontoria Aggeribus, mare externum excludere, & in clauſo illo ſuo mari faciem quaſi novi alicujus orbis repræſentare cum ſuis Inſulis. Atque hoc eſt quod exagitat Seneca *epiſtola* LXXXIX. *Ubicumque in aliquem Sinum littus curvabitur, urbis protinus fundamenta jacietis: nec contenti ſolo, niſi quod ipſi manibus veſtris feceritis, maria ipſa agetis introrſus*. Et Horatius *libro* III. *Ode* I.

Contracta piſces æquora ſentiunt
Jactis in altum Molibus: hinc † *frequens*
Cæmenta demittit redemtor
F *Cum famulis, dominuſque terræ*
Faſtidioſus.

Sed circa Puteolos utilitatis publicæ ſtudio id factum ab Agrippa, qui Lucrinum & Avernum recipiendis claſſibus aptavit, ita ut ex pleno & aperto mari in Sinum Tyrrhenum, inde in Lucrinum, ac denique in Avernum tuta eſſet & libera navibus Alexandrinis aliiſque claſſibus navigatio. Sed & Puteolani, ut ſuam urbem hac occaſione

* Alii, *currunt*. † Leg. *huc*.

augerent, varias ſtationes fecere, invitati præcipue opportunitate cæmenti: nam pulvis Puteolanus calci mixtus, ſicut ex Vitruvio docuimus, lapideſcit. Strabo *libro* V. Ἡ δὲ πόλις ἐμπορεῖον μέγιστον, χειροποιήτους ἔχουσα ὅρμους διὰ τὴν εὐφυΐαν τῆς ἄμμου· σύμμετρος γάρ ἐστι τῇ τιτάνῳ, καὶ κόλλησιν ἰσχυρὰν καὶ πῆξιν λαμβάνει, Διόπερ τῇ χάλικι καταμίξαντες τὴν ἀμμοκονίαν, προβάλλουσι χώματα εἰς τὴν θάλατταν, καὶ καλποῦσι τὰς ἀναπεπταμένας ἠϊόνας, ὥστ' ἀσφαλῶς ἐνορμίζεσθαι τὰς μεγίστας ὁλκάδας. *Urbs ea*, de Puteolis loquitur, *in maximum evaſit emporium, habens ſtationes manufactas, ob naturalem opportunitatem arenæ: hæc enim proportione reſpondens calci, firmam admodum conglutinationem & concretionem accipit. Quocirca glaream miſcentes cæmento ex calce & arena confecto,* AGGERES *promovent in mare, & apertas littoris partes ſinuant, ita ut ſubduci tuto poſſint marinæ* onerariæ naves.* Plinius quoque *libro* XXXV. *cap.* 13. *Verum & ipſius terræ ſunt ſegmenta. Quis enim ſatis miretur, peſſimam ejus partem, ideoque pulverem appellatum, in Puteolanis collibus, opponi fluctibus, merſumque, protinus fieri lapidem unum, inexpugnabilem undis, & fortiorem quotidie utique, ſi Cumano miſceatur cæmento.* Fuit & ingens ibi PILARUM uſus, quarum jaciendarum rationem quoque ex Vitruvio intelleximus. Virgilius nona *Æneide* verſ. 710.

Qualis in Euboico Bajarum littore quondam
Saxea PILA *cadit, magnis quam molibus ante*
Conſtructam jaciunt Ponto.

Sed ad Puteolos PILÆ etiam ambulationi civium ſerviebant, ſuperſtructis nimirum arcubus. Amant enim Mercatores prominentias iſtiuſmodi, ut ex iis proſpectent naves adventantes. Seneca *epiſtola* LXXVII. *Hodie nobis Alexandrinæ naves apparuerunt, quæ præmitti ſolent, & nuntiare ſequuturæ claſſis adventum; Tabellarias vocant. Omnis in* PILIS *Puteolorum turba conſiſtit, & ex ipſo genere velorum Alexandrinas, quamvis in magna turba navium, intelligit.* Spectantur hodieque XIII. tales PILÆ in mari ad Puteolos, vaſtæ magnitudinis, collapſis arcubus. PILAS illas ſuo ævo reſtituit Hadrianus; teſtaturque id Inſcriptio:

IMP. CAESAR DIVI HADRIANI F.
DIVI TRAIANI PARTHICI NEPOS
DIVI NERVAE PRONEPOS. T. AELIVS
HADRIANVS ANTONINVS AVG.
PIVS PONT. MAX. TRIB. POT. II.
COS. II. DESIGN. III. PP. OPVS
PILARVM VI MARIS CONLAPSVM
A DIVO PATRE SVO PROMISSVM
RESTITVIT.

CAP. XI.

Pons Bajanus Caligulæ Cæſaris,

NOn ſatis erat Romano luxui, ſinus, quos natura fecerat, mari ſubduxiſſe, & jactis ad Promontoriorum procurrentias Aggeribus, mutaſſe rerum faciem: ulterius adhuc progrediendum fuit, (quis enim amentiæ eſt modus?) & trans ipſa maria Pons etiam agendus, ne ſolus Xerxes ſine exemplo ſuperbus & ſtolidus Rex diceretur. Fecit id Caligula; ſed quum a Puteolis orſus eſſet, incertum eſt, deſierit-ne ad Bajas, an ad Baulos; Dio *lib.* LVIII. prolixe totam illius vanitatis hiſtoriam perſequens, a Baulis ingreſſum ſcribit, & egreſſum ad Puteolos. Joſephus Antiquitatum Judaicarum *libro* XVIII. *cap.* I. a Puteolis PONTEM ducit ad Miſenum. Audiamus „ etiam Suetonium in *ejus Vita* cap. 19. Novum „ præterea, *inquit*, atque inauditum genus ſpe„ ctaculi excogitavit: nam Bajarum medium in„ tervallum Puteolanas ad MOLEIS trium millium „ & ſexcentorum fere paſſuum PONTE junxit, „ contractis undique onerariis navibus, & ordi„ ne duplici ad ancoras collocatis, ſuperjectoque „ AGGERE terreno, ac directo in Appiæ Viæ „ formam. Per hunc PONTEM ultro citroque „ commeavit biduo continuo. Primo die phalera„ to equo, inſigniſque quercea corona, & ſecuri, „ & cetra, & gladio, aureaque chlamyde. Po„ ſtridie quadrigario habitu, curriculoque bijugi „ famoſorum equorum, præ ſe ferens Darium „ puerum ex Parthorum obſidibus, comitante „ Prætorianorum agmine, & in eſſedis cohorte „ amicorum. Scio pleroſque exiſtimaſſe, talem „ a Cajo PONTEM excogitatum æmulatione Xer„ xis, qui non ſine admiratione aliquanto angu„ ſtiorem Helleſpontum contabulaverit. Alios, „ ut Germaniam & Britanniam, quibus immine„ bat, alicujus immenſi operis fama territaret. Sed „ avum meum narrantem puer audiebam, cauſ„ ſam operis ab interioribus aulicis proditam, quod „ Thraſyllus Mathematicus anxio de ſucceſſore „ Tiberio, & in verum nepotem proniori adfir„ maſſet, Non magis Cajum imperaturum, quam „ per Bajanum Sinum equis diſcurſurum. Totum iſtius vanitatis apparatum diſtincte ſcire qui volet, legat Dionem loco quem citavi. Exagitat ſtultitiam iſtam Romanus Socrates, ſic Senecam vocare libet, libro *de Brevitate vitæ*: *Modo*, inquit, *intra paucos illos dies, quibus C. Cæſar periit, ſi quis inferis ſenſus eſt, hoc graviſſime ferens, quod decedebat Populo Romano ſuperſtite; ſeptem aut octo certe dierum cibaria ſupererant, dum ille* PONTES *navibus jungit, & viribus imperii ludit, aderat ultimum malorum obſeſſis quoque, alimentorum egeſtas. Exitio pene ac fame conſtitit, & quæ famem ſequitur rerum omnium ruina, furioſi, & exteri, & infeliciter ſuperbi Regis imitatio.*

CAP. XII.

Maximiani Auguſti opus ad Geſſoriacum, quod nunc Bononiam appellamus.

MEmoranda nunc nobis venit Maximiani Auguſti ad Bononiam MOLES ROBOREA, multam habens cum Regiis noſtris ad Rupellam Aggeribus adfinitatem: nam & Oceano objecta fuit, & in portu Gallico, adverſus piratam, qui eo venerat ex Britannia, & obſidioni adhibita, & ceſſante uſu disjecta diſruptaque tempeſtatibus. Hoc vero diſſimilis & inferior, quod anguſtiore loco fuerit poſita, quodque ex palis robuſteis: ejus autem MOLIS exſtruendæ neceſſitatem Maximiano fecit Carauſus Archipirata, qui ſumta purpura cum aliquot Romanis Legionibus Geſſoriacum invaſerat, ſedemque illic belli adverſus Conſtantium poſuerat, quod facilis ibi futurus eſſet ex Britannia ſociorum ejuſdem piraticæ conſpirationis adpulſus. Hac ergo de cauſſa coactus eſt Maximianus Imperator urbem illam maritimam obſidere, & actis in portu roboribus, quorum ingentem copiam vicinæ ſylvæ ſuppeditant, ita viam obſtruere, ut neque ſubſidia ex Britannia, neque commeatus obſeſſis adferri ul-

* Rep. *maxima*.

lo modo posset. Sunt autem qui credant ab eo tempore portum Bononiensem degenerasse, qui ante fuerat totius Galliæ præstantissimus. Adgestu enim arenarum ajunt corruptum ejus portus alveum. Non sum nescius, historiam obstructi portus a Sigonio ad Constantium Constantini Magni patrem, qui eo ipse anno Theodoram Galerii privignam uxorem duxerat, spreta Helena, non ad Maximianum, referri; sed nihil caussæ est, cur hoc loco Sigonium potius, quam Panegyristen ejus temporis sequi debeamus, cujus tota oratio ad Maximianum, non ad Constantium, directa est. Sic ergo ille: „ Statim itaque Gallias
„ tuas, Cæsar Maximiane, veniendo vicisti: si-
„ quidem illa celeritas, qua omnes adventus tui
„ nuntios prævertisti, cepit oppressam Gessoria-
„ cum, censibus murisque pertinacem tunc er-
„ rore misero Romanorum piraticæ factionis re-
„ bellem, atque illis olim fretum, alluens portas,
„ ademit. In quo divina providentia tua, & par
„ consilio effectus apparuit, quum omnem sinum
„ illius portus, quem statis vicibus æstus alternat,
„ defixis in aditu trabibus, ingestisque saxis, in-
„ vium navibus reddidisti, atque ipsam loci na-
„ turam admirabili ratione superasti, quum mare
„ frustra reciprocum prohibuisti fuga. Quænam
„ unquam mirabimus valla castrorum post hoc no-
„ vum in mari vallum? Quid erit mirum, si qua
„ murorum aut arieti non cesserit firmitas, aut ma-
„ chinas despexerit altitudo, quum Oceanus ille
„ tanto libratus impetu, tanta mole consurgens,
„ sive ulterioribus, ut ferunt, terris repulsus, si-
„ ve anhelitu quo respirat evectus, seu quacum-
„ que alia ratione motus, nunquam tua, Cæsar,
„ claustra perfregerit, neque omnino convellerit
„ tot dierum ac noctium receptu recursuque,
„ quum tot interim, qua terras circumfluit, littora
„ solveret, ripasque defringeret, uno illo, ut res
„ est, loco, aut potentia Majestatis Vestræ inferior,
„ aut pro debito vobis honore clementior. Xerxes,
„ ut audio, Persarum Rex potentissimus, pedi-
„ cas injecit aureas in profundum, Neptunum se
„ dictitans alligare, qui fluctibus ferociret. Stulta
„ ille jactantia, & sacrilega vanitate: At enim tua,
„ Cæsar, divina providentia efficaci est usa consi-
„ lio: nec insultavit elemento, ut non provocaret
„ odium, sed mereretur obsequium, (quid enim
„ aliud interpretemur?) quum statim atque obsi-
„ dionem necessitas, & clementiæ vestræ fides sol-
„ verat, eadem claustra qui primus insiluit æstus
„ irruperit; totaque illa, quoad usus fuit, invi-
„ cta fluctibus acies arborum, veluti signo dato &
„ peracta statione dilapsa sit, ut nemo dubitaret,
„ portum illum, qui piratæ, ne suis opem ferret,
„ occlusus fuerit, Vobis ad victoriam sponte pa-
„ tuisse. Sicut ergo Maximiani Augusti MOLES ad Bononiam duravit quamdiu usus ejus fuit, postea sua sponte soluta est: ita Regis nostri AGGERES ad Rupellam. Estque miraculo propinquum, saxa sine ulla cæmentatione composita, & rustico opere congesta, potuisse tamdiu furentibus Oceani undis & ventorum flabris obsistere. Aggeres enim istos non quotidiani æstus, non æquinoctialia Veris & Autumni incrementa, non novilunia & plenilunia, quibus supra quotidianum modum solent maria intumescere, ruperunt. Simulatque autem urbs deditione venit in Regis potestatem, statim veluti ex condicto pars eorum aliqua dissiliit: mox etiam major abrupta est, ac tota tandem dissolvetur. Neque dubium est, quin si aliquot ante mensibus illud accidisset, Angli obsessis suppetias ferre potuissent, & difficiliorem reddere urbis deditionem, Regisque consilia retardare. Sed pugnavit pro Rege nostro ipse etiam Oceanus.

A Sicut ergo Mare Rubrum statim, postquam transierant Moses & populus Israeliticus, rediit ad naturam suam, & Pharaonem cum Ægyptiis hausit; ita AGGERES isti peracto suo opere, statim cesserunt undis & priorem rebus faciem dederunt, futuri, si diutius stetissent, inutiles. Fecit ergo Oceanus sine ullo labore aut impendio, quod multi bajuli, cæmentarii, aliique operarii vix multis mensibus summo labore & sumtu facere potuissent. Notandum porro est, Gessoriacum hunc portum, Anno a nato humani generis Salvatore CCXCII. ita, ut dixi, præclusum fuisse, imperantibus Diocletiano & Maximiano, Consu-
B libus Cassio & Tiberiano, quo tempore sedem S. Petri Romæ obtinebat Cajus Papa ipsius Diocletiani nepos ex fratre. Fuit autem hic annus primus ultimæ persecutionis, quæ & omnium asperrima fuit, & longissima, *utpote quæ per decem annos*, ut ait Orosius, *incendiis Ecclesiarum, proscriptionibus innocentum, cædibus martyrum, incessabiliter acta est*. Sulpicius Severus auctor est, *ea tempestate omnem fere sacro martyrum cruore orbem infectum fuisse: quippe certatim gloriosa in certamina ruebatur, multoque tunc avidius martyria gloriosis mortibus quærebantur, quam nunc Episcopatus pravis ambitionibus appetuntur*. Præsides in Gallia tunc fue-
C re Crispinus & Rictius Varus, sub quibus Ecclesia Christi multa indigna passa est. Neque fuerit omnino abs re, nomina aliquot Martyrum colligere, qui tunc in Gallia veritatem Dei suo sanguine obsignarunt; nam cæterorum, qui vel ibi vel per reliquum orbem passi sunt, neque in Martyrologiis memorantur, nomina scripta sunt in cælis. In iis, quos novi, digerendis, sequar ordinem mensium. Ergo VI. Januarii in territorio *Rhemensi* passa est Macra virgo, XXVII. Januarii *Ebroduni* Vincentius, Orontius, & Victor. XXIV. Maii *Nannetibus* Donatianus & Rogatianus fratres. XXV.
D Augusti *Arelati* B. Genesius. XXVIII. Augusti *Brivati* apud Arvernos Sanctus Julianus. XVIII. Septembris in territorio *Viennensi* S. Ferreolus. XXV. Septembris *Ambiani* Firminus Episcopus. Kal. Octobris *Tornaci* S. Piaton Presbyter. XVIII. Octobris in territorio *Belluacensi* S. Justus adhuc puer. XX. Octob. *Aginni* Caprasius. XXV. Octobris *Suessione* Crispinus & Crispinianus nobiles Romani. XXX. Octobris in *Veromanduis* S. Quintinus. II. Novembris *Pictavii* S. Victorinus Pictaviensis Episcopus. X. Novembris in *Agathensi* territorio Tiberius, Modestus, & Florentia. XI. Decembris *Ambiani* Victorius & Fuscianus, quorum in na-
E ribus & auribus jussit Rictius Varus Præses immitti tarinchas, & clavis ardentibus tempora transfigi, deinde oculos evelli, ac postmodum eorum corpora jaculari: sic illi una cum hospite ipsorum Gentiano migraverunt ad Dominum. Quid ista, inquies, ad AGGERES Rupellanos? Nimirum, ut intelligat universus orbis Rupellanorum obsessorum in.ignitam amentiam, qui non tantum in Regem suum optimum & potentissimum rebellaverunt, sed etiam deserta prisca & vetere Ecclesiæ formula, novam sibi & doctrinam & administrationem fabricati sunt. Hoc ergo ista ad REGIOS
F AGGERES, quod Helena ad Trojam: ut videant quicumque hæc legent, Rupellanorum improbitatem, qui odio doctrinæ Catholicæ novam fidei formulam commenti sunt, in qua Pontificem nostrum, Christi in Ecclesia militante Vicarium, dixerunt esse Magnum illum Antichristum, ex quo efficitur, Regem nostrum Ludovicum XIII. qui non solum Majorum suorum titulis, sed etiam propria sua pietate, justitia, moderatione, & clementia merito Christianissimus, & primus Pontificis nostri Urbani atque Ecclesiæ filius censetur, ni-

hil esse aliud, quam primum Antichristi satellitem, alterum Maximianum, alterum Ecclesiæ persecutorem, & si quid aliud ipsis dictat Confessio Ecclesiarum Rupellæ cusa & edita. Nam nos quidem aliam fidem aut Ecclesiam non habemus, quam quæ tot Martyrum, sicut jam ostendimus, sanguine rigata adolevit. Hi Martyres nostri sunt Nullus ipsorum fuit Calvinista, aut Regi suo rebellis. Quod ipsi crediderunt nos credimus. Una est utrorumque Fides, eadem doctrina ab ipsis ad nos longa temporum & doctorum successione transmissa. Qui aliam Ecclesiam faciunt, novos quoque Martyres faciant necesse est: at quales? præfractos, rebelles, contumaces, derisores, imo blasphematores Sacramentorum Ecclesiæ, ipsiusque adeo Christi. Nos a Cajo Papa usque ad Urbanum VIII. Pontificem Romanum longam seriem colligimus Pontificum: nos a S. Victorino Pictavienli Episcopo, de quo jam diximus, usque ad Henricum Ludovicum Castanæum nostros possumus edere Episcopos, & perpetuam ejusdem fidei doctrinæque successionem: nos a S. Firmino, qui sub Rictio Varo & Maximiano passus est, possumus decurrere usque ad Franciscum Fabrum perpetuam seriem Ambianensis Ecclesiæ Episcoporum. Neque inter nos & illos aliud quam temporis discrimen est: illi vixerunt sub persecutoribus, nos sub Defensoribus Ecclesiæ: illi in summa paupertate, nos in divitiis, quas pax largitur. Et tamen libenter Christo ejusque Ecclesiæ divitias illas ita impendimus, ut si quis priscam illam paupertatem adhuc amet, videre eam & mirari possit in Capucinis, Carmelitis, aliisque Religiosorum Ordinibus. Diocletianum, aut Rictium Varum si quis hodie quærit, reperiet in iis, qui titulo Reformationis sæviunt in templa, in altaria, in Sacerdotes; qui omnem veteris Ecclesiæ statum consiliis, dictis, fastisque * persequuntur. Gentilium talis spectatur adhuc Inscriptio Cluniæ in Hispania:

DIOCLETIANVS ET MAXIMIANVS CÆSARES AVGVSTI AMPLIFICATO PER ORIENTEM ET OCCIDENTEM IMPERIO ROMANO ET NOMINE CHRISTIANORVM DELETO QVI REMPVBLICAM EVERTERANT.

Et ista,

DIOCLETIAN. CÆS. AVG. GALERIO IN ORIENTE ADOPTATO, SVPERSTITIONE CHRISTI VBIQVE DELETA.

Rupellensium, & eorum omnium qui ipsorum fidem sequuntur, quis fuerit animus, docent tot Ecclesiarum ruinæ per Galliam, tot Sanctorum ossa disjecta, dispersa, combusta, tot Sacerdotum & Monachorum cineres; ac denique furiosa illa Plessæi ad Jacobum Angliæ Regem Epistola, præfixa horribili libro, quem inscripsit, *Mysterium iniquitatis*. Merito ut Ecclesia adversus illos potissimum, Sanctorum in cælo triumphantium auxilium & patrocinium implorans, perdiu cecinerit: *Auferte Gentem perfidam Credentium de finibus*. Et nos nuper veterem hymnum cum exsultatione repetiverimus, fugatis ex Reacensi Insula Anglis, TU DIVISISTI IN STUPORE CAPITA POTENTIUM. Hæc si ad AGGEREM Maximiani proxime non pertinent, pertinent sane ad caussam exstructi a Rege AGGERIS,

* Rest. *factisque*.

A quo Rupellanorum furor domitus est, & ita fractus, ut non putem, ab ipsorum catulis aut consecraneis eos, qui Rupellæ in sua illa impietate & rebellione exstincti sunt, unquam in Martyrologium referendos esse. Quotquot enim in ea obsidione fame absumti sunt, aut morbis ex inedia ortis, ipsi sibi exitii sui caussa fuerunt. Christianus sibi manus non infert; & Martyrem non faciunt tormenta aut mortes, sed caussa, hoc est, innocentia, pietas, professio Christiani nominis. Crudeles igitur fuerunt Ministri illi & Tribunitii Tyranni in cives; crudeles parentes in liberos; ipsi-

B que dum in sua viscera sævire maluerunt, quam Regis clementiam tempestive experiri, ostenderunt animum sibi esse ipso etiam Maximiano crudeliorem. Quid nobis facerent, qui suis non pepercerunt!

CAP. XIII.

Aggeres Flandriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, objecti mari.

C NUlla est toto Orbe Regio Oceani furentis æstibus æque exposita, & præsidio AGGERUM munita, atque Hollandia & Zelandia. Facit hoc soli situs depressior, & maximorum amnium, Rheni, Mosæ, Vahalis, & Scaldis, ingentem secum aquarum copiam trahentium, ad quorum ostia Insulæ illæ sitæ sunt, amplitudo: nam quum Oceanus intumescit, quod bis fit XXIX. horarum spatio, sistuntur aquæ illorum fluminum, & majore vi retroaguntur, suo, ni obstent AGGERES, incremento terras vicinas inundaturæ. Est enim tunc mare terris altius, & amnes tumefacti, si perruptis obicibus, regionibus incum-

D bant, sternant omnia. Sunt etiam qui adfirmant, ipsos fluminum circa ostia alveos minus nunc esse profundos quam fuerunt olim, duobus potissimum argumentis ducti; primum, quod extimi quique AGGERES, quos nunc amnibus & æstuariis objectos videmus, multo sint quam olim fuerunt, & quam nunc sunt interni, altiores; quum tamen interni isti olim excitati sint contra altissimum quemque Oceani æstum. Deinde, quod sub agris pratisque reperiuntur quotidie arborum trunci cum suis radicibus, qui quum in superficie olim steterint, necesse est alveos fluminum illa ipsa superficie tunc profundiores fuisse. Crevit igitur cum so-

E lo alveorum altitudo adgestu limi, quem amnes multum secum trahunt; creverunt quoque externi AGGERES; quique initio humiles erant, ab incolis facti sunt lapsu temporis excelsi: nullo enim alio quam AGGERUM præsidio se adversus maris vim tueri possunt. Sed AGGERUM in universum plura sunt * genera: nam ut Itinerarios omittam, eosque qui in viis publicis aut stratis cernuntur, vel qui ad agros distinguendos, aut alias ob caussas locis in mediterraneis fiunt; sunt AGGERES quidam secundum undarum ultro citroque decurrentium lapsum jacti, quos aquæ non directe impe-

F tunt, sed tantum stringunt; ejusmodi sunt Aggeres Nili in Ægypto; Ligeris in Gallia; Vahalis, Leccæ, Mosæ, Rheni in Hollandia; Scaldis in Flandria & Brabantia; æstuariorum variorum in Zelandia. Alii vero directe fluctibus decurrentibus opponuntur, eosque sistunt; tales si objiciantur mari, debent ejus vim omnem excipere, & in summis eam tempestatibus retundere. Etsi vero natura ipsa obices suos plerisque in locis versus Septen-

* Sidon. Apol. in Carmine ultimo, & alibi.

trionem mari objecerit,tumulos scilicet collesque sabulosos, quales in Frisia, Hollandia, Zelandia, & littore Flandriæ, Franciæque cernimus; tamen quia id ubique non fit, neque præsidium ejusmodi omnibus locis datum est, coacti sunt accolæ ad se muniendos AGGERES MOLESQUE excitare, & naturæ defectum industria sua supplere.

Sed præter ista, est tertium quoddam AGGERUM genus,cujus non nisi in bello ad urbes maritimas obsidendas usus est, ne ex mari ad obsessos cibaria, milites, arma, aliaque ejusmodi deferri possint; utque obsessi, longa fame pressi, ad deditionem tandem cogantur. Accedit autem genus istud quam proxime ad chelas & projecturas, de quibus capite decimo actum est. Hoc ergo, si formam spectes, potest Transversarium appellari, quia non secundum littus, sed transversim in mari agitur; neque fluctibus stringitur, sed directe toto mari impetitur: sin usum spectes, vocari debet Obsidionale: si durationem, Temporarium; quia extra obsidionem nullus est ejus usus: neque refert, an ex saxo, terra, alga, aut ex fascibus congestis fiat. Audax omnino facinus, fuisse qui legem ponerent Oceano, & objectu MOLIUM cogerent eum intra suos carceres manere, & locis interioribus parcere. Hos vero Aggeres necesse est & spissos esse, firmiterque compactos, ut possint tempestatibus resistere, & altos, ut supremus maris æstus eos nunquam excedat. Nam præter accessus & recessus Oceani ordinarios, observatum est, noviluniis, & pleniluniis, ac præterea Æquinoctiis majora semper esse Oceani incrementa, sicut capite superiore a nobis dictum est. Quod si vero tunc etiam vento aliquo vehementiore fluctus in Aggerem adigantur, horribile visu audituque est, atque adeo dictu incredibile, quanti tunc strepitus, quanti fragores edantur, quantus exaudiatur furor. Non aries, non balista, non catapulta, non tormentum aliud bellicum indesinenter feriens murum, tanta vi libratur: ruit enim continuo mare, & fluctus fluctibus adglomeratos impellit. Incumbit autem non in partem aliquam, ut solent machinæ bellicæ, sed in totam molem; ac, si rimulam minutissimam alicubi vel invenit, vel facit, actum est illico. Lacerat, frangit, disjicit, atterit omnia; tum partes libratas inter se collidit, aut in solidum corpus impingit, donec omnia diu multumque versando in minutissimum pulverem convertat. Nulla est vis humana quæ possit obsistere. Hinc inundationes agrorum, villarum, urbium, & pagorum; cujusmodi non semel in Hollandia & Zelandia factas narrant historiæ, & nos ipsi vidimus, præsertim ad Romersvalam quondam oppidum, nunc vicum, pauca habentem tuguria piscatorum; Cortekenam oppidum plane undis haustum, cujus in cœmeterio spectavimus monumenta veterum sepulturarum. Anno Christi MCCCCXXI. extra Dordrechtum duo & septuaginta pagi perrupto aggere una eluvione mersi sunt, haustis centum prope hominum millibus.

Est vero & aliud quoddam Aggerum genus, procurrens in mare, quod ad ordinarios Aggeres conservandos inventum est, quoties æstus aquarum mutato alveo in aliquam partem violentius incumbit. Tales autem permultos habet Zelandia; possuntque acroteria, promontoria, chelæ appellari. His ergo artibus Batavi veteres, Chaucique, excluso mari, terras sibi adseruere; iisdemque adsertas auxere & conservavere: est enim ipsis perpetuum & sine missione cum mari certamen; præfeceruntque huic curæ nobilem & insignem Magistratum, Chomarcho, quos ipsi patria Lingua *Dyckgraven* vocant. Horum est, in exteriores & interiores Aggeres inspicere, & curare,

A ne quid detrimenti patiantur: si quid collapsum sit, si quid violentia maris aut fluminis adesum, restaurare. Ac fuerunt quidem tanti operis parva primum initia, sicut ostendimus, quum de Chaucorum Tribunalibus ageremus. Ex quo vero inventa est in Hollandia & vicinis regionibus ratio, minoribus Aggeribus, longisque Pontibus, sive cajis, & fossis, molisque aquaticis ac cothonibus palustria loca exsiccandi, statim orta est ingens illa pascuorum ubertas, cui nihil par aut simile invenias in reliquo Orbe. Hac arte nuper exsiccatus est Bamestra, ingens lacus in Frisia Occidentali, vel Hollandia Boreali, inter Purmerendam & Alcmariam: & aliud ad Soetermeer, inter Leidam & Delfum.
B Sunt etiam qui de Harlemensi lacu exsiccando consilia & sermones ferant. Habet ergo Hollandia triplicem fere terram, sabulosam ad mare; argillosam ad flumina; palustrem cæteris in locis: ut non abs re & ratione dici possit, Hollandiam esse donum Oceani, & Rheni Mosæque amnium, sicut Ægyptum scribit Herodotus donum esse Nili. Atque hoc illud est quod Petrus Nannius libro x. *Miscellaneorum* capite 1. scripsit: „Quod si penitus liceat in origines nostras inquirere, omnino mihi persuadeo, Hollandiam munus Boreæ „ac Rheni esse, ac principio nihil præterquam al-
C „tius quoddam Æstuarium Oceani fuisse, ac paullatim adgestu arenæ, quam plurimam ibi Boreas „excitat, primum in littus, postea in montes adsurrexisse, quos ibi quotidie & nasci & perire „videmus. Rheni vero undas ad istud obstaculum „quasi ad Aggerem retentas fuisse, ac cum limo, „quem secum trahit, circum has oras subsedisse, „atque ita longa alluvione hæc pascua nata esse. Neque enim putandum, aut semper eam fuisse faciem illius regionis, quæ nunc cernitur; aut subito ex forma illa priore & neglecta in hanc quam videmus cultissimam & amœnissimam transivisse. Multo tempore, magno labore, ingenti
D studio, immanibus impensis, summa vigilantia ad hanc rem opus fuit. Ergo natura primo invitavit accolas ad tumulos illos arenarios adversus Boreæ rabiem faciendos, muniendos, conservandos. Necessitas etiam eos impulit, qua nullus magister ingeniosior, nullus efficacior. Ipsi quoque accolæ in salutem suam ingeniosi, paullatim consuetudinem in naturam verterunt. Videas pueros puellasque quum ad Oceanum animi laxandi caussa exspatiantur, statim depositis calceis caligisque, ludibundos manibus suis arenam ex littore corripere, aggerem facere, & adversus fluctus se munire, ut in suo quasi præsidio positi,
E audeant certatim Oceani undas despicere. Accessit postea Danorum & Normanorum in has terras irruptio, qui Aggeribus fossisque cuncta diligentius muniverunt. Remanet hodieque ipsorum nomine regio inter Amsterdamensem agrum & Trajectensem, quem DENEMARCKAM vocant, licet usitatius sit verbulum Ecclesiasticum Præpositurae sive *Proosdy*. Quin & nomina ipsa Zelandiæ Hollandiæque a Danis profecta creduntur, apud quos est Insula ZELANDO & Regio OLANT. Sed & Saxones Aggerum exstruendorum peritos, suam in Holandia industriam exeruisse, testatur
F vicus *Sassem*, vel *Saxenheym*, qui suo vocabulo vicum denotat Saxonum. Francos quoque, quorum hæ sedes natales sunt, multum in hanc partem contulisse verisimile est, quum ipsis debeat Gallia AGGEREM, qui Ligeri objectus adhuc durat, sicut ex Legibus Caroli Magni videre licet; neque enim credibile est, eos industriam suam in Gallia voluisse ostendere, neglecto patrio suo solo. Ita ergo Hollandi non tantum natales suos agros munire didicerunt, sed ad eam usque AGGERUM

ſtruendorum famam pervenerunt, ut vicini & remotiores populi, ſi vel excluſo mari terras ſuas augere, vel damna ſibi a mari fluminibuſve illata reſarcire vellent, non aliunde ſibi quam ex ea regione peritos artifices accerſendos putarent. In Mejeri *Hiſtoria Flandriæ* ſic ſcriptum eſt ad Annum MCLXXX. *Aggeres factos lego ab Hollandis, earum rerum longe peritiſſimis, ab Dammis ad Sluſam uſque Lamminsvliet tunc dictum, atque extruſum mare, quod eum tunc tractum inundaverat.* Et rurſum: *Hollandi foſſores, (ſicut referunt Dammenſes) qui* AGGERE *facto & mari excluſo Dammum condiderunt,* DIE DOLPHORUM *cognomen accepere.* DIE DOLPHI *enim ſonat idem quod, qui foderunt.* Sed quum AGGERES plerique per Hollandiam Zelandiamque ex terra & ceſpite congeſto facti ſint, memorabile eſt, prope Medemblicum in Septentrionali Hollandia, quæ eadem quoque Friſia dicitur Occidentalis, ſpectari AGGERES ex alga, ſine alius materiæ mixtura, qui vicini maris impetum excipiunt. Eſt autem alga excrementum maris. Hæc ubi accolarum induſtria coacervata conſedit, ſenſim in eam duritiem compingitur, ut moles ſaxeæ vix poſſint ſolidius dare firmamentum.

Sunt etiam multis in locis chelæ ex lignorum faſcibus factæ, præſertim in portuum procurrentiis. Faſces autem illos ingentibus palis jungere, & ſaxis interjectis firmare conſueverunt. Neque dici facile poteſt, quam ſit ſtructura iſta eludendæ maris proterviæ idonea. Materies enim rara quum ſit, minimeque compacta, admittit fluctus & admittendo frangit, ſine totius operis detrimento. Salſugo vero etiam faſces illos adverſus putredinem adſerit. Crediderim, ſi ad iſtum modum RUPELLANI AGGERES facti fuiſſent, haud minus idoneos futuros fuiſſe, quam fuerunt ſaxei. Obſervavi autem in Holandia, Zelandia, Friſia, & aliis locis, ubi terræ a maris illuvie ſenſim ope Aggerum vindicatæ ſunt, ſemper ultimos & exteriores Aggeres primis & interioribus eſſe altiores: ipſum quoque agrorum & pratorum interiorum fundum eſſe exteriorum agrorum fundo depreſſiorem. Quin & in intimis illis locis adhuc ſi quis fodiat, deprehendet aliquando arborum truncos & late diffuſas radices: quod quidem certiſſimum argumentum eſt, Bataviæ ſolum multo olim fuiſſe quam nunc cernitur depreſſius. Vidi in Zelandia integras plateas effoſſione detectas, ad quarum latera adhuc ſpectabantur nuceta. Quum Anno MDCIV. privatas ob cauſas meas Dordrechtum Leida proficiſcerer, cum Joanne Hauteno Leidenſis urbis Secretario, & tunc forte ad Moſam Delfenſis Portus cataracta reficeretur, oſtenſi ſunt mihi a foſſoribus arborum trunci, ipſo portus alveo depreſſiores, pedibus quindecim. Neque dubium eſt, quin is olim extimus fuerit Batavici ſoli fundus. Idem quoque obſervavi Anno MDXCVII. quum Leidenſis urbis foſſæ purgarentur: abductis enim aquis, & effoſſa ad aliquot pedum altitudinem terra, conſpectæ ſunt arbores longa ſerie, quas olim in ſuperficie agri Batavici ſtetiſſe neceſſe eſt. Ita ſcilicet auctæ ſunt terræ, & priori ſolo inducta veluti cruſta, quam poſtea aggeribus munitam eodem ſtatu conſervaverunt. Quo fit, ut qui nunc navibus in æſtuariis pleno mari vehuntur, videant interdum cum ſtupore arva, ſegetes, paſcua, ipſaque arborum cacumina, infra ſe trans Aggerem ſita: quique intra Aggerem degunt, ſuſpiciant maria & naves ſupra ſe poſitas; nec ſit regionibus illic integris perdendis via certior, quam perfoſſio Aggerum; quæ ſive tempeſtate fiat, ſive malitia humana, indubitatum exitium adfert. Sed de AGGERIBUS maritimis per Flandriam, Hollandiam, Zelandiamque iſta ſufficiant.

Ex horum vero conſideratione patet, quam ſint Regis noſtri ad RUPELLAM AGGERES ab iſtis diſſimiles. Nam iſti ex terra fere ſecundum decurſum æſtuariorum aut fluminum ſunt exſtructi; at illi in ipſo mari fuere, ex ſaxo, oppoſiti Oceano, fueruntque obſidionales & tranſverſarii. Non habent Hollandi, vel Flandri, vel Zelandi ullum talem; neque in obſidionibus unquam iſtius generis Aggerem moliri conati ſunt militiæ apud ipſos ductores, ſive operis & impenſarum difficultate abſterriti; ſive quod nondum tale quid exegerunt bellorum occaſiones; ſive quod regio ipſa id non concedat. Nullam enim habent Hollandi urbem oppoſitam Oceano, ſed æſtuariis tantum & fluminum ingentium oſtiis alluuntur. Oſtendæ nullum in portu Tranſverſarium Aggerem fecit Spinola; nec potuit, quum alterum tantum littus poſſideret. Neoportenſis portus diſcludi poſſet Aggere, ſi quis urbem potentior obſideret; poſſet & Dunkercanus. Bononienſem clauſit Maximianus. Sed hæc talia moliri non eſt niſi Regis; conſulere & ſuadere, non niſi ejus, qui alta & exaggerata mente naturæ opera ſcrutari auſus, invenit viam ſolus, ubi alii fere omnes deſperarunt: talis vero fuit in Gallia noſtro ævo Cardinalis ille de Richelieu. Quod ſi de Lucrino dixit Horatius,

—— receptus
Terris Neptunus claſſes Aquilonibus arcet
Regis opus,

quanto verius REGIUM OPUS dicendum eſt iſtud, quod vim & proterviam omnem Oceani ſuſtinuit, domuitque tandem domitricem vicini maris Rupellam?

CAP. XIV.

Silva Canina in Hollandia Honts-bos.

PRæter ſabuloſos montes, quos vetere adhuc Celtarum voce *Dunas* appellamus, objectos a natura Oceani violentiæ, præterque AGGERES, quos incolarum induſtria exſtruxit, eſt locus in Hollandia, ubi naturæ, præſidium terris facere molientis, impetus videtur defeciſſe, & Oceani tempeſtatibus ſuccubuiſſe. Videas igitur ibi longum inter ſabuloſos colles ſpatium, patens Oceano, in quo muniendo accolarum ſe exercet induſtria. Locus is eſt apud Pettemum, Hollandiæ vicum, vix tertio milliari ab Alcmaria. Hic littus non ſenſim decreſcit, ſed ſtatim abit in pelagus; neque mare arenas projicit, ſicut aliis in locis fit, ad colles exſtruendos: ſed ſi quid arenarum aut terrarum eſt, haurit & abſumit. Care conſtat accolis hic locus: coguntur enim perpetuos ibi habere inſpectores Chomarcos & fabros ad damna reſarcienda. Vocant vulgo locum *Honts-bos*, quaſi dicas, *ſilvam caninam;* ſive ob ingentem ſtrepitum qui illic exauditur, aquis inter robora & ſaxa luctantibus; ſive vocis depravatione, quum verum ſit *Houts-bos*, quod valet *ſilvam conſtantem ex palis & roboribus*. Hadrianus Junius in *Hiſtoria Bataviæ* locum iſtum graphice deſcribit. Ejus verba hoc loco inſerui: „ Habet, *inquit*, Hollandia claram, ſævitia & periculi magnitudine formidoloſum monſtrum, alteram Scyllam: ut ſi quid divinitatis ineſſe immanibus rebus, peſtibus, monſtriſque cenſendum ſit, (quod ideo fortaſſe finxit Antiquitas, quod per ea plecti ſontes punirique ſcelera divinitus crediderint) huic, de quo dicam, loco eam quoque opinionem adfingamus. CANINAM SYLVAM accolæ nominarunt, quod murmu-

„ rantis

„ rantis maris fremitus & undarum fragor perpe-„ tuis latratibus eum locum circumsonet, & con-„ tinuatis nocte dieque assultibus tundat, convel-„ lat, dissipet. Cujus furori opposita surgit Mo-„ LES immanis, mortalium manibus laborata, „ quam vere Cyclopeam dicas, ardui montis ca-„ put superans, propugnaculum infirmum futu-„ rum adversum canes illos, nisi assiduis operis „ confirmaretur & cresceret semper decrescendo: „ quando mare illud prodigum, quod ludit sub „ mole illa depressum amplius, quam quo telum „ robusto lacerto excussum adjici possit, cuncta „ aut haurit & absumit, aut in tempestate ejectat. „ Vidi namque ducenaria marmora pilarum instar „ fuisse evibrata decumanis fluctibus in planiciem „ MOLI subjectam. Eam vero MOLEM ordines pa-„ lorum inter se valide consibulatorum alte depa-„ cti, & fistucis adacti, dissepiunt, spatia inter-„ media farturis opplentur acervanturque, quæ „ constant immensi ponderis saxis aggestis. Anni-„ versariæ fabrorum atque opificum operæ assidue „ illum communiunt, delectis viris ex Optimatum „ numero pro Magistratu illic agentibus, qui tra-„ bes convehunt, saxa comportant, marmorum „ pondera moliuntur. Moles autem illa ad tria „ passuum millia secundum mare littoris loco ex-„ porrigitur, Cori furori imprimis obnoxia, de-„ finitque apud Petremum, tribus milliaribus Alc-„ maria dissitum. Interius est alius AGGER, quem vocant *Slapaert*, quasi dicas *Dormientem*, quod is securitatem accolis præstet, adeo ut in utramque aurem dormire iis liceat, qui intra hunc Aggerem degunt. Sed nunc absumta Canina illa quam dixi Silva, Moles illuc usque translatæ sunt, estque adhuc interius alius AGGER factus ad securitatem indigenarum. Hæ Moles quum sint alterius generis, non sunt cum AGGERIBUS Regiis ad Rupellam conferendæ. Illæ ad defectum naturæ supplendum factæ sunt; isti naturam ipsam vicerunt, & ad obsequium Regis coegerunt: illas perpetua necessitas perpetuas facit vel optat; horum post expugnatam urbem aut deditam nullus est usus.

CAP. XV.

Moles in Walachria, Zelandiæ Insula, objecta Oceani furoribus.

IN insula Walachria, cujus nomen ipso Zelandiæ nomine est antiquius, prope West-Cappel & Domburg vetus oppidum, fama & legibus celebre, in Occidentali parte Insulæ, ubi deficiunt arenarum tumuli furentis Oceani æstibus a natura objecti, coacta est accolarum industria Aggerem exstruere, eumque palis & ingenti marmorum ac saxorum inter palos conjectorum copia munire; ne mare impetu suo perruptis obicibus Insulam invaderet. Inter palos autem majores fistucis firmatos, sunt alii minores, ad rumpendum fluctuum impetum dispositi. Sed & saxa ita locata, ut inter ea ludant undæ, & enervatæ vim amittant: statim enim excipit locum illum altum mare, quod Insulam irrumpens, vel eam inundaret, vel factis æstuariis eam totam in duas pluresve Insulas minores divideret. Præsunt & huic Aggeri, ut in Hollandia ad Silvam Caninam, Chomarchi, quorum est, labem restaurare, & si quid imminutum sit, reficere: maxima enim saxa paullatim atteruntur, & minimam formam, eamque fere orbiculatam, adesis angulis adsumunt. Quin & majore interdum vi ac tempestate procul extra palos vibrantur, multo quam cata-

A pulta facere posset vehementius. Hoc opus si cum Regis nostri opere conferatur, easdem habet differentias quas Silva Hollandorum Canina.

CAP. XVI.

Portus Hafniæ in Dania a Vandalicarum urbium confœderatis depressis in eum navibus obstructus.

HAFNIA, nobilis Daniæ civitas, & totius Regni prima, ad Mare Balthicum sita est in Insula Zelandica, omnium necessariarum
B ad vitam rerum proventu abundante. Respicit autem Orientem versus exiguam quandam Insulam *Amagger*, quæ intercurrente angusto freto Portum efficit, recipiendis navibus & exercendæ negotiationi peridoneum; ob quam rem Dani urbem illam vocant KIEPMANS-HAFFEN, hoc est, *Portum Mercatorum*. Eam, exorto inter Vandalicas civitates & Regem bello, conati sunt molibus injectis claudere, ut obsessi fame & longioris belli tædio cogerentur deserto Rege ad ipsorum partes transire. Sed frustra. Historiam refert Albertus Krantzius libro XI. *rerum Vandalicarum* ca-
C pite XV. *Vandalicæ urbes suscepto adversus Regem Danorum bello, classem armaverunt* CCLX. *navium. Generalis in omni classe Capitaneus constituitur Gerardus Dux Slesvicensis, qui prætoriam navem militibus Holsatis implevit: duxeruntque in Insulas Daniæ prædatum. Nemo illi classe occurrit. Duodecim millia erant ad pugnam militum. Duxere in Portum quem vocant Mercatorum*, (Hafniam intelligit, quæ Danis dicitur *Kiepmans-haffen*, quod valet, *Portum Mercatorum*) *quod ibi velut Regni capite Regia haberetur. Sed multum diuque ibi laboratum est inaniter, quum non procederet obstruendi portus consilium. Conseruere enim trabes in mare di-*
D *missas, ibique velut in solo pugnantium bombardas imposuere. Viriliter pugnant. Nec tamen Dani, qui naves suas opportunis locis in Portu constituerunt communieruntque, tum quievere. Multa utrimque accepta incommoda; sed majora de parte Danorum fuerunt. Non poterant tamen Urbici ad interiora penetrare, probibiti fixuris trabium, & assiduis ictibus bombardarum. Qua de re Vandalicarum urbium confœderati ut Portum interciperent obstruerentque, ex singulis urbibus unam, & eam veterrimam, delegere navim, quam in Portu demergerent, ut omnem aditum exitumque intercluderent Danis, injectis in naves grandibus saxis. Div fere ex æquo maris quæ*
E *obstruerent intervalla. Et aliis quidem urbium militibus satis prospera fuere quæ instituebant. Soli Wismarienses, incauti, navem suam in longum per incuriam demisere, quæ fuit agenda in transversum. Igitur Dani ista molientes, Urbicos* (intelligit Vandalicarum civitatum confœderatos) *viriliter impugnavere, perfeceruntque, ut intermisso opere, tanti conatus & impensæ frustrarentur*. Qui scit, quid sit discriminis inter fretum in Mari Balthico & sinum ingentis Oceani, & quantum tarda Danorum ac Vandalorum ingenia calidis cedant Francorum ingeniis, fatebitur, non esse illorum ope-
F ra cum REGIIS AGGERIBUS conferenda.

CAP. XVII.

Pons Alexandri Farnesii, Ducis Parmensis, in Scaldis ostio, quum Antverpiam obsideret.

NON statueram initio Pontem Alexandri Farnesii Scaldi impositum huic Operi inserere, quod judicarem eum ab instituto meo alienum, ut qui de Pontibus, Molibus, Aggeribusque ad mare duntaxat structis scribere instituissem: nam si extra hanc lineam ad Amnicos Pontes diverterem, quis tandem esset Operi futurus finis aut modus? Sed quum postea adverterem, non tam flumini fuisse impositum Pontem illum, quam Oceani Germanici æstuario, ubi reciproca sunt quotidie pelagi incrementa & decrementa; & aqua non dulcis, sed salsa: quumque meminissem, ostia ipsa amnium, Maris vocabulo indigetari, in Sequana, Garumna, Rhodano; non putavi amplius dubitandum, quin PONS ille esset etiam ad nostra signa revocandus & Maritimis accensendus. Alexander igitur Farnesius Parmæ Dux Anno MDLXXXIV. captis præcipuis Flandriæ Brabantiæque urbibus, quum statuisset Antverpiam quoque, urbem potentissimam & munitissimam, expugnare, judicaretque nullam esse certiorem ejus capiendæ viam, quam si obstructis terra marique omnibus itineribus, alimenta obsessis præcluderentur, videretque per medios tormentorum aheneorum ad utrumque Scaldis marginem dispositorum ictus, volare naves ultro citroque indemnes, etiam cum ludibrio obsidentium, statuit Pontem amni injicere, atque illa ratione subvectiones Hollandorum & Zelandorum impedire. Fluit autem Scaldis ab Austro in Septentrionem, separatque Brabantiam a Flandria, quarum illa secundo amni decurrentibus & Zelandiam petentibus dextera est & Orientalis; hæc sinistra & Occidentalis. In ora Flandrica vicus est Callous, cui propinquum fecerat Parmensis Præsidium Sanctæ Mariæ. In ripa autem Brabantica sunt, Antverpia, Ordamum, Lilloa: struxeratque Parmensis vicinum Ordamo Præsidium Sancti Philippi. Fuerunt quidem & alia sparsim ex utraque ripa Præsidia minora, sed duo hæc, quæ dixi, fuerunt præcipua. Si Pontem istum conferas cum Molibus Aggeribusque Regiis, deprehendes, utrumque fuisse Obsidionalem, utrumque Transversarium, utrumque Temporarium, utrumque pari fere situ ad cardines cæli; parem quoque utriusque operis eventum & effectum; postremum, utrumque simili fere modo ab obsessis & obsessorum sociis oppugnatum; sed Regium tanto validius quanto Rupellæ fuit vicinior: nam PONS FARNESII aberat ab urbe Antverpia CCC. mill. passuum, & non potuerunt, nisi submissis navibus, tormenta & machinæ adhiberi ad impediendam structuram, quum Rupellani ex vicinia continuis ejaculationibus molesti fuerint iis, qui AGGEREM Regium moliebantur. Accedit, quod Sinus ad Rupellam sit spatiosior quam sit Scaldis; quodque difficilior sit in Oceano structura quam in amnis ostio.

Sed spectemus opera Farnesii. A duobus igitur illis majoribus quæ dixi Propugnaculis, trabes ingentes longo ordine ad ripam in flumen fistucis adactæ sunt, pedum XXX. postea XXXV. tum XL. ac postremum L. donec alvei altitudo ulterius trabes defigi vetaret. Hæ trabes obliquis sublicis & tignis transversis firmatæ, sufficiebant ad frangen-

A dum fluminis labentis impetum. Postea trabibus illis tignisque impositæ sunt tabulæ, quæ Pontis loco erant ad plaustra & homines ferendos. Hoc opere amnis utrimque contractus, & CIƆ. amplius pedes angustior redditus est. Sed patebat adhuc in medio relictum spatium CIƆCCC. & amplius pedum. Id omne XXX. navibus clausum, quæ XXX. pedum & amplius intervallo inter se distabant. Singulæ vero duabus ancoris firmatæ, quarum una contra maris accessum, altera contra recessum obluctabantur. His rursum navibus mali impositi erant & asseres. Erant autem naves inter se

B IV. catenis ac totidem rudentibus nexæ, habebantque singulæ bina & in prora & in puppi tormenta muralia, ac præterea XXX. milites. Hoc Ponte licebat ex Brabantia & Flandria ultro citroque pedestri itinere commeare spatio duorum millium & quadringentorum pedum. Erant & rates utrimque paratæ ex malis navium & quadratis trabibus, intervallo quodam junctis. Eæ rates a Ponte distabant utrimque pedes circiter IƆ ut quicquid adversus Pontis naves impelleretur, hoc loco hæreret, donec ex propugnaculis, navibus, & Aggeribus tormentorum muralium vi in profundum demergeretur. Advectæ præterea naves

C undique conquisitæ, quæ utrimque dispositæ, & præsidiario milite firmatæ, Pontem tuebantur. Dum Pons struitur, utrimque in aggeribus tormenta fixa fuerunt, & militum plurimæ cohortes, qui navigationem infestam ac periculosam transeuntibus facerent.

Verum ea fuit nautarum sive militaris audacia, sive sollertia, ut interea dum opus conficitur, quod non nisi septimo post mense absolvi potuit, navigationem non intermiserint. Ad suæ autem urbis defensionem Antverpiani variis locis tam in Flandria, quam in Brabantia, municiones, præterea antemurale sive sepimentum extra urbem

D prope mœnia, inter arcem & portam Cæsaream construxerunt. Sed & machinas ad Pontem diruendum apparabant. Earum fabricator erat Fridericus Junibellius Mantuanus Mathematicus & Mechanicus insignis, qui specimine artis suæ coram Regina Angliæ edito ad Santaldegondium Consulem Antverpiensem missus fuerat. Postulaverat is sibi dari tres naves vastæ magnitudinis, primam CL. alteram CCCL. tertiam cui Leoni nomen IƆ. amphorarum capaces, in quibus ex cæmentitia materia meatus ac cuniculos struxerat. Petierat præterea LX. naves latas, plana carina, quæ rudentibus, catenis, ac trabibus nexæ, su-

E pra aquas æstu accedente semilunæ specie fluctuarent, singulæ cum duabus ancoris sive uncis dimidiatis, quæ decem pedes aqua exstantes obvia quæque vehementi impetu traherent raperentque. Sed, ut in consessu tot hominum sententiis discordantium, neque unius, sicuti in tanto periculo necesse erat, imperio parentium, non solum res in longum inutilibus disputationibus extracta, sed præpostera parsimonia postulatis Junibellii multum detractum fuit; tantumque illi duæ naves minores, quibus Fortunæ & Spei nomina erant, attributæ, utraque tantum LXX. aut XXC. amphorarum capax; ac decem aliæ ca-

F rinis planis, quas *Pleitas* Belgæ vocant. Machinarum hæc erat ratio. Naves duas firmissimis carinis constructas, tabulis & asseribus robusteis undique vallaverat Junibellius, & arcam in unaquaque ex lapidibus albis majoribus, V. pedum latitudine superstruxerat, interius longam pedes XL. latam & altam III. cum dimidio: tum in unam pulveris nitrati librarum X. millia, in alteram septem millia & quingentas imponit, & utramque magnis lapidibus cæruleis sepulcralibus

tegit: ita ut frons seu cuspis sex pedes lata promineret, & firmitate sua explosos tormentorum globos potenter averteret. Porro in arcis patebant foramina; quibus funalia ignea indita erant. Supra ipsas naves machinam ignitam ædificaverat Architectus, quæ unius horæ spatio arderet, antequam pulvis nitratus flammam conciperet, ut, quum nihil pejus artificio metuerent hostes, securi ad spectaculum sederent, & ita non solum Pons everteretur, sed etiam ipsi incogitantes opprimerentur. Instructæ præterea erant XXXIII. cymbæ majores planis carinis ignibus artificiosis refertæ, quarum VIII. sesquihora quaque aquis refluentibus simul ardentes descenderent. Rursus, quo magis fallerent, aliæ, urinatrices dictæ, paratæ erant, quæ pulvere nitrato, quem capiebant, incenso, hostium rateis Ponti circumdatas flammarum vi propius accedente absumerent, eo consilio, ut hostis irritatus explodendis omnibus suis machinis spatio duarum horarum occuparetur, lassusque demum desisteret, circa id tempus, quo duæ naves incendiariæ medio alveo ad Pontem appellerent, alteraque post alteram opus destinatum exsequeretur. Igitur postridie quam Liefkensana munitio capta est, hoc est, pridie Non. April. promota classis. Sed culpa Jacobi Jacobini maris præfecti, sive ea socordia sive improbitas fuit, gravissime peccatum est: nam quatuor illæ octonariæ classes præpropere continuo ordine, amni jam recedente, æstui decrescenti commissæ fuerunt, quas incendiariæ illæ duæ naves celerius quam oportuit subsequebantur, earumque una ante tempus constitutum incensa fuit. Erat illi horologium instrumentum aptatum, quod laxatum citra ignarii funiculi opem ignem extundebat. Itaque recedentibus aquis juxta Pontem provecta, nullo damno hostem affecit. Stabat Parmensis in aggere, venientem procul classem, & incendiarias naves respiciens, qui, priorem illam navem nullo effectu ad Pontem usque processisse videns, vanos obsessorum conatus credebat, fumumque tantum ex illa flamma, neque aliud præterea operæ pretium emanaturum credebat. Itaque relicto ad Pontis custodiam Roberto Meloduno Risburgii Marchione, & Gaspare Roblesio Billio, instante Vega, primario Centurione, veterano milite, ut se reciperet, cum Cæsare Davalo Vastii Marchione & Nicolao Cæsio Comite, ad S. Mariæ munitionem retro iter intendit. Ex octonariis illis classibus una ad ripam incubuerat, haud longe a munitione hostili, quæ ignem concipiens, præsidiarios propius stantes discerpsit. Altera, ad objectas trabes ratis Ponti prætensæ hæsit. Tertia, ulterius progressa, ad sublicas usque in flumen fistucis adactas, qua proxime Ponti jungebantur, itidem diu hæsit, antequam ignem conciperet: quo conspecto, tormentarii, aliique hujusmodi rerum periti, qui in Ponte erant, impetum ceperunt in naveis illas, ad ignis fontem restinguendum accedendi, ac plerique in eas insilierunt: alii etiam ultro intra naveis ipsis machinæ rationem propius inspecturi, penetrarunt; qui, subito ignem concipiente pulvere, cum ingenti & formidabili fragore in particulas discerpti sunt: tantaque vis concepti ignis a nitro impulsi fuit, ut navis ipsa minutatim dissilierit, nullæque ejus partes usquam dein conspectæ sint, tantusque fuerit contra subjectam aquam impetus, ut turbatæ undæ extra alveum effusæ, & fundo pene in sicco destitutæ, hinc inde, immensa mole dissilientes, utramque ripam longo spatio nudaverint, atque adeo Calloanam munitionem tanta aquarum restagnantium copia repleverint, ut ad

A genua usque milites incedentes madefierent, extinctis ubique funibus tormentariis, ac tormentis ipsis, sclopetis, aliisque igniariis machinis ita madefactis, ut, si ab hoste impetus sub id factus esset, nullo usui esse potuerint. Sex Pontis naves disjectæ ac confractæ, aliæ inversis carinis submersæ. Obvii quique in altum rotati ac discerpti, ad DCCC. usque, (Hispani tantum D. dicunt) alii innumeri membris lapsu, aut lapidum & clavorum fragminibus mutilati, alii denique insolito ictu passim, qua fragor pertingere potuit, quasi de cælo tacti ad duorum milliarium usque spatium conciderunt. Ipse Parmensis, qui haud B ita longe præcesserat, cum suis terræ adflictus est, unde consurgens, subitoque collectis viribus ad Pontem advolans, ad tantæ stragis miserandum spectaculum primo obstupuit, mox, ut erat intrepido ac præsenti in periculis animo, postquam nullam hostium e longinquo classem venientem conspexit, in spem erectus, Ponti instaurando, ope suorum ad strepitum undique accurrentium, summa diligentia incubuit, adeo ut edita pridie ruina noctis illius continuo labore sarta fuerit, sed mutata structuræ ratione, ita ut Pons ubi naves ignivomæ propinquarent, se bipatentibus C valvis aperiret, & naves illæ sine ullo maleficio pertransirent. Disclusi hoc pacto ab Hollandis & Zelandis Antverpienses, coacti sunt tandem sese dedere Anno CIↃ. IↃ. LXXXV. die 17. Augusti. Nos tunc Goezæ oppido Zelandiæ, quod sex inde milliaribus abest, degentes, fragores illos & immanem sonum audivimus, mirati, ipsas quoque fenestras vitreas Musei nostri effractas aeris commoti impotentia fuisse.

D

CAP. XVIII.

Aggeres Regii ad Rupellam per Sinum Oceani Santonici transversim acti.

Atque hactenus quidem aliorum spectavimus opera, diversis orbis locis ad mare exstructa, tumulos ad experimentum altissimi æstus congestos, tum AGGERUM MOLIUMQUE diversas species: alibi quippe injecta sunt in mare saxa & arbores, ad claudendum fretum, & jungendas continenti Insulas: alibi secundum littus adgesta est terra, ad conservanda ab æstuariorum E impetu loca interiora: alibi AGGERES tumulis circumjecti, ad augendas regiones semel mari ademtas. Vidimus quoque MOLES & Acroteria sive Promontoria ad exemplum naturalium facta ab accolis maris, ex terra, fascibus, alga, saxis, aut navibus in fundum demersis; ad hæc, curvaturas & versuras portuum, chelas, crepidines, & quæcumque vel ingeniosa necessitas homines ad sui tuitionem facere docuit, vel luxus suasit ditioribus, cum Pontibus mari impositis, aliisque ejus generis operibus: superest nunc ut AGGERES a Ludovico XIII. Christianissimo Franciæ & Navarræ Rege, Portui Rupellano injectos videa- F mus: hi vero etsi quædam cum aliorum operibus habuerint communia, tamen illud habuerunt egregium præ ceteris ac singulare, quod transversim per Sinum ipsum sive Portum acti sunt; quod non flumini, non Mari Mediterraneo, non lacui, sed ipsius Oceani furoribus & inclementiæ oppositi, rabiem ejus omnem atque impetum exceperunt; quod non ad tuendam regionem, sed ad obsidendam urbem & impediendos aditus exitusque ultro citroque commeantium inventi fue-

rint; quod intra teli hostilis jactum structi; postremum, quod non in id facti sunt, ut semper durarent, sed ut essent temporarii: nullus enim eorum usus futurus erat capta urbe. Tales vero AGGERES nusquam hactenus terrarum exstructi aut visi sunt: non Græci, non Romani, non Dani, non Hollandi tale genus, vel in bellis suis, quæ ingenio potius quam vi geruntur, vel extra bellum excogitarunt. Fertur Guilielmus Hollandiæ Comes quum ad Imperium ab Electoribus evocatus Aquisgranum Majorum more obsideret, ut redacta in suam potestatem urbe, insulis poti-retur Imperii, obstructo prædaltis AGGERIBUS alveo amnis qui urbem perlabitur, & terra in orbem adgesta, ut aqua elabi nulla parte posset, eo adegisse obsessos, ut crescentibus aquis metuerent diluvium, seque victori dederent. Ingeniosa quidem & digna Batavis inventio; sed quid illa ad MOLES nostras, quibus hinc Oceano, illinc fortissimæ urbi fræna injecta sunt? Quoquo te vertas terrarum, & rerum præteritarum memorias lustres, nusquam offendes opus huic simile. Nullum tale exstat Herculis, nullum Alexandri, nullum Demetrii Poliorcetæ, nullum Cæsaris exemplum. Sed petenda est res paullo altius. LUDOVICUS igitur XIII. Francorum & Navarræ Rex Christianissimus, idemque justissimus, quum ægerrime ferret, cives suos in tantum fidei suæ & in Reges obsequii oblitos esse, ut facta cum Anglis conjuratione externum militem evocassent, tentatis frustra omnibus viis quibus ad officium adduci possent, videns irrita esse consilia gratiæ & clementiæ apud homines efferos, statuit tandem urbem munitissimam, & viribus suis præfidentem, obsidere, & vel vi expugnare, vel cinctam indagine lassare tamdiu, donec longa & lenta fame ad deditionem compelleretur. Est autem littus omne Santonicum ab Occasu hiberno ad Ortum æstivum ita per varias Sinuum curvaturas porrectum, ut Rupella Septentrionem spectet, Portus vero ab Ortu hiberno ad Occasum æstivum porrigatur, quo fit, ut naves flante Borea nunquam Oceani Aquitanici tempestatibus agitari possint; ingressuris autem Portum secundus sit Libonotus, *Sud-Ouest*, Promontoria ejus Sinus duo in altum porriguntur, Bajense, quod Occidentem spectat, & Coreilium, quod Orientem: istud Portum intrantibus dexterum est, illud sinistrum. Est autem Bajense multo quam sit Coreilium longius, magisque in mare porrectum, adeo ut extrema Coreilii lingua medio fere spatio respondeat ejus lineæ, quæ a lingua Promontorii Bajensis Rupellam usque extenditur. In medio isto spatio patet Sinus latitudine fere MM. passuum, sive stadiorum sedecim, qui intra horas XXXIV. bis experitur maris incrementa & decrementa. Itaque dilapsis undis propemodum exsiccatur, nisi quod in medio alveus adhuc relinquatur, qui tamen vado transmitti potest; sed alto ac pleno mari ita totus impletur, ut ad X. pedes quotidie adsurgat æstus, noviluniis vero & pleniluniis ad XII. æquinoctiis vero Martii & Septembris, itemque solstitiis, multo etiam altius. Distat quoque Rupella a Plymuthio, qui est præcipuus Angliæ versus Occasum Portus, quo classes Britannicæ aliæque Oceanum Atlanticum petentes convenire solent, intervallo CX. fere leucarum, quod spatium secundis ventis solet bidui, aut tridui navigatione confici. Hunc ergo Sinum Rex quum terrestria omnia itinera circumquaque vallo, fossa, castellis undecim, præsidiisque pluribus munivisset, statuit claudere, & Rupellanos exitu, Anglos aditu prohibere, ut obsessi destituti cibariis, quæ ex Anglia & aliunde subvehi poterant, fame tandem ad deditione cogerentur: videbat enim, & recentibus Antverpianorum atque Ostendanorum exemplis didicerat, pleno mari & secundis ventis non posse ullis tormentorum ad littus utrimque longo ordine dispositorum ictibus subvectiones maritimas impediri. Etsi vero non ignoraret, derideri consilia ista a Rupellanis, existimantibus nunquam celeres & impatientes longioris moræ Francorum animos in obsidione illa perennaturos, bellique pericula, & incommoda frigoris, æstus, pluviarum, ventorum, morborumque ac tempestatum maritimarum toleraturos, aut, si omnino decrevissent pertendere, futurum tamen, ut vel Oceani fluctibus moles illæ diffringerentur, vel Anglorum, qui ex Reacensi Insula, (nondum enim tunc ex ea pulsi fuerant) aut, si opus esset, ex ipsa Anglia magno numero suppetias obsessis venturi essent, navibusque suis & machinis pulverariis omnia dissiparent, a continuanda obsidione desisterent; tamen caussæ suæ bonitate, & Deo, Franciæque nobilitatis virtute fretus, statuit decreto insistere. Magnum habet in bellis momentum prima virtutis fama, cui si insistatur feliciter, mirabiles solent rerum eventus consequi. Equidem huic Regis constantiæ Anglorum in Reaco Insula defendenda desperationem & sequentium victoriarum successum tribuendum puto. Omnes igitur vires suas cogitationesque Rex ad claudendum Sinum convertit. Hic vero multorum animos tristis fere invasit desperatio, considerantium Sinus amplitudinem, Oceani violentiam, vicinitatem Rupellanorum, & audaciam novitatemque operis. Quis enim XVI. stadia, & quomodo, quibusque molibus aut artibus occuparet? Navibusne? quibus postea Pons insterneretur, sicut a Dario in Bosporo, a Xerxe in Hellesponto, a Parmensi Duce in Scaldis ostio factum est? At spatium hic multo majus; neque conferendæ sunt tempestates quæ in fretis fiunt, cum iis quæ in Oceano Aquitanico excitantur. Et, unde naves tam multæ? unde tot navium armamenta, ancoræ, restes, mali? quæ omnia jam parata esse tale opus adgredienti oportebat. Et finge adesse cætera. Quæ vis navium, restium, ancorarum possit Oceani frementis furori obsistere? Quod si palis robusteis in fundum actis trabibusque rem tantam adgredi placeret, sicut ad Bononiam a Maximiano factum est, unde materies, procul inde remotis sylvis? neque enim hic Libanus ad manum, ut olim Alexandro ad Tyrum; non sylva Gessoriaca, ut Maximiano. Et, Quomodo, inquiebant, trabes in fundum adigantur, qui sub limo statim constat ex solida rupe? Quibus machinis rupes sub aqua excaventur, ut postea fistucis impellantur sublicæ? Si terræ adgestu; occurrebat, omnia ab Oceani æstu disjicienda esse, quæque recessu maris facta essent, ea ejus accessu protinus esse dissipanda: neque eandem esse fretorum aut fluminum rationem & maris: neque posse Chaucorum Tumulos aut Hollandorum Aggeres secundum defluentium aquarum cursum exstructos, cum eo opere conferri, quod Rex furentis Oceani tempestatibus vellet objici. Eadem occurrebant Fasces & Pisas proponentibus. Quam ergo diu admodum cunctorum animos cura ista tenuisset, vicit tandem difficultates omnes alta & exaggerata RICHELII Cardinalis mens, qui ex ipsis etiam obstaculis subsidia atque adjumenta capiens ad exsecutionem Regiorum decretorum, Quid cessamus, inquit? & agendi tempora nihil profuturis querimoniis perdimus? Sternatur AGGER ex saxo. Lapidem dabit vicinum hoc solum; Artifices & architectos, ingeniosa Gallia; Bajulos & plaustra, ager iste Santonicus; Latomos, sectores, qua-

dratarios, structoresque Lemovicium; Animos Deus; Impensas Rex. Ego non tantum facultates meas omnes libenter erogabo, sed etiam vigilias laboresque animi & corporis ac denique vitam ipsam impendam, Regis, & Patriæ, & Ecclesiæ bono, adversus eos qui nefarie ista tam diu oppugnarunt. Neque ulla hic calce aut cæmento est opus: quippe qui AGGEREM non perpetuo duraturum molimur, sed qui ad tempus duntaxat serviat cogendis ad officium rebellibus. Nec mora; Missi protinus qui saxa eruerent. Deprehensum, ipsam quoque Regi militari opificem rerum Naturam, cujus beneficio plus etiam saxorum ex utriusque littoris solo posset erui quotidie, quam ad AGGERES exstruendos requirebatur: quæ res tam inopinata, militum opificumque animos vehementer accendit. Certa quoque relatione compertum est, domicilia Rupellensium vix aliter in urbe exstructa esse, quam ex saxo, quod quisque ex fundo suarum ædium eruisset. Urbem totam subterraneis meatibus patere, & veluti cuniculis perambulari posse. Exciti quoque Lutetia Architecti duo, qui de operis ratione interrogati, decretum Regis, & ejus exsequendi modum, ac Cardinalis inventum vehementer probaverunt. Hi partitis inter se operis, ille ad Castrum Aurelianense, hic ad S. Ludovicum AGGEREM moliri cœperunt. Inspectorem operis & exactorem se præbuit ex Regis voluntate Mimatensis Episcopus, magni vir ingenii, quem tamen ex hac vita Deus sub initia statim evocavit. Ejus vero tanta fuit de eventu obsidionis fiducia, ut moriens caverit ne alibi quam in urbe capta sepeliretur. Latomi & quadratarii primum ingentia saxa ex rudi & impolito opere palustris advecta longa serie in littore undis nudato duplici ordine disposuerunt: postea medium intervallum conjectis promiscue per bajulos minoribus saxis leviterque dispositis impleverunt. Favebatque struentibus flustra ⸸ præter solitum temperata. Initium operis incidit in diem festum S. Andreæ Anno MDCXXVII. Sed fugit Architectos istos ratio, quod AGGERES, quos lateribus ad Oceanum spectantibus debebant facere declives, struxerint ad perpendiculum fere directos, ut muri potius quam AGGERES viderentur. Itaque Oceanus in opus illud prima tempestate insiliens, magnam eorum partem disjecit. Evenit scilicet idem Regi nostro ad Rupellam, quod C. Cæsari ad Brundusium accidisse scribit Lucanus *lib.* 2. vers. 663.

Cedit in immensum cassus labor; omnia Pontus
Haurit saxa verax, montesque immiscet arenis:*
Ut Maris Ægæi medias si celsus in undas
Depellatur Athos †, nullæ tamen æquore rupes
Emineant; vel si convulso vertice Gaurus
Decidat in fundum penitus stagnantis Averni.

Ingentes vero animos res ista addidit Rupellanis, qui per ludibrium etiam obsidentibus insultabant. Sed Rex & Magnus Cardinalis excelso animo despicientes hæc talia, nec rumores hostium ponentes ante salutem civium, multo etiam audentius opus reparare adgressi sunt, latius, & longius, & firmius. Metatores quoque Regii & Castrorum Præfecti, pulsis jam Reaco Anglis, curam muniendorum AGGERUM non ad Architectos Parisienses, sed ad se pertinere adserentes, suo se periculo cuncta restauraturos adfirmarunt. Dati ergo sunt Directores, Marillacus prope Castrum Aurelianense, Tavanius prope S. Ludovicum. Hi AGGERES fecere declives, tum versus Oceanum, tum versus urbem, usi initio eo lapide, quem tempestas disje-

⸸ Forte, *fluenta*, vel quid simile. * Rest. *vorax*. † Alii, *Eryx*.

A cerat: iidem quoque trabibus tignisque tranversariis intus opus firmaverunt, ut haberent saxa aliquid quod totam sine calce compagem vinciret & stringeret. Altitudo eadem servata, quæ ante fuerat. Declivitatis ratio ei pene fuit, ut lineæ perpendiculari XIII. pedum, linea declivis versus Oceanum pedum XXIII. ad constituendum trapezium responderet; versus Rupellam vero XVI. Cardinalis Richelejus de suo ære expensas fecit. Evocati etiam ex Lemovicio MM. opifices, cædendis & apte disponendis sine ulla calce saxis adsueti. Milites quoque, & ex vicino Alnensi Pago agricolæ, bajulorum vicem sponte subiverunt, lucri spe allecti. Ita B intra paucos dies multum promotum est. Et quia urgebat obsidentes incerta Anglorum adventantium fama, depressæ sunt inter duos AGGERES LIX. naves, muratæ intus, & valida cæmentatione firmiter obstructæ, quæ rupium instar vim tempestatum frangerent, & aditus exitusque impedirent. Hæ, postea producto longius opere, intra ipsam AGGERUM structuram comprehensæ, & saxis tectæ sunt; ut continuum & ejusdem fabricæ opus credi posset, nisi quod exstantes mali testarentur naves subesse. Hoc opus multo & firmius & augustius fuit opere, quod C. Cæsar ad Brundusium C exstruxerat. Agger Marillaci ab Occasu hiberno in Ortum æstivum ductus fuit; Tavanii contra ab Ortu æstivo in Occasum hibernum, ita tamen ut AGGERES utrimque non recta linea sibi occurrerent, sed ille paullo esset Septentrionalior, hic paullo Australior: studioque id factum, ut naves, quæ perrumpere niterentur, inter aheneorum tormentorum ictus ex utroque AGGERE emissos, tanto diutius detinerentur. Nihil autem minus credebant Rupellani & ipsorum fautores Angli, quam ut adversus tempestates furoresque Oceani Aquitanici Æquinoctiales & Solstitiales possent ista omnia subsistere. Enimvero, nisi Deus, cujus in manu D sunt Maria, Terræ, Venti, Cælum, & Tempestates, mirabiliter Regi optimo adfuisset, fatendum est, non potuisse ista tantilla Oceani totius violentiam retundere. Sed voluit Deus tam præfractæ rebellionis & hæreseos punitæ exstare istud in genere humano exemplum singulare, ut discerent quotquot in Gallia & toto orbe vivunt mortales, Christum esse defensorem Ecclesiæ suæ, & Regum Franciæ protectorem: neque ullam vim humanam ipsius potentiæ posse resistere. Dum ergo incassum exspectant Angli, ut MOLES Regiæ tempestatibus disjiciantur, & anxie novilunia, plenilunia, solstitia numerant, spatium Regi dederunt AG- E GERES ubique muniendi. Postquam vero adversus tempestates Æquinoctii autumnalis stare adhuc AGGERES, & præter opinionem suam atque omne judicium humanum continuatos, perfectasque MOLES intellexerunt, cœperunt mutatis consiliis de perrumpendis vi AGGERIBUS & disjiciendis MOLIBUS serio cogitare. Armatur ergo classis CL. navium rostratarum, præter incendiarias, & eas, quibus machinæ vehebantur displosoriæ, similes fere illis quas a Junibellio ad Antverpiam instructas diximus ad disrumpendum Pontem. Quæ dum F fiunt, confoditur in Anglia a Scoto nobili Bukinghamius, auctor, & (post miserum illum Abbothum Cantuariensem Pseudo-Episcopum) incentor & dux omnium malorum, suffectusque est in ejus locum Essexius.

Nunquam magis patefecit Deus judicii sui potentem dexteram, armatam ad defensionem populi sui & hostium vindictam, quam in inopinata cæde Buckinghamii. Apparuit primum classis Festo S. Michaelis Archangeli, qui Franciæ totiusque Christianitatis, & Regis esse creditur tutelaris Præses, seque applicuit ad Promontorium

Bajense. Dici autem non potest, quanta tunc fuerit Francorum exsultatio, quanta alacritas. Accursum est protinus ex omnibus castrorum angulis ad spectaculi novitatem, ut viderent, quid post Reacensem cladem Angli iterum in Gallia, insulares in continenti, allophyli contra populum Dei acturi venissent? &, an tantum ipsis adhuc animi futurum esset, ut AGGERES MOLESQVE Regis oppugnare auderent? Erat tunc novilunium, mare solito altius, ventus etiam favens. Vidisses Nobilitatem Gallicam in littore turmatim consistere, Militem ordine dispositum, Duces ac Præfectos in prima acie phaleratos, armis coruscantibus insignes. Quin & matronæ virginesque nobiles quadrigis vectæ tanquam ad monstrum aliquod imbelle eminus spectandum in vicino littore constiterant. Indignus Francico nomine credebatur, qui tunc non arma adversus communem patriæ & Ecclesiæ hostem expedivisset. Caculæ, lixæque, & ignava castrorum turba, sibi temperare non potuit, quin & ipsi ad littus adcurrerent. Sed ante omnes Rex, statura, armis, equo, & lectissima primariorum Ducum frequentia conspicuus, obibat agmina, & suos ad fortitudinem dictis exemploque stimulabat, adversus diu exspectatum nominis Gallici hostem. Simulatque vero in remotiores Galliæ parteis, ac præcipue Lutetiam, fama adventus Anglorum perlata est, statim universa Nobilitas ad Regem suum maxima contentione excurrit. Ipse Aurelianensium Dux Guasto, frater Regis, alter Martis pullus, concitatissimo cursu, vix vale matri Reginæ dicto, (tanta fuit moræ impatientia) in castra evolavit. Plena erant omnia itinera. Creverunt castra Regis intra quatriduum ad decem hominum millia.

Kalendis Octobris sub horam tertiam pomeridianam pandunt Angli vela, & levatis ancoris componunt se, quasi æstu secundo (qui hora sexta exspectabatur) in Sinum ingressuri, sed destituens ipsos repente ventus consilia elusit. Nocte proxima mittunt machinas displosorias undecim in classem Regis. Hæ ex ferreis laminis in amplioris tubi formam aptatis constabant, plenæque pulvere nitrato, ferebantur salignis truncis. In medio transversim erant collocatæ rotulæ, similes iis quæ in horologiis conspiciuntur. Simulatque machina in solidum aliquod corpus impegisset, laxatæ rotulæ ignem in pulverem inclusum immittebant, machina vero displosa circumstantia omnia disrumpebat, magno impetu. Sed machinæ istæ omnes in obsidentium potestatem venerunt, una excepta, quæ impacta in navem Regiam, nihil aliud fecit memorabile, nisi quod multam aquam in navem injecit. Tertia Octobris commissum est prælium navale; in quo post multam ferreorum globorum ejaculationem utrimque factam, una Anglicana fulminatrix pertusa & depressa est: pulvis vero tormentarius, igne etiam sub aquis concepto, irritum fecit omnis artificii choragium, vano enim ictu aquas duntaxat in aerem ejecit. Multi eo prælio Angli periere; e Regiis septem duntaxat. Fuitque etiam hoc singulare divinæ benedictionis argumentum.

Interea loci nihilo segnius Cardinalis circumspicere, & in omnes parteis providere, ne qua ratione Angli, vel astu, vel vi possent ad Rupellanos penetrare; vigilias stationesque ubique duplicare; obire loca omnia; Aggeres, naves, machinas ordinare; tormenta expedire; milites hortari, & voce atque exemplo ad virtutem excitare. AGGERUM ea fuit ratio quam ante diximus, nisi quod versus Oceanum projecturæ in iis tum factæ sunt ex ligno, quibus tormenta imposita, & milites sclopetarii. Inter AGGERES vero duæ ingentes naves apertæ planis carinis positæ cum tormentis & militibus, ut Anglum ibi, si forte transitum moliretur, crebra globorum glandiumque ejaculatione repellerent. In extremis etiam AGGERIBUS duo erant propugnacula lignea tormentis plena, tum Arx Pompeii Targonis, ejusdem operis. Ex ipsis quoque AGGERIBUS duæ utrimque, chelarum instar procurrentes in Oceanum, MOLES structæ erant, inter quas navibus erat necessario proficiscendum priusquam ad AGGERES penetrarent. Has autem MOLES tormentis & militibus sclopetariis Rex ipse impleverat. Fecerat & Marillacus, actis in Sinus fundum trabibus, quæ tignis tranversim consibulatæ erant, impedimenta quædam lignea, quæ *Candelabra* appellabant, quibus naves Anglicanæ distinerentur. His Plesseus objecerat machinas rhombi figura, præacutis ferramentis armatas, ad injiciendam navibus moram. Quæ omnia opera claudebant naves bellicæ rostratæ & triremes; in Oceano vero ipso excubabat classis Regia.

Hæc omnia perrumpenda erant iis, qui Rupellanis obsessis laturi essent suppetias. Vincenda in Oceano classis Regia, in Sinu pugnandum cum navibus rostratis, & per tormentorum in Molibus positorum, quas ab Aggeribus in altum diximus procurrere, tonitrua, perque impedimenta Plessei & Marillaci, ad ipsas Aggerum angustias penetrandum; ubi, sive Anglos æstus destitueret, necessario pereundum erat: sive non destitueret, novum certamen subeundum cum maximorum ex omni parte tormentorum ictibus. Sed consulto abstinuerunt ab ista inceptione Angli. Quod videntes Franci transfugæ, qui desertis Regiis partibus, ad Anglos pridem, pro Rupellanis militaturi concesserant, gratiam & clementiam Regis implorandam sibi duxerunt. Postea etiam Rupellani fame enecti, irrita videntes sociorum auxilia, deditionem fecerunt, spectantibus & propinquo Anglis. Rex capta urbe in devictos omni usus est clementiæ genere, vitam quippe dedit rebellibus, civesque, qui jam umbræ & monogrammi erant, totum triduum, advectis in urbem alimentis, quæ gratis distribui jusserat, benigne pavit. Turres murosque disjecit & solo æquavit.

Sic dedita est AGGERUM istorum MOLIUMQUE beneficio urbs, quæ Francisci I. Henrici II. Francisci alterius, Caroli IX. Henrici III. arma despexerat. Obierunt intra obsidionis tempus in urbe XV. hominum millia, superstitibus adhuc octo millibus. Conspecta sunt amaciata & fame exsucca atque insepulta cadavera in viis, in mœnibus, in fossis urbis, in ipsis civium domiciliis, inaudito ad hoc usque tempus, tolerantiæ, vel potius pertinaciæ, ac, si caussa bona fuisset, laudabili & Catholicis imitando exemplo. Sed quum eos rebellio, & hæresis, & furiosus Regiæ clementiæ contemtus ad ista perferenda adegerint, non potest laudari id, cujus caussa fuit tam scelerata & improba. Sed habet hoc Calvini hæresis, ut quorum animos invasit, dementet: neque enim officium ullum a Christianis exigit, cum præmii spe, quæ est unica Religionis formula; sed hoc tantum agit, ut sectatores suos, sive vivant, sive moriantur, vana ista consolatione sustentet, quod filii Dei sint, securi, quod quamvis eos conscientia plurimorum scelerum reos agat, tamen non minus justi sint, quam sit ipse Dominus & Salvator noster. Hoc est illud Nepenthes, quod qui gustarunt, sensum perdunt omnis peccati, & iræ Dei, quumque recta eant ad inferos & inferorum Regem Diabolum, tamen se credant ad cælum proficisci, morientes inter Psalmos Marotti & Bezæ, sine propria invocatione Christi, & patrocinio Sanctorum, sine unctione, sive viatico

extremo, sine Ecclesiæ benedictione: nam istorum omnium sunt hostes juratissimi.

CAP. XIX.

De Gallorum veterum & Francorum classibus, deque ipsorum navigandi peritia.

POteram hic finem Operi imponere, ut qui de AGGERIBUS & PONTIBUS hactenus ad mare exstructis ex occasione Regiorum Aggerum quum scribere instituissem, proposito meo satisfecerim: sed movet me & argumenti adfinitas, & præsentis temporis status, & consiliorum Regiorum, quæ illustrissimus Cardinalis exsequi decrevit, amplitudo, ut ex occasione captæ jam Rupellæ & purgati a piratis maris, sublatisque tota Gallia dissidiorum seminibus, quum spes jam liberiorum commerciorum adfulgeat, superpondii loco aliquid hoc loco dicam de GALLORUM & FRANCORUM navigandi peritia; non ut historiæ cognitione Lectorem oblectem, sed ut ad repetendam priscam illam, neque adhuc plane perditam gloriam maritimam, Francorum animos excitem. Unum enim istud felicitati Galliæ adhuc videtur deesse; neque ulla unquam major certiorque spes erit restituendi collapsam illam Majorum gloriam, quam hoc tempore, sub hoc Rege, & sub hoc Cardinali, cui Rex negotiationis per Galliam terra marique dirigendæ curam commisit. Dolendum est enim, jam ab aliquot sæculis partem istam publicæ administrationis neglectam jacuisse, plerisque omnibus, posthabito mari & negotiationibus, ad alia studia sese conferentibus, sive id adeo proventuum terrestrium felicitate & fructuum optimorum abundantia factum est, sive Regiorum Consiliariorum incuria, sive majore & certiore spe consequendarum opum ex forensium caussarum actionibus, quam ex rudentibus apta fortuna; sive tædio lenti & incerti commodi, quod ex mari sperari potest: quum tamen vicinorum Regnorum & Rerumpublicarum, quæ interea creverunt, exempla nos doceant, non minora esse maris quam terræ compendia, & divitias majores obtingere negotiationibus maritimis quam terrestribus. Spectemus Tyrum, Rhodum, Alexandriam, Syracusas, Venetias, Genuam; fatebimur, præcipua eorum incrementa mari tribuenda esse. Hispania, ex quo maria sibi subjecit, cœpit plerisque Europæ Principibus terrori esse. Batavi, quia mari pollent, terrori sunt Hispano. Angli non nisi maritimæ potentiæ fiducia ausi sunt nuper Galliam bello petere, multumque intra hos paucos annos crevit eorum potentia. Denique, si prisci & præsentis ævi historiam evolvas & expendas, deprehendes, qui mari præfuit, eum divitiarum quoque copia semper præpolluisse.

Quocirca mirari satis non possum, cur hanc partem Galli jam ab aliquot sæculis neglexerint. Et tamen habet Gallia multas præ aliis Regnis commoditates maritimas Sita est Oceanum inter & Mare Mediterraneum, meliore & feliciore totius Europæ loco. Habet vicinas sibi & conterminas regiones, Italiam, Hispaniam, Germaniam, Britannias, quæ omnes mercibus Gallicis, quædam etiam sale & vino Gallico carere non possunt. Hispaniæ certe regiones multæ si non alantur tritico Gallico, non habebunt unde vitam tolerare possint, quum domesticus proventus vix ad semestre ipsis sufficiat. Jam vero tanta est omnium pene rerum, quibus naves & classes instrui solent, in Gallia abundantia, ut vix alienæ regionis ope indigeat. Saltus habet sylvasque ad ligna, habet cannabinam segetem ad restes; ferri fodinas ad ancoras; telarum, ex quibus vela fiunt, tantam copiam, ut vicinæ regiones jam a multis sæculis non aliis velis utantur, quam quæ ex Gallica tela facta sunt. Sed & malos ingentes, qui Norvvegicis non cedunt, apud Decetiam. Naucleros vero & navium gubernatores peritissimos. Socios navales & epibatas solertissimos, in Picardiæ, Normanniæ, Armoricæ, & Aquitaniæ oris littoralibus. Adde his faciles appulsus, sive ex Oceano, sive ex Mari Mediterraneo. Juventutem denique magnarum rerum suscipiendarum appetentem, præsertim, ubi vel lucri adfulsit spes, vel honoris. Nulla est alibi regio quæ istas omnes navigandi commoditates habeat. Adde, quod ad defensionem sui & adgressionem alterius, vel potentissimi hostis, nulla sit expeditior ratio, quam ea quæ mari fit. Itaque nullum cogitari tempus potest, quo non Gallia navali gloria excelluerit.

Quæ quum ita sint, non possum æquo animo ferre, quod C. Cæsar ita suum cum Galliæ populis maritimis bellum describit, ac si armis & vi ad obsequium compulisset eos, quum & naves ipsorum multo & plures & perniciores fuerint, & Plutarchus testetur, eos sponte sua, sine ullo certamine [1] se in ipsius potestatem dedisse. Sed ipse sibi suæque famæ suffragatur Cæsar. Interea quæ ipse de VENETORUM classibus & vi navali refert, satis ostendunt, jam tum eos potentes mari fuisse. Ab his autem Venetis Strabo Venetos illos, qui sunt in Italia, profectos scribit. Sed audiamus Cæsarem:
,, Hujus, *inquit* [2], civitatis est longe amplissima
,, auctoritas omnis oræ maritimæ regionum ea-
,, rum; quod & naves habent Veneti plurimas,
,, quibus in Britanniam navigare consueverant; &
,, scientia, atque usu nauticarum rerum cæteris
,, antecedunt: & in magno impetu maris atque a-
,, perto paucis portibus interjectis, quos tenent
,, ipsi, omnes fere, qui eodem mari uti consueve-
,, runt, habent vectigales........ Cæsar interim
,, naves longas ædificari in flumine Ligeri, quod
,, influit in Oceanum, remiges ex Provincia insti-
,, tui, nautas gubernatoresque comparari jubet....
,, Veneti [3], reliquæque civitates, cognito Cæ-
,, saris adventu..... bellum parare, & maxime
,, ea, quæ ad usum navium pertinerent, provide-
,, re instituunt; hoc majore spe, quod multum
,, natura loci confidebant. Pedestria esse itinera
,, concisa æstuariis, navigationem impeditam,
,, propter imperitiam locorum paucitatemqne por-
,, tuum sciebant; neque nostros exercitus propter
,, frumenti inopiam diutius apud se morari posse
,, confidebant. Ac jam, quum omnia contra opi-
,, nionem acciderent, tamen se plurimum navibus
,, posse: Romanos neque ullam facultatem habere
,, navium, neque eorum locorum, ubi bellum
,, gesturi essent, vada, portus, insulasque novis-
,, se: ac longe aliam esse navigationem in concluso
,, mari, atque in vastissimo ac apertissimo Oceano
,, perspiciebant. His initis consiliis, oppida mu-
,, niunt, frumenta ex agris in oppida comportant:
,, naves in Venetiam, ubi Cæsarem primum bel-
,, lum esse gesturum constabat, quam plurimas
,, possunt, cogunt: socios sibi ad id bellum [4] O-
,, sismios, [5] Lexobios, [6] Nannetes, [7] Ambialites,
,, [8] Morinos, [9] Diablinteres, [10] Menapios adsci-
,, scunt. Auxilia ex Britannia, quæ contra eas re-
,, giones posita est, accersunt..... Erant autem ejus-
,, modi situs oppidorum, ut posita in extremis lin-

1 Ἀμαχεί. 2 Lib. 3. De Bello Gall. cap. 8. 3 Ceux d'environ Vannes. 4 Ceux de Leon. 5 Libeux. 6 Nantes. 7 Dol. 8 Teraune. 9 Nogent. 10 Brabant.

„ guis promontoriisque, neque pedibus aditum „ haberent, quum ex alto se æstus incitavisset, „ quod bis semper accidit horarum XXIV. spatio: „ neque navibus, quod rursus minuente æstu na„ ves in vadis afflictarentur. Ita utraque re oppi„ dorum oppugnatio impediebatur. Ac, si quan„ do magnitudine operis forte superati, extruso „ mari AGGERE ac MOLIBUS, atque his oppidi „ mœnibus adæquatis, suis fortunis desperare cœ„ perant; magno numero navium appulso, cujus „ rei summam facultatem habebant, sua omnia de„ portabant, seque in proxima oppida recipiebant. „ Ibi se rursus iisdem opportunitatibus loci defen„ debant. Hæc eo facilius magna parte æstatis fa„ ciebant, quod nostræ naves tempestatibus deti„ nebantur, summaque erat vallo * atque aperto „ mari, magnis æstibus, raris ac prope nullis por„ tubus, difficultas navigandi: namque ipsorum „ naves ad hunc modum factæ armatæque erant. „ Carinæ aliquanto planiores quam nostrarum na„ vium, quo facilius vada ac decessum æstus exci„ pere possent. Proræ admodum erectæ, atque „ item puppes, ad magnitudinem fluctuum accom„ modatæ. Naves totæ factæ ex arbore †, ad „ quamvis vim & contumeliam perferendam. „ Transtra ex pedalibus in altitudinem trabibus, „ confixa clavis ferreis, digiti pollicis crassitudine. „ Ancoræ, pro funibus, ferreis catenis revinctæ; „ pelles pro velis, alutæque tenuiter confectæ, si„ ve propter lini inopiam, atque ejus usus insci„ tiam, sive, quod est magis verisimile, quod tan„ tas tempestates Oceani, tantosque impetus ven„ torum sustineri, ac tanta onera navium regi velis „ non satis commode arbitrabantur. Cum his na„ vibus nostræ classi ejusmodi congressus erat, ut „ una celeritate & pulsu remorum præstarent: re„ liqua pro loci natura, pro vi tempestatum, illis „ essent aptiora & accommodatiora. Hæc Cæsar Commentario tertio.

Sed & Massilienses instructam semper classem habuisse, & navalia complura, & re nautica valuisse, testatur Cæsar libro 2. *de Bello Civili:* sive id adeo a Græcis habuerint, est enim urbs Græca, colonia Phocaica, sive ab indigenis. His usus est Domitius adversus Cæsarem: *Ejus*, inquit, *imperio classem quoquoversus dimittunt: onerarias naves quas ubique possunt deprehendunt, atque in portum deducunt: earum clavis, aut materia, atque armamentis instructis ad reliquas armandas reficiendasque utuntur: frumenti quod inventum est, in publicum conferunt.* Et postea cap. 56. *Massilienses, usi L. Domitii consilio, naves longas expediunt numero* XVII. *quarum erant undecim tectæ: multa his minora navigia addunt, ut ipsa multitudine classis nostra terreatur..... Tum celeritate navium, & scientia gubernatorum confisi, nostros eludebant, impetusque eorum excipiebant, & (quod licebat latiore spatio) producta longius acie circumvenire nostros, aut pluribus navibus adoriri singulas, aut remos transcurrentes detergere, si possent, contendebant. Nostri, qui minus exercitatis remigibus, minusque peritis gubernatoribus utebantur, quippe repente exonerariis navibus erant producti, neque dum etiam vocabulis armamentorum cognitis, tum etiam gravitate & tarditate navium impediebantur; factæ enim subito ex humida materia, non eundem usum celeritatis habebant.*

Ex his apparet, quanta fuerit Gallorum veterum potentia maritima. Vela sane in Galliis optima & exteris gentibus expetita semper fuerunt. Iraque sub Vespasiano hunc censum Romanis pendebant tributi loco. Testatur id Plinius *libro* XIV. *cap.* XII. *Ignoscat aliquis Ægypto serenti linum, ut Arabiæ Indiæque merces importet; itane & Galliæ censentur hoc reditu? montesque mari oppositos esse non est satis, & a latere Oceani obstare ipsum quod vocant inane? Cadurci, Caleti, Ruteni, Bituriges, ultimique hominum existimati Morini, imo vero Galliæ universæ vela texunt.* Quæ res facit, ut C. Cæsari de navibus velisque Venetorum fidem adhibere non possim. Quid enim opus erat velis coriaceis, aut ex aluta tenui confectis, in tanta lini apud Aremoricas gentes copia? Hodie sane vix aliis velis utuntur Hispani, Angli, Batavi, quam Gallicis.

* Refer. *vasto*. † Alii rectius, *robore*.

Ac, ne quis Gallis ista non Francis tribuenda existimet, sciendum est, non ita in Galliam immigrasse victores Francos, ut Gallorum nomen & instituta sustulerint: sed imperio contentos, cætera ipsis reliquisse, quin & ipsos eorum Linguæ, moribus, atque humanitati adsuevisse; non ademerunt igitur Franci Gallis maritimas facultates, sed potius auxerunt: quum ipsi imprimis navigandi arte & usu præ cæteris gentibus pollerent, ut qui circa Rheni ostia sumta nominis appellationisque origine, mari exercendo adsuevissent. Vix legitur Francorum nomen ante Probi tempora, & tamen jam tunc, nondum transmisso Rheno, neque gustata adhuc Gallici soli suavitate, miram rem & omnibus sæculis memorandam adgressi sunt. Quippe pauci ipsorum, quos intolerabile genti liberrimæ servitutis premebat jugum, in Thraciam abducti, dum patriam suam & relictos domi parentes, conjuges, liberosque cogitant, viam simul & quærunt & inveniunt expediendi sui: sumtis enim ex Ponto Euxino navibus, Thraciam, Asiæque ora prædabundi adeunt, Græciam & Ægei Maris Insulas spoliant, per Libyæ littora grassantur, Syracusas capiunt, & suorum hostium spoliis graves, per Fretum Gaditanum emenso ingenti Oceano, Atlantico, Hispanico, Gallico, Britannico, in patriam suam revertuntur. Cujus unquam nationis tale extitit exemplum? Excutiantur omnium temporum & Rerumpublicarum Annales, nihil unquam ab ullo populo factum legitur ejusmodi: nam Hannonis, Christophori Columbi, Americi Vespuitii facta non sunt cum isto facto comparanda. Testatur hæc Belga Panegyristes *Oratione ad Maximianum* Treveri habita: *Recursabat*, inquit, *in animos illa sub Divo Probo paucorum ex Francis captivorum incredibilis audacia, & indigna* (sic ille, invidens Francis hanc animi generositatem) *fœlicitas: qui a Ponto usque correptis navibus, Græciam Asiamque populati, ac plerisque Libyæ littoribus appulsi, ipsas postremo navalibus quondam victoriis nobiles ceperunt Syracusas, & immenso itinere pervecti, Oceanum, qua is terras irrumpit, intraverunt, atque ita eventu temeritatis ostenderunt, nihil esse clausum piraticæ desperationi, qua navigiis pateret accessus.*

Non intermiserunt hoc studium Franci post occupatam Galliam: Karolus enim Magnus nomina ventis primus dedit, quibus adhuc plerisque utimur, ad usum haud dubie navigantium. Ad eundem quoque refero LILIUM, quod in pyxidibus nauticis spectatur. Incertus Auctor in *Vita Karoli Magni: Karolus propter classem, quam anno superiore fieri imperavit, videndam, ad Bononiam civitatem maritimam accessit, Pharumque ibi ad navigantium cursus dirigendos antiquitus constitutam restauravit, & in summitate ejus nocturnos ignes accendit. Et inde ad Scaldim veniens fluvium, in loco, qui dicitur Gant, naves ad eandem classem ædificatas adspexit, & medio Novembrio Aquas rediit.*

Post Carolum eadem fuit Ludovici Pii cura. Sed video Reges postea dissidiis intestinis componendis occupatos, curam istam neglexisse: quæ res Normannis aditum in Franciam dedit. Nunquam

quam tamen Mercatores, quos lucri studium impellit, curam istam intermiserunt; itaque Lusitani quum Goam primum venirent, quo neminem unquam Europæum appulisse crediderant, viderunt multis locis Francorum lilia publice porticibus & ædificiis adfixa. In ea quoque parte Americæ, quam nos hodie Septentrionalem vocamus, fructus nostrates non aliunde quam ex Francia a Francis Mercatoribus, delata sunt pisa, fabæ, fraga, vites, cerasa quoque, quæ ex Ponti oppido Cerasunte in Italiam a Lucullo primum Anno DCLXXX. dein in Britanniam CXX. annis post pervenerunt, quum in his locis spectentur, non possunt non ab Europæis illuc transportata esse: a quibus vero nisi a Francis? quorum ad piscationes annuas ab omni ævo solennes fuere illuc navigationes, & sunt adhuc.

Quia vero longa itinera sine pyxidis nauticæ directione institui posse, pervagata multorum opinio est, operæ pretium fuerit hoc loco ostendere, quid olim Franci fecerint, & quomodo pyxidis nauticæ defectum supplerint. Scribit enim Hugo de Bercii, qui S. Ludovico regnante vixit, consuesse Francos nautas acum ferream magnetis attritu infectam, paleæ aut festucæ inserere, eamque paleam situlæ aquæ injicere. Fiebat enim tunc, ut acus a palea sustentata non mergeretur, eadem autem librata non ante quiesceret, quam pars magnete imbuta in Septentrione sisteretur. Hæc ille ante scripsit, quam Flavius Melphitanus, cui pyxidis nauticæ inventio adscribitur, nasceretur; & addit, priscum illum nautarum morem, & jam olim longo usu ab ipsis in navigationibus remotioribus receptum, in tenebrosis noctibus ad dirigendos cursus observatum fuisse. Quod vero Hollandi Zelandique hodie præ cæteris mortalibus navigandi gloria excellunt, id etiam cum Gallorum & Francorum laude conjunctum est. Nam si Rhenum spectemus veterem gentium terminum, finiumque diribitorem, quem tamen Catullus alicubi * *Gallicum* vocat, quotquot cis flumen degunt, sunt Galli; quotquot trans eum, Franci. Manet igitur adhuc vigetque in liberrima gente vetus illa Francorum gloria, quam ab iis non negligi, qui generosum illud Francorum nomen gerunt, publicæ utilitatis interest.

Quæ quum ita sint, quid cessatis, Franci, (liceat mihi ad vos nunc orationem meam convertere) intermissam Majorum vestrorum virtutem repetere? quumque gloriæ amantes præ cæteris gentibus, & avidi laudi sitis, cur non collapsam illam gloriam restauratis, animosque vestros ad negotia & navigationes applicatis? Gloriam quæritis? Hic est maxima, ex coloniis deducendis, ex amplificando nomine Franciæ: ex propaganda fide Christi. Commoda? Quæ possunt aliunde esse majora, quum videamus finitimas Gentes ac Respublicas ex mari crevisse, Batavos, Anglos, Fessanos, Maroccanos, Algerios? Quum audiamus quotidie, familias pauperrimas brevissimo tempore ad ingentes divitias solo maris beneficio pervenisse. Scriptura sacra, Salomonis Regis ingentes opes commemorans, simul quoque navigationes refert ab ipso cum Tyriis instituras ex portu Heziongaber Sinus Arabici. Nullum est certius compendium ad opes parandas, quam quod navigatione instituitur. Vocant vos Majores vestri. Hortatur Rex, propositisque præmiis vos etiam invitat. Præit Magnus Cardinalis, & se directorem, magistrum, præsidem tam laudabilis instituti offert, & dubitatis adhuc priscam gloriam tot propositis utilitatibus repetere? Claudium Imperatorem narrat Suetonius, *Navigationibus certa lucra proposuisse, susceptis in se damnis, si cui quid per tempestates accidisset, & naves mercaturæ caussa fabricantibus magna commoda instituisse pro conditione cujusque*. Eadem nunc vobis promittit Rex, eadem spondet Cardinalis. Prudentis est, occasiones rei bene gerendæ non negligere.

* Epigr. 11.

CAP. XX.

Inscriptio collocanda, memoriæ caussa, Rupellæ, cum Elogio Illustrissimi Cardinalis de RICHELIEU, *& Calculo Historico, ejusque Calculi explicatione.*

Superest, ut priusquam lucubrationibus istis finem imponam, referam hoc loco Inscriptionem, Regis Maximi honori, sub persona dedicantis Illustrissimi Cardinalis, a me nuper factam, qualem velim, auctoritate Regia, in ipso Rupellani portus aditu collocari, ut quæcumque naves posthac urbem illam subibunt, adspiciant, tanquam in Piræeo, cum Regis nostri laudibus, Magni Cardinalis facinora, dodrantalibus litteris marmori aut æri incisa. Eam vero hoc loco ponere tanto magis placuit, quod ex ipsius Cardinalis litteris ad me postea datis intellexi, & consilium meum, & Inscriptionem probari:

MEMORIÆ POSTERITATIS.

Quod Rupellam Santonum contracta plurimorum annorum pervicacia adversus Reges suos impie rebellantem LUDOVICUS XIII. *Francorum & Navarræ Rex Christianissimus, Pius, Justus, Fœlix, Augustus, vallo, fossa, castellis, propugnaculis, ac fortissimorum militum corona cinxit, Portum injectis Molibus, & excitatis e lapide adversus externam vim Aggeribus Transversariis stupendi operis clausit; Oceanum classibus suis insedit; ac tandem obsessos interclusis omnibus terra marique commeatibus intra duodecimum mensem ad deditionem compulit, spectantibus nequicquam & indignantibus Anglis, qui magno apparatu ipsis suppetias venerant.*

Quodque idem Anglos rebellionis istius auctores fomitesque, Insula Reorum, quam præter jus & fas invaserant, expulit, ejecit, fugavit, eosdemque finibus Franciæ procul abercuit, & omnem oram maritimam a piratis purgavit, populosque exteros ad commercia cum Francis jure gentium ineunda benigne iterum invitavit, ARMANDUS *Cardinalis de* RICHELIEU, *Magnus per Franciam commerciorum Magister & Oceani Gallici oræque maritimæ Præfectus, ut post labores a se toto belli obsidiique tempore indelassato pectore exantlatos aliquod exstaret hoc loco fidei suæ & in Regem Patriamque pietatis apud posteros indicium, Monumentum istud*

F. F.

Capta est urbs An. Dom. M.DC.XXVIII. *Festo SS. Simonis & Judæ.*

Merebatur etiam ipse Cardinalis, ut virtutis suæ, fideique, & laborum vivus aliquod monumentum seorsim erectum spectaret. Nam si Demetrius Phalereus tot statuas aureas sibi Athenis positas vivus vidit, *quot dies habet annus absolutus*, ut scribit Varro. Si Xerxes Androclem

Samium corona aurea aliisque muneribus cohonestavit, ob stratum navibus Hellespontum; si Trajanus ipse sibi ob renovatas Pilas in Sinu Puteolano inscriptionem posuit, quæ ibi adhuc spectatur legiturque, quantillum esset, memoriæ ejus qui ipsum Oceanum, & urbem Oceani Dominam, AGGERUM a nobis descriptorum exstructione domuit, & insanum illud æquor, ne justissimi Regis consiliis armisque officeret, Anglosque admitteret, frænavit, monumentum erigere? Sed quum Regis illud sit, non nostrum, & ipse sola conscientia honestarum actionum contentus, sufficere sibi existimet; quod quem Regi, quem patriæ, quem Ecclesiæ, quem posteritati laborem impendit, Rex ipse suo præconio celebrarit, columnis omnibus marmoribusque potiore, nos eo labore hoc tempore abstinebimus. Leve enim est & tralatitium a nobis prædicari eum qui omni nostra laude est major, a Rege vero optimo, justissimo, piissimo laudari, non est nisi ejus quem summa merita supra cæteros mortales extulere. Hieroni Syracusano, Regi Siciliæ, qui difficillimis Reip. temporibus pecunia, milite, annona, & quod præcipuum est, consilio Romanos juverat, Senatus totius orbis prudentissimus, & in Regibus laudandis imprimis parcus, elogium hoc dedit, HIERONI SYRACUSANO, VIRO BONO, ET SOCIO FIDELI, quo nescio an homo homini possit dare augustius: si ad illius exemplum Cardinali nostro tribuatur ejusmodi, ARMANDO CARDINALI DE RICHELIEU, VIRO BONO, ET FIDELI REGIS LUDOVICI XIII. MINISTRO, omnia quæ dici aut cogitari de excelsa ipsius virtute possunt, dicta fuerint citra cujusquam invidiam. Nam si ista diffundas, & singulas ipsius actiones consiliaque ad istam trutinam expendas, nihil erit quod non huc referri debeat tanquam ad suos fontes. Ut merito iis omnibus excutiatur pudor, qui se MAGNOS esse posse existimant, quum viri boni non sint, hoc est, pii, temperantes, modesti, fortes, patriæ suæ, Regisque & Ecclesiæ amantes; impietatis vero, & luxuriæ, & mendacii, & arrogantiæ hostes. Qualis Rex, talis ejus Minister. Minimum in ipso sunt opes, & quorum conspectu attonitum vulgus stupet; quæ tamen ut adjumenta virtutis, vel data sibi a Deo, vel a Rege summo liberaliter collata, vel a Majoribus relicta, non spernit: sed ab his præcipue æstimari non cupit. *Magno*, inquit Seneca, *impendio temporum, magna alienarum aurium molestia laudatio hæc constat, O hominem litteratum!* Addo ego, O virum divitem! O sumtuose vestitum! O egregie stipatum! O bene olentem, cincinnatum, calamistratum, voce fracta, gressu molli atque enervato incedentem! *Simus nos hoc titulo rusticiore contenti*, O VIRUM BONUM! Ex hac disciplina profectus est Cardinalis ille, qui, ut Polycletus canonem fecit, ad quem aliorum artificum statuæ omnes examinabantur, ita ipse exemplum se præbet & normam fidelis Ministri Regis. Longum est ad formandum virum Magnum iter per præcepta; breve per exempla. Hunc sibi proponat, qui dignum aliquid Rege facere meditatur; hunc habeat in animo & præ oculis. At qualem virum? Qui AGGERIBUS Oceanum & urbem rebellem domuit. Qui, ut hæresin, quam concionando, disputando, scribendo multis annis oppugnarat, tandem etiam adversus Regem suum intolerabili audacia rebellantem ad officium cogeret, arma Regia perduellium armis non dubitavit fortiter opponere. Cujus consiliis salutaribus Rex Christianissimus difficillimis temporibus se adjutum esse publice professus est. Cui Pontifex Ecclesiæ Urbanus VIII. Christi in Ecclesia militante Vicarius, plurimum detulit. Cui Gallia Reacensis Insulæ restitutionem, Anglorum fugam, Rupellæ deditionem acceptam fert. Quem, ut alterum Macchabæum admiratur, quem amat, quem suspicit. Cujus impavidum, nec nisi pro Rege suo sollicitum pectus discrimina omnia terræ marisque sæpius despexit. Quem exercitatissimi bellorum Duces, inter nitrati sulphuris fulmina, inter tormentorum muralium tonitrua ab hostibus Rupellanis explosa intrepide versantem, cum stupore millies admirati sunt. Quem nulla unquam pericula a proposito honesto averterunt. Quem toto obsidii tempore diu noctuque in AGGERIBUS agentem, & exstructiones Regias spectantem, ordinantem, urgentem, conspexere ipsi etiam de muris suis Rupellani. Qui Sinum ipsum Oceani inter Aggerem & urbem vado aliquoties transmisit. Qui prudentia sua rebellibus necessitatem obsequendi, & ad Regis clementiam confugiendi imposuit. Quem nobilem domi, nobiliorem virtus propria effecit. Qui super Albornios, supra Ximenios, aliosque priorum sæculorum pietate & armis inclytos Cardinales, merito suo MAGNI nomen tacito omnium hominum consensu tulit. Qui Litteras, qui Philosophiam, qui Historiam, qui Sacra, qui Jura Franciæ, Germaniæ, Hispaniæ, Brittanniæ, Italiæ, qui quicquid de numeris, magnitudinibus, sonis, sciri potest, animo complexus est. Quem res adversæ ita exercuerunt, ut etiam adversa patientibus commiserari possit. Sed quo me transversum abripuit admiratio virtutum viri Maximi? Redeo igitur ad lineam & gradum; & quia VICTORIAM RUPELLANAM interest Ecclesiæ & Reip. æterna hominum memoria celebrari, annumque & diem captæ urbis, omnium præsentium ac posterorum animis oculisque objicere, eaque de caussa rogatus etiam sum ab iis qui in me jus habent, ut Calculum Historicum comminiscerer, qui ista designaret, non verebor Calculum ipsum hoc loco spectandum exhibere.



Anno MDCXXVIII.

Pars anterior habet Rupellam cum Sinu suo, aggeribus, castellis, propugnaculis, promontoriis, jam a nobis descriptis: posterior Pontificem Achimelech, qui Davidi in urbe Nobe post panes propositionis etiam arma ad defensionem sui postulanti, offert gladium, quo cæsus fuerat Goliath Philistæus, adservatum in Tabernaculo. Verba postulantis David Regis fuere, *Da mihi istum*, NON EST ALTER HUIC SIMILIS. Multa autem præclara nos monet iste Calculus. Diem captæ urbis in antica parte verbis exprimit. Annus vero exserte non ponitur, quia is dicto ex Ezechiele Propheta desumto comprehensus est. Nos quæ ille de Tyro dixit, accommodavimus ad Rupellam: nam SOR est Tyrus, & apud Virgilium Sarranus pro Tyrio ponitur, *Georgicon* secundo in versu isto,

Ut gemma bibat & Sarrano dormiat ostro,

itemque apud Festum, Juvenalem, & Ausonium. Vox Punica צור Rupem significat, sicut capite quarto diximus. Jam rerum quanta inter se adfinitas? Tyrus ad mare; etiam Rupella: Tyrus urbs negotiatrix, dives, factiosa; etiam Rupella: Tyri exitium prædixere Prophetæ, Esaias, Ezechiel, alii; Rupellæ, quam multi? Papyrius Massonus, vir gravis & eruditus, eam prævidit & præmonuit. Andreas Tiraquellus, Jurisperitorum Princeps, etiam in voce eleganter lusit: רוכל, inquit, *est Mercator*, רכלת *Mercatrix*: *sed vereor ne irritati protervia tua Reges, ex* MERCATRICE *faciant* MENDICATRICEM. Nuper etiam quidam de Rupella ad Regem loquens, *Domine*, inquit, *civitas* * *ista rebellis est, & pessima. Quod si civitas ista ædificata fuerit, & muri ejus consummati, tributum, & vectigal, & annuos reditus non dabunt, & usque ad Reges ipsos noxa perveniet. Recense libros historiarum Patrum tuorum, & invenies scriptum in Commentariis, & scies, quoniam urbs ista urbs rebellis est, & nocens Provinciis, & bella concitantur in ea a diebus antiquis. Quamobrem & civitas illa ab aliis Regibus destructa est*. Sed audiamus Ezechielem de Tyro vaticinantem: *Fili hominis, leva planctum super Tyrum, & dic ei. Hæc dicit Dominus Deus. Perfectus fuisti in viis tuis, a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te. In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate. Et peccasti, & ejeci te de monte Dei, & perdidi te, & Cherub protegens de medio lapidum ignitorum. Et elevatum est cor tuum in decore tuo. Perdidisti sapientiam in decore tuo. In terram projeci te. Ante faciem Regum dedi te, ut cernerent te. In multitudine iniquitatum tuarum, & iniquitate negotiationis tuæ polluisti sanctificationem tuam. Producam ergo ignem de medio tui, qui comedat te, & dabo te in cinerem super terram in conspectu omnium videntium te. Omnes qui te videbunt in gentibus, obstupescent super te*. Potuit-ne aliquid magis apposite dici in Rupellam? Quid, quod extrema verba aliquo modo continent annum obsessæ a Rege & captæ urbis? hoc modo.

oMnes qVI te VIDent e gentIbVs, obstVpesCent sVper te.

itteræ enim numerales si colligantur, efficient præcise M. DC. XXVIII. qui annus est, quo urbs Regi nostro dedita fuit. Neque vero ita sum divinarum rerum imperitus, ut credam, Prophetam in spiritu verba ista directe pronunciasse de Rupella, & voluisse suo vaticinio annum præsentem includere. Nequaquam: Hebræa enim numerum istum non habent, neque Græca; sed ajo, ubi peccata sunt eadem, solere quoque paria esse supplicia; ac proinde Rupellam ad similitudinem Tyri a Deo punitam fuisse: sed punitam salutariter, in spem scilicet conversionis & pœnitentiæ. Numerus istius anni quod in Latino versu occurrat, casus est, non studii, qualis etiam est nostra observatio; neque auctor cuiquam sim, ut in his talibus conquirendis se cruciet. Si ultro se offerant, bene se res habet, capiendumque est omen: si non occurrant, nihil caussæ est cur quis se torqueat. Solent Judæi quotannis dictionem aliquam ex Psalmis seligere, qui currentis anni a Mundi conditu numerum contineat. Quum essem ante hos annos XXXVII. in Polonia, apud Illustrem virum Dn. Slupezki Comitem in Conari, & cum Judæis interdum agerem, memini ipsos ad designandum annum MMMMMCCCLIII. adhibuisse vocem גשן; ad annum sequentem רגש; postea שנה; tum שנו; ac sic deinceps; quia in his vocibus litteræ numerales junctæ an-

* 1. Esdræ cap. IV.

A num creationis notant, demtis millenariis. Neque habet res ista superstitionem, si ab it opinio religionis aut necessitatis. Nunquam sane Ovidio in mentem venit, ut Carolum Philippi II. Hispaniarum Regis filium scriberet in patris sui exitium conspiraturum. Et tamen in descriptione ferrei sæculi excidit ipsi versus, qui annum illum præcise continet,

fILIVs ante DIeM patrIos InqVIrIt In annos,

B is fuit M. D. LXVIII. tertius scilicet post meum natalem. Scio etiam Prophetam Abacuc non ex proposito voluisse significare, futurum, ut Angli piratæ in Reacensi Insula Anno M.DC.XXVII. regnante Rege LUDOVICO XIII. a Francis, Dei unius auxilio fretis, gravissime punirentur; nam si id voluisset, complexus fuisset Hebraicis litteris eum ipsum annum, & pertinuisset illius versus explicatio ad Cabalisticam: neque vero LXXII. Seniores, quos Prophetico spiritu actos, multa vertisse ex Hebræo in Græcum sermonem scribit B. Augustinus, de ea re quicquam cogitarunt: & tamen versus iste Latinus,

C tV DIVIsIstI In stVpore CapIta potentIVM,

quem exsultans decantavit Ecclesia, exstinctis Domitiano, Maximiano, Juliano, aliisque Ecclesiæ persecutoribus, teste B. Hieronymo, exserte illum annum continet. Quocirca non sum veritus in ejus Inscriptionis fronte, quam in memoriam victoriæ illius tunc concinnavi, versum istum chronicum ponere. Tale igitur illud est, quod nunc profero ex Ezechiele,

D oMnes qVI te VIDent e gentIbVs obstVpesCent sVper te.

neque enim minus stupendum est, Rupellam, obstructo portu, captam esse a Rege Christianissimo, urbem rebellem & munitissimam, quam Tyrum aliquando captam a Rege Alexandro, sicut capite quarto ostendimus. Sed qui graphicam videre cupiet Rupellæ descriptionem, & divitiarum ejus, & negotiationis, & luxus, & superbiæ, & casus, auctor sum, ut ea quæ de Tyro scripta sunt capite XXVII. Ezechielis legat, & quæ ad illud B. Hieronymus adnotavit. Postica numi vel calculi nostri
E facies habet Achimelech Pontificem in Nobe, qui David poscenti arma, offert ingentem illum gladium, quo cæsus fuerat Goliath Philistæus, depositum haud dubie in Tabernaculo & Deo consecratum a Davide, ibique adservatum, involutumque sipario post ephod. Hoc autem Pontificis munus laudans David, ait, *Da mihi eum*, additque, NON EST HUIC ALTER SIMILIS. NOS, admiratione Victoriarum Regis nostri, versum istum retulimus ad ipsius ensem: quis enim in orbe gladius cum nostri Regis gladio conferri potest? Vix totis annis viginti duas in Belgica urbes expugnavit Philippus Hispaniarum Rex, Ostendam & Bredam, illam post
F triennale, hanc post XV. mensium obsidium, idque ope Spinolæ Marchionis; nam ipse domi sedens rebus gerendis non interest. At noster, quam multas minore spatio regiones, vidit, vicit, expugnavit, & ad obsequium suum armis coegit? Centum numerantur & amplius, e quibus plurimæ ipsa etiam Breda potiores fuerunt: nam Ostenda non nisi manipulus est arenarum. Quid? quod Batavi ipsius hostes pro Ostenda Slusam, pro Breda Grollam ceperunt, & damna sua majoribus com-

modis compensarunt? quum Rex noster plena victoriæ gloria, sine ullo incommodo aut jactura, usus sit: merito ut noster David cæso Goliath dictum illud usurpare possit,

NON EST ALTER HUIC SIMILIS,

& nos scripserimus ex occasione ejus victoriæ, & admiratione divinorum operum

IN ENSEM REGIUM,

Hic RUPES *&* CASTRA *secat*, MONTESQUE *rebelles*,
Miraris? NON EST ALTER HUIC SIMILIS.

Non sum nescius, posse ex hac ipsa Davidis historia, quem calculus noster repræsentat, elici alias quoque veritates: verbi gratia, Laudabiliter deponi a Regibus in templo Dei spolia, manubiasque ab hostibus Ecclesiæ receptas, gladios, hastas, vexilla, sicut a Rege nostro factum est, qui XLIV. signa ab Anglis capta defixit Lutetiæ in templo Beatæ Virginis. Deinde, Posse pios Reges bona, semel Ecclesiæ data, quando id necessitas exigit, reposcere ad usum & defensionem Ecclesiæ, DA MIHI ISTUM. Ad hæc, Laudabiliter Pontifices Regibus suis tunc reddere bona semel data, sicut a Clero Gallicano factum est, qui tres myriades librarum contulit ad obsidium Rupellæ. Præterea, Pontificem maximum esse fratrem Regis, hoc enim valet ACHIMELECH אחימלך. Postremum, invicta esse arma, quum consentiunt conspirantque simul, Rex, & Pontifex, ut merito tunc de Regis ense dici possit, NON EST ALTER HUIC SIMILIS. Sed hæc talia tractare istius loci non est.

Hæc habui dicere DE AGGERIBUS ET PONTIBUS HACTENUS AD MARE EXTRUCTIS. Christum rogo, ut armis Regis LUDOVICI XIII. pro salute Ecclesiæ & majestate sua, & Galliæ tranquillitate sumtis, clementer benedicat.

EPISTOLA
MAGNI CARDINALIS
DE RICHELIEV
AD
PETRUM BERTIUM,

Geographum & Professorem Regium, post visam Inscriptionem & Titulum Operis, cum serie capitum.

INscriptionem Portus Rupellani meo nomine a te exaratam accepi, elegantem quidem illam, & quæ publicis tabulis consignari meretur. Eam suo loco & tempore affigi curabo. Laudo propositum DE AGGERIBUS ET PONTIBUS AD MARE EXSTRUCTIS, *inter quos Rupellanus non infimum locum occupabit. Non dubito quin & stylus & argumentum famæ atque existimationi tuæ abunde responsura sint. Tuos libros & liberos mihi summopere commendatos scito, sed hunc præsertim, quem Ecclesiæ dicasti, optimis moribus & doctrina ornatum. Placet typus calculi historici cum Epigrammate a filio tuo mihi ostensus. Denique placent omnia, quia tua sunt, & genio atque ingenio magno digna. Vale.*

Tuus ex animo
CARDINALIS DE RICHELIEV.

LUD. FERD. MARSILLI
COMITIS
EPISTOLA
DE
PONTE
SUB IMPERIO TROJANI SUPRA DANUBIUM EXSTRUCTO.

milliaria inferior jacet cataractis, quæ formatæ ex organica structura præcipui montium jugi vix transitum concedunt fluviis eas pervasuris. Vetus quidam Auctor, cujus mihi jam non succurrit nomen, describit easdem cataractas, Mysias inter & Dacias sitas; quæ commodo navigationis per canalem conjunguntur, eo etiam tempore cum aquæ decrescunt, quod simulac evenit, naves exonerandæ, & mercimonia plaustris transvehenda sunt. Hic locus a Romanis quibusdam munitionibus occlusus est, quæ in supra allegato Opere meo descripta, hodie ab omnibus populis, tractum hunc incolentibus, variis ipsorum linguis dicitur *Porta Ferrea Danubii*, propter feras, quas Romani in hac & tot aliis superioribus cataractis annexuerant munimentis & rupibus excavatis in modum arcuum seu fornicum ad naves ibi contra cursum aquæ funibus attrahendas. Abhinc interfici potest homo stans in ripa opposita; hicque ars, industria & audacia Romanorum superarunt famam de fabrica Pontis ortam; & idcirco pulcherrimis Inscriptionibus litteris majusculis eidem montium petræ insculptis ipsum exornarunt: hæ in Commentarios a me relatæ sunt, una cum ichnographiis & designationibus operum, quæ inibi reperiuntur. Præter hoc neque pedis quidem, ut ita loquar, spatium in hac terra vel rupe vacat munimentis per omnem horum montium tractum, qui conjungunt Mysias & Dacias a Danubio sejunctas tot vorticibus & horizontali aquarum diversitate, quæ ex amplo alveo, in quem per Hungariam excurrunt, heic per dicta intervalla arctiora secundum leges hydrostaticas summa cum velocitate decurrunt; ex ultima dein cataracta, quæ est paulum supra vestigia Pontis Trajani, delapsæ rapiditatem suam in magno, quod permeant, spatio deponunt. At tum quidem adeo liquidæ fluunt, ut varia munimentorum & castrametationum rudera in una alteraque ripa, & in quadam insula præbeant conspicienda. Quæ omnia in dicto Opere meo examinata, emensa & descripta sunt.

In tanta latitudine fundus necessario, secundum leges hydrometriæ, minus profundus, & ex solida compositus arena, facile capax est sustinendis pilarum tantarum ponderibus. Hæc investigatio, quam studiose feci, ad struendum hic navalem pontem, quo exercitus in Valachiam traduceretur, fundamentum erat cujusdam epistolæ meæ, ad Imperatorem Leopoldum scriptæ, in qua ipsum certiorem feci de ponte meis auspiciis brevi tempore & sine magno labore fabricato, qui, non minor eo quem Trajanus erexit, Leopoldinus sit appellandus. Commodus quippe loci situs, tignorum & trabium in vicinia affluens copia, Romanorum denique exemplum, facilem reddebant propositi mei exsecutionem: securior præterea est transitus ejusmodi, quam qui fit per pontem e navibus constructum: hæ etenim tali in loco per tantum intervallum conjunctæ neutiquam adversus ventorum impetum in tempestate vehementiori (qualis sub finem Octobris erat) consistere possunt.

Postmodum circa idem tempus ab illo proposito desistere fui coactus, cupidine viam Antiquorum videndi, refectam ab exercitu Cæsareo ad occupandam Daciam Ripensem, quæ hodie Valachia, & exspatiandi aliquot milliaria in superiora loca, quo insularum quarundam commodis uti possem.

Vestigia Pontis, quæ in utraque ripa remanent, e pila quadam constant formæ acutæ, in parte cursui fluminis opposita; & in parte ripam versus se extendente, gemini sunt excelsi muri. Pilæ istæ factæ sunt e vivis fluvii saxis, & undique inductæ tegulis magnitudinis immensæ. Moles hæc tota in modum crucis est perforata, quoniam ligna, quæ pilarum bases colligabant clathratis tabulis, sunt putrefacta. Omnes columnæ in alveo fluminis superficiem aquarum non eminent, quippe magna glaciei copia confractæ, & tantummodo in quibusdam locis, fluvio decrescente, & per varios motus aquarum eas superfluentium deteguntur. Aliquas earum feliciter bolide exploravi, quarum, ex indiciis & proportione latitudinis fluvii, computavi spatium quod singulis interjectum erat.

Extrema Pontis hujus propugnaculis fuerunt munita, quorum vestigia, dimensiones & imagines in Opere meo expressæ sunt. Quæ Mysiam spectant, ut credo, illæ sunt quas Justinianus forma quadrata reparavit, reposuitque in loca, ubi antecessores ejus illas collocaverant, paulum ante, referente Procopio, a Barbaris disjectas.

In altero latere, pars Daciæ ripam versus, quam idem Justinianus denuo restituit, utpote a se antehac derelictam, quod ripam Mysiæ terminum fixerat regionum suarum, perstat longe similior aliis fabricæ Romanorum vestigiis, quæ quasi erant rotunda; id quod mihi confirmarunt sculpturæ antiquæ a me magno numero collectæ, ad demonstrandam artem militarem, qualis fuit Imperio Romano admodum florente. Tot exercitus Cæsarei per Mysiam & Daciam, itinerum, multarumque relationum ope, quas alias ob causas petere debui, in regionibus his Turcico imperio subjectis, facillimum fuit invenire vestigia viarum, quæ ad hunc Pontem ducebant, & earum subsidio profectiones copiarum Cæsaris ad ultimos usque Daciæ fines cognoscere, cumque reliquis annectere quæ per Pannoniam passim videntur, ac omnes Romam tendunt, ceu extremum centrum; ut cuivis ad oculum patebit in mappa nostra Italiam, Illyricum, Mysiam, Thraciam, Daciam, Pannoniam & partem Norici exhibente, obfirmatæque sunt tot munimentorum ab antiquis constructorum vestigiis, quorum facies una cum dimensionibus ibidem sunt expressæ. Hinc clarissime veritatem hujus rei demonstro, quæ multum abest ab eo, quod Geographi veteres tradiderunt, & tali quidem modo ut nulla ipsos conciliandi spes supersit.

Affirmare certo ausim, Reverendissime Pater, fabricam Pontis Sancti Spiritus flumini Rhodano, profundo satis & capaci, impositam, adeo esse splendidam cum propter arcus tum ob pavimentum lapideum, ut longe plus admirationis & præconii mereatur, quam Pons Danubii, de quo hucusque sum locutus; etiamsi ille in eum statum nunc restitutus esset in quo primus structus fuit, & fideliter nobis quasi Columnam Trajani adversus dicta Dionis repræsentat. Quapropter mecum ipse consilium inii in allegato Tomo meo ostendendi figuras ac delineationes tam Pontis Sancti Spiritus, quam ejus, qui Trajanum habet auctorem, sperans fore, ut Parisiis accipiam ea quæ desidero, ad demonstrandam eo magis falsitatem sententiæ Dionis, venditantis, nullum unquam Pontem, neque ab Antiquis, nec Recentioribus, factum huic similem: omnino enim, ut modo dixi, Pons Rhodani, qui

jungit duas Galliæ Provincias, immane quantum pulchrior est & in loco longe difficiliore exstructus.

Romani, Pater Reverendissime, digni sunt æterna laude non ob hoc, sed ob alia opera militaria grandia & excelsa, quæ per seipsa in suis loquuntur vestigiis, neglectis quidem ob barbariem nationum dominantium, at a me, gratia Numini, feliciter detectis.

Tomum, cujus compluries in hac mea Epistola feci mentionem, jucundum tibi fore confido: erudito nostro Fontanino eum transmittam, ut Notas ad rem spectantes adjiciat. Is enim vir & optime scribit, & apte cogitata animi sui exprimit, quod mihi quidem facere non datum est; miles enim sum, & in Tomo isto nihil aliud curavi, quam nudam ob oculos ponere veritatem circa reliquias veteris Romani Imperii, superstites in locis, quorum injeci mentionem.

A

Hic labor meus efficiet, ut multo melius & distinctius intelligantur bella Dacica, in Columna Trajani expressa, quæ, licet a multis, a nemine tamen recte, ut oportet, est exposita. Interim tua benevola amicitia me prosequi ne desistas, oro, lumen aliquando ex profunda tuæ eruditionis abysso hauriam, quo indigeo, ad illustrandum, quod jam valde accrevit, Opus meum, ubi majorem partem Romanæ militiæ per marmora & nummos repræsentabo. Originem illi ab Etruscis, hi vero prima rudimenta ab Ægyptiis traxerunt, cujus eadem

B

marmora quam certissimam faciunt fidem. Denique sanitatem tibi & vitam cœlitus apprecor longissimam, ut pulcherrimos tuos labores in incrementum literarum, utilitatem publicam, & gloriam Ecclesiæ perficere possis. Vale, Reverendissime Pater, &c.

Roma 27. Aprilis
An. 1715.

LUDOVICUS FERDINANDUS MARILLIS.

F I N I S.



PAULI PETAVII

IN FRANCORUM CURIA CONSILIARII


ANTIQUARIÆ SUPELLECTILIS

PORTIUNCULA:

NEC NON EJUSDEM

VETERUM NUMMORUM

ΓΝΩΡΙϹΜΑ.



NON NISI PRISCA PETO ET VETERI MENS VIVERE MORE
PA P.
IN FRANCOF CVRIA CONSILIA
ANTIQVARIÆ SVPELLECTILIS
PORTIVNCVLA
PARISSIIS
CIↃ IↃC X
QVI NOVA VVLT HABEAT
ΟΙΣ ΑΤΥΧΩ
ISIS ÆREA
ΑΙΑΝ ΕΥΤΥΧΩ
NON NISI PRISCA PETO



PA PETAVIVS IN·FRANCORVM CVRIA·
CONSILIARIVS
ANNO
INCARN CIↃ IↃ CIX ÆTAT XLI

In nominis inversi

ἀπόδοσιν.

PAVLVS PETAVIVS

VSV AVIA SVPPLET.

Subjicit ista oculis vultum, sculptura PETAVI
Pluraque non potuit: longo sed tempore & VSV
Dum monumenta patrum nostris planè AVIA SVPPLET
Exhibetis, semet Francis, ævoque futuro

Hæc Batelierius dñs Avironis.
anno CIↃ IↃCXI

Et hoc etiam nomini inest.

VSV AVITA SVPPLE.

Ardua cùm res sit, scriptis renovare vetusta.
Collige longo VSVSVPPLE *&* AVITA *tuo.*

Plinius ad Vespas. Res est ardua vetustis, novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis grat[illegible] dubiis, fidem, omnibus naturam, & natura, sua omnia [illegible]

In summa.

Vis redeat nostris, pridem deperdita virtus:
SVPPLE *&* AVITA VSV, *si potes, assequere.*

❧ VETVS·MIMALLONIS·SEV·MAMILLONIS ❧
ÆREA.



PENES PA·P·C·R·

MAMILLONIS AVERSA.



PENES PA P C R


CYBELE ÆREA
EPA P CR TABVLARIO


POPÆ POSTICA PARS
PENES PA P CR


POPA ÆREVS
BRACHII PARS QVÆ
POPÆ NRO DEEST
A NON DISSIMILI
TIBI EXHIBETVR.


PARISIIS APVD PA P IN FR CC
HIC LAPIS VISITVR
GLAVCIA PATRONVS ET
PRIVATVS CORNELIVS
D · S · D
PRODIIT HOC VETVS TETRASTYLVM ANNO CIↃ IↃ CIX






ALEXA I L
TECTOR
O · H · S



SVNT HI QVATVOR ANTIQVI LAPIDES PENES PA.PET.C̃R



OSIRIS LAPIDEVS
LONG? VNCIAS PED
NOVEM

E PA.PET. CR.S.CRINIOLIS

FRAGMENTVM LAMINÆ ÆNEÆ APVD BELGEVAGVM E
FVNDAMENTIS TVRRIS VETVSTISSIMÆ EFFOSSÆ

IVS-TIBERINVS-ET
PIVS-PAVLLINVS
ZORES-EIVSDENT
VEN - PONENDVM

NON ABS RE PVTAVI EXTREMÆ EPISTOLÆ SVGERII
ABBATIS AD HENRICVM BELGIVAGORVM EPISCOPVM ET
CLERVM AC POPVLVM BELGIVAGENSES ADVERSVS LVDOVICVM
PIISSIMVM REGEM FR QVID MOLLIENTES CIRCA ANNVM
DÑI CIↃ C XLVIII SCRIPTÆ HIC INSERERE VIDETE
VIDETE INQIT NE ET ALIA VICE RESCRIBATVR QVOD SEMEL
INVENTVM EST IN MARMOREA COLVMPNA HVI? CIVITATIS
ORE IMPERATORIS DICTVM

VILLAM·PONTIVM
REFICI·IVBEMVS

CANOPI








E PA.P.C̃.R̃ ARMARIO

ISIS AEREA
ORVM LACTANS






GRAPHIA DVO ÆREA




EXTENSA



IMPLEXA






E PA.P.C̃.R̃ TABVLARIO

PVGIL ÆNEVS GALEA SEV AMPHOTIDE TECTVS



MARMOREVM BRACHIVM DISCOBOLI LIBRATVM PONDVS IN AVRAS MITTENTIS




E RE ANTIQVARIA PA. PET. GR.

VRNA FICTILIS SEMIPEDE ALTIOR




VRNÆ VITREÆ INVERSÆ FVNDVS




ET POSSVNT ISTA ITA LEGI
ΠΟΥΒΛΙΟΣ ΡΩΜΑΙΟΣ ΤΕΘΗΚΕ ΕΥΦΡΩΤΕΙ



NVMISMA ÆR INTER CINERES IN VRNA REPERTV



SAMIOLA EFFRACTA





ERAT ΠΕΡΙΒΡΑΧΙΟΝΙΟΝ ISTVD ÆREVM RADIO BRACHII INNEXVM

HOC EX ARCE AMBIANI NVPER CONSTRVCTA ERVTVM HABEMVS

EST HIC LAPIS PEDE LONG. ET LAT. SESSEM

D M N
PATTILLIVS P
PARTHICIF

EN IVXTA VITREAM LACHRYMARVM VRNVLAM MINVTVM COCHLEAR CORNEVM QVO EXCEPTÆ LACHRYMÆ IN AMPVLLAM MITTEBANTVR

COCHLEAR INTERIVS



IDEM EXTERIVS

2 ERATHÆ CARMILLA ÆREA IN RADIO BRACHII SVPERIORE





3 SAMII HVIVS VASIS HÆC EST INSCRIPTIO




4 NVMI QVI AD DEXTERAS SCVLPTI HI SVNT












ALIA ISTAQVE PRÆGRANDIA OSSA CVM LAPIDE FERCVLIS CVMQVE NVMISMATIS ET BRACHIALI ÆNEIS ARENA OBRVTA IN IOANNIS AMALRICI FRĀCICORVM EXERCITVVM CENSITORIS ÆDIBVS QVÆ PARS VETERIS DOMVS ANDEGAVENSIVM COMITV FVERE QVASQVE ILLE PARISIIS IN VICO TEXTRINARIO A FVNDAMENTIS REPARABAT ANNO HOC DNI CIↃ IↃ CXII REPERTA SVNT


LYCHNVS TESTAC








LYCHNI ÆREI












EXHIBVIT PAR. IN F. G. C.



SIGILLVM ÆREVM INCISVM

HERMES
VIVAS

SIGILLVM ÆREVM EXCISVM

L·MAMILLI
SYNTRop

E PA PE·C·R ARMARIO

E·PAP·C·R PINACOTHECA

SIGILLA ÆREA EXCISA



LYCHNVS ÆREVS

ET TOTVMHOC ÆREVMEST·

HVIVS SCALPTVRA ECTYPA EST



THG

GRAPHIVM VETVS ÆR·

INFANTIVM CVSTODES

FASCINI


E PA·I·C R ARMAR·

Tu


HÆC ROMANA LIBRA SARDA INSCVLPTA ERAT




ISTA GRÆCA PONDERA ALIVNDE EXHIBEMVS



EDIDIT. PA. P. C.R.AN. CIƆ IƆ.CIX



VETERES LATRVNCVLI ROMANI
PARTIM GEMMEI, PARTIM VITREI




PLVRES ADDERE NOLVIMVS, NAMHI SAT PRODVNT CETEROS AT TABVLÆ LATRVNCVLARIÆ MANDRAS ALIQVOT EXPRESSIMVS VT AB IPSA STATIONE QVAS PARTES SINGVLI TENERENT CVIQVE CONSTARET

MACHALES DVO HIC ANNI
CIƆ IƆXLVI ALTER
CIƆ IƆ L



IBERE NENIE
QVOD.D.HIERONYMO VE...
ET FREQVENS VERBVM EST
AC
PEROLÆ.GERRE

SAXONICI VNIVS VETERIS CVLTRI SESQVIPEDALIS ICONISMVM CVM TABELLÆ RESIDVVM VACARET SVBIICERE MALVI



PAR HVIVSCEMODI CVLTRORVM IN SANCTÆ MARIÆ LONCIPONTIS ABBATIA VIDIMVS

A·PA·PET C·R



SCVLPSIT F·RO·PARISIIS AN CIƆIƆ C·X




EN QVO DISCORDIA DIVOS PERDVXIT



EPAPCR CAPENNVIA 1202

ARGENT·CAR STIRPIS ALIA SERIES



E PA P·C·R·TABVLARIO

ARGENT·CAR·STIRPIS ALIA SERIES



CVM PLVRES SINT PENES NOS DENARII QVORVM PARS PRIOR HOC CAROLI SIMPLICIS MONOGRAMMA PRÆFERENS PLANE HÆC IPSA SIT, POSTERIOR VERO LOCORVM NOMINIBVS TANTVM DIFFERAT SVFFICERE PVTAVIMI SINE NVMI EXPRESSIONE ALIQVOT DARE M· EA SVNT

AMBIANIS CIVI ✠
AINASI CIVITAS ✠
ATINIACO PA ✠
ATREBATIS CIVITAS ✠
AVTISIODIRO CIVITAS ✠
BESENCIONI CIVITAS ✠
BLESIANIS CASTRO ✠
BRVDONSONT ✠
CALOOLVS P AR ✠
CAMARACVS CIVIS ✠
CARNOTIS CIVITAS ✠
CASTELLOMILED ✠
CASTIS MANDONS ✠
CASTIS PRVVINIS ✠
CASTIS AVVIONS ✠
CATALAVNIS CV ✠
CERVIA MONETA ✠
CINOMANIS CIVITAS ✠
COMPENDIO PALACIO ✠
CVRTRIACO ✠
DVNIS CASTELLI ✠


EBROCAS CIVITAS ✠
GANDAVVM ✠
GAVACA CIVITAS ✠
HBAIOCAS CIVTAS ✠
HNOVION VILLA ✠
HTVRONES CIVITAS ✠
IANNETIS CIVITAS ✠
I·SC·SOVINI CIVITAS ✠
IN VICO HAMVCO ✠
LATINO CASTE ✠
LIXOVIVS CIVITAS ✠
LVGDVNI CLAVATI ✠
MARSALIO VICO ✠
MAVRINIANE VAI ✠
MELDIS CIVITAS ✠
MOSOMOMOTA ✠
MOSOMOMONHIT ✠
NAMNETIS CIVITAS ✠

NEVERNIS CIVITAS ✠
RAVCI MONETA ✠
RAVGIO PALATIO ✠
REMIS CIVITAS ✠
ROTVMACVS CIVI ✠
SCI AND MNT ✠
SCI GAVGERICI MO ✠
SCI QVINTINI MO ✠
SCI STEPHANI MONE ✠
SENONES CIVITAS ✠
SIAIRIGANAMDA ✠
SVESSIO CIVITAS ✠
TARVENNA CIV ✠
TRECAS CIVITAS ✠
TVRONES CIVITAS ✠
VIENNA CIVIS ✠
VIRDVNIS CIV ✠
XIN COMDIO ✠



EPA·P·C·R·CAPENNVIA


ARGENT·EORVM STIRPIS ALIA SERIES



EX ADNVNCIATIONE DOMNI KAROLI APVD PISTAS ANNI DCCC LXIIII

CAP XI

VT IN DENARIIS NOVÆ NOSTRÆ MONETÆ EX VNA PARTE NOMEN NOSTRVM HABEATVR IN GYRO ET IN MEDIO NOSTRI NOMINIS MONOGRAMMA EX ALTERA VERO PARTE NOMEN CIVITATIS ET IN MEDIO CRVX HABEATVR SIC









CAP XII

SEQVENTES CONSVETVDINEM PRÆDECESSORVM NOSTRORVM SICVT IN ILLORVM CAPITVLIS INVENITVR CONSTITVIMVS VT IN NVLLO LOCO ALIO IN OMNI REGNO NOSTRO MONETA FIAT NISI IN PALATIO NOSTRO ET IN QVENTOVICO AC ROTOMAGO QVÆ MONETA AD QVENTOVIC AD ANTIQVAM CONSVETVDINEM PERTINET ET IN REMIS ET IN SENONIS ET IN PARISIO ET IN AVRELIANIS ET IN CAVILLONIO ET IN METVLLO ET IN NARBONA








EPAPCR TABVLARIO









E·PA:P·C̃R̃ CAPENNVLA

ARGENTEI













E·PA·P·C̃R̃· CAPENNVLA
















E PA P C̃R̃ CAPENNVLA

ARGENTEI





E·PA P C̃R̃ CAPENNVLA






EPA P.C.R PINACOTHECA







CAROLI MAGNI EICONI QUAM ISTA OPERIS ANTIQVI GEMMA OSTENTAT POTVERE ET PLVRA NEPOTVM ILLIVS C... ADDI SED PLACVIT PONI CAROLI SIMPLICIS QVI PROXIME SVB SVNT VVLTVS HOSCE PRIORIS ÆVI NVMOS ANNECTERE



ARGENTEI



E SCRINIIS PAPET C.R.

ÆREI




E PAP.C.R MVSEO

ÆREI



E PA P C·R· CAPENNVLA

ARGENTEI




E PA P C R MVSÆO

ÆREI



E PA P C R CAPENNVLA

ARGENTEI




E PA P C R MVSÆO

ARGENTEI



E PA·P C̄ R̄ CAPENNVLA

AVREI




E·PA P C̄ R̄ CAPENNVLA

AVREI




E PA P C̄ R̄· ARMARIO

AVREI




HORVM PLVRES HABET PAS GALL MONTALT

AVREI




ISTORVM ALIQVOT SVNT PAS. GALLI MONTALT

AVREI



E PA P C R ARMARIO

AVREI



E·PA·R C R ARMARIO

AVREI



E PA P C R CABENNVI A

CAROLI BRETI,

REGIS CONSILIARII ET IN CURIA SUBSID. REGNI, FISCI ADVOCATI,

DE ORDINE ANTIQUO JUDICIORUM CIVILIUM APUD ROMANOS COMMENTARIUS.

AMPLISSIMO VIRO

ACHILLI HARLAEO,

PRINCIPI SENATUS FRANCIÆ,

CAROLUS BRETUS

S. D.



Romeruit quondam Cenſoris illius Romani ſumma virtus, ut de eo paſſim jactatum illud, *mutus ſit, qui os ei non applicat, laudemque non tribuit*. Antonini item integritas adeo commendata ſuis, ut de eo etiam id vulgo dictum, *ſacrilegus ſit, qui ejus imaginem apud ſe non habuit, qui per fortunam vel potuit habere, vel debuit*. Publicolæ denique in patriam pietas ſic laudata, & venerata, *ut quiſq; ingratus diceretur, qui ad ejus ſtatuam aliquando victimam non immolaſſet, thura non dediſſet, ſerta & violas non ſparſiſſet*. Sed hæc omnia, Vir Ampliſſime, ut de te uno ſimul dici debeant & dicantur, meruerunt, quæ in te eminet incorrupta juſtitia, quæ in te ſplendeſcit ſanctæ vitæ integritas, quæ te illuſtrat firma in Patriam & Principem pietas. Illa namque omnium ſartam tectam adſervas vitam, fortunas, ſtatum; altera, ex vetere illa lege, omnibus es ſpecimen morum; hac vero poſtrema regnum fulſiſti, etiam pene convulſis illius membris; & jam ſervatum Dei Opt. Max. providentia, & virtute invicti Regis, juvas quotidie tua prudentia & conſilio. Ne igitur inter omnes mutus ipſe ſim, ne ſacrilegus, ne ingratus, hanc de te, & quæ certe tua, laudem in hoc limine exhibui; Nomenque tuum, ut venerandum divini hominis ſimulacrum, capiti hujus Libelli appoſui; eique ut ſacro Numini hæc ſtudia dicavi, conſecravi. Imo vero ita me perculit laudis illius tuæ per omnium ora volantis admiratio, ut & ſentiam calamum ipſum ſua ſponte eam ſcribere geſtientem. Nec certe poteram, cui convenientius hunc priſcum Judiciorum ordinem nuncupare quam tibi; qui dum a multis annis Judicia in iſto Senatu Franciæ, tanta gloria, tanto ſplendore, tanta dignitate, regis & moderas, hanc præcipue curam habuiſti, ut rite omnia & ex ordine conſtituerentur. Et hercule bene, cum Platonis illud ſciveris, πᾶσα δὴ πόλις ἄπολις γένοιτο, ἐν ᾗ δικαστήρια μὴ καθεστῶτα εἴη κατὰ τρόπον· Accipies itaque hoc parvum Opuſculum, tua, ut ſoles, ab omnibus prædicata humanitate: in quo explicatus privatorum Judiciorum ordo, quo olim uſi tum Romani, cum Athenienſes; dum interim a me paratur alterum, in quo publicorum ritus & ſolennia expono. Quibus etſi minus ſpero prodeſſe; opto tamen, ut ſit inde certiſſimum teſtimonium meæ juſtiſſimæ erga te obſervantiæ, quem ut unum ex reliquiis aurei ſeculi juſtitiæ decus atque ornamentum colo & veneror; cui vitam longævam, perpetuamque fœlicitatem ex animo voveo, atque unice exopto. Bene vale.

SUMMA RERUM HOC LIBRO CONTENTARUM

IN CAPITA DIGESTA.

CA.

CAROLI BRETI,

REGIS CONSILIARII ET IN CURIA SUBSID. REGNI, FISCI ADVOCATI,

DE ORDINE ANTIQUO JUDICIORUM CIVILIUM APUD ROMANOS COMMENTARIUS.

CAPUT I.

Quid Judicium, & quotuplex.



Cturus de antiquo Judiciorum ordine, quo Romanorum & Atheniensium quondam res stetit publica, operæ pretium duxi, auspicari a definitione & partitione judicii. Judicium igitur recte definitur litigatorum apud Judicem vel coram Judice disceptatio, litis finiendæ gratia; etenim judicii finis, ut M. Tullius ait lib. 1. *Top.* est jus, ex quo etiam judicii nomen: unde & a Varrone dictum judicium, quod jus, id est pronunciandi copiam Prætori vel Judici partes facerent. Qui ideo in duod. Tab. Juris est dictus disceptator.

Judicium autem duplex esse dicitur *, civile, & criminale; aut, ut alii voluere, privatum, & publicum. Civile vel privatum est, cum quis ita agit, ut petat id, de quo queritur, sibi adjudicari. Criminale autem sive publicum dicitur, quod ad vindictam publicam instituitur, ut extra ordinem animadvertatur. In illo utilitas privatorum, in hoc vigor publicæ disciplinæ spectatur †: eoque pertinet illud Tullii *pro Cæcina, Judicia omnia aut distrahendarum controversiarum, aut delictorum puniendorum causa reperta sunt.*

Similiter Græci δίκας, id est, *actiones*, divisere, in κατηγορίας nomine præcipuo, & δίκας communi, id est, publicas, & privatas, δίκας καὶ γραφάς alii; id indicante Isocrate in *Orat. de Jugo*, & in κατηγορίαι *Paneg.* autem criminibus puniendis; δίκαι privatis disceptationibus constitutæ.

Hebræis quoque eadem divisio fuit; sed ex publicis, quod erat gravius vocabant συνέδριον, id est, *consilium*: quod vero levius κρίσιν, quam vocem Interpretes verterunt *judicium*; quæ differentia notatur a Davide, dum ita in *Psalmis*, *Ideo impii non resurgunt in judicio, neque peccatores in consilio justorum*. Item ab Evangelista, cum ait, *qui irascitur fratri suo reus est judicio; qui autem ei dicit Raca, reus est consilio*.

Cæterum hoc notatum velim, me ideo hunc libellum *de antiquo Judiciorum ordine* nuncupasse, quod præsertim illo complectar quæ observata olim quum judicia ordinaria erant; quod a tempore Alexandri, quantum ad publica attinet, in usu esse desiit, quanntum vero ad civilia, a tempore Justiniani; nam sub eo, Prætoris urbani jurisdictione sublata, reque ad Græcorum institutum revocata, ordo antiquus, qui ad Constantinum usque permanserat, sublatus est.

* L. ult. C. de injur. † L. locatio §. quod illicite ff. de publ. & vectig. & commiss.

CAP. II.

Qui primi olim Judicia reddiderunt.

HEbræi Ægyptiique ceteris gentibus feruntur antiquiores; iis autem iidem Sacerdotes fuere, & Judices, auctore Synesio Episcopo his verbis, ὁ πάλαι χρόνος ἤνεγκε τοὺς αὐτοὺς βασιλέας καὶ κρίτας· οἱ γὰρ Αἰγύπτιοι καὶ Ἑβραῖοι ὑπὸ τῶν ἱερέων ἐβασιλεύθησαν. A quibus non multum absona prisca hæc gens nostra, antiqui Japheti progenies. Scribit enim Cæsar Julius lib. 6. *de Bello Gall.* cap. 13. *Druides rebes divinis interfuisse, sacrificia procurasse, fere de omnibus controversiis publicis privatisque constituisse, & si quod erat admissum facinus, si cædes facta, si de hæreditate, de finibus controversia esset, eosdem decrevisse.* Idque sagaci consilio, ut nimirum major fieret judicandi sanctitas, ita cum Numinis ipsius veneratione conjuncta.

Medi autem, qui & in terris non adeo novissimi, cum initio sui juris essent, nec lege, nec magistratu regerentur, Dejocem, sanctitate & justitia perspicuum, Regem fecerunt, qui jurgia & lites inter eos componeret, ut Herodotus scribit *lib.* 1. a quo qui postea Reges, iidem & Judices fuere.

Græcis etiam antiquioribus idem solemne fuisse ex serie historiæ colligimus. Nam a Cecrope primo eorum Rege, usque ad Codrum ultimum, per annos 866. judicia a Regibus reddita; quin etiam ipsum Cecropem & Areopagum instituisse, & huic quotidie præfuisse; Eusebio enim ita scribenti potius assentiendum, quam iis, quos scribit Plutarchus existimasse, a Solone primum esse descriptum. Cui rei fidem adfert Aristoteles lib. 2. *de Repub.* inquiens, Solonem Areopagitarum consilium, cum esset antea, evertere noluisse; adstipulatur etiam Pausanias locis compluscculis in *Atticis*, *Messenicis*, & *Achaicis*. Et qui postea insecuti Reges, Erichtheus, Ægeus, Demophoon, & alii illius exemplo Prytaneum, Delphinium, Palladium, Phreattium, Heliæam, Trigonum, Parabystum, Metychium constituere, iisque præfuere; vel eorum amici, qui & φιλοβασιλεῖς dicebantur, ut Pollux notat, præcipue cum causæ capitales agitatæ.

Postea autem Regis abolito nomine, perpetui Archontes, ut regio functi munere, sic & his judiciis fuere præfecti, idque per annos 586. a Medone Codri filio usque ad Alcmæonem ultimum Archontem perpetuum; qui etiam his successere Archontes decennales a Charope usque ad Ericem per annos LXX. eadem judicia exercuere, ut eadem potiti potestate. Post jacta denique Democratiæ fundamenta, Archontes annui novem, Rex nempe, Archon, Polemarchus, & Thesmothetæ sex, foris illis & basilicis etiam præfuerunt: quæ omnia ex Eusebio, Paterculo, Harpocratione, & aliis colliguntur.

Quantum vero ad Romanos attinet, clarum est ab Urbe condita initio Reges penes se judicandi potestatem retinuisse: Livius enim, Prisco trucidato, Tanaquilem ejus uxorem sic loquentem facit: *Servio Tullio, jubere Populum audientem esse, eum jura redditurum, & cetera Regis munia obiturum esse*.

Postea autem Regibus ejectis, penes Senatores ea potestas, usque ad Gracchi tempora; is enim Senatui capitaliter infensus, judicia repente a Senatorio Ordine ad Equestrem transtulisse dicitur: eaque re peracta gloriatus, sese non pedetentim, sed una legis unius promulgatione Senatum sibi invisum, semel e Republica sustulisse, ut Appianus *lib.* 2. addocet, atque Marc. Tullius, dum ait 2. *Verr.* quinquaginta annos continuos, Equites integerrime judicasse. Victoria autem Syllæ rursus judicandi potestas Equitibus Romanis erepta, & Senatui reddita ac restituta est. Consules etiam jura reddidisse, testis Livius *lib.* 2. in hæc verba, *Appius Claudius Consul de pecuniis creditis asperrime jus dicere*. Sed & Prætores eandem obtinuerunt potestatem; qui licet initio ideo creati, ut vicem gererent Consulum absentium, postea tamen his etiam præsentibus jura reddidisse ex Pomponio *l.* 2. *ff. de orig. juris*, & Gellio *lib.* 13. *cap.* 14. colligimus. Ædiles item jus dixisse, testis idem Pomponius; eratque eorum cognitio, de ratione annonæ, de Urbis viarum ædificiorumque curatione, de rerum venditione & commercio: ut videre licet *titul. de Ædilit. edict.*

Posteriori autem imperii ætate, cum res omnes sub unius Imperatoris nutum & arbitrium cecidissent, Imperator ipse sæpissime gravioribus causis non interesse tantum, sed etiam præesse consuetus; Suetonius de Augusto in *ejus Vita*: *Ipse jus dixit assidue, & in noctem nonnunquam: si parum corpore valeret, lectica pro tribunali collocata, vel etiam domi cubans*. Idem de Claudio in *ejus Vita*: *In cognoscendo autem ac decernendo summa varietate animi fuit; modo circumspectus & sagax, modo inconsultus ac præceps*. Nec etiam huic muneri minorem operam Tiberium præstitisse Tacitus *lib.* 3. *Annal.* auctor est: eoque respiciens Symmachus, Impp. Valentem, Gratianum, & Theodosium justitiæ sacerdotes vocat, ab eo nimirum judicandi munere, cui ut plurimum incumbebant.

CAP. III.

Quo ex jure, quibus-ve legibus reddita olim Judicia.

Hebræis facta primum Judicia, ex jure a Mose tradito; is enim non modo inter Hebræos, sed & cæteras quascunque gentes, fertur antiquissimus Legislator; atque etiam, auctore Eusebio lib. 10. *de Præpar. Evangel.* ipsa Cerere antiquior, quæ vulgo dicitur prima leges edidisse, teste etiam Ovidio lib. 5. *Metamorph.* vers. 343.

Prima dedit leges, Cereris sunt omnia munus.

Quas autem leges Mosi dedit Deus, eas ceteris exemplar esse voluit; ut & Trismegistus, qui primus Ægyptiis fertur Legislator fuisse, suas omnino leges adinstar Mosaicarum constituerit, ut idem Eusebius *lib.* 10. testatur.

Græci diu absque lege fuerunt: nam & Josephus lib. 2. *contra Apion.* auctor est, Homerum nusquam in opere suo hoc legis nomine usum esse, quod videlicet tum nulli populi Græciæ legibus tenerentur, ἀλλὰ γνώμαις ἀορίστοις καὶ προστάγμασι τῶν βασιλέων, *omnia sententia & manu Regum gubernarentur*. Primus autem qui iis Nomotheta, Draco fuit; is, inquam, qui (ut dicebat Demades) non atramento, sed sanguine leges suas descripsit; adeo enim graves & acerbæ illæ, ut noxis omnibus pœnam adscriberent capitalem; usque sunt iis per annos XXVII. usque ad Olympiadis quadragesimæ sextæ annum tertium; quo anno Solon Rempublicam, intestinis afflictam discordiis, novis institutis & legibus erexit. Hæque in tabulas descriptæ, partim ἄξονες, partim κύρβεις sunt appellatæ; ac primum quidem in arce collocatæ, deinde, ut omnibus paterent, per Ephialtem in Prytaneum & forum delatæ sunt, ut Plutarchus in *Solone* & Pausanias in *Atticis* testantur. Quas autem in Metroo servatas esse Harpocration tradidit, eas fere non tam Solonis, quam eorum qui post Solonem novis legibus Rempub. instruxerunt, leges fuisse crediderim. In iis autem si quid omnino rectum sanctumque, ab Ægyptiis mutuatum, & Hebræis; nam & diu Solonem apud ipsas gentes commoratum, Clemens ait in *Stromat.* Pari studio olim Lycurgus Lacedæmoniis, Zaleucus Locris, Charondas Catanensibus leges scripserant, quibus videlicet instructa Judicia redderent.

Romani vero etiam initio nullo certo jure moderati. Arbitria enim Principum pro legibus erant, ut Justinus ait, & confirmat Pomponius *lib.* 2. *ff. de origin. jur.* Fuere quidem βασιλικοὶ sive regiæ leges quædam a Romulo & ceteris deinceps Regibus latæ: sed potius Regno quam Judiciis aptæ; adeo ut statu regio postea everso sublatæ fuerint omnes rogatione tribunitia, paucis exceptis, quæ a Servio Tullio de commercio & contractuum ratione latæ, ut Livius prodit *lib.* 3. Tandem vero cum viderent incerto jure omnia duci, Romilio Veturioque Consulibus placuit, ut Legumlatores crearentur, qui jura Patribus & Plebi æqua scriberent, quæque ab iis essent decreta, ea Plebem & Patres tenerent.

Ideoque missi sunt Legati tres in Græciam, qui Atheniensium & aliarum Græciæ civitatum leges, instituta, moresque agnoscerent, eaque descripta Romam deferrent: quibus reversis, creati Decemviri, qui ex patriis moribus & peregrinis istis legibus optima jura seligerent. Sicque ab his duodecim Tabul. Leges perlatæ sunt; quibus quantum auctoritatis tributum sit, docet Cicero lib. 1. *de Orat.* dum ait: *Frement omnes licet, dicam quod sentio, Bibliothecas me hercule omnium Philosophorum, unus mihi videtur* XII. *Tab. libellus, si quis legum fontes & capita viderit, & auctoritatis pondere & utilitatis ubertate superare.*

His successere prudentium responsa, quæ earum legum interpretationes erant; quod Pomponius prodit in hæc verba: XII. *Tabul. latis evenit, ut interpretatio desideraret prudentum auctoritatem, necessariamque disputationem fori. Hæc disputatio, & hoc jus, quod sine scripto venit, compositum a prudentibus, propria parte aliqua non appellatur, ut cæteræ partes juris suis nominibus designantur; sed communi nomine appellatur jus civile. Deinde ex illis legibus eo-*

dem fere tempore actiones compositæ sunt, quibus inter se homines disceptarent: quas actiones ne Populus prout vellet institueret, & certas & solennes esse voluerunt. Eæ autem apud collegium Pontificum erant, diligenterque adversabantur, unde Livius *lib.*9.ait, *in eorum penetralibus abditum fuisse jus civile*. Ex illis autem, qui quoque anno Populo interpretarentur & responderent, unus constituebatur; qui ob eam rem dicebatur præesse privatis. Tandem vero istæ actiones a Flavio, Appii Cæci Pontificis Scriba, publicæ factæ sunt, unde Jus Flavianum ortum: quod & adauctum postea ab Ælio Sexto, ex quo Jus Ælianum.

B Et hæc quidem sub Decemviris, quorum auctoritas desiit, cum tandem Populo dura nimis videretur, & ob id rursus secessisset in Montem Aventinum. Itaque cum plebs teneret imperium & rerum summam, multa plebiscita confecta sunt; quæ alteram Juris Romani fecere partem; postea, relata in Senatum tota auctoritate, excrescente Populo, orta sunt senatusconsulta; dein edicta Prætorum atque Ædilium Curulium; & postremo Imperatorum Constitutiones; cum nimirum lata Lege regia, Populus eis & in eos omnem suam transtulisset potestatem.

C Et hæc antiqua fuere jura, quibus moderata redditaque judicia. Moderata inquam & reddita, certis in id expresse latis legibus, quæ ideo judiciariæ dictæ; inter quas, præcipuæ duæ illæ Juliæ, quarum una privatorum, altera publicorum judiciorum formam, rationem, ac regulam complectebatur. De illa sic Gellius *lib.* 14. *cap.* 2. *Atque in rerum quidem diffusionibus, comperendinationibusque, & aliis quibusdam legitimis ritibus, ex ipsa lege Julia, & ex Sabini Massurii, & quorundam aliorum Jurisperitorum commentariis commoniti & adminiculati sumus*. Cujus & Auctores nostri meminere locis compluribus.* De hac etiam sic Paulus loquitur in hæc verba ‡: D *Lege Julia & Papia judiciorum publicorum cavetur, ne alicui invito denuncietur, ut testimonium litis dicat adversus socerum*. Quæque judiciariæ leges si exstarent integræ, plane ordo ille antiquus judiciorum omnino innotesceret; sed quasi penitus suppressæ & dilaceratæ illæ, postquam mutata vetera judiciorum solemnia.

CAP. IV.

De insignibus Magistratuum, cum jus dicerent.

E MAgistratibus, quo magis conspicui, eorumque judicia augusta magis & veneranda redderentur, attributa fuere ornamenta quædam & insignia majestatis, quibus, præsertim cum jus redderent, aut quid publice pro dignitate exercerent, uterentur. Ad quæ respiciens Ulpianus † noluit, *utrisque orbatum luminibus postulare posse, quod ejusmodi insignia Magistratus videre & revereri non posset*, ut quibus nimirum illius fulgor maximus, majestasque omnis inesset; unde & Paulus censuit, teneri eum crimine læsæ majestatis, qui insignia altioris hujusmodi ordinis illegitime usurpasset.

F Porro non eadem fuere omnibus, sed diversa singulis pro dignitatis ordine attributa, ut alia Regibus & Imperatoribus, alia Consulibus, alia Prætoribus, alia Ædilibus. Quæ omnia hoc loco mihi sigillatim exponenda sunt, initio facto a Regibus & Imperatoribus; quorum insignia fuere, sceptrum, ignis, purpura, diadema. Sceptrum quidem, quod semper habitum symbolum dominationis & Imperii; unde Ulysses apud Homerum Minoem Regem inducit, aureum sceptrum tenentem, dum pro Imperii jure mortuos judicabat, *Odyss.* λ. vers. 568.

Χρύσεον σκῆπτρον ἔχοντα θεμιστεύοντα νεκύεσσιν.

Male enim quidam sceptrum retulerunt inter Consulum insignia, cum procul dubio Regium sit & Imperiale, teste ipso Tullio *Orat. pro Sestio*, dum ait de Ptolemæo Rege, *Sedens cum purpura, & sceptro, & insignibus illis regiis*.

Ignem vero nollem affirmare olim Romæ Regibus in usu fuisse pro insigni, quemadmodum postea fuit Imperatoribus, ab ætate Antoninorum: ut Herodianus addocet, cum de Commodo istiusmodi loquitur in *ejus Vita*, nihilo secius Commodus honores sorori suæ servavit; nam & in theatro sella Imperatoria sedebat, & ignis eam præcedebat; item in *Pertinace*: Venit in Senatum, neque ignem sibi passus est præferri, neque aliud ullum principatus insigne attolli. De quo more dixit nemo doctius Lipsio, vere altero seculi hujus Varrone, putatque ille in *Annotat. in Tacit.* Romam e Persis traductum; quod illorum Regi perlatum ignem scripserit Xenophon *lib.* 8. *Cyrop.* vel potius ex Asiaticis, teste Ammiano *lib.* 23. dum ita scribit: *Ferunt etiam, si justum est credi, (ignem cælitus lapsum) apud se sempiternis foculis custodiri: cujus portionem exiguam, ut faustam, præisse quondam Asiaticis Regibus dicunt*. Puto vero ipse, Principes istos Romanos ambitione tumentes, ignem hunc usurpasse, ut Deorum gloriam æmularentur; quorum in cultu adhibitas lucernas facesque Antiqui scriptis suis indicant; nisi forte mavis id mystica quadam ratione inductum, quod nimirum ignis fuerit Hieroglyphicum justitiæ, scelerum ultricis: eaque de causa pedibus Isidis perpetuo apponi solitus, ut alicubi Plutarchus scribit. Unde & a Mose Lex Dei ignea dicitur, quod, qui eam violasset, gehennæ ignis esset obnoxius; quo forte spectat illud divini Psaltis, *Ignis ante ipsum præcedet, atque inflammabit in circuitu inimicos ejus*. Suspicarer igitur ante Imperatores, ante Reges, prælatum ignem; ut qui ipsum prospicerent, a scelere, cujus vindex erat, deterrerentur: saltem a lacessenda ista majestate, cujus læsæ pœna erat ut plurimum combustio, aut ignis interdictio, ut Cicero *Philip.* & Paulus *lib.* 5. *tit.* 29. scribunt.

Diadema autem, quod & Regium & Imperiale ornamentum fuerit, dubitat nemo; licet ante Aurelianum nullus Imperatorum eo fuerit usus. Cur vero Regi illud attributum pro insigni, plane ignoro; nisi placeat ideo ei datum, ut ex hoc vinculo & ligamine disceret, sibi proclivi solutaque potestate non utendum, recordareturque se legibus alligatum constrictumque.

Purpuram denique fuisse etiam insigne Regium & Imperiale, tam certum est, ut id ostendere esset supervacaneum; incertum tamen, quis primus eam induxerit, atque etiam magis incertum, qua ex ratione; nisi & suspiceris Principibus datam purpuram propter illius raritatem excellensque pretium; fere enim æquabatur ipsis margaritis, Plinio teste, cum ita scribit*, *conchylia & purpuras omnis ora atterit, quibus eadem mater luxuria, paria etiam pene margaritis pretia fecit*. Quod igitur vix essent qui præter Principes rem adeo pretiosam possent comparare, eis solis concessa videtur. Non tamen forte absonum omnino erit, si quis putet Regibus attributam ideo purpuram, quod verecundiam referat, cujus scilicet color iste indicium; verecundiam autem Regiam esse

* L. cum lege. l. sed si servum §. si quis Judex. ff. de recept. arb. & in l. 2. ff. de judic. ‡ L. 4. ff. de testib. † L. 1. §. casum ff. de postul.

* *Lib.* 9. vide & Aristot. lib. 9. *Histor. Anim.*

virtutem, justitiæ ſororem, perpetuamque comitem, eaſque ambas Jovi Regum principi ſemper aſſidere in conſilio, ſcribit Heſiodus; atque etiam earum conſortium indicat Cicero *lib.* 1. *Off.* dum ait, *juſtitiæ partes ſunt non violare homines, verecundiæ non offendere*; indicat & Archidamus, dum ait apud Thucydidem, *αἰδὼς σωφροσύνης πλεῖστον μετέχει*.

Num itaque recte poſſumus dicere, iſtis quatuor inſignibus totidem deſignari Regias principeſque illas virtutes? fortitudinem, in ſceptro; juſtitiam, in igne; verecundiam, in purpura; & temperantiam, in diademate?

Quis igitur Regem in tanta inſignium majeſtate jura reddentem non fuiſſet reveritus? quis ejus vocem, quaſi oraculi, vel Dei vocem, attentiſſime non audiviſſet? & auditam non obſervaſſet religioſiſſime? Parva fateor per ſe ſunt externa iſta; ſed multum tamen valent ad judicii auctoritatem, terrendaſque noxiorum mentes.

Conſularia autem ornamenta hæc fuerunt; trabea ſive toga, aut tunica palmata, ſcipio, ſella curulis, faces: trabea ſtola erat, eademque Conſulis ac Regias; unde & Regalis appellatur a Theodoſio *; Suidæ autem & Appiano *περιπόρφυρος τήβεννος* dicta, quod purpurea erat; illiuſque compluries meminit Ammianus, qui &, cum de Conſulatu loquitur, collegium & ſocietatem trabeæ nominat; palmatam quidem eam dixi, a palma ſcilicet, id eſt, victoria; unde Sidonius in *Paneg. Poſt palmam palmata venit, quod eadem uterentur in triumphis, vel quod Conſulatus ſummum erat virtutis præmium & feliciſſimus laboris triumphus, nempe erat bonorum honos eximius*.

Scipio autem inſtar erat ſceptri Regalis, cujus meminit Vopiſcus in *Aurel.* cum ait, *te Conſulem hodie deſigno, ſcripturus ad Senatum ut tibi deputet ſcipionem*. Sellæ vero curulis meminit Caſſiodorus lib. 6. *Variar.* dum ita ſcribit in formula conſulatus, *ſellam curulem pro ſua magnitudine multis gradibus enixus adſcende*. Et Vopiſcus *loco ſupra citato*: *Cape igitur tibi pro rebus geſtis tuis coronas murales quatuor*, &c. *ſubarmalem profundum, ſellam eboratam; nam te Conſulem hodie deſigno*, &c.

Faſces denique inter inſignia Conſularia fuiſſe, tam notum quam quod notiſſimum; earum vero origo a Romulo repetenda; quem ſibi duodecim Lictores inſtituiſſe Livius & Halicarnaſſeus conſentiunt, qui cum virgarum faſciculis ſecuri adjunctis anteirent: quoſque ſimul cum cæteris Regum inſignibus Populus ad Conſules Tarquinio ejecto tranſtulit. Cur vero intra faſciculos iſtos obligata ſecuris, belliſſime Plutarchus addocet, ut ſcilicet indicium eſſet iram Magiſtratibus non debere eſſe in proclivi & ſolutam, vel propterea ut ſolutio faſcium, quæ paulatim fiebat, moram aliquam iræ injiceret. Vere enim dictum ab Antiquo, *quod nequit ratio, ſæpe ſanavit mora*.

Prætoris inſignia hæc etiam fuere; prætexta, ſella curulis, haſta, gladius, & miniſtri, Scribæ nimirum, Accenſi, & Lictores; ſed prætextam & ſellam curulem communes habuerunt cum Conſulibus: propria vero Prætoris inſignia fuere, haſta, & Gladius; de quibus ita in *Epiſt.* Cyprianus, *Sævit* (inquit) *diſcordantium rabies, & inter togas pace rupta litibus forum mugit inſanum, illic haſta & gladius & Lictor præſto eſt*. De haſta autem plura dicere ocioſum prorſus; de Lictore vero ſciendum, tria illius fuiſſe munera præcipua, ſummotionem, animadverſionem, præitionem: de ſummatione & præitione ita Latinus Pacatus in *Paneg. tum longe*, inquit, *populus arcebatur, & otioſi Lictoris manus plebem verbere ſummovebat*; & Seneca *epiſt.* XCV.

* L. 1. C. publ. lætitiæ.

A *non eſt quod feliciorem eum judices, cui ſubmovetur, quam quod Lictor ſemita dejicit*. Coertionis vero indicium, illud horrendum carmen; *Lictor colliga manus, viro forti adde virgas, lege age*. Scribarum autem uſus erat, ut in tabulas actiones referrent; ſed de his poſtea loco ſingulari dicemus.

Poſtremo, Ædilium inſigne præcipuum, ſella curulis, unde & eis nomen Curulium; cætera autem, quæ imperium deſignabant, eis non conceſſa: nihil enim, aut ſaltem minimum, habebant imperii, unde nec vocationem, nec prehenſionem habebant, ut ex Varrone Gellius docet *lib.* 13. *cap.* B 12. & 13. erantque inter minores repoſiti Magiſtratus, & qui tributis tantum comitiis crearentur, ut & eorum cognitio de rebus erat minimis, adinſtar Eponymorum Atticorum.

Ex his igitur conſtat inſignium iſtorum præcipuum fuiſſe uſum, ut inde emineret Judicum majeſtas, & eorum judicia venerabiliora fierent; cui enim ex tot faſcium, tot Lictorum objectu, virgarum, ſecuris, haſtæ, gladii & cæterorum timor non incuſſus? Attonitos fuiſſe Macedonas Livius ſcribit *lib.* XLV. cum ita inſignitum Paulum Æmilium in tribunali conſpexiſſent: *Aſſuetis*, inquit, *regio imperio, tamen novum formam terribilem præ-* C *buit tribunal, ſummotor additus, præco, accenſus, inſueta omnia oculis auribuſque, quæ vel ſocios, nedum hoſtes terrere poſſent*. Timorem autem quis neſcit hominibus optimum eſſe magiſtrum; ut qui primus in orbe Deos fecerit? ut inquit vetus ille, ideo ei juxta Ephororum tribunal conſtructum ſacellum ſcribit alicubi Diodorus; unde & juſtitia ipſa a Chryſippo ita apud Gellium fuit depicta *lib.* 4. *cap.* 4. ut eſſet adſpectu vehementi & formidabili, luminibus oculorum acribus; neque humilis, neque atrocis, ſed reverendæ cujuſdam triſtitiæ dignitate: cujuſmodi & Judicis majeſtas debet eſſe; ut ipſe venerabilis, & ejus judicia ſacroſancta reddan- D tur.

Quantum autem ad Græcos ſpectat, nulla alia eorum Magiſtratuum inſignia erant, quam coronarum: ut ex Demoſthene locis compluribus * colligitur: excepto tamen Nomophylace; quem non corona, ſed ſtrophio albo uſum fuiſſe Pollux ſcribit *lib.* 8.

CAP. V.

De locis, in quibus olim reddita Judicia.

E

QUo judicii auctoritas, Judiciſque dignitas fieret auguſtior, noluere Antiqui jus reddi in tricliniis, nec intra privatos Penates; ſed in locis multis conſecratis ceremoniis, utpote baſilicis & foris; quæ propterea non magis fora dici debebant, quam templa pacis, propter quæ valerent leges, ut inquit Fabius in *Declamat.* eaque de cauſa Plato ille divinus voluit Magiſtratuum palatia conſtrui juxta templa; ſic enim eleganter ſcribit lib. 6. *de Legib.* Πρὸς δὲ αὐτοῖς οἰκήσεις τε ἀρχόντων, F καὶ δικαστηρίων· ἐν οἷς τὰς, ὡς ἱερωτάτοις οὖσι, λήψονταί τε καὶ δώσουσι τὰ μὲν, ὡς ὁσίων πέρι, τὰ δὲ καὶ τοιούτων θεῶν ἱδρύματα, καὶ ἐν τούτοις δικαστήρια· ἐν οἷς αἵ τε τῶν φόνων πρέπουσαι δίκαι γίγνοιντ᾽ ἂν, καὶ ὅσα θανάτων ἄξια ἀδικήματα. Id eſt, *Templa circa forum ſtruantur, juxta hæc Magiſtratuum palatia, & curiæ juri dicundo attributæ; in quibus veluti auguſtiſſimis ſanctiſſimiſque locis jura dentur & accipiantur: partim ipſis Judicibus, veluti de rebus ſacris judicaturis; partim vero veluti in ipſis curiis Deorum ſint*

* Orationibus in Theocrinem, & Ariſtogitonem.

sedes & delubra; in quibus de rebus omnibus capitalibus, de cæde, de vi, & cæteris scelribus, quibus mortis supplicium debetur, judicia definiantur. Indeque veteres Romani nusquam passi senatum cogi nisi in locis ab Auguribus consecratis; quæ & ideo templa vocitabant, Cicerone teste *Orat. pro Domo sua*, dum ait, *Curia est sedes, ac templum publici consilii*. Et *Orat. pro Milone*, *Curia est templum sanctitatis*; atque etiam Livio *lib.* 1. dum sic de Curia Hostilia juxta templum condita scribit, *templumque ordine a se aucto, Curiam fecit, quæ Hostilia usque ad Patrum nostrorum ætatem appellata est*. Hinc merito Orator ille in *Orat. pro Dejot.* conqueritur, quod privatim ei dicendum esset in gravi causa, dum ait: *Moveor loci hujus insolentia, quod tantam causam, quanta nulla unquam in disceptatione versata est, dico intra privatos Penates, dico extra conventum & eam populi frequentiam, qua Oratorum studia niti solent*; jure etiam Seneca 9. *Controv.* ita de Flaminio, *quis te ferret*, inquit, *si in triclinio judicium coegisses*?

Et sane ut sacra ipsa haberi fierique non licet in privato, sed nec prodigia Romæ suscipiebant, si in loco privato aut peregrino accidissent; sic nec justitia, quæ supra res alias omnium sanctissima est, recte alibi quam in loco publico & augusto tractari vix potest; quam etenim auctoritatem habere possunt ea quæ domi geruntur? in qua qui præest non Consul, non Prætor, sed Paterfamilias appellatur? Eam ob rem prohibiti sunt olim Tribuni plebis, inquit Tacitus ubi de Nerone, *ne pro potestate intra domos quidpiam animadverterent*.

Attici etiam, civili politia cæteris cultiores, hoc in summa cura habuere, ut apud eos privatim nunquam judicia redderentur, sed in locis majorum, & multis auspiciis religiosissimis; exemplo est primum Areopagus, ubi Deos jus dare & accipere voluerunt; hic enim Senatus in Martis pago cogebatur, loco antiqua celebrato religione. Et si quando ex causa in eo loco cogi non posset Senatus, cogebatur in Regia porticu; ut passim videre est apud Pollucem in *Onomast.* & Demosthenem in *Orationibus*. Quod autem eis secundum fuit tribunal, dictum Palladium, in arce erat Palladis, ubi de cædibus fortuitis pronuntiari solitum erat. Delphinium autem, Prytaneum, Phreattium, Heliæa, etiam in celebrioribus urbis locis exercebantur, ut disces ex Harpocratione, locis compluribus. Prætor vero, qui privatis præerat, tribunal suum juxta statuas heroum habebat, teste Aristotele.

Sed revertor ad Romanos, sane quamplurimum judicia reddebant in Comitio, id est, ea parte fori, quæ potissimum concionibus & Comitiis populi destinata erat; ab illo enim populi in illum locum conventu nomen habuit, vocaturque a Græcis Auctoribus ἐκκλησιαστήριον. Plutarchus tamen, dum a coeundo Comitium dictum ait, hanc adfert rationem: quod videlicet eo loci Romulus & Tatius convenerant pacis inter se ineundæ gratia, ὅπου δὲ ταῦτα συνέθεντο, μέχρι νῦν Κομίτιον καλεῖται, ut ait in *Romulo*.

Jus autem a Prætore eo loco redditum fuisse Plautus indicat, his verbis in *Pœnulo* Act. 3. Sc. 2. vers. 7.

Nam istorum nullus nefastu'st, comitiales sunt meri;
Ibi habitant, ibi eos conspicias quam Prætorem sæpius.

Et Gellius *lib.* 20. *cap.* 1. *inter eos dies, trinis nundinis continuis ad Prætorem in Comitium producebantur*.

In eo etiam Comitio rostra erant; id est, tribunal aut suggestus, unde conciones habebantur, sic dicta a rostris navium, quæ his erant præfixa; unde Plinius *lib.* 16. *cap.* 4. *Antea rostra navium Tribunali præfixa foro decus erant, veluti Populo Romano ipsi corona imposita*. Et ante eum Cicero alicubi, *Ex his temporibus*, inquit, *non pudebat Magistratus Populi Romani in hunc ipsum locum adscendere: cum eum vobis Majores vestri exuviis nauticis & classium spoliis ornatum reliquissent*. In *Orat. pro Leg. Manil.* Dicatus autem ille suggestus libertati fuit Populi Romani, quod nimirum illius vindex erat; unde illud Dionis *lib.* 45. ἔν τε τῇ ἀγορᾷ Ῥωμαίᾳ, καὶ πρὸς τῷ βήματι τῷ ἐλευθερίῳ. Et Livius circa finem *libri* 8. *Bene agis, cum eo nos deduci jussisti, unde & privati vocem mittere possemus*.

Sed rostra sive ille suggestus ita ad Comitium ædificatus erat, ut longe a tribunali Prætoris disjunctus esset; alioqui simul ex rostris conciones haberi, & jus a Prætore reddi ex suo tribunali non potuisset.

Ultra hoc Comitium tria alia Romanis fuisse fora invenio, in quibus jus redditum; Primumque dictum fuit Romanum; cum propter urbis dignitatem, tum quod cæteris & antiquius erat & celebrius; interdum etiam dictum Latium, sive Latinum; & interdum forum simpliciter per antonomasiam; quodnam autem esset, quæve in isto agerentur, multis describit Plautus, quem si lubet videbis in *Milite*.

Alterum autem, Julii Cæsaris dictum, quod exstructum a Julio fuisset; & sane tantis impensis, ut centies millies sestertium area tantum constiterit, docente id Suetonio in *Julio*, dum ait, *nullum largitionis aut officiorum genus publi e vel privatim omisit, ex manubiis forum inchoavit, cujus area centies sestertium millies constitit*.

Tertium autem forum Augusti fuit, ab eo nimirum exstructum statim post bellum Philippense; cum propter negotiorum multitudinem tertio isto Populus indigere videretur; *sed forum istud modicum fuit*, inquit Suetonius; ne invaderet impudenter in privatas domos, & publica loca irreligiose deformaret; sed conspicuum fuit propter ædem victoris Martis, quam ei adjunxit. De his autem tribus foris loquitur Martialis his versibus *lib.* 3. *epigr.* 38.

Causas, inquis, agam Cicerone disertius ipso,
Atque erit in triplici par mihi nemo foro.

Postremo sciendum est tribunal, unde Magistratus jus reddebant, excelsiorem fuisse locum, in quo sedentes omnibus fiebant conspicui; formam autem structuræ illius indicat Vitruvius *lib.* 5. cum scribit: *Tribunal est in ea æde hemicycli schematis, minore curvatura formatum. Ejus autem hemicycli in fronte est intervallum, pedum quadraginta sex, introrsus curvatura pedum quindecim, uti eos qui apud Magistratus starent, negotiantes in basilica ne impedirent. Hacque assignatione angustum videbatur.*

A tribunali autem differunt subsellia, quod in his minores tantum Magistratus, & qui Curules non erant, sedebant, ut Varro docet *lib.* 4. ut & apud nos subsellia dicimus circulos istos, in quibus assident Præsides Provinciarum, dum supremo adsunt Senatui. Controversiæ igitur omnes, quæ majorem animi intentionem requirebant, alibi quam pro tribunali judicari non poterant, imo nec forenses dilationes a Judice in transitu concedi; leges enim illæ antiquæ * voluerunt Judicem

* L. procedenti C. de dilat. l. ult. C. de offic. divers. judic. l. 1 C. de off. jud. l. penult. ff. de just. & jure.

pro tribunali sedere, & Prætorem salva majestate imperii sui jus dicere; nisi forte extraordinaria occurrerent negotia: ea enim libere fieri poterant, quocunque loco & tempore, puta quæ voluntariæ jurisdictionis erant; non contentiosæ.

Quantum vero ad Hebræos attinet, certum est in more habuisse, non domi, sed in locis civitatum frequentissimis, nempe in earum portis, jus dicere; ut passim occurrunt in lib. sanctis ejus rei testimonia, ut *Deuteron.* 21. *Si* (inquit Moses) *fratris sui uxorem, quæ lege ei debetur, ducere quis noluerit, adibit mulier seniores in porta judicii.* Item: *Si quis genuerit contumacem filium, qui parentes non audiat, accipient eum parentes, & deducent ad seniores in portam civitatis, dicentque, hic noster filius contumax*, &c. Et in *Proverbiis: Non conteres egenum in porta; illius enim causam judicabit Deus.* Et in *Psal. non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta.* Portæ enim ab Antiquis istis, ut & a nostris Jurisconf. sanctis locis adnumerantur*; sed ex eo etiam indicabant, Judicem omnibus apud se facilem aditum præbere debuisse.

Cap. VI.

De tempore, quo olim licitum exercere judicia.

Nosci dies, quibus olim lege agere licitum, poterunt facile, si & tibi notæ dierum omnium differentiæ; ut erunt omnino, si quæ hoc loco jam dicam expenderis. Romanis dierum alii festi, alii profesti, alii intercisi fuerunt; festi, Diis dicati; profesti, hominibus ad administrandam publicam rem privatamque concessi; intercisi vero, Deorum hominumque communes; festis inerant epulæ, sacrificia, ludi, feriæ; profestis fasti, comitiales, comperendini, stati, præliares.

Intercisi autem in se, non in alia dividebantur; nam cum hostia adibatur, fari nefas erat; inter cæsa & porrecta fari licebat; unde illud proverbialiter dictum a Cicerone *ad Atticum, ne quid inter cæsa & porrecta, ut ajunt, oneris mihi addatur, aut temporis*; significat enim ne quid temporis ei prorogetur in Provincia, a sacrificandi scilicet consuetudine sumtum. Et intercisi isti dies nostris Jurisconsultis iidem sunt, qui diffisi; quod nimirum partim religiosi sunt, partim fasti; Varro indicat lib. 5. *de Ling. Lat.* dum ait, *dies qui vocatur sic, quando Rex comitiavit fas dictus, ab eo quod eo die Rex sacrificulus dicat, ad comitium, ad quod tempus est nefas, ab eo fas.* Hinc & nostris dictum diffindere, pro eo quod est differre judicium, ob religionem scilicet, aut aliam justam causam. Lex 12. Tab. (cujus etiam Ulpianus meminit *l.* 2. *ff. si quis caut.*) SI IVDEX, VEL ALTER EX LITIGATORIBVS MORBO SONTICO IMPEDIATVR, DIES IVDICI DIFFISVS ESTO. Et Gellius *lib.* 14. *cap.* 2. de se Judice lecto, *nequaquam*, inquit, *adduci potui ad absolvendum, jussi igitur diem diffindi, atque inde a subselliis pergo ire ad Phavorinum.* Vides itaque in intercisis diebus lege agere non licitum, nisi inter cæsa & porrecta.

In festis autem id omnino prohibitum; in quibus nimirum sacrificia Diis offerebantur, vel divinæ epulationes celebrabantur, vel ludi in honorem Deorum agebantur, vel feriæ observabantur; quæ ut cæteris frequentiores erant, ita & earum quatuor numerata genera; aut enim stativæ, aut conceptivæ, aut imperativæ, aut nundinæ fuerunt; stativæ quidem erant universi Populi com-

* L. 2. ff. ne quid in loc. pub. fiat.

A munes; certis & constitutis diebus & mensibus, & in fastis statisque observationibus annotatæ: in quibus olim præcipue servabantur Agonalia, Carmentalia, Lupercalia; quibus & addi possunt dies natalitii urbium maximarum, Romæ & Constantinopolis *; quarum illa condita aut potius condi cœpta ad XI. Cal. Majas, Plutarcho teste in *Romulo:* hæc vero V. Idus Majas, ut Zonaras scribit tomo 3. *Annal.*

Conceptivæ vero feriæ fuerunt, quæ quotannis a Magistratibus vel Sacerdotibus concipiebantur in certos dies, vel etiam incertos, ut erant Latinæ, Sementinæ, Paganalia, hoc est, Compitalia: ut B & olim apud Hebræos conceptivæ dici poterant, quæ Encænianæ dicebantur, a Senioribus indictæ, in memoriam supremi Templi dedicationis; in memoriam filiæ Jephtæ Judicis Israel; in memoriam victoriæ de Olopherne; item in memoriam ignis illius cælestis, quem exstinctum post Babylonicum exsilium repererunt.

Imperativæ autem erant, quas Consules, aut Prætores pro arbitrio potestatis indicebant, ut hoc tempore a Pontificibus & Regibus, puta ob publicam calamitatem, vel ob rem bene gestam, vel ob adventum Principis; quæ ideo interdum dicebantur repentinæ, quod inopinato & extra ordi- C nem indicerentur.

Nundinæ vero paganorum aut rusticorum erant, quoties conveniebant propriis negotiis provisuri. Dubium tamen Antiquis fuit, an istarum nundinarum dies inter ferias referrent, necne; ac *Titus quidem de feriis scribens*, ut Macrobius lib. 1. *Saturn.* ait, *Nundinarum dies non inter ferias retulit, sed tantum solemnes vocavit; & Julius Modestus affirmat, Messala Augure consulente Pontifices, respondisse eos, nundinas sibi ferias non videri; & Trebatius in lib. 1. religionum ait: nundinis Magistratum posse manumittere, judiciaque adjicere; contra tamen Junius Cæsar 16. auspiciorum lib.* D *negat nundinis concionem advocari posse, id est, cum Populo agi; ut & Cornel. Labeo lib. Fastorum 1. nundinis ferias esse pronuntiavit*; quod etiam voluit Festus Pompejus. Sed hoc dissidium componitur a Granio Liciniano *lib.* 2. ubi ait: *Nundinas Jovis ferias esse: siquidem Flaminica omnibus nundinis in regia Jovi arietem solita sit immolare. Sed postea lege Hortensia effectum, ut fastæ essent:* ut nimirum rustici, qui nundinarum causa in Urbem veniebant, eadem opera lites suas possent expedire; quod & postremo Constitutione unica *C. de nund. & mercator.* revocatum fuit; definiente, ut nun- E dinæ essent feriæ, & ut ne qui ibi convenirent negotiandi gratia, interpellarentur debiti privati causa.

Feriarum igitur dies, ut cæterorum festorum, nefasti erant, id est, in iis Prætori fari non licebat; ut & fasti dicti, qui utiles erant, & quibus Prætori licebat fari; unde Ovidius in *Fastis* lib. 1. vers. 47.

> *Ille nefastus erit, per quem tria verba dicuntur †:*
> *Fastus erit, per quem lege licebit agi.*

F Aliquando tamen nefasti Latinis dicuntur, qui atri & funesti, ut apud Tacitum lib. 13. *Annal.* dies natalis Agrippinæ inter nefastos annumeratur: quod a Tiberio factum scribit Suetonius, in hæc verba, *diem quoque natalem ejus inter nefastos referendum suasit.* Græci etiam eadem significatione dies suos ἀποφράδας dicebant, quibus scilicet rei capitis damnabantur; vel quibus libamina defunctis deferebantur; eosque non convenire ad

* L. 2. l. de feriis. † Leg. *silentur.*

actiones Suidas ait, ut qui sint, *αἱ περὶ πράξεις ἀνεπιτήδειοι*.

His autem feriis addi etiam possunt, quæ messium vindemiarumque causa indulgeri erant solitæ; quarum originem Ulpianus ab oratione D. Marci repetere videtur: sic enim alicubi * scribit: *Ne quis messium vindemiarumque tempore adversarium cogat ad judicium venire, oratione D. Marci exprimitur: quia occupati circa rem rusticam in forum compellendi non sunt*. Eas vero vel ante D. Marci tempora observatas & usu receptas fuisse, Statius Papinius lib. 4. *Sylv.* (quem certum est Domitiani temporibus vixisse) ostendit in carmine ad Marcellum, quo ejusmodi ferias ita graphice describit:

Certe jam Latiæ non miscent jurgia leges,
Et pacem piger annus habet, messesque reversæ
Divisere forum: nec jam tibi turba reorum
Vestibulo, querulique rogant exire clientes:
Cessat centeni moderatrix Judicis hasta.

Concedebantur autem eæ feriæ otii gratia: Seneca lib. *de Tranq. vitæ* 1. cap. ult. *Legum conditores*, ait, *festos instituerunt dies; ut ad hilaritatem homines publice cogerentur, tanquam necessarium laboribus interponentes temperamentum*.

Verum quot dies olim eæ feriæ occuparent, non satis liquet; Paulus quidem Præsides Provinciarum, ex consuetudine cujuslibet loci, solitos messis vindemiarumque causa tempus statuere scribit †; at Imp. Theodosius certis finibus temporumque intervallis eas ferias circumscripsit: nam a die 8. Cal. Julii usque in Calend. Augusti messis ferias; a decimo vero Cal. Septemb. usque in Idus Octobris vindemiales concedi constituit ‡. Ab hoc vero feriarum otio certæ causæ excipiebantur, puta quæ circa custodias, & aliæ quæ ab Ulpiano enumerantur in *l. 1. & 2. & l. solet ff. de feriis*.

Sed reliquas dierum differentias persequamur. Diximus supra comitiales dies profestis inesse. Comitiales autem erant, quibus cum Populo agere licebat, atque etiam experiri lege apud Prætorem, ut ait Macrobius: cui & adstruit Plautus in *Pœnulo*, cum ait,

Nam istorum nullus nefastu'st, comitiales sunt meri;

ubi nefastos & comitiales opponit, quia qui comitiales, iidem & fasti erant. Puto tamen ego comitiales dies non omnino fastos & nefastos fuisse: sed peractis Comitiis, si tempus pateretur, potuisse agi apud Prætorem. Id enim vetare nihil video; & avocari judiciis Populum, dum haberentur Comitia, fas non fuisse existimo.

E profestis etiam erant comperendini, quibus vadimonium dicere licebat; erant & stati, qui judicii causa cum peregrino instituebantur, ut idem ait Macrobius; cui & congruit Festus, dum scribit, *status dies vocatur, qui judicii causa est constitutus cum peregrino*; cujus & meminit Plautus, dum ait in *Curcul.* Act 1. Sc. 1. vers. 5.

Si status condictus cum hoste intercedit dies,

cum hoste, id est, cum peregrino: ejus enim generis ab Antiquis hostes appellabantur, quod erant pari jure cum Populo Romano; atque hostire ponebatur pro æquare.

Præliares denique etiam ex profestis, sed in his justitium indicebatur, nihilque publice agere li- A cebat, nisi quod ad parandum exercitum pertineret; præliares autem a Justis Macrobius non segregat; siquidem Justi sunt continui 30. dies, quibus exercitui imperato vexillum rufi coloris in arce ponebatur; quod idem pene Festus. Vocantur etiam Justi dies integri, quemadmodum justum exercitum, justum volumen, &c. ut erat lex illa Romanis, ÆRIS CONFESSI, REBUSQUE JURE INDICATIS XXX. DIES JUSTI SUNTO.

Postremo, illud maxime notandum, quod cum plures essent dies festis & voluptatibus dicati, quam negotiis & litibus, huic malo primum medicinam B adhibuisse Augustum, ut Suetonius refert in hæc verba, *triginta amplius dies actui rerum accommodavit*; idemque postea a Claudio factum narrat; cui & simile est, quod in Vita optimi Principis, Marci Antonini Philosophi, refert Capitolinus: *Judiciariæ rei singularem diligentiam eum adhibuisse: fastis dies judiciarios addidisse, ita ut ducentos triginta dies annuos rebus agendis litibusque disceptandis constitueret*. Quod non temere ab eo Historico notatum: vix enim ullo alio tempore, si antiquissima excipias, tot dies negotiosi in anno Romano fuerunt, ut iniri ratio potest ex Kalendario veteri & historiis. Nam & tempore Ju- C stiniani dies feriati in anno erant circiter CLX. ut videre est ex ejus Codice *tit. de feriis*.

CAP. VII.

Qua parte diei, & an nocte jus olim reddi licitum.

HOc capitulum superioris est appendix, videturque exploratum satis ex lege XII. Tabul. in hæc verba *: ANTE MERIDIEM CAUSAM CONJICIUNTO; POST MERIDIEM D PRÆSENTI ADDICITO; SOL OCCASUS SUPREMA TEMPESTAS ESTO. Quasi jubeat lex ante meridiem causam conjici, id est, agi, ut Nonius interpretatur; post meridiem, secundum præsentem litem dari; Solem occasum supremum esse juris dicendi tempus; unde colligitur fere tota die olim jus redditum. Video tamen sæpius cessasse Judices ante meridiem, nec incœpisse ante tertiam, Martiali hoc indicante, dum ait *lib. 4. epigr. 8.*

E
Prima salutantes, atque altera continet hora,
Exercet raucos tertia causidicos.
In quintam varios extendit Roma labores;
Sexta quies lassis, septima finis erit.

Quamobrem Plutarchus in *Cat. Utic.* falsum esse arbitratur, quod nonnulli scripserunt, Catonem ipsum post meridiem, & postquam vinum degustasset, exercuisse judicia; quo forte spectat illud Horatii *lib. 1. epist. 19.*

—— Forum putealque Libonis
Mandabo siccis,

F id est, jejunis; atque etiam illud Varronis lib. 5. *de Ling. Lat.* dum ait: *Cosconius in actionibus scribit: Prætorem Accenso jubere solitum, inclamare, horam esse tertiam, & meridiem*.

Fateor quidem posteriori tempore, propter negotiorum multitudinem, Justinianum † voluisse, pedaneos Judices sedere in porticu Regia, a matutino usque ad occasum Solis, ut & Agathias lib. 2. *Hist.* scribit, se libellis litigatorum dedisse

* L. 1. ff. de fer. † L. Præsides ff. de feriis. ‡ L. ut in die Dominico. C. de fer.

* Ex Gellio lib. 17. cap. 2. † Novella LXXXII.

operam ab ortu Solis ad occasum. Nocte autem nusquam legi Romæ licitum lege agi; imo legem video, qua omnino vetitum erat cum Populo agere ante primam horam diei, cujus meminit Dion *lib.* 39. dum scribit: Κἂν τούτῳ καὶ ὁ Πομπτῖνος ὁ Γάιος τὰ ἐπινίκια τὰ τῶν Γαλατῶν ἔπεμψεν· ἐς γὰρ ἐκεῖνο τοῦ χρόνου μηδενὸς οἱ διδόντος αὐτὰ, ἔξω τοῦ πωμηρίου διέμεινε, καὶ τότε δ' ἂν αὐτῶν ἥμαρτεν, εἰ μὴ ὁ Γάλβας ὁ Σερούϊος συστρατευσάμενος αὐτῷ, κρύφα καὶ ὑπὸ τὴν ἕω στρατηγῶν τὴν ψῆφόν τισι (καίπερ οὐκ ἐξὸν ἐκ τῶν νόμων πρὶν πρώτην ὥραν γενέσθαι ἐν τῷ δήμῳ τὶ χρηματισθῆναι) ἔδωκε. Prætorem Sergium Galbam C. Pomp. rogationem male tulisse dixit, quod summo mane ante horam primam diei Comitia habuisset; quod non tantum de Comitiis, verum & de judiciis intelligi debere, Ammianus *lib.* 28. *cap.* 1. indicat, dum Doryphorianum arguit, quod nocte de Anepsia & Aginatio cognoverat, feceratque judicium; ubi & hanc ejus rei rationem subjicit, *quia*, inquit, *hoc tempore hebetari solent obstrictæ terroribus mentes; ut inter innumera multa, Ajax quoque Homericus docet, optans perire potius luce, quam pati formidinis augmenta nocturnæ*. Quod & locis compluribus Cicero indicat; ut 6. *Orat. in Verrem, de foro*, inquit, *cum advesperasceret discessimus*; & *ad Lentulum* scribens, *hac controversia usque ad noctem ducta, Senatus est dimissus*; & 1. *ad Fratrem*, *actum est eo die nihil, nox diremit*. Ideo licet Augustum Suetonius in *Aug.* dixerit, *jus assidue dixisse, & in noctem nonnumquam*; non ita tamen accipiendum est, ut nocte multa jus dixerit. Et sane quomodo in judicio illis non suspectum quod nocte; cum in religione quidpiam illo tempore facere, summum iisdem piaculum fuerit? Unde jure Seneca lib. 3. *de Ira* cap. 19. *quid tam inauditum*, inquit, *quam nocturnum supplicium? cum latrocinium tenebris abscondi soleat*. Idem fiet de judiciis, idem de pœnis, quæ nisi ad exemplum imponuntur.

CAP. VIII.

De privatis Judiciis. Ac primum de Præfectis urbanis privatorum Judiciorum; deque Prætoribus.

QUæ hucusque dicta, communia sunt privatorum & publicorum Judiciorum; nunc autem dispiciamus quæ privatorum propria sunt: idem libro altero de publicis facturi; priusque indicemus, quinam olim privatis præfuerunt, sive in Urbe illa æterna, sive in Provinciis, sive in singulis oppidis. Ac primum, plures olim Romæ fuere Magistratus, qui privata judicarunt: inter quos præcipue ordinarium Prætorem fuisse, satis ostendit Lex XII. Tab. in hunc modum a Cicerone lib. 3. *de Leg.* relata; IVRIS DISCEPTATOR, QVI PRIVATA IVDICET, IVDICARIVE IVBEAT, PRÆTOR ESTO; IS IVRIS CIVILIS CVSTOS ESTO. Quod de urbano debet intelligi, eo nimirum qui initio creatus, ut in Urbe jus diceret vice Coss. absentium, ob bella finitima, ut Pomponius † ait; & ei Tullius adstruit, cum ita ad Plancum: *Placuit nobis, ut statim ad Cornutum Prætorem urbanum litteras deferremus; qui, quod Consules aberant, Consulare munus sustinebat, more Majorum*. Postea vero ita factus ordinarius, ut etiam non evocatis, & absentibus Consulibus, judicandi officio fungeretur; quod præter nostros Jurisconsultos Plinius addocet in *Panegyrico*, cum sic de Trajano: *Reliqua pars diei tribunali dabatur. Ibi vero quanta religio æquitatis? quanta legum reverentia? Adibat aliquis ut Principem, respondebat se Consulem esse. Nullius ab eo Magistratus jus, nullius auctoritas imminuta est, aucta etiam; siquidem pleraque ad Prætores remittebat, atque ita ut Collegas vocaret*.

† L. 2. ff. de orig. jur.

Is autem Magistratus diu Romæ solus fuit, & usque ad annum quingentesimum decimum, quo alter dictus peregrinus est additus, hisque conditionibus, ut urbanus solus jus diceret inter cives; quemadmodum plebiscito Prætoriano apud Censorinum expressum legimus *cap.* 24. in hæc verba, *Prætor urbanus inter cives jus dicito*: & Papiriano apud Festum, *Quicunque Prætor posthac factus erit, qui inter cives jus dicet, tres viros Populum rogato*. Peregrinus autem solus cognosceret inter peregrinos & cives; præterea ut apud solum urbanum lege agere liceret, ut emancipare filium, adoptare, servum manumittere, tutorem petere; ac denique ut soli urbano liceret decretum in albo ponere, ex quo toto anno jus dicturus; ut in quadam Cornelii lege, quæ apud Dionem exstat *lib.* 53.

Atticis Prætores etiam urbani fuerunt, sed non tantæ auctoritatis; cum solum de controversiis ad rem bellicam attinentibus cognoscerent, ut præter alios ostendit Demosthenes, cum ad Lacritum negat de mercatoriis controversiis adiri Prætorem posse, qui tantum ἀντιδόσεις τριηραρχίας, ἀποφάσεις καὶ ἀστρατείας exercebat; quique apud ipsos Polemarchus erat, eodem fere munere quo peregrinus Prætor apud Romanos fungebatur, ut *Vesparum* Interpres ex Aristotele retulit.

Prætoris autem Romani potestas ac jurisdictio in his potissimum duobus erat: decretis nimirum interponendis & judiciis dandis; quod Tullius indicat, cum sic 2. *Act. in Verr.* de Verre Prætore urbano: *An dubitabit quisquam, quin is venalem in Sicilia jurisdictionem habuerit, qui Romæ totum edictum atque omnia decreta vendiderit? Et quin ab Siculis ob decreta interponenda pecuniam acceperit, qui M. Octavium ob jus dicendum poposcerit?* Item: *Domus erat plena, nova jura, nova decreta, nova judicia petebantur, mihi det possessionem, mihi ne adimat, in me judicium ne det, mihi bona adjiciat*. Ita autem de actione privata cognoscebat Prætor, ut si esset hujusmodi, ut de jure potius quam de facto quærendum esset, ad Centumviros suum velut consilium remitteret, ut ex primo *de Orat.* intelligi potest: sin de facto quærendum esset, Judices daret; alioquin si nihil esset, cur de jure aut de facto esset quærendum, Prætor ipse decretum interponeret, raro quidem ipse judicaret. Erat porro Prætoria dignitas in tanta veneratione, ut ex ea ad Imperium transierit Pertinax; & Sabino Vespasiani fratri ad eam processisse, magni honoris loco fuerit; imo vero antiquitus tanta illius erat auctoritas, ut Livius scripserit, ei datam omnem juris publici & privati potestatem fuisse; adeo ut & apud Justinianum nostrum *Novell.* 26. Prætor vocetur ὁ Ῥωμαίων στρατηγὸς τε ὁμοῦ ὁ νομοθέτης, id est, *Romanorum Imperator, simul & Legislator*. Idem *Novell.* 24. ait Prætorem Romanum potuisse, τὰ περὶ τῶν νόμων γράφειν, *leges præscribere*: item προβεβλῆσθαι, inquit, τῶν νόμων ἄνωθεν τῶν Πραιτώρων ἴδιον ἦν, id est, *præfici legibus initio Prætorum erat proprium*; quæ tamen referri debent ad tempora Reipublicæ, aut saltem priorum Principum: nam postea valde imminuta Prætorum potestas; ut narrat Vopiscus in *Probo*, adeo ut eos ad Principem magis retulisse quam pro suo arbitrio statuisse, de jure controverso, iisque Principem veluti jus dixisse, quidam adhuc in Pandectis *

dectis* loci ostendant. Ceterum hic sileo de Præfecto Urbi, quia proprium illius munus in cognitione & animadversione criminum.

Cap. IX.

De Decemviris slitibus judicandis, & centumvirali hasta.

PRIVATIS judiciis Romæ præfuisse etiam Decemviros slitibus judicandis, docet Pomponius [1] in hæc verba, *cum esset necessarius Magistratus qui hastæ præesset, Decemviri slitibus* (alii *stlitibus*) *judicandis constituti sunt*; slitibus dixit ex antiquo loquendi more, quo pro litem slitem, pro locum slocum, pro tritanum stritanum dicebant: vetus enim consuetudo Romæ fuit, ut quotannis vigintisexviri populi suffragiis crearentur: e quibus constituebantur Decemviri isti slitibus judicandis, Triumviri monetales, Triumviri capitales, Quatuorviri curatores viarum intra Urbem, Duumviri curatores viarum extra Urbem, & Quatuor Præfecti qui in Campaniam mittebantur. Quæ vetus consuetudo sub Augusto partim servata, partim abolita est; ut apud Dionem legere est *lib.* LIIII. & apud Festum in verbo *præfecturæ*.

Hasta autem a Pomponio dicta pro jurisdictione centumvirali, cujus illa signum erat & insigne; unde Papinius *loco* supra *cit*.

Cessat centeni moderatrix Judicis hasta.

Et Martialis *lib.* 7. *epigr.* 62.

Hunc miratur adhuc centum gravis hasta virorum.

Hastæ igitur præesse, idem est ac præesse judiciis centumviralibus; decem enim illi Centumviros cogebant iisque præerant, auctore Lucano *ad Pisonem*, dum ait,

Seu trepidos ad jura decem citat hasta virorum,
Et firmare jubet centeno Judice causas.

Cui & adstruit Suetonius in *Aug.* cap. 36. dum ita scribit, *Augustus constituit, ut centumviralem hastam, quam quæstura functi consueverant cogere, Decemviri cogerent.*

Itaque inter Centumviros & Decemviros istos summa erat differentia; hi enim illos cogebant, eisque præsidebant cum Prætore urbano; præterea Decemviri Magistratus erant, non Judices, & Centumvirorum sententias exsequebantur; Centumviri autem Judices erant, auctore Festo, ex singulis tribubus terni, adsciti numero centum, Magistratus autem non erant; unde Ovidius,

Utque fui solitus, sedissem forsitan unus
De centum Judex in tua verba viris.

Et idem Festus ait, *legi eos ad judicandum*; sic porro a Decemviris Centum illi cogebantur, ut quatuor conscriberentur consiliis.

Postquam autem Centum isti in quatuor distributi essent consilia, tunc in Basilica Julia una cum Decemviris quatuor adscendebant diversa tribunalia. Quintilianus *lib.* XII. *cap.* 5. *Certe cum in Basilica Julia diceret primo tribunali, quatuor autem judicia, ut moris est, cogerentur, atque omnia clamoribus fremerent, & auditum eum, & intellectum, & quod agentibus ceteris contumeliosum fuit, laudatum quoque ex quatuor tribunalibus memini.*

Ex quibus & illud ediscitur, de una eademque causa quatuor hæc Centumvirorum tribunalia simul uno tempore cognovisse & judicasse in uno loco, unde Centumvirale judicium quadruplex vocatur a Plinio *epist.* 24. *lib.* 4. adeo ut quod a Quintiliano *lib.* 11. *cap.* 1. scriptum est, *duplicibus Centumviralibus partem victam*, accipiendum sit, duobus Centumviralibus judiciis seu duabus partibus; quadruplicia enim erant, non duplicia ea judicia; idque etiam Valerius confirmat *lib.* 7. *cap.* 7. cum sic de milite quodam; *Cum improbissimis enim hæredibus de paternis bonis apud Centumviros contendit, omnibusque non solum consiliis, sed etiam sententiis superior discessit.* Quam judicandi formam dum specto, magis profecto eam ad publici quam ad privati judicii ordinem video inclinare; eoque forte respiciens Plinius *lib.* 6. *epist.* 4. a privatis judiciis causas Centumvirales videtur distinxisse: *Intervenit*, inquit, *acribus illis & erectis frequens necessitas computandi, ac pene calculos tabulamque poscendi, ut repente in privati judicii formam Centumvirale vertatur.* Et itidem Quintilianus *lib.* 5. *cap.* 10. *proprium & illud causæ*, inquit, *quod Amphictyones judicant, ut alia apud Centumviros, alia apud Judicem privatum in iisdem quæstionibus ratio sit.*

De quibus autem rebus in illa hasta cognosceretur, sic Cicero lib. 1. *de Orat.* explicat: *Nam volitare*, inquit, *in foro, hærere in jure, ac Prætorum in tribunalibus, judicia privata magnarum rerum obire, in quibus sæpe non de facto, sed de æquitate ac jure certetur; jactare se in causis Centumviralibus, in quibus usucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, circumluvionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum ruptorum, aut ratorum, ceterarumque rerum innumerabilium jura versentur, cum omnino, quid suum, quid alienum: quare denique civis, an peregrinus; servus an liber quispiam sit, ignoret, insignis est imprudentiæ.* Hactenus Cicero.

Cum autem Centumvirales causæ omnium gravissimæ essent, merito Plinius conqueritur suo tempore tyrones in foro ab iis auspicari. Ceterum Decemviri illi simul cum Prætore ordinariam urbis jurisdictionem, quod ad privata spectat, soli videntur exercuisse; qui enim alii erant urbani Magistratus, vel criminibus plurimum muneris operam impendebant, vel rerum publicarum curationi, ut Præfecti Prætorio, Præfecti Urbi, Consules, Quæstores, Ædiles: licet quidam interdum cognoscerent de litibus privatis*.

Cap. X.

Qui olim in Provinciis, privatis præerant Judiciis.

ID sciri primum oportet, Provinciarum hanc fuisse rationem; ut essent quædam proconsulares gravioris momenti, in quas Proconsules mittebantur: aliæ autem præsidiales, sive prætoriæ, pacatiores, in quas proficiscebantur Præsides missu Cæsaris; proconsulares quidem olim quatuor fuisse, docet alicubi Cicero; duas scilicet Gallias unam effecisse, Illyricum & Dalmatiam alteram, tertiam duas Hispanias, quartam

* L. verum §. ex facto de minorib. lib. 1. ff. vent. inspici.
1 L. 2. ff. de orig. jur.

* L. 13. ff. de inoffic. test. lib. 30. ff. de liber. cujus. lib. ult. c. de petit. hær. edit.

[A] Syriam & Ciliciam. Postea autem Augustum duas alteras adjecisse Strabo *lib. ult.* docet, Libyam nimirum, & Asiam citra Halym & montem Taurum; prætorias vero octo fuisse ibidem Cicero indicat, Siciliam scilicet, Sardiniam, Ioniam, Asiam, Macedoniam, Cretam, Mauritaniam, Bithyniam, quibus idem Augustus addidit Bæticam, Narbonensem, Cyprum, Pontum; proconsulares sorte a Senatu decernebantur, ut Dio *lib.* 53. docet; præsidiales autem, extra Senatum, a solo Cæsare, unde & qui in eas missi Legati Cæsaris dicebantur, & interdum Præsides, ut Græcis ἄρχοντες διοικηταί.

[B] Ferrur denique Augustus Ægyptum in præfecturam erexisse, & eum qui ei præesset Augustalem Præfectum nominasse, illique imperium & jurisdictionem dedisse, ad similitudinem Proconsulis; atque etiam sub illius dispositione adjecisse Libyam, Thebaidem, Aradiam, & Augustonicam; ut tradunt Historici.

Porro Proconsulis Imperium longe majus erat quam Præsidis. Nam Proconsul extra proconsularem Provinciam ei mandatam, voluntariam jurisdictionem poterat exercere; puta manumittere servum, filium emancipare, vel alium adoptare in [C] filii locum; quod præter nostros [1], Plinius etiam scripsit in hæc verba: *Proconsulem Bæticæ Provinciæ in itinere cum Bæticem iret, servum quendam vindicta manumisisse*; quod Præsidi nusquam licitum. Præterea Proconsul Legatum habebat, & a Senatu datum, cui jurisdictionem suam mandabat exercendam, & a quo ad Proconsulem ipsum poterat provocari: Præses autem alterum Legatum non habebat, & ab eo cui suam mandasset jurisdictionem, ad ipsum Præsidem provocari non poterat, sed recta ad Præfectum Prætorio, tanquam ab ipso Præside esset provocatum: denique majus fuisse Proconsulis imperium, quam Præsidis; ex [D] Tacito constat, dum scribit lib. 1. *Annal. Achajam ac Macedoniam postulasse, levari se proconsulari imperio, & tradi imperio & regi se a Legato Cæsaris*; quod nimirum graviores essent Proconsulum actiones, quam Præsidum.

Proconsules anno tantum uno magistratum retinebant; Præsides vero in Provinciis plures agebant annos; ut docet Strabo *lib.* 17. & discessuri Præsides post depositam administrationem 50. dies in Provincia commorabantur, excepturi omnium actiones & accusationes; quo non obstricti Proconsules.

[E] Ceterum ambo vice urbanorum Judicum & Magistratuum fungebantur, eorumque jurisdictionem habebant; atque etiam similem potestatem edictorum proponendorum, ut testes sunt Caii ipsius Commentarii ad edictum provinciale [2]; sicuti tempore Probi Imper. jus prætorium omnibus Provinciarum Præsidibus datum esse scribit Vopiscus; eamque jurisdictionem exercebant non quidem omni tempore, sed stató tantum certoque anni tempore, & præcipue hyberno; cum fere æstivum rei militari impenderent. Cujus rei auctor Cicero *lib.* 5. *epist.* 14. dum ita scribit: *Erat mihi in animo recta proficisci ad exercitum: æstivos menses reliquos rei mi-* [F] *litari dare, hybernos jurisdictioni*: cui adstruit Livius *lib.* 34. *Eodem hoc anno T. Quintius Elatiæ, quo in hyberna reduxerat copias, totum hyemis tempus jure dicundo consumsit*. Et eo quidem tempore omnes suæ Provinciæ civitates & oppida ad certum aliquem locum convocabant, de controversiis eorum cogituri; idque indicere forum dicebatur; Virgilius lib. 5. *Æn.* vers. 758.

Indicitque forum, & Patribus dat jura vocatis,

id est, (ut inquit Servius) *tempus & locum designat agendorum negotiorum, qui conventus vocabutur*.

Porro & illud notandum; non modo Proconsules Præsidesque in Provinciis jus dixisse, sed etiam Procuratores Cæsaris; nam aut vicem Præsidis tuebantur, & sic inter privatos jus dicere poterant; aut solum simplexque Procuratoris rationalis munus sustinebant, tuncque judicabant tantum inter fiscum & privatos, ut præter nostros [1], scripserunt Dion *lib.* 57. & Suetonius in *Vita Claud.* quorum hic Claudium refert precario exegisse, ut rata essent quæ Procuratores sui in judicando statuissent.

Ceterum, ut Provinciæ istæ, sic Proconsules, Præsidesque, ut & urbani Magistratus omnes Præfecto Prætorio subditi erant: cum enim secundæ post Principem potestatis fuisse scribit Herodianus *lib.* 5. adeo ut ad illum omnium Magistratuum appellationes devolverentur; ab eo autem non appellaretur, ut Pomponius ait [2]; hoc tamen singulare fuit in Procuratoribus Cæsaris, ut adversus eorum sententiam solus Princeps in integrum restituere posset. Ea autem Præfecti dignitas postmodum divisa fuit; facti enim duo sunt Præfecti Prætorio per Orientem, totidemque in partibus Occidentis; ut videre est in *Notitia* Mariani Scoti. Habuisse etiam eos Præfectos auditorium, testimonio est *l.* 40. *de reb. cred.* in qua Paulus proponit in auditorio Æmilii Papiniani Præfecti Prætorio, Jurisconsulti cautionem.

CAP. XI.

De his, qui in singulis municipiis & oppidis, privatis præerant Judiciis.

UT Imperium in Provincias distinctum; sic & Provinciæ in municipia, vel oppida; municipia autem certo erant descripta territorio, id est, agrorum limitatione certa; est enim territorium, auctore Pomponio [3], universorum agrorum unius oppidi vel municipii vel coloniæ metatio; &, ut eleganter Siculus Flaccus ait, universa municipii limitatio, sive pertica; cui præerant Magistratus certi, qui ut erant, ita appellabantur Duumviri.

Eorum autem potestas, & jurisdictio arcta & exigua admodum erat; nam & finibus angustis circumscripta, extra quos nulla erat; atque etiam certo modo, certaque quantitate & summa, supra quam nullæ eorum vires, nisi inter consentientes, ut Paulus scribit [4]. Præterea quæ erant imperii magis, quam jurisdictionis, exsequi aut facere non poterant, ut & alibi rescriptum est. Quod tamen debet intelligi de mero imperio, non de mixto; nam licet non habuerint merum imperium, mixtum tamen habuerunt; quia jurisdictio nusquam sine mixto imperio; alioqui ridicula fuisset jurisdictio, si nullæ ei adfuissent imperii vires. Cum autem dico, quæ imperii erant, facere eos non potuisse, puta mittere in possessionem rei servandæ causa, vel dotis, vel legatorum, vel damni infecti nomine; id ita accipiendum, nisi eis a Præside illa mandata fuissent:

1 L. 2. ff. de offic. Proconf. l. emancipari, ff. de adoption. & emanc. 2 Tit. de off. Proconf. & de off. Præf. in Pandect.

1 Tit. ff. & C. de off. Proconf. Cæf. 2 L. 2. §. populo ff. de orig. jur. lib. 1. ff. de off. Præfect. Præt. lib. 1. C. ubi & apud quem. 3 L. pupillus §. penult. ff. de verbor. signif. lib. 1. de condit. agror. lib. Duumviri cap. de Decurion. lib. 10. 4 L. ult. ff. de jurisd. lib. 28. ad municip.

Igitur quæ jurisdictionis erant, agebant libere; quæ vero imperii nusquam, nisi ex mandato; & licet Tullius 2. *Agrar.* scripserit, Duumviris istis in ceteris Coloniis anteisse Lictores cum bacillis, Capuæ vero cum fascibus duobus, non hinc tamen existimandum, eis imperium fuisse; fascibus enim istis & virgis utebantur tantum in servilia, ut addocet Jurisconsultus quidam [1].

Sed erant etiam oppida quædam absque jure municipii, in quæ quotannis Præfecti quidam juris dicendi causa mittebantur: eaque Præfecturarum nomine nuncupata; ut apud Festum legitur in hæc verba: *Præfecturæ eæ appellabantur in Italia, in quibus & jus dicebatur, & nundinæ agebantur, & erat quædam earum Respublica, neque tamen Magistratus suos habebant, in quas his legibus Præfecti mittebantur quotannis, qui jus dicerent; quarum genera fuerunt duo: alterum, in quas solebant ire Præfecti quatuor sex virum pro Populi suffragio creati erant in hæc oppida, Capuam, Cumas, Casilinum, Vulturnum, Liternum, Puteolos, Acerras, Suessulam, Atellam, Calatiam; alterum, in quas ibant quos Prætor urbanus quotannis in quæque loca miserat legibus, ut Fundos, Formias, Cære, Venafrum, Allifas, Privernum, Anagniam, Frusinonem, Reate, Saturniam, Nursiam, Arpinum, aliaque complura.* De his Præfecturis, eorumque limitibus, vide quid scripserit Hyginus lib. 1. *de Limit.*

Erant denique in civitatibus defensores quidam, qui olim cognitionem habebant in causis pecuniariis [2] usque ad aureos 50. quæ postmodum aucta a Justiniano [3] usque ad CCC. Cognoscebant etiam de levioribus criminibus [4]; quæ enim majora, remittebant ad Præsidem: ut & omnia quæ pendebant ex Præsidum imperio, & magnitudine forensi digna erant. Illi autem ex plebe electi, ut & municipales Magistratus ex ordine Decurionum; hi Consulum instar erant; illi vero instar Tribunorum plebis. Unica autem fuit urbs Alexandria, quæ uno Judice contenta fuit; eo scilicet quem ei Cæsar dederat, ut Spartianus scribit, isque dictus Juridicus ab Ulpiano [5] & a Strabone δικαιοδότης, ut & legitur in antiquis Inscriptionibus.

CAP. XII.

De Judicibus datis, qui vulgo Pedanei.

DIXIMUS supra Romanos Magistratus perraro judicasse, & nisi extra ordinem; sed Judices dare solitos, qui de factis cognoscerent: alioqui haud dubie succubuissent tantis oneribus, propter litium negotiorumque quotidie emergentium innumeram multitudinem. Erat autem olim album Judicum, in quod referebantur, quos Prætor, vel ceteri Magistratus dirimendis privatis controversiis operam volebant dare; cujus albi meminit Seneca lib. 3. *de Benef.* cap. 7. dum ait: *Non potest ad hæc sumi Judex ex turba selectorum, quem census in album, & equestris hæreditas misit*; atque etiam Aulus Gellius *lib.* 14. *cap.* 11. in hæc verba: *Quo primum tempore a Prætoribus lectus in Judices sum, ut judicia, quæ appellantur privata, susciperem, libros utriusque Linguæ de officio Judicis scriptos conquisivi.* Ii autem selecti Judices primum in tres decurias distributi: deinde quartam Augustus addidit, ut refert Suetonius; eadem videlicet motus ratione, qua paulo ante Judiciorum tempora amplificasset.

Illud etiam observabatur, ut non is quem Prætor, vel ceteri Magistratus volebant, sed quem partes elegerant, Judex ex ordine selectorum a Prætore, vel ceteris ejusmodi daretur: consensu enim litigatorum Judices olim dari solitos, præter nostros [1], indicat Tullius *pro Cluentio*, cum ita scribit, *neminem voluerunt Majores nostri non modo de existimatione cujusquam, sed ne pecuniaria quidem re minima esse Judicem, nisi qui inter adversarios convenisset.*

Porro Judices isti dati Pedanei vulgo sunt dicti, quod scilicet quasi plano pede judicarent, non pro tribunali; a Græcis etiam χαμαιδικασαὶ dicuntur, & διαιτηταὶ κληρωτοί. In hisque differebant a Magistratibus, quod Pedaneis dabantur δικαςικὰ, sive sportulæ; Magistratibus vero minime, quia aliunde ampla habebant salaria: Pedanei non habebant Assessores; Magistratus habebant: Magistratus plerumque erant viri militares, legum ignari; Pedanei periti legum: Magistratus habebant tribunal; Pedanei non habebant: sedere tamen eos Justinianus [2] voluit a matutino ad occasum Solis in porticu Regia; id autem vel litigatoribus conducentibus subsellia, ut fieri solitum Tranquillus scribit in *Nerone*, vel ærario præbente gratuita.

Præterea notandum in omnibus causis Judices non dari solitos, sed in his tantum quæ solam facti inquisitionem continebant. Unde illud Prætoris cum Judicem daret, SI PARET TITIUM DARE OPORTERE; si autem perplexa quædam juris quæstio incideret, Judex non dabatur, sed remittebatur ad hastam Centumvirorum; idque omnium optime nos docet Seneca lib. 3. *de Benef.* cap. 7. cum ait: *De quibusdam etiam imperitus Judex dimittere tabellam potest; ubi fecisse, aut non fecisse pronuntiandum est; ibi prolatis cautionibus, controversia tollitur; ubi vero inter disputantes ratio jus dicit, ibi animi conjectura capienda est; ubi id, de quo sola sapientia decernit in controversiam incidit, non potest ad hæc sumi Judex ex turba selectorum.* Igitur Judices in his tantum dabantur quæstionibus, in quibus an factum, anne datum esset, quæreretur, easque decidebant ex formulæ præscripto eis a Prætore datæ.

Unde tu disce, quo distinguantur ab arbitris; nam arbitri bonæ fidei causis admittebantur, in quibus liberum eis judicium, & potestas: unde hæ formulæ, *Ex bona fide*; item, *Ut inter bonos bene agier oportet, & sine fraudatione*; & item, *Quantum æquius melius.* Judices vero stricti juris causis tantum demandabantur, & quibus Prætor certam judicii præscribebat formulam; quod aperte significat Tullius *pro Roscio Comœdo*, in hæc verba: *Aliud est judicium, aliud arbitrium; judicium est pecuniæ certæ, arbitrium incertæ; ad judicium hoc modo venimus, ut totam litem aut obtineamus, aut amittamus: at arbitrium hoc modo adimus, ut neque nihil, neque tantum, quantum postulavimus, consequamur. Ejus rei ipsa verba formulæ testimonio sint. Quid est in judicio? directum, asperum, simplex*, SI PARET LLS ıↃↃↃ. DARI OP. *Hic, nisi planum facit*, LLS ıↃↃↃ. *ad libellam, sibi deberi, causam perdit. Quid est in arbitrio? mite, moderatum*, QUANTUM ÆQUIUS, & MELIUS, ID DARI. Quæ cum Tullius scripserit, hauseritque e nostris; nescio, qua ausus fronte, eos sic in *Orat. pro Mur.* illudit: *Jam illud mihi quidem mirum videri solet, tot homines tam ingeniosos, per tot annos etiam nunc statuere non potuisse, utrum Judicem an arbitrum dici oporteret.* Vides enim quam clara inter utrumque differentia: arbiter ex compromisso dabatur, Judex sine compromisso, Judex ex præscripto for-

1 L. 12. ff. ad municip. 2 L. 1. C. de defensor. civit. 3 Novella 15. 4 L. 7. C. eod. 5 L. unica. ff. de off. jurid. Alex.

1 L. 23. de app. 2 Novella LXXXII.

mulæ controversiam distrahebat, arbiter vero negotii arbitrio suo disceptandi potestatem habebat.

Cæterum omitti hic nolo, Judices istos interdum recuperatores nuncupatos fuisse, quod nimirum sæpe de bonorum inique ablatorum recuperatione cognoscerent. Quod cum ex pluribus Ciceronis locis colligitur, tum maxime ex *Oratione pro Cæcina*, quam ad recuperatores habuit; in qua persæpe de his agit; cui & adstruit Plautus in *Bacchid.* Act 2 Sc. 3. vers. 36.

Postquam quidem Prætor recuperatores dedit,
Damnatus demum, vi coactus reddidit
Ducentos & mille Philippum.

Festus etiam: *Reciperatio est, ut ait Gallus Ælius, cum inter Populum, & Reges, nationesque, & civitates peregrinas, lex convenit: quomodo per reciperatores reddantur res, reciperenturque, resque privatas inter se persequantur.* Gellius quoque *l. 2. Prætores*, inquit, *legem 12. Tabularum*, SI INIVRIAM FAXIT, VIGINTIQVINQVE ÆRIS POENA SVNTO, *abolescere & relinqui consuerunt; injuriisque æstimandis recuperatores se daturos edixerunt.*

Postremo & illud notandum, omnibus Magistratibus Romanis eodem modo non licuisse Judices istos dare [1]: quidam enim id poterant more Majorum, propter vim imperii, id est, jure Magistratus sui, ut Prætor, Præfectus Urbi, Consul, & Præfectus Prætorio, & omnes Magistratus urbani cujuscumque ordinis; quidam vero, non more Majorum, aut jure suo; cujusmodi erant provinciales Magistratus; quorum alii ex lege speciali, quæ nominatim eis hanc dedisset licentiam, ut Proconsul, & Legatus [2] Proconsulis post mandatam sibi jurisdictionem a Proconsule, *l. 5. de off. Præsid.* atque etiam Præses Provinciæ; alii vero Senatusconsulto, aut Constitutione aliqua, ut Procuratores Cæsaris [3], qui in causis fisci Judices dare poterant, & a Principe delegatus Judex poterat etiam alium dare Judicem Constitutione [4] Gordiani Imperatoris.

CAP. XIII.

Quæ olim præcipue spectata in eligendis Magistratibus, Judicibusque dandis.

QUOD autem Judiciorum vis, auctoritasque tota, fere e Magistratuum Judicumque pendet personis, noluere Romani cives suos passim & sine delectu in hæc admitti munia; multos enim ab iis prohibuerunt, multis in id expresse latis legibus; quas si noveris, noti simul erunt, qui admitti in ea recte potuerint. Ideo primum despiciamus qui a Magistratu prohibebantur; sane ii imprimis, *qui turpi fuerant damnati judicio; hi enim in perpetuum omni honore & dignitate privabantur*, ut inquit Cicero *pro Cluentio*; licetque tale fuisset judicium, cujus pœna exsilium non esset, eis tamen Magistratum non dicam gerere, sed ne petere licebat; ut exempli gratia ambitus damnatis ante legem Tulliam; ii enim omnis honoris petitione excludebantur; nam Pub. Autronius & Pub. Sylla, quos reperimus ambitus damnatos, hac sunt affecti ignominia, ut ex eodem Tullio potest intelligi, dum scribit *pro Sylla* a L. Cæcilio Trib. pleb. eodemque fratre Publ. Sextii, rogationem promulgatam, de levanda ignominia fratris; quam rogationem Dio *l. 37.* dicit fuisse, ut Pub. Autronio &

1 L. 12. ff. de Judic. l. 1. ff. de off. Præf. Urb. l. penult. §. ult. ff. de conf. l. 1. ff. qui & a quib. appell. l. ult. ff. de judic. 2 L. Legatus. ff. de off. Proconf.
3 L. ex consensu §. 1. ff. de app. 4 L. 5. C. de judic.

A Pub. Syllæ liceret in Senatu esse, & magistratum petere; qua ignominia etiam obstricti erant, qui repetundarum damnati; ut idem Dio commemorat; & adstruit Ulpianus ex Cassii Longini sententia [1], dicentis, *non putare ei permittendum, qui propter turpitudinem a Senatu motus, nec restitutus est, judicare: quod lex Julia repetundarum hoc fieri vetet.*

Illud tamen accipe de judiciaria ignominia, non etiam de censoria, id est, de ea quam inflixit Judex in judicio, non de ea quam Censor in lustro; Cicero enim auctor est *pro Cluent.* notam istam censoriam, quæ nihil aliud quam ruborem adferebat damnato, non potuisse impedire, quominus

B notati ratio haberetur, in petendis magistratibus. Ut & plerosque legimus, quibus nota censoria impedimento non fuit, quominus magistratus assequerentur; ut ætate Tullii ipsius Antonius: qui postquam a Censoribus a Senatu motus notæ causa fuerat, postea & Prætor, & Consul cum Cicerone fuit.

Præterea prohibebantur a magistratu, qui nondum justam attigerant ætatem; ætas enim Magistratuum legibus antiquis præfinita erat; quod Ovidius significat, cum ait in *Fast.* lib. 5. vers. 65.

C *Jura dabat Populo senior; finitaque certis*
Legibus est ætas, unde petatur honos.

Unde & Latinus Pacatus in *laudatione Theodosii* ita scribit: *Non in amplissimis magistratibus, sed in Præturis quoque, & Ædilitatibus capessendis, ætas spectata est petitorum, nec quisquam annos comitiali lege præscriptos, festinatis honoribus occupavit.*

Quæ autem lex ista fuerit, quo tempore, & a quibus lata, indicare videtur Livius *lib. 10. dec. 4.* cum ait, legem primum latam COSS. *Q. Fulvio Flacco & L. Manlio Acidino, anno Urbis* DLXXIV. *a Lucio Julio Tribuno plebis, quot annos nati quemque magistratum peterent, caperentque; indeque cognomen familiæ inditum, ut qui ex ea essent, Annales appellarentur.* Sed quæ ætas ab antiqua ista lege

D præfinita fuerit, non docet Livius, nec ceteri omnes Historici; disci tamen facillime poterit ex eo quod Polybius *lib. 6.* scribit, *nulli Romanorum civium licuisse, ullum magistratum urbanum gerere, qui decem annos non militasset*; militare autem nemo poterat, nisi a decimo septimo ætatis anno, quo togam puram eandemque virilem accipiebant Romani adolescentes, igitur vides ante annum vicesimum & septimum, magistratum gerere non licuisse.

Ideo Quæstura, quæ primus urbanus Magistratus erat, peti non poterat ante annum vicesimum septimum, nec geri ante annum vicesimum octa-

E vum; & Tribunatus, qui secundus Magistratus erat, peti non poterat ante annum tricesimum, & geri ante annum tricesimum primum: & Ædilitas, qui tertius erat Magistratus, peti non poterat ante annum tricesimum sextum, nec geri ante annum 37. Prætura item peti ante annum tricesimum nonum, & geri ante quadragesimum non poterat; & denique Consulatus, qui supremus Magistratus erat, peti ante XLII. & geri ante XLIII. annum non poterat, ut aperte & eleganter demonstrant Nicolaus Gruchius lib. 1. *de Comitiis Roman.* & Petrus Faber in *cap. 11. de reg. juris*, secu-

F li hujus ornamenta.

Harum vero legum Annalium multis a Populo factam legimus gratiam, nimirum propter magnam indolem virtutis, *ne antequam Reipublicæ prodesse potuisset ipsa exstingueretur*, ut dicit Cicero 5. *Philip.* ideo Africano vix annos pubertatis ingresso concessus Consulatus, tamque felici au-

1 L. 2. ff. de Senator.

ſpicio, ut hac ætate totam ſubegerit Africam; idem Octavio; idem Neroni, & aliis multis conceſſum, ob egregiam indolem.

Poſtremo & a magiſtratu prohibebantur, qui ordinem non ſervaſſent petendi; ſcribit enim Appianus lib. 1. *Belli civil.* inter leges a Sylla latas, hanc unam fuiſſe; *ne cui Præturam petere liceret, niſi qui Quæſtor fuiſſet; neque Conſulatum, niſi qui Prætor fuiſſet*; unde & Tullius in *Bruto* appellat, *extraordinariam Caii Julii Conſulatus petitionem*; quia cum Ædilis fuiſſet volebat omiſſa Prætura Conſul fieri, teſte Aſconio in *Comment. Orat. pro Scauro*.

Et hæc quidem ſatis accurate obſervata, cum penes Populum poteſtas majeſtaſque tota, poſtquam vero translata in Principem unum, ſolo cujus arbitrio gradus iſti conferebantur, fere neglecta omnia; adeo ut quondam Conſulatum puero collatum fuiſſe legamus, in *l. nemo C. de religioſ. & ſumt. funer.* cujus hæc eſt inſcriptio, *Honorio nobili puero Conſuli*; atque etiam Tribunatus numerum: ut in altera Imper. Conſtitutione [1] legitur. Quæ rata omnino ut fierent, legem fecere aliam, [2] qua ſacrilegii inſimularetur, qui a Principe datum magiſtratum non approbaret.

Sed de Magiſtratibus dictum ſatis: nunc de Judicibus diſpiciamus, & an promiſcue quilibet poterat Judex dari; ac non quidem potuiſſe reſpondit Paulus [3] in hæc verba: *Non autem omnes Judices dari poſſunt ab iis, qui Judicis dandi jus habent, quidam enim lege impediuntur, ne Judices ſint, quidam moribus, quidam natura; natura ut ſurdus, mutus*, quia nimirum in cognitionibus voce opus eſt, & aurium ſenſu. Item *perpetuo furioſus*; nam is, cujus furor temporarius, Judex fieri poterat, etiam dum furore corriperetur, uti furore peracto, judicio operam daret; [4] natura denique a judicio prohibebatur *impubes*, quippe qui abſque judicio; quod tamen extendi video [5] ad eum tantum, qui nondum plenam attigerat pubertatem, id eſt, decimum octavum annum; ab hac enim ætate judicare quiſque poterat inter conſentientes, ejuſque ſententiam Prætor tuebatur, propter rerum judicatarum auctoritatem. Cogi tamen ea ætate non poterat invitus, ut judicaret ante annum 20. ut lege Julia judiciaria cautum erat. Ideoque emendandus locus ille Suetonii, ubi ſic de Auguſto *c.* 32. *Judices a triceſimo ætatis anno allegit: id eſt, quinquennio maturius quam ſolebat*: legendum enim eſſe, *viceſimo*, Cujacius & Caſaubonus recte conveniunt; nuſquam enim reperitur ante Auguſtum, non allectos in decurias Judicum minores annis xxxv. cum xxv. annus legitimus ei muneri obeundo fuerit, ab Auguſto tamen moderatus, & ad viceſimum redactus.

Moribus vero a Judiciis arcebantur fœminæ & ſervi; non quidem quod non haberent judicium; ſed quia id receptum moribus, ut civilibus officiis non fungerentur; [6] ut & ſane civilia officia virilia ſunt & liberalia, non ſervilia, non fœminea; ſervituti enim cum imperio, nec gravitati cum ſtolæ verecundia uſquam congrua ſocietas, etiamſi Plato ipſe ad eadem πολιτικῆς διοικήσεως munia fœminas vocaverit cum viris: in quo nec σοφȣ̃, nec νομοθέτȣ inſtar ſtatuere, ſed delirare potius videtur. Ut & viro ſobrio nonnumquam uſu venit, dum morbo angitur acuto, & fervore febris ejus menti caligo offunditur. Celtæ tamen, Plutarcho teſte, fœminas in belli paciſque conſilia adhibebant, & lites cum ſociis ortas earum opera diſceptabant:

[1] L. ult. C. de mil. teſta. [2] L. 2. C. de crimine ſacrileg. [3] L. cum Prætor. ff. de judic. [4] L. cum furioſus ff. de judic. [5] L. quidam ff. de re judic. [6] L. 2. ff. de reg. jur.

A non, ut quidam voluere, forma allecti mulierum, qua non major in quacumque gente; ſed quod Celtis diſcordia in bellum civile ruentibus, earum interventu arbitrioque admirabili omnium cum omnibus amicitia per urbes ſingulaſque familias extiterit. Tantum valuit acre & inculpatum ſyncerumque mulierum illarum judicium. Sed id ſolis illis contigit. Laudandum itaque omnino eſt Senatuſconſultum illud, quo poſt Heliogabali mortem cautum, *ne unquam mulieres Senatum ingrederentur; utque inferis ejus caput dicaretur, devoveretur que, per quem id eſſet factum*; ut refert in *Heliogabalo* B Lampridius. Nec enim ſexus hujus imbecillitas tantis rebus par eſſe poteſt, nec honori ſummo turpitudo infligenda, nec ſervilis inurenda macula.

Lege denique impediebatur, ne fieri Judex poſſet, qui ob crimen Senatu motus fuerat, notatuſque infamia; is nempe Judex dari prohibebatur lege [1] publicorum judiciorum, qua damnatus erat, ut ſupra a nobis expoſitum. Id autem optimo receptum jure; grave enim omnino eſt, deturpatum vitæ infamia, & in judicio damnatum, eidem præfici. Ideoque recte lex iſta XII. Tabularum, HIC ORDO VITIO VACATO ET CÆTERIS SPE- C CIMEN ESTO. Ut enim judicii auctoritati multum adjicitur ex probitate Judicis, ita ſane multum detrahitur ex turpitudine & infamia illius, ut pulchre olim docuere Lacedæmonii, dum bonam ſententiam niſi ab optimo viro dici voluerunt, ne contagione turpiſſimi auctoris ſordeſceret. Propterea & Lycurgus non modo ſeniores, ſed optimos in Judices legi voluit, ut nimirum Dii potius quam homines judicare, & rei potius ad aram legum juſtitiæque, quam ad tribunal aliquod ſiſti deducique viderentur; quibus & convenit, quod ex Demoſthene diſcimus in *Orat. adverſ. Ariſtogit.* apud Athenienſes infames, qui dicebantur ἄτιμοι, D penitus rejectos a foro, nec quicquam apud Populum potuiſſe.

Præterea de cæco quæſitum eſt, an etiam Judex fieri poſſet; ac poſſe quidem alicubi [2] Paulus reſpondit, quod nimirum in privato Judice nihil aliud quam judicium, prudentiam, doctrinam, virtutem requirimus; ſecus quidem putarem de Magiſtratu, in quo præter iſta decus quoddam, & ſplendor vultus deſideratur, unde & Perſis legem fuiſſe legimus, qua nefas Regem monoculum conſtituere: ideoque Coſroem Cabilis Regis filium minorem majori, quod hic altero oculo captus erat, prætulerunt, ut Procopius ait lib. 1. *de Bello Perſi-* E *co*. Et hactenus de perſonis, quæ judicia facere potuerunt, fecerunt que.

Cap. XIV.

De Adſeſſu vel Conſilio Magiſtratuum, Judicumque.

Jovem ferunt, ſi quid ei magni ſtatuendum, ſuum concilium ſatis non eſſe ſolitum, ſed auctores Deos admittere & conſiliarios, unde Virgilii illud lib. 10. *Æn.* verſ. 2.

F *Conciliumque vocat divum pater atque hominum Rex.*

Jovi autem ignotum nihil, cui nempe ſedes ἐν πυρὶ, ut ait Porphyrius, id eſt, in ipſa luce, & cui veritas perpetuo πάρεδρος, ſemperque in con-

[1] L. 2. ff. Senator. l. 1. ff. ad leg. Juliam de vi privata. [2] L. 6. ff. de judic. [3] L. reſcripto ff. de numer. & honorib.

victu,ut Mena nder dicit.Homini igitur facturo rem omnium gravissimam, judicium scilicet de fortuna hominum, de fama, de sanguine, quid agendum? caveat inter cetera proprio inniti consilio; cæca enim est ipsa per se & imbecilla hominum virtus. Ideo Euripides in *Heraclidis* vers. 275. *μιᾶς γὰρ χειρὸς ἀσθενὴς μάχη*: alienum sibi advocet, unde juvetur referatque consilium. Ita enim hominibus comparatum est, ut conjunctis operis, ad rem quamvis & efficiendam, & dicendam, & cogitandam, majore etiam & feliciore valeant facultate; quo & vulgatum illud Diomedis apud Homerum lib. 10. *Iliad.* vers. 224.

Σύν τε δύ' ἐρχομένω, καί τε πρὸ ὃ τοῦ ἐνόησεν.

Hinc erat, ut prisci illi Judices vix aut nusquam judicarent, sine adsessu vel consilio. Quid vero prospiciendum erat in deligendis Adsessoribus Consiliariisque Justinianus noster addocet [1]; ut nimirum scientiam haberent *πείρας καὶ νόμων*: ubi *πεῖραν*, intellige continuatam & tritam meditationem trituræ ususque forensis.Et recte quidem illud;nam, ut Aristoteles ait lib. 1. *Met.* *συναίτια τῆς φρονήσεως ἐμπειρία*, *prudentiæ consors est experientia*; unde & mavult credi opinionibus *τῶν ἐμπείρων καὶ πρεσβυτέρων*, quam syllogismis atque etiam demonstrationibus eorum, qui artem callent absque experientia.

Hujusmodi instructis Assessoribus, majoribus olim Judicibus opus erat, quandoquidem ii ut plerumque imperiti legum erant; & viri militares ex nobiliori familia quadam, quique arma callerent potius quam leges. Unde Cicero: *Populus Romanus Magistratuum virtute & innocentia contentus est;enim quotus enim quisque disertus;quotus quisque jurisperitus est?* Et ideo quicquid decernebat Prætor, id omnino erat ex consilio Assessoris, ut Seneca aperte indicat his verbis, *qui inter peregrinos & cives, aut urbanus Prætor, præeuntibus Adsessoribus tria verba pronuntiat*; hincque Adsessor dictus Judicis comes & particeps [2]; comes scilicet sedendi, & particeps consiliorum; quod & confirmat illud veter. Glossar. Adsessor est qui ab eo qui judicandi habet potestatem adsumitur, associatur, ut sibi in causæ cognitione adsideat; unde & Modestinus, *συγκάθεδρον* eum appellat in *lib. ὐ μόνον ff. de excusat. tit.*

Idemque factu opus erat iis Equitibus, a quibus quondam facta judicia: eorum enim plerique publicani erant, Tribunique ærarii, imperiti omnes, ut ex Asconio & Verrinis, atque etiam ex legibus judiciariis notum est. Non enim tunc ex doctrina, sed ex sensu tantum fieri soliti erant, ut Plinius ait: unde & fiebat ut imprudentia his imputaretur numquam, sed tantum eorum Adsessoribus.

Porro dubium adhuc est hodie, qui & quot olim Prætori Romæ cognoscenti, vel in Provincia Præsidi, adhiberi in consilium soliti erant; an & qui adhibiti perpetui erant, & certi; an vero incerti, & pro arbitrio electi in singulis cognitionibus. Video quidem in manumissionibus Prætori Romæ adsedisse viros decem, quinque Senatores, totidemque Equites. Præsidi vero in re eadem viros viginti, qui & dicti Recuperatores peregrinis; ut Ulpianus in Fragmentis & Theophilus in Institut. addocent: sed non video certo, an iidem in ceteris cognitionibus soliti erant adhiberi; licet doctissimum quendam e Belgis audiam

[1] Novella 82. [2] L. omnes. C. Theod. de his qui admitist. trad. sunt.

id arbitrari; atque etiam suspicari eos decem, alios non fuisse ab iis decem, qui Decemviri stilibus judicandis dicti, sed videat quam levis conjectura ducta a numero decem.

Arbitror vero ipse decem illos, qui in manumissionibus, fuisse & certos & perpetuos; quippe qui ex lege Ælia Sentia judicandis manumissionum caussis constituti, unde & Judices dicti ab Ulpiano, [1] & interdum Consilium. An vero iidem illi fuerint Decemviri stilibus judicandis plane ignoro; ejus enim rei lux nullibi. Et quidem suspicarer eos non fuisse; propterea quod Magistratus erant, non Judices, ut dixi supra. In ceteris autem cognitionibus Assessores puto incertos, & pro libitu fuisse a Prætore, vel Præside electos ex Jurisconsultorum turba.

Decemviros enim istos Assessores ordinarios non fuisse argumento est, quod Libertinus Assessor esse poterat, ut docet Marcianus; [2] at Decemvir stilibus judicandis esse non poterat; quia dignitas erat & magistratus: a quo prohibebantur qui hujusmodi conditionis. Præterea Ulpianus dicit se assedisse Prætori; quem tamen e numero Decemvirorum stilibus judicandis fuisse nusquam legi. Fateor quidem eos Prætorem, Præsidemve non temere mutare solitos, qui semel ex doctrina, vel ab his, vel ab antecessoribus fuerant electi. Ideoque Verrem, quod contra morem fecerat, sic exagitat Cicero: *Illud negare posses, aut nunc negabis, te consilio dimisso, viris primariis & honestis, qui in consilio C. Sacerdotis fuerant, remotis, de re judicata judicasse.* Quot autem adhibebantur, non constat.

Ceterum & illud notandum, nemini licuisse in sua Provincia assidere, idque ex Constitutione Nigri, ut Lampridius in *ejus Vita* refert in hæc verba, *hujus etiam illud fuit, ut nemo assideret in sua Provincia*; quod postea acerba illa sanctione firmavit Justinianus, [3] ut videlicet, *in eum qui in sua Provincia, ultra quatuor menses moderatoribus assederit adversus leges antiquas, & divorum retro Principum scita; proscriptio bonorum, & accusatio publici criminis immineat, nisi per cæleste oraculum*, &c. ubi publici criminis appellatione sacrilegium intelligitur, id est, legum violatarum crimen, ut in altera Constitutione [4] expressere Impp. Valentinianus & Gratianus his verbis, *ne quis sine sacrilegii crimine desiderandum intelligat gerendæ ac suscipiendæ administrationis officium, intra eam Provinciam in qua provincialis & civis habetur; nisi hoc*, &c. Id autem hac institutum ratione, ne favore vel odio ductus Assessor quidpiam contra jus æquitatemque faceret. A quibus non admodum diffidet, quod Xiphilinus & Zonaras a Marco constitutum fuisse referunt, ut ne quis patriæ suæ præesset, *ἐνομοθέτη*, ajunt, *τότε μηδένα τοῦ ἔθνους ἄρχειν. ὅθεν ἐγένετο, ὅτι ὁ Κάσσιος ἐν τῇ Συρίᾳ ἡγεμονεύων, ὅπου καὶ ἡ πατρὶς αὐτοῦ ἦν, ἐνεόχμωσεν*. Sed hæc de Judicibus supremis.

Quantum vero ad minores Judices attinet, mandatarios nimirum, aut delegatos, dispiciamus an & eis licitum advocare consilium; licitum quidem video, sed non eodem modo illud cogere potuisse, quo Prætor, auctore Ulpiano, cum sic scribit, *is cui mandata est jurisdictio consilium exercere non potest*, id est, cum advocato consilio adscendere in tribunal, tanquam Prætor, vel tanquam Præses; hoc enim esse consilium exercere, docet Apulejus 2. *Apolog.* dum ait, *testor te, Claudi maxime, vosque qui in consilio estis, vosque etiam qui tribunal mecum adsistitis*.

Advocare autem Consiliarios licuisse Judici dato, probari potest dilucide, cum ex Gellio, cum

[1] L. penult. ff. de manu. vind. [2] L. 2. de off. Assessor. [3] L. in Consiliariis, C. de Assessor. [4] L. si C. de crimi. sacril.

sic de se electo Judice scribit, *tunc ibi amici mei, quos rogaveram in consilium, viri exercitati, atque in patrociniis & operis fori celebres*, &c. tum etiam ex Quinctiana Ciceronis: quoties enim C. Aquilium nominat Cicero, fere ad eos, qui in consilio ejus erant, & quos advocaverat Aquilius, sermonem convertit. Ceterum apud Antiquos reperio olim a Præsidibus ipsis salaria Assessoribus præstita; postea vero ab Alexandro Severo eis de publico constituta, ut Lampridius auctor est. Nec omiserim illud etiam observatum, ut in ima sententiarum cera Judices apponerent, datas eas ex Consilii sententia: licet Adsessores sententiis aut libellis subscribere non soliti.

CAP. XV.

De Judicum juramento.

Ut vero Judicum mentes in re gravissima peragenda, judicio scilicet, religione tangerentur; præclare id olim in more positum, ut ante omnia jurarent in leges, cujus rei testis Cicero, dum sic *pro Cluentio*, *illi de eo de quo jurati sententias ferre debebant*, &c. & deinde, *Multam petivit, qua lege? quod in legem non jurasset, quæ res nemini unquam fraudi fuit*; idem & lib. 3. *Off. cum vero jurato dicenda sententia sit, meminerit Deum se adhibere testem*. Hinc præclarus mos rogandi Judicis, QVÆ SALVA FIDE FACERE POSSIT, &c. Cujus juramenti meminit Justin. in hæc verba: *Cui enim non est cognitum antiquos Judices non aliter judicialem calculum accepisse, nisi prius sacramentum præstitissent, omnino sese cum veritate & legum observatione judicium esse disposituros?*

Quod forte ex Attico foro videtur desumtum: nam & idipsum quotannis jurare Judices Athenienses consuevisse, docet Heliasticum, [1] quod illis proprium erat juramentum, cujus primum hoc fuisse caput, docet Dinarchus contra Demosthenem, ψηφιοῦμαι κατὰ τοὺς νόμους, καὶ τὰ ψηφίσματα τοῦ δήμου τῶν Ἀθηναίων, καὶ τῆς βουλῆς τῶν πεντακοσίων.

Hoc autem in leges juramento, Prætorem olim non obstrictum Tullius 1. *Act. in Verrem* docet, *nunc*, inquit, *eo animo sum, ut eo Judice, quam Prætore, hanc rem transigi malim, & jurato suam quam injurato aliorum tabellas committere*. Nimirum quia si Judex esset Metellus, tabulam judiciariam juratus acciperet: sin Prætor, injuratus, tabellas omnium Judicum haberet in potestate. Satis enim videbatur, si initio magistratus sui juraret, ut ceteris ejusmodi Romanis Magistratibus in more erat.

Postea etiam Justinianus, [2] novella Constitutione, eandem in leges jurandi necessitatem ceteris remisit Judicibus; satisque esse voluit ut jurarent se facturos secundum quod eis visum fuerit justius & melius: exceptis defensoribus civitatum, quos jurare voluit omnia secundum leges & jura se facturos. Omnes tamen jussit jurare munera non accepturos; sed puras & integras manus Deo, Imperatori, & Legi servaturos. Et præterea actorem & reum pariter audituros, ac illud denique se nihil gratiæ, nihil precibus daturos; quod & ab Heliastico videtur desumtum, in quo sic pronuntiabant, οὔτε χάριτος ἕνεκα, οὔτε ἔχθρας; quodque a Judicibus Romanis, præsertim rerum criminalium, sancte confirmatum legimus apud Senecam *Controvers.* 2. lib 9. apud quem Votienus Montanus, *damnaturi* (inquit) *jurant se nihil gratiæ, nihil precibus dare. Postulo ut in hanc legem jures.*

[1] Demosth. adversus Timoc. [2] Novell. 15.

Ceterum formula juramenti antiqua erat ejusmodi. SI SCIENS FALLO, TVM ME DIESPITER SALVA, VRBEQVE ARCEQVE, BONIS EIICIAT, VT EGO HVNC LAPIDEM: quæ imprecatio videtur addita, ut & est legi sanctio, ad terrendas Judicum mentes. Postea autem novo more introductum, ut corporaliter, tactis scilicet quatuor sacrosanctis Evangelis, jurarent Judices. Indeque Impp. Rescriptis [1] dictum illud juramentum corporale, & a Græcis interpretibus, ut Theodoro Balsamone, σωματικὸς ὅρκος; ad differentiam nimirum illius juramenti, quod litteris fiebat, & instrumento, cujus mentio est in *l. ult. ff. de crimine stellion.* Augustius autem omnino erat sacramentum illud, quod fiebat applicatione ista corporis, ad rem adeo sanctam sacramve, quam quod in scriptis tantum; [2] unde forte intelligendum Chrysostomi illud in sæculi sui quosdam, *qui super Evangelia jurat*, inquit, *magis videtur jurare, quam qui per Deum jurat*. Stulti homines, Scripturæ factæ sunt propter Deum, non Deus propter Scripturas, quibus non reprobat quidem solemne illud jurandi super Evangelia; sed illius temporis superstitionem, quæ ex defectu veræ doctrinæ.

Hac autem juramenti corporalis forma cum Justinianus solverit Sacerdotes, non tamen ideo minus illud augustum putes judicasse. id enim fecit, ut eo distingueretur sacer iste ordo a populari; vel forte insequutus leges antiquæ Romæ, quibus Sacerdotes sacramenti necessitate omnino soluti: ut ex *Fragmentis* Fabii Pictoris de Sacerdotibus publicis Gellius docet, atque etiam ex edicto perp. tuo in hæc verba, FLAM. ET VESTALEM IN OMNI MEA JVRISDICTIONE JVRARE NON COGAM.

Postremo locus, in quo olim Judices jurare soliti, in Comitio erat ad aram, quæ puteal Libonis dicebatur; de Comitio sic Plautus in *Curcul.* Act. 4. Sc. 1. vers. 9.

> *Qui perjurum convenire vult hominem, mitto in Comitium.*

De Puteali in Comitio, sic Cicero *de Divinat. Cotem illam & novaculam defossam in Comitio, supraque impositum Puteal accepimus*; atque & Horatius *epist.* 19. *lib.* 1.

> *—— forum, putealque Libonis*
> *Mandabo siccis;*

siccis quidem intellige sobriis: qua si dicat, sint illi sobrii, & abstineant a luxu & crapula, qui Judices sortiti ad puteal Libonis in leges juraturi sese conferunt. Jurabant autem aram istam tenentes, auctore Tullio *Orat. pro Flacco*, dum ait: *Ergo is, qui si aram tenens juraret, crederetque nemo, per epistolam, quod volet, injuratus probabit?* ideoque de illa eversa sic quondam conquestus, apud Valent. Theod. & Arcad. Impp. Symmachus *lib.* 10. *epist.* 54. [3] *Ubi in leges vestras & verba jurabimus? qua religione mens falsa terrebitur, ne in testimoniis mentiatur? Omnia quidem Deo plena sunt, nec ullus perfidis tutus est locus. Sed plurimum valet ad metum delinquendi, etiam præsentia religionis urgeri. Illa ara concordiam tenet omnium, illa ara fidem convenit singulorum, neque aliud magis auctoritatem facit sententiis nostris, quam quod omnia quasi juratus ordo decernit.* Hæc Symmachus. Sed hic forte non omnino erit otiosum, si quis quærat,

[1] L. 1. C. si adver. vendit. & l. 3. C. si minor se major. dixer. [2] C. si quas per pupillum, &c. seq. 22. q. 1. [3] Est 61. in Edit. Phil. Parei Franc. 1651.

an prætermissa sacramenti illa solemnitate, judicium irritum fieret? Ea tamen quæstio perfacilis; nam & in jure Romano id perpetuum, ut in legitimis & solemnibus actionibus ritus ac formæ prætermissio actum vitiet, *l. fideicommissa §.1.ff.de leg.3. l. qui testamento, & veteres. ff. de testam. l.cum quibus. §. si prætor. ff. de transact.* Eoque spectat illud Quintiliani, *esse aliquid natura æquum, sed prohibitum jure, ut libertas testamentorum*, &c. Ideoque existimo apud Priscos illos judicium nullum, si ab injurato datum Judice.

Sed operæ pretium est, ut observatis, quæ ad Magistratus Judicesque attinerent, nunc & de his dicamus qui judiciis subserviebant, ac primum de Advocatis & Procuratoribus.

CAP. XVI.

De Advocatis & Procuratoribus.

OLim quidem Decemvirorum tempore, nullus Advocatorum Procuratorumque usus erat. Tunc enim alieno nomine agere non licebat; sed quemque per se suam orare causam oportebat. Cujus rei argumento est lex illa Decemviralis, qua in jus vocato omnino necessum erat venire, SI IN IVS VOCATO (inquit) MORBVS AEVITASVE VITIVM ESSET, QVI IN IVS VOCABIT IVMENTVM DATO, SI VOLET ARCERAMVE STERNITO. Quod puto desumtum ex foro Attico, ut & fere cetera Romani fori: ibi enim non licuisse pro altero agere, docet Quintilianus lib.2. *Inst.* cap.16. dum ait: *Nam & Socrates inhonestam sibi credidit orationem, quam ei Lysias reo composuerat, & tum maxime scribere litigatoribus, quæ illi pro se ipsis dicerent, erat moris; atque ita juri, quo non licebat pro altero agere, fraus adhibebatur.*

Hocque video generaliter observatum, præterquam tribus in casibus: scilicet cum pro Populo agendum erat, pro libertate, & pro tutela. Pro Populo quidem; quod agere universi non poterant; unde alicubi 1 Cicero, *Sicilia tota*, inquit, *si una voce loqueretur, hoc diceret, quod auri, quod argenti*, &c *quoniam id non poterat, harum rerum actorem, quem idoneum esse arbitrata est, ipsa delegit.* Pro libertate autem; ne nimirum servus lege egisse videretur, cum ad solos cives legis actiones pertinerent. Pro pupillis denique; cum hæc imbecilla ætas, parumque sibi constans consilium, vicariam operam omnino desideret. Quartus postmodum adjectus fuit casus ex lege Hostilia quadam, lata in eorum gratiam, qui apud hostes essent, vel Reipublicæ causa abessent; ut nimirum eorum nomine furti agere liceret, ut meminit alicubi Justinianus; 2 in ceteris autem causis, ac etiam criminalibus, alieno nomine experiri illicitum. In usu porro hoc erat, ut dicturi causam parentes amicosque advocarent; qui nimirum & sibi faverent, & religionem Judicibus injicerent; quasi non unius causa verteretur, sed multorum advocatorum parentum amicorumque, unde & ipsa advocatio recte Grecis dicta παράκλησις, cujus multa in historiis exempla reperimus, ut Philotæ apud Curtium *lib.6.* Virginiæ apud Livium *lib. 3.* Orgetorigis apud Cæsarem lib. 1. *de Bello Gall.* cap. 1. Quintii apud Tullium *pro Quintio*, & aliorum complurium.

Postea autem propter usum necessitatemque Reipublicæ, id jus mitius factum est, cœpitque passim licere omnibus per Advocatos Procuratoresque jus suum experiri; Advocatos quidem dico

1 Orat. 1. *Verr.* 2 Inst. per quos ag. poss.

A eo generali nomine, quo video passim in libris nostris & aliis Auctoribus advocatum pro Patrono, pro Oratore, pro Deprecatore, pro Laudatore usurpari solitum. Quamvis inter istos quædam annotentur differentiæ; quod nimirum Advocatus proprie fuerit, qui præsentiam suam amico commodabat, aut jus suggerebat. Patronus vero, qui causam orabat, unde & sæpius Orator dictus; quod clare indicat Asconius 1. *Verr.* in hæc verba: *Qui defendit alterum in judicio, aut Patronus dicitur, si Orator est; aut Advocatus, si aut jus suggerit, aut præsentiam suam commodat amico.* Laudatores autem atque deprecatores in causis B tantum publicis admittebantur, qui nimirum lachrymis, qui laudibus Judices promoverent ad rei absolutionem, ut in causa Scauri fecere Faustus & Autronius; & in Munatii Pompejus; licet antea lata lege, tertio Consulatu suo, hujusmodi publicas laudationes sustulisset; ut & postmodum Imperatorum Constitutionibus, 1 omnino sunt antiquatæ: quas & ideo hoc omittam loco, ut persequar de Advocatis dicere; iis nimirum qui in foro causas orabant, postulabant- C que.

De quibus illud maxime notandum, non omnibus olim promiscue in id muneris adspirare licuisse: quod videlicet e splendore & dignitate Judicum erat, nullum in id absque delectu admitti, ut Ulpianus ait; 2 ubi eos recenset, qui officii hujus, aut indigni, aut minime capaces; indignos quidem vocat qui publico damnati crimine; qui in se muliebria passi; 3 qui in spectaculis locarant operas suas; qui artem exercuerant scenicam; qui denique alia vitæ turpitudine infames, advocatione interdicti fuerant. 4 Quam pœnam Epicteto Causidico irrogatam, quod incauto sermone virum omnibus probatum perstrinxisset, refert Symma- D chus *epist.28. lib.* 9. eumque ob id togæ forensis honore privatum, *& caruisse foro, & ita inconsultæ linguæ pretium tulisse.*

Quo in ordine & numero etiam mulieres: cur enim ab hoc prohibitæ munere, sic loquutus Valerius *lib.8.* cap.3. *Fœminas naturæ conditio, & verecundiæ stola, ut in foro & judiciis taceant, cohibere debet*; cujus rei origo introducta a Caja Frania improbissima fœmina; quod (ut Ulpianus ait) inverecunde postularet, & Magistratum inquietaret; quamvis & legamus quasdam mulieres eo munere recte & feliciter quondam functas. Nam & Valerius *eodem loco* memorat, *Amesiam quan-* E *dam Prætoris sententia ream, maximo Pop. Rom. concursu, L. Titio Prætore judicium cogente, egisse vicisseque. Et Hortensiam filiam Q. Hortensii communem matronarum causam, a viris desertam, fœliciter egisse apud Triumviros, impetrasseque ut major pars imperatæ matronis pecuniæ remitteretur.*

Ad hoc vero munus non idoneos dico minorem 17. annis, surdum & cæcum utrisque luminibus; ratioque in promtu: nam surdus Prætoris decretum exaudire; cæcum illius insignia videre, & revereri non poterat; sed hic pro se postulare F edicto non vetatur; minor autem 17. annis id implere officium non poterat, quod adhuc esset in prætexta puerili; quæ cujuscunque muneris haud capax est. In quo vides quantum Romani Græcis sagaciores: illi enim pusillam adhuc pueritiam in forum impellebant; adeo ut Demosthenem Quintilianus scripserit, adhuc puerum orationes pupillares habuisse. His autem in foro judiciali agendis nemo idoneus, nisi qui vir factus esset.

1 Tit.ne potentio. liceat patroci. lib. 3. C. 2 L.1.ff.de post. 3 Tertul. lib. de spect. 4 L.1. §. vel. ff. de off. de off. Præf.Urb. l.9. ff. de pœnis. l.8. ff. de post. l.3. ff. de Decurion.

Unde

Unde mos iste apud eos præclarus; ut quo die virilem assumerent togam, eodem in forum deducerentur, simulque tyrocinium auspicarentur muneris hujus. Quod satis aperte Fabius lib. 12. *Instit.* indicat in hæc verba, *non differendum est tyrocinium in senectutem*. Dies etiam prætextæ, quo tyrones forensibus sacris initiabantur, tyrocinium dicebatur. Idque fiebat comitatu virorum primariorum; Plinius *Epist.* lib. 2. epist. 14. *in foro*, inquit, *ne nobilissimis quidem adolescentibus locus erat, nisi aliquo consulari producente*: dein ab amicis parentibusque deducebantur ad celebrem quendam patronum, cujus nimirum contubernio fruerentur, quoad usum trituramque fori didicissent; qua de re sic Cicero *dialog. de Amic. Ego autem sic a patre ita etiam deductus ad Scævolam, sumta virili toga, ut quoad possem, & liceret, a senis latere nunquam discederem*; & similiter Tacitus *dialog. de Orator. Ergo*, inquit, *apud Majores nostros juvenis ille, qui foro & eloquentiæ parabatur, imbutus jam domestica disciplina, refertus honestis studiis, deducebatur a patre, vel a propinquis ad eum Oratorem, qui principem locum in civitate tenebat; hunc sectari, hunc prosequi, hujus omnibus dictionibus interesse, sive in judiciis, sive in concionibus assuescebat, ita ut altercationes quoque excipere & jurgiis interesse, utque sic dixerim, pugnare in prælio disceret. Magnus ex hoc usus, multum constantiæ, plurimum judicii juvenibus statim contingebat, in media luce studentibus, atque inter ipsa discrimina; fiebatque Oratorum discipulus, fori auditor, sectator judiciorum, eruditus & assuefactus alienis experimentis; cui quotidie audienti notæ leges, nota judicia*.

Unde non mirum si ætas illa tot & tantos tulerit dicendi & judicandi artifices; hæc vero nostra non æque tantorum ingeniorum ferax. Stulti parentes hoc in scientias moresque induxere infortunium; dum enim ad cæca properant vota, cruda adhuc filiorum ingenia, cruda studia, in forum impellunt: non enim acuenda solum nobis est & procudenda lingua, sed ornandum & complendum pectus maximarum rerum & plurimarum scientia, copia, varietate. Et ut recte monuit Crassus, *apparatu nobis opus est, & rebus exquisitis undique collectis, accersitis, comparatis*. Id ceterum notandum est, advocatos a Senatu, a Prætore, a Præside peti solitos, ut Ulpianus addocet 1, & ei adstruit Plinius *epist.* XI. *lib.* 2. dum *se & Tacitum adesse Provincialibus* narrat. Ex quo jocus ille apud Ciceronem lib. 2. *de Orat.* de quodam Siculo, *cui tum Prætor Scipio patronum causæ dedisset hospitem suum, hominem nobilem, sed admodum stultum. Quæso*, inquit ille, *Prætor adversario meo da istum patronum, deinde mihi neminem dederis*.

Quantum autem ad Procuratores attinet, non ita difficilis disquisitio: ut nec tanta cum difficultate, quanta Advocati in forum admittebantur; hoc uno tantum excepto, quod Advocatus post 17. completos annos recipiebatur; Procurator vero non nisi major 25. annis esse poterat 2. Sed hujus diversitatis summa fuit ratio, quod nimirum Procurator actione mandati & tenebatur, & condemnabatur; non autem Advocatus. Procuratorem cum dico, Cognitorem etiam complector, ut sunt sæpe eorum promiscuæ appellationes, licet nota quadam a quibusdam distincti; quod videlicet Cognitor sit, qui præsentis causam suscipit; Procurator vero, qui absentis; unde Cicero *pro Cæcina*: *Procurator non omnis is qui negotia gerit aliena: sed is dicitur legitime omnium rerum ejus, qui in Italia non sit, absitve Reipublicæ causa, quasi quidam pene dominus, hoc est, alieni juris vicarius*; & Asconius *Verr.* 1. *qui defendit alterum in judicio*, inquit, &c. *aut Procurator est, si absentis negotium suscipit; aut Cognitor, si præsentis causam novit, & sic tuetur ut suam*; postea autem, ut dixi, confusæ sunt denominationes istæ, ut apparet ex complusculis nostrorum responsis 1.

Ceterum de Procuratore sive Cognitore illud præcipue notandum, neminem invitum cogi potuisse alienam subire defensionem; quod videlicet Procurator, sive Cognitor, officio non fungebatur civili, nec a Magistratu dabatur, sed a privato: quo olim maxime ab Advocato distinguebatur; hic enim ut publicum civileque munus sustinebat, ita ad id obeundum invitus compellebatur. Id quod patet ex eo, quod advocandi venia solebat antiquitus peti, unde Plinius *epist.* 8. *lib.* 5. *Ideoque interim veniam*, (inquit) *ne a forensibus verbis recedam, advocandi peto*. Apparet etiam ex edicto Prætoris, in quo quamvis neminem postulare jubet, multos vetat postulare. Attamen ei, *qui certis ex causis, vel ambitione adversarii, vel metu patronum non invenit, se daturum Advocatum pollicetur*; 2 *qui si monitus a Prætore, cuicumque parti patrocinium denegaverit, ea excusatione, quæ nequeat comprobari, eum vult carere foro* 3.

Et ideo etiam advocationes inter civilia officia ab Ulpiano numerantur 4, dum scribit, *cuicumque aut quacumque causa ad tempus ordine, vel advocationibus, vel quo alio officio* (ergo advocatio quoque est officium) *fuisset interdictum, completo tempore, nihilominus fungi honore vel officio possit*: ubi honoris vocem ad decurionatum, officii nomen ad postulationem referri convenit. Quod vero Procuratorem dixi officio non fungi publico, excipi id volo *in actore municipii, sive Syndico, sive defensore civitatis, qui ad certam causam agendam, vel defendendam electus; ii enim laborem muneris personalis aggrediuntur, & civili publicoque funguntur munere* 5.

CAP. XVII.

De Advocatorum juramento.

AN vero ab Advocatis priusquam orarent, ut a Judicibus judicium facturis, sacramentum requirebatur, prisci Auctores non retulere; imo vero Advocatos non jurasse Cicero docet *pro Cæcina*, dum ait, *testes hoc dicunt, quod ego injuratus insimulo*; forte quidem illis juramentum eloquentiæ contrarium, minusque Oratoribus congruum videbatur; quod videlicet eorum non alius finis quam persuadere, quam vincere; quod ut possent assequi, divagari & amplificare sese erat necesse. Ubi e contra religio, sanctitasque illa juramenti, eos intra constrictos & angustos nudæ simplicisque veritatis terminos inclusisset. Ut tamen religione aliqua imbuti Oratores sanctius officio fungerentur, initio suarum Orationum solemne carmen precemque ad Deum fundere consueverant, ut videre licet in pluribus Veterum Orationibus. Nam & Servius ait *in* 11. *Æn.* vidisse se legisseque omnes M. Catonis Orationes, amborum Gracchorum, Galbæ, & aliorum complurium, quas nobis Gothica barbaries eripuit, observasseque has omnes a summi Numinis invocatione incœptas. Quæ respexit Cicero in *Divin.* dum ita suum irridet adversarium, *si quid ex vetere aliqua Oratione Jovem ego Optimum Maximum*; atque etiam Valerius, cum ita initio sui Operis, *si* (inquit) *prisci Oratores a Jove Optimo Maximo orti sunt*. Et denique Plinius, dum sic initio *Panegyr. Bene ac sapienter P.C. Majores instituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi initium a precationibus caperetur: quòd nihil rite nihilque providenter homines sine*

1 L. 1. ff. de post. l. 9. §. observare. ff. de off. Præs. 2 L. minor ff. de Procurator.

1 Tit. de Procurat. 2 L. 1. §. ait Prætor. ff. de post. 3 L. providendam. § 1. C. de postul. 4 L. 3. §. Imperator. ff. de Decurion. 5 L. munerum. § defensores. ff de munerib. & ho[illegible].

Deorum immortalium ope, consilio, honore auspicarentur.

Quod puto Romanos istos didicisse ab Atticis Oratoribus: idem enim illis solemne fuisse docet, quod passim initio suarum Orationum legitur, ut in ea Demosthenis *pro Corona*, πρῶτον μέν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι, &c. quæ religio mira certe, ut ab Ethnicis & Paganis: quæque multum valuit ad moderandos Oratorum mores; nam nulla, nulla tutior officii custodia, quam religio.

Tandem vero Justinianus [1] pari ac Judices sacramento patronos omnes adegit, voluitque initio suscepti patrocinii tactis quatuor sacrosanctis Evangeliis jurare, omni virtute sua, omnique ope, quod verum & justum existimarint, clientibus suis inferre Procuratores; neque creditæ sibi causæ, cognita ejus iniquitate, vel penitus desperatæ, & ex mendacibus allegationibus compositæ scientes prudentesque patrocinaturos. Quibus vides Imper. duo præcipue ab Advocato requirere; fidelem clientis protectionem curamve,& veritatem in patrociniis; quasi his exacte præstitis, nullus jam iniquitati superesset locus, nullus prævaricationi, nullus mendacio, imposturis, decipulis: quæ omnia conjurata in justitiam & conspirata dæmonia alicubi in *Epist.* dicuntur a Cypriano: hujus etenim divæ splendor omnis in infimi consistit patrocinio, & in veritate æqui bonique; unde Cicero lib. 2. *de Republ.* ex illa parte hanc commendans virtutem, sic eleganter scribit, *Justitia præter ceteras virtutes, una ad alienas utilitates se porrigit atque explicat, fores spectat, tota projecta est.* Ex hac vero Plato eandem respiciens scitissime ipsam appellat οὐρανοῦ ἀστερόεντος ἄλοχον, quod videlicet luce veritatis suæ quod æquum & rectum sit omnino pateat.

Ea itaque dum jubet Imperator Advocatos præstare, vides proculdubio perfectam virtutem ut imitentur jubere, vel certe potius Deum ipsum Optimum & Maximum, cujus nimirum tota virtus in bonitate & veritate; hac enim Deum referunt Advocati, dum ubique veraces; illa etiam dum alienæ saluti invigilant, alienam tuentur causam, alienæ curæ totum impendunt animum, alienas injurias quasi in se suscipiunt.

Ideoque non immerito Valentinianus [2] in eos succenset, qui malis artibus munus istud adeo honoratum dehonestant & depravant; dum videlicet id,non ad clientis commodum & salutem,sed ad turpe compendium stipemque deformem conferunt; vel (ut Afer conqueritur apud Tacitum) *dum lucrosam & saginantem eloquentiam deducunt in forum*; vel denique cum ingeniose atque artificiose, suppressa rei veritate, errorem Judici injiciunt, atque hoc modo bonam causam ab adversario eripiunt,ut quondam de Lucii Cottæ patrocinio conquestus Cæsar cum Dolabellam accusaret; a quo maxime inter cetera abstinere probum Oratorem debere censeo; licet quis possit objicere Demostheni,Demadi,Tullio, quos constat summos,imo principes patronos fuisse, nusquam ductum probro, quod multa in causis peragendis dicendi artificio simularint. Imo vero sic Oratorem a Judice distinxisse; quod Judici id quod verum erat amplecti esset necesse, Oratori autem satis, quod verisimile.

Sed his,quæso,Dii meliora: Demosthenem enim Tulliumque fateor primarios fuisse dicendi artifices, sed non æque probos; sæpe venalis eorum lingua, imo ipsum silentium. Atque etiam nego, istam Judicis & Advocati differentiam, circa verum & verisimile, inter bonos & graves sustineri posse; licet Tullius ipse ex auctoritate Panætii eam firmaverit: etenim semper duxi patroni eloquentiæ nullam adesse posse gratiam, si nonadsit veritas; nec qui non vere dicit, eum posse bene dicere. Et ideo recte Antiqui, dum Mercurium veritatis antistitem effingebant, illius statuam non nisi ex marmore, aut dura alia materia, & in basi cubica efficiebant; his certe firmitatem orationis veræ indicantes. Si enim veritas alicubi desideretur, ea præsertim in judicio exspectari debet;cum videlicet judicium sit instar pudicæ cujusdam virginis; pudori autem atque judicio secundum naturam odio mendacium sit; quod sic Plato extulit eleganter lib. 2. *de Leg.* παρθένος γὰρ αἰδὼς δίκη λέγεταί τε καὶ ὄντως εἴρηται, ψεῦδος δὲ αἰδοῖ καὶ δίκῃ νεμεσητὸν κατὰ φύσιν. Unde & qui olim in tabulis pinxere justitiam, ei semper veritatem adjunxere, ut perpetuam indissolubilemque consortem. Cum falso etenim, cum mendacio, cum errore, justitiæ nusquam commercium; hinc etiam idem Plato, ut & ceteri Auctores Græci, his vocabulis δικαίως & ἀληθέως promiscue sunt usi, quasi ejusdem significatus. Nec ipsi vero tantum, sed & Latini quoque, verum pro justo aut æquo usurparunt, ut passim Tullius, Salustius, & alii ejusdem notæ celebrioris; adeo ut cum Ulpianus noster in *l. 1. §. familiæ. ff. de vi arm.* dixerit VERIUS EST, id accipiendum duco pro æquius est. Nullum igitur Advocato majus dedecus potuit contingere, quam si mendax ipse teneretur: quippe nihil interest inter perjurium & mendacem. Nam qui semel a veritate deflexit, hic non majore religione ad perjurium quam ad mendacium perduci consuevit.

Cæterum contra Advocatum, qui contemta juramenti religione quid deliquisset, advocationis interdictio pœna solemnis erat, qua videlicet silentium, vel in perpetuum, vel in tempus irrogabatur; ut videre est ex legibus Imperatorum & Jurisconsultorum [1]. Quinimmo eadem illum insequebatur pœna, si inopia allegationum inter orandum contumeliis lacessisset adversarium, ut Valent. rescribit [2], & adnotat Marcellinus *lib.* 30.

CAP. XVIII.

De Scribis & ceteris Apparitoribus.

Corpus ipsum humanum absque anima & membris, quid quæso aliud esse diceres,quam difforme inutileque pondus? num & vere idem dicere posses de Judicio, quod sine consilio, sine Scribis, sine Apparitoribus? Ita sane: Judicium enim a Tullio *pro Cluent.* satis scite & convenienter corpori æquiparatur humano;adsunt enim ei Adsessores, Advocati,Procuratores, Scribæ, Apparitores, & denique Judex ipse, a quo, velut a mente corpus, ista reguntur & administrantur.

Quid igitur si caput pedum, aut manus aurium vel linguæ munere fungerentur: num id omnino portentum esset? Judex similiter si Scribæ & Apparitoris officium simul cum suo obiret: num & id inconcinnum esset, inordinatum & difforme? Esset proculdubio. Et ideo prudenter Majores isti Scribas & Apparitores quasi judicii faciendi viva quædam instrumenta instituere, & institutis voluere Judices uti in omnibus judiciorum exsecutionibus; adeo ut si quis olim Judex, omissa Scribæ vel Apparitoris opera, ipse quid fecisset egissetve, non modo id irritum fiebat; verum & ipse Judex mulctabatur, atque etiam extra ordinem plectebatur, si id in causa publica vel criminali. Etenim C. Cor-

1 L. rem. non novam. C. de Judic. l. 2. C. de jurejur. propt. cal. 2 Auth. de postul.

1 L. 1. C. de post. l. moris. ff. de pœn. 2 L. 6. C. eodem.

nelius Tribunus majestatis ideo accusatus, quod dum vellet invito Collega legem promulgare, Scriba non valente eam legere palam, ob Globuli prohibitionem, is ipse legisset, publicasset, ut Tullius refert.

Hincque puto Veteres istos Judicem effinxisse instar trunci, vel termini cujusdam, absque brachiis, pedibus, atque etiam oculis; nimirum non tantum ut indicarent abstemium eum esse oportere & inflexibilem; sed & ut ostenderent ceteras sui partes esse Scribas, Apparitores, Lictores, quorum videlicet opera & ministerio leges & judicia exsequeretur. Quid enim quæso de Judice diceremus, si postquam fustibus aliquem jussisset affici, idem ipse lege ageret, virgasque sumeret? nonne B id omnino indecens, imo vero injustum? Ea namque de causa Chariclidæ pater [1], Athenis injuriarum ab eo accusatus, quem celsiorem quam suæ esset conditionis locum in theatro occupantem, ipse Prætori filio assidens detrusisset, cum per ministrum id potuisset facere, merito damnatus. Similiter Posthumium Tribunum militum apud Livium *lib.* 4. legimus, *lapidibus ab exercitu suo coopertum, quod cum ad vociferationem eorum, quos necari sub crate jusserat, concursu facto, ipse ad interpellantis pœnam vecors de tribunali decurrisset*. Et fane Dii ipsi nunquam admovent nocentibus manus, quibus nimirum imperium satis est. Idem quoque C Judicibus faciendum, cum & Deorum vices gerant.

Jam vero tempus est, ut de his antiqua quædam hoc loco dispiciamus; initio facto a Scribis, ut & eorum ordo inter ceteros honestior, quippe qui Tribunorum ærarii ordini proximus erat: atque ideo Ciceroni ordo honestus dictus 5.*Verr.* quod nimirum eorum fidei tabulæ publicæ & pericula Magistratuum committerentur; licet tamen Romanis non æque ac Græcis fuerint in honore; nam apud Romanos mercenarii habiti; apud Græcos vero, nemo nisi honesto loco, & fide, & industria cognita admissus, ut Probus auctor est in D *Eumene*. Præterea apud Romanos, non tam fuisse honestos, argumento est, quod eis ad majores honores difficilis fuerit aditus; ut Piso addocet, dum sic apud Gellium *lib.*6. *cap.* 9. de Cn. Flavio Scriba: *Cneus Flavius* (inquit) *patre libertino natus scriptum faciebat: isque in eo tempore Ædili curuli apparebat, quo tempore Ædiles subrogantur, eumque primæ tribus Ædilem curulem renuntiaverunt. At Ædilis, qui comitia habebat, negat accipere, neque sibi placere, qui scriptum faceret, eum Ædilem fieri. Cn, Flavius dicitur tabulas posuisse, scriptu sese abdicasse: isque Ædilis curulis factus est*. Cum itaque E Scribas hujusmodi honestos Tullius appellaverit: id quidem accipiendum puto respectu aliorum Apparitorum, quod videlicet eorum munus & officium ceteris erat honestius. Nam simul cum Magistratibus versabantur in rationibus monumentisque publicis, ut idem Tullius indicat locis compluscilis [2]; quin etiam leges quodammodo in manibus habuisse, & Magistratibus jus suggessisse ostendit lib. 3. *de Legibus*, cum ita scribit, *animadverto quoque in Magistratibus ignoratione juris sui, tantum sapere, quantum Apparitores velint*. Quod de Scribis esse dictum aperte Plutarchus indicat in F *Catone Uticensi*, cum Catonem Uticensem scribit, postquam quæsturam iniisset, ministros & Scribas coercuisse: qui publicas tabulas legesque tractantes, cum adolescentes nacti essent quæstores novos quibus apparrerent, iique propter inscitiam doctoribus & magistris egerent, auctoritate illis non cedebant, sed ipsi erant Magistratus. Eos igitur

[1] Demosth. *adversus Mid.* [2] Orat. *pro Domo sua*, & Orat. *in Pisonem*.

A Cato Apparitorum loco, ut erant, tractavit; Scribisque ut ministris utendum statuit, cum alios fraudis, alios inscitiæ insimularet; sed cum illis Catuli Censoris & Collegarum Catonis auxilio usi, resisterent; Cato principem inter eos defraudatæ hæreditatis crimine convictum, ab ærario expulit; alterum de inertia postulavit.

Eorum præterea erat in apacis * sedentium, aut Magistratuum in Urbe, aut Potestatum in Provinciis, e tribunali decreta, veluti e tripode oracula, excipere, ut addocet alicubi [1] Modestinus; nec ea tantum, sed etiam Patronorum actiones; unde Suetonius in *Julio* cap. 55. *Orationes* (inquit) *aliquas reliquit, inter quas temere quædam feruntur; ut pro Q. Metello, quam non immerito Augustus existimat magis ab Actuariis exceptam, male subsequentibus verba dicentis, quam ab ipso editam*. Et ab hoc munere, ut Actuarii, sic & Notarii interdum dicti, quod videlicet notis quibusdam, vel compendio quorumdam punctorum, verba currentis orationis comprehendebant; qua de re sic Seneca *Epist.*lib 3. *quid loquar verborum notas, quibus quamvis citata excipitur oratio, & celeritatem linguæ manus sequitur;* quo etim pertinet illud Plinii, dum *lib.*1.*ep.*10. Atrio Clementi scribit, *se pro tribunali sedere, & litteras, sed illiteratissimas* pingere. Per litteras enim illiteratissimas, quin notas Plinius intellexerit, nemo dubitavit, qui non ignorat notas non esse litteras Paulum scripsisse; de his etiam notis Poeta meminit Christianus, cum sic de Cassiano martyre,

Verba notis brevibus comprendere cuncta peritus, &c.

Et item Martialis, cum scribit *lib.* 24. *epigr.* 208.

Currant verba licet, manus est velocior illis;
Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

Postremo illud notandum etiam Scribarum munus fuisse, transcribere ea quæ acta fuerant, ut nimirum partibus ederentur; quod aperte Cassiodorus docuit ad Scribam Ravennatem scribens epist. 21. lib. 12. *Variar.* ubi de Scribarum munere & officio permulta: *Pascat te* (inquit) *edictio decora veritatis; facultas tua habeatur integritas. Da petentibus, quæ olim facta sunt. Translator esto, non conditor antiquorum gestorum. Exemplar velut annulum ceris imprime: ut sicut vultus expressa non possunt signa refugere, ita manus tua ab authentico nequeat discrepare*.

Porro Scribarum olim denominationes variæ; aut enim quæstorii, aut prætorii, aut ædilitii, aut prætidiales dicebantur; prout videlicet Quæstoribus, Prætoribus, Ædilibus, Præsidibus apparebant. Erant & navales quidam Scribæ, qui (ut est apud Festum Pompejum [2]) *in nave apparebant, & inter aliud genus Scribarum minimæ dignitatis habebantur; quod periculis quoque eorum ministerium esset objectum*. Sed hæc quidem de Scribis sufficiant.

Quantum vero ad alios Apparitores attinet, Accensos, Lictores, Præcones; de his quædam jam supra, cum de Magistratuum insignibus ageremus: quibus & hæc libet addere; hos quidem Scribis fuisse inferiores, cum ratione muneris, tum quod ex Libertinis eorum ordo consisteret; ut apud Tacitum videre est lib. 13. *Annalium*, ubi de Libertinorum disserit ordine. Et etiam apud Tullium *Epist. ad Quint. fr.* epist. 1. lib. 1. dum sic de Accenso, *Accensus sit* (inquit) *eo etiam numero, quo eum Majores nostri esse voluerunt: qui hoc non in beneficii loco, sed in laboris ac muneris, non temere nisi libertis suis deferebant; quibus illi quidem non multo secus ac servis imperabant*. De Accensi vero munere, præter quæ supra, hoc etiam sciendum; illius fuisse officium, non solum ut ac-

* Leg. videtur, *abacis*. [1] L. 32. ff. ex quib. causis major. [2] In *navali Scriba*, *fol.* 17. fragm. Farn.

ciret ad Prætorem qui jus poſcerent; ſed etiam ut moleſtis interpellationibus ſilentium imponeret; quod idem Tullius indicat, & eodem loco, cum ait; *His rebus nuper Cn. Octavius jucundiſſimus fuit: apud quem primus Lictor quievit, tacuit Accenſus; quoties quiſque voluit dixit, & quam voluit diu.*

De Lictore autem & Viatore, etiam ſupra ſatis abunde dictum: adeo ut & alia addere onus potius ſit quam honos. Hoc unum jam reſtat ſciendum, eoſdem Præſidibus in Provinciis, qui Prætoribus in Urbe, Scribas fuiſſe & Apparitores. Sed qui illis apparebant bello confecto Punico, Brutii fere fuerunt omnes; unde Bruttianos dictos tradit Gellius; qui *cap.* 3. *lib.* 10. cauſam exponens, *cur quendam a Bruttianis verberatum Cato dixiſſet*, ait: *Romanos ægre paſſos, Bruttios populos, primos totius Italiæ, ad Annibalem deſciviſſe, pulſis victiſque Pœnis, Bruttios ignominiæ cauſa nec milites ſcripſiſſe, nec pro ſociis habuiſſe; ſed Magiſtratibus in Provincias euntibus parere & præminiſtrare, ſervorum vice juſſiſſe: quod autem ex Brutiis eſſent, Bruttianos ideo appellatos.*

Hucuſque igitur, adjuvante Deo, prima hujus Tractatus pars, quæ de Judicibus, & iis qui judicia olim fecere, expoſita. Nunc ad alteram progrediendum, quæ de modo & ratione faciendi judicii; ſi tamen prius de Arbitris quædam dixerimus; ſepe etenim ipſi aditi prius quam res in jus deduceretur.

CAP. XIX.

De Arbitris.

PUlchre equidem Plato lib. 12. *de Legib.* ubi diſſerit de judiciorum gradibus, vult litigatores imprimis, & antequam in jus adeant, per Arbitros aut domeſticos pacis ſequeſtros experiri, num ita facile & amice poſſent eorum componi diſſidia: *Δικαστηρίων δὲ τὸ μὲν πρῶτον*, inquit, *αἱρετοὶ δικασταὶ γίγνοιντ' ἄν, οὓς ἂν ὁ φεύγων τε καὶ ὁ διώκων ἕλωνται κοινῇ διαιτηταὶ δικαστῶν τοὔνομα μᾶλλον πρέπον ἔχοντες.* Quod ipſum video Romanis in uſu fuiſſe, Livio auctore *lib.* 4. dum ait, *cum res ſeragi intra parietes nequiviſſet, ventum in jus eſt*; atque etiam Cicerone *pro Quintio*, cum ſcribit, *nonne ſi quid in controverſiam veniret, aut intra parietes, aut ſummo jure experiretur*: & *pro Cæcina*, *ea judicia, quæ diſtrahendarum controverſiarum cauſa reperta ſunt, perſæpe diſceptatore domeſtico diſceptabantur.*

Pulchre, inquam, hoc inſtitutum; nulla etenim humanior finiendi diſſidii ratio, moduſque, quam is quem ſine ſtrepitu, ſine impenſarum mole, ſine ſudore, & ceteris fori carnificinis, compacto partes ſibi conſtituunt. Heu! quam miſerum (exclamabat antiquus ille Orator) ex agro homines traduci in forum; ab aratro ad ſubſellia; ab uſu rerum domeſticarum ad inſolitam litem atque judicium! Ea enim non modo ſingulos, ſed etiam ſæpe univerſas familias everterunt. Adeo ut non immerito Iſocrates in *Areop.* laudaret priſcos Athenienſes, quod forum fugerint, nec eo deſcenderint unquam, niſi coacti, & magno cum pudore; nec diſpari ratione Cyrum ipſe Xenophon in *Cyrop.* extollit, quod ſuppreſſis Judicibus, everſiſque foris, omne judicandi munus rejeciſſet in Arbitros.

Ideo non mirum, ſi tam raræ tunc temporis lites, aut ſaltem breves: hac vero tempeſtate tam frequentes, tam annoſæ; lis naſcitur, pertinacia nutrit controverſiam; tantumque abeſt, ut hodie ad noſtras componendas finiendaſque lites recurramus ad domeſticos iſtos caduceatores: ut ſi quod ſit importunum & a penate remotum auditorium, huc trahamus adverſarium, quo magis ex animi malitia laceſſere eum poſſimus; tanta denique nobis pertinacia, ut ſimul ac coalitum animo diſſidium, animum prius perdere, quam pacem & reconciliationem velimus. Liceteque nos idem ac adverſarium inſequatur languor, eademque miſeria; jucunde tamen perimus, jucunde labimur, modo ſimul ipſe pereat & collabatur. Hujus vitio affectus cauſam dum exquiro, vitæ noſtræ agnoſco impuritatem corruptoſque mores: quibus rurſum offenſa ipſa divina *ἄτη* violatæ vindex juſtitiæ, animis noſtris tantum immittit flagitium; de ea enim ſic Heſiodus *ἔργ. καὶ ἡμέρ.* verſ. 221.

—— κακὸν ἀνθρώποισι φέρουσα,
Οἵ τε μιν ἐξελάουσι, καὶ οὐκ ἰθεῖαν ἔνειμαν.

—— malum hominibus adferens,
Quique ipſam expellunt, neque recte diſtribuunt.

Sed dolor iſte ex malo tanto tranſverſum me agit. Redeo ad noſtros Arbitros.

Arbitri igitur fuere, vel compromiſſarii, qui compromiſſo facto, interpoſita ſtipulatione pœnæ, deligebantur a litigatoribus, ſi ſententiæ non pareretur; vel honorarii, quibus ſine compromiſſo rei cognitio deferebatur. Præcipue vero in judiciis bonæ fidei, eiſque in rebus, in quibus boni viri arbitratu & interventu opus erat, Arbitri ſumebantur. Itaque in his, quæ bonæ fidei erant, adverſarium, a quo aliquid contra bonam fidem factum querebantur, Arbitrum dare cogebant; quod arbitrium adigere * dicebant; Cicero lib. 3. *Offic.* cap. 16. *Arbitrum illum adegit*; QUICQUID SIBI DARE, FACERE OPORTERET EX FIDE BONA: & alibi, *aquæ pluviæ arcendæ adigere non poſſis Arbitrum*: quod eſt, interprete Pompejo, dare cogere.

In deligendis autem Arbitris, non multum olim fuit negotii; quilibet enim Arbiter eſſe poterat qui pollebat judicio, nec multum intererat, *ingenuus quis, an libertinus fuerit, integræ famæ, an ignominioſus*: ut ex Pedio & Pomponio Ulpianus [1] reſpondit. Servus tamen Arbiter eſſe non poterat, ut nec pupillus, nec furioſus, aut ſurdus, aut mutus: ceteri vero omnes poterant; nec enim Romani eam expectabant canitiem, quam Græci; quibus nimirum nulli poterant eſſe Arbitri, niſi qui ſupra ſexaginta annos nati erant, ut eſt a Polluce & Suida traditum.

Porro & id quoque notandum, eo maxime diſtingui Arbitrum a Judice; quod videlicet Arbitri munus voluntarium liberumque fuerit, unde & nonnullis honorarium dictum; Judicis vero munus omnino neceſſarium, hincque a noſtris mercenarium dictum. Recepto tamen arbitrio, cogi poterat eo perfungi: turpe enim fuiſſet decipi eos, qui illum quaſi bonum virum, diſceptatorem inter ſe elegiſſent, poſtquam nudata ei utriuſque intima & aperta ſecreta negotii, ut Juriſconſultus ait. Cogi (inquam) Arbiter poterat, vel dictione multæ, vel retentione corporis, vel captione pignorum: quæ, ni tandem obtemperaſſet, ex antiquo ritu palam confringebantur & ſcindebantur, ut ſcribit Tullius. Græci vero hac in re Romanis erant acerbiores: nam Arbitros, quos ipſi *διαιτητὰς* vocant, arbitria adimplere cogebant, propoſita infamia, ut Pollux notat; liceteque id tantum de his dixerit Arbitris, qui ex Lexiarchicis tabulis quotannis ſorte educebantur: id ipſum

* Alii, *ad arbitrium adigere*. [1] L. 7. ff. de recept. arbitr.

tamen etiam de Arbitris compromissariis fuisse Ulpianus scribit *in Midianam Demosthenis*. Romanis tamen certi excepti casus, quibus in Arbitrum Prætori nullæ vires erant; puta si Consul fuisset, qui arbitrium recepisset, vel alius major Prætore, vel ipsi æqualis Magistratus; superiori enim fasces submittebat Prætor; & in æqualem nullum ei imperium. Item si Sacerdos electus Arbiter fuisset; eum enim a Prætore cogi omnino inhonestum videbatur propter majestatem Dei, cujus e sacris Sacerdotes quocunque casu avocare piaculum erat: ut pie Paulus [1] scripsit: & ad quem belle accommodari potest, quod Tullius *Phil.* 2. scribit: *Pub. Crassum Consulem & Pontificem maximum, Valerio Flacco collegæ & Flamini Martiali mulctam dixisse, si a sacris discederet, & ad bellum cum Aristonico proficisceretur; & eam quidem mulctam Flacco Populum remisisse, sed Pontifici Flaminem parere jussisse*; hoc est, jussisse, ne Flamen e sacris discederet, & tamen ipse Pontifex maximus ad id bellum profectus est, quod antea nunquam factum erat, ut Livius scribit *lib.* 59. nimirum quia Pontifex maximus non ita sacris adstringebatur, ut Sacerdos, ut Flamen. Ceteros, ut brevior sim, omitto casus, quibus Arbiter cogi non poterat; tibi enim, Lector, adsunt apud quoddam Pauli responsum *tit. de arbit. l.* 16.

Quamvis autem regulariter cogi Arbiter posset; ea tamen perpetuo inter Judicem & Arbitrum mansit differentia, quam supra tetigi; ut nimirum Judici, vel sorte dato, vel ex consensu litigantium, certa, quam non excederet, a Prætore præscripta esset formula; Arbiter vero in ferenda sententia liber esset; Judex enim a formula ne syllaba quidem discedere poterat: Arbitro medium ferire licebat, quod Græci *μέσον βάλλειν*, vel *μέσον τέμνειν* dicebant: quod recte sic expressit Plutarchus lib. 1. *Sympos.* probl. 2. ἐπεὶ δὲ καὶ ταῦτα ἐῤῥήθη, καὶ τὴν κρίσιν ἀπῄτουν οἱ παρόντες, ἔφην ἐγὼ, διαιτητὴς ᾑρημένος, οὐ κριτὴς βαδιεῖσθαι διὰ μέσου. Unde & Arbiter a bonis Auctoribus sæpe medius dicitur, ut apud Marcellinum *lib.* 18. *quasi dirimente quodam medio feciali*; & apud Cassiodorum *Var.* 3. epist. 4. *mediis amicis jurgia atque discordias placabiliter finire dixit*; & apud Horatium pacis & belli medium dici legimus; & denique apud Fabium *lib.* 12. *cap.* 8. *sequestram & mediam litis manum*.

Postremo & illud notandum, non olim in rebus omnibus licitum Arbitros adire; ac primum quidem in liberali causa, *nam & judicio libertatis gravius nullum esse poterat*, quemadmodum Tullius ait lib. 1. *de Orat.* ita & maxima quæque desiderabat tribunalia, veluti Consulis, aut Prætoris, aut Proconsulis, adeo ut nec omnes Præsides provinciales, nisi qui haberent jus Prætoriatus, aut Proconsulatus, de causis hujusmodi potuerint cognoscere; ideoque Plinius cum Præses esset Bithyniæ, non Proconsul, causas omnes, quæ de libertate, de restitutione natalium, & ceteras ad statum pertinentes, scribit integras remisisse ad Principem; quod nimirum per senatusconsultum earum cognitio ei ut Præsidi interdicta erat. Nam & ab initio causæ status, ut quæ de capite erant, certis tantum permissæ fuerunt Magistratibus stante Republica. De his Decemviri cognoscebant, ut Tullius scribit *Orat. pro Cæcina* & *pro Domo sua*. Postea Consulibus id permissum fuit. Deinde Diocletianus statuit, ut Procuratores Cæsaris, & Magistri rei privatæ, de servitute & libertinitate cognoscerent, cum id Decio imperante non liceret [2]. Ad extremum Constantinus notionem illam omnem Prætoribus attribuit.

Nec præterea sumi Arbiter poterat in quacunque causa publica & populari, quod videlicet ipsis inordinatum videretur & injustum, eas actiones, quæ jus publicum vel populi tuerentur, hujusmodi domesticis committi Arbitris. Licet autem potuerint sumi in causis famosis, quæ ex contractibus proficiscerentur, veluti socii, depositi, mandati, tutelæ; non tamen eorum sententia irrogabat infamiam, quia ea res tribunal desiderabat.

Qua in re Romanos video Græcis longe religiosiores; si * enim & in causis status & publicis Arbitros adibant: quod testatur Demosthenes *Orat. in Neæram*, ubi Satyrum, Sabriam, & Diogitonem scribit electos a Phrynione & Stephano Arbitros, super lite, quam hic Phrynioni intenderat, quod ad se Neæram in libertatem arripuisset, posteaque re cognita, istos sententiam tulisse mulierem istam liberam esse; quod & *Orat. in Aphobum* 3. indicat, dum Archeneum scribit, & Dracontidem, & Stephanum Arbitros aditos ut de falso testimonio sententiam dicerent. Quanquam tamen lex Solonis de Arbitris, quæ apud eundem exstat scripta, tantum sit de Arbitris sumtis, περὶ συμβολαίων ἰδίων, id est, *de contractibus privatis & propriis*, sed aut postmodum neglecta ista fuit; aut certe loci illi Demosthenis deberent intelligi de sorte lectis Arbitris, non de compromissariis; illorum enim publicum quodammodo erat officium: nam & annui erant, & sedebant in Heliæa [1]. Et hæc sunt quæ de Arbitris præcipue notanda duximus.

CAP. XX.

De Vocatione in jus.

Actori adversarium, qui per Arbitros, aut domesticos disceptatores, rem transigi componique noluisset, licebat juris sui experiundi causa in jus vocare, id est, in locum, in quo sella curulis erat, & tribunal Prætoris; Prætoris, (inquam) aut Præsidis, non pedanei aut delegati Judicis: cui ut nec jurisdictio, nec tribunal erat; ita & locus, in quo cognoscebat, jus dici non poterat; vocato autem sequi omnino necessum erat; nam detrectantem ire, attestationis medio trahere, imo rapere actor poterat, obstricta cervice, obtorta gula: &, ut est in Terent. *Phormione* Act. 5. Sc. 8. vers. 59. *pugnis in ventrem ingestis*. Sic enim in lege Decemvirali cautum erat, *si vis vocationi fuat, antestaminor: nei it, aurem capito antestati: si calvitur, pedemve struit, manum endojacito*. Ubi *fuat* more prisco, pro fiat accipe: & *antestari* Græcorum exemplo, pro τὸ προμαρτύρεσθαι, id est, *testes aliquot ante advocare*: *calvitur* pro moratur, frustratur: *pedem struit*, pro φεύγει: & *endojacito* pro injicito.

Attestatio autem seu antistatio ista sic fieri solebat, auriculam imam actor unius e superstitibus attingens, sic eum interrogabat, licet antestari? qui si respondisset, licet, manus in adversarium injiciebantur, in jusque hoc modo trahebatur; quod indicat Horat. lib. 1. *Sermon.* sat. 9. in hæc verba:

——casu venit obvius illi
Adversarius; & quo tu turpissime? magna
Exclamat voce, & licet antestari? ego vero
Oppono auriculam: rapit in jus, clamor utrinque,
Undique concursus.

1 L. non distinguemus. ff. de recep. arb. 2 L. 4. ff. si. lib. inge. esse. l. penult. C. ubi caus. stat. l. 2. C. eod. l. 1. C. de off. Præt.

* Videtur leg. *bi*. 1 Orat. cont. Midiam, & Orat. in Evergum.

Cui adstruit Plautus in *Persa* Act. 4. Sc. 9. vers. 8. his verbis:

——D. Quid me in jus vocas?
*S. Illi dicam * Prætorem dicam, sed ego in jus voco.*
D. Nonne antestaris? S. Tuan' ego caussa carnufex
Cuiquam mortali libero aureis atteram.

Ideo vero necessaria erat ista attestatio, ne tam libere & sine justa causa sic in reos sævirent actores: adeo ut si olim ea non interposita manum injecisset actor, injuriarum reus constitui posset: unde illud Plauti in *Curcul.* Act. 5. Sc. 3. vers. 17.

Hoccine pacto indemnatum atque intestatum me arripi?

Forte eorum morem imitabantur, qui debitas pecunias solvunt: nam illi solent ambitiose multos bonæ suæ fidei testes adducere; quod sic Demosthenes eleganter expressit *Orat. contra Phormionem:* Ἴστε γὰρ δήπου πάντες, ὅτι δανείζονται μὲν μετ' ὀλίγων μαρτύρων· ὅταν δ' ἀποδιδῶσι, πολλοὺς παρίστανται μάρτυρας, ἵνα ἐπιεικεῖς δοκῶσιν εἶναι περὶ τὰ συμβόλαια. Si tamen qui vocaretur & improbus esset & intestabilis, ut sunt lenones, fures, & alii id genus, non æque attestatio ista desiderabatur; quod manifestum fit ex supradicto Plauti loco e *Persa*; atque etiam ex eo, ubi Pleusidippum inducit Labracem lenonem in jus vocare: sic enim interrogabat Pleusidippus in *Rudente* Act. 3. Sc. 6. vers. 15.

Rapi te obtorto collo mavis, an trahi?
Utrum vis opta, dum licet.

Cumque se neutrum velle Leno respondisset, subjungit statim Pleusidippus,

Abi sane ad littus curriculo, Trachalio;
Jube illos in urbem ire obviam ad portam † mihi,
Quos mecum duxi, hunc qui ad carnuficem traderent

Et statim subjungit,

Ego hunc scelestum in jus rapiam exsulem:
Age, ambula in jus.

Morem autem hunc quis merito non culpaverit, ut inhumanum nimis, acerbum, & violentum? quis non incivile, imo injustum duxerit, tantam licentiam privatis odiis indulgere? ego profecto magis probo laudoque Atticorum morem, quo nimirum consueverant in jus vocare adversarium; non quidem per se, sed per ministrum quendam, quem ideo κλητῆρα appellabant; vide in *Vesp. Aristophan.* ut & ejus officium κλητεύειν, id est, *antestari, in jus vocare*, unde illa Demosthenis *contra Evergum*, me illum vocasse in jus, οἱ κλήτορες testantur οἱ κλητεύσαντες: & *contra Nicostratum*, veni ad κλητῆρα, qui affirmabat se κεκλητευκέναι, unde & eis actio ψευδοκλητείας, qua utebantur adversus eos, qui reum non citaverant, aut non citaverant legitime. Itaque vocatio hæc apud Romanos modestius peragebatur, quod Romano more sæva multa & inhumana ab actoribus in miserabiles reos fierent.

Hinc constat introductum [1], ne quis parentem, patronum, liberos, parentesque patroni, patronæve, absque Prætoris venia in jus vocaret; ut qui adversus id fecisset, actio pœnalis 50. solidorum in eum converteretur; si quidem eo modo moreque invitum parentem & patronum in jus rapere nefas omnino fuisset.

Similiter quædam aliæ designantur personæ, quæ tum ob istius vocationis incivilem modum, cum ob causas alias, prohibebantur in jus vocari, licet tamen extra pœnam; uti primum erat, qui equo publico in causa publica transvehebatur [1]: cum videlicet Idibus Quintilibus ex Q. Fabii Maximi instituto, singuli Romani Equites curuli insidentes, & equestri insignes ornatu equum manu ducentes, veniebant in forum ad Censores; dum in istum ordinem censionem facerent & impolitias, si equum ab eis aut male curatum, aut male politum invenirent: qua de re sic scriptum invenimus apud Gellium *lib. 4. cap. 12. Item si quis Eques Romanus equum habere gracilentum, aut parum nitidum visus erat, impolitiæ notabatur, id est, incuriæ*. Similiter Pontificem, aut Sacerdotem, dum sacra peragerent, in jus vocari piaculum duxerunt. Item eum qui cælibem vitam exuens, uxorem duceret mulieremve dum nuberet [2]; & eum etiam, qui funus duceret familiare, mortuove justa faceret, (ut de Furio Camillo Plutarchus ait) quod per novem fiebat dies, ut Donatus *in Phormionem* & Augustinus *in Genes.* docent, atque etiam Justinianus *Novell.* 115. & 135. Magistratum denique in jus vocare non licitum, ne quidem cum venia; ne videlicet a munere ad lites distraheretur: nam nec Reipublicæ vacare potest, qui jurgio vacat, & videbantur ista minuere majestatem: duci, prehendi posse Magistratum, si quis adversus eum postularet licere antestari: sed an ideo tutus omnino Magistratus adversus crediti fidem? certe iniquissimum fuisset majestatem publicam obtentui esse privatæ perfidiæ, indeque injuriam nasci, unde jura reddi oportuisset. Sed narrat Valerius, cum L. Cotta Tribunus plebis fiducia sacrosanctæ potestatis creditoribus suis non satisfecisset, *Collegium Tribunorum decrevisse, ut si pecuniam non solveret, daretur, cum quo sponderetur, se creditoribus auxilio futuros*.

Quod autem diximus Magistratum in jus vocare non licuisse, non de omni Magistratu debet intelligi, sed de his duntaxat qui majora auspicia, qui imperium, qui potestatem habebant, ut Prætores, Consules, Censores, Tribuni plebis: non autem de minoribus Magistratibus, qui sine imperio & potestate erant, ut Triumvir, Quæstor, Ædilis; quod Gellius ex auctoritate M. Varronis docuit, adducto exemplo M. Lævinii Ædilis, qui a privato in jus deductus est, *pronunciatumque videri Ædilem sine fraude in jus ad Prætorem vocari posse*. Tandem vero sub Imperatoribus sensim ab hoc jure recessum: hoc tamen Magistratibus concesso, ut nisi ad certos Judices, certaque fora traduci possent, ut postea dicemus. Ex his itaque vides olim non licitum quemlibet passim vocare in jus.

Sed an etiam ex quocunque loco in jus vocare liceret, dispiciamus. Et sane dubitavit nemo, quemlibet potuisse etiam e vinea, e balneo, e theatro in jus vocari, e domo autem sua, plerique dubitarunt an liceret. Et tandem responsum, recte vocari e domo in jus potuisse eum, qui aditum ad se præstaret, aut qui ex publico conspiceretur; at vero invitum vocari & extrahi ex domo, omnino nefas fuisse, ut Paulus & Gajus addocent [3]; quod nimirum domus cuique tutissimum refugium, atque receptaculum sit, & ut ait

* Rep. *apud.* † Rescr. *portum.* 1 L. quinque §. Prætor ait. l. sed si hac lege. §. libertos. & l. in eum ff. de in jus voc.

1 L. 2. ff. eod. 2 L. in jus & seq. ff. de in jus voc. 3 L. plerique l. satisque ff. de in jus voc.

A Tullius *Orat.4. in Catil. commune perfugium*, unde & idem *Orat. in Vat. Miserisne viatorem, qui Marcum Bibulum domo vi extraheret, ut, quod in privatis semper est servatum, id te Tribuno pleb. Consuli domus exsilium esse non posset?* Item *Orat. pro Domo sua*: *Quid est sanctius*, (inquit) *quid omni religione munitius, quam domus uniuscujusque civium? hic aræ sunt, hic foci, hic Dii Penates, hic sacræ religionis cæremoniæ continentur: hoc perfugium ita est sanctum omnibus, ut inde abripi neminem fas sit*. Unde & merito nostri [1] injuriarum eum fecere reum, qui vocatum in jus domo invitum extraxisset.

B Illa autem omnia olim quidem observabantur, si Romanum civem civis Romanus in jus vocasset. Ceterum si cum peregrino manus esset conferenda, nec trahi nec rapi eum in jus passi sunt Decemviri; sed diem duntaxat condici, quod his verbis indicant duodecim Tabulæ, AUT STATUS DIES CUM HOSTE.

Sed & interdum inter cives temperatum fuit a duro isto & acerbo rapiendi more, puta si honestus, aut certe locuples adversarius: tunc enim satis esse ducebant, ei diem dicere, eumque dimittere, modo pœnam promitteret; aut ni prædia possideret, vadesque daret: unde & a Prætore C additum in edicto, *in jus vocati ut eant, aut satis, vel cautum dent*. Sed de antiquo isto vadimonio quædam dispiciamus.

CAP. XXI.

De Vadimonio.

VAdimonium sponsio erat, ad certum diem sistendi se in judicio, vel per se, vel per alium: & qui pro altero vadimonium promittebat, vas dicebatur, Varrone lib. 5. *de Ling.* D *Lat.* teste, atque etiam Acrone, dum sic interpretatur versum hunc Horatianum,

> *Ille datis vadibus, qui rure extractus in urbem est,*

vadibus, (inquit) *id est, sponsoribus: a vadimonio, quod promittit is qui ad judicium provocatur, certo die affuturum; vades ideo dicti, quod qui eos dederit, vadendi haberet potestatem*: quibus & a Porphyrione adstruitur, dum ait, *vades sponsores dici notum est: quod qui eos dederit, vadere, id est, discedere interim liceat*.

Qui ergo vadimonium ejusmodi promiserat, E tanquam ex sponso obstrictus tenebatur; quo alludens Symmachus in *epist. 25. lib. 1. ad Ausonium, nemo est mortalium* (inquit) *quem præ te diligam, sic vadatum me honorabili amore tenuisti*. Tenere vadatum illic, pro obstringere. Sunt autem, qui vadem dici tantum in publicis voluere; in privatis vero prædem, sed eorum apud antiquos Auctores usus promiscuus. Prædem autem dici voluerunt, postquam a Magistratu interrogatus, in publicum ut præstaret, respondisset: ex eoque tempore, & ipse, & prædia sua sponsioni erant obnoxia: unde Asconius in *præ. urban. Prædes* F (inquit) *homines sunt fidejussores, quorum res, bona prædia, nunc uno nomine dicuntur*: & paulo ante, *bona prædia dicuntur, bona satisdationibus obnoxia, sive sint in mancipiis, sive in pecunia numerata*.

Ceterum dubium plerisque visum fuit, an vadandi potestas a Prætore impetranda erat; id enim necessum fuisse, quod immodo videntur indicare illi Plauti versus in *Aulularia* Act. 2. Sc. 4. vers. 37.

> *Pulmentum pridem eidem eripuit Milvius,*
> *Homo ad Prætorem plorabundus devenit,*
> *Infit ibi postulare plorans, ejulans,*
> *Ut sibi liceret Milvium vadarier.*

Contra tamen id sine Prætoris venia fieri vel ex eo potest intelligi, quod cuique liceret ex edicto in jus quemque vocare, præter parentem, patronumve &c. Ipse vero puto, interdum id postulandum esse a Prætore, quod sæpe videam promissa vadimonia ab eo dilata; Juvenalis *Satyra* 3. vers. 212.

> *Si magna Asturici cecidit domus: horrida mater,*
> *Pullati proceres, differt vadimonia Prætor.*

Plinius item *lib. 7. cap. 53. Bebius* (inquit) *repentino mortuus, Judex dum vadimonium differri jubet*. Cicero denique *Orat. pro Quintio, qui, quo tempore primum male agere cœpit, in vadimoniis differendis tempus omne consumserit: qui postea quoque vadimonium missum fecerit*.

Differebat autem vadimonium Prætor, si Judex morbo sontico correptus, interesse cognitioni non posset: Ulpianus [1] *ideo etiam* (inquit) *Lex 12. Tabularum*, SI IVDEX VEL ALTERVTER EX LITIGATORIBVS MORBO SONTICO IMPEDIATVR, IVBET, DIEM IVDICII ESSE DIFFISVM. Et Julianus [2], *morbus sonticus* (inquit) *etiam invitis litigatoribus ac Judice diem differt*. Sonticus [3] autem intelligendus est, qui cujusque rei agendæ impedimento est; Gellius *lib. 20. cap. 1. morbum vehementiorem, vim graviter nocendi habentem, 12. Tabularum scriptores, non per se morbum, sed morbum sonticum appellarunt*.

CAP. XXII.

De pœna deserti vadimonii & contumaciæ.

VAdimonii tanta vis erat, ut deserti pœna interdum esset amissio litis, indicante Horatio *Serm. 1. Sat. 9.* dum ait,

> —— *nunc respondere vadato*
> *Debebat, quod ni fecisset, perdere litem.*

Itemque Suetonio in *Caligula*, his verbis: *Comprehensis ad deportandum meritoriis quoque vehiculis*, &c. *adeo ut & litigatorum plerique, quod occurrere absentes ad vadimonium non possent, causa caderent*. Interdum bona ejus, Prætoris decreto possidebantur, ut postea venderentur; ut in causa Quintiana scilicet, Nævius missus est in possessionem bonorum Quintii, propter Quintii contumaciam deserti vadimonii. Sic enim Cicero *Orat. pro Quint. Ad vadimonium non venerat is, quicum tibi affinitas, societas, omnes denique causæ & necessitudines veteres intercedebant. Illicone ad Prætorem ire convenit? continuone verum fuit postulare, ut ex edicto bona possidere liceret?* Sique per triginta dies continuos missus actor possedisset, nec intra eos quisquam pro reo satisdedisset, poterat jure suo bona possessa proscribere, publice libellis affixis, venalia. Quod & eadem *Oratione* paulo ante confirmat Tullius, dum ait: *Jubet P. Quinctium sponsionem cum Sexto Nævio facere, si bona sua ex edicto P. Burrieni Prætoris dies 30. possessa essent*. Hæc vero, ut opinor, observa-

1. L. qui in domum ff. de injur.

1 L. 2. ff. si quis caut. 2 L. quæsitum est. De re judic. 3 L. morbus sonticus ff. de verb. signif.

bantur, cum magnæ alicujus rei erat controversia.

Frequentius enim hæc vadimonii desertio ita plectebatur, ut si stipulationi certa esset adjecta pœna, ea quidem committeretur: nisi tamen excederet modum statutum in *l.* 4. *§. ult. ff. si quis cautionib.* qui talis erat, ut si actio esset in c. pœna deserti vadimonii non excederet CC. & si actio esset incerti, puta de possessione, vel de capite, modus pœnæ imponeretur arbitrio Prætoris, vel Præsidis. Missio namque ista in bonorum possessionem maxime in eum fiebat, qui contumaciter latitabat, ne in jus vocari posset, nec defendebatur, ut Ulpianus docet [1], & Tullius indicat *Orat. pro Quintio*, dum ait: *Nego fuisse causam cur postularet: nego ex edicto possidere potuisse: nego possedisse*, &c. *edictum pertinet ad eos qui fraudandi causa latitarent: qui in judicio a nemine sunt defensi, qui cum creditoribus suis male agunt*. Litis autem ipsa amissio præcipue eum insequebatur, qui restitans in judicio tergiversationibus uteretur: quique litem contestatione semel inchoatam deserebat: quod erat eremodicium contrahere [2]. Male enim quidam eremodicium confundunt cum desertione vadimonii: nam eremodicium litis contestatæ desertio est; & cujus contrahendi vetus quædam forma a Justiniano traditur [3]; ut nimirum ter citaretur absens legis voce, (ut ipse loquitur) id est, Præconis voce, ut Julianus & Irnerius interpretantur: cui trinæ citationi Præconis postea successit nova forma trium edictorum [4], quibus reus citabatur per singula, intermisso spacio dierum 30. qui si præsentiam sui facere detrectasset, ob desertam litem contestatam damnabatur summatim re cognita, & definitiva sententia. Quod non tantum de reo, sed & de actore debet intelligi Nam antiquo jure [5], actor contumax ea plectebatur pœna, ut postea agere volenti denegaretur jurisdictio, ut Ulpianus tradit [6]: quod & postea nova *Constitutione* Justiniani firmatum legimus.

Ut autem quis vadimonium deseruisse diceretur, talis trium edictorum circuitus non requirebatur. Satis enim erat, se non stitisse judicio ad condictum diem: tuncque pœna committebatur, si quæ fuerat stipulata; aut a Judice pro arbitrio plectebatur, ad vindicandam contumaciam; posteaque denuo evocabatur tabulis affixis, & interdum edictis: qui si pertinaciter sui copiam facere noluisset, causa cognoscebatur: & si contigisset eum condemnari, appellans non audiebatur, in pœnam contumaciæ: cujus quidem & aliæ annumerantur antiquissimæ pœnæ, puta unius ovis: Gellius *cap.* 1. *lib.* 12. *Marcus Varro* (inquit) *verba hæc legitima, quibus minima mulcta diceretur, concepit; M. Terentius quando citatus neque respondit, neque excusatus est, ego ei unum ovem mulctam dico: ac nisi eo genere diceretur, negaverunt justam videri mulctam*. Postea lex Ateria constituit in oves singulas, æris denos: in boves, æris centum: minima autem mulcta ovis erat unius, suprema vero in singulos dies duarum ovium, triginta boum, ultra quam dicere jus non erat, & propterea suprema appellabatur.

Alias etiam contumacia punita fuit pignoris capione: quod Cicero 1. *Philip.* indicat, cum de M. Antonio, qui interminatus fuerat se disturbaturum Ciceronis domum, quod in Senatum non venisset, *quis* (inquit) *unquam tanto damno Senatorem coegit? aut quid est ultra pignus, aut mulctam*.

Apud Athenienses autem longe gravior fuit eremodicii pœna: nam si reus, qui judicio non steterat absentiam suam excusare non posset, neque ad purgandam moram diem adversario diceret, (quod ἀντιλαχεῖν vel ἀντιγράφειν τὴν μὴ οὖσαν vocabatur, & intra decem dies erat præstandum) mille drachmæ adversario solvendæ erant. Quod si idem frustari pergeret, locus erat τῇ ἐξούλης δίκῃ, vel potius γραφῇ, & mulcta publice pendenda.

Porro sciendum est, non omnibus Magistratibus jus fuisse dicendæ mulctæ, sed his tantum quibus publice judicium erat, ut ait Ulpianus [1]. Imo vero olim solis Consulibus id jus erat, sed postea lege Ateria data hæc potestas quibus judicatio erat, id est, qui publice judicium exercere poterant: ceteris autem sola capio concessa pignoris.

Jure autem Romano certæ quædam amissæ sunt excusationum causæ, quibus perpetuo harum pœnarum concessa gratia; puta si quis morbo sontico detineretur, ut supra diximus: vel occupatione majoris causæ, capitalis forsitan & criminalis cujuscunque judicii, ad quod prædicta die sistere se deberet, ut Asconius ait: vel qui ad majus judicium vocatus esset; hos namque contumaces non habitos Ulpianus ait [2]: ubi etiam addit pupillum indefensum, eumque qui Reipublicæ causa aberat, vel etiam minorem 25. annis, contumaces fieri non potuisse; & denique eum non videri contumacem, sed dolo carere, qui ad jurisdictionem ejus, cui negavit obsequi, non pertinebat. Sed & legimus inopiam fuisse aliquando justam exceptionem: nam a Cedreno scriptum est, Basilium Macedonem pauperibus, quibus judicio erat disceptandum, dedisse alimenta, ne inopia coacti vadimonia desererent.

Interdum [3] etiam remittebatur a Prætore pœna, si nihil interesset actoris, eo tempore in jus adversarium venisse, item si feriatus fuisset dies quo vocatus erat, nec venisset, puta messis tempore, aut vindemiarum, omnino excusabatur, imo vero his rebus occupatos in forum compelli nefas videbatur, nisi magnis ex causis. Et hæc quidem de absente reo, & detrectante sui facere copiam, sunt dicta. Nunc vero de præsente dispiciendum, & de his quæ ei ex ordine judicii erant peragenda.

CAP. XXIII.

De fori præscriptione.

De competenti foro ejusque præscriptione ago hoc loco, quia si forsitan reus ad incongruum Judicem citatus fuisset, hoc a limine & ante omnia opponebat. Forum autem supra dixi locum fuisse publicum, in quo Magistratus jus dicebat, vel judicabat: neque vero improbandum quod Isidorus dixit *forus*, non forum: nam & Lucilius & Pomponius Attellanarius sic loquuntur.

Competens autem, vel congruum, vel proprium forum erat, ubi conveniri reus debebat [4]; hujus etenim forum tenebatur sequi semper actor, & in civili & in criminali negotio: puta ubi domicilium habebat, vel ubi tempore contractus habuerat, nisi tamen actor rescripto Principis veniam obtinuisset alio causam evocandi: ut fieri sæpe solitum erat & passim licebat: præterquam si pupilli rei essent, vel viduæ, vel aliæ miserabiles personæ; hoc enim eis ex humanitate indul-

1 L. satis ff. de in jus voc. 2 L. & tertium ff. de jud. l. contra ff. de re judic. 3 Novella LXIX. 4 L. divus ff. de re jud. 5 L. sed & si ff. ex quib. caus. major. l. omnibus ff. si quis jus dicent. non obtemper. 6 L. aut. qui semel. C. quomodo & quando Judex.

1 L. aliud est fraus ff. de verb. signif. 2 L. contumacia ff. de re jud. 3 L. 1. & seq. & l. si dies ff. de fer. 4 L. 2. C. de jurisdict.

tum,

A tum, ut nunquam e foro proprio in aliud trahi possent, ne dum in ipsum comitatum: sed e contra possent ipsæ adversarios ibi traducere, ut in imperiali quadam Constitutione [1] expressum legitur, ubi comitatum ut & alibi [2] intellige, ubi Princeps erat: eo videlicet modo, quo Herodianus *lib.* I. Romam ibi esse dixit, ubi esset Imperator: & miserabiles personas etiam intellige debiles, & quæ morbo sontico laborarent: miserabiles, (inquam) non miseras; siquidem miserum sæpe in malo ducitur. Et inde Hieronymus *in Jovinianum*, cum de scortillis loquitur, miseras potius eas quam miserabiles vocat. Privilegii autem illius B exemplum habes luculentum apud Cassiodorum lib. 4. *Variar.* quod indicasse satis erit, ut fiam brevior.

Porro non tantum ratione domicilii, vel contractus, forum quis sortiebatur congruum, verum etiam ratione dignitatis; puta si reus Senator esset, vel clarissimus [3]; alibi enim conveniri non poterat quam apud majora tribunalia; puta Præfecti Prætorio, vel Præfecti Urbi, vel Magistri Officiorum: ut præter nostros [4], Symmachus lib. 10. *Epistol.* & Cassiodorus indicant locis compluribus; quin etiam Dio & Spartianus scribunt, quosdam Impp. Senatoribus detulisse, ut non nisi in sacro C consistorio conveniri possent. Item si miles esset, forum sortiebatur apud Magistratum militum; alibique conventus, hoc fori privilegio litem poterat ad Judicem suum revocare, nisi in casibus exceptis in Imperatorum Rescriptis [5].

Præterea & ratione rei, & negotii, quo de controversia erat, forum sortiebatur quispiam; puta si rei vindicatio erat intendenda; competens forum ibi esse dicebatur, ubi possessor domicilium habebat, vel ubi res sita erat [6]. Similiter si hæreditas petebatur, quæ vindicatio est universalis: forum congruum erat, ubi possessor domicilium habebat, vel ubi res hæreditariæ sitæ erant [7]. Item si de ratioci- D niis tam publicis quam privatis ageretur, puta de tutela, de negotiis gestis, mandato, societate: forum proprium erat, ubi negotia gesta erant [8]. Item si de statu ageretur, puta de libertate vel servitute: forum competens erat, in Urbe apud Prætorem, vel Consulem, & in Provinciis apud Proconsulem, vel Præsidem, si jus Prætorium vel Proconsulare haberent. Item [9] si de re fiscali ageretur, puta de bonis fisco delatis, de caducis, vel de pœna pecuniaria inferenda fisco ex contractu [10]: forum competens erat apud Procuratorem Cæsaris, vel Rationalem rei privatæ Cæsaris, cujus cognitio præcipue de istis civilibus, non etiam de criminali- E bus, quia merum imperium non habebat [11]; nisi tamen vice fungeretur Præsidis, ut Pontius Pilatus in Syria erat Procurator Cæsaris cum jure Præsidiali [12].

Igitur si reus alibi quam in congruum hujusmodi forum vocatus fuisset, istam fori præscriptionem opponebat, qua nimirum litem ad suum revocaret Judicem [13].

Attici autem eam præscriptionem sive exceptionem vocarunt παραγραφὴν, eaque etiam usi, teste Polluce, & Ulpiano, quoties contendebant, male se in hoc, vel illud forum introductos; sin- F gulis enim foris singulisque Magistratibus certa causarum præfinita erant genera; & quæ non alibi quam apud ipsos poterant disceptari: puta Thesmothetis commissæ erant quæ de peregrinitate, de donis, de calumnia, de falsa citatione, de falsa relatione, de contumelia, de nomine deleto, de adulterio: ut in antiquis eorum legibus proditum videmus, apud Demosthenem [1] & alios [2]: & Archonti etiam delegatæ erant, quæ de mala tractatione, ebrietate, divisorum electione, tutela pupillorum, tutorum constitutionibus, de hæreditatibus, & puellis hæredibus, ut Lysias *Orat. contra Alcibiad.* Isæus *Orat. de hæreditate Philoct.* & Demosthenes *Orat. contra Macartatum* etiam testantur.

Polemarcho item causæ omnes, quæ inter cives & μετοίκους & ἰσοτελεῖς incidebant, ut *Vesparum* Interpres docet ex Aristotelis Commentariis, atque etiam Lysias in *Oratione contra Pancleonem*. Prætori item urbano datæ quæstiones, quæ ἀντίδοσις, τριηραρχία, ἀπόφασις, & ἀστρατεία dicebantur, & ceteræ, quæ ad rem bellicam attinebant, ut apud Demosthenem *Orat. de antidosi*, & Lysiam *Orat. contra Alcibiadem de neglecta militia*, legimus. Item Agoranomis specialiter demandatæ causæ, quæ de negotiatione & nundinatione erant, ut Ulpianus addocet *in Timocratem Demosthenis*, & Lysias *in frumentarios*; & præterea idem apud eos fuisse observatum in causis publicis, ostendam posteriori libro, ubi de criminibus. Iis itaque necessaria erat ista παραγραφὴ sive exceptio, si pro controversiæ aut negotii qualitate ad incongruum forum fuissent citati.

Notandum autem est, opponi præscriptionem illam oportuisse ante litem contestatam; lite enim contestata Judex reddebatur competens: ni tamen actor invitum reum in forum pertraxisset incompetens, fretus forsitan militari exsecutione; hoc enim casu poterat causa revocari, eaque cadebat actor, in pœnam vis ab eo illatæ. Nec vero litis contestatione tantum Judex fiebat competens; verum & si partes se ejus jurisdictioni subjecissent [3]. Dico quidem jurisdictioni; nam non habenti jurisdictionem, privato homini qui se subjiciebant, nihil agebant; privatorum enim consensus facere eum Judicem non poterat, qui nulli præerat judicio [4].

CAP. XXIV.

De editione actionis, ejusque postulatione.

SI autem recte & ad congruum forum reus citatus fuisset, seque die dicta coram Prætore stitisset, actori quid imprimis agendum erat? Certe ante omnia eum oportebat reo actionem edere. Id quidem apud Græcos fiebat per κλητῆρα, id est, *citatorem*: & in ipsa citatione, ut Demosthenes indicat locis compluribus [5], relicto penes vocatum reum libello, in quo litis genus, & summa comprehendebatur: ut & fit hodie, eamque vocabant λῆξιν, quasi litis privatæ intentionem; quod & ipse ostendit Demosthenes *Orat.* I. *contra Stephanum*, *Vos jurastis indicaturos* (inquit) *non de quibus vult reus, sed de quibus est ἡ δίωξις, quam oportet ex actoris λήξεως elucere.*

1 L. 4. C. quando imper. inter pup. 2 L. 2. §. ignominia ff. de his qui not. inf. l. milites §. ignominiosa ff. de re milit. 3 L. 1. C. ubi senator. vel clariss. 4 L. 2. C. tit. 23. 5 Tit. C. in qui. caus. mil. fori. præs. ut. 6 L. 1. C. ubi in rem actio. l. unica. C. l. de alien. mut. Jud. 7 L. un. C. si de hæred. ag. 8 L. 2. C. ubi de ratioc. tuum publ. 9 L. 1. C. ubi. causa fisc. 10 L. 3. C. ubi causa fisc. 11 L. 1. C. de pedan. Jud. 12 L. 2. C. de pœnis. 13 L. 3. ff. ad leg. Fab. de pleg. L. ult. C. de off. Procur. Cæsar.

1 Orat. contra Neæram, Orat. contra Stephanum 2. in Æschinem, in Timarchum, in Theocrinem. 2 Isocrates contra Lochiten, Pollux. 3 L. 5. C. de jurisd. 4 L. 3. C. eod. 5 Orat. contra Evergum, & Orat. contra Macartatum.

Romanis autem satis erat, ut dixi, id reo exponere cum ventum esset in jus ad Prætorem; quod aperte constat ex his Plauti versibus in *Persa* Act.4. Sc.9. vers.8.

> Sa. *Age, ambula in jus, Leno.* D *quid me in jus vocas?*
> Sa. *Illi apud Prætorem dicam; sed ego in jus voco.*

Fateor tamen sæpius factum, ut prius actor reo actionem ederet, quam veniret in jus: ut nimirum si contendendum putasset, venisset instructus, *cognita actione qua conventus esset*, ut Ulpianus ait [1]: eamque editionis rationem sic graphice expressit Terentius in *Adelphis* Act.2. Sc.1. vers.38.

> —— *Quid? si ego tibi illam nolo vendere?*
> *Coges me?* Æs. *Minime.* S. *namque id metui.*
> Æs. *Neque vendundam censeo,*
> *Quæ libera est: nam ego illam liberali assero caussa manu.*
> *Nunc vide utrum vis, argentum accipere, an caussam meditari tuam.*
> *Delibera hoc, dum ego redeo, Leno.*

Edere autem erat copiam actionis describendæ facere, vel in libello complecti, & dare vel dictare; eum etiam edere Labeo ait [2], qui producebat adversarium ad album, eique demonstrabat, quid dictaturus esset, vel quo in dicendo uti vellet. Quod autem fuerit album istud multi tradidere, & diverse, sed præ ceteris amplector Rævardi sententiam, existimantis album hoc loco debere accipi, pro albo non quidem edictorum prætoriorum, sed formularum actionum. Ipsæ enim simul ac e Pontificum subreptæ scrinio, publicæ a Prætoribus sunt factæ, palamque descriptæ, ut hinc quisque actionem suam instrueret, quoties quid in jure persequi voluisset: unde & interdum formulæ istæ, legis dictæ actiones. Id vero aperte Tullius indicat *Orat. pro Roscio Comœdo*, dum sic ait: *Fraudabat te in societate Roscius. Sunt jura, sunt formulæ de omnibus rebus constitutæ, ne quis aut in genere injuriæ, aut ratione actionis errare possit. Expressæ sunt enim ex uniuscujusque damno, dolore, incommodo, calamitate, injuria, publicæ a Prætore formulæ*, ad quas *privata lis accommodatur*. Hæc Tullius. Ad hujusmodi igitur album adversarium qui deducebat, ut ei qua dicturus formula esset ostenderet, edere dicebatur.

Porro præter actionem istam, cetera etiam edenda erant instrumenta, quibus in judicio actor usurus erat; sed ista edenda erant, ut in iis, *neque dies, neque Consul apponeretur*, ut Ulpianus ait [3]; quia nimirum verebatur, ne quid inde falsi comminisceretur & fabrefaceret reus, ut puta prælato die, quod Græci προχρονισμὸν vocant, & erat falsi genus.

Nunc vero quemadmodum actor reo actionem, an ita e contra reus actori exceptionem edere tenebatur? minime sane; non enim, ut Glossographus existimat, actionis verbum adeo generale erat, ut & exceptionem complecteretur: siquidem actor instructus & paratus ad agendum venire debebat, certus inquam esse debebat, cum esset in potestate ejus, quando vellet experiri, & ante debebat rem explorare, denique ad agendum procedere; & ita Paulus [4] hoc editionis edictum explicans, nominatim definivit actionis verbo, non contineri exceptionem: quanquam tamen alias, quam in ipso edicto, falsum sit.

1 L.1. §. de ed. 2 L.1. §. edere, ff. de ed. 3 L.1. §. edenda. ff. de edendo. 4 L. verbum §. 1. ff. de verb. signif.

A Verumenimvero aliquando causa cognita reum adversario edere oportebat, puta si reus negotia gessisset actoris; tunc enim omnino æquum videbatur, ut ei rationes reus ederet, quo magis fides intentionis & replicationis suæ probari posset [1]. Similiter si actor suas rationes & instrumenta casu amisisse docuisset, aut in longinquo habere [2]. Indistincte autem fuit hoc in fisco speciale, ut quoties ejus nomine ageretur, si opus esset, reus instrumenta ederet [3].

Edita igitur hoc more actione, eam actor a Prætore postulabat, id est, petebat, ut sibi in ad-
B versarium liceret intendere: quod non quidem passim & tumultuarie Prætor concedebat, sed duntaxat causa cognita. Prius namque videbat, an leges permittebant, an vero prohibebant actionem dari: vel an res, de qua controversia erat, facile de plano, vel per libellum absque longiori judicii circuitu, posset expediri: vel denique an talis esset causa, ut in ea disceptanda suas partes deberet interponere, an vero Judicem dare; unde frequentissima hæc verba in libris nostris, causa cognita actionem dare, causa cognita actionem denegare. Nec vero tantum intentionem actoris, verum & rei depulsionem agnoscebat; alias enim illius im-
C perfecta fuisset notio. Quæ omnia recte Marc. Tullius indicat lib.2. *de Invent.* dum ait, *quodammodo agendi potestas datur, & omnis conceptio privatorum judiciorum constituitur*. Ideoque eadem res bis quodammodo agebatur, apud Prætorem videlicet, & Judicem ab eo datum; sed apud Prætorem quasi velitatio erat; apud Judicem vero quasi justum certamen. Postremo non omittendum, hic etiam apud Veteres istos observatum, ut antequam daretur actio a Prætore, petitor ab interrogatione rei posset incipere, & postea actionem petere; unde & interrogatoriæ actiones dictæ, quæque tandem e tem-
D pore Callistrati in desuetudinem abierunt, cautumque ut ipse ait [4], *ut nemo cogeretur ante judicium de suo jure aliquid respondere*.

CAP. XXV.

De translationibus, sive dilatoriis exceptionibus.

Editam postulatamque actionem reus fere semper conabatur ante judicii constitutionem transferre, propositis nimirum exceptionibus dilatoriis, de quibus Auctor *Rhetoric. ad Herennium*
E lib.1. sic scribit, *ex translatione controversia nascitur, cum aut tempus differendum, aut accusatorem mutandum, aut Judices mutandos reus dicit*. Earum autem causæ præcipuæ (ut singillatim hæc exponam) vel in persona actoris consistebant, vel ipsius rei conventi, vel Procuratoris, vel etiam Judicis. In persona quidem actoris & rei, quando nimirum lege impediebatur rem in judicium deducere, cujusmodi [5] pupillus erat, vel adolescens indefensus: atque etiam [6] filiusfamilias sine voluntate patris: & denique servus: hujus enim ad litigandum [7] idonea non erat persona, quia nec personam habere intelligebatur; imo ne precis quidem offerendæ [8] capax
F erat: idem erat de prodigo, cui bonis interdictum, de furioso, surdo, muto, & mente capto; eorum namque legitima persona non erat standi in judicio, nisi cum curatoris auctoritate; ut & majestatis rei atque etiam repetundarum.

1 Arg. l. non est novum, & l. ult. C. de ed. 2 L. peregre. ff. ed. 3 L.3. ff. de edendo. l. 45. §. neque ff. de jur. fisci. 4 L. 1. ff. de interrog. in jur. fac. 5 L.1. & 2. qui legit. person. 6 L. ult. C. de bonis quæ libe. 7 L. 4. C. de obseq. patr. præst. l. servum. C. de jud. 8 L. 1. C. de precib. Imp. off. 9 L. surd. & l. fatuo ff. de postul. l. f. C. ad leg. Jul. majest. & l. ex judicio. ff. de accusat.

Ex perſona autem Procuratoris translatio opponebatur modo duplici: nam aut omnino Procurator eſſe negabatur, aut eſſe non poſſe contendebatur: negabatur eſſe, [1] veluti cum mandatum non habebat: contendebatur eſſe non poſſe, veluti cum miles eſſet; ſiquidem [2] milites ne pro patre quidem, aut matre, aut uxore, quamvis reſcriptum impetraſſent, Procuratores eſſe poterant: licet tamen eis ſuo nomine experiri & ſuas agere cauſas permitteretur: atque etiam ſi in rem ſuam Procuratores conſtituti eſſent, alienas actiones perſequi; vel etiam ſi mulier [3] eſſet, mulieri enim procuratrix eſſe non licebat: nam ab omnibus civilibus negotiis pudor & verecundiæ ratio prohibet, ut alibi diximus: niſi tamen in rem ſuam & proprium lucrum mandatæ eis eſſent actiones.

Item ſi potentior erat [4]: is enim illegitimus Procurator. Et licet cauſam orare pro quolibet & adverſus quemlibet poſſet, non poterat tamen agere procuratorio nomine adverſus mediocres; quia, ut ait Cajus [5], *potentioribus pares eſſe non poſſunt*. Quod dictum proverbii ſpeciem habet; nam & Pindarus in *Nem.* od.x.

Χαλεπὰ δ᾽ ἔϱις ἀνθρώ-
ποισιν ὁμιλεῖν κρεσσόνων.

Et Heſiodus *Op. & Dies* verſ. 209.

Αφρων δ᾽ ὅς κ᾽ ἐθέλοι πρὸς κρείσσονας ἀντιφερίζειν.

Similiter ſi infamis erat: *nam olim infamis Procurator, aut cognitor eſſe non poterat*; ut dicit Paulus [6], unde & Quintilianus *lib.* 4. *Male petis*; (inquit) *Procuratori enim tibi eſſe non licet: ſed neque illi, cujus nomine litigas habere Procuratorem*: & alio loco, *non licet tibi agere mecum*; *cognitor enim fieri non potuiſti*: item alibi, *non habes jus abdicandi, quia ignominioſo non eſt actio*. Et Fortunatianus reum negat infamem agere poſſe; unde licet intelligere eam exceptionem procuratoriam non tantum opponi propter infamiam Procuratoris, ſed etiam dantis; infamis enim Procuratorem dare non poterat; nam cum *honor eſſet per Procuratorem poſſe litigare*, (ut ait Diocletianus [7]) eo merito infamis indignus judicabatur; ſed exceptio iſta de agentis Procuratoriſque infamia tum ex uſu, tum ex jure [8] ſublata eſt: adeo ut infamis eſſe Procurator potuerit, ſed non certe Advocatus; infamis namque pro alio poſtulare omnino non poterat: Advocati longe major dignitas eſt, quam Procuratoris; *quandoquidem Advocatorum corpus ſeminarium eſt Magiſtratuum*, ut Valentinianus ait *Novella de poſtulat.* Et convenienter Sidonius, *Advocatorum cum finiuntur actiones, tunc incipere dignitates*; Et Ennodius infit, *nota proximitate ſociari Cauſidicum & Senatorem.* Apud Athenienſes in univerſum infames, qui dicebantur ἄτιμοι, arcebantur a foro, nec quicquam poterant apud Judices, aut populum, ut ſcribit Demoſthenes *Orat. adverſus Ariſtogit.*

Ex perſona denique Judicis opponebatur exceptio, ſi ſuſpectus eſſet, ſed non temere, aut inconſulto: omnia enim tentabant, priuſquam proponerent ipſam refutationem; ſi Judicem videlicet iſtum benevolum reddere, ſibique aliqua ratione præparare poſſent; ideo Quintilianus, *ſtultum eſſet* (inquit) *monere, ne quid in Judicem diceretur; ſi namque ſuſpectum habebant, eloquentia conciliabat*: Eloquentia, (inquam) *cujus ea vis*, (ut Caſſiodorus ait) *facere de irato, benevolum; de ſuſpecto, placatum; de auſtero, mitem: de adverſante, propitium*. Si vero id ut de nimis duro Judice & inexorabili ſperare non licebat, poterat reus recuſationem moliri. Fiebat autem olim ea rejectio ſtatim poſt ſortitionem his verbis, HUNC NOLO, ut indicat Plinius in *Panegyr.* dum ait, *ſors & urna fiſco Judicem aſſignat: licet rejicere, licet exclamare*, HUNC NOLO, *timidus eſt*. *Vel interpoſito jurejurando*, his verbis, (ut Aſconius Pedianus docet) *ejero, iniquus eſt*, alio nullo allato ſuſpicionis argumento.

Quod tamen poſtea immutatum fuit; nam & cauſa libello Judici porrecto, vel Judice abſente apud acta Præſidis, vel Defenſoris, vel Duumvirorum declarari, ac plerumque probari debuit, ut & hodie fit: neque etiam quæcumque cauſa paſſim admiſſa, ſed quæ juſta & legitima judicaretur [1]: puta neceſſitudo, quod nimirum adverſarii eſſet conſanguineus, & uſque ad 7. gradum; item affinitas [2], quia ſororius eſſet, vel gener; item inimicitia, ſi inimicus eſſet, licet ex odio non capitali; item ſi adverſario in eadem cauſa eſſet patrocinatus [3]: ut enim eo caſu teſtis eſſe non poterat; ſic nec Judex: item ſi res ſua ageretur; *nemo enim eſt* (inquit Tullius) *qui ſui facti Judex non ſibi ſe, quam alteri æquiorem præbeat*; receptum tamen fuit, ut interdum quis in ſua cauſa judicaret, puta cum de ſportulis judiciariis atque de juriſdictione ejus ageretur [4].

Notandum autem eſt, Judices tantum datos recuſare licuiſſe: quia Magiſtratus non judicabant niſi extra ordinem, ut jam ſæpe dictum; ubi tamen judicarent extra ordinem, non eſt dubium quin recuſari poſſent, vel collegam ſive συνδικαστὴν accipere [5].

Huic denique rei viginti dies ante litem conteſtatam, poſt libelli oblationem, præſcripſit Juſtinianus [6]: ante litem (inquam) conteſtatam, quia qui litem apud ſuſpectum conteſtabatur, tacite cauſis recuſationum, quas in eum adferre potuiſſet, renuntiaſſe intelligebatur. Plura autem de iſta Judicum refutatione libro ſequenti videbis: perſequamur nunc ceteras iſtas translationes.

Cap. XXVI.

De inconcinna Actionis formula, & pluris petitione.

INter translationes etiam relatæ ſunt, quæ de male concepta intentionis formula pluriſque petitione exceptiones a reo initio litis opponebantur. Cicero in *Partition*. *Atque etiam* (inquit) *ante judicium de conſtituendo ipſo judicio ſolet eſſe contentio, cum aut, ſit-ne actio illi qui agit, aut jam-ne ſit, aut num jam eſſe deſierit, aut illa-ne lege, his-ne verbis ſit actio quæritur; quæ etiam ſi antequam res in judicium venit, aut concertata, aut dijudicata, aut confecta non ſunt: tamen in ipſis judiciis permagnum ſæpe habent pondus, cum ita dicitur, plus petiſti, ſero petiſti, non fuit tua petitio, non a me, non hac lege, non his verbis, non hoc judicio.* Idem 2. *de Inventione: Nam & Prætoriis exceptionibus multæ excluduntur actiones, & ita jus civile habemus conſtitutum, ut cauſa cadat is, qui non, quemadmodum oportet, egerit.*

De concipienda quidem intentione ex civili ſolennique formula, jam ſupra *c* 24. annotavi quædam; nec etiam plura hac de re dicere mihi eſt cordi, ne

1 L. inter quos §. 3. ff. de damno infecto. 2 L. filius fam. §. veterani. ff. de Procur. l. milite C. eod. 3 L. neque fœmina ff. de Procurat. 4 L. 4. C. eod. & tot. tit. C. ne liceat potent. & l. quiſque C. de poſtul. 5 In l. 3. ff. de alien. jud. mutand. cauſ. fact. 6 Lib. 1. Sent. 7 L. ult. C. de minorib. 8 §. f. Inſt. de except.

1 L. ult. C. de Judic. l. ſi pariter ff. de liber. cauſ. 2 L. non diſtinguemus §. cum quid ff. de recep. arb. 3 L. Prætor. ff. d injur. 4 L. ult. C. ne quis in ſua cauſ. judic. 5 Novell. 13. e 86. 6 Novell. 503.

tempus perdam & oleum, cum & stultum sit (auctore Comico) difficiles habere nugas, & stultus labor ineptiarum: ineptias quidem voco, antiqua illa solemnia, quæ in actionibus constituendis non secus ac in magicis observabantur. Quid enim magis inane & ridiculum, quam ista in vindicationibus manuum consertio, vis festucaria, liticula in rem præsentem, glebæ in jus adsportatio, & denique solemnia illa verba vindicantis, EGO ILLVM FVNDVM MEVM ESSE AIO, INDE EGO TE EX JVRE MANV CONSERTVM VOCO: & illa citati rei, VNDE TV ME EX IVRE MANV CONSERTVM VOCASTI, INDE EGO TE REVOCO: tum etiam illa Prætoris, VTRISQVE SVPERSTITIBVS ISTAM VIAM DICO: INITE VIAM: REDITE VIAM: par stoliditas in ceteris actionibus componendis usurpata: quod sigillatim exponere longum profecto esset & omnino inutile.

Ea vero ut stultitiæ, ita & fraudum plenissima erant; adeo enim singulis verborum litteris, atque etiam interpunctionibus aucupabantur, ut, si quis syllaba cecidisset, misere ei causa cadendum erat; unde Cicero ea perstringens *Orat. pro Murena*, formulas istas vocat *captiones, tendiculas, & verborum aucupia*; & *Orat. pro Cæcina*, *inanissima prudentiæ*, cum ipsis Barbaris ridicula. Nec vero tantum causa cadebat, qui errasset in formula, sed & qui plus debito postulasset. Itaque Paulus 1, *causa*, inquit, *cadimus, aut loco, aut summa, aut tempore, aut qualitate*. Et alibi 2, *plus petendo causa cadis*: idque *periculum plus petendi* vocat 3: ut etiam Plautus, dum ait, *si parasitus amplius quam præfinitum est, postularit, plus petiti periculo stranguletur*.

Sed notandum est hoc in solis stricti judicii actionibus observatum fuisse, ut in illo Plauti exemplo in *Mostell.* Act. 3. Sc. 1. vers. 121.

TR. *Quatuor quadraginta illi debentur minæ,*
Et sors & fœnus. D. *tantum est, nihilo plus peto.*
TR. *velim quidem hercle, ut uno nummo plus petas.*

In judiciis autem bonæ fidei major æquitatis & fidei ratio habebatur.

Porro pluris petitio re fiebat, tempore, loco, & causa; re quidem plus petebat, qui majorem vel summam pecuniæ, vel partem rei, quam quæ sibi debebatur, petebat: tempore, qui ante diem vel conditionis eventum: loco, qui quod certo loco dari sibi stipulatus fuerat, in alio pure petebat: causa denique plus petebat, qui qualitate plus petebat; puta (ut nostrorum utar exemplo) si vinum generaliter stipulatus, specialiter Campanum peteret: plus namque petere videbatur, quia electionem adversario tolleret, & vinum peteret excellentissimum; tale enim Campanum fuisse Florus indicat *l. 1. cap. 16.* cum ita scribit: *Omnium non modo Italia, sed toto orbe terrarum, pulcherrima Campaniæ plaga est. Nihil mollius cælo, denique bis floribus vernat. Nihil uberius solo; ideo Liberi Cererisque certamen dicitur*, &c. *Hic amicti vitibus montes, Gaurus, Falernus, Massicus*, &c.

Ceterum adversus hæc pericula tum inconcinnæ formulæ, tum pluris petitionis, difficilis olim restitutio erat: nisi forte minor esse XXV. annis; huic enim in his rebus, sicut in aliis, causa cognita succurri poterat 4, si lapsus juventute fuerat; ut &

1 Lib. 1. Sent. 2 Lib. 2. 3 Lib. 3. 4 §. si quis agens Instit. de action.

A forte majori XXV. annis, si tam magna causa justi erroris interveniebat, ut etiam quisque constantissimus labi posset. Qua de re sic eleganter Seneca *epist. 38. Hac* (inquit) *ad summum bonum itur: per istud Philosophiæ sunt nigræ, & turpes infamesque etiam ad album sedentibus exceptiones. Quid enim aliud agitis, cum eum, quem interrogatis, scientes in fraudem inducitis, quam ut formula cecidisse videatur? Sed quemadmodum illum Prætor, sic hos Philosophia in integrum restituit.* Cui recte Tulii illud *Orat. pro Cæcina* addendum: *Adeo ad verba rem non esse deflectendam*, inquit, *ut propterea consilium, ratio & auctoritas relinquantur; nec enim sermonem quo-*
B *tidianum cohærere, si verba inter nos aucupabimur.* Refert etiam Suetonius Claudium Cæsarem ex æquo & bono horum instituisse actiones, qui plus petendo formula excidissent.

Postea autem hæc omnia, ut dura nimis & acerba, vel omnino sublata sunt, vel sane coarctata. Sublatæ sunt & penitus eradicatæ istæ actionum præcisæ formulæ lege, in id expresse a Constantino lata. Coarctatus autem hic pluris petitionis rigor, cum a Zenone, tum a Justiniano: adeo ut postmodum, qui tempore plus peteret, Zenonis lege 2 sumtus amitteret litis, & inducias debitoris duplicare
C cogeretur; qui vero re, causa, & loco plus peteret, Justiniani lege 3 damnum per sportulas illarum triplo compensaret. Alibi 4 tamen legimus Justiniani Constitutionem, quæ in odium calumniæ hoc statuit: ut si quis dolo extorsisset majoris pecuniæ quam deberetur cautionem, ex eaque debitorem in jus vocasset, & calumniose lite fatigasset, hujus fraudis convictus perderet totum debitum.

CAP. XXVII.

D
De Exceptionibus peremtoriis.

Superiores exceptiones translationes more Rhetorum ideo appellavi; quia dum de his contendebatur, tempus differendum erat constituendi judicii: quippe quæ petebantur aliunde quam ex principali controversia, unde Auctor *Rhetor. ad Herennium* lib. 2. *Ergo*, inquit, *præscriptio, sive translatio esse videtur quædam exceptio*. Hiisque recte Budæus 5 noster comparat eas depulsiones, quæ vulgo apud nos fines non procedendi dicuntur, quæque ante judicii constitutionem opponi solent.
E Exceptiones autem, de quibus mihi dicendum hoc loco, & quas more nostrorum peremtorias appellavi, eæ erant, quæ, ut petitæ ex controversiæ visceribus, intentioni actoris appositæ, vel in ipso litis initio, vel in reliquo judicii progressu eam elidebant eludebantque; unde & Ulpianus 6 eas explicans appellat exclusiones, quæ opponi cujusque rei actioni solerent, ad excludendum id, quod in intentionem deductum esset; adeo ut si actio dici telum possit, ita & exceptio clypeus, ac veluti aries quo actio infringebatur. Unde Plutarchus ἐν Ῥωμαïκοῖς eam constituit differentiam inter *δίκην* &
F *παραγραφὴν*, *actionem* videlicet, & *exceptionem*: quod δίκη litem faciat, παραγραφὴ vero perimat, παραγραφὴ ἀναιρεῖ καὶ λύει κρίσιν, δίκη εἰσάγει. Et eleganter comparat exceptionem Tribunatui plebis: nam ut Tribunatus non tam erat magistratus, quam magistratui opponebatur; ita exceptio non tam est lis, quam perimit litem.

1 L. 1. de form. & impetr. act. sublatis. 2 §. hodie. Institut. de except. 3 §. sed hæc Instit. de action. 4 In l. unic. C. de plus petit. 5 Priorib. Annotat. in Pandectas. 6 L. 2. ff. de except.

A Cur autem a Marco Tullio exceptio actioni dicitur subjici, ratio hujus rei est in promtu, quia videlicet utraque simul atque conjunctim a Prætore dabatur: quodque uno contextu & tenore adderetur actioni hoc modo: *Quint. Servili, Judex esto, si paret. C. Sejum L. Tit. ex causa crediti c. dare oportere, nisi de non petenda ea pecunia inter se pepigerint, C. Sej. L. Tit. Judex condemna*. Unde exceptiones (quo verbo generaliter sumto replicationes comprehendi constat) judiciorum esse conditiones possumus asserere: ut enim pura institutio, pura stipulatio, conditionali opponitur: sic & purum judicium ei quod sub exceptione dabatur, id est, sub conditione illa, qua exceptio actionem exclusura B comprehendebatur; præsertim cum exceptio conditionis modo per verba *nisi*, vel *si non*, vel *extra quam si*, aliudve simile & ejusdem potestatis, concipiebatur, ut ex illo Mar. Tull. loco lib. 2. *de Invent.* apparet: *Agit is*, (inquit) *cui manus præcisa est, injuriarum; postulat is, qui cum agitur, a Prætore exceptionem*. EXTRA QUAM SI IN REUM CAPITIS PRÆJUDICIUM FIAT. *Hic is, qui agit, judicium purum postulat: ille qui cum agitur*, exceptionem addi ait oportere: exceptio illi pro conditione; ut Senecæ lib. 4. *de Benef.* cap. 23. dum ita scribit: *Sponsum descendam, quia promisi: sed* C *non si spondere in incertum jubebis, si fisco obligabis. Subest, inquam, tacita exceptio*, SI POTERO, SI DEBEBO. *Si hæc ita erunt, effice ut idem status sit, cum exigis, qui fuit cum promitterem*, idem *epist.* 6.

Comparatæ igitur istæ exceptiones defendendorum eorum gratia cum quibus ageretur, cum nimirum sæpe accideret, (ut Justinianus[1] ait) *ut licet ipsa persecutio, qua actor experiretur, justa esset; iniqua tamen esset adversus eum, cum quo ageretur*. Verbi gratia, si metu, vel dolo adductus aliquis stipulanti promisisset. Si quis quasi credendi causa pecuniam stipulatus fuisset, nec numeravisset, juvabatur D exceptione doli & metus, atque etiam non numeratæ pecuniæ: idem juris erat in exceptione pacti conventi, in jurisjurandi exceptione[2]: idem denique in exceptione rei judicatæ, quæ & præjudicium dicebatur: de quo Fabius *lib. 5. cap. 2.* præjudicium est defensio ex sententia prius dicta, vel in futurum danda; eaque firma erat, si proponeretur judicatum in ea ipsa causa, de qua rursus ageretur: nam præjudicium in alia pari vel simili causa, (quod exemplum vocat Fabius) non obfuisset, quia exemplis judicandum non erat, *l. nemo C. de sentent. & interloc.*

E Unde vides has exceptiones ut & ceteras, quæ aut ex legibus, ut ex lapsu temporis, aut ex Senatusconsultis, ut ex Macedoniano & Vellejano, recte peremtorias dictas; quia nimirum perimebant & enecabant omnino obligationes, inanesque reddebant actiones. Ceterum illud notandum, has exceptiones opponi potuisse, vel litis initio, vel post litem contestatam, quo præcipue distinguebantur a dilatoriis: quas nimirum oportebat initio litis opponi, vel in ipso limine actionis, ut Symmachus loquitur; cujus quidem differentiæ etiam hæc addi ratio potest: quod nimirum illæ ex causis F descendant, hæ vero ex personis, & par erat initio litis, personas, quibus judicium constat, certas constitui, veluti Judicis, vel actoris, vel rei, vel Procuratoris.

1 Instit. tit. de except. §. 1. 2 L. 2. §. 3. ff. de except.

CAP. XXVIII.

De Satisdationibus, quæ hinc inde in Jure præstabantur.

Inter contentiones istas, quæ super exceptionibus translationibusque ante litem contestatam movebantur, satisdationes a litigatoribus, vel ab eorum Procuratoribus, invicem stipulabantur: videlicet JUDICATUM SOLVI, & REM RATAM HABERI. Satisdatio autem illa ideo dabatur, teste Marco Tullio *Orat. pro Quintio, ut res judicio facto parata esset*. Et a reo quidem exacta videtur tantum in judiciis in rem, non etiam in judiciis in personam. Unde Asconius litem vindiciarum definiens, *lis*, inquit, *vindiciarum est, cum litigatur de ea re apud Prætorem, cujus incertum est quis debeat esse possessor*; & ideo is qui tenet, satisdat pro præde, litis vindiciarum adversario suo, quo illi satisfaciat, nihil se deterius in possessione facturum, de qua jurgium est[1]. Quo & pertinet illud Justiniani[2]: *Olim si in rem agebatur, satisdare possessor compellabatur: ut si victus esset, nec rem ipsam restitueret, nec litis æstimationem: potestas esset petitori, aut cum eo agendi, aut cum fidejussoribus ejus*. Quo denique spectat Pauli illud e Sententiis, *quoties hæreditas petitur, (quæ vindicatio est generalis) satisdatio jure desideratur; & si satisdatio non detur, in petitorem hæreditas transfertur*, &c.

Sed ipse puto, etiam in judiciis in personam, si ex edicto Prætoris dies 30 bona possessa fuissent, reum satisdare debuisse JUDICATUM SOLVI, ut a possessione discederetur; hoc indicante Tullio *Orat. pro Quintio*, dum ait: Nævius *a Prætore postulat, ut sibi Quintius judicatum solvi satisdet, ex formula, quod ab eo petat*, CUJUS EX EDICTO PRÆTORIS ROMANI BONA DIES 30. POSSESSA SINT; *non recusabat Quintius, quin ita satisdare deberet, si bona possessa essent ex edicto*; erat autem inter Nævium & Quintium lis de societate, ergo actio in personam. Quin vero in utrisque judiciis satisdatio illa a Procuratore, vel defensore desideraretur, dubitavit nemo: cum dictet aperte regula[3], neminem alienæ litis esse idoneum defensorem sine satisdatione; nec unquam haberi locupletem, qui rem alienam defendit. Hujus autem stipulationis, JUDICATUM SOLVI, hanc fuisse formulam reperio: *Quod fundum Tusculanum, quem possidet L. Titius, ab eo vindicaturus sum: cujus rei Cajus Aquilius Judex datus est eam rem recte defendi, aut si ea res secundum me hæredemve meum erit judicata; quod a C. Aquilio judicatum erit, id recte præstari, dolumve malum abesse, abfuturumque esse, & quandiu res non defendatur, aut si quod hujus rei judicatum erit non præstetur, dolusve malus non aberit, quanti ea res est dari*.

Cautionem vero REM RATAM HABERI dare ideo Procurator cogebatur; quia jure isto antiquo ferri non poterat, qui præter domini voluntatem ad alienam causam accederet; unde Cicero *Orat. pro Roscio Comœdo, alteri nemo petit, nisi qui cognitor est factus; recte alieno nomine lege agit, si tamen de rato caveat*; & idem in *Divinat. quis neget oportere eorum arbitratu lege agi, quorum causa lex sit instituta*? & paulo post: *In hujusmodi re, an quisquam tam impudens reperiatur, qui ad alienam*

1 L. si plurimum §. ff. de noxal. act. l. qui ex parte ff. de interrogat. action. 2 Institut. de satisdat. 3 L. qui rem ff. de reg. jur. L. hac autem §. ult. ff. quib. ex caus. in poss. eat.

causam invitis iis, quorum negotium est, accedere aut adspirare audeat? Secus enim res rursus in judicium deduci potuisset, ut Justinianus ait 1; cui maxime convenit præclarus ille Tullii locus in *Bruto*: *Et si fortasse ego a te hujus voluntarius Procurator petam, quod ipse cui debes, se incommodo exacturum negat. At vero, inquam, tibi ego, Brute, non solvam, nisi prius a te cavero, amplius eo nomine neminem, cujus petitio sit, petiturum. Non mehercule, inquit, tibi repromittere istuc quidem ausus sim. Nam hunc, qui negat, video flagitatorem, non illum quidem tibi molestum, sed assiduum tamen & acrem fore.*

Satisdationes autem illæ, & præcipue JUDICATUM SOLVI, non simplices erant, non nudæ, imo vero maximæ. Fiebant enim prædibus, & prædiis, ut dicitur. Fiebant CUM SPONSORE ASSIDUO, ut est in 12. Tab. id est, cum locuplete fidejussore: (*locuples appellatus est assiduus*, ut Ælius ait apud Tullium in *Topicis*, *ab asse dando*) ideo Justinianus, rei pro suo Procuratore satisdantis bona, suorumque hæredum obligari voluit: quod hoc casu prope singulare erat; quod alias non nisi in populi negotiis adhiberi solebat. Id tamen optima ratione institutum, ne videlicet judiciorum auctoritas tam facile eluderetur. Sed ea quidem res videtur postea immutata vastato orbe Romano, bellis tum domesticis, cum externis; cum nimirum in tanta paucitate & paupertate hominum, atque etiam ipsa animorum ferocia, ex bello continuo, non facile invenirentur fidejussores; aut si reperirentur, vix essent idonei; adeo ut paulatim sublatis istis judiciariis satisdationibus, nudæ tantum cautiones, nudæque repromissiones remansisse videantur, ut passim legere licet in libris nostris.

CAPUT XXIX.

De Juramento calumniæ, dilationis, & pecuniæ datæ.

OLim etiam moris erat, ut qui ad judicium alterum provocaret, sponsione certæ pecuniæ illum lacesseret, in hæc verba, *spondes-ne quadraginta, si mea sit hæreditas, si fundus Tusculanus sit meus, si res quam detines mea sit, id est, si probavero hæreditatem meam esse*, &c. cui reus ita respondebat, *spondeo, & tu spondesne-idem*: idque restipulari erat; pecunia autem ista *Sacramentum* dicebatur, aut *sponsionis pignus*, ut Isidorus ait lib. 5. *Etymol.* ut & Varro lib. 4. *de Ling. Lat. Ea pecunia*, (inquit) *quæ in judicium venit in litibus, Sacramentum, a sacro dictum; nam qui petebat, & qui inficiabatur de aliis rebus, uterque quinquagenos* asses ad Pontificem deponebat: de aliis rebus item certo alio legitimo numero assium. Qui judicio vicerat, suum sacramentum a sacro auferebat: victi ad ærarium redibat.* Et item Festus, *Sacramentum*, inquit, *æs significat, quod pœnæ nomine penditur, sive eo quis interrogatur, sive contenditur: id in aliis rebus quinquaginta assium est, in aliis rebus quingentorum inter eos, qui judicio inter se contendunt; qua de re lege L. Papirii sancitum est his verbis: quicumque Prætor posthac factus erit, qui inter cives jus dicet, tres viros capitales Populum rogato, iique Triumviri capitales, quicumque ex hac lege facti erunt, sacramenta exigunto, judicantoque; eodemque jure sunto, uti ex legibus, plebeique scitis exigere, judicare, esseque oportet. Sacramenti autem nomine id æs dici cœptum est, quod & propter ærarii inopiam & sacrorum publicorum multitudinem consumebatur id in rebus divinis.*

Fuit etiam in usu, ut actor cautionem daret decimæ partis litis calumniæ nomine: quam præstare postmodum cogebatur, si ejus appareret calumnia in agendo. Postea vero sublatæ sunt omnino sponsiones istæ, atque etiam ipsa cautio decimæ partis litis; & pro eis introductum est juramentum calumniæ, quo nimirum adigeretur utraque pars initio litis jurare, *non se calumniandi animo litem intendere vel ad inficias ire, sed juris sui opinione & fiducia fretum.* Et quamvis Justinianus se profiteatur auctorem istius juramenti, reperio tamen id tempore Ciceronis in usu fuisse; quod animadverti ex *Oratione pro Qu. Roscio*, ubi sic scribit: *Proh Dii immortales! esse-ne quenquam tanta audacia præditum, qui quod nomen referre in tabulas timeat, id petere audeat? quod in codicem injuratus referre noluit, id jurare in litem non dubitet?* Et *Orat. pro Sylla*, *vos*, inquit, *Dii patrii ac penates testor, integro animo ac libero P. Syllæ causam defendere*, &c. Id autem Atticorum exemplo forte introductum, quibus nimirum duplex jusjurandum in hac re erat, προομοσία, & ἀντωμοσία: προομοσία, teste Polluce, jusjurandum erat, quo primum adigebatur ille, qui litem intendebat, vera omnia se objecturum: ἀντωμοσία autem, quo reus se non mendaciter, non injuriose acturum: hinc Demosthenes *Orat. in Aphobum*. προομόσαντος δέ μου, τὸν ἄνθρωπον ὡς ὡμολογήσας ἐλεύθερον εἶναι ἂν ἀπωμόσῃς τἀναντία τούτων ἀφίημί σοι, id est, *etsi autem ante jurejurando affirmavi, te etiam fatente, hominem liberum esse, si contra juraris, tibi ignosco*; & *Orat. ad Macartatum, aliquem ei esse propinquum genere nemo tentavit* ἀντωμόσαι; & διωμοσία *utriusque, & actoris, & ejus qui defendit jusjurandum*: in quo tamen significatu etiam ἀντωμοσίαν usurpari Hesychius, & Ulpianus, aliique tradidere.

Et quo insuper syncerius causam agitarent, pecuniam quandam a Magistratu deponere quoque cogebantur: quæ vel τὰ πρυτανεῖα dicebatur, vel παράστασις, vel παρακαταβολή, vel denique ἐπωβελία, pro causarum variis generibus: ut apud Pollucem & Harpocrationem, Suidam, & alios legitur.

Nec vero in judicio Romano tantum initio litis, & in re una, jusjurandum istud de calumnia præstabatur; verum etiam in ceteris litis partibus, & variis in rebus: nam 1 & is qui jusjurandum adversario deferebat, jurabat, se id non deferre calumniandi animo: & qui postulabat, ut sibi thesaurum suum, qui erat in fundo alieno, effodere liceret, se id non postulare calumniandi animo jurabat. Et similiter qui postulabat sibi copiam fieri inspiciendarum & describendarum tabularum testamenti: & qui probationes petebat, veluti testes, & instrumenta 2; vel qui servos in quæstionem postulabant: omnes jurabant, id non facere se calumniandi animo 3. Sed quantum ad probationes attinet, Justinianus *Novella* sua 49. constituit, ut non toties, sed semel, & initio tantum litis, juraret utraque pars se differendi negotii causa probationes ab adversario minime petiturum, illudq; juramentum appellat dilationis. Voluit & alia *Constitut.* Justinianus 4 actores jurare & cavere sese intra duos ad summum menses litem contestaturos: vel omne damnum iis, qui conventi essent, in duplum restituturos; idque, ut reprimeretur improbitas ipsorum actorum.

Aliud etiam jusjurandum a litigatoribus initio litis ex S. C. exigebatur, quod juramentum de pecunia data dicebatur; cujus fit mentio apud Plinium

1 §. 1. Inst. de satisd. * Alii, *quingent. aris ad Pontem*.

1 L. 11. §. ult. ff. rerum amotar. l. 34. §. qui jusjurandum ff. de jure jurando. 2 L. is ff. ad exhib. 3 L. ult. C. de quæst. 4 Novell. 47. de exsecut. §. 1.

Juniorem *lib. 5. epist. 21.* in hæc verba: *Omnes, qui quid negotii haberent, jurare prius quam agerent jubebantur, nihil se ob advocationem cuiquam dedisse, promisisse, cavisse.* Quod & renovavit Justinianus *Novella* 124. Ibi enim vult, ut jurent litigatores, nihil se Judicibus, aliisque personis, patrocinii causa dedisse, cavisse; præterquam honoraria Advocatis, & sportulas exsequutoribus, quod etiam vult iterari in causa appellationis, & præstari quoque in consistorio Principis. Sed hactenus de præparatoriis judiciorum satis dictum. Nunc agendum de judicio faciendo, ducto initio a litis contestatione, ut & ista est judicii totius fundamentum.

CAP. XXX.

De Litis Contestatione.

EO modo moreque ordinato judicio litem contestabantur: id est, ejus rei, de qua controversia erat apud Judicem, ab utraque parte narratio fiebat, præsentibus testibus; hoc enim proprie est litem contestari: ut indicant verba illa apud Macrobium, *jubent dicere, quorum negotium est, narrant: Judex testes poscit*; quibus sic Festus adstruit, *contestabatur lis, cum ordinato judicio utraque pars dicebat, testes estote:* & Justinianus etiam [1], dum ait, *lis contestata est, cum Judex per narrationem negotii, & responsionem, causam adire cœperit.* Recte autem a Græcis litis ista contestatio *προκάταρξις τῆς δίκης* dicitur, quod initium det judicio.

Dixi quidem supra vocationem initium esse actionis, sed non judicii; proprie enim tunc dicitur incipere judicium, & res in judicium deduci, cum fit ista contestatio. Tempus autem litis contestandæ definiebatur olim post decem dies: deinde post viginti ab oblatione libelli, auctore Justiniano *Novella* 53. Ante id tempus lis contestabatur inutiliter; totidem enim dies reo dabantur ad deliberandum, utrum cedere, an contendere deberet.

CAP. XXXI.

De Condictione diei, & Eremodicio.

LIte contestata, diem condicebant litigatores: id est, sibi invicem denuntiabant quo convenirent accepturi judicium. Condicere enim est simul dicere, auctore Festo, & quasi communi consensu constituere, quo quid fiat; unde condicere cœnam, dictum Ciceroni *epist. ad Lentulum*, & Suetonio in *Tiberio*. Morem autem istum verba illa demonstrant apud Plautum in *Curcul.* & Gellium *lib.* 16. *cap.* 4. SI STATUS CONDICTUSVE DIES CUM HOSTE. Sed multo planius locus ille Tullii *Orat. pro Comœdo* rem omnem explicat: *Quid enim factum est? venisti domum ultro Roscii: satisfecisti: quod temere commisisses, in judicium ut denunciares: rogasti, ut ignosceret: te affuturum negasti: deberi tibi ex societate nihil, clamitasti*; ubi denuntiare pro condicere.

Sed sane hoc nemo elegantius exposuit Asconio *Verr.* 3. dum sic scribit: *Comperendinatio est, ab utrisque litigatoribus invicem sibi denunciatio in perendinum diem; namque cum in rem aliquam agerent litigatores, & pœna se sacramenti peterent, poscebant Judicem, qui dabatur post tertium diem: quo dato deinde inter se in perendinum diem, ut ad judicium venirent, renuntiabant.* Eoque pertinent notæ illæ apud Valerium Probum, I. D. T. S. P. *in diem tertium sive perendinum.* Quam formulam Cicero in *Muræna* exagitat. Illæ autem denuntiationes a Justiniano sublatæ sunt, ut videre est in *§. sic itaque disc. Inst. de act.* Quod & repetitum ab Impp. Aug. Hon. & Theod. statutumque, ut si quis actionem institueret, is omissis denuntiationum ambagibus, earumque intervallis, statim in ipso judicio rem causamque suam exponeret, *l. si quis* 6. *C. Theodos. de denunt. vel edit.* sed interim apud eos manserat ea civilitas, ut priusquam ageretur, admonerent & interpellarent debitorem: ne videlicet securum eum actor opprimeret ex improviso. A Græcis condictio ista *κονδικτίκιος δανειακὸς* dicebatur, ut passim apud Demosthenem videre licet.

Si vero condicta die non adfuisset reus, atque etiam tribus edictis, aut denuntiationibus, aut litteris adesse jussus, præsentiam sui per contumaciam facere detrectasset; Judex nihilominus causam a præsente jubebat peragi; idque eremodicium dictum, id est, litis inchoatæ per contestationem desertio, verbum *ἀπὸ τῆς ἐρήμου δίκης* compositum, quod *desertam litem* sonat. Ἔρημον autem *δίκην* Hesychius exponit *μονομερῆ ἀγωγὴν, ὅταν μὴ ἀπαντήσας ὁ διωκόμενος καταδικάσθη*, cujusmodi judicia uno tantum ex litigatoribus constant, ut in specie *leg. ult. ff. ad senatusc. Trebel.* Morem autem istum sic Justinianus [1] explicat: *Consentaneum juri fuit* (inquit) *temporibus ad præsentiam partis adversæ præscriptis, Præsidem Provinciæ impleta juris solemnitate, & adversario tuo ternis litteris, vel uno pro tribus peremtorio edicto, ut præsentiam sui faciat commonefacto; si in eadem contumacia perseveraverit præsentis allegationes audire & pronuntiare.* Idque in odium contumaciæ sancitum [2]; nam regulariter, nec causæ cognitio, nec pronuntiatio ex juris solemnitate fieri poterat, nisi præsente utraque parte; quod erat ex illa lege 12. Tab. *præsentibus omnibus litem addicito.*

CAPUT XXXII.

De Judicis & judicii datione.

LIte contestata, dum dies tertius condictusque exspectabatur, Judicem judiciumque postulabant litigatores: ut ex illo Asconii loco colligitur, quem capite proximo citavimus. Non enim prius Judicem Prætor dabat, nec componebat judicium, quam ab eo inquisita, audita, cognitaque utrinque causa fuisset, eodem auctore Asconio in *Verr.* 3. Formula autem postulandi Judicis hæc erat: JUDICEM ARBITRUMVE POSTULAMUS, UTI DES IN TERTIUM DIEM, SIVE PERENDINUM; ut ex *Murœniana* & *Cæciniana* Ciceronis apparet: ubi cum legitur, *postulamus*, id ita accipe, quia necessum erat ut utraq; pars in collocando Judice consentiret; unde illa verba inter eos hac in re solemnia; SI ALIUM PROCAS, NIVE EUM PROCAS, id est, poscis, ut auctor est Festus; oportebat prius inter se de Judice convenire, deinde a Prætore eum postulare; ut supra ex Tullio, Valerio, & nostris patefecimus.

Formula autem dandi Judicis judiciique hæc erat: C. AQUILI JUDEX ESTO, ET SI

1 L. 1. C. de lit. contest.

1 L. 8. C. quo & quando Jud. sent. prof. 2 L. 2. unoquoque ff. de re jud.

PARET REM ITA ESSE, PRONUNTIA. Singulas judiciorum formulas scire si desideres, consule doctum istum Præsidem[1], hac in re tam varium, tam curiosum: hic enim actum nolo agere. In hac autem formula, cum legitur, *si paret*, id ita intellige, quod Prætor dato Judici, nudam simplicemque veritatis inquisitionem (quæ facti) commendabat, ut & supra ex Seneca docuimus; Prætor[2] enim de causa cognoscebat, ut quo jure actor reum in jus traheret; quo item se defenderet reus, definiret; Judex vero datus de causa cognoscebat, ut videret, an sic se res haberet, quemadmodum ea tum ab actore, tum a reo, coram Prætore dicta erat; illud enim fuisse dati Judicis officium, ex Ulpiani verbis[3] probari potest, *quo fit ut eo casu ipse Judex, apud quem hoc judicium agitur, cognoscat an cohæres sit*. Si autem de jure controverso questio fuisset, causam Prætor Judici non demandabat; sed ad Centumviros remittebat, quibus & ipse præerat; quod aperte Tullius indicat lib. 1. *de Oratore* his verbis: *Nam quod maximas Centumvirales causas in jure positas protulisti; quæ tandem earum causa fuit, quæ ab homine eloquenti, juris imperito, non ornatissime potuerit dici?* Cui & adstruit Fabius *lib.* 4. *cap.* 2. dum in hunc modum scribit: *Id accidit aliquando utrique parti, cum vel nulla expositio est, vel de re constat, de jure quæritur: ut apud Centumviros, filius an frater debeat esse intestato hæres.*

Hoc vero Prætoris munus in causis sive ad Centumviros, sive ad selectos Judices rejiciendis dum tracto, Atheniensium recordor: apud quos Magistratus certi erant, quorum idem munus, in litibus in singula fora remittendis, pro earum qualitate varia; iique ideo dicebantur εἰσαγωγεῖς, id est, *introductores*: unde & δίκη εἰσαγώγιμος dicta est lis, quæ per leges a Magistratu introduci, nec ab eo repudiari potuit; idque tetigit Harpocration, cum quid sit ἡγεμονία δικαστηρίων exponit.

Itaque causa a Prætore, vel apud Centumviros, vel apud selectos Judices introducta, litigatores eos adibant, ac primum verba ista solemnia pronuntiabant, *testes estote*; dein cognosci causam, audirique patronum postulabant. Sed quis olim mos fuerit in foro dicendi, dispiciamus; acturi postea de testimoniis & ceteris *judicii partibus*.

CAP. XXXIII.

De vetere in jure dicendi modo.

JUsso patrono dicere, vel a Prætore Centumviris præsidente, vel ab alio Judice, ei consurgendum erat: stantem enim dicere eum oportebat, auctore Fabio *lib.* 11. dum scribit; *cum Judex aut Prætor dicere de causa jusserit, leviter consurgendum*: atque etiam * in hæc verba *lib.* 1. *epist.* 23. *Ipse cum Tribunus essem abstinui causis agendis: primum, quod deforme arbitrabar cui assurgere, cui loco cedere omnes oporteret, hunc omnibus sedentibus stare*, &c. Forma autem dicendi patronis non semper eadem similisve fuit; ut enim immutata tempora, sic & formæ generaque dicendi; aliud namque sub Cicerone, sub Hortensio, Gracchis, Bruto, Carbone, Cœlio, Catone, Aspio; & aliud sub Cassio Severo, aliud sub Tacito, Plinio, Suetonio, Apro, Fabio: illis enim ævi prioris, longa principiorum præparatio, alte repetita narrationis series, multarum divisionum ostentatio, mille argumentorum genera, & quidquid Hermagoræ & Apollodori libris præcipitur, de voce, de gestu, de pronuntiatione, in honore erant; quod his præcipue primus ille Populus, ut novus, ut rudis, & imperitus, mire capiebatur.

Aliis autem ætatis secundæ, a Cassio Severo, (quem primum affirmant flexisse ab illa vetere & antiqua dicendi via) longe strictior placuit oratio, sed non incultior, nec minus numerosior; quippe quibus dicendum erat, non jam apud Populum istum rudem, sed apud eos Judices, qui hisce studiis imbuti & instructi erant; adeo ut novis & exquisitis eloquentiæ itineribus opus esset, per quæ fastidium conditarum ejusmodi aurium possent effugere.

Mutatio autem hæc longioris orationis assignata videtur Pompejo, lege in id expresse lata, dum tertium ageret Consulatum, ut Tacitus auctor est *Dial. de clar. Orator. Tanto illud forum magis exercebat, in quo nemo intra paucissimas horas dicere cogebatur, & liberæ comperendinationes erant, & modum dicendi sibi quisque sumebat, & numerus neque dierum neque patronorum finiebatur. Primus tertio Consulatu Gn. Pompejus adstrinxit, imposuitque veluti frænos eloquentiæ, ita tamen ut omnia in foro, omnia in legibus, omnia apud Prætorem gererentur.* Hæc Tacitus; quibus Pompejum refrænatæ eloquentiæ auctorem citat: ejus tamen legem in eam rem non profert; sed tu ipsam pete ex Dione *lib.* 40. qui docet ea lege reis ad dicendum tres horas, accusatoribus vero duas dumtaxat præstitutas fuisse, in hæc verba, χρόνον τὸ τῷ μὲν διώκοντι δύο ὥρας, τῷ δὲ φεύγοντι τρεῖς δίδοσθαι ἐκέλευσε. Idque temporis clepsydra denotatum tradit; more nimirum ducto ab Atticis Oratoribus, quibus etiam hora ad dicendum præfinita clepsydra notabatur: unde & illud spacium διαμετρημένην ἡμέραν appellabant. Erat autem clepsydra vas perforatum, in quo (ut *Vesparum* Interpres scribit) aquam infundebant, eamque fluere sinebant usque ad foramen; atque ita Oratori silentium imponebant, ne fortasse dicendo diem eximeret, atque alios ne dicerent impediret. Pollux autem ministrum affuisse quendam scribit, qui dicebatur ἐφύδωρ, qui clepsydræ æquabilitatem asservaret.

Quod optime factum duco; tum quia periculosa omnino erat effrænis illa & tam libere diffluens oratio. Eo enim modo Oratores poterant multa artificiose involvere; & ita bonis & incautis Judicibus tenebras offundi & errorem objici, plerumque contingebat; tum etiam quod parum grata projecta illa & vaga oratio: non enim[1] Tullium fero, non[2] Fabium, non[3] Plinium, clepsydram ipsam eloquentiæ inimicam affirmantes; imo ipse laudo amplectorque magis adstrictam orationem & brevem; idque Pindari testimonio in *Pyth.* od. 1. vers. 157. dicentis:

Καιρὸν εἰ φθέγξαιο, πολλῶν
Πείρατα συντανύσαις
Ἐν βραχεῖ, μείων ἕπεται
Μῶμος ἀνθρώπων· ἀπὸ γὰρ κόρος ἀμβλύνει
Αἰανὴς ταχείας ἐλπίδας.

Id est, *Si oportune cecineris, multarum rerum summas complicans breviter, minor sequitur reprehensio hominum: nam prolixitas continua obtundit celeres mentes.*

Velim tamen in ea re hoc prudens adhiberi consilium, ut pro auditorum captu aut rei subjecto Orator modo brevis & constrictus, modo longus & diffusus fiat, quia profecto orationis mo-

[1] Cap. 13. [2] L. 30. ff. de pact. dotal. l. 22. §. 6. ff. soluto matr. [3] L. 1. ff. de fam. hercisc. * Rest. vox *Plinius*, quæ omissa fuerat.

[1] Epist. ad Quint. [2] Lib. 12. cap. 6. [3] Lib. 8. Epist.

dus

dus non in eo conſiſtit, qui dicit, ſed in eo qui audit. Qua ſententia uſus Plato, dum Antiſthenem, qui diſſerendo erat prolixior, admoneret, *ὅτι τοῦ λόγου μέτρον ἐςὶν οὐχ ὁ λέγων, ἀλλ᾽ ὁ ἀκούων*: unde & ipſe Pindarus ſcite ait, magnas virtutes longam orationem deſiderare: eum vero, qui de re ardua breviter dicere conſtituit, ſapientem auditorem requirere; verba illius hæc ſunt *ibid.* Od. 2. verſ. 133.

Ἀρεταὶ δ᾽ αἰεὶ μεγάλαι πολύμυθοι.
Βαιὰ δ᾽ ἐν μακροῖσι ποικίλλειν, εἰκοὰ
Σοφοῖς.

Ideoque Oratori, ſi indoctos nactus ſit auditores, aut certe grave quoddam argumentum, prolixitas neceſſaria. Quo modo accipiendum Plinii illud ex *Epiſtolis* lib. 2. epiſt. 20. *Prævaricatio eſt*, inquit, *curſim & breviter attingere quæ ſunt inculcanda, infigenda, repetenda: nam pleriſque longiore tractu vis quædam, & pondus accedit, ut corpori ferrum, ſic oratio animo, non ictu magis, quam mora imprimitur*; nec mirum, ſi curſim dicere, prævaricari Plinius dixerit; nam & Symmachus *epiſt.* x. *lib.* 1. præſtare ait *iterando obtundere, quam fraudare reticendo*; cui & congruit Ammianus Marcell. *lib.* 29. *cap.* 1. dum ait, *fallere non minus videtur qui geſta præterit ſciens, quam ille qui nunquam facta fingit*; atque etiam illud Plauti in *Querula, pejerat ſæpe qui tacet, tantum eſt enim verum, quantum & falſum dicere.*

Unde & a Judicibus, multis hoc indultum legimus, ut in ejuſmodi graviſſimis cauſis, quantum vellent, dicerent; atque ipſe Plinius auctor eſt, Theophanem in cauſa Baſſi dixiſſe in noctem, atque illatis lucernis; cui & adde celebrem illam Papyrii Dictatoris cum Q. Fabio Magiſtro Equitum contentionem: cui, Livio auctore *lib.* 8. *nox velut in prælio certamini finem fecit*. Si vero lene exileque nactus argumentum Orator, in eo deſudet profuſa & illuſtri oratione, hoc profecto ineptum duco & putidum; recte enim Seneca, *non grandem, non illuſtrem afferre debet orationem, niſi qui cauſam parem invenit*; id namque eſt, quod dici vulgo ſolet, *parvo pedi magnos inducere calceos*; quod & lepide irridet loco vulgari Martialis, dum ſic in ineptum ejus generis Advocatum, *lib.* 6. *epig.* 19.

Non de vi, neque cæde, nec veneno,
Sed lis eſt mihi de tribus capellis:
Vicini queror has abeſſe furto:
Hoc Judex ſibi poſtulat probari;
Tu Cannas, Mithridaticumque bellum,
Et perjuria Punici furoris,
Et Syllas, Marioſque, Mutioſque
Magna voce ſonas, manuque tota.
Jam dic, Poſthume, de tribus capellis.

Modus itaque dicendi qui fuerit Antiquis, breviter docet Marc. Tullius in quadam ſua epiſtola ad Papirium Pætum: *Judicia*, inquit *lib.* 9. *epiſt.* 21. *non ſolemus omnia tractare uno modo. Privatas cauſas, & eas tenues, agimus ſubtilius: capitis aut famæ, ſcilicet ornatius.*

Nec vero minus ridiculos putes, qui a phonaſcis iſtis mimicam vel hiſtrionicam artem in forum induxere, ut feciſſe quondam Hortenſium legimus apud Gellium *lib.* 1. *cap.* 5. quod videlicet *manus ejus inter agendum nimis argutæ geſtuoſæque*: & in voce ceteroque corporis habitu exquiſitus uſque ad ineptias; adeo ut a Torquato quodam *hiſtrio*, & *Dionyſia ſaltatricula*, appellatus ſit. Iiſdem etiam maledictis & compellationibus probroſis jactatus Demoſthenes, quod videlicet tanta ejus in dicendo vehementia eſſet, furorque, ut quaſi œſtro concitatus, ferociret, ſæviretque; unde & Plutarchus in *Demoſth.* ait ſæpe, cum in dicendo quaſi e poteſtate exiiſset *παράβακχον* factum, ad inſtar Sibyllæ reddentis oracula; ſic & Marcum Calidium, quem Oratorem inter multos prope ſingularem fuiſse refert Tullius in *Bruto*, arbitrari ſolitum ajunt, *eos, quorum altior oratio, actioque eſſet ardentior, furere & bacchari.*

Quod vitium dum Æſchines *Orat. in Timocr.* exagitat, priſcis Athenienſibus hoc fuiſſe obſervatum ait, ut etiam audaciæ tribuerent, prolata manu dicere; narratque in eam rem, in Salamine Inſula viſam ſtatuam Solonis in foro ita effictam, ut manus intra veſtem eſſet condita; quod monumentum erat, & ſimulacrum geſtus Solonis, quonam pacto cum populo Athenienſium habuerit ſermonem. Sed tantam nolim imitari modeſtiam; non magis quam mimicam iſtam vehementiam; eſt enim animus ipſius actionis geſtus: ut Tullius ait, *qui ſi ineptus eſt, ſtulta actio; ſi frigidus, languida; ſi nullus, mortua.*

Igitur modum hunc in dicendo adhiberi velim, ut nec nimis argutæ manus, aut geſtuoſæ; nec etiam nimis remiſſæ & languidæ; & vox non nimis ferociens, aut exæſtuans; nec etiam nimis demiſſa & mollis; unde M. Tullius in fine 3. *de Orat.* Gracchum ſcribit ſolitum adhibere ſibi tibicinem ſervum concionatorium, qui ſonis tum placidis, tum citatis, aut demiſſam jacentemque ejus orationem erigeret, aut ferocientem ſævientemque cohiberet. Nec denique minus reprehendendi, qui rebus relictis, tropis in dicendo totum animum impendebant, verbiſque aut nimiis, aut translatis, aut factitiis laſciviebant: hoc enim erat flores præferre fructibus. Quo Syneſius reſpiciens, comatam orationem ſemper *κίναιδον* dixit. Et ſane hoc Rhetoribus forte in Scholis convenit; ſed Aſtreæ Sacerdotibus nec decorum, nec gratum in ſuis ſacrariis uſquam duxi; ut & Sicyonios calceos habiles aptoſque ad pedem dicebat Socrates, ſed Socrati non convenire; adeo ut Periclis orationibus elaboratis & luculentis nihil ſe moveri diceret Alcibiades, ſed Socratis verbis nudis & ſimplicibus. Unde & Areopagitæ affectus iſtos omnes, qui e pompa, floreque orationis, e foro ſuo, quaſi præſtigias & captiones arceri voluerunt. Et certe a fucato iſto ſermone ſemper timendæ inſidiæ: unde Æſchines Demoſthenem prædonem appellabat, quod in Repub. verbis tanquam nave veheretur. Quæ igitur (dicet aliquis) Oratori vel Patrono fidem conciliabunt? Audiat, quid reſpondet Lactantius, *ſi bonus fuerit*, (inquit) *ſi veridicus*: ſi id genus dicendi appetens, quod potius ex horrendo fluxerit antro, in quo dixit Heraclitus latitare veritatem, quam quod ex amœnis Muſarum ſylvis: laudabilius enim Mercurium Muſaſque habere in animo, in pectore, quam in labris. Sed tamen fugienda ſordida & lutulenta oratio; hac enim minueretur Juriſprudentiæ dignitas: medium quendam tenorem & filum dicendi habendum duxi.

Ceterum veteris orationis hæc fuit ſeries; ut primo eſset *προοίμιον*, ſecundo *διήγησις* & *μαρτυρίαι*, tertio *τεκμήρια*, quarto *εἰκότα*: ſic enim ejus artis appellata ſunt ornamenta, quæ plenius poterunt percipi apud Rhetores.

Eaque, quod ſæpe involuta erant & ob prolixitatem obſcura Judicibus, ſolebant Oratores, priuſquam agerent, eorum mentem præparare, per indicem nimirum, id eſt, ſcripto brevem facti narrationem exponendo, unde dictum per indicem cauſam cognoſcere: & ea brevis cognitio, dicta etiam cauſæ conjectio. Eam rem Aſconius indicat *Act.* 3. *in Verrem*, dum ſcribit: *Cum litigatores ad Judicem veniſſent, antequam cauſa ad Judicem ageretur, quaſi per indicem rem expoſuerunt.*

Atque id ipsum dictum, causæ conjectio, quasi causæ suæ in breve coactio. Unde Quintilianus *lib.* 4. ait, *ut in foro, antequam haberetur oratio, ita & in Scholis quoque ante declamationem, aliquam velut litis imaginem exponi solitam fuisse*. Quod videtur originem habuisse a 12. *Tabulis*, in quibus sic scriptum legitur: IN FORO, AUT IN COMITIO, ANTE MERIDIEM CAUSAM CONIICITO, CUM PERORANT AMBO PRÆSENTEIS. Nec enim omnino placet, quod Nonius ex Afranio, atque etiam Cujacius, causam simpliciter agi interpretati sunt; causam enim conjicere, ut dixi, est in breve referre; causam vero agere, est continua oratione exponere, depromtis ex re ipsa argumentis, ex testibus, ex litteris. Sed jam agamus de istis probationibus, in quibus patrocinii vis præcipua.

CAP. XXXIV.

De probationibus.

Omnis quæstio, quæ apud Magistratum sive judicem inter litigantes incidit, aut juris esse dicitur, aut facti; *Quæstio* autem *juris præcipue continetur, aut verborum proprietate, aut æqui disputatione, aut voluntatis conjectura*, ut Fabius *lib.* 12. ait; *facti vero quæstio est, cum non constat, an id factum sit super quo lis orta est, quodque inficiatur reus*, ut Marcus Tullius lib. 2. *Top.* ait. Ut autem decidenda illa erat ex consiliis tum Jurisconsultorum, cum Magistratuum & Principum; sic & hæc facti quæstio (quam Rhetores conjecturalem appellant) ex gestis & probatis dijudicanda; utque relicta erat Judicis arbitrio, ita & prudenter e re nata statuere eum oportebat, perpensis omnibus circumstantiis, an satis probatum fuerit, nec-ne: magisque eum in eo negotio instruebant Rhetores quam Jurisconsulti; & quamvis apud hos quædam reperiantur, quæ ad eam rem pertineant, ea tamen a Rhetoribus mutuati sunt. Utrique igitur probationem recte definierunt, intentionis suæ legitimam fidem, quam facit Judici actor, vel reus, vel uterque; licet enim regulariter actori probatio incumberet, nonnunquam tamen exigebatur ab utraque parte, prout religioni judicantium videbatur; ut in criminalibus, in mixtis judiciis, familiæ erciscundæ, finium regundorum, communi dividundo, & in quæstione *legis ult. C. de probationibus*.

Probationis autem duas præcipue species constituerunt, personas, & instrumenta; sed & pro tertia addi possunt, argumenta, signa, indicia indubitata, *& omni luce clariora*, ut Tullius *Orat. pro Cœlio* ait: nam & Imperator Galba apud Suetonium in *ejus Vita* cap. 7. *cum de proprietate jumenti quæreretur, levibus utrinque argumentis & testibus, ideoque difficili conjectura veritatis, ita decrevit, ut* jumentum *ad lacum, ubi adaquari solebat, duceretur capite involuto atque ibidem revelato; & ejus esset, ad quem sponte se a potu recepisset*: & hac arte cum deficerent argumenta, invenit verissimum signum, quo deprehenderet verum dominum; ut & Salomon deprehendit veram matrem, indicta nece pueri; & Claudius indicto juveni matrimonio, quem mater pro filio non agnoscebat; atque ut statim indictum fuit matrimonium, abhorrere cœpit lege naturæ mulier. Quo etiam referri potest, quod Ulpianus alicubi [1] scribit, *non esse facile credendum, eam puellam suppositam esse, quam dicuntur ambo parentes charam habuisse filiam*. Hæc signa quia indubitata videntur, quis negat inter probationes legitimas poni debere, earumque tertium quoddam genus posse constituere?

1 L. 1. §. ad quæstion. ff. de quæstion.

Aliæ autem, quæ levia signa sunt & mediocria, quæque in suspicionem tantum Judicem poterant adducere, rejectæ in seriem illegitimarum probationum; earum videlicet, quæ plenam non faciunt fidem. Cujus generis etiam sunt scripturæ privatæ, puta testationes, adnotationes, & id genus. Hæc enim fidem non faciunt: adeo ut Tullius *Orat. pro Roscio* scripserit, suum codicem testis loco citare, arrogantiæ esse; ejusdem generis etiam jusjurandum fecere, dixereque tantum adminiculum esse probationum infirmarum. Sed hæc omnia singulatim dispiciamus: recte enim ait Corinna ad Pindarum *, τῇ χειρὶ δεῖν σπείρειν, ἀλλὰ μὴ ὅλῳ τῷ θυλάκῳ, id est, *manu serendum esse, non toto sacco*. Et incipiamus a Testibus.

CAP. XXXV.

De Testium fide.

A Testibus, inquam, non teste: plures enim testes exacti ad constituendam fidem; nec sufficit unus testis, siquidem unius nulla est fides. Quod dictum tribuitur Quinto Scævolæ, ex Valerio Max. *lib.* 4. *cap.* 1. interdum tamen Theophilus in testamento militari testimonium unius admisit; & Constantinus unius Episcopi testimonio credi voluit [1]; sed id ex jure speciali quodam; regulariter enim ad probationem unus non sufficit; unde & antiquis legibus, in unoquoque negotio, videmus certum plurium testium definitum numerum, ut in coemtione [2], quod genus erat nuptiarum, decem requirebantur, ut auctor est Ulpianus [3] in hæc verba, *farre convenitur in manum, certis verbis, & testibus decem præsentibus; & solemni sacrificio*, &c. & in testamentis [4], ut & in divortiis, septem exigebantur: & in codicillis, atque etiam in testamentis rusticanorum quinque; quin etiam invenio apud Valerium *lib.* 8. *cap.* 1. in causa repetundarum, *lege accusatori licuisse centum & viginti hominibus denunciare testimonium*.

Ubi vero legibus non erat definitus testium numerus, ut puta in vindiciis sumendis, & furti conceptione, quæ leges 12. *Tab.* voluere fieri superstitibus, id est, præsentibus testibus, non adhibito numero, iis casibus duo testes sufficiebant. Sed an licitum litigatoribus, tot evocare testes, quot libitum? Minime sane: nam & refertur, apud Valerium Probum *de Notis*, scripta edicti particula, quæ hoc habet, *Quanti ea res erit, tantæ pecuniæ judicium recuperatorium dabo: testibusque publice duntaxat decem denunciandi potestatem faciam*. Quod desumtum videtur ex lege Mamilia [5], cujus quintum caput tale erat: *inque eam rem is qui hac lege judicium dederit, testibus publice duntaxat in res singulas decem denuntiandi potestatem facito*.

Porro non passim quilibet testis admissus: testis enim, ut Modestinus [6] ait, fides, dignitas, mores, gravitas examinabantur: adeo ut admitteretur tantum, qui careret suspicione, vel inimicitiæ, vel lucri, vel gratiæ; inimicos quidem omni video receptum jure testes non recipi, si essent capitales, id est, si judicium capitale inter se exercuissent;

* Ut refert Plutarchus in lib. *de Gloria Athen.*
1 L. ult. C. Theod. de Episc. judicio.
2 In fragm. tit. 9.
3 L. nullum ff. de divort.
4 L. hac consultissima §. ult. C. de test. l. ult. C. eod.
5 L. ubi numerus ff. de test.
6 L. in testibus ff. de testib.

leves enim inimicitiæ teſtis fidem non impediebant. Similiter ſuſpicione gratiæ, pater in cauſa filii, nec filius in cauſa patris, nec libertus in cauſa patroni, nec ſervus in cauſa domini admitti ſoliti, niſi extra ordinem. Lucri item cauſa egentes perſonæ a teſtimonio repulſæ ſunt; & ii inſuper omnes, quorum proprium in re qua de ageretur, intereſſe verteretur.

Præterea & jure receptum, inteſtabiles haberi eos, qui judicio publico damnati; qui vinculis, cuſtodiave publica carcerati erant; quique ad beſtias depugnandas ſe locaverant; qui palam quæſtum facerent, fecerantve; & ceteros denique eos, qui lege Julia de vi ſunt comprehenſi. Quibus adde impuberes; & eos etiam qui auriti tantum; eorum enim puſilla fides, unde Plautus in *Trucul.* Act. 2. Sc. 6. verſ. 7.

Non placet, cum illi plus laudant, qui audiunt, quam qui vident.
Pluris eſt oculatus teſtis unus, quam auriti decem.
Qui audiunt, audita dicunt: qui vident, plane ſciunt.

Oculi enim rebus ipſis interveniunt, & contrectant quodammodo negotia, totaque percipiunt adjuvante luce, per quam illuſtrantur deprehenduntur que omnia: aures autem minus fidei habent quam oculi; ut quibus non cum ipſis rebus ſit commercium, ſed cum ſermonibus rerum interpretibus, & non ſemper veritatem ſectantibus. Ideoque Moſes noluit Judices ſuos uſquam teſtimonia ejuſmodi admittere.

Attici autem ea recipiebant, ſed imbecilla ducebant; eorum teſtimonia, qui viderant, μαρτυρίαν appellabant: eorum vero qui audiverant, ἐκμαρτυρίαν. De quibus Iſæus in *Orat. de hæred. Pyrrhi*, in hæc verba: Καὶ ἐπὶ μὲν τῶν μαρτυρίαις αὐταῖς τοῖς παραγενομένοις αὐτοῖς, ὁποῖοί τινες ἂν ὦσι, τούτοις μάρτυσι χρῆσθαι ἀναγκαῖόν ἐστιν ἡμῖν· παρὰ δὲ τῶν ἀσθενούντων ἢ τῶν ἀποδημεῖν μελλόντων ὅταν τις ἐκμαρτυρίαν ποιῆται, τοὺς ἐπιεικεστάτους τῶν πολιτῶν καὶ τοὺς ἡμῖν γνωριμωτάτους ἑκάστους ἡμῶν παρακαλεῖ μάλιστα· καὶ οὐδὲ μεθ' ἑνὸς οὐδὲ μετὰ δυοῖν, ἀλλ' ὡς ἂν μετὰ πλείστων δυνώμεθα τὰς ἐκμαρτυρίας πάντες ποιούμεθα. Id eſt, *In μαρτυρίαις eos, qui affuerint, qualeſcumque ſint, adhibeamus neceſſe eſt; ubi vero de imbecillis, aut peregrinaturis ἐκμαρτυρίαν elicimus, optimum quemque civem & nobis notiſſimum omnes advocamus; neque cum uno aut duobus, ſed quam plurimis poſſumus, ἐκμαρτυρίας facimus.*

Illud autem obſervabatur olim, ut ante teſtimonii perhibitionem jurarent teſtes, ſe e veritate dicturos; quod Tullius indicat *Orat. pro Fontejo*, dum ait, *jurati teſtes dicunt, quod ego injuratus inſimulo* & etiam alibi, cum de M. Scauro teſte, *cujus* (inquit) *injurati nutu prope terrarum orbis regebatur, jurati teſtimonio, neque in C. Fimbriam, neque in C. Memmium creditum eſt*; ibidemque, de Gallis per ironiam, *ab iiſdem gentibus* (inquit) *ſanctis, & in teſtimonio religioſis obſeſſum Capitolium eſt, atque Jupiter, cujus nomine Majores noſtri ſanctam teſtimoniorum fidem eſſe voluerunt.* Juſjurandum enim ejuſmodi ſub Jovis nomine fieri ſolitum erat, ut & Græcis Platone auctore lib. 11. *de Legib.* τοὺς τρεῖς θεοὺς, Δία, καὶ Απόλλωνα, καὶ Θέμιν ἀπομόσας. Et eo etiam a Romanis differebant, quod Romani ante teſtimonii perhibitionem jurabant; hi vero tantum teſtimonio dicto, idque tangentes aras: cujus rei documento eſt vir integerrimus ſanctiſſimuſque Xenocrates [1]: *qui cum teſtimonio dicto, jurandi cauſa ad aras accederet, una voce omnes Judices, ne is juraret, reclamarunt.* Unde & celebris vox illa Periclis manavit, qui rogatus ab amico, ut pro ſe falſum dejeraret, probe reſpondit, *amicum ſe illi tantum uſque ad aras futurum.*

Notandum præterea eſt, olim in dicendis teſtimoniis obſervatam fuiſſe quandam ἀκαταληψίαν: ut qui teſtificarentur, non ſe ſcire nec pro certo compertum habere pronuntiarent, ſed Socratico more aſſertionem quaſi temperarent, vocabulo modeſto, dum arbitrari ſe dicerent. Quod aperte Tullius indicat *Orat. pro Fontejo*, dum in hunc modum recenſet formam teſtimonii dicti a quodam Gallo: *Credo hæc eadem Indutiomarum in teſtimonio timuiſſe, aut cogitaſſe; qui primum illud verbum conſideratiſſimum noſtræ conſuetudinis,* (ARBITROR) *quo nos etiam tunc utimur, cum ea dicimus jurati, quæ comperta habemus, quæ ipſi vidimus, ex toto teſtimonio ſuo ſuſtulit, atque omnia ſe ſcire dixit.* Idemque IV. *Academic. Quam rationem, Majorum etiam comprobat diligentia: qui primum jurare* EX SUI ANIMI SENTENTIA *quemque voluerunt: deinde ita teneri,* SI SCIENS FALLERET, *quod inſcientia multa verſaretur in vita: tum qui teſtimonium diceret,* UT ARBITRARI *ſe diceret etiam quod ipſe vidiſſet: & quæque jurati Judices cognoviſſent, ut ea non eſſe facta, ſed ut* VIDERI *pronuntiarent.*

Illud etiam olim obſervabatur, ut inviti teſtimonium dicerent in cauſis criminalibus [1] tantum; Plin. *ep.* 9. *lib.* 3. *E teſtibus quidam ſive iratus, quod evocatus eſſet invitus, ſive ſubornatus ab aliquo reorum, ut accuſationem exarmaret,* &c. In cauſis vero civilibus teſtes erant voluntarii, ut Quintilianus *lib.* 5. auctor eſt. Poſtea autem Juſtinianus *Novella Conſtitutione* XC. de teſtibus etiam invitis in cauſis civilibus teſtimonium denuntiari voluit; exceptis affinibus, & cognatis & viris illuſtribus, & iis qui ſupra eos ſunt; ii ſiquidem neque in judicio, neque ex ſcripto teſtimonium dicere cogebantur, niſi juſſione ſacra; exceptis etiam mediatoribus; ſi illo vocabulo ſacris Litteris peculiari uti liceat: quo ſignificari putat Theodorus ſequeſtres, apud quos res litigioſa deponitur, quos μεσεγγύους μεσίτας, nonnulli μεσάζοντας, interventores, alii ſequeſtres pacis, ſive honorarios arbitros appellant.

Apud Atticos vero ii tantum qui viderant, teſtimonium dicere cogebantur: aut ἐξόμνυσθαι, id eſt, *abjurare* ſe non affuiſſe, aut certe mille drachmas pendere; iſque qui ad dicendum teſtimonium citabatur, κλητεύεσθαι, per quem citabatur, κλητὴρ, & qui mille drachmarum terrore teſtimonium dicere cogebatur, ἐκκλητεύεσθαι; ut ex Polluce & Harpocratione licet intelligere. Sed hic ſubſiſto; cetera enim dicam lib. ſequenti, & commodiori loco. Agendum nunc eſt de altera probationis ſpecie ſumma; quæ eſt *de fide inſtrumentorum.*

CAP. XXXVI.

De fide inſtrumentorum.

INſtrumentorum æqua ſemper fuit fides ac teſtium: modo legitime fuiſſent confecta; adhibitis nimirum teſtibus, & ſubſcriptionibus; teſtibus, inquam, idoneis; non enim huic rei agendæ teſtes omnes erant idonei, ſed ſoli Equites, aut ornati viri, ſi Romæ id fieret; ſi vero in Provinciis, ipſi tantum Duumviri, aut Decuriones; ſiquidem penes eos jus ſigilli erat. Quod Seneca indicat lib. 2. *de Benef.* dum ait: *Quidam nolunt ſecum nomina fieri, nec interponi pararios, nec ſignatores advocari, nec chirographum dari.* Et *ibid.* lib. 3. multo apertius: *Utinam quidem*, inquit,

[1] Apud Cic. *Orat. pro Balbo.*

[1] L. 4. §. 20. 21. ff. de teſtib.

*persuadere possemus, ut pecunias creditas tantum a volentibus acciperent; utinam nulla stipulatio emtorem venditori obligaret: nec pacta conventaque expressis * signis custodirentur: fides potius illa servaret, & æquum colens animus. Sed necessaria optimis prætulerunt, & cogere fidem quam spectare malunt. Adhibentur ab utraque parte testes; ille per tabulas plurium nomina interpositis parariis facit; ille non est interrogatione contentus, nisi rem manu sua tenuit. O turpem humano generi fraudis ac nequitiæ publicæ confessionem! annulis nostris plus quam animis creditur. In quid isti viri ornati adhibiti sunt? in quid imprimunt signa? Nempe ne ille neget accepisse se quod accepit.* Quo etiam spectat Plauti illud in *Aulularia*, inter *Supposita*:

—— nostra ætas non multum fidei gerit;
Tabulæ notantur, adsunt testes duodecim,
Tempus locumque scribit Actuarius,
Tamen invenitur Rhetor, qui factum neget.

Ex quibus Senecæ & Plauti vides præter testium delectum, aliaque solemnia in instrumentis conficiendis, observatum etiam illud, ut in his locus, dies, Consulque designarentur. Quibus & alia postmodum addita est a Justiniano [1] solemnitas, ut scilicet protocolla in instrumentis retinerentur; jussit namque Justinianus, ne Tabelliones in mundum redigerent contractum, alia charta, quam ea quæ habuerit protocollon; quod forte ex eo argui falsum posset. Πρωτόκολλον, *Protocollon*, autem Cujacius recte interpretatur, brevem adnotationem, quæ declarabat, quo Comite largitionum, (sub cujus cura erant chartariæ) quo tempore, & a quo præparatæ fuissent chartæ; ut & hodie habent chartæ notam aliquam, ex qua dignoscuntur quis eas præparavit.

Ea vero instrumenta hoc modo moreque confecta, publica dicebantur; interdum etiam forensia: Augustinus *epist.* 162. *cum chartis veteribus non archivis publicis, non gestis forensibus agimus*; & aliquando etiam re gesta, ut a Prudentio in *Hymno Rom. Antioch.* circa fin.

Hic in regestis est liber cælestibus,
Monumenta servans laudis indelebilia †.

Sed proprie forensia & regesta dicebantur, ea quæ ab iis confecta, qui acta judiciorum scribebant. Ea vero omnia perpetuam fidem faciebant, sive eorum authenticum produceretur, sive etiam exemplar, modo factum fuisset Judicis accedente auctoritate, & ab ipsa persona publica, Actuario vel Tabellione [2]: eaque integritate, quam sic attingit Cassiodorus epist. 21. lib. 12. *Variar.* ad Scribam Ravennatem scribens: *Pascat te editio decora veritatis, facultas tua habeatur integritas. Da petentibus, quæ olim facta sunt. Translator esto, non conditor antiquorum gestorum. Exemplar, velut annulum, ceris imprime: ut sicut vultus expressa non possunt signa refugere, ita manus tua ab authentico nequeat discrepare.*

Quantum autem attinet ad instrumenta privata, nudas scripturas, & sola contrahentium auctoritate factas, jure receptum est, plenam fidem non facere. Licet forte comparatione litterarum possent confirmari; nam & *formas agrorum privatas non obligare*, Siculus Flaccus ait. Fuerunt tamen instrumenta quædam privata, quæ fidem faciebant, puta chirographa, syngraphæ acceptilationes, apochæ, antapochæ, & testimonia suffulta testium voce, eaque privata dicebantur, quod domi & nulla adhibita solemnitate conficiebantur: unde & domestica dicta; ut in *Epistola Commodi ad Claudinum Albinum*, apud Julium Capitolinum: *Alias* (inquit) *ad te publice de successore atque honore tuo misi: sed hanc familiarem & domesticam omnem (ut vides) manu mea scriptam Epistolam dirigo.*

* Alii, *impressis*. † Alii, *indelebilis*. 1 Novella 44. 2. L. quicumque ff. de fide inst. l. procuratoria C. de edendo.

CAP. XXXVII.

De fide jurisjurandi.

Jusjurandum dixerunt affirmationem religiosam esse, qua affirmantur pleraque inter homines Deo immortali interposito tum Judice, tum teste: sicque jusjurandum appellatum, quasi jus sacratum, quod nimirum fieret Deo Judice & teste, ut est apud Nævium Poetam,

Jus sacratum Jovis jurandum sanguine,

id est, obtestatione Jovis, vel confirmatione, vel sanctione: ut & Virgilius significat lib. 2. *Æneid.* vers. 157. dum ait,

Fas mihi Grajorum sacrata resolvere jura.

Ejus itaque cum tanta Antiquis istis fuerit sanctitas & religio, quis recte dixerit jurisjurandi cæcam pusillamque fidem? cum & fere omnes controversiæ olim hoc juramento sanctissime deciderentur? nam & legimus Numam Pompilium sanxisse, ut dubii contractus jurejurando terminarentur; & Diodorus testatur, magnum jurisjurandi usum fuisse apud Ægyptios. Notumque est, quod Apostolus scribens *ad Hebræos* cap. 6. ait, *πάσης ἀντιλογίας πέρας πέρας εἰς βεβαίωσιν ὅρκος*: *Jurare enim*, teste Ambrosio *Serm.* 14. *in Ps.* 118. *indicium scientiæ, testimonium conscientiæ est.*

Græcis præcipue id in usu ad sedandas lites, ex institutione Rhadamanthi, ut Plato lib. 12. *de Legib.* auctor est: censuit enim Rhadamanthus, non hominum ulli, sed Diis ipsis judicia esse committenda; idcirco simpliciter & magna celeritate judicia peragebat; de singulis enim controversiæ capitibus jurejurando a litigatoribus exacto, breviter & certo liti finem imponebat.

Romanis vero in litibus decidendis adeo etiam frequens, ut a Cajo appellatum sit, ***maximum litium expediendarum remedium***: huic namque præstito, Judici & litigatoribus standum erat: nec ultra quid amplius quærebatur. At eam religionem non omni juramento ut Græci detulere, sed ei tantum, quod ex conventione proficiscebatur: cum pars scilicet adversario juramentum deferret, ut si juraret rem, qua de ageretur, suam esse, eam ei cederet; tunc enim eum de causa sua Judicem faciebat, ex eoque strictissime tenebatur. Unde Aristot. lib. 1. *Rhetor. ad Theodect.* *εἰ δὲ δίδωσιν, ὅτι ἀσεβὲς τὸ θέλειν τοῖς θεοῖς ἐςὶ τρέπειν· καὶ ὅτι οὐδὲν δεῖ αὐτὸν ἄλλων κριτῶν δεῖσθαι, αὐτῷ γὰρ δίδωσι κρίνειν.* Æquum autem erat reum [1], ex hoc jurejurando sic teneri, quasi cum actore ita convenisset; ut si sibi deberi juraret, debere se fateretur. Qua de re intelligendus Cicero, dum ait, *nullum vinculum ad adstringendam fidem jurejurando Majores arctius esse voluisse.*

Ideoque hoc juramento ex conventione præstito, causa nunquam retractabatur [2], præterquam in causa testamentaria, ut videre est in celebri quadam Justiniani *Constitutione*. Sed cur idem ju-

1 L. admonendi ff. de jurejur. 2 L. cum quis legatum C. eod.

re non est receptum de altera juramenti specie quod a Judice deferebatur, cum per se legitima & plena probatio non esset: id sane inductum puto, quod Judex illud deferre non poterat, nisi aliquid probasset actor, nisi semiplena probatione sufful tus: actore enim nihil probante, reus omnino erat absolvendus. Igitur jusjurandum hujusmodi adminiculum tantum, vel supplementum infirmæ & illegitimæ probationis duxerunt; & ipsi Rhetores inter cæca posuerunt testimonia; unde etiam illius vis semper adeo imbecilla fuit, ut eo præstito sæpissime causa retractaretur, ut a Cajo scriptum est in hæc verba: *Generaliter in omni judiciali jurejurando hoc observari constat, cum sæpe soleant Judices, in dubiis causis, exacto jurejurando, secundum eum judicare qui juravit; interdum tamen etiam post jusjurandum exactum, absoluto reo a Judice, causa ex integro agitur, juxta id quod constitutionibus permissum est; si quis videlicet nova instrumenta se invenisse dicit*, &c. Reliquas autem illegitimæ probationis species ostendere, fasce & viatico, ut dicitur, opus esset; ideo de his Rhetores consules, si ocium, si opus.

C A P. XXXVIII.

An Judex olim, ex gestis & probatis, an ex conscientia judicare tenetur.

Nec inutile, nec ociosum duxi, post probationum tractatum, hanc subjicere quæstionem: quia sæpe dubium hoc Judici olim, ut & hodie, potuit occurrere. Nec indignam *forte operam dices, cum & quondam sinuosæ quæstionis disputatio illa* viros celebres exercuerit, Phavorinum, & Gellium *l.* 14. *cap.* 2. Gellius enim sustinebat Judicem judicare debuisse secundum acta & probata in judicio; adeo ut litem voluerit addici ei, unde pecunia petebatur, quamvis eum novisset probri plenum, spurcissimæ ac diffamatissimæ vitæ; illum vero qui petebat, virum esse ferme bonum, notæque & expertæ fidei, & vitæ inculpatissimæ. Quod videlicet petitor ille exilibus argumentis & probationibus niteretur.

Et sane tutior securiorque hæc fuit ratio finiendarum litium; quam si obtentu scientiæ Judicis licuisset probationum nullam habere rationem. Ut enim niquam sententiam Judicis unius valere præstat, quam incertam esse rerum judicatarum auctoritatem; ita profecto multo melius erit, probationes sequi Judicem, quam quod se scire profitetur, & dicit vere, an falso, ceteris nescientibus.

Præterea si secus fecisset Judex, num simul testis & Judicis partes egisset? Coire quidem ea possunt in adversario, cujus jurejurando res committitur: at coire nusquam possunt in eo qui judicandi munus suscepit; eaque ratione prudenter usus posterior Africanus in Censura, recognoscens centurias Equitum; dum jussit Cajum Licinium Sacerdotem traducere equum, & lucrifacere Censoriam notam: quem tamen dixerat se scire verbis conceptis pejerasse, quod idem nemo alias testificabatur, ut Valerius scribit *lib.* 4. *cap.* 1.

Ceterum si Judici licuisset secundum ea quæ scivisset judicare, probationibus, aut iis, quæ producta erant, neglectis & contemtis; num etiam consequens fuisset, deficiente accusatore damnare quemlibet Judicem potuisse? Hoc vero nusquam jura sunt passa. Et Ulpianus videtur id dubii expresse dissolvisse [1], dum differens de officio Præsidis, edicit sequi debere fidem eorum quæ probantur, ne errore, vel metu, vel mendacio gestorum vitietur rerum veritas.

Sed videamus quæ pro Phavorino contra innitente faciant. Et sane pro illius sententia pugnat ipsa veritas, contra quam Judici eam scienti, judicasse, quis non dixerit summum fuisse scelus? Veritatem enim qui fallit, ut a sapiente dictum est [1], Deum prodere dicitur, qui ipsa est veritas. Hinc Pythagoras interrogatus, quid Deo simile homines facerent, scite respondit, ἐὰν ἀληθεύωσιν, id est, *cum veritatem exercent*: maximum enim Deorum Horomasden ajunt, corpore quidem luci similem, anima vero veritati; unde & olim Osymandius Ægyptiorum Rex proposuit sculptas imagines Judicum, quibus ab collo dependebant veritatis effigies, ut refert Diodorus Siculus.

Præterea si secundum testes, rationes, aliave instrumenta producta, sine dubitatione, Judici judicandum fuisset, sapiente & probo Judice quid jam opus esset? cur alius alio Judice melior existimaretur? quo respiciens M. Tullius *Orat. pro Fontejo* eleganter scripsit in hæc verba: *Quid est, ubi elucere possit prudentia? ubi discerni stultus auditor & credulus a religioso & sapienti Judice? nimirum illud, in quo ea, quæ dicuntur a testibus, conjectura & cogitatione traduntur, quanta auctoritate, quanta animi æquitate, quanto pudore, quanta fide, quanta religione, quanto studio existimationis bonæ, quanta cura, quanto timore dicuntur*; cui e nostris Callistratus adstipulatur [2], dum scribit, *debere Judicem ex animi sententia æstimare, quanta sit fides testibus adhibenda, quidque credendum probationibus*. Igitur si bonum justumque sit prudenti Judici, in ponderandis æstimandisque probationibus, liberum concedi arbitrium; cur non æque justum, illius scientiæ plus credi, quam iis testimoniis quæ falsa novit; ideoque Demosthenes non putavit absurdum dicere, Aristogitonem (cujus nota erat improbitas) privatim damnatum esse ab omnibus Judicibus, etiam priusquam esset aliquid in judicio gestum. Denique hujus sententiæ legimus quondam fuisse Joannem Rivium virum doctissimum, cujus verba lib. 2. *de Conscientia* hic lubet apponere: „Quid si Judex id ipsum, quo de apud eum agitur, casu forte aliquo, priusquam sit in judicium deductum, cognitum compertumque habeat; nec id interim fuerit in agenda causa probatum: quid hic tandem faciendum? secundumne ea quæ sint ei comperta, an quæ negantur, probanturque judicandum? & id ne verum censendum, quod re ipsa verum, an quod ex actis ita esse probatur, quum res aliter se habeat? quamquam scio præclaros quosdam & præstantes ingenio doctrinaque viros ea in sententia esse, ut secundum ea demum quæ probantur, non quæ ipse Judex forte novit, judicandum putent; propterea quod illud Judicis, hoc testis esse dicunt: quumque Judex publico munere fungatur, ea illum sequi spectareque censent oportere; non quæ ut privatus ipse novit, sed quæ personæ quam gerit atque sustinet: jurejurando, tabulis, testibus, aliisque probationibus, & documentis legitimis, plana in judicio fiunt: ego tamen intimæ illi cordis approbationi, hoc est, conscientiæ, satis eum facere malim, quam hac reclamante, aut innocentem condemnare, aut absolvere nocentem. Quod si alio pacto honeste quomodo inde habeat, nescit; aut non liquere sibi fateatur; aut rem apud alios, quo ipse judicandi onere levetur, agendam curet. H[illegible] Rivius.

Huic vero pugnæ qui caduceatores ad[illegible]

1 L. illicitam. §. veritas.

1 Apud Stobæum. 2 L. 4. §. 1. & §. eju[illegible] stib.

runt, hac sunt usi distinctione: aut ambigebat tantum Judex, ut in causa obscura, aut errorem vel falsitatem prospiciebat[1]; illo casu ex æquo & bono causam, quam lædi putabat, adjuvare poterat: puta supplendo & proferendo quæ minus erant a partibus probata: licet hoc magis patrocinari quam judicare dixerit Agellius; vel poterat Judex ipse in tali dubio juramentum deferre, ut probationis infirmæ adminiculum; ita enim anxius dubiusque judicare non debebat; nam, ut eleganter Tullius ait lib. 1. *Off. Bene præcipiunt qui vetant quicquam agere, quod dubites, æquum sit, an iniquum: æquitas enim lucet ipsa per se; dubitatio autem cogitationem significat injuriæ.* Si autem[1] bonam causam falsitate aliqua, vel instrumentorum, vel testium lædi vidisset Judex: quoniam tunc de conscientia & religione sua agebatur, videri jam ex animi sententia potuisse pronuntiare: in quod belle facit Seneca lib. 2. *de Clementia*, dum ait: *Clementia liberum arbitrium habet: non sub formula, sed ex æquo & bono judicat. Et absolvere illi licet, & quanti vult, æstimare litem.* Sed illud quidem olim de majori Judice, & cujus liberior potestas, dici poterat; secus autem de infirmo Judice, dato videlicet, sub hac similive formula, SI PARET LUC. TIT. DARE OPORTERE.

Malim autem ipse in ista varietate, quemvis Judicem hoc sequi consilium: ut si religione moveatur, quominus judicet, contra quam ipse sciat rem se habere, personam Judicis deponat, & suscipiat testis, vel accusatoris; ut apud Livium *lib. 3. C. Julius Decemvir, accusator apud Populum maluit esse ejus rei, cujus Judex legitimus erat.* Nec enim, ut dixi, & testis & Judicis partibus fungi quisquam potest; si Judicis partes suscipit, deponat testis; ut est a Platone in *Legibus* lib. 11. scriptum hoc modo, *Ἐὰν δέ τις τινὰ δικάζοντα, ἀνασήσηται μάρτυρα μαρτυρήσας, μὴ διαψηφιζέσθω περὶ ταύτης τῆς δίκης.*

CAP. XXXIX.

Observata quædam de ampliatione, de æquitate, & sententiarum paritate.

JUdici ante pronuntiationem multa exacte prospicienda erant; & illud primum, ut plenissime causa cognita esset, adeo ut si quid adhuc obscuritatis post pensatas probationes remaneret, eum diem differre oporteret, ampliusque pronuntiare. Quod fiebat descriptis in tabella duabus litteris, N. L. vel si difficultas e juris defectu, aut varietate, Principem aut Senatum consulere: nove ut fecisse se Plinius Bithyniæ Præses docet *lib. 10. epist. 30.* in hæc verba: *Quid debeam sequi, rogo, domine, scribas; præsertim cum pertineat ad exemplum.* Quod postea abolitum fuit, nova Justiniani *Constitutione*[2]; semper tamen permissum ampliatione uti & dilatione, ut quod obscurum habito consilio posset Judex diluere; & recte id quidem: nam & Cyprianus in *Epist. festinationem, justitiæ novercam* appellat; id vero Judici facere non licitum, nisi prius præstito juramento, sibi non liquere; hoc enim prætextu, ab eo timebatur gratia. Unde miror, qua mente Asconius dixerit, etiam ampliationem interdum factam in causa manifesta.

Præterea & illud Judici observandum erat, ut in componenda sententia semper æquitatem præferret **A** juri stricto; id Constantino docente[1], cum ait, *placuit in omnibus judiciis, tam publicis quam privatis*, (sic enim habet correctior codex) *præcipuam esse justitiæ æquitatisque quam stricti juris rationem.* Et illud etiam recte; strictum enim jus, & (ut Aristoteles ait) *τὸ ἀκριβοδίκαιον* plerumque iniquum & injustum est. Unde Celsus adolescens (ut apud Paulum relatum est[2]) eleganter ait, *plerumque sub auctoritate juris scientiæ perniciose errari.* Cui simile est, quod M. Tullius lib. 1. *de Off. Exsistunt sæpe* (inquit) *injuriæ calumnia quadam, & nimis callida juris interpretatione. Ex quo illud*, SUMMUM IUS, SUMMA INIURIA, *factum* **B** *est jam tritum sermone proverbium.* Jus enim strictum, ut Donatus ait *in Terentium Adelph. Act. 1. Scen. 1. est quod omnia recta & inflexibilia exigit; æquitas vero est, quæ de jure multum remittit*; unde interdum Græci eam appellant *φιλανθρωπίαν*, quasi *benignitatem*, & *humanitatem.*

Ea autem Judici amplectenda erat, non modo si legis verba ambigua: sed & interdum, si legis verba non paterentur, ut a Labeone responsum est[3]; imo & contra sententiam legis; quo respiciens Themistius sic elegantur scripsit in *Sophista*, *εἰσί πυ ὑμῖν κείμενοι (μᾶλλον δ' ἴσως & πᾶσιν ἀνθρώποις)* **C** *καθ' ὃς ἅπαντα ἐπιεικῶς ὑμῖν ἀναγκαῖον καὶ πράττειν καὶ ὀνομάζειν, καὶ εἰ περὶ τῦ ἀμφισβητοίντε, ἰόντες ἐπὶ τὺς νόμυς.* Sed heus! dicet aliquis, Modestinum qui solves, dum ait[4], *valere non debere sententiam, quæ expressim contra juris rigorem data fuerit?* Ipse vero respondeo, quamvis plerumque jus ab æquitate separetur; ibi tamen sic accipiendum esse juris rigorem, ut scilicet æquitatem quoque complectatur, & juris tenorem, verba, mentemque legum & constitutionum significet.

Porro non omnibus Judicibus fuit licitum leges æquitate moderari; sed Principibus tantum, & iis, quibus illi vel respondendi de jure facultatem per- **D** misissent, vel judicandi, aut Judicis dandi licentiam cum imperio concessissent; quo ex numero erant nimirum Magistratus, ii potissimum, qui vice sacra judicabant; inferioribus autem Judicibus id nusquam permissum, quippe juramento in leges adstringebantur, ut supra indicavimus.

Præterea & illud Judicibus observandum erat, ut eam retinerent sententiam, quæ non a senioribus, prudentioribus, dignioribus dicta esset, sed quæ a majori parte; ut a Pomponio responsum est[5]: unde Plinius *epist. 12. lib. 2. Nec aliud*, inquit, *in publico consilio potest fieri, in quo nihil est tam inæquale, quam æqualitas ipsa: nam cum sit* **E** *impar prudentia, par omnium jus est:* quod eleganti versu Prudentius lib. 1. *contra Symmachum* expressit, dicens:

Si consulta Patrum subsistere conscriptorum,
Non aliter licitum prisco sub tempore, quam si
Trecentum sensisse senes legerentur in unum,
Servemus leges patrias, infirma minoris
Vox cedat numeri, parvaque in parte silescat.

Unde fluxit vetus illud verbum apud Festum, NUMERA SENATUM, *quod objiciebat quivis Se-* **F** *nator Consuli, cum impedimento esse volebat, quominus fieret senatusconsultum.* Sed id non tantum in Senatu locum obtinuit, verum etiam in aliis ordinibus. P. Decius apud Tit. Livium *lib. 7.* milites alloquens: *Ubi sententiam meam vobis peregero, tum quibus eadem placebunt, in dexteram par-*

1 L. 1. C. ut quæ desunt. advoc. 2 Auth. novo jure C. de relat.

1 L. placuit C. de judic. 2 L. si servum. §. sequitur ff. de verbor. oblig. 3 L. licet. ff. de arbitr. 4 L. si expressim ff. de appell. 5 L. ff. 36. de re judic. l. diem §. si plures ff. de arbitr.

tem, tacite transibitis: quæ pars major erit, ejus stabitur consilio. Et venuste Annæus Seneca, lib. *de Vita beata* cap. 2. cum de beata vita agitur, ait: *Non est, quod mihi illud discessionum more respondeas, hæc pars major esse videtur; ideo enim pejor est. Non tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant. Argumentum pessimum turba est.* Id autem videbatur magis expedire, ne contentiones orirentur in Judices de ipsorum dignitate & conditione.

Quid vero si pares numero sententiæ? faveri reo solitum respondit Ulpianus. Cui Cicero assentit, dum sic *pro Cluentio*, *In consilium erant ituri Judices triginta & duo; sententiis decem & sex absolutio confici poterat.* Et Seneca *epist.* 81. *quemadmodum reus*, inquit, *sententiis paribus absolvitur, & semper quidquid dubium est, humanitas inclinat in melius*, &c. quod & apud Græcos in usu fuisse reperio apud Antiphontem περὶ τοῦ Ἡρώδου φόνου, dum scribit in hunc modum: Καὶ μὲν δὴ τὰ ἐξίσου γενόμενα, τοῦ φεύγοντός ἐστι μᾶλλον, ἢ τοῦ διώκοντος· εἴπερ γε τῶν ψήφων ὁ ἀριθμὸς ἐξίσου γενόμενος, τὸν φεύγοντα μᾶλλον ὠφελεῖ ἢ τὸν διώκοντα; fingebatur enim Minerva suum suffragium superadjecisse, cujus interventu superaretur pars, quæ contra reum faceret: ut fecit Dea ipsa in Martis Orestisque judicio; unde & illis factum proverbium, ἡ Ἀθηνᾶς ψῆφος, ut videre est apud Philostratum in *Aristot.* idque ex humanitate quadam observabatur, atque, ut Aristides in *Panathen.* loquitur, διὰ τὴν δικαίαν τινὰ φιλανθρωπίαν: semper enim pro laborantibus favor naturalis. Sed num his contrarium respondit Modestinus, dum ait alicubi [1], pluribus datis Judicibus, si pares pro reo stent, ac pro actore, sententiam in pendenti manere; at loquitur ipse de datis Judicibus, in quibus exspectanda erat confirmatio ejus Magistratus, qui eos dederat: secus vero in reliquis Judicibus observabatur.

CAP. XL.

De sententiæ pronuntiatione.

ORdinato judicio, discussaque & examinata a Consilio causa, Judici sententia pronuntianda erat: pronuntianda, inquam, ex tabella; hic enim ferendæ sententiæ frequentior modus, id indicante Suetonio in *Claudio*, dum ait, *de quodam etiam negotio, ita ex tabella pronuntiasse creditur, secundum eos se sentire, qui vera proposuissent:* & Apulejo etiam lib. 1. *Floridor.* dum scribit in hæc verba: *Præco cum Proconsule & ipse tribunal adscendit, & ipse togatus illic videtur, & quidem perdiu stat, aut ambulat, aut plerumque contentissime clamitat. Enimvero ipse Proconsul moderata voce, rarenter & sedens loquitur, & plerumque de tabella legit, quippe Præconis vox garrula ministerium est. Proconsulis autem tabella sententia est*, &c. quibus congruenter D. Augustinus in *Sermone de Sancto Cypriano Martyre*, *cum Galerius Maximus*, inquit, *decretum ex tabella recitasset, (in Tascium Cyprianum gladio animadverti placet) respondit ille, Deo gratias.* Et denique Tertullianus in *Apolog.* cap. 2. *quid de tabella*, inquit, *recitatis illum Christianum, cur non & homicidam?* quo denique referendum est, quod in Codice a Justiniano rescriptum est, titulo de sententiis ex periculo recitandis; ibi enim periculum pro tabella, sive pila, in qua sententia præscribebatur, accipiendum esse, Cujacius auctor est; citato Probo Æmilio, qui in *Epaminonda* periculum dixit, quod Plutarchus & Ælianus στήλην, id est, *pilam*, vel, ut Glossæ veteres, indicem & scriptionem, in qua scribenda erat Epaminondæ condemnatio; cui & addi potest, quod Festus testatur, Catonem posuisse in ea Oratione, quam ad lites censorias scripsit, (*periculatus sum*) pro eo quod est commentatus sum, vel libello complexus, ut observavit acuti vir ingenii Rævardus. Morem autem hunc sententiæ ex libellis pronuntiandæ, ipsos etiam datos Judices observasse, docet evidenter Seneca lib. 3. *de Benefic.* cap. 7. dum ait: *De quibusdam etiam imperitus Judex dimittere tabellam potest. Ubi fecisse aut non fecisse pronuntiandum est, ibi prolatis cautionibus, controversia tollitur.*

Græci vero (quos cum dico, Athenienses intelligo) per tabellam, aut libellum sententiam non ferebant, sed tantum per καδίσκους tam in publicis quam in privatis judiciis; sed in privatis, quatuor apponi solitos invenio apud Demosthenem, adeo ut Aristoteles lib. 2. *Polit.* Hippodami Milesii legislatoris consilium reprobet, dum suis permittit Judicibus, conferre invicem capita ad ferendam sententiam; id enim erat contra Atheniensium leges, quæ hoc omnino vetuerant, omnemque facultatem eripuerant Judicibus communicandi judicia; jubebant enim ut singuli quid sentirent sequerentur, nec ad aliorum sententias se applicarent; unde etiam eo auctore Nomothetæ Athenienses præceperant, sedilia ipsorum ita ædificari, ut si vellent capita conferre, communicareque opiniones inter se, non possent; sic enim Areopagitæ olim sententias libellis inscriptas, in urnam conjiciebant, ne quæ a quo lata esset, intelligi posset, Demosth. *Orat. contra Macartat.*

Præterea apud Romanos illud observabatur, ut Latino tantum concepta sermone ferretur sententia tam Romæ quam in Provinciis, ut a Tryphono responsum est [1]; & Livius indicat, dum scribit, *silentio per Præconem facto, Paulus Latine, quæ Senatui, quæ sibi ex consilii sententia, visa essent, pronuntiavit.* Et ideo iis, qui in munere constituti publico, non turpe solum erat, sed periculo junctum, Linguam Latinam ignorare; & exstant exempla, ob unam hanc noxam, ademtæ civitatis; Claudius certe Imperator, ait Suetonius in *ejus Vita*, *splendidum virum, Græciæque Provinciæ principem, verum Latini sermonis ignarum, non modo albo Judicum erasit, sed etiam in peregrinitatem redegit.* Solus enim Romanorum sermo publico in usu erat; unde Valerius id servatum esse ait non in Urbe tantum Romana, sed etiam in Græcia & Asia: quo scilicet Latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur. Adeo etiam ut Imperator Tiberius (Suetonio auctore) militem Græce testimonio interrogatum, nisi Latine respondere vetuerit. Et in *Verrinis* etiam invenimus, Marco Tullio quasi crimen objectum, quod domi cum Carneade ceterisque Græciæ Legatis Græce colloquutus fuisset. Unde Augustinus lib. 19. *de Civit. Dei* cap. 7. de hac Romanorum ambitione, *At enim opera data est*, inquit, *ut Civitas imperiosa, non solum jugum, verum etiam Linguam suam domitis gentibus per pacem sociatis imponeret.* Et sane non sine bono Romani ita Linguam communicabant; nam ut vetus quispiam scripsit, *efficit loquendi varietas, ut externus alieno non sit hominis vice.* Plutarchus ait in *Quæst. Platon.* suo ævo omnes fere homines ea usos, ex-

1 In l. duo Judices ff. de re judic.

1 L. 43. ff. de re judic.

cepit forte Græcis, qui non faciles cedere, & fasces submittere sermoni, quem præ suo putabant parum cultum; at Afri, Galli, Hispani, Pannonii Britanni, avidi arripuerunt. Gallos quidem Strabo docet *lib.* 4. (quos negat dicendos ultra barbaros) mutatos jam in Romanum morem, & Lingua & vita, & civili gubernatione; idem de Hispanis Strabo, qui ad Bætim colunt: plene planeque conversi jam in Romanos ritus; adeo ut nec sermonis sui patrii meminerint. Ea autem Latini sermonis necessitas non solum in ferendis sententiis, sed in ceteris quoque publicis negotiis, remissa fuit; postquam imperium in Græciam translatum est; tunc enim cœpit Latini Græcique sermonis usus esse promiscuus.

Præterea & illud in concipiendis sententiis observabatur, ut Judices nihil quicquam cum assertione pronuntiarent, sed modo hoc verbo (VIDERI) uterentur. Idque ex ἀπορίᾳ Academicorum, puta Socratis, Democriti, Anaxagoræ, Empedoclis, & aliorum, qui, ut Marcus Tullius ait lib. 1. *Academ. Quæst. nihil certo cognosci, nihil percipi, nihil sciri posse dixerunt: angustos sensus, imbecillos animos, brevia curricula vitæ, & in profundo veritatem esse demersam, opinionibus & institutis omnia teneri: nihil veritati relinqui: deinceps omnia tenebris circumfusa esse*; cui ex Platone adde illud Democriti, *αἰτίη οὐδὲν ἴσμεν, ἐν βυθῷ γὰρ ἡ ἀλήθεια*.

Morem hunc ἀπορίας in judiciis sic Cicero lib. 4. *Quæst. Acad.* extulit: *Quam rationem Majorum etiam comprobat diligentia: qui primum jurare* EX SUI ANIMI SENTENTIA *quemque voluerunt: deinde ita teneri* SI SCIENS FALLERET, *quod inscientia multa versaretur in vita: tum qui testimonium diceret, ut* ARBITRARI *se diceret, etiam quod ipse vidisset, quæque jurati Judices cognovissent, ut ea non esse facta, sed ut* VIDERI *pronuntiarent*. Ad quem etiam morem videtur respexisse Valerius *lib.* 14. *at is* (inquit) *jure eum cæsum* VIDERI *respondit*; & Tacitus, *pronuntiemus ultro, dominum jure cæsum* VIDERI. Cum vero capitis condemnabant, sic pronuntiasse Festus ait; *reum parum cavisse* VIDERI. Centumviralem quoque in querela inofficiosi testamenti pronuntiationem, ex Plinio in *Epistolis* hoc modo conceptam fuisse intelligimus: VIDERI *patrem justas irascendi filio causas habuisse*. Idem in Senatusconsultis, Augurumque ac Pontificum decretis servatum, Livius *lib.* 24. & 26. Cicero lib. 4. *Epist. ad Att.* epist. 1. & Auctor *Rhetor. ad Her.* demonstrant. Interdum etiam Judices, in pronuntiatione, hac utebantur formula, SI QUID MEI JUDICII EST, ut Cicero auctor est lib. 2. *de Finib.* cum ait: *Privatarum litium Judices sumus: nihil enim possumus judicare, nisi quod est nostri judicii: in quo frustra Judices solent addere, cum sententiam pronuntiant*, SI QUID MEI JUDICII EST, &c.

Postremo in ista sententiæ pronuntiatione observabatur, ut Judices sederent; in eo enim ab Oratoribus differebant, quod Oratores surgerent, Judices autem considerent; quod ita Plautus indicat in *Mostellaria* Act. 5. Sc. 2. vers. 21.

—— TE. *Nimis quam es Orator catus.*
Ca. *Sine me dum istuc judicare; surge, ego istic assedero.*
Th. *Maxime, accipito hanc ad te litem.*

Morem etiam istum Tullius indicat lib. 3. *de Nat. Deor.* dum ait: *Sed exeamus e theatro: veniamus in forum, sessum ite precor: quid ut judicetur, qui tabularium incenderit*. Ratio autem moris hujus e Plauto vulgo petitur, quod videlicet sedendo plus sapiamus; sic enim Comicus iste *ibid.* Act. 5. Sc. 1. vers. 53.

Theur. *Surge dum huc: est consulere igitur quiddam, quod tecum volo.*
Tra. *Sic tamen hinc consilium dedero; nimio plus sapio sedens.*

Quod de majoribus Judicibus intelligi volo; nam pedanei non sedebant, sed de plano & in pedibus stantes judicabant.

Nec vero denique hic omittendum putabis, quod Constitutionibus Justiniani & Leonis posteriori tempore statutum est; ut Judex sive Magistratus sententiam suam litteris, non notis perscriptam, atque etiam manu sua obsignatam, ut est in *Constit.* Leonis, per se ipsum ex libello publice partibus legat, & recitet; alioqui sententiam ipso jure nullam fieri; quod cum dicunt, hoc dicunt, ex integro causam agi & judicari posse, & sententiam citra appellationem infirmari, nec sententiæ nomine dignam esse; quod tamen non accipies de Præfecto Prætorio, & aliis qui illustrem administrationem gerebant, veluti Quæsturam, aut Præfecturam Urbis; ii enim per officiales suos sententiam suam recitare poterant, & sine scripto; Cassiodorus de Præfecto Prætorio; *quid est, quod non habeat commissum, cujus est, vel ipse sermo judicium?* quod etiam postea Episcopis indultum a Bonifacio [1] reperimus, propter fulgorem dignitatis hujus.

CAP. XLI.

An olim licitum mutare sententiam.

Prolata sententia, quasi e tripode emissum oraculum, nec revocari, nec mutari poterat: Seneca *Controvers.* lib. 7. controvers. 8. *Judex quam tulit de reo tabellam, revocare non potest; quæsitor non mutavit pronuntiationem suam*. Cui congruenter Apulejus lib. 1. *Florid. tabella semel lecta, nec augeri littera una, nec minui potest*.

Et hoc quidem distabat sententia ab interlocutione, quæ corrigi & mutari poterat; puta si præceperat [2] Judex adesse Calendis: mox mutata opinione, poterat jubere Idibus adesse, non Calendis; vel si jusserat ante in triennium caveri, postea poterat præcipere in longum caveri tempus; quia hæc interlocutio proprie sententia non erat; siquidem sententia proprie non dicitur, quæ absolutionem rei, aut condemnationem certam actoris & rei continet; eamque, ut dixi, Judici immutare non licitum; imo vero id habitum pro noxa. Nam a Marco Tullio Verri ut crimen objectum est 3. *Act. in Verr.* quod passim decreta commutaret, & de re judicata judicaret. Cui bellissime accommodari potest, quod de Philippo Macedonum Rege Plutarchus refert in *Apophth.* cum ille dormitabundus condemnasset Machætem, isque appellasset ad Philippum vigilantem & attentum; rursus cognita causa sententiam quidem non rescidit, sed pecuniam, in quam Machætem condemnaverat, ipse persolvit; & ita prudenter maluit de suo aliquid detrahi, quasi mulctæ nomine, quam mutatione inanis sententiæ, judiciorum auctoritatem imminui, lædique Rempublicam; nam recte Antiqui præcipuum civitatis robur in judiciorum firma constitutione posuerunt; quod & Marc. Tullius *Orat.* 2. *contra Rullum* confirmat, dum ait, *Minime popu-*

1 *Cap. ult.* de sent. & de re jud.
2 L. quod jussit. ff. de re judic. l. penult. ff. de Prætor. stipul.

ria illa existimanda sunt, judiciorum perturbationes, rerum judicatarum infirmationes, qui civitatum afflictarum perditis jam rebus solent esse extremi exitus.

Sententia etenim postquam prolata & jurgio finem fecit, Judici æque ac partibus sacrosancta esse debet; ideoque ei omnino putidum illam hac mutatione ludificare, & ita miseros decipere litigatores; ne autem ipsum error commissus in id impellat levitatis, ante pronuntiationem, omnia, quæ controversiæ sunt, accurate debet prospicere; denique ita prudenter judicium componere, ut

Ne quid hiet, ne quid protuberet, angulus æquis
Partibus ut coeat, nihil ut deliret amussis.

Ut Virgilius* ait in eo *carmine*, cui inscribitur titulus *viri boni*. Interdum tamen Romano Jure Magistratibus reperio licitum fuisse iterum judicare, si ante male judicavissent: Magistratibus, inquam, non datis Judicibus: simul enim cum prolata sententia, eorum intercidebat officium, & privati reddebantur; adeo ut licet male & inique judicassent, sententiam tamen corrigere & mutare non possent, nisi circa accessoria [1]. Secus autem, ut dixi, in Magistratibus, quorum post sententiam non finiebantur officia. Itaque si minorem indefensum, vel eum qui amplius non erat in rebus humanis, Magistratus condemnasset, quia sententia nulla erat, denuo causam poterat cognoscere, iterumque judicare [2]; & similiter si adversus hæredem pronuntiasset, non agentem causam, vel lusorie agentem, rursus legatariorum gratia poterat causam cognoscere, ut Julianus indicat [3]; itemque si expressim contra leges & constitutiones pronunciasset, iterum erroris factus conscius, poterat judicare; idemque in ceteris sententiis, quæ ipso jure nullæ, & quæ, *αἱ μὴ οὖσαι, καὶ οὐκ ὄντες, καὶ ἀνάδικαι* Demostheni *in Mid.* In his enim ab eodem rursus judicium ferri posse, sæpe nostri docuerunt [4]. Poterat tamen ad majorem Magistratum, intuitu nullitatis, causa devolvi, sicque mutari tribunal; ut & mutabatur, si Magistratus per turpitudinem & sordes inique decrevisset; hoc enim nomine reus factus, indignus erat qui de his iterum cognosceret [5]; imo qui unquam judicio præficeretur. Sed certe varia aderant remedia, ad conquerendum de iniquitate sententiæ; appellatio scilicet, supplicatio, & institutio: de quibus sigillatim dicendum est.

CAP. XLII.

De appellatione.

ANtiquissimum fuisse appellationis usum argumento est, quod legimus [6] Solonem illum Atheniensem, cum superiorem Senatum civibus suis seu gravissimarum rerum *ἔφορον*, observatoremve, & legum suarum custodem præfecisset; ad eum etiam *ἔφεσιν*, seu provocationem, perinde atque ad tribunal inculpatius lege lata esse voluisse: unde & appellationes vocavere *δίκας ἐφεσίμους*.

* Memoriæ lapsus, leg. *Ausonius*, eumque videsis *Edyll.* 16.
1 L. Judex posteaquam ff. de re jud. 2 L. præs. & C. quomodo & quando Judex. 3 L. si servus plurium, §. 1. ff. de leg. 1. 4 L. absentem C. de accusat. l. 1. §. 1. ff. quæ sent. sive appell. cap. dilectus, de appell. 5 L. per hanc divinam C. de tempor. appell. l. eccl. C. de appell. 6 Apud Arist. in *Pol.* & Plutarchum in *Solone*.

A

Romanis quoque appellationis usum antiquum fuisse indicat, quod Historici scripserunt de Tullo Hostilio, qui in judicio Horatiano provocationi ad populum cessit, ut Livius *lib.* 1. refert; & post eum Valerius *lib.* 8. *cap.* 1. Itemque de Publ. Valerio Publicola, qui exactis Regibus in consulatum suffectus, inter eas leges, quibus plebejam auctoritatem nonnihil juvare erigereque conatus est, & hæc fuit; A CONSULIBUS CONDEMNATIS, AD POPULUM PROVOCARE FAS ESTO: fuit & hæc altera Valerio & M. Horatio Coss. NE QUIS ULLUM MAGISTRATUM SINE PROVOCATIONE CREARET. QUI CREASSET, EUM JUS FASQUE ESSET OCCIDI, NEVE EA CÆDES CAPITALIS NOXÆ HABERETUR: quam legem Livius etiam refert *lib.* 3.

B

Fuit vetus hic appellandi mos observatus, ea etiam lege, cujus verba apud Tullium hæc sunt lib. 3. *de Leg. Justa Imperia sunto, iisque cives modeste ac sine recusatione parento. Magistratibus, nec obedientem & noxium civem mulcta, vinculis, verberibusque coercento: ni, majorve potestas, populusque prohibessit: ad quos provocatio esto.* Illis vero temporibus non frequens appellationis usus in causis civilibus, sed tantum in re majori criminumque. Quamvis tamen

C

reperiam ea ætate a Prætore appellatum, alias ad Collegam ejus, alias ad Tribunos; ad Collegam Cicero indicat, ubi de Prætura urbana *Act.* 1. *in Verrem*; *Piso*, inquit, *multos codices implevit earum rerum, in quibus ita intercessit, quod iste aliter, atque ut edixerat, decrevisset: quod vos oblitos esse non arbitror, quæ multitudo, qui ordo ad Pisonis sellam isto Prætore solitus sit convenire: quem iste Collegam nisi habuisset lapidibus coopertus esset in foro.* Erat autem Piso Prætor peregrinus, Verres Prætor urbanus, eaque verba sic exposuit Asconius: INTERCEDERE, inquit, *ut vides, etiam Prætor Prætori solet, ut Piso Verri, appellatione causæ ad Collegam facta.* Ad tribunos autem appellatum, docet idem Cicero *Orat. pro Qu.* dum scribit: *Appellantur Tribuni, a quibus cum esset certum auxilium petitum*; & clarius infra eadem *Oratione, cujus Procurator a Prætore Tribunos appellare ausus sit.* Id etiam docet Gellius *lib.* 7. *cap.* 19. ubi Tiberium Gracchum Tribunum sic loquentem facit, CORNELIUM SCIPIONEM ASIATICUM A COLLEGÆ VI PROHIBEO. Effectus autem hujus provocationis non hic erat, ut Magistratus Collegæ sententiam contrario judicio tolleret, aut reformaret, sed tantum, ut intercederet, ut aliquem a Collegæ vi & injuria defenderet, ut impediret atque obstaret.

D

E

A Prætoribus quoque ad Coss. provocationem sive appellationem fuisse, patet ex hoc Valerii loco *lib.* 7. *cap.* 7. *Genucius quidam*, ait, *Matris magnæ Gallus, a Cn. Oreste Prætore Urbis impetraverat, ut restitui se in bona Næviani juberet, quorum possessionem secundum tabulas testamenti ab ipso acceperat. Appellatus Mamercus Consul a Surdino, cujus libertus Genucium hæredem fecerat, Prætoriam jurisdictionem abrogavit.*

F

Postea autem Augustus imperium adeptus statuit, ut appellationes a minoribus Magistratibus Judicibusve Romæ ad Prætorem fierent, in causis dumtaxat civilibus: e Provinciis ad consulares, ut refert Suetonius in *Augusto*, apud quem pro Prætore recte Casaubonus existimat legendum esse Præfectum Urbis; huic enim fidem adstruunt Historici omnes. Augustum autem sibi graviorum rerum appellationes reservasse, Dio scribit *lib.* 52.

Tandem vero unus Nero Claudius, quo Patribus Conscr. gratificaretur, tyrannidisque consti-

tuendæ minus suspicionis civitati præberet, cavit apud Suetonium in *Ner. ut omnes appellationes a Judicibus ad Senatum fierent:* & hoc quidem non sine pecuniæ periculo; cui & Tacitus adstipulatur *Annal.* 14. de ea hominum pernicie sic scribens: *Auxitque Patrum honorem statuendo, ut qui a privatis Judicibus ad Senatum provocavissent, ejusdem pecuniæ periculum facerent, cujus ii qui Imperatorem appellavere.* E contra vero Caligula supremam istam provocationem sustulit; quippe qui Magistratibus liberam juris dicendi auctoritatem & sine ulla sui provocatione concessit: instituto forte non minus illiberali, quam quo de juris quoque consultis abolendis consilium iniit, ut efficeret ne ex stato receptoque jure opus esset respondere, sed ex eo tantum quod ipsis vel æquum, vel rei controversæ conveniens esse videretur, ut ipse Tranquillus ait in *Calig.* Sed videamus, quæ olim circa appellationem observata solemnia: primum interponenda erat confestim & ilico, si viva voce appellare quis vellet; si vero scriptis, & in causa propria, intra biduum; si in aliena, intra triduum 1: tempus autem illius offerendæ Paulus in *Sententiis* 2 docet intra quintum diem fuisse: *Ab eo*, inquit, *qui appellatur, ad eum qui de appellatione cogniturus est, litteræ dimissoriæ dirigantur, quæ vulgo apostoli appellantur: quorum postulatio & acceptio intra quintum diem ex officio facienda est.* Prorogatum postea id tempus ad triginta dies, ut Justinianus ait 3. Tempus denique illius exercendæ peragendæque videtur primum anni spatium fuisse: postea ab eo Imper. huic rei biennium præstitutum, si justum impedimentum intercessisset, puta, 4 si Judicis non fuisset copia; si adversarius propter valetudinem decumbens, vel paupertate, aut tempestate, vel alterius dolo, atque insidiis, aut casu fortuito, etiam Procuratoris sui præpeditus, negotium persequi non potuisset; his enim lis non peribat, sed aliud indulgebatur tempus, quod & REPARATIO dicebatur 5. Hujus & meminit Symmachus lib. 10. *Epist.* ad Theodosium scribens in hæc verba: *Longo intervallo petita a me reparatio, cum partes ad necessarium contraxisset examen.* Et alia epistola: *Parentum numinis vestri divorum Principum protulit sanctionem, quæ inter reliquas exceptiones reparationem jurgantibus tribuunt, si per cognitorem causa labatur.* Ni autem ullum ejusmodi impedimentum adfuisset, & intra hoc tempus a Judice indictum vel a jure præstitutum, persecuta non fuerit appellatio; a modo præscripta atque deserta habebatur, & perinde ac si non fuisset interposita, 6 sententia in judicatum transibat.

Vis autem & effectus appellationis is erat, ut pene 7 sententiam exstingueret, aut saltem suspenderet. Item ut ea pendente nihil in lite 8 innovaretur; atque etiam ut ad superiorem Judicem 9 totum devolveretur negotium, non principale modo, sed accessorium omne.

Non autem passim & temere recipiebatur appellatio; nam ab interlocutione nusquam 10 recepta, nisi forte in ea gravamen contineretur, quod postmodum vix posset reparari; nec etiam a pronuntiato super possessione restituenda admissa appellatio: quia nimirum omni semper exosum juri, vi & metu, contemta legis religione, rem alterius occupasse; unde bellissime rex Theodoricus apud Cassiodorum lib. 4. *Variar.* epist. 10. *Fœdum est*, inquit, *inter jura publica privatis odiis licentiam dare, nec ad arbitrium proprium judicandus est inconsultus fervor animorum.* Et paulo post: *Hinc est quod legum reperta est sacra reverentia; ut nihil manu, nihil proprio ageretur impulsu.*

Similiter tertio provocantis appellatio 1 non admissa, postquam videlicet tres in eadem lite adversas sententias accepisset; tum quod litium finis nusquam, cum quod incivile omnino fuisset, & sane protervum tot Judices imperitiæ, vel iniquitatis insimulari. Cui adde quod Plato hac de re agens scribit in hæc verba lib. 5. *de Legib.* Ὁ δὲ χρόνος ἅμα καὶ τὸ βραδὺ, τό, τε πολλάκις ἀνακρίνειν, πρὸς τὸ φανερὰν γίνεσθαι τὴν ἀμφισβήτησιν, ξύμφορον ὧν ἕνεκα, πρῶτον μὲν εἰς γείτονας ἰέναι χρὴ τοὺς ἐπικαλοῦντας ἀλλήλοις· καὶ τοὺς φίλους τε καὶ ξυνειδότας, ὅτι μάλιστα τὰς ἀμφισβητουμένας πράξεις· ἐὰν δ' ἄρα μὴ ἐν τούτοις τὶς ἱκανὴν κρίσιν λαμβάνῃ, πρὸς ἄλλο δικαστήριον ἴτω· τὸ δὲ τρίτον, ἂν τὰ δύο δικαστήρια μὴ δύνηται διαλλάξαι, τέλος ἐπιθέτω τῇ δίκῃ. Et quidem sunt multi, qui tanta litigandi ducti sunt pertinacia, ut veteres istos palæstritas imitentur, qui, ut idem Plato scribit in *Eutyd.* non nisi ter cecidissent, victi dicebantur. Et de quibus illud merito usurpari potest, quod Annibal de Marcello apud Livium *lib.*27. *Cum eo hoste*, inquit, *res est, qui nec bonam nec malam ferre fortunam potest; seu vicit, fortior instat victis; seu victus est, instaurat cum victoribus certamen*: non enim judicio cedunt, nec adversario dant herbam; ni omni collapsi fortuna, æreque alieno defessi, amplius quidquam tentare non possint & aggredi.

Præterea emansori & contumaci denegata provocatio, quia videbatur, non sine Magistratus contemtu, postquam peremtorium edictum cognovisset, pro tribunali respondere noluisse; ut alicubi 2 Papinianus ait. Frustra itaque legis auxilium implorasset, qui in legem, qui in Magistratum peccasset.

Insuper & illud notandum, adversus iniquitatem sententiæ provocationem non semper 3 necessariam; puta dum contra leges, vel senatusconsulta, vel constitutiones probata erat; etenim facti solum quæstio, Judicis arbitrio relinquebatur; quæ autem juris erant, legis auctoritati salva remanebant.

Pœna autem antiquis temporibus injuste & perperam provocantibus inflicta fuit, ut docet Paulus 4 in hæc verba, *ne liberum quis & solutum haberet arbitrium retractandæ & revocandæ sententiæ, pœna appellationibus præstituta est.* De eaque pœna caveri fidejussoribus solitum, sequentia ejusdem Auctoris verba indicant, *in causa appellationis*, inquit, *tam unus quam plures fidejussores, si idonei sunt, dari possunt.* Sufficit etiam per unum idoneum indemnitatis pœnam constitui; illiusque pœnæ auctorem fuisse Neronem Tacitus lib. 14. *Annal.* refert; nam antea vacuum id solutumque pœna fuerat: præterquam si ad Principem fuisset provocatum. Fuit autem ea pœna quingentarum librarum argenti, ut plerique volunt, ex *l. ab exsecutione §. sciant. l. Quor. appell. non recip.* & ex *l. si Clericus C. de Episc. audient.*

1 L. 1. §. viduam & seq. §§. ff. quand. appell. sit. 2 Lib. 5. Sent. tit. 36. 3 L. unica C. de lib. dimiss. 4 L. 2. §. ei quoque ff. de judic. l. ult. §. illud C. de temp. appell. 5 L. ult. §. illud etiam C. de temp. rep. appell. & l. 2. C. eod. 6 L. si contra C. de appell. 7 L. eos l. 3. C. de appell. 8 L. singul. ff. nihil novari appell. interp. 9 L. fin. C. de appell. 10 L. 1. ff. de appell. recip. vel non.

1 L. singul. C. ne lic. in una. 2 L. ex consensu §. cum qui ff. de appell. 3 L. 1. §. item ff. quæ sent. sine appell. 4 Lib. 5. Sent. tit. 25.

CAP. XLIII.

De supplicatione & restitutione.

QUantum vero ad supplicationem attinet, hæc etiam observata. Primum, [1] ut ea interponeretur intra X. dies a sententia lata, si Præfectis Prætorio offerenda ea esset; si vero Imperatori, tempus in biennium indultum; illius autem persequendæ nullum certum præstitutum; forte propter innumera negotia, quæ in regiis istis forisque supremis observabantur. Solis vero Principibus, Præfectisque Prætorio supplicare permissum; quia ab iis tantum provocatio denegata, unde & discis precis cognitionem illis quoque commissam. Quamvis tamen sint qui scribunt eas fuisse Quæstoris partes, ut veritatem precum rimaretur, illisque subscriberet, si justa ratione niteretur; idque ex pluribus Rescriptis [2] docent, atque etiam ex Symmacho, dum scribit ad Flavianum Quæstorem: *Neque enim te exhauserit, quod adeuntium preces indefesso absolvis affatu, quod venerandi Principis mentem loqueris.* Unde & alibi, Quæstorem vocat precum arbitrum. Quæ autem ceteris Magistratibus offerebatur supplicatio, non sane supplicatio, sed verius officii imploratio dicebatur.

Præterea & notandum, contra sententiam, quæ duabus tertia accesserat conformis, non receptas preces, ne videlicet hæc [3] Principis indulgentia victori nimium damnosa esset, jam tribus securo sententiis. Itemque [4] supplicem semel dumtaxat in una eademque causa auditum; quo & distincta supplicatio ab appellatione, quæ denuo iterumque fieri poterat.

Non autem passim, neque omnibus dari placuit hoc supplicandi beneficium; pro regula enim habitum, supplicationem non admittendam in iis, quibus appellare non erat permissum; quapropter perduellionis, aut majestatis postulatus, propter sceleris gravitatem [5] non auditus supplicans. Cum indignum esset ab eo misericordiam exspectare, in cujus necem esset machinatus. Idem erat in eo, [6] qui Nili aggeres ruperat, undasque e propriis usibus averterat; idemque denique in ceteris atrocibus, ut latius tradetur sequenti libro. Imo vero discimus ex quadam Theodosii Constitutione, Principi supplicare olim non licitum in rebus momenti levioris; ne forte tandem vilesceret regii hujus auxilii dignitas; nam, teste Eusebio in *Vita Constant.* λάβαρον deferri vetabant Græci Imperatores in velitationibus, sed tantum in magnis præliis, laborante videlicet atque periclitante exercitu; sic nec decens esse duxerunt, passim adiri Principem, ejusque in levibus istis sacrum efflagitare auxilium.

De contumace autem quid dicendum? num & supplex poterat implorare auxilium? Potuisse sane verius est, ut & nostri voluere, in *l.* 1. *Cod. ne lic. in un. ead. caus.* Præterea hoc notandum, Priscis illis solenne & consuetum fuisse, ut in precibus Principi offerendis tanquam ex formula hæc verba apponerent, VOTA PRO SALUTE TUA FACIMUS, nec prætermitti deberent; adeo ut cum Rhodii Magistratus, data ad Tiberium prece, votum illud non subscripsissent, eos jusserit adjicere.

1 Auth. quæ supplicatio. 2 L. 2. C. de pet. bonor. sub. l. ult. C. de divers. rescr. 3 L. rescripta C. de prec. imper. off. 4 L. si quis advers. C. de precib. imper. off. 5 L. quisquis C. ad leg. Jul. majest. 6 L. 1. C. de Nili agger. non rump.

A

Postremo in restitutione hæc observata, primum ut ipsa postularetur intra annum utilem; qui postea a Justiniano conversus & immutatus in quatuor annos; idque si major 25. annis eam peteret; etenim si minor [1] per sententiam læsus, poterat in 29. usque annum ætatis suæ restitutionem postulare; insuper petenda ea erat, aut ab eodem Judice, aut a majore; [2] minor siquidem Magistratus contra majoris sententiam nihil auctoritatis obtinebat.

B A solo autem [3] Principe Procuratorum suorum, ut & ceterorum, qui vice sacra judicabant, postulanda erat, atque etiam dum famæ, dum fortunarum periculum timeretur [4].

Præterea restitutio dari non solita absque causa legitima, sive minor 25. annis, sive major ipsam peteret: sic enim scriptum erat in edicto Prætoris, SI QUA MIHI JUSTA CAUSA VIDEATUR, RESTITUTIONEM DABO; ne videlicet ita facile auctoritas judicii labefactaretur. Causas autem, quæ justæ ac legitimæ, tu percipe ex *tit. Pandect.* & *C. de qui restit. in integ. de minorib. & quib. ex caus. majores.* Vis de- C nique beneficii hujus ea erat, ut rescisso quod gestum erat, denuo de negotio cognosceretur; unde Paulus de hoc agens, INTEGRI RESTITUTIO, inquit, *est redintegrandæ rei vel causæ actio.*

CAP. XLIV.

De exsecutione sententiæ, addictione, nexu, servitute, & sectione judicatum non solventis.

D UT frustra latæ leges essent, ni religiose exsequerentur, & contra reluctantes & dissolutos vi pœnaque animadverteretur; essent quippe eorum instar vasorum, quæ (ut dicebat Anaxagoras) odore vacua, nulli usui propria, præterquam ad inanem sonum; ita & frustra esset judicium tanto ordine condidisse sententiasque protulisse, si non exitum vel exsecutionem quoque consequerentur. Jus enim nuda ipsa verba non curat; sed quæ cum effectu & emolumento rem justo creditori reddunt; præsertim cum sententia abierit in rem judicatam, in eoque sit statu ut nullo jam remedio attentari E possit.

Ideoque discimus Antiquos pari usos severitate in judiciorum, quam in legum & Magistratuum, contemtores; Græcis enim judicatum qui non faciebat, de vi publica tenebatur; quia non parendo judicio non tam læduntur utilitates privatorum, quam jura & leges capite & auctoritate minuuntur; quod sic Demosthenes *contra Midiam* extulit, τί γὰρ δήποτε, ἄν τις ὄφλων δίκην μὴ ἐκτίσῃ, οὐκ ἐποίησεν ὁ νόμος τὴν ἐξούλης ἰδίαν, ἀλλὰ προστιμᾶν ἐπέταξε τῷ δημοσίῳ; Id est, *nam quæ causa est, si quis judicatum solvi non solverit;* F *cur lex actionem unde vi, non privatam fecerit, sed ad crimina publica referri oportere statuerit?*

Romanis etiam qui judicatum non solvebat, ut quasi effractor legis habebatur. Sic & ille omni destitutus auxilio, libero creditoris addicebatur tractandus arbitrio; unde scena illa antiquæ legis apud Gellium *cap.* 1. *lib.* 20. MANUS INJECTIO ESTO, IN JUS DU-

1 L. cum & minor. C. si advers. rem jud. 2 L. minor autem ff. de minorib. 3 L. 1. C. ubi & apud quem rest. 4 L. 1. C. de sent. pass. & restit.

CITO, NI IVDICATVM FACIT: AVT QVI ENDO EO IN IVRE VINDICIT, SECVM DVCITO, VINCITO AVT NERVO, AVT COMPEDIBVS QVINDECIM PONDO, NE MINORE, AVT SI VOLET MAIORE VINCITO. SI VOLET SVO VIVITO: NI SVO VIVIT, QVIEM VINCTVM HABEBIT. LIBRAS FARRIS IN DIES DATO, SI VOLET PLVS DATO.

Non autem confestim & illico tam severe in confessos & condemnatos usum est; modicum enim humanitatis gratia eis indultum tempus, intra quod pecuniam conquirerent. Sic namque in eadem lege scriptum, AERIS CONFESSI, REBVSQVE IVRE IVDICATIS, TRIGINTA DIES IVSTI SVNTO, POST DEIN, &c. Justi dicuntur illi dies, quod iis jus erat differre exsecutionem rei judicatæ, ut in ea lege Cicero, PRÆTER IDÆÆ MATRIS FAMVLOS, EOSQVE IVSTIS DIEBVS, NE QVIS STIPEM COGITO. Id autem tempus postea varie immutatum. Nam & Justiniani [1] Constitutione dati generaliter quatuor menses; postmodum vero lege alia concessi solum locupletioribus; ut nimirum ex venditione rerum suarum pecuniam in condemnationem deductam possent conficere; pauperiores autem censebant statim exigendos esse, ut Harmenopulus addocet; alia etiam [2] lege videmus præstitutos menses duos, eosque non nisi petenti datos. Id vero observatum in personalibus actionibus; nam in rei vindicationibus condemnatum oportebat rem statim restituere [3].

Illo igitur exacto tempore, si judicatus solvere supersedisset, olim (ut dixi) creditori addicebatur vinciendus, eo more, modoque, qui in illa 12. *Tab.* lege; de quo, si quod deinde fiebat, scire aveas, audi quæ scribit Gellius *lib.* 20. *cap.* 1. postremam legis illius partem explicans: *Erat*, inquit, *jus interea paciscendi, ac nisi pacti forent, habebantur in vinculis dies sexaginta; inter eos dies trinis nundinis continuis, ad Prætorem in comitium producebantur; quantæque pecuniæ judicati essent, prædicabatur; tertiis autem nundinis capite pœnas dabant, aut trans Tiberim peregre venum ibant*. Et paulo post, *si plures forent, quibus reus esset judicatus, secari si vellent atque partiri corpus addicti sibi hominis, permiserunt*. Tanta severitas, non ob contemtam modo judicii auctoritatem erat; sed & quod in ea Republica ita infesti & odiosi erant morosi debitores, unde Cassiodorus reatum quendam dixit, sub debito fuisse; cui & proximum illud Senecæ lib. 7. *de Benef.* dum ita scribit: *Non tam imprudentes Majores fuerunt, ut non intelligerent iniquissimum esse, eodem loco haberi eum qui pecuniam, quam a creditore acceperat, libidine aut alea absumsit, & eum qui incendio, aut latrocinio, aut alio casu tristiore, aliena cum suis perdidit*; & similiter Aristoteles ad Alexandrum scribens, perfidos debitores comparat urbium proditoribus; etenim ambos injuria creditores afficere. Et narratur apud Persas [4], secundum delictum fuisse, mentiri; primum præcipuumque, esse debitorem; quod qui debeat, utplurimum mendacem, fallacem, & perjurum esse necesse sit. Quibus & adjice, quod pulchre de Gnosiis apud Plutarchum in *Quæst. Græc.* 52. *q.* hi cum mutuam pecuniam sumebant, quasi rapiebant; ut si fidem fallerent, de vi potius quam civili ac pecuniaria actione tenerentur. Et ita cedebat pœna in fidei vicem, ut inquit Livius.

1 L. ult. C. de exsecut. rei judic. 2 L. 3. §. ult. C. de re judic. 3 L. penult. C. eod. 4 Plutarchus περὶ τῦ μὴ δεῖν δαν.

A Vis autem exemplum antiquæ illius sævitiæ in debitorem: audi quid ipse Livius *lib.* 2. referat: „Magno, *inquit*, natu quidam cum omnium „Majorum suorum insignibus se in forum projecit; obsita erat squalore vestis, fœdior corporis „habitus pallore ac macie peremti: ad hoc promissa barba & capilli efferaverant speciem oris; „noscitabatur tamen in tanta deformitate, & ordines duxisse ajebant, aliaque militiæ decora „vulgo miserantes eum jactabant. Ipse testes honestarum aliquot locis pugnarum cicatrices adverso pectore ostentabat. Sciscitantibus unde ille „habitus? unde deformitas? cum circumfusa tur-
B „ba esset prope in concionis modum, Sabino „bello, ait, se militantem, quia propter populationes agri non fructu modo caruerit, sed villa „incensa fuerit, direpta omnia, pecora abacta, „tributum iniquo suo tempore imperatum, æs „alienum fuisse; id cumulatum usuris, primo se „agro paterno avitoque exuisse; deinde fortunis „aliis; postremo velut tabem pervenisse ad corpus: ductum se a creditore non in servitium, „sed in ergastulum & carnificinam esse; inde ostentare tergum fœdum recentibus vestigiis verberum. Ad hæc visa auditaque, clamor ingens
C „oritur: non jam foro se tumultus continet, sed „passim totam Urbem pervadit. Nexu vincti „solutique se undique in publicum proripiunt, „implorant Quiritium fidem: nullo loco deest „seditionis voluntarius comes.

Ex quibus tu collige ante 12. *Tabul.* non solum in vincula, in nervum, a creditoribus judicatos duci, sed etiam verberibus cædi, fame enecari, aliisque ejusmodi cruciatibus affici consuevisse. Quæ ut dura nimis, paulatim immutata sunt: nam & P. Servilius Consul, ut sedaret plebis tumultum, ob calamitatem militis hujus edixit apud Livium *lib* 2. *cap.* 24. *Ne quis civem Romanorum vin-
D ctum aut clausum teneret: quominus ei nominis edendi apud Consules potestas fieret: neu quis militis, donec in castris esset, bona possideret, aut venderet; liberos, nepotesque ejus moraretur*. Et cum antea condemnati in nervo ac compedibus sic detinerentur, ut nisi creditorum misericordia, vel boni cujusdam vindicis indulgentia liberarentur, totam in vinculis ætatem consumerent; tandem Decemviri satius esse existimaverunt, certo tempore eos vinciri, deinde peregre venum mitti. Consultius siquidem eis visum condemnatos istos sexaginta duntaxat dies in vinculis esse, deinde venum peregre mitti; quam domi perpetuis vinculis contineri: ac
E nimia crudelitate, immanique creditorum sævitia, populi insuper illachrimatione, odio patrum, plebisque inconstantia, bellis intestinis ac seditionibus fenestram aperiri.

Fuit etiam postea hæc Decemviralis lex, alia Consulari lege abrogata, anno ab Urbe condita CCCCXXIX. Lucio Papyrio Mugillano & C. Petilio Coss. cautum enim, ut Livius *lib.* 8. *cap.* 28. ait, *ne quis, nisi qui noxam meruisset, donec pœnam lueret, in compedibus, aut in nervo teneretur; pecuniæ creditæ bona debitoris, non corpus obnoxium
F esset. Ita nexi soluti; cautumque in posterum, ne necterentur*. Et tunc quidem sectionem, pœnamque capitis, in bonorum proscriptionem conversam fuisse, recte ex Tertulliano Continus observavit. Sane si bona judicato non sufficerent, adhuc vincula & addictio in usu remansisse videntur, auctore Gellio *lib.* 20. *cap.* 1. sed ita, ut non amplius peregre debitores mitterentur, nec sectioni capitisque pœnæ subjecti forent; sed ad hoc tantum ut in vinculis essent, ut operas in servitute pro judicato præstarent creditoribus, donec illis satis abunde factum esset. Idque confirmat il-

lud Senecæ lib.7. cap.10. *de Benef. O miserum*, inquit, *si quem delectat sui patrimonii liber magnus, & vasta spatia terrarum colenda per vinctos, & immensi greges pecorum per Provincias ac regna pascendi!* Et quamvis *Sylla Dictatore, nexi omnes qui bonam copiam jurassent, dissoluti*; ut Varro refert lib.6. *de Ling. Lat.* idcirco tamen post Syllæ tempora addici nectique debitores non desierunt. Apud Athenienses fere eadem videtur fuisse pœna eorum qui judicatum non solvissent. Nam Scholiastes Aristophanis *in Nebulas* ait, in quadruplum solitos condemnari: aut si non haberent in ære, luisse in corpore, & a creditoribus sive nervo & compedibus habitos: hosque Græci ἐγκαλοσκελεῖς vocabant, quos Romani νέξος.

Postremo autem his accessit legis Juliæ beneficium, quod & πασῶν ἀθλιώτατον dixerunt, qua debitoribus permissum bonis cedere, ut vinculis & infamia omni eximerentur; a qua tamen excepti decoctores, ii nimirum, qui nequitia sua bona perdiderant. Adeo enim semper exosum genus id hominum, ut lege quadam Roscia certum in spectaculis locum iis fraudatoribus & decoctoribus constitutum fuisse scripserit Cicero 2. *Philip.* ubi catamidiarentur, ut ait Spartianus in *Hadriano*.

Ceterum id observatum, ut priusquam creditores condemnatum ducerent ad vincula, bona discuterent, eoque ordine, ut primo res mobiles & animalia caperentur; si autem non sufficerent, etiam soli pignora capi juberentur & distrahi, ut Paulus 1 addocet; & hic ordo videtur creditoris gratia introductus, magis quam debitoris; quod videlicet hac ratione facilior esset & expeditior exsecutio. Ea autem ita per officium Judicis capta & distracta publice, post duos menses emtore non invento, ei addicebantur secundum quem judicatum erat 2.

Nec vero exsecutio ista satisdatione impediebatur; nam, ut Ulpianus ait 3, obligatio ex obligatione oriretur, litesque ex litibus; & erat nefas post absolutum judicium litem alteram surrexisse ex litis primæ materia, ut Honorii & Theodosii habet Constitutio 4. Nam & de judiciis usurpari potest quod ab antiquo dictum de legibus, *eas demum optimas esse, quæ paucissimas lites gignant*. Notandum etiam est ex divi Pii Rescripto, Magistratibus tantum concessum sententias suas exsequi, Judicibus vero minime; quandoquidem exsecutio, quæ plerumque per immissionem in possessionem fiebat, mixti esse imperii videbatur; quod Judicibus nusquam datum 5. Horum igitur sententias qui exsequebantur, Magistratus a quibus dati erant, quod & locum habebat in delegato a Principe, cum jurisdictio illi non secus ac ab ordinario demandata erat. Sed quærat aliquis quæ fuerit ea exsecutio extraordinaria, de qua sic alicubi 6 Ulpianus, *si pignora væneant per Apparitores Prætoris extra ordinem sententiam exsequentes*; nam inde colligitur fuisse ordinarias & extraordinarias exsecutiones, sane quemadmodum ordinaria cognitio tum appellabatur, cum ex formula apud Judices datos causa agebatur; extraordinaria vero, cum ipsi Magistratus notionem adhibebant suam: ita & quod Judicibus datis, actionibus interdictisque redditis, exsequebantur, ordine exsequi: quod vero viribus imperii sui per Apparitores, & si res posceret, manu militari exsequebantur, extra ordinem exsequi dicebantur. Hinc autem illa Prætoris jurisdictionis tuendæ remedia; pignoris capio, multæ dictio, corporis retentio, ac coercitio.

1 L. A divo Pio. §. in venditione. ff. de re jud. 2 L. 3. C. de exsec. rei judic. 3 L. 4. §. ait Prætor ff. de re jud. 4 L. terminato. C. de fruct. & lit. exP. 5 L. jubere ff de jurisd. l.1. & l. cognitio ff. de off. ejus, cui mand. 6 L. si pignora ff. de evict.

Cap. XLV.

De judicio calumniæ in petitorem.

Superiori ostensum capite, quo more modoque olim persecutus reus: nunc vero operæ pretium videre, quomodo tractatus petitor ob actum calumniose. Ac primum sciendum, calumniatorem dici, vel qui intentionem non probaverat, vel qui accepta pecunia intenderat, ut adversario facesseret negotium, ut Justinianus ait 1. Ibi enim negotium facere, est aliquem calumniosa lite divexare, ut & apud Fabium, negotium innocenti facit; dictaque calumnia, a calvendo, id est, frustrando & decipiendo, ut Isidorus inquit. Habes autem hujusce de calumnia judicii exemplum apud Gellium *lib.* 14. *cap.* 2. ubi ait: *Is cum suis multis Patronis clamitabat, probari apud Judicem debere pecuniam datam consuetis modis*; EXPENSI LATIONE, MENSÆ RATIONIBVS, CHIROGRAPHI EXHIBITIONE, TABVLARVM OBSIGNATIONE, TESTIVM INTERCESSIONE; *ex quibus omnibus, si nulla re probaretur, dimitti jam se oportere, & adversarium de calumnia damnari*. Et Cicero *Orat. pro Mil.* dum actiones calumniosas significat, ait, *qui non calumnia litium, non injustis vindiciis ac sacramentis alienos fundos, sed castris, exercitu, signis inferendis petebat*. Nec certe ab istis alienos puto, qui interlitigando prætermissis dolose juris solemnibus adversarium, sive Judicem præcipitato judicio, vel fraude alia circumveniunt; & quemadmodum in eos, qui ex legibus inter athletas recepti, non tamen ex legibus, sed dolo & fraude decertabant, pœna olim constituta erat; quæ κακομαχίας dicta, quod παρὰ τὸν νόμον τὸν ἐναγώνιον peccaverant, ut Athenæus ait *lib.6. cap.*12. quia nimirum id erat judicium degeneris & malitiosi animi, ac de sua virtute diffidentis; ita non immerito iis infensæ judiciariæ leges, qui non ex legibus & solemni judiciorum ritu, in sacris istis Astreæ certaminibus, sed fraudulosa arte disceptant. Etenim præcipua judicii vis & auctoritas in ritu ipso & solemni ordine consistit; quem qui fraudulenter prætermittit & violat, non modo mentis suæ malitiam, & litis iniquitatem prodere, sed & divam istam, imo Rempublicam graviter offendere videtur; brevi namque civitatem corruere & everti necesse erit, in qua judiciorum ordo non sanctissime observabitur; quod sic Plato extulit lib.6. *de Leg.* πᾶσα δὴ πόλις ἄπολις ἂν γένοιτο, ἐν ᾗ δικαστήρια μὴ καθεστῶτα εἴη κατὰ τρόπον.

Quantum vero ad istius calumniæ fraudisque pœnam attinet, certum est, jure quidem veteri cautum fuisse, ut de calumnia, actione in partem decimam litis mulctaretur, & impensas solveret, & interdum infamis fieret; quod nimirum violasset jusjurandum, quod conceperat de calumnia. Eratque hæc actio ex stipulatu 2: nam initio litis cavebat actor, ni vicisset, reo decimam præstitum iri, ut supra notatum cap 28 cujus rei testimonium reperio in *Codice Hermog. tit. de calumn.* ubi Diocletiani legitur Constitutio, his concepta verbis: *Judicio tutelæ convenit excipi actionem, ad quam respondere debes: quippe si per calumniam hoc eum facere confidis, remedio repromissionis initio postulatæ calumniæ, in decimam partem ejus quod petiit, tibi condemnari eum desiderare potes*. Eam autem

1 §. quadrupli Inst. de act. lib.4. 2 §. hæc autem Inst. de pœn. item litig.

tem actionem, non utendo exstinctam, voluit Justinianus [1] restitui, hoc addito, ut decimæ cautio satisdationem haberet. Similem pœnam in usu Athenis fuisse, docent passim Orationes Demosthenis, Isæi, Isocratis & aliorum; ubi τῆς παρακαταβολῆς apud eos sermo.

Tandem vero sublata depositione illius decimæ partis litis, quam videlicet ex stipulatu ante judicium facere tenebantur litigatores, mutatum etiam id genus pœnæ in eam partem decimam: nimirum in quadrupli pœnam ejus pecuniæ, quam calumniator acceperat, si intra annum: simpli vero post annum, ut apud Justinianum legitur [2]. Sed omnino remansit pœna infamiæ; & merito, cum nec probi in forum descendere debeant nisi coacte & magno pudore. Unde apud Thucydidem Legati Atheniensium sollicite rejiciunt notam φιλοδίκων, quasi admodum probrosam & infamem; & ipse Demosthenes, δεῖ, inquit, ἐλαττοῦσθαί τι καὶ συγχωρεῖν, ὥστε μὴ δοκεῖν φιλόδικοι εἶναι, Oratorem scilicet oportere nonnihil cedere ac remittere, ne videatur cupidus litium; Tullius quoque in officiis vult virum bonum non esse in exigendo acerbum, sed æquum & facilem; multa multis de jure suo cedentem; a litibus quantum licet, & paulo plus etiam quam liceat abhorrentem; qua ratione motus ipse Caligula quadragesimam summæ, de qua litigabatur, pœnæ nomine etiam a justo litigatore exigebat, ut refert Suetonius in *Calig.*

CAP. XLVI.

De pœna Judicis, qui inique & perperam judicaverat.

INfensæ semper fuere leges iis Judicibus, qui accepta pecunia, vel qui dolo malo per ambitionem, & gratiam, favoremque nimium, aut inimicitias injuste judicant: nam de corrupto Judice sic Gellius *lib.* 20. *cap.* 1. *Nisi duram esse legem putas, quæ Judicem Arbitrumve jure datum, qui ob rem judicandam pecuniam accepisse convictus est, capite punit*; legem Decemviralem intelligit, ita statuentem in corruptum Judicem.

Ideoque minus justam duco legem Juliam repetundarum, qua temperata antiqua ista, sancitum ut in corruptos Judices non amplius capite, sed exsilio, vel etiam interdum durius animadverteretur; ut legitur in *l.* 7. *D. ad leg. Jul. repetund.* Quod & eo tempore, quo Cicero Verrem accusavit, observatum fuisse, illius testantur verba *Act.* 1. *in Verr. Cognoscet*, inquit, *ex me Populus Romanus quid sit*, &c. *quod Pub. Septimo Senatore damnato, Qu. Hortensio Prætore de pecuniis repetundis, lis æstimata sit eo nomine, quod ille ob rem judicandam, pecuniam accepisset.*

Ex his autem legibus alia postmodum orta, qua cautum, ut gesti magistratus quisque rationes redderet; & ideo in Provincia quinquaginta diebus moraretur; quamvis tamen Polybius afferat *lib.* 6. earum reddendarum rationum morem semper in usu fuisse veteribus Romanis, qui noluerunt (ut ejus verbis utar) ἀποτιθεμένους τὴν ἀρχὴν ἐν δήμῳ δεῖ τὰς εὐθύνας ὑπέχειν τῶν πεπραγμένων. Quo imitari Athenienses videbantur; hi enim habebant collegium τῶν λογιστῶν, apud quos accusari omnes poterant male gesti magistratus; refertque Æschines *contra Ctesiph.* non potuisse Magistratum aliquem vel de se, vel suis rebus, antequam sui muneris rationem reddidisset, quicquam

1 Nov. 112. 2 D. §. quadrupli Inst. de act.

statuere; unde Aristoteles suorum mores verbis extollens, merito damnat γερουσίαν Laconicam, quod Magistratus apud eos a causa dicenda erat immunis.

Ea autem severitas præcipue observata ob corruptelas, quæ passim in judiciis reddundis: cautum enim erat legibus, ne quid a singulis acciperent Judices: cum videlicet nec dare, nec accipere Judex debeat, ut Justinianus ait [1]. A quibus non dissimilis ea lex, quæ apud Platonem lib. 12. *de Legib.* τοὺς τῇ πατρίδι διακονοῦντάς τι δώρων χωρὶς χρὴ διακονεῖν. Ratio autem ejusce rei satis omnibus nota, & cujus auctor Alexander Severus: *Necessarium videlicet esse, ut qui emit, vendat: nec sine rubore posse eum punire, qui quod emit, vendit.* Quod ita Seneca lib. 1. *de Benef.* extulit: *Provincias spoliari & nummarium tribunal audita utrinque licitatione alteri addici, non mirum: quando quæ emeris, vendere gentium jus est.* Quo respiciens Salvianus lib. 1. *de Provid.* sic exclamat: *Quotus quisque juxta divitem pauper, aut intactus, aut tutus est? quid aliud est sublimium dignitas, quam proscriptio civitatum? aut quid aliud quorumdam præfectura, quam præda? nulla major pauperculorum depopulatio est, quam potestas; ad hoc enim honos emitur a paucis, ut cunctorum vastatione satietur: reddunt miseri dignitatum pretia quas non emunt, commercia nesciunt, sed solutionem sciunt.* Sane ad Rempublicam tanquam ad nundinas accedere non debent Magistratus; quemadmodum Stratocles & Dromoclides solebant sese mutuo ad messem auream invitare; sic enim joco appellant tribunal & curiam, ut refert Plutarchus in *Polit.*

Sed an Magistratus, Judexve omnino prohibebatur quidpiam accipere? certe reperio Magistratibus id vetitum, salaria, id est, annonas & capita de publico eis attributa. Imo vero ante Augustum propriis sumtibus atque impensis munus publicum quemque a se susceptum, aut sibi impositum, obiisse, testes Dio *lib.* 53. atque Lampridius in *Alex.* Salariis autem eis constitutis, longe major fuit ratio, ut singulis abstinerent; quod & Constitutione [2] singulari firmavit Justinianus, in hæc verba: Τῶν ἐθνῶν, ὅσοι τὰς πολιτικὰς ἀρχὰς τῶν ἐπαρχιῶν ἔχουσι, καθαραῖς παρασκευάσαμεν χρῆσθαι ταῖς χερσὶ, καὶ παντὸς ἀπέχεσθαι λήμματος, μόνοις ἀρκουμένους τοῖς παρὰ τοῦ δημοσίου δομένοις. Id est, *Gentium Præsides, qui civilia in Provinciis officia administrant, puris utantur manibus, & omni præda abstineant, his solis contenti quæ præbentur ex publico.* Quod non tantum de Provinciarum Præsidibus debet intelligi, sed & de ceteris quibus concessa ex fisco salaria, ut iidem Dio & Lampridius testantur.

Quantum vero ad Judices datos attinet, certum est ex publico nulla eis concessa salaria: data tamen ab utraque parte δικαστικὰ sive sportula, modo lis excederet quantitatem centum aureorum, alias nullas accipiebant sportulas, ut a Justiniano [3] sancitum legimus. Athenis autem pecunia illa, quæ a litigantibus publice deponi solita, quæque πρυτανεῖα dicta, & a Romanis Sacramentum, Judicibus pro salario dividebatur; quod docet clare illa apud Comicum * disputatio de die, ἕνη καὶ νέα, Pollux etiam *lib.* 8. dicens, τὰ πρυτανεῖα ἐλάμβανον οἱ δικασταί. Hoc tantum fuit discrimen inter sportulas Romanorum & πρυτανεῖα Atheniensium; quod illæ sine circuitu dabantur Judicibus ab utraque parte; hæc vero publico præstabantur, ut inde sumerent Judices; ex his itaque videtur

1 Nov. 8. 2 Novell. 8. 3 Novell. 32. & l. 2. C. de sport. & supp. in divers. * Aristophan. in *Nebul.* Act. 4. Sc. 1. & 3.

Magistratui Judicique prohibitum quicquam a A singulis accipere. At sane Judex nimis abstemius morosus est; & ut Rhodiorum colossus ob nimiam magnitudinem formidabilis, non amabilis erat: sic Sebastianus vir ille præstanti virtute sub Valente διὰ τὸ ἀφιλοχρήματος θαυμαστὸς ὢν οὐκ ἔχει χάριν, ut inquit Suidas, *ob nimiam abstinentiam gratia caruit*. Edulia ideo Judici accipere permissum; sed cum ea exceptione Severi & Antonini, *non omnia, non passim, non ab omnibus*; & narrat Plutarchus Themistoclem non male propterea audiisse, quod edulia acciperet; sed quod accepta retro ea aliis venderet; non posse enim elabi eo commercio, quin pecuniam accepisset. Nec B vero corrupti isti Judices exsilio tantum coerciti, sed præterea solidam litis æstimationem ei, quem læserant, præstabant [1].

Quantum vero ad Judices attinet, qui per ambitionem, gratiam, & odium injuste judicarant, etiam ei cujus interat in solidam litis æstimationem tenebantur, & infamia notabantur [2]. Sed cur non æque ac in corruptum? quia profecto multum interest an pecunia accepta perperam judicaverit Judex, an odio, vel gratia; turpius enim mercede justitiam prostituere, quam odio, vel gratia; sicut & olim gravius puniebatur, quæ pecunia partum sibi abegerat, quam quæ odio C mariti post divortium, ne inimico filium procrearet; pecunia [3] enim, nisi omnino sordidus & impudens Judex, odio autem & gratia etiam probus duci & flecti potest: pessimi tamen exempli est (ut Gracchus apud Livium ait) simultates Judicem pro magistratu exercere, aut inimicum ulcisci. Nec forte minus turpe amico leviter gratificari; favor enim usque ad aram tantum. Nec etiam minus inhonesta eorum ambitio, de qua Quintilianus, dum ait: *Sæpe fit deterior causa quæ ad amicum deducitur: & is ambitus est plerumque, ut pronuntiemus faciamusque contra amicos, aut pro his quibuscum simultates exercemus, ne injuste* D *fecisse videamur; & hic quidem ambitus inest pravis, sæpe inest tamen.*

Favor iste ut e tribunali removeretur, prohibuit Augustus lege quadam judiciaria, ne Judices in domos eorum, qui causam acturi erant, ingrederentur; ita enim de eo Dio scribit *lib.* 34. τοῖς δὲ δικάζειν ἀεὶ λαγχάνουσιν ἀπεῖπεν ἐς μηδενὸς οἴκαδε τὸν ἐνιαυτὸν ἐκεῖνον ἐσιέναι: ut e contra Arcadius, Honorius, & Theodosius præceperunt [4], ne meridianis horis, quod tempus scilicet vacuum erat a judiciis, Judices a litigatoribus adirentur, ut evitarent suspicionem gratiæ. E

Quid autem in Judicem cautum, qui per errorem & ignorantiam male judicaverat? id sane, ut perinde atque si lis sua esset, ei cujus intererat, in tantum teneretur, in quantum religioni judicantis videretur, salva tamen existimatione, quia dolo carebat [5]. Non enim, ut Aristoteles *Ethic.* 5. ex Peripateticorum schola ait, Judex omnino injuste judicat, nisi sciens, prudensque: Ἀδίκημα καὶ δικαιοπράγημα, inquit ille, ὥρισται τῷ ἑκουσίῳ, καὶ ἀκουσίῳ· ὅταν γὰρ ἑκούσιον ᾖ, ψέγεται, ἅμα δὲ καὶ ἀδίκημα τότε ἐστίν· ὥστε ἄδικόν τι ἔσται μὲν, ἀδίκημα δὲ οὐδέπω, ἐὰν μὴ τὸ ἑκούσιον προσῇ. Et F postea, οὐ γὰρ ταὐτὸν τὸ τὰ ἄδικα πράττειν τῷ ἀδικεῖν, οὐδὲ τὸ ἄδικα πάσχειν τῷ ἀδικεῖσθαι.

1 L. 2. C. de pœn. Jud. qui mal. judic. 2 L. si filius ff. de judic. 3 L. Cicero. ff. de pœni. 4 L. 1. C. Theod. de off. Jud. civit. 5 L. ult. ff. de extraord. cogn.

CAP. XLVII.

Quo tempore olim lites concludendæ.

Scite Marc. Tullius Servium Sulpitium laudat, non tam ob admirabilem juris scientiam, quam quod maluerit litium tollere controversias, quam dictare judicia. Similiter & Isocrates Regem suum Nicoclem admonet, eas ut leges ferat, quæ vel nullius litis haberent seminarium, vel exortas controversias statim dirimerent; uterque cruciatus spectabat, languores, sumtus, & ærumnas, quæ inter litigandum sufferuntur; æque adeo miseræ & acerbæ, ut sæpius majus compendium reportet, qui tempestive liti cessit & juri, quam si seculari potiretur victoria, tot animi & corporis anxietatibus parta; eoque graviores exsistunt, quo magis annosæ & diuturnæ. Hinc enim Martialis Gargiliani miserias sic graphice describit *lib.* 7. *epigr.* 64.

Lis te bis decimæ numerantem frigora brumæ
Conterit una tribus, Gargiliane, foris.
Vah miser & demens! viginti litigat annis
Quisquam, cui vinci, Gargiliane, licet?

Quo respiciens Alaricus apud Cassiodorum, jus tædio dilationum sumtuumque transire ait in injuriam; mulctam esse, non justitiam; direptionem, non actionem; longo enim ejusmodi litis sufflamine & res ipsa atteritur, & miseri isti consumuntur litigantes: unde Basilius recte τὰς τῶν δικαστηρίων συμπλοκὰς retulit inter τὰς τῆς ψυχῆς ἐπισκοτήσεις: nam longioribus istis jurgiis non modo Respublicæ concutiuntur & familiæ pessum eunt, sed & mores ipsi corrumpuntur; qua ratione motus Papinianus [1], judicavit pietatis officio functos esse fratres, qui arbitro quem acceperant relicto, spontanea transactione inter sese diviserunt communem hæreditatem; & Ulpianus [2] quoque laudat verecundam lites exsecrantis cogitationem, propter miserias quæ inde reportantur. Ex quo *Marc. Cato censebat, forum esse muricibus sternendum*, ut Plinius scribit *lib.* 10. *cap.* 1. ubi & Marcello succenset, *quod in Ædilitate sua forum velis inumbrasset, ut salubrius litigantes consisterent.*

Sapienter igitur olim a Nomothetis certum præstitutum tempus, intra cujus spatium finiendæ lites: puta triennii in privatis, biennii autem in publicis; præterquam in certo causarum genere, quæ breviori termino concludendæ, ut in causis inter Magistratum Provincia decedentem & provinciales; eas enim intra viginti dies finiendas Zeno rescripsit [4]; ne videlicet Provincia diutius duplici opprimeretur onere, decedentis & ingredientis Magistratus; item in Episcoporum & Clericorum controversiis; quas ultra duorum mensium spacium non debere extendi Justinianus constituit [5]; ne diutius a sacris Ecclesiæ abessent devota ista pectora. Item in tutorum excusationibus; huic enim peragendo negotio quatuor tantum indulti menses [6]; ne diutius imbecilla minorum ætas absque certo tutore & consilio esset. Item in possessoriis [7], quas breviter & promte expediendas esse cautum est, ne diutius invasor contemta legis auctoritate re aliena potiretur; unde & eæ actiones ab Isidoro lib. 5. *Etymol.* momenti dictæ. Et denique in causis ponderis levioris,

1 L. ultim. ff. famil. hercisc. 2 L. item si res ff. de alien. ju. mut. fact. 3 L. properandum C. de judic. 4 L. 1. C. ut omnes judic. 5 Auth. ut Cler. apud Episcop. 6 L. quinquaginta ff. de excus. tutor. 7 L. 1. C. si de moment. possess.

A quas de plano & sine fori strepitu decidendas esse constitutum est 1; ne videlicet ejusmodi obolaribus causis vilesceret tribunalis dignitas; in ceteris autem causis triennium integrum præstitutum, iis exceptis quæ in sacrum Principis consistorium introductæ; perpetuari enim eas, neque fatalibus diebus obnoxias fuisse, voluit Justinianus 2: licet appellationes fuissent alias biennio concludendæ; exceptis item causis, quæ ad jus fiscale pertinerent, vel quæ ad publicas respicerent functiones.

Hæc autem temporis præscriptio sic accurate observata, ut & eo exacto lis periret: &, si per Judicem stetisset quominus intra illud concluderetur, actori in eum daretur persecutio. Recte enim animadvertit Cujacius Zenonis Constitutionem desiderari in *tit. C. de judic.* qua jubebat Magistratus, & majores Judices breviter causas definire; & ut si quis eorum interpellatus a litigatoribus, nulla necessitate coactus, rem potulisset, liceret litigatori adire Principem, & de Judicis pravitate conqueri. Imo vero a Justiniano sancitum, ut Judex, qui ultra triennium lites produxerat, si in magistratu esset, vel in majore dignitate, usque ad Illustris gradum, decem auri libris mulctaretur; sin minor, tribus auri libris. Quin etiam eadem Constitutione voluit, ut si Advocati culpa lis ultra eum terminum producta, Judex in

1 L. Thesaurus ff. ad exhibend. 2 L. properandum C. de judic.

A sua definitiva sententia id nominatim pronuntiaret, simulque pœnam duarum auri librarum imponeret. Et merito quidem ea laudata sanctio; forte enim quidem esse possunt, qui cum ex aliorum insania & erroribus lucrum sibi quærant, diuturno litigantium squalore & annosis atque secularibus litibus delectentur. Imo vero Marc. Tullius ait in *Divinat.* suo tempore moratores quosdam fuisse, qui adhibebantur ad moram faciendam, *nisi quem forte*, inquit, *ex illo grege moratorum;* quod hominum genus semper duxi omnium improbissimum. Adeo ut eorum amplexus sim votum, qui eam in forum introduci legem
B exoptarunt, quæ Ephesi antiquitus contra Architectos constituta, quaque Architectus, cum publicum opus recepisset curandum, pollicitusque esset certo tempore certoque sumtu id facturum esse, si non juxta promissum id effectum, mulcta afficeretur: & si amplius quam quarta pretii parte in opere consumeretur, id de suo præstaret; ut narrat Vitruvius *lib.*10. initio. Utinam igitur in istos, qui iniqua lite alios morantur ac detinent, pœna qua tenerentur sancita esset!

Postremo & id notandum, tempus illud controversiis civilibus finiendis primum a Justiniano
C constitutum; antea vero incertum fuisse, imo nullum ulla lege definitum; quamquam Prætor plerumque pro suo arbitrio Judicibus tempus definiebat, ut ab Ulpiano scriptum est 1.

1 L. 2. §. 1. ff. de re judic.

FINIS.



HIERONYMI MAGII
ANGLARIENSIS
DE
TINTINNABULIS
LIBER POSTHUMUS.
CUM NOTIS
FRANCISCI SWEERTII F.

HIERONYMI MAGII
PRÆFATIO
AD ILLUSTRISSIMUM ET MAGNANIMUM
D. D. CAROLUM RYM,
GANDAVENSEM,
Maximiliani ſemper *Auguſti Imp. Oratorem*.



LAUTUM Latinæ Linguæ Auctorem nobiliſſimum, Chriſtianorum Imperatoris ſemper Auguſti Orator illuſtriſſime, in piſtrino e fabulis ſuis nonnullas ſcripſiſſe, mirum tibi fortaſſe aliquando viſum eſt. Mira prorſus res modo tibi abſque dubio videbitur, me captivum, & Turcæ hominis ſervum, in ergaſtulo, libris omnino & memoriæ adminiculis carentem (vix enim tunicatus e clade Cypriça ſuperſui) hunc *de Tintinnabulis* libellum compoſuiſſe; ut Homerum omnigenæ alioqui virtutis parentem mendacii quis inſimulet, quod Jovem ſervis dimidium mentis abſtuliſſe, memoriæ prodiderit? Quanquam Philoſophos, atque Auctores non contemnendos, ſervos fuiſſe, Aulus Gellius & Macrobius, ut alios omittam, atteſtantur. Verumenimvero, Heros, atque Here illuſtriſſime, illud te ignorare nolim, DEUM Opt. Maximum, qui me ex innumeris terræ & maris periculis ſervavit, huc perducto etiam præſto adfuiſſe, videri facile poſſe: ſiquidem ea fere omnia mihi ſuggeſſit, quæ per otium olim litteris mandaveram, & Cyprum mecum detuleram, ut relegens aliquando ex animo graviores curas & moleſtias depellerem. Quamobrem eſt quod eo etiam nomine ejus Numini gratias agam immortales, præſertim cum te, D. illuſtriſſime, ſalutandi occaſionem nactus ſim. Eſt enim in more poſitum, ut qui litteris operam non pœnitendam navarunt, quos conſcripſerint libros, honoris ergo tui ſimilibus principibus viris offerant, & hujuſmodi muneribus eorum gratiam demereantur. Feci autem libens ut hunc tibi Librum dicarem, cum præter DEUM Optimum Max. in te uno hujus calamitatis meæ ſalubre remedium poſitum eſſe, & abs te uno ſalutem meam petendam eſſe intelligerem. Quandoquidem tu Chriſtianorum Imperatoris, litteratorum hominum amatoris ſummi, Chriſtiana pietate & virtutum omnium choro inſignis Legatus, non ſine divino Numine in hanc urbem, melioribus auſpiciis quam Roma fuerit (ut Juſtiniani Imp. verbis utar) fundatam, miſſus videris, & præter maximi ponderis legationem, oppreſſorum ſervitute Chriſtianorum patrocinium ſuſciperes, uſque adeo, ut ad te tanquam ad Flaminem Dialem, ſeu potius tanquam ad auguſtiſſimam Imperatoris ſtatuam, quod olim miſerorum hominum, præſertim ſervorum, præſidium eſſe conſuevit, captivi Chriſtiani, qui huc frequentes e Chriſtiano Orbe devehuntur, ac protrahuntur, confugere, tuoſque ad pedes provoluti auxilium expoſcerent. Jure igitur, Patrone optime, hoc ego quamvis

exiguo numero ſalutandum & colendum eſſe duxi, & ad te, tanquam ad MAXIMILIANI inclyti Imperatoris Imperatoriis omnibus virtutibus refertam imaginem ac ſtatuam confugio, jure tuos ad pedes, Heros maxime, ſupplex procumbo, opemque imploro, & mihi omnino perſuadeo, nullo te pacto Chriſtiano homini deeſſe velle; præſertim cum is ſim, qui ſcriptis meis pridem rem litterariam nonnihil promoverim, ac in futurum non parum promovere poſſim. Nam cum in bonarum litterarum ſtudiis ætatem conſumſerim, libros quinque *de Mundi exuſtione & die Judicii* conſcripſi; quos typis Baſileæ Henricus Petri ſuperioribus annis excudit: item *Commentaria in Æmilium Probum*, ejuſdem Henrici prælo repræſentata: præterea *Miſcellaneorum*, ſeu *Variarum Lectionum*, libros quatuor, & alios * Italica Lingua non parvi momenti libros, quos Venetiis impreſſos, ac ubique venales te legiſſe, aut ſaltem apud Bibliopolas Viennæ Auſtriæ, aut Pragæ conſpexiſſe arbitror. Quibus libris tanquam ingenuis, hic veluti verna a ſervo homine (proh dolor!) in ergaſtulo genitus edituſque quo pacto recte ſociari poſſit, non ſatis perſpicio; niſi (quod fieri poſſe video ac ſpero) tam proſpera ille utatur fortuna, ut me poſtliminii jure per te in priſtinum ſtatum facile reducto, ingenuitatis beneficium adipiſcatur. Si vero me ſpes minime fallat, & eam, quæ id præſtet, mihi cito diem illuceſcere videam, te mihi Deum fuiſſe, poſteritati prodere ac prædicare potero; ac dum vivam cum Virgilio de te ſemper loquar,

Namque erit ille mihi ſemper deus, illius aram
Sæpe tener noſtris ab ovilibus imbuet agnus.

Tibi vitam, tibi libertatem, qua nihil mortalibus, ac etiam brutis, carius eſſe conſuevit, tibi fortunas omnes debebo. Variis periculorum fluctibus jactatus, jam proſpera ac ſecunda aura, Illuſtriſſime D. in ædes tuas tanquam in portum me propelli, videre videor, jam limen ſaluto, jam poſtes, jam atrii pavimentum exoſculor, & ab atrienſibus ſervis excipior: jam raſo capite, hoc eſt, (ut recte Eutropius ait) ſervitute deterſa, pileum Pannonicum (pileum olim ſignum fuiſſe libertatis, optime noſti) tuis e manibus accipio: te Dominum meum, te Deum ſaluto: jam longarum ærumnarum, jam duri laboris, minarum herilium oblivifcor. Sed jam tempus eſt ut ad propoſitam *de Tintinnabulis* ſeu *Campanis* tractationem deveniamus.

* Ut de Machinis bellicis, de Urbium expugnatione.

E L O G I U M
HIERONYMI MAGII,

potiſſimum e Scriptis ejus.



HIERONYMUS MAGIUS patriam habuit apud Inſubres Anglariam ditionis Mediolanenſis; quæ urbs & alios parentum memoria doctrina claros viros protulit, in his PETRUM MARTYREM, non Etruſcum illum, ſed rerum Hiſpanicarum ac novi Orbis per decades Scriptorem: magnum quoque illud ſæculi decus tulit ANGELUM CANINIUM eruditis Linguis ad miraculum eruditum: Syriacam enim Grammaticam dedit, ac de Helleniſmis aureum ſane opus, vertitque Simplicium in Epicteti Enchiridion. Igitur MAGIUS litteris non leviter ab adoleſcentia tinctus, atque adeo, ut erat excitato ingenio fidaque memoria imbutus, ad legendum ſe dabat, librorum ut helluo videretur. Quemcumque librum ſemel arripuiſſet, nulla nec obſcuritate terreri, nec novitatis illecebra adduci potuit, ut de manibus deponeret, priuſquam perveniſſet ad metam. Audivit attente FRANCISCUM ROBORTELLUM Utinenſem Bononiæ Doctorem Eloquentiæ atque Hiſtoriæ, qui cum CAROLO SIGONIO de laude eruditionis ſic contendebat, ut hic ſcriptis longe anteiret, ille ſermone ſtupendus dicendique acrimonia omnium in ſe ora vultuſque converteret. Hinc ſitim affatim cum litteris atque hiſtoria explevisset, ad Juriſprudentiam ſe, Græcis etiam litteris probe inſtructus, ſic contulit, ut decurſo demum ſpatio ſcriptis eandem in lucem evulgatis, illuſtrare non mediocriter (ni fata impediſſent) cogitaret. Multa enim id generis, ſolemni quorundam more, poſteros exſpectare jubet, ſed ſpem mors intempeſta eluſit. Edidit autem ſuperſtes hæc fere: Annotationes uberes poſt Giſbertum Longolium Belgam in Æmilium Probum, de Vita excellentium Græciæ Impp. a quo multa Dionyſius Lambinus audacter mutuatus, taciturnitate (ut ne nominare quidem ſuſtineat) ingrati vix crimen effugit. Mox de Mundi exuſtione & die Judicii, ex Stoicorum Veterumque ſententia copioſe diſſeruit, ac Baſileæ utrumque opus foras abire permiſit. Ad hæc Venetiis, ubi & Typographis operam navaſſe fertur, Variarum Lectionum, ſeu Miſcellaneorum libros IV. multæ ſan· lectionis argumenta. Judex hinc cauſarum militaris a Venetis in Cyprum miſſus, jus dixit. Obſeſſa dein a Turcico exercitu Famaguſta, quæ Salamis quondam dicta, anno Virginei partus ſupra milleſimum & quingenteſimum primo & ſeptuageſimo, ac vertente anno, die V. Auguſti capta, captivis contra fidem datam a perfida natione Chriſtianis, & M. Antonio Bragadino urbis Præfecto, (quod vel meminiſſe refugit animus) juſſu Muſtaphæ Baſſæ, vivo excoriato, MAGIUS calamitatem non effugit, ſed vivus in hoſtium poteſtatem veniens, in Aſiam abductus, ſervitutem Judex ſerviit. O caſum triſtem ac miſerandum! Conſcripſit e memoria ferreas geſtans catenas de Tintinnabulis Commentarium, quibus Turciam carere animadverterat, quantus rerum theſaurus ſit memoria, oſtendens. Eum obtulit D. CAROLO RYMIO, Nobili Gandavenſi, qui Cæſaris Maximiliani Legatum Byzantii agebat, donavitque PHILIBERTUS RYMIUS Gandavenſis Senator Soc. JESU Patribus, qui ne labor funditus interiret, NOTIS noſtris illuſtratum exire permiſerunt; ut hæc qualiacunque qui leget, humanarum rerum viciſſitudinem calamitatemque formidare aſſueſcat. Commentatus quoque erat paulo ante, quam a barbaro Mahomete Baſſa crudeliter ſtrangularetur, de Equuleo, ejuſque quæſtionis forma, a nemine hactenus recte intellecta, quem THOMÆ SEGHETO Britanno V. CL. poſteritas fert acceptum. Atque hactenus quæ in lucem evulgata leguntur. Adjiciam quæ paſſim editurum ſe promiſerat, præſertim Notis ad Æmilium Probum, ſi forte apud incurioſos heredes adhuc deliteſcerent.

In Bucolica P. Virgilii Maronis.
De Antiquorum prandiis & cœnis.
Annotationes in A. Gellium.
Hortorum libros.
De Machinis *ex Heronis libro* περὶ πολεμικῶν ὀργάνων.
De Urbium expugnatione, *Italice*.
De Urbium propugnatione, *Italice*.
De Urbium architectura.
Necrotaphologia, *ſeu* de ſepulchris & ſepeliendi ritu lib. X.
Miſcellaneorum lib. IV.
Μισοπυγιςίας lib. V.

Hæc ad Philologiam pertinent; ad Jus vero Civile:

Lexicon Juris.
Annotationes in Inſtitutiones Juris.
Ad L. Juliam de adult. L. Cum vir nubit.
Apophyades ad Budæi Annotationes in Pandectas.

Amicis uſus eſt familiariter ſummis eruditione viris, ut fere e ſtudiorum morumque ſimilitudine conjunctio firmaque naſcitur amicitia, in his PETRO ANGELIO BARGEO, principe ævi ſui Poetarum, qui doctos illos Κυνηγετικῶν poſt Oppianum libros luſit; FRANC. item, ut diximus, ROBORTELLO, & OBERTO GIFANIO Burano Belga J.C. ac Philologo inſigni. Taceo ceteros.

P. LUDOVICUS MEDARDUS

In libellum de

TINTINNABULIS.

COmpedibus vinctus dum *Tintinnabula* pulsat
MAGIUS, æra quidem, muta sed æra ferit.
SWEERTIUS hæc eadem calamo dum posthuma tractat,
Quid facit? æra prius muta sonora facit.

INDEX CAPITUM

Libri de Tintinnabulis sive Campanis.

HIERONYMI MAGII, *ANGLARIENSIS* DE TINTINNABULIS *LIBER POSTHUMUS.* CUM NOTIS FRANCISCI SWEERTII F.

CAP. I.

De Tintinnabuli voce, & quam vere Joannes Tortellius atque alii Tintinnabula apud Antiquos fuisse negaverint.



Nter multa, Orator illustrissime, quæ homines jure sociati excogitarunt, non postremum sibi locum vendicant TINTINNABULA: siquidem his commode diei noctisque horæ distinguuntur, Magistratus, Comitia minora, majoraque convocantur, Sacerdotes divinum ad cultum, & multi mortales ex urbe quamvis magna excitantur, & sonitu crepituque non ingrato, ut in Ecclesias frequentes conveniant, allici & quasi rogari consueverunt: & quibus, cum ad arma acceriri cives oportuerit, hominum corda mentesque ad dimicandum accenduntur; ut multos nunc TINTINNABULORUM alios usus, de quibus infra scripturi sumus, omittam. De his, cum neminem, qui ad hanc usque diem [1] late pertractaverit, repererim, scribere, & pro viribus posteritati prodere visum est. Ac quia omnis de TINTINNABULIS sermo futurus est, antea de *Tintinnabuli* voce aliqua protulisse par est.

Est igitur sciendum, sonorum hoc instrumentum non simplici nomenclatura significari; siquidem *Tintinnabulum*, *Petasus*, *Codo*, *Nola*, & *Campana*, & *Lebes*, a Scriptoribus dicitur.

TINTINNABULUM a *tinnitu*, quem, dum pulsatur, edere solet, dici arbitror: tinnitus autem æris est; & ex ære primum, mox ex ære, stanno, plumbo, argentoque nonnunquam admistis, fieri Tintinnabula consuevisse, nemini dubium est. *Æs* autem ab aere, sine quo vox sonusque fieri non possunt, ut e vocis definitione apud Aristotelem, Avicennam, atque alios patet, Galeotus Martius Narniensis, olim [2] *Matthiæ Corvino* Pannoniæ Regi in litteris Præceptor, & in castris miles, testatur appellatum, in libro, quem *de Doctrina promiscua* conscripsit; nullum namque ex metallis perinde ac æs sonorum esse dicit; nisi in argento ille mentiri videatur. Sed hoc alterius loci est. Illud autem *bulum*, in voce *Tintinnabulum*, nihil omnino significat, sed est quædam vocabuli productio, ut *prostibulo*, *mandibula*, *incitabulo*, *mendicabulo*, & aliis hujusmodi non paucis. Tinnitus autem, qui pulsato hoc instrumento fieri solet, voce hac optime exprimitur, ut in voce *bovis*, *boatus*; etenim tintinnire æra solent, id est, *Tin*, *Tin*, pulsata personare. A *tinnitu* igitur, sive a voce *Tin*, *Tin*, quæ, cum æs increpuit, editur, *Tintinnabulum* dici, tam apertum est, ut hujus rei gratia nullam Grammaticorum scholam nobis sit necessarium ingredi.

PETASUM dici majus Tintinnabulum, a *petasi*, id est, galeri forma & similitudine, nemini obscurum esse videtur. [3] *Petasum* autem a Var-

1 *Late pertractaverit*) Ingentis certe memoriæ & lectionis MAGIUM, nullis adjutum libris, fuisse, hic liber, quem damus, ostendit. Necessarium maxime est vitæ hominum *Memoria*, unicus (teste Fabio) Eloquentiæ thesaurus. Miranda & vix credenda quæ de Cyro Persarum Rege tradunt Plinius & Solinus. Cæsarem vero scribere & legere simul, dictare & audire, (idem etiam, teste Spartiano, Hadrianus Imperator facere consuevit) solitum accepimus. Magnis his viris MAGIUS noster cur non annumerandus? qui ferreas gestans catenas sub jugo Turcico, animum ad scribendum appulit, omni librorum ope destitutus.

2 *Matthiæ Corvino*) Fuit hic Hungariæ Rex, de quo multa apud Historiographos. Joachimus Camerarius ita in peculiari libello: „Patrum nostrorum memoria Regem fuisse optimum atque fortissimum accepimus MATTHIAM „HUNIADEM, qui quum Pannoniam solam teneret, „formidabilis tamen & ASIÆ & EUROPÆ Imperatoribus „fuit. Idem mirifico ardore flagravit bonarum litterarum „atque artium, quarum Professores magnis præmiis affecit, & libros undique grandi pecunia conquiri jussit, quorum spectabilis copia ad Turcicam irruptionem usque duravit. Eum igitur hoc nequaquam fugit, vix esse aditum „atque accessionem Veritati & Libertati in Regum atque „Principum domos. Itaque quum haberet circum se „non tam belli quam pacis artium peritos, solitum tamen „traditur sæpe illum data opera a comitatu in venationibus „sese abducere, atque in solitariis rusticorum, vel aliquo pago pernoctare, colligentem famam & rumores de „Rege & administratione Reipublicæ. Ita illum nihil fere vitiorum, vel quibus ipse, vel quibus sui laborarent, „neque ulla peccata administrationis, fugisse. Hæc ille. Consule Jovium, Franciscum Rosinum, & Joannem Alexandrum Brassicanum J. C. eruditum, Præfatione in D. Salvianum Massiliensem Episcopum. Quantus fuerit, testatur vel Epitaphium, quod hic in gratiam Lectoris damus.

> CORVINI *brevis hæc urna est: quem magna fatentur*
> *Facta fuisse Deum, fata fuisse hominem.*

3 *Petasum*) *Petasus* capitis tegmen, a πετάννυμι, id est, *extendo*, galero persimile, sive ipse galerus, seu pileus viatorius solem arcens. Plautus *Prologo Amphitr.*

> *Ego has habebo hic usque in petaso pinnulas,*
> *Tum meo patri autem torulus inerit aureus*
> *Sub petaso.*

Per tralationem dicitur *Petasus*, quod in galeri formam ædificiis superpositum, extensum & explicatum est, in metæ formam se trahens. Vide Plinium lib. XXXVI. cap. XIII. *Naturalis Historiæ*.

rone in tholo hujusmodi instrumentum appellari (si memoria fideli in deposito utor) aliquando animadverti: quanquam & in Laconico clypeus æreus, per cujus deductionem & reductionem calor augeri vel imminui consuevisset, sic dicitur; ut apud Vitruvium, ubi de balneo agit, perspicere licet. Quem clypeum in thermis ac balneis pulsari consuevisse, & a Martiale significari libro XIV. *Epigrammatum*, ubi ait, *sonat æs thermarum*, sunt qui non sine errore affirment: siquidem verum Tintinnabulum, ut infra suo loco demonstrabitur, pulsari in thermis consuevit, ut homines lavatum atque unctum convenirent.

1 CODONES a Græcis Tintinnabula nuncupari, nemo est qui nesciat. *Codones* autem dici, eo quod dum moventur sonum & quasi cantum edere solent, Græca, ut par est, etymologia, testantur Johannes Grammaticus in *Commentariis in libros Aristotelis de Anima*, & Suidas in *Lexico* suo, sive *Collectaneis*: tametsi a forma & similitudine capitum plantæ papaveris, quæ *Codonum* voce a Græcis significantur, *Codones* dici Tintinnabula, aliquis non sine ratione fortasse contendet.

2 NOLAE etymologiam in obscuro positam esse, affirmare ausim; etsi nonnulli, ut Polydorus Virgilius *de Inventoribus rerum* lib. III. cap. XVIII. & alii Tintinnabulum dici *Nolam* crediderint, a Nola Campaniæ urbe, cujus Episcopus Paulinus Nolæ sive Campanæ inventor fuerit: qua in re hallucinantur; nam ante Paulinum Episcopum Nolanum, de quo Gennadius in *Additamentis ad D. Hieronymi librum de Viris illustribus* scribens nihil tale profert, *Nolæ* mentionem fecit Quintilianus, qui Domitiani Imperatoris ætate floruit. Satis enim illud tritum est sermone proverbium, *In cubiculo nola*.

3 CAMPANAM quoque a Campaniæ urbe prænotata dictam opinantur, ab ære scilicet Campano, vel quod in urbe Campaniæ primum reperta sit. Sane a 4 Temesa, Campaniæ urbe, in qua æris vis ingens exstiterit, quidam ab Ovidio in *Fastis* libro V. *Temesæa æra* dici autumant. Ego quod *Campanæ* vocabulum in antiquis Scriptoribus minime legatur, (apud Divum Hieronymum duntaxat, qui nova & parum Latina verba sæpius usurpat, *Campanæ* mentionem in Regula Sanctimonialium reperio) Gotthicam vocem, vel ab artifice Campanarum præcellente, cum frequens Nolarum, sive Tintinnabulorum majorum usus in Ecclesiis esse & Cœnobiis cœpisset, *Campanam* dictam fuisse censuerim. Suum tamen hac in re cuique judicium liberum esto.

5 DODONÆOS *lebetes*, qui in proverbium migraverint, in Jovis Dodonæi templo, ubi Sacerdotibus responsa dabantur, sonora ex ære Tintinnabula a quibusdam dici, & a similitudine lebetum sic vocitata, haudquaquam ignoramus: quibus calculum nostrum libenter adderemus, si Veterum non ambiguis auctoritatibus niterentur. Verum si non Campanæ fuerint lebetes illi, eos tamen Campanis non omnino absimiles exstitisse, credendum est; ut maxime sonori in proverbium adsciti sint.

Illud postremo, quod ad Tintinnabuli varia nomina attinet, minime est silentio involvendum, 6 Franciscum Petrarcham, hominem suæ ætatis non

---

1 *Codones*) Sunt tintinnabula, & quos proprie *sonalios* vocabimus phaleris equorum appensos. Suidas, κώδων, παρὰ τὸ ἐν τῷ κινεῖν ᾄδειν. Hinc κωδωνεὼν, ἐν ᾧ οἱ κώδωνες, auctor idem Suidas. Vide Interpretem Sophoclis in *Ajace*. *Tintinnabula* vero Latini a verbo *tintinnire* derivant. Nonius Marcellus: Tintinnire *dicitur sonare, unde & tintinnabula sunt appellata*.

2 *Nolæ etymologiam*) Paulinus Episcopus Nolanus (olim *Sidicinum*, auctor Plinius *lib.* III. *cap.* V.) D. Hieronymi æqualis, vir vitæ sanctimonia spectabilis, primus in suam Ecclesiam Campanæ usum invexit: correxit vir sanctissimus abusum Gentilium sacrorum, & ad pia munia transtulit, ut nimirum ejus strepitu exciri possent hinc semotius habitantes ad conciones precationesque. Atque fortasse tenuit consuetudo, ut Nolæ vocabulo censerentur tintinnabula ab hac Campaniæ Nola, cujus apud Polybium Liviumque fit mentio.

3 *Campanam quoque a Campaniæ urbe*) Ubi primum vasa illa fabricata fuere, vide Walfred. Strabonem libro V. *de rebus Ecclesiasticis*. *Campanarum* meminit Beda libro IV. *Historiæ Anglicanæ*. Ad tubas, quas Deus *Numer.* capite 10. fieri jusserat, multi *Campanarum* originem referunt, ibi: *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles*, quarum usus erat ad vocandum cœtum, ac dum castra movebantur. Formam tubæ exprimit Judaicus Scriptor libro III. *Antiquitatum* cap. XI. Εὗρε δὲ καὶ βυκάνης τρόπον ἐξ ἀργυρίου ποιησάμενος. ἔστι δὲ τοιαύτη· μῆκος μὲν ἔχει πηχυαῖον ὀλίγῳ λεῖπον, στενὴ δ' ἐστὶ σύριγξ αὐλοῦ βραχὺ παχυτέρα· παρέχουσα δὲ εὖρος ἀρκοῦν ἐπὶ τῷ στόματι, πρὸς ὑποδοχὴν πνεύματος, εἰς κώδωνα ταῖς σάλπιγξι παραπλησίως τελεῖ· Ἀσώσρα καλεῖται κατὰ τὴν Ἑβραίων γλῶσσαν· γίνονται δὲ δύο· καὶ τῇ μὲν ἑτέρᾳ, πρὸς παρακέλευσιν καὶ συλλογὴν ἐχρῶντο τοῦ πλήθους πρὸς τὰς ἐκκλησίας· καὶ μίαν μὲν ἀποσημάναντος ἔδει τὰς ἀρχὰς συνελθεῖν, σκεψομένας περὶ τῶν οἰκείων· ἀμφοτέραις δὲ συνῆγε τὸ πλῆθος. Id est, *Invenit autem & buccinæ speciem ex argento factæ talem: canna erat tibia paulo crassior, longitudine paulo minus cubitali, cujus os tantum patebat, quantum ad inflandum sufficeret, desinebatque in extremitatem campanulæ similem, quemadmodum tuba.* Asosra *vocatur hoc genus apud Hebræos: duas tales fecit; quarum una plebs ad concionem vocabatur, altera Principes ad consultandum de Republica exciebantur: utrisque vero clangentibus universus populus convocabatur*, &c. Quo autem tempore cœptum fuerit *Campanis* uti in Ecclesia Catholica, incertum. Illud constat Anastasii Monachi Persæ Martyris sæculo nondum fuisse *Campanarum* & *Nolarum* usum. Invenio in VII. Synodo Act. IV. ex lib. miraculorum S. Anastasii Martyris, quod cum Cæsareæ civitati reliquiæ S. Anastasii appropinquarent, cives omnes lætitia magna perfusi surgentes subito, lignaque sacra pulsantes obviam facti sunt, in venerandæ Deiparæ Virginis æde. ECCE ligna sacra pulsabantur in supplicationibus.

4 *Temesa, Campaniæ urbe*) *Temesam* antiquum Cypri oppidum tradunt Scriptores, ubi æris fodinarum locus ostenditur. Lege Strabonem *lib.* V. & Erasmum in proverb. *Temesæus genius*. Est & *Temesa* agri Brutii oppidum, æris fodinis olim nobilitatum, quod Ausonii condiderunt, & postea litteræ unius mutatione *Tempsum* appellarunt Plinius *libro* III. *cap.* V. Ovidius XV. *Metamorph.* hinc *Temesæa æra*. Ovidius lib. V. *Fastorum* vers. 441.

Rursus aquam tangit, Temesæaque concrepat æra.
Et rogat, ut tectis exeat umbra suis.

Sane crepitus fit ad finem sacrificii, ut volens umbra discedat: unde sunt abacta silentia. Nobilia sunt & *Temesæa æra* in succurrendo laboranti Lunæ, Hadrianus Junius *Animadvers.* libro III. capite XI.

Dodonæos lebetes) *Dodona* urbs in Chaonia, Epiri regione, juxta quam insigne nemus, ubi *Jovis Dodonæi* templum fuisse narratur, in quo oraculum omnium, quæ apud Græcos sunt, vetustissimum. Lege Herodotum *libro* II. Philoxenum & Stephanum *de Urbibus*, cum Eustathio. Hinc *Juppiter Dodonæus*, item *Dodonæum æs*, cymbalum aut tintinnabulum diu noctuque continuo crepitans, in hominem dici consuevit improbæ atque importunæ loquacitatis. Zenobius ἐν παροιμιῶν ἐπιτομῇ tradit in Dodona duas fuisse sublimes columnas, in altera positam pelvim æream, in altera pueri simulacrum flagellum æreum manu tollentis. Quoties autem ventus flaverit, fieri, ut scutica impulsa crebrius lebetem feriat, isque percussus tinnitum reddat, ad multum etiam temporis resonantem. Juvenalis ad adagium allusisse videtur, cum ait *Sat. 6.* vers. 440.

Tot pariter pelves, tot tintinnabula credas
Pulsari.

Muliebrem taxans garrulitatem. Item apud Ausonium *epist.* 25.

Nec Dodonæi cessat tinnitus aheni.

Aliam hujus adagii interpretationem adfert Suidas, quem consulat Lector.

6 FRANCISCUM PETRARCHAM) Fuit Hetruscus

non indoctum omnino, in vernaculis fuis cantionibus, campanas SQUILLAS appellaffe, voce non quidem, ut ego arbitror, Italica Tufcave, fed e Gallia defumta: inde apud noftrates verbum, *Squillare*.

Sed de *tintinnabuli* nominibus hæc dixiffe fufficiat: nunc ad reliqua pergamus.

Joannes Tortellius Aretinus, Laurentii Vallæ amicus, cujus Lexicon omnino non contemnendum legimus, quod tintinnabuli, five campanæ, frequentem in Auctoribus mentionem non obfervaffet, campanas apud antiquos in ufu fuiffe negavit: in cujus fententiam & alii difcefferunt. Verum Galeotus Martius in eo, quem fupra citavimus, libro, Tortellium eo nomine reprehendit non injuria, tametfi *miferum & fomniorum Scriptorem* exulcerato animo & iniquo appellet. Quanquam fortaffe Tortellius fenfit de campanæ, quem fua ætate confpiciebat, ufu, fcilicet in templorum turribus. Quod fi verum fit, eum ego a Galeoti nota defendendum puto: nam hujufmodi turres tintinnabulis fonoras veterum Chriftianorum vel etiam Ethnicorum templa habuiffe antiquitus, minime legimus.

CAP. II.

De primo Tintinnabuli inventore

UT rerum multarum, ita & tintinnabuli inventorem ignorari fæculorum culpa certo fcimus. Plinius, qui in libris *Naturalis Hiftoriæ* lib. VII. cap. 4. tintinnabulorum, quæ [1] fepulchro Porfenæ Regis Tufcorum imminerent, mentionem facit, & caput unum fatis prolixum rerum Inventoribus dicavit, nihil omnino de tintinnabuli inventore protulit. Paulino Epifcopo Nolano, viro admodum fancto, tintinnabuli inventum nonnulli adfcribunt, qua de re apud [2] Polydorum Vergilium in libris *de Inventoribus rerum*. Francifcus Petrarcha, & alii, ac noviffime Panvinius, Sabinianum Pontificem Romanum in eum, quem hodie cernimus, ufum; templorum turribus campanas primum impofuiffe teftantur. Divus Hieronymus in Regula Sanctimonialium, campanellæ fonitu in unum convocari jubet Sanctimoniales, & a *campana*, *campanilem*, feu potius *campanalem fonitum* appellat. Ego ut parvorum tintinnabulorum ufum in Cœnobiis antiquitus exftitiffe affirmaverim, cum & in privatis nobiliorum ædibus, ut infra patebit, agnofcatur, ita audacter negaverim, Chriftianos homines campanis, altioribus templorum pinnis, aut turribus impofitis, antiquioribus fæculis accerfiri confueviffe; cum fub ifta Chriftianæ fidei initia, ac fuccedentibus etiam temporibus, Chriftianum nomen effet invidiofum; adeo ut *Judaica fuperftitio* fides noftra in Pandectis a Jureconfulto Ethnico (quod Andreas Alciatus in *Parergis* optime aliquando adnotavit) appelletur; ac oportet clam in Ecclefias convenire, non pulfatis tintinnabulis; quod ea res amplioris fecuritatis & auctoritatis non parum præ fe ferret. Sane Plinius Cæcilius in epiftola ad Trajanum Imperatorem, ubi de Chriftianis, & Chriftianorum conventu, & communione agit, cum omnia, quæ facerent Chriftiani, exfequatur diligentiffime, hujufmodi tintinnabulorum nullam facit mentionem; alioqui, fi fuiffent in ufu, cum res effet momenti non parvi, filentio non tranfmiffurus. Quamobrem exiftimaverim tunc Chriftianos editis locis turribufque tintinnabula impofuiffe atque fufpendiffe, cum Ethnicorum Principum odia jam fatis refrixiffent, ac piorum Ecclefia caput Martyrum fanctorum cruore non tam fœdatum quam exornatum extollere cœpiffet.

CAP. III.

De majoribus publicifque Antiquorum Tintinnabulis.

NEmini, qui in humanioribus litteris vel parum fuerit verfatus, obfcurum effe debet, Antiquos non folum minora, fed etiam majora tintinnabula ufurpaffe. Notum fatis eft illud Martialis *lib. 4. epigr. 163*.

trufcus natione, vir doctiffimus, Philofophus, Rhetor & Poeta celeberrimus, litteras velut intermortuas quafi ab inferis revocavit. Multa opera tam Latina quam vernacula confcripfit Lingua. Anno Chriftianæ falutis CIↃ. CCCXLI. Id. April. folenniter Romæ in Capitolio, maxima tam Romanorum quam advenarum Procerum aliorumque adftantium frequentia, laurea corona infignitus, quod illi primo contigit

Romani poft Imperii Linguæque ruinam.

Moritur eodem fæculo CIↃ. CCCLXXIV. XIX. Julii, ætatis fuæ LXXIV. Vifitur adhuc hodie ejus Epitaphium in collibus Euganeis fub dio in fepulchro rubri marmoris, cui incifum:

Frigida Francifci *lapis hic tegit offa* Petrarchæ.
Sufcipe Virgo parens animam, fate Virgine parce,
Feffaque jam terris cæli requiefcat in arce.

Ad ejus etiam tumulum Cl. Vir JANUS LERNUTIUS, noftri fæculi Poetarum princeps, mihique amiciffimus, ita lufit:

Dii tenuem tibi terram, & in urna perpetuum ver:
Ardoris noftri magne Poeta, jaces.

Hujus vitam fatis eleganter defcripfit Hieronymus Squarzaficus Alexandrinus, ad Petrum Contarenum.

1 *Sepulchro Porfenæ*) Plinius libro XXXVI. capite XIII. *Naturalis Hiftoriæ*: „ Namque & Italicum (*de Labyrinthis loquitur*) dici convenit, quem fecit fibi Porfena Rex „ Hetruriæ fepulchri caufsa, fimul ut externorum Re„ gum vanitas quoque ab Italis fuperaretur. Sed cum „ excedat omnia fabulofitas, utemur ipfius M. Varro„ nis in expofitione ejus verbis: Sepultus eft, inquit, „ fub urbe Clufio, in quo loco monumentum reliquit „ lapide quadrato: Singula latera pedum lata tricenum, „ alta quinquagenum: inque bafi quadrata intus la„ byrinthum inextricabilem, quo fi quis improperet fine glomere lini, exitum invenire nequeat. Su„ pra id quadratum pyramides ftant quinque, IV. in an„ gulis, in medio una, in imo latæ pedum feptuagenum „ quinum, altæ centum quinquagenum, ita faftigiatæ, „ ut in fummo orbis æneus & petafus unus omnibus impo„ fitus, ex quo pendeant excepta catenis tintinnabula, „ quæ vento agitata, longe fonitus referant, ut Dodo„ næ olim factum. Supra quem orbem IV. pyramides infuper „ fingulæ exftant altæ pedum centenum. Supra quas uno „ folo quinque pyramides, quarum altitudinem Varro„ nem puduit adjicere, &c.

2. *Polydorum Vergilium*) Libro *de Inventoribus rerum* VI. capite XII. hæc de tintinnabulis: „ Quod tintinna„ bulorum fono populus invitatur vocatuque ad facra „ audienda ftatis diei horis, Sabiniani, qui Gregorio „ fucceffit, hoc decretum eft. Aliud inde Joannis XXII. „ Romani Pontificis præfcriptum manavit ad pofteros: „ is enim inftituit, ut ter in fingulos dies tintinnabula „ ad vefperum pulfarentur, ac tum unufquifque ter fa„ lutationem Angelicam D. Virgini facram recitaret. „ Inftitutum ita manfit, ut hodie ubique gentium fit in „ ufu, atque audito tintinnabuli fono, cuncti confeftim „ genua flectant, atque orent. Hactenus ille. Lege & Martinum Polonum in *Sabiniano Pontifice*.

† —— *sonat æs thermarum, ponite pilam.*
Virgine vis sola lotus abire domum?

Quamquam sunt qui illud æs ad clypeum æreum referant, qui catena pendebat ex orbiculari fenestra fornicis Laconici, per cujus deductionem ac reductionem nunc augebatur, nunc imminuebatur calor; de quo clypeo mentionem facit Vitruvius. In Laconico tamen Pisano, qui integer adhuc e maximis thermis ad portam, qua itur Lucam, spectatur, & de quo Robortellus meus libellum edidit (ut hoc obiter adnotemus) non ut in ceteris, orbicularis fenestra in fornicis medio spectatur, sed multilatera, & aliæ multæ circum quadrilateræ altera parte longiores, quas pendente e media clypeo, speculari lapide, aut velo, aliave materia, quæ lucem transmitteret, claudi consuevisse, ne vapor statim efflueret, facile crediderim.

Nunc ad rem nostram redeamus. Qui id de clypeo illo existimant, magno, ut mihi videtur, in errore versantur; quod unius duntaxat Scriptoris auctoritate apertum facio. Siquidem Ælius Spartianus ait, nescio quem Romanum Imperatorem e thermis *tintinnabulum* amovisse. Si vero aliquis *tintinnabulum* pro clypeo illo accipi contendat, erroris facile convinci poterit. Nam amoto e thermis, id est, Laconico, æreo clypeo, haud satis intelligo, quo pacto sudatorii ratio constaret. Ad hæc si clypeum pulsari consuevisse dicamus, ut hoc pacto lavaturi convocarentur, non satis perspicio, quam commode id fieri posset, illo ex alto satis loco propendente. Altum namque Laconici Pisani fornicem esse unusquisque videre potest: locus enim Robortelli cura, dum humaniores litteras in Pisano Gymnasio profiteretur, optime fuit repurgatus. Quod si e superiore fornicis parte malleo, vel alia prædura materia clypeum tundi solitum, suspicetur aliquis; & hic videat quam recte id, & sine catenæ deductione, ut calor exhalaret, ac sudatorium nonnihil refrigesceret, fieri potuerit. Accedat eo, quod cum thermarum constructio late pateret, usque adeo ut Romæ [1] Thermæ Diocletianæ, quantum hodie e ruinis cognoscere licet, municipii magnitudinem facile æquarent, sonus ex ictu clypei intra fornicem illum, clausumque locum editus, ad omnes, qui in thermis agerent, & lavaturi convenissent, pervadere non poterat. Nec ad rem pertinet, si quis dicat, locum, in quo lavaturi pila prius exercebantur, fuisse Laconico proximum, ut vel a surdastris clypei sonus audiretur: nam respondeo, tinnitum æris thermarum, hoc est, tintinnabuli, quo de agimus, procul etiam audiri & percipi consuevisse, ut non solum qui pila exercerentur, & in thermas convenissent, sed & qui a thermis longe abessent, convocarentur lavatum: quod Ciceronis auctoritate probatur, siquidem in *Tusculanis* (nisi me fallit in loci indicio memoria) ait, *simulatque increpuisset*, (id est, ut ego interpretor, thermarum tintinnabulum tinnitum edidisset) *Romanos relictis Philosophis & præceptoribus unctum* (nam qui lavissent, ungebantur) *ire solitos*. Sed in re aperta testibus utor non necessariis.

† *Redde pilam, sonat æs thermarum, ludere pergis?*

1 *Thermæ Diocletianæ)* Harum reliquias adhuc hodie non absque admiratione conspicimus. Incredibile quanta mole & sumptu constructæ. Præter *Agrippinas*, *Neronianas*, *Vespasiani & Titi*, celebrantur *Domitianæ*, *Alexandrinæ*, *Severianæ & Constantinianæ*. M. Agrippa, ut Populo placeret, CLXX. balnea seu lacus in Provinciarum formam, Romæ gratuita præbuit. Vide Ammianum Marcellinum, Alexandrum ab Alexandro *lib.* IV. *cap.* XX. Georgium Fabricium in *Roma sua*, Joannem Rosinum libro I. *Romanarum Antiquitatum*, Nicolaum Sipontinum. Omnium diligentissime nostra ætate de Thermis scripsit Andreas Biccius Elxidianus, * Medicus, *lib.* VII. eorum, quos *de Thermis* edidit. Huic adjunge Belgii ocellum JUSTUM LIPSIUM lib. III. *De magnitudine Romana*.

* Leg. *Elpidianus*.

Tintinnabulorum majorum non solum in thermis, sed etiam in aliis urbium partibus, si non apud Romanos saltem apud alias nationes nonnullas, locum fuisse ad convocandos in mercatum homines, ex [2] Strabone lib. XIV. *Geographiæ* cognoscere est: rem enim non fictam, sed factam Jassi refert, scitu dignam, Citharœdum canentem ea in urbe, homines non paucos circumstetisse; eos e re nata universos, præter surdastrum, statim discessisse; Citharœdum ad surdastrum conversum, illi gratias agere cœpisse eo nomine, quod cum ad tintinnabuli sonum reliqui omnes eum reliquissent, solus ille auditor perstitisset; qua re surdaster cognita, vale homini dixerit, quod sonus ille jam vendi pisces indicaret. Credere autem par est, tintinnabulum illud Jassicum, & magnum fuisse, & edito loco suspensum, ut ab omnibus civibus illius posset sonitus audiri. Alia de majoribus publicisque tintinnabulis a me hactenus non sunt observata, quamobrem hic caput reprimo.

CAP. IV.

De Tintinnabulis Sepulchri Porsenæ Tuscorum Regis.

MARCUS ille Varro, qui quod multa mandaverit litteris, Polygraphotatos dictus est, Porsenæ † antiqui Tuscorum Regis sepulchrum graphice appinxit, ut perspicere licet apud Plinium in libris *Naturalis Historiæ*: nam Varronis opera, præter pauca, quæ ad ætatem nostram pervenerunt, desiderantur. Huic sepulchro, quantum memoria assequi possum, (nam libris omnino, ut patet, destitutus sum) quatuor erant pyramides adstructæ, supremæ pyramidum partes catenis jungebantur, a quibus tintinnabula non pauca propendebant, quæ, cum flarent venti, concussa sonitum, qui longe pervagaretur, edebant. Hæc autem tintinnabula non admodum magna fuisse, haud ægre crediderim, siquidem maxima, aut saltem mediocria ventis agitari, aut permoveri nequeunt, ut tam manifestum est, quam quod manifestissimum.

2 *Ex Strabone libro* XIV.) Usos Veteres nola ad venditionem piscium significandam patet: Κιθαρῳδοῦ γὰρ ἐπιδεικνυμένου, τέως μὲν ἀκροᾶσθαι πάντας, ὡς δὲ ὁ κώδων ὁ κατὰ τὴν ὀψοπωλίαν ἐψόφησε, καταλιπόντας ἀπελθεῖν ἐπὶ τὸ ὄψον. Id est, *Cum Citharœdus quidam artem suam publice ostentaret, tantisper ab omnibus fuisse auditum, dum tintinnabulum signum venditionis piscium daret, eo audito universos ad piscium negotiationem discessisse*. Item e Plutarcho libro IV. *Symposiacon* cap. IV. Ἀλλὰ τοὺς περὶ τὴν ἰχθυοπωλίαν ἀναδιδόντας, καὶ τοῦ κώδωνος ὀξέως ἀκούοντας. Id est, *Sed qui subinde in foro piscario versantur, & tintinnabulum celeriter exaudiunt*. Simile illud apud eundem Strabonem lib. XV. *Geographiæ*, apud Indos fuisse ædiles, qui fructus maturos signo dato vendi curarent. Notavit hoc post Cælium Rhodiginum lib. XIX. cap. X. *Antiquarum Lectionum*, Joannes Langius in *Medicinalibus Epistolis*, Isaacus Casaubonus, Galliæ lumen, *ad librum* XIV. *Strabonis*, & Medicorum princeps Hieronymus Mercurialis lib. I. *Variarum Lectionum* cap. XXV. Adhuc hodie Antverpiæ est in usu venditiones *tintinnabuli* signo indicare plateatim.

† Vide notam supra pag. 1173.

CAP. V.

Quis olim usus esset Tintinnabuli in privatis Romanorum ædibus.

LUCIANUS Samosatensis agens de his, quæ mercede conductis viris doctis Romæ solerent usu venire, inter cetera, quæ docte admodum atque eleganter conscripsit, ait *in ditiorum ædibus* 1 *familiam tintinnabuli sono excitari consuevisse*. Ædes enim quum amplissimas haberent Romani, cujus rei nos adhuc admonent ruinæ; & servorum greges (quod hodie Turcæ faciunt) possiderent, domique, ut villicos omittamus, alerent; tintinnabulis * (quemadmodum in Monachorum Cœnobiis est in more positum) familiam mane excitandam curare alia re ulla quam tintinnabuli concrepatione & tinnitu non potuisse commode, est omnino manifestum. Hodie etiam Romæ videmus ampliores quam par sit purpuratorum Flaminum sive Cardinalium, & Principum familias pransum cœnatumque, tintinnabulis in superioribus ædium partibus suspensis, convocari; adeo ut non solum qui domi sunt, sed etiam qui domo absunt, sonum audiant; & sui quisque domestici tintinnabuli tinnitum multis personantibus agnoscat.


CAP. VI.

An apud Antiquos horæ, ut hodie, Tintinnabuli sono distinguerentur. Luciani locus, antea obscurus, declaratus.

ADmonent me superiora, ut Luciani locum, antea obscurissimum, apertum perspicuumque reddam. Existimant nonnulli, apud Antiquos, diei noctisque horas tintinnabuli majoris sono distingui & significari consuevisse, ea solum auctoritate innixi, quod Lucianus litteris prodiderit, *horas per aquam & sonitum sua ætate demonstratas*: In quorum ego aliquando sententiam pedibus discessi. Verum postea factum est ut aliud sentirem, quod esset absque dubio probabilius. Primum enim cœpi mecum addubitare, quod Plinius, qui res hujusmodi multas exsequitur, & Vitruvius, descriptis Antiquorum solariis, id est, horologiis, quæ in Sole, umbra horas (quod etiam hodie fieri videmus) distinguebant, ac transeuntibus demonstrabant, nihil omnino de sonoro horologio loquantur, nullaque ejusmodi arte non vulgari instrumenti fabrefacti mentio apud antiquos Scriptores reperiatur. Mox accidit ut Joannes Nicolaus Justus, affinis meus, ac vir doctus, libri veteris mihi copiam faceret, in quo, præter alia multa instrumenta, horologium, quod per aquam & sonitum constaret, Luciani horologio non absimile, graphice delineatum: cujus formam utcunque hic apponendam esse duxi, ut quisque Luciani locum nullo negocio cognoscat.

1 *Familiam tintinnabuli sono excitari*) Ita Lucianus Tractatu *De iis qui mercede conducti in divitum familiis vivunt*: Ἕωθέν τε ὑπὸ κώδωνι ἐξαναστὰς ἀποσεισάμενος τοῦ ὕπνου τὸ ἥδιστον συμπεριθεὶς ἄνω καὶ κάτω, ἔτι τὸν χθιζὸν πηλὸν ἔχων ἐπὶ τοῖν σκελοῖν. Id est, *Deinde mane ad tintinnabulum expergefactus, discussa ab oculis dulcissima somni parte, una sursum ac deorsum circumcursas, hesterno luto etiamdum tibiis adhærente*, &c.

* Hanc vocem redundare cuivis Lectori patebit.



A Tintinabulum. B Axis, cui alligatur funis, a quo pondus aliquod pendeat. C Pondus. G Lignum, in quo pondus quiescit. D Uncus continens pondus ad tempus, ne dilabatur. F Aqua paulatim subsidens. E Orbis e subere, continens ferrum adfixum, horarum indicem, cujus pondere cum aqua e parvo foramine vitreæ clepsydræ dilapsa paulatim, subsederit, uncus D funiculo H designato retrahitur: quare fit ut lignum G declinet, & eo declinante, pondereque dilabente, axis B volvatur, & axi A volvendi causam præbeat, unde tintinnabulum concutiatur, & increpet. Jam vides Luciani horologium clepshydra & tintinnabulo constans.

CAP. VII.

Deæ Syriæ Sacerdotem uti consuevisse Tintinnabulo.

ANtequam Lucianum dimittimus, illud nolim Lectorem ignorare, 2 Syriæ Deæ Sacerdotem, ut idem Auctor litteris prodidit, tintinnabulo uti consuevisse. Ait namque, *ante Syriæ Deæ templum phallos duos miræ altitudinis fuisse*

2 *Syriæ Deæ Sacerdotem*) Plutarchus in *Vita M. Crassi* de prodigiis agens, quæ ipsi acciderunt in Syria, hanc describit. Mentio item hujus apud Tertullianum in *Apolog.* M. T. Ciceronem III. *de Nat. Deorum*, Eusebium *de Præparatione Evangelica* cap. II. aliosque, præcipue autem apud Lucianum, quem Lector audi: Πολλοὶ δὲ ἀπικνεόμενοι χρυσόν τε καὶ ἄργυρον, οἱ δὲ χαλκὸν κομίζουσι, εἶτ᾽ ἀφέντες ἐκεῖνα πρόσθε κείμενα, ἀπιᾶσι, λέγοντες τὰ οὐνόματα· παρεστεὼς δὲ ἄλλος, ἄνω ἀγγέλλει· ὁ δὲ δεξάμενος τοὔνομα, εὐχωλὴν ἐς ἕκαστον ποιέεται· ἅμα δὲ εὐχόμενος κροτέει ποίημα χάλκεον, τὸ ἀείδει μέγα καὶ τρηχύ, &c. Id est, *Multi autem venientes, aurumque & argentum, quidam etiam æs afferunt, deinde ante illum appositis atque ibi relictis illis abeunt, unusquisque nomen suum edentes: adstans autem alius quidam, sursum renunciat: ille igitur accepto nomine, preces pro unoquoque facit, precando autem pariter & æreum quoddam tintinnabulum pulsat, quod motum graviter atque aspere sonat*, &c.

ſtatutos: in hoc Sacerdotem ea ſolitum arte conſcendere, qua Syri palmas altiores nimirum fune caudici advoluto (duplicem hunc eſſe oportuit, ut dum in altero pedes ejus, qui conſcendere vellet, conſiſterent, alter altius promoveretur) *ac paulatim ad ſuperiores partes protracto: cum vero ad ſummas phalli partes perveniſſet, orare, ſacra facere ac inclamare conſueviſſe, atque interim tintinnabulo ſonum edere, ut verbis tinnitus ſociaretur.* Æs namque in ſacris non modicam vim habere exiſtimabat Antiquitas. Sunt præterea qui putent, Deæ ejuſdem Sacerdotes, qui ſtipem non modicam paſſim emendicantes, ſive potius corradentes; colligerent, (hos Cicero, in libris *de Legibus*, *domos exhaurire & Urbem ſuperſtitione implere* dicit) tintinnabula uſurpaſſe; viſiturque inter Antiquorum ſtatuas, Romæ opinor, Sacerdos hujuſmodi cum pera & tintinnabulo. More non abſimili apud Italos noſtros, qui 1 Divi Antonii Fratres nuncupantur, paſſim eleemoſynas colligentes ſtatim atque in pagos & vicinias pervenerint, tintinnabula movent, quod tinnitus Religionem quandam præ ſe ferat, (etenim Divum Antonium cum tintinnabulo appingi videmus) & eos, qui aliquid daturi ſint, accerſat. Eodem, cum iis, qui benigne fecerunt, pie ſalutem æternam a Deo expoſtulant, identidem perſonant. Quod & Iſiacos feciſſe arbitror.

* *
*

Quæ modo dicta ſunt a Magio noſtro de Syriæ Deæ Sacerdotibus, mirum in modum convenire mihi videntur cum iis, quæ de certis quibuſdam Religioſis apud Turcas narrat Nicolaus Nicolai, in libris de moribus diverſarum Gentium; *ſiquidem refert inter Saracenos inveniri genus quoddam Religioſorum, vel potius Hypocritarum, quibus volupe ſit, vitam aliquo modo ſolitariam agere inter feras, utpote lupos, cervos, urſos, aquilas, & iſtius generis alia animalia, quæ quidem ideo domi ſuæ alunt, ut viri ſanctitate præditi cenſeantur, re ipſa tamen ut in ſolitudine quam minime ſoli ſint; hiſce enim animalibus domitis tempus & otium fallunt. Cum autem vivant ex eo quod ex prætereuntium liberalitate iis ſubminiſtratur, quoties parcius ſibi eleemoſynas offerri vident, latebris relictis civitates petunt, urſum vel cervum manu ducentes, ex quorum collo pendeat Tintinnabulum, quo populum, aut eos, qui aliquid daturi ſint, convocent, in hanc formam.*

1 *Divi Antonii Fratres*) Majores noſtri memorias Sanctorum inviſentes, libenter pro ſe conferebant parvam Sancti imaginem; ſic etiam pro pecoribus ſuis, collo alligandam nolam ex memoria S. Antonii conferebant, proteſtantes hac ratione, quod meritis S. Confeſſoris petebant, & confidebant animalia ſua præſervatum iri a peſte. Quod indicat Ambroſius Novidius a Romanis obſervari. Agens enim de porco grunniente, qui S. Antonio appingitur, ſubdit:

—— collo mea concutit æra,
Noſcere quo poſſis ne noceatur, ait:
Æſque meum geſtat, baculo quod cernis in iſto,
Quodque rogans æger, collaque multa gerunt.



CAP. VIII.

Bruta quoque Tintinnabuli ab uſu non excludi.

Non ſolum autem homines, ſed etiam bruta, quæ ſub hominis imperio degerent, (hæc *pecudum* nomine appellari, Laurentius Valla in *Elegantiis* teſtatum reliquit) hominis tamen arte, olim tintinnabulis perſonabant. Strabo auctor eſt, pecudibus fuiſſe adligata tintinnabula, ut tinnitu noxiæ feræ ab ipſis arcerentur. Hodie quoque paſtores, more antiquo perdurante, 2 ovium, caprarum, ſuum, boum, equorumque collo tintinnabula aptare ſolent, non ad terrendas feras (nam & pecora, quæ tintinnabula geſtant, a feris impeti & necari experimenta non ſemel docuerunt) ſed ad deprehendendum quibus in locis nemorum, montium, valliumque oberrent, atque hac ratione longæ inquiſitionis labor abſit. Præterea exiſtimant, tintinnabuli ſono pecora, perinde ac tibiæ, gaudere & pingueſcere: quamquam ea, quod non ſint harmonice compoſita, harmonia oblectari negant Philoſophi; ſed quam vere, ipſi viderint. Equidem in mari e navi ſæpius perſpexi ſibilo 3 delphinos a nautis allici, & quaſi

2 *Ovium, caprarum, ſuum*) Juſtinianus Imperator in *legibus ruſticis* titulo ſecundo §. 2. interprete doctiſſimo Franciſco Balduino, ita ſanxit: *Si quis crepitaculum ſive tintinnabulum bovis, aut ovis, aut alterius cujuſvis animalis ſubſtulerit, convictus flagellator ut fur. Et ſi animal deperditum fuerit, & id damnum ſarcito, quod ejus crepitaculum ſuſtulit.* Sidonius Apollinaris *lib. II. ep. II.* ad Domitium *greges tintinnabulatos* vocat, vel *tinnibulatos*, ut eſt in veteribus libris. Fortunatus *libro II.* de S. Medardo:

Tintinnum rapit alter inops, magis improbus ille,
Qui jumentorum colla tenere ſolet.

Meminit & lex Burgundiorum titulo 4. §. 5. item Gothorum lib. 7. tit. 2. 11. Antiq. denique Bojariorum cap. 8. tit. 11. §. 1.

3 *Delphinos*) Plinius *Naturalis Hiſtoriæ* lib. XI. cap. XXXVII. in hunc modum: *Delphinum audire manifeſtum eſt: nam & cantu mulcetur & capitur attonitus ſono. Quonam modo audiat*, &c. Balenas & monſtra marina tin-

præ gaudio exsultare atque detineri. Pastorum quoque fistulis cervos sisti, & quadam quasi dulcedine capi, cognitum est; possumque ego testari, me Angliæ cicurem carduelem spectasse non semel, qui, fidibus canente citharœdo, mirum in modum exsultaret, & per mille vocum discrimina (ut Ovidii verbis utar) cantum ederet; citharœdo quiescente, & ille quoque quiesceret ac sileret: ut quisque facile intelligere posset, aviculam a vi musica in hominis morem permoveri.

Olim oblectamenti atque ornatus gratia [1] muliones atque agasones equis mulisque tintinnabula alligabant, quod & hodie passim fieri videmus. Quamobrem Lucianum primum, mox Apulejum asinis illis suis egregiis tintinnabula suspendisse videmus. Romæ quoque in antiquis marmoribus, & sculpturis, visuntur [2] elephanti, e quorum collo propendent tintinnabula; quam item & in vetusto numismate me olim observasse memini hac forma.



tinnabulis a navibus arceri mihi auctor Cornelius Kilianus Duffiæus noster in poematibus suis:

Navita Erythræum pavidus qui navigat æquor,
In proræ & puppis summo resonantia pendet
Tintinabula: eo sonitu prægrandia cete,
Balenas & monstra marina a navibus arcet.

1 *Muliones*) Assiduo compertum est mulos valde delectari tintinnabulorum sonitu: quapropter muliones multijuga tintinnabula ad illorum colla suspendere solent, quo facilius sarcinarum labores perferant, ut Ovidius alibi canit. De equis simile tradit Suidas in κωδωνίσαι, quos tintinnabulis pulsandis Veteres explorabant; & num tumultu pugnæ percellerentur, quod hodie tympano factitamus vel bombardis. Vide eundem in dict. διακωδωνίσαι.

2 *Elephanti*) Lege primam Centuriam *Epistolarum* JUSTI LIPSII epistola 1. ad Janum Hautenum, illic certe mira recenset: miriora, quæ Augerius Busbequius Belgicæ nostræ sidus se vidisse scribit epistola 1. *Legationis Turcicæ*. Hæc ejus verba: „ Vidi etiam elephantem plane juvenem mire lepidum, ut qui saltaret & pila luderet: hic credo vix temperabis risu, elephantem, inquies, ludentem pila & saltantem? cum saltare juberetur, movebat ita alternis pedes toto corpore coruscans, ut non obscure tripudiare velle videretur, pila vero palmaria ita ludebat, ut pilam in se conjectam proboscide scite exciperet, longeque repercuteret, quod nos palma facimus, &c.

A Hodie in multiplici tintinnabulorum usu non solum quadrupedibus, sed etiam avibus tintinnabula alligantur: siquidem hieracarii, quos *Accipitrarios* Latine vocamus, aquilis, majoribus minoribusque accipitribus tintinnabula alii ærea, alii argentea coriaceis compedibus assuunt ea de causa, ut cum evolaverint, atque inter arbores fruticesque consederint, nec veniant in conspectu, facile possint inveniri.

CAP. IX.

De Tintinnabulis Hebræi Sacerdotis.

B NON sine piaculo Sacerdotis 3 Hebræi tintinnabula, cum omnia, vel minima quæque Antiquorum persequamur, hic omitti posse videntur. Quamobrem & de his mentionem faciendam esse duximus, præsertim cum & Plutarchus in *Symposiacis suis Quæstionibus*, tametsi a fide nostra multum alienus, de his scriptum aliquid reliquerit. Neminem, qui vel a limine * sacras Litteras

C



D

E 3 *Hebræi tintinnabula*) Ita Origenes *super Exod.* „ Habeat etiam Pontifex per indumenti circuitum tintinnabula, ut egrediens Sancta det sonitum, & non intret cum silentio. Et hæc tintinnabula, quæ semper sonare debent, in extremo vestimento sunt posita, idcirco credo, ut de extremis temporibus & fine mundi nunquam sileas, sed inde semper sones, inde disputes & loquaris, secundum eum qui dixit: Memor esto novissimorum tuorum, & non peccabis. Ad hunc ergo modum, homo noster interior Deo Pontifex adornetur, ut introire possit, non solum in Sancta, sed in Sancta Sanctorum, &c. Flavius Josephus diligentissimus rerum Judaicarum scriptor lib. III. cap. VIII. *Antiquitatum*, ex versione Sigismundi F Gelenii, hæc de tintinnabulis: „ Pontifex vero utitur quidem etiam hoc, nihil eorum quæ enumeravimus omittens; sed superinduitur hyacinthinam tunicam talarem, quam nostrates Methir nominant, adstringitque eam zona coloribus supradictæ simili, nisi quod auro intertexta: ceterum ima vestis ornabatur limbo effigie malorum punicorum distincto, a quo tintinnabula aurea sic dependebant, ut medium esset

* *Exod.* 39. Josephus lib. 3. *Antiq.* Origenes *in Exod.* cap. 35. Polyd. Virg. *lib.* VI. *cap.* XII.

salutaverit, latet, Hebræorum multæ, ut par erat, existimationis Sacerdotem, in extrema vestimenti ora, tintinnabula multa sonora, mespila, ac mala punica identidem sonora, utpote quæ metallica essent, & vacua, pilulasque ferreas, aut æreas ad edendum tinnitum continerent introrsum, cum in Sancta Sanctorum ingrederetur, gestare consuevisse, ut dum graderetur, sonitus multiplex ab his, qui in templum convenissent, facile posset audiri. Quorum symbolicam atque arcanam significationem Divus Hieronymus pluribus docet, referens ea ad elementa & tonitrua: cujus verba, quod libris in ergastulo omnino (quod alias diximus) caream, non adscribo; quod in multis aliis Auctorum, quæ a nobis advocantur, testimoniis facere cogimur, ut etiam ea de causa veniam ab humano Lectore impetraturi simus, si sæpius, quam in aliis quæ in vulgus edidimus scriptionibus, hic memoriæ vitio erraverimus.

CAP. X.

Quis minorum Tintinnabulorum publice olim apud Antiquos usus esset.

TINTINNABULORUM majorum quis usus esset publice apud Antiquos, satis, opinor, supra fuit a nobis demonstratum. Nunc est de minoribus agendum: quanquam & huc spectant Hebraica tintinnabula, quorum superiore capite facta est mentio: parva namque erant, utpote quæ vestis oræ sive limbo assuerentur, ab ea pendere possent, & a Sacerdote non magno labore gestarentur: ac non solum parva, sed publicum in usum, ut patet, adscita.

Aristophanes in *Avibus*, ubi de ridicula illa civitate agit, jubet Codonophorum, hoc est, *tintinnabulum gestorem*, circumcurrere: inquit enim κωδωνοφορῶν περίτρεχε: ad quæ verba Scholiastes Græcus, vir doctus, scriptum reliquit, eos, qui circumibant urbem, & phylacas, id est, *excubias* ac *vigiles*, gestare consuevisse tintinnabula, ut, num vigiles vere vigiles essent, deprehendere possent, quod ipsum & ab Hesychio V. Κωδωνοφορῶν scriptum me Fammochustæ Cypri superiore anno legisse memini. Deprehendendi vero modus tintinnabulo quis esset, non produnt. Quamquam conjecturæ locus est, Codonophorum circumcurrentem (eos hodie, qui id muneris obeunt, *Rondam* vocari vulgo, satis est notum) tintinnabulo personare solitum; cui si non statim vigiles occurrissent, vel assurrexissent, eos minime vigilasse, sed tinnitu e somno excitatos fuisse, apertum erat. [1] Morem hunc tintinnabulo circumeundi vigilias in urbibus, apud antiquos Græcos duntaxat extitisse censuerim; siquidem maxime antiquum & antiquæ Comœdiæ Scriptorem Aristophanem fuisse scimus; & nihil tale Historici, sive Græcos sive Latinos quæras, in urbibus factum esse dicunt. Romanos, dum vigiles mutarent, buccina canere, non tintinnabulo uti consuevisse, constat; quod * Lucanus significat, dum ait,

Et jam quarta canit venturam buccina lucem.

Germani vero nostra ætate, cum vigiles mutant, tympanum pulsant & tibia canunt.

Præter Codonophoros, qui phylacas circumirent, erant & alii Codonophori, qui atrati funus præcedebant, de quibus Suidas, & post Suidam Gulielmus Budæus. [2] Funeri autem adhiberi consuevisse arbitror, tum ut ad spectandam funebrem pompam homines accerserentur, tum ut Flaminem Dialem admonerent funeris, ne ille ex improviso funeri occurreret, & funebribus tibiis auditis pollueretur. Funebres namque tibias [3] Flamini Diali audire non licuit, quamvis funus exsequi poterat, ut est ab Aulo Gellio libro x. *Noct. Attic.* cap. xv. observatum.

CAP. XI.

De Tintinnabulo eorum, qui ad supplicium ducerentur, & triumphantis Imperatoris.

ZONARAS *libro.* II. Græcus Historicus non omnino contemnendus, (cujus scripta superioribus annis carie obsita in Græcia reperta sunt) auctor est, consuevisse, e sontium collo tintinnabulum suspendi dum ad supplicium ducerentur, ne ex eorum improviso contactu aliquis pollueretur: siquidem tintinnabuli sono audito eos vitare unicuique integrum fuit. Ex hac consuetudine factum est, si eidem Zonaræ credimus, ut triumphantis Imperatoris currui tintinnabulum cum scutica sive flagro adalligaretur, quibus instrumentis, quorum usus plectendis hominibus esset, in magnæ felicitatis cumulo Imperator admoneretur, ne plus quam par esset efferri ac superbire vellet, sed humanæ miseriæ recordaretur: quam rem a nullo alio proditam Scriptore Græco, aut Latino, mirari subit. Sane Plutarchus in *Scipione Æmiliano* omnem triumphi pompam optime explicans, nihil tale scriptum reliquit, ut suf-

„ quodque malum punicum inter duo tintinnabula situm, & tintinnabulum inter duo mala punica, &c. Adscribo & Græca verba, si quis ea potius desiderabit: Ὁ δὲ Ἀρχιερεὺς κοσμεῖται μὲν καὶ ταύτῃ παραλιπὼν οὐδὲν τῶν προειρημένων· ἐπενδυσάμενος δὲ ἐξ ὑακίνθου πεποιημένον χιτῶνα, ποδήρης δ' ἐστὶ καὶ οὗτος, Μεθὴρ καλεῖται κατὰ τὴν ἡμετέραν γλῶσσαν· ζώνῃ περισφίγγεται βάμμασιν, οἷς καὶ πρότερον ἤνθει διαπεποικιλμένῃ χρυσοῦ συνυφασμένου· κατὰ πέζαν δ' αὐτῷ προσερραμμένοι θύσανοι ῥοῶν τρόπον ἐκ βαφῆς μεμιμημένοι ἀπήρτηντο, καὶ κώδωνες χρύσεοι κατὰ πολλὴν ἐπιτήδευσιν τῆς εὐπρεπείας, ὥστε μέσον ἀπολαμβάνεσθαι δυοῖν τε κωδώνοιν ῥοΐσκον καὶ ῥοῶν κωδώνιον.

1 *Morem hunc tintinnabulo*) Excubitores nocturnis vigiliis nolam antiquitus pulsabant, ad cujus pulsum respondendum erat illico, ut Suidas refert dict. κωδωνοφορῶν, ex Aristoph. Interprete ἐν Ὄρνισι: Ἐρχόμενοι, inquit, ἐπὶ τοὺς φύλακας κώδωνας εἶχον, καὶ τούτους ἐψόφουν πειράζοντες τὸν καθεύδοντα, ἢ ἵνα οἱ φυλάσσοντες ἀντιφθέγγωνται. Qui mos etiamnum apud Iccium Portum (*Caletum* hodie vocant) aliisque locis præsidiariis observatur. Similiter si qua vis ingrueret, Campani æris tinnitu indicium ejus rei dabatur olim, quemadmodum & hodie per universam fere Belgicam nostram hoc civili bello, unde *Thebaidos* VI. Papinius Statius eleganter cecinit:

—— *procul auxiliantia gentes*
Æra crepant.

* Propertius lib. 4. eleg. 4. vers. 63.

2 *Funeri autem adhiberi*) Olim si quis e vita excessisset, æra campanæve pulsabantur, ut pervetus Theocriti Scholiastes annotat, (qui mos in hunc usque diem apud nos perdurat) quod is sonus credebatur esse καθαρὸς καὶ ἀπολυτικὸς τῶν μιασμάτων, hoc est, *avertere spectra & dæmonum ludibria.* Atque hinc receptum arbitror, cur tonante cælo campanarum boatu perstrepatur. Non sum tamen nescius subesse & aliam causam, nimirum ut illarum complosu aerem longe lateque diverberante vis tonitrui infringatur. Apollodorus in libro, quem *de Diis* inscripsit, Hierophantam, hoc est, Proserpinæ Sacerdotem, tintinnabulum sive nolam, ἠχεῖον nominat, pulsare Athenis consuevisse scribit. Pulsantur etiam campanæ, teste Alberto Pighio ad finem *libri* VII. in exsequiis & justis defunctorum, ut excitentur & præmoneantur nedum necessarii, sed & ceteri cives ad præstanda officia defunctis, eorum opem implorantibus, ac si dicerent, *Miseremini mei, saltem vos amici mei.*

3 *Flamini Diali*) Vide Agellium *lib.* x. *cap.* xv. qui ceremonias Flamini Diali impositas satis copiose recenset.

picer quod est a Zonara litteris mandatum, non antiquitus, sed sub recentioribus Imperatoribus fieri consuevisse, nimirum temporibus seculisve Zonaræ proximis. Etsi Obertus Gifanius vir eruditissimus, & amicus mihi longe carissimus, ea de causa hac in re fidem adhiberi posse Zonaræ mihi Venetiis aliquando affirmaverit, quod Cornelius Tacitus Zonaræ fidem adjuvet in eo, quod de verbis Imperatori triumphanti a nescio quo inclamari solitis, scribit, scilicet ne gaudio nimio efferretur: viderique Zonaram, recentem præ Cornelio Historicum, ex antiquo aliquo Scriptore, quæ supra retulimus, desumsisse. Quod ad sontes, qui ad supplicium cum tintinnabulo ducerentur, attinet, haudquaquam est ignorandum, Plautum parte aliqua Zonaræ adstipulari, dum quodam loco egressuri exra portam Metiam servi cum patibulo, de laniis duobus & tintinnabulis meminit. Siquidem [1] apud Plautum legendum videtur, *cum tintinnabulis*, non autem, *cum tintinnaculis*, ut habent exemplaria vulgata: qui locus male a quibusdam explicatur, dum *tintinnacula* pro virgis accipiunt: quamquam *tintinnacula* pro tintinnabulis antiqua voce a Plauto dici suspicari possimus.

Figuram ejus, qui ad supplicium duceretur cum tintinnabulo, apponere libuit, ut humanus Lector rem melius percipiat, & veluti præsens, antiquitatem aliqua cum voluptate intueri & quasi contrectare possit.



Cap. XII.

De Antiquorum Tympano, quod tintinnabula multa contineret.

Ut nihil antiquitatis penitus ignoretur, sciendum est, antiquitus cognitum esse TYMPANORUM usum, ut apud Strabonem atque alios me adnotasse memini. Suidas quoque si non admodum antiquus Auctor, antiquitatum tamen collector non adspernendus, tympana usurpasse Antiquos demonstrat, describitque tympanum quoddam, cui introrsum multa appensa essent tintinnabula, ut, dum pulsaretur, mirum ederet sonum: crepitu namque tympani, & quasi boatu graviore, acuto tintinnabulorum tinnitui ac concentui permisto, mirus sonus edebatur. Huic non absimile tympanum, ratione musica fabrefactum, se aliquando Venetiis conspexisse, mihi narravit Josephus Zarlinus Clodianus, nostræ ætatis Musicorum facile princeps, & amicus mihi optimus atque gratissimus.

Visuntur quoque Antiquorum CROTALA marmore expressa, quæ tintinnabula affixa continent. Turcarum Crotala superioribus diebus Galatæ Constantinopoleos vidimus, quæ e bractea ærea orbes continerent tintinnabulorum vicem exhibentes, sonum non ingratum edentia. Similia etiam cum tintinnabulis sunt nostris cognita. Vidi non semel in patria Nicolaum Leccium tonsorem ac scurram crotali hujusmodi sonum ita citharæ sociantem, ut musicus concentus non ingratus ederetur. Turcæ autem tibiarum sonum crotalis jungunt & humanis vocibus, mehercule optime.

Cap. XIII.

De superiorum seculorum castrensi Campana. Accursii locus declaratus.

Tintinnabuli castrensis me sonus a Tympanis & Crotalis avocat. Est igitur sciendum, superioribus seculis, nec admodum vetustis temporibus, exercituum Imperatores, jam tintinnabulorum majorum in Christiana templa usu recepto, in castris, quasi in quadam civitate ambulatoria, & turricula campanaria e ligno identidem ambulatoria uti consuevisse, e qua tintinnabulum admodum magnum penderet, [2] *Carrocium* voce


[1] *Apud Plautum legendum*) In *Pseudolo* Act. I. Sc. 3. vers. 97.

—— verum extra portam Metiam currendum est prius.
A. Quid eo? PS. *Lanios inde accersam duos cum tintinnabulis.*

Turnebus *Adversf.* lib. XXIII. cap. XI. Romanos, cum supplicium de servis sumebant, tintinnabula ad plebem convocandam, vel arcendam, ne contaminaretur, adhibuisse conjicit ex dicto Plauti loco. Etsi incomparabilis ille Scaliger *tintinnabulum* ibi vehiculorum genus esse putet.

[2] Carrocium *voce Itala*) Hujus descriptionem accuratam nobis dedit Antonius Campus, Pictor & Eques Cremonensis, in *descriptione urbis Cremonæ* vernacula Lingua, quam Latine ita vertit Philippus Rubenius amicus mihi singularis, in quo quid laudes potissimum nescias, ingenium-ne omni honesta & liberali doctrina cultum & perpolitum, cum acri & limato judicio conjunctum, an mores suavissimos prorsusque ad humanitatem factos, quibus se summis pariter & imis commendare solet: „ Anno Christi M. LXXXI. Cremonenses „ CARROCIUM instituerunt, quodque ejus usum una „ cum libertate gratia Bertæ Augustæ ab Henrico Im„ peratore impetrassent, BERTAM aut BERTAC„ CIOLAM dixerunt. CARROCIUM erat currus „ amplior his atque sublimior qui communi in usu In

Itala, quaſi *currum magnum* dicas, appellabant, currus enim altioris formam parte aliqua exprimebat. Poſitis caſtris, prope Imperatoris tentorium Carrocium locabant, & princeps ſignum militare mutum in ſuprema parte figebant. Sole occidente, & mane ante lucem, ut fit in Chriſtianorum templis, tintinnabulum miles aliquis pulſabat, DEUM Opt. Maximum Oratione Dominica, & Deiparam Virginem ſalutatione Angelica venerandi ſignum perſpicuum præbens. Cum bellicum canere oporteret, eodem tintinnabulo milites ad arma vocabantur. Cum in hoſtem progrediendum, acieque confligendum eſſet, Carrocium in media acie cum ſigno prænotato & tintinnabulo ſiſtebant, & tanquam Imperatorem illud circumvallatum cuſtodibus, ab hoſte ne caperetur, tuebantur; tantumque erat tuendi ac defendendi ſtudium, tantus militum ardor, ut quem locum quiſque vivens occupaſſet, eum amiſſa anima corpore tegeret. Maximi enim dedecoris loco Carrocium amiſiſſe habebatur. Quam ob rem Accurſius, qui multos annos Bononiæ verſatus eſt, in quodam ſuo gloſſemate ait, *regulæ cuidam inhærendum, tanquam ſolent Bononienſes Carrocio;* quæ verba mox apud noſtros Jureconſultos in proverbium venerunt, cujus meminit Alciatus in libris *de Verborum ſignificatione*. De hoc Carrocio ſcriptum reperies in *Chronicis* Villanii Florentini, qui Florentinorum Carrocium a Senenſibus captum fuiſſe memoriæ prodidit, &, ſi recte memini, *Martinozum* vocat. An aliæ Nationes, præter Italos, hujuſmodi curru in caſtris uterentur, mihi adhuc eſt incognitum. Nunc Carrocii figuram cum tintinnabulo & vexillo delineemus.



CAP. XIV.

De virtute tinnitus æris & Tintinnabulorum juxta quorundam, quamvis non ab omnibus approbatam, opinionem.

ÆRIS vim eſſe non modicam putavit Antiquitas. Ideo Sacerdotes æreis cultris utebantur, ut eſt a me apud Nonium Marcellum atque apud alios obſervatum. Ea etiam de cauſa Ovidius in *Metamorphoſi* Medeæ falcem æneam tribuit. Idem in *Faſtis*, æris tinnitu inferorum umbras in ſacris Lemuralibus ab anu expelli dixit. Alexander quoque Aphrodiſæus in ſuis *Problematibus* ait æris ſono malos ſpiritus depelli, eamque ob rem in Lunæ defectu æra moveri, fuiſſe in more poſitum. Livius etiam, Ovidius*, Lucanus, atque alii, deficiente & quaſi laborante Luna æra concuti, ſcriptum reliquere, quod & a † Cælio Rhodigino in libris *Antiquarum Lectionum* fuit adnotatum. Eſt etiam a Polydoro Vergilio in libris *de Inventoribus rerum* †† litteris mandatum, tintinnabulorum ſive campanarum ſono Dæmones fugari: ideo cum ventorum aut grandinis injuriam timent Chriſtiani, (ab his enim Dæmonum opera vineis, arboribus, frugibuſque calamitas invehitur) campanas pulſari jubent. Sane Divus Auguſtinus a malis ſpiritibus Dæmonibuſque tempeſtates cieri affirmat. Cur autem [1] campanarum tinnitu Dæmones terreantur, longiuſque fugentur, haudquaquam eſt in obſcuro poſitum: ſunt enim campanæ divino cultui ſacratæ, & Sacerdotis benedictione auguſtæ religioſæque. Quin etiam cum benedictione ac religione recentes, quaſi luſtrica die, nomina accipere ſolent. Cum eſſem Fammochuſtæ, vidi in Divi Nicolai templo campanas duas non vulgaris magnitudinis, quas quidam Epiſcopus, nomine Guhelmus, faciundas curavit, & a nomine ſuo *Gulielminas* appellari voluit; ſic enim litteris in ambabus teſtatum reliquit. Campanæ ſono DEO Opt. Max. honorem exhiberi, & orationes quaſi in altum preceſque ſuſtolli efferrique Chriſtiani opinantur: memini quoque me aliquando legere in *Gloſſa*, quam *ordinariam* Theologi vocant, ad Hymnos Davidis, in parentalibus pulſari campanam, ut preces, quæ pro mortuis funduntur ad Deum, campanæ ſono, tanquam flatu quodam, devehantur, & quaſi manu ducantur.

Illud non eſt omittendum, quod ad ea, quæ de tempeſtatibus ſupra dicebamus, pertinet, Philoſophos, qui ſæpe a Chriſtiana fide ad naturæ ra-

„ venere Longobardi, primique omnium, ſecundum „ aliquos, Mediolanenſes uſurparunt. Ornabatur id a „ quibuſdam panno rubro, ab aliis albo, a Cremonenſibus vero mixtim rubro & albo, denique pro colore, „ quo cujuſque civitatis inſigne. Sed & ſeni boves, a „ quibus trahebatur, ſimili panno tecti. In medio autem erat antenna cum vexillo ſive labaro, præter crucem rubram cetera albo, cujuſmodi in ſupplicationibus hodieque nonnullis in locis geſtantur: & ab eadem antenna dependuli funes, quos validi robuſtique „ juvenes manibus attinebant, inque ejus ſummo campana appellata nola. Nefas autem educere, niſi publico decreto, nec minus mille quingentis ad cuſtodiam ejus militibus ſtrenuis & panoplia ac bipennibus „ egregie munitis. Prope etiam Duces omnes ac militiæ præfecti; at pone tibicines VIII. multique ad „ rem divinam Sacerdotes. Præcipua tamen currus hujus „ cura dabatur viro virtute & peritia rei militaris inſigni, „ quoque loci ille ſtatueretur, eo tum jus dici, tum „ conſilium haberi de ſumma belli ſolebat. Eodem & „ ſauciis receptus atque confugium, eiſque qui vel pugnando defeſſi, vel a multitudine hoſtium premerentur.

* Faſtor. l. v. † Lib. XIX. c. X. †† Lib. VI. cap. 12.

1 *Campanarum tinnitu Dæmones*) Petrus Meſſias Hiſpalenſis libro II. *diverſarum Lectionum* capite IX. hæc copioſe tractat, ad quem Lectorem remitto.

rationes divertunt, existimare, campanarum sono tempestatum, ventorum, grandinumque depelli injuriam, quod tinnitus ille æris aerem maxime diverberet, scindat, & confringat; quod apertum sit eo, quod usuvenit apibus, cum facto examine avolare cœperint; quandoquidem non magno æris tinnitu subsidere coguntur, aere nimirum discisso distractoque, & volatum ægre recipiente. Quanquam existimabit fortasse aliquis, id apibus, moto aere, usuvenire, quod tinnitu alliciantur: quod an verum sit, aliis dijudicandum relinquo.

Paulus Grillandus, non infimæ classis Jureconsultus, in libro de *Strigibus* sive *Lamiis* historiam refert plane admiratione dignam. Ait enim mulierem quandam, quæ, Dæmone devehente, in ludos illos nocturnos Dianæ sive Herodiadis profecta, appetente jam luce, domum revertebatur, in agro repente fuisse a Dæmone nudam derelictam, quod antelucanus campanæ tinnitus esset ab illo exauditus: eam vero mulierem ab homine quodam fuisse repertam, domumque in suam perductam, id sibi vere contigisse, affirmare ausam. Quanquam credere par est, itum illum & reditum ad Dianæ vel Herodiadis ludos, Dæmonis esse illusiones, qui somno sopitis mulierculis in earum mentes illabatur, & ea omnia secundum quietem ipsis appingat, quæ mox a somno, in quo demersæ jacebant, excitatis fuisse vera videantur. Sed de Strigibus sive Lamiis an vere in ludos proficiscantur, & in varias feras mutentur, consulas [1] Joannis Wieri Graviani libros *de Præstigiis Dæmonum*.

CAP. XV.

Tintinnabulis Turcarum & Græcorum templa carere. De Symandro & Agiosydiro.

CUM æris vim non modicam existere Antiqui opinarentur, æreorumque tintinnabulorum usus sit longe utilissimus, cum ad cives statim, quamvis procul per urbem dissitos, in unum congregandos, tum ad singulas diei noctisque horas indicandas, mirum fortasse alicui videbitur Turcarum & Græcorum templa his carere. Sane Turcæ juxta templa, quemadmodum & nos consuevimus, altas turres multilateras construunt; quarum fastigia in pyramides exeunt ligneas, ut in pluribus, plumbeis laminis contectas, ad imbrium vim arcendam: ut si procul spectes, turres campanarias Christianorum esse credas, & his urbes exornari affirmes. Non longe a pyramidis initio ita constructæ sunt, ut circumire quis facile possit: huc scala cochlide, quemadmodum Romæ in Trajani columnam (habent hæ turres & cum hac non parvam similitudinem, cum non latæ, sed succinctæ sint & tenues, ut mirum sit cur non a ventis aliquando dejiciantur) adscenditur. Pyramide nonnullas carere vidimus, ut Rhodo & Coo Insula. Ostiola in scalæ summitate, quibus egressus est, in circulare podium omnia in orientem Solem spectare observavimus. Ex his turribus podiisque Sacerdotes, statis diei & noctis horis, omnipotentis Dei nomen [2] voce quasi Stentoria inclamant, hominesque ad templa, ut nos campanis solemus, convocant.

Græci vero campanarum loco SYMANDRUM habent, & AGIOSYDIRUM. *Symandrum* Græca etymologia a convocandis hominibus, seu po-

1. *Joannis Wieri Graviani*) Potius P. Martini Delrii Antuerpiani amici optimi, qui hunc satis egregie refutat in libro *Magicarum Disquisitionum*.

2. *Voce quasi Stentoria*) Proverbialis hyperbole, *Sten-*

A tius coadunandis, appellant: * *Agiosydirum*, quod sacrum sit ferrum illud, de quo infra dicturi sumus. *Symandri* usum inde mihi Sacerdotes nonnulli Fammochustani invectum in Ecclesias dixerunt, quod Noha in arca instrumentum non absimile ad convocanda bruta usurpaverit. Verum id sit, nec-ne, prorsus ignoro. Si conjecturas sequi detur, existimaverim factum esse, ut Græci *Symandro* & *Agiosydiro* uterentur, quia ab initio constructis Monachorum Sacerdotumque Cœnobiis, Ethnicisque Principibus Græciæ imperium obtinentibus, æreis tintinnabulis, quod eorum sonus & nimiæ securitatis & auctoritatis indicium

B esset, abstinuisse, & *Symandri* usum excogitasse, quem succedentia Christianorum Principum tempora non excusserunt; quandoquidem ex consuetudine voluptatem conciliari scimus, & Græci non facile a Majorum traditionibus, Majoribusque recedunt. Quamobrem campanis novissime in multa Græcorum templa invectis (de templis, quæ in Orbe Christiano sunt, loquor, nam reliqua campanis Turcæ carere jubent) & *Symandri*, locus est.

Symandrum autem esse scias ligneam tabulam latitudine digitorum plus minus quinque, crassitu-

C dine sesquidigiti, longitudine fere pedum quatuordecim: non e quolibet ligno fit, sed e præduro &, quantum lignea materia patitur, sonoro. Capita foramina habent nonnulla non magna admodum, sed pennæ anserinæ calamove scriptorio pervia. In medio tenuem funiculum continet. Qui populum ad templum est convocaturus, & campanarii (ut ita cum vulgo dicam) nocturnis & antelucanis horis munus obiturus, ante fores templi, vel edito loco tabulam prænotatam malleis duobus ligneis pulsat, non sine aliqua ratione musica, atque interim in gyrum sensim volvi-

D tur, qua re fit ut gravior cum non ingrata raucedine sonus emittatur. Tabula non qua latior, sed qua arctior est, quasi libræ scapus, in sinistro Campanarii & pulsantis humero quiescit; ac ne pulsando dilabatur, funiculo prædicto mordicus apprehenso retinetur; manibus enim non licet, tum quod, ea apprehensa, sono non parum decedit; tum quia utraque manus malleo impeditur. Ambabus enim manibus pulsatur hinc inde, ut nunc quædam frequentamenta, nunc quasdam quasi pausas audias.

* Scrib. ergo potius *Hagiosiderum*.

E *tore clamosior*. Sumtum a fabula Stentoris, cujus meminit Poëtarum Princeps *Iliad.* Σ. eique *ferream*, hoc est, invictam vocem attribuit: æquabat enim quinquaginta alios clamore. Ita Homerus *Iliad.* E. vers. 785.

Στέντορι εἰσαμένη μεγαλήτορι χαλκεοφώνῳ.
Ὃς τόσον αὐδήσασχ' ὅσον ἄλλοι πεντήκοντα.

Augerius Busbequius, *epistola* 1. *Legationis Turcicæ*, idem confirmat his verbis: „Talismannos habent hominum „genus templorum ministerio dicatum. Hi mensuris u„tuntur ex aqua, quibus postquam adventare auroram co„gnoverint, clamorem tollunt e celsa turri, in eum u„sum constructa, quo homines ad venerandum Deum „hortantur & arcessunt. Idem faciunt medio tempore „inter exortum Solis & meridiem; & item inter meri-

F „diem & occasum: postremo, Sole occidente, voce u„tuntur acutissima, eam non injucunda modulatione vi„brantes, quæ longius, quam credi possit, exauditur, „&c.



A *Agioſydirum* hac forma vidimus: Ferrea erat lamina quatuor digitorum latitudine, ſexdecim vero longitudine, funiculo in medio librata: hæc ferreo malleolo ternis interpolatis vicibus ab homine pulſari ſolet, qui Sacerdotem euchariſtiam ad ægrotos lectoque decumbentes deferentem ſolet præcedere, ut inter tranſeundum quiſque rei admoneatur. Sed jam campanarium cum Symandro appingamus utcunque.

Eſt & *Agioſydiro* locus hic tribuendus; ut hi, quibus Græcorum regiones videre non contigit, (utinam & mihi id contigiſſet, non enim tantam rei domeſticæ, Scriptorum, & libertatis jacturam paſſus eſſem!) quod a me dictum eſt de hoc inſtrumento, facilius percipiant, & Græcorum mores cognoſcant.



CAP. XVI.

De turribus, quæ Tintinnabulis dicantur.

MAGNI refert, quo campanæ loco ſuſpendantur, tinnitumque edant. Si in planitie, cognitum eſt longius earum ſonum pervadere quam ſi in montibus pendeant; ſi vero in valle, longius quam in aperta planitie, quod ſonus non in orbem, ſed in longum progrediatur: ſiquidem apertum ſatis eſt, id aeri voce vel ſono diverberato uſuvenire, quod aquis ſtagnantibus, ſi in eas lapis, vel quid aliud ſimile, projiciatur: orbes enim initio parvos, mox magnos, demum maximos, & qui quam longiſſime progrediantur, explicari animadvertimus, longius vero produci, ſi in longum quam ſi orbem aquæ ſtagnaverint ac conſtiterint. De voce autem & ſono, ſint corpus, nec-ne, hic non habeo dicere, quod in Annotationibus in Aulum Gellium * ea de re ſatis pertractaverim. Eſt etiam in ſoni progreſſu diſcriminis nonnihil, ſi hic in nemora, & loca fruticibus condenſa, & aliubi in nuda ſcopuliſque aut alia re duriora, vel denſa frangatur, ac quaſi redundet; ſi in objecta ædificia obſtructaque loca urbis incidat. Vitruvius auctor eſt, olim in theatrorum gradibus vaſa quædam ampliora conſueviſſe loca-

B ri, ut voces, in ea incidentes, refractu & quaſi repercuſſu augerentur. Quæ res facit ut credam contectis turribus campanariis campanas longius perſonare quam in apertis, ſiquidem ſonus non in altum atque in immenſum ſpargitur, (facilius autem in altiores partes quam in humiliores proſilit, quia ibi tenuior exſiſtit aer, a vaporibuſque & terræ aquarumque ſuffitu defæcatior, quamobrem facilius permovetur ac ſcinditur) non in immenſum, inquam, ſpargitur, ſed in inferiores partes propellitur. Teguntur vero turres hujuſmodi non ut fit in privatis ædibus, ſed vacuis quibuſdam pyramidibus, & metis latericiis, aut

C marmoreis conſtructis & quaſi ſuperimpoſitis; in quas propulſus ſonus augetur & tanquam e latiſſimo tintinnabulo non parum adauctus proſilit deorſum. Quod de aeris tenuitate diximus, nos admonet, ut exiſtimemus, tempeſtates aeriſque varias conſtitutiones in ſoni magnitudine vel parvitate aliqua habere momenta, ſcilicet, ut Virgilii verbis non ſine philoſophica ratione prolatis utamur,

—— cum *Jupiter humidus auſtris*
Denſat, erant quæ rara modo, & quæ denſa, relaxat.


D Ventorum quoque vis non modicum ad avertendum alioque rapiendum ſonum, aut ad longius provehendum, conducit, ut omnino eſt unicuique apertum.

* Lib. v. cap. xv.

Illud hic minime silentio involvendum est, non parum studii atque industriæ Architectos in hujusmodi turribus construendis atque exornandis ponere consuevisse. Hinc ut alias non paucas nobiliorum urbium turres omittam, visitur Florentiæ ad Divæ Reparatæ turris campanaria numeris omnibus absoluta, & pulcherrimis sculpturis, quæ transeuntes remorentur, exornata. Nonnulli anxia & a discrimine non modicum abhorrente cura in tantum luserunt, & lascivire ad captandam vulgi auram voluerunt, ut turres non ad perpendiculum, ut fit, sed maxime proclinatas, ruinam minitantes, & jam jam casuras construxerint.



E quibus unam conspexi Pisis marmoream, teretem, columnisque clavicularum in morem circumplexam, in quam cum adscenderis, mirum in modum timore afficiaris, ne illa prolabatur, teque opprimat ruina: ut nunc Asinellorum turrim Bononiæ non solum hoc nomine, sed etiam proceritatis ratione visendam omittamus, quamquam hæc non in eum usum, in quem Pisana illa, constructa est.



Sed sunt nonnulli, qui existiment, turres hujusmodi non eo, quo nunc cernuntur, habitu fuisse ædificatas, sed terræmotuum injuria aliquando nutasse, & a perpendiculi statu esse non parum dimotas & inclinatas. Quos tamen mendacii arguunt fenestrarum ostiorumque limina, & ea foramina, quibus tigilla tabulatorum, dum construerentur, quiescebant & sustinebantur: plana enim sunt, non devexa, sed ad libellam consistunt.

CAP. XVII.

Tintinnabulorum, sive Campanarum, tinnitu hodie e templorum turribus quibusdam in urbibus [1] *musicos concentus magna cum voluptate exprimi.*

ARTES singulas in dies magis magisque excoli, & quadam quasi alluvione adaugeri, satis est notum; quamobrem haudquaquam admirari convenit, si id in campanis conficiendis pulsandisque usuvenerit. Vidimus olim Bononiæ, in Æde Episcopali, antiqua tria tintinnabula argentea, ea arte facta, ut cum a Sacerdotibus musices non ignaris ad sonum edendum moverentur, musicos concentus emitterent. Hodie quoque apud Menapios, Sicambros, & * alias Christianas Nationes, tintinnabula majora in templorum turribus visuntur, (quod primum ab Oberto Gifanio Burensi audivi, & mox in libris [2] Hieronymi Cardani, *de Varietate rerum*, adnotatum legi) a musices non ignaris efformata, delecta, suspensaque, & a musicis pulsata, e quibus tanquam e nauliis, quæ *organa* vulgo dicimus, musici concentus & harmonici eduntur, ut maxime hujusmodi rei inventori Nationes illæ debeant, siquidem non modo in Ecclesiis, sed domi, in stratis, passimque ea quæ a musicis organis proficisci solet, voluptate fruuntur. Ideo cum campanæ pulsantur, non solum in domibus, sed etiam in triviis egregie & magna cum hilaritate saltantes homines & tripudiantes conspicias: quis nomos, & cujus musici cantio pulsetur, facile agnoscas; ut mirum sit, cur ea ars & ad nostrates, ut in multis aliis factum est, non pervenerit.

* Potissimum Antuerpiæ atque Insulis Flandrorum ac Tongris tinnitus musicus cum audientium stupore auditur.

1 *Musicos concentus*) Stupendæ altitudinis ex candido marmore turrim templo D. MARIÆ cælestis curiæ Reginæ impositam, nemo est qui ignorat; hinc patria nostra

—— tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

In hac fere quotidie *campanarum* insignis musicus concentus, tanta arte & harmonia, ut non *campanas*, sed organum aliquod, audire videaris, exteris omnibus stupentibus.

2 *Hieronymi Cardani*) Ita enim ille libro XII. *De rerum Varietate*: „Revocavit hæc narratio memoriam ejus, „quod Bruxellæ in Belgica vidi. Nolæ plurimæ in circuitu positæ super turri, ut fieri solet, vocum musicarum sonis proportionem obtinent: adeunt gnari artis, „& tangentes singulas pro notis descriptis, cantilenam „pulsant, admiratione potius dignam quam jucundam auditu: nam nolæ non retinent vocem, sed cum ictu statim desinit. Idem Lovanii Antuerpiæque fit. Transferri etiam potest ad urceos aliaque vasa. Si dicas, quis „usus harum nolarum? Ut tota civitas audiat Musicam, „&c. Utinam Cardanus hodie *campanarum* musicam Antuerpiæ audiret, secus judicaret; nempe & admiratione dignam & auditu jucundam.

*
* *

Quandoquidem in hoc capite actum eſt de illo concentus genere, quod mediantibus diverſæ magnitudinis campanis efficitur, haud incongrue facturi videmur, ſi ideam iſtiuſmodi ſyſtematis campanarii hic ſubjecerimus, quale viſum a ſe Antuerpiæ in turri DIVÆ MARIÆ *Merſennus refert. Ac totum quidem illud opus campanis triginta tribus conſtat, quæ ut magnitudine & ſono inter ſeſe differunt, ita ſuos ſingulæ funes, ſuum ſingulæ malleolum habent. Quo per funes diverſimode commoto, concentus etiam alius atque alius redditur: nec eſt fere quidquam, in quo, ſi reliqua ſpectes, hæc machina ab* Organis *vel* Clavicymbalis *vulgaribus differat, niſi quod hic palmulæ pugnis, illic digitis pulſentur: quod tamen abſolute neceſſarium non eſt, ſed eadem utrobique facilitate & modo, ſi ingenium accedat, perfici poſſet. Atque hæc quidem rudi Minerva ad exemplar illius operis*


A *quod Antuerpiæ exſtat dicta ſunto. Cui vero ſpecimen artis & certantis cum natura ingenii vim videre & audire placuerit, is adeat, quas inſignis in arte fuſoria magiſter* FRANCISCUS HEMONIUS *juſſu Illuſtriſſimi & Ampliſſimi* AMSTELODAMENSIUM *Senatus, paſſim in urbe omnium celeberrima, adornavit machinas, audiatque pulſantem hæc organa ingenioſiſſimum* SALOMONEM VERBEECQUIUM, *& mecum lubens fatebitur, nec majus in illo operis genere artificium, nec majorem in illo genere Muſices artificem exſtitiſſe unquam.*

A. B. C. *Diverſæ magnitudinis campanæ, quarum quæ major ſonum reddit graviorem.*

B D. *Malleus, qui monſtrat qua ratione ceteri funibus alligentur.*

E E. *Foramen, per quod tranſeuntes funes ſuis quique palmulis alligantur, & ad abaci palmulas deſcendunt.*

F. *Abacus cum palmulis & pulſante palmulas artifice; reliqua in proclivi ſunt.*



CAMPANÆ XXXIII · ORGANI SONUM REDDENTES

Cap. XVIII.

De minorum Tintinnabulorum usu apud principes viros & magistratus civitatum.

UT non solum ætatis nostræ, sed posteritatis quoque ratio habeatur, (utinam & antiquis Scriptoribus labor hujusmodi non fuisset ingratus! nam rerum multarum præsertim vestium instrumentorumque cognitione minime careremus, & in magna aliquarum rerum ignoratione non versaremur) sciendum est, principes viros, B præsertim Cardinales atque Episcopos, cum domi atque in cubilibus degunt, ut linguæ & lateribus parcant, tintinnabulis minoribus famulos accersire consuevisse; quamobrem & cum hujusmodi tintinnabulis aliquos in pictura ad vivum expressos nonnunquam vidimus. Magistratus præterea, & publicam personam gerentes, & in causarum cognitione sedentes, tintinnabulis litigantes accersunt in auditorium, & iis silentium imponunt. Movet hoc manu tenens qui *Præpositus* vocatur, quod uni eidemque homini non semper contigit. Spectavimus hoc sæpe Florentiæ, cum in juniori C ætate Legati munere fungeremur.

Cap. XIX.

De Tintinnabulis, quæ ædium foribus alligantur.

ILlud quoque ratione prædicta dignum adnotatione existimavi, quod in multis Italiæ locis, præsertim Venetiis, spectavimus, ædium foribus introrsum tintinnabula appendi consuevisse, ut, cum aliquis ingreditur egrediturque, sonitum edant, & eos, qui domi sunt & ab ostio absunt, D egressus ingressusque hujus illiusve admoneant, ut non solum furum, sed & domesticorum præsertim servorum fraudes eludantur. Vidimus quoque in eadem urbe quendam hanc movendorum tintinnabulorum rationem instituisse. Axi plura tintinnabula affixerat, illumque ita foribus introrsum aptaverat, ut circumagi facile posset: mox funem addiderat, funique sacculum arena expletum adalligaverat, ea ratione, ut, cum fores aperirentur, funis axem illum tintinnabulis perstrepentem circumvolveret. Est & alius tintinnabulorum usus in privatorum ædibus, quæ plura tabulata continent, vel quæ ampliores sunt: nam e superiori- E bus tabulatis suspenduntur tintinnabula, quæ fune per scalas procedente, ac per fores transmisso ab his, qui ingredi voluerint, si fores occlusæ sint, moveri solent. Monachorum etiam Sanctimonialiumque in Cœnobiis cavædia & andronitides non procul ab ostio suspensa tintinnabula habent, quæ fune ab his, qui exterius fuerint, moveri possint, ut atrienses facile advocari possint.

Antiqui annulo ferreo, vel æneo, aut re non absimili exterius affixa, ut hodie etiam fit, & pendula, (*Corvum*, sive *Cornicem*, ut Julius Pollux testatur, ne alios commemorem, appellabant) F uti consueverunt, quam rem me apud Plautum observasse memini. Credere etiam par est, hujusmodi annulos consuevisse appendi introrsus eorum civium foribus, quibus privata lege concessum erat, ut fores, ostiis aperiendis, exterius atque in viam explicarentur; qua de re apud Plutarchum in *Publicola*, & apud Aristotelem in *magnis Oeconomicis*. Priscorum ædes non absimiles fores habuerunt, unde apud Terentium non semel legas, egrediente aliqua persona ex ædibus, *fores obstrepuisse*; antequam enim aperirentur, pulsabantur interius, ut qui ante fores in via constitissent, aut illac pertransirent, sibi caverent, quod a * doctis viris observatum est: quanquam cardinibus æneis, qui aperiendis foribus stridebant, juxta illud Poetæ, *Cardo stridebat ahenus*, strepitus ille fortasse adscribi potest, in qua re non magnopere laboro.

Cap. XX.

De Campanarum conficiendarum & suspendendarum arte, & qua ratione statere non magno earum pondus deprehendi possit.

PRopositæ tractationis ratio exigere videtur, ut aliquid de conflandorum tintinnabulorum arte loquamur, quanquam ea vulgo cognita est, ac videre quisque in officinis potest, Venetiis præsertim, quo pacto conficiantur. At si cui in officinas ingredi non sit integrum, Vannocii Beringucii Senensis, campanarum artificis egregii, *Pyrotechniam* consulat: in illa enim & perscriptum Italico sermone & delineatum reperiet, quicquid ad eam artem ediscendam conducit; usque adeo, ut & quo pacto campanæ in turribus constituantur ac moveantur, edoceat, optimeque figuris delineatis commonstret. Nos tamen eam rem hic silentio parte aliqua minime transmittamus.

1 Campanæ non solum materiam, sed & formam plurimum ad soni magnitudinem & suavitatem conducere certo scimus. Si humiliores latioresque petasi, seu galeri, aut lebetis figura efformentur, sonum non admodum magnum & in-

* M. Ant. Mureto in *Var.* lib. 1. cap. XVII.

1 *Campanæ non solum materiam*) Fiunt ex metallo æris. Æs metallum est durabile & sonorum, habetque *campana* interius plectrum ferreum, quo tunditur, ut audiatur. Significat Novi Testamenti prædicatorum ora, quæ plus durant quam tubæ Veteris Testamenti, altiusque resonant. Notus erat tantum in Judæa Deus tempore Judæorum, at nunc in omni terra. Ænigma de *campana* circumfertur satis elegans, quod hic adjiciam in gratiam curiosi Lectoris, adjuncto altero magis brevi, cujus auctor Nicolaus Reusnerus:

Est intra cælos, est intra mansio terras,
Non cælum tango, non quoque tango solum.
Constringor vinclis, concludor robore duro,
Ut nulla mutem conditione locum.
Os mihi semper hiat, petulanter & exero linguam,
Nec, nisi cum cogunt verbera multa, loquor.
Cum loquor, assiduis repleo clamoribus aures,
Verbera cum cessant, tunc quoque cesso loqui.
Non ulli noceo clamoribus, hortor iniquos,
Contrito quærant corde salutis iter.

Nicolaus Reusnerus.

Os mihi semper hians, & pendens ferrea lingua est,
Vox est nulla, nisi prodita verberibus.

Baptizantur seu benedicuntur quoque *campanæ* ex sententia Patrum Concilii Colon. capite XIV. ut sint tubæ Ecclesiæ militantis, quibus vocetur populus ad audiendum verbum Dei. Item ut Dæmones campanarum tinnitu, Christianos ad preces concitantium, terreantur, ut supra dictum. Formula benedicendi antiqua est. Alcuinus mentionem facit, dicens: „ Neque novum videri debet, campanas benedicere & ungere, eisque „ nomen imponere: nam & *Gen.* XXVIII. Jacob, memor visus scalæ ad cælum usque pertingentis, tulit „ lapidem, quem capiti suo supposuit, & erexit in titulum, fundendo oleum desuper, appellavitque nomen urbis BETHEL, quæ prius Luza dicebatur.

gratum auribus edunt; si vero longiores crassio resque, quam artis ratio patitur, obtusum nec late dimanantem emittunt. Artis præscripto campanæ altitudo duplici oris diametro constat, aut paulo breviore mensura, forma pyri longioris effigiem æmulatur atque exprimit. Antiquorum tintinnabula magis ad galeri quam ad hujusmodi pomi formam accedebant, erantque tenuiora, quamobrem & rauca & minus quam nostra sint sonora. Materia constat æris, stanni, plumbique mistione secundum varia opificum consilia; nam si gravem sonum quæsiverint, stanni plumbique non parum æri admiscent; si acutum, stanno, plumboque plus parcunt. Quanquam & amplitudo major ad eam rem vim non parvam obtinet. Seculis superioribus, cum minus Principum avaritia sæviret, & argentum multum admiscebant opifices, unde in quibusdam argenti sonus nonnihil exprimitur, ut in una atque altera templi Divi Bartholomæi apud Anglarienses meos: in quo utinam mihi cito e servitute redemto, DEO Opt. Maximo gratias agere detur! Sed jam tempus est ut receptui canam. Antequam tamen id facio, non est ignorandum, statere non magno maximarum i campanarum pondus examinari ac facile deprehendi. Qua arte hoc præstari possit, apud Joannem Buteonem Delphinatem perspicies in ea pertractatione, quam *de statere & libra* superioribus annis edidit: locum enim indicasse, mihi arctius servitute oppresso, ocioque litterario & libris carenti, satis esse videtur.

PERORATIO.

HAbes, generosissime atque illustrissime Domine, munus a Hieronymo Magio asperrima durissimaque servitute dejecto oppressoque, non quidem quale Amplitudini tuæ conveniat, sed quod tenuitas mea in ergastulo inter Domini semper minitantia verba, inter multiplices ac libero homine aliquando & bajulo indignos labores, inter conservorum strepitus probraque, præstare potuit. Quamobrem tibi & eruditissimo viro JOANNI SAMBUCO, Bibliothecæ Imperatoriæ Præfecto, si in ejus aliquando manus, te sospite, quod Deus faxit, in Christianum Orbem reverso, descendat, tibi, inquam, illique haudquaquam mirum videbitur, si hic jejunus, ibi incultus ac claudicans, alibi rusticus fortasse fuero. Eam ob rem abs te Lectoribusque humanis veniam me spero nullo negotio impetraturum; satis autem fuerit hoc meo Opusculo utcunque studium in te meum præ me ferre, & posteritati testamentum relinquere. Si autem tuæ benignitatis munere, ut amissam libertatem propediem adipiscar, efficiatur, mihique apud Christianos versari aliquando concedatur, sed & alia in tuo nomine & MAXIMILIANI Imperatoris semper Augusti apparebunt.

i *Campanarum pondus*) Rothomagi (vulgo *Rouen*) templum est D. MARIÆ Christi matri dicatum, altissimaque turri spectabile, in qua *campanam* totius Galliæ maximam ferunt, xl. millium nempe librarum, quod indicant hi vernaculi versus, quibus ipsa est inscripta:

Je suis nommée George d' Amboise.
Qui plus que trente-six mil poise:
Et si qui bien me poysera,
Quarante mil y trouvera.

Fuit hic *Georgius* hujus urbis Archiepiscopus, circa Annum millesimum quingentesimum, qui dum consideraret hanc suam Diœcesim adeo olei penuria laborare, ut vix sufficeret tempori Quadragesimali, hujus loco eis butyri usum concessit, ea tamen conditione, ut singuli penderent obolos VI. Turonenses, ex qua collata pecunia exstrui curavit dictam turrim, quæ inde *Butyri Turris* (sive *la Tour de Beurre*) hactenus vulgo nuncupatur.

Hoc demum coronidis vice addam. Locus est elegans de tintinnabulis apud Suetonium in *Augusto* capite XCI. quem miror MAGIUM non observasse: *Cum dedicatam* (inquit) *in Capitolio ædem Tonanti Jovi assidue frequentaret, somniavit queri Capitolinum Jovem cultores sibi abduci, seque respondisse, Tonantem pro janitore ei appositum. Ideoque mox tintinnabulis fastigium ædis redimivit, quod ea fere januis dependebant*, &c. Dio simpliciter κώδωνα αὐτῷ περιῆψε, nempe *Jovi Capitolino*, ait doctissimus Casaubonus in *Animadversionibus ad Suetonium*, imo *Jovi Tonanti*, ut clare Suetonius, & res ipsa exigit. Nam si *Juppiter Tonans* est janitor Capitolini, & tintinnabula januis fere dependebant, æstimata est ædes *Tonantis* januæ loco, respectu *Capitolini*. In ædibus Magnatum amplis & spatiosis tintinnabulorum quoque usus fuit. Dio ait illis usos τοὺς τὰς συνοικίας νύκτωρ φυλάττοντας, hoc est, *custodes insularum & vastarum ædium*, quas habuerunt Romani Proceres. Supra diximus ex Luciano *de mercede conductis*, familiæ signum dari solitum ad evigilandum, hujus quoque mentio apud Senecam *epistola* XCV. *Transeo pistorum turbam, transeo ministratorum, per quos signo dato ad inferendam cœnam discurritur.* Idem *de brevitate Vitæ*: *Quanta celeritate signo dato glabri ad ministeria decurrunt?* Quanquam hic locus capi potest de digitorum crepatione. Sed modus esto & finis. Tu, candide Lector, laborem hunc nostrum boni consule & VALE.

Addenda Notis

FRANC. SWEERTII.

Surius in *Vita S. Lupi Episcopi*, Tom. 8. & Card. Baronius Tom. VIII. *Annal. Eccles.*

M*Ortuo Theodorico Principe Rex Clotharius in Burgundiam veniens, hostili manu armatum Blidebodem Ducem misit in Senones. Illo ergo tela atrociter in oppidum vibrante, S. Episcopus* LUPUS *in Domino fidens, ad protomartyris Stephani ædem se contulit. Cumque ad convocandum populum signum Ecclesiæ tangeret, viribus hostes destituti, tantoque sunt terrore correpti, ut nullam sibi salutis opem superesse putarent, nisi fuga sibi consulerent. Ita vir sanctissimus, dum instar Moysi ad cælum tollit manus, hostes profligat*, &c. Post multa hæc ibidem: *Clotharius Rex ubi comperit signum vel campanam S. Stephani sonum edere gratissimum, jussit eam Parisios transferri, ut ejus tinnitu sæpius delectaretur. Displicuit ea res B. Episcopo. Itaque mox ut ablata est a Senonibus, omnem soni gratiam amisit. Id Rex intelligens, ocyus jubet suo illam loco restitui. Ubi autem ad pontem Senonicum ventum est, rediit illi pristinus sonus, & ob Sancti viri merita* VII. *millario auditum est.* Hæc de campana Senonensi: quibus declaratur, jam hoc tempore in usu frequenti eas esse receptas. In Oriente autem adhuc consuetudo illa perseverabat pulsandi ligna ad populum convocandum.

Baronius Tom. X. *Annalium Ecclesiasticorum* Anno Christiano DCCCLXV.

Ad hunc quoque Annum referunt Scriptores prosequuti res Venetas, ærea instrumenta, quæ campanas dicimus, usui esse cœpisse Græcis, missis ipsis a Duce Venetiarum URSO PATRICIACO *ad Michaelem Imperatorem.*

F I N I S.

HIERONYMI MAGII

ANGLARIENSIS

DE

E Q U U L E O

LIBER POSTHUMUS.

CUM NOTIS

GOTHOFREDI JUNGERMANNI.

HIERONYMI MAGII

PRÆFATIO

[1] Ad illustr. & magnanimum D. Christianissimi Gallorum Regis Oratorem Byzantii.



QUI carcere detinentur, aut durissimo servitutis jugo premuntur, *Christianissimi Gallorum Regis Orator amplissime atque heros illustrissime*, nihil mente frequentius agitare solent, nihil secundum quietem sæpius intueri, quam vincula, compedes, flagra, tormenta, secures, mortisque genera sævissima. Cum enim hæc ipsis semper immineant, facile fit ut ea mente continuo volvant; & quando eos somnus amplexus fuerit, videre sibi persuadeant. Hoc & mihi e [2] clade Cyprica superstiti, atque asperrima servitute oppresso, usuvenire nullo negotio existimare poteris: ut mirum sit, cum antea in bonarum litterarum studiis enutritus, aliquid tale nedum perpeti, sed ne quidem intueri solitus fuerim, me jam dolore & mentis vexatione confectum apud mortales esse non desiisse. Non solum autem quæ hodie sunt in usu tormenta & mortis genera menti obversantur, meque anxium nocte ac die perterrent, sed & quæ Antiquis olim cognita jam aut omnino aut partim in desuetudinem abierunt. Ex his mentem sæpius subit & oculis quasi sese offert instrumentum illud tortorium, cui nomen est *Equuleo*, de quo crebro est in Auctoribus mentio, præsertim in his qui nostrorum Martyrum vitas litterarum monimentis mandarunt. Quamobrem mirari subit, cur ad hanc usque diem nedum vulgo, sed & eruditissimis viris incognitum delituerit. Id ne ætati nostræ ac posteritati accidat, magnopere mihi elaborandum esse duxi. Nocturnis igitur horis, quas dominus Turca quieti indulgere solet, (diurnis quominus quidquam libero homine dignum præstare possim, variis gravissimisque laboribus

1 Quæras in ipso limine & adspectu statim Libelli non frustra, MI LECTOR, de nomine illius cui MAGIUS inscripserit Commentariolum suum. Quod igitur ad locum vacuum attinet post illa verba, *ad illustriss. & magnanimum Dominum*, nostro Segheto videtur hic spatium relictum nomini Oratoris, & reperire se ait in Ephemeridibus Arnoldi Manlii, (qui eodem tempore, quo Magius, Byzantii servitutem serviebat, medicinam faciebat in familia Oratoris) *Franciscum de Noailles Episcopum Aquensem fuisse eo tempore Oratorem*. Nec dubito quin vere ipsi ita visum, veraque reppererit: præsertim quum a viro quodam amplissimo, super ea re amplius inquirens, per litteras fuerim edoctus, Jac. Aug. Thuanum, Historicum ævo hoc nostro principem, scribere; Anno MDLXXIII. & sequenti illuc missum fuisse Franciscum Noallium, Aquensem apud Tarbellos Episcopum, Regium in Porta Othomanica Oratorem: cui postea successor missus Constantinopolim frater Ægidius Noallius fuerit: idque evenisse illo ipso Anno MDLXXIII. invenire se apud Joannem Choenium, (qui legationem Monlucii ad Polonos scriptis mandavit) qui Oratorem illum nominet, *Monsieur Dacqs*, id est, Aquensem: ejus vero fratrem successorem, Abbatem Insulanum, *l'Abbé de l'Isle*: se itaque cum Segheto nostro existimare, Aquensi Episcopo Fr. Noallio inscriptionem illam omnino deberi. Eodem autem modo in ea, quæ Præfationi superposita est inscriptio, nomen omissum, & locus relictus vacuus. Cur non addiderit Magius, verisimile ideo accidisse, quod illi de Legati nomine non liquido constaret. Et, ut omnia bona fide repræsentemus, sicuti ad nos Seghetus noster misit, ipse Libri titulus ita erat descriptus.

* Hunc Librum mihi reliquit D. Hier. Magius paucis post diebus ab impio Mahomete Bassa strangulatus Constantinop. 1573.

2 *Clade Cyprica superstiti*) Vide Hier. Magii Vitam, quam eruditiss. Franciscus Sweertius, quem honoris causa nomino, nostri Auctoris Libello *de Tintinnabulis*, anno priore ex ipsius recensione edito, præfixit.

impedior) in ergaſtulo utcunque hac de re commentari ac ſcribere cœpi, ac tandem favente Deo factum eſt, ut Librum abſolverim, non eum quidem qui in conſpectum tuum inque tuas manus, *Vir generoſiſſime*, jure deſcendat, (maxima ſiquidem maximis tuique ſimilibus viris, non ut hæc noſtra exilia minimaque, offerri ſolent) ſed eum tamen quem legiſſe haudquaquam pœniteat; nos enim, etſi libris omnino deſtitutos, & in calamitate non vulgari vix mentis compotes, inſtrumento ut ſæviſſimo, ita obſcuriſſimis tenebris antea demerſo, lucem attuliſſe facile animadvertes. Interim vero dum leges, vernam hunc noſtrum venientem, omni prorſus ornatu deſtitutum, a parente, [1] ut a matre Judæum (Martialis verbis utar) rogare doctum, Amplitudinem tuam obſecrare & obteſtari ſcias, ut mihi aliquo pacto opem feras, meumque hoc infortunium depellas. Hominem alicujus exiſtimationis, ut qui in litteris ætatem conſumſit, remque litterariam multis jam editis Libris nonnihil promovit, ne deſtituas rogat, ne in uno multos (quod ſine arrogantia dictum ſit) & multa perire ſinas. Illud quoque tibi in mentem revoca Gallos (quod a Guillelmo Budæo eruditiſſimo viro adnotatum fuit) vel antiquiſſimis temporibus Philoſophiæ ac litterarum bonarum fuiſſe amatores; bonas litteras in Gallia maxime florere; Gallorum Principes, ac tui ſimillimos viros, litteratos homines fovere conſueviſſe: e quibus unum minime ſilentio involvam. Hic eſt [2] Epiſcopus Claromontanus, cujus liberalitate Angelus Caninius civis affiniſque meus (ut eſt ab eo in Præfatione in librum *Introductionis in Linguam Syriacam & Punicam* teſtatum) aliquando in Gallia auctus eſt atque exornatus: cui tantum ille tribuebat, quantum nemini. Atque utinam Italorum Principes Galliæ Principum ac Dynaſtarum hac in re multiſque aliis ſimiles eſſent! non enim Linguæ Latinæ candor, non bonarum litterarum notitia alio commigraſſent. Verum, *Heros ampliſſime ac Patrone optime*, hæc non eo ſpectare ſcias, ut Græcos Philoſophos imitari velim: hos Cicero ait, ſtipem emendicare ſolitos, Latinos non item. Longe a patria atque amicis diſſitus, mutuis, quibus redimar e ſervitute, pecuniis non multis indigeo. Non ſum erro, non decoctor, nullius crumenam exhaurire velim. Sed jam tempus eſt ut tibi Equuleum ſpectandum proponam.

1 *Ut a matre Judæum*) Martialis verſiculus *libro* 12. *epigrammat.* 57. *ad Sparſum*:

Nec turba ceſſat entheata Bellonæ,
Nec faſciato naufragus loquax trunco,
A matre doctus nec rogare Judæus, &c.

2 *Epiſcopus Claromontanus*) Eum didici *Guilielmum Pratenſem* vocari a Thuano, *Hiſtoriarum* libro 13. Anno 1554.

JUNGERMANNO SUO
SEGHETUS
S.



Am putabis, mi Jungermanne, te litteras a me e media Britannia vel ſaltem e Belgio accipere. Ego vero e vicinia ſcribo, ex Ubiis. Miraberis, ſed deſines mirari, cum ſcies Rheno hactenus per aſperrimam hyemem clauſo, intutum undique terreſtre iter a graſſatoribus, quos ego tamen non fuiſſem moratus, niſi amici diſſuaſiſſent. Moræ tamen quamquam (ſi concilia mea ſpectes) damnoſæ non pœnitet: nam & cum viris doctis, qui hic multi ſunt, ſed parum noti, amicitiam contraxi, & memorabilia quædam vidi, & in manuſcriptos quoſdam Græcos incidi. Quorum aliquando ad te indicem mittam, niſi forte ab ampliſſimo Lingelshemio *noſtro mavis petere, qui cum ſuperiore hebdomade communicavi. Inter cetera venit in manus meas* Hieronymi Magii, *meliore fortuna digni viri,* DE EQUULEO *Liber. Eum ad te mitto a me deſcriptum, ut, ſi tantum ſupererit temporis ad nundinas, excudatur cum altero qui eſt* DE TINTINNABULIS, *quem doctiſſimus* Schottus *ſubminiſtravit. Spero ab optimo Marnio (ad quem hac eadem de re ſcripſi) impetratum iri: & ſane Libellus eſt exigua mole, hujuſmodi tamen qui ad alterius molem aliquid conferat. Avebas ſcire quo fato deinceps* Magius *uſus fuerit. Gemens dicam: imo alium patiar dicere. Is eſt* Arnoldus Manlius Gandenſis, *vir doctus & diligens, qui eodem tempore Byzantii in Oratoris Cæſarei contubernio medicinam faciebat. In limine Magii Libelli hæc Manlii manu adſcripta ſunt:* Hunc librum mihi reliquit D. Hieronymus Magius, paucis poſt diebus ab impio Mahomete Baſſa ſtrangulatus Conſt. 1373. *In ejuſdem ephemeridibus hæc ſunt:* 1572. 27. Martii nocte diei Jovis necatur in carcere *Hieronymus Magius*, Eques doctiſſimus, tormentarius Magiſter (*ingegnero*) Famaguſtæ captus, ac imprudenti ambitione in noſtram * Caravaſſaram ductus. Poſtridie oſtenditur cadaver ejus Dominico † Dragomanno (ſed non ſine colli notis) ac ſepelitur in ſepulchreto ** Schiavorum Mahometis Baſſæ.

Hic fuit exitus memorabilis Viri. Utinam viveret Manlius! *plura & certiora eruerem. Illum vero ſeptuagenario majorem ante quadrimeſtre plus minus peſtis ſuſtulit. Sed mittamus funeſta hæc, & vindicemus a morte* Magium, *quem aliis a ſervitute vindicare grave fortaſſe viſum. Quærant alii & habeant famam ſuis laboribus, mihi ſatis eſt alienis de hoc & poſtero ævo bene mereri. Vale, mi Jungermanne, & quicquid iſthic eſt communium amicorum a me ſaluta. Ex Agrippinenſi Colonia* VIII. *Id Martii* CIϽ IϽ CVIII. *Gregor.*

* Diverſorium. † Interpreti. ** Servorum.

INDEX CAPITUM.

HIERONYMI MAGII
ANGLARIENSIS
DE
EQUULEO
HACTENUS INCOGNITO
LIBER,

Ad illustrissimum Christianissimi Gallorum Regis Oratorem Byzantii.

CAP. I.

Instrumentum, de quo agitur, cur Equuleus *nuncupetur.*



SÆpenumero naturam ad censuram vocari & eo nomine accusari animadverti, ORATOR AMPLISSIME, [1] quod homini non solum brevem vitæ cursum præscripserit, sed ejusmodi corpus adstruxerit, quod innumeris morborum cruciatibus & tormentis vexari consueverit; ut non in vitam, sed potius in quandam carnificinam produxisse videatur. His ego haud facile assentior, quin rerum omnium parentem clementissimam naturam & admiror & laudibus prosequor, quia cum moriendi sit nobis non injuria conciliata necessitas, & immensa ærumnarum congerie citam vitæ brevitatem fugam præstiterit, angoresque & dolores accedere passa sit, ut his quibusdam quasi condimentis [2] quod ultimum omnium terribilium dixit Philosophus, libentius exciperemus. Hinc in dies usuvenit, ut qui doloribus non vulgaribus morbo affecti excruciantur, mortem quasi præsentaneum remedium ac pharmacum ultro accersant, [3] & cum Plinio affirment, homini nihil vitæ brevitate melius esse a natura tributum. Qui naturam, quæ nobis morbos corporis tortores sævissimos adjunxerit, accusant, videant ne homines nonnullos potius accusare & maledictis proscindere oporteat, qui in magno hu-
A mani corporis dolorum & veluti carnificum proventu, varia excogitarunt organa, multiplicesque adinvenerunt artes, quibus homines torquerent, excarnificarent, & per summos cruciatus enecarent. Horum omnium longe sævissimum illud esse instrumentum conjectura ducti existimamus, quod *Equulei* nomine Scriptores appellarunt, & de quo præsentem instituimus tractationem. Eam ob rem equuleo sæpe [4] Martyres sanctos constat esse vexatos, & sævissimos Tyrannos equuleos usurpasse. Cur autem dicatur *Equuleus*, nemini (opinor) est notum. [5] Ego ea de causa hoc nomine significatum exstimaverim,
B quod parvi equi, seu pulli equini effigiem repræsentaret. *Equuleos* autem equinos pullos nuncupari, nemini est obscurum, & qui infra a nobis hujus instrumenti * delineatam formam intuebitur, nobis haud ægre assentietur. Ratione non absimili Italorum vulgus lectorum fulcra, quæ quaternis pedibus innituntur, *cavalletos* dicit, quasi Latine voces *equuleos*: eodemque nomine appellat scamna illa, quibus insident, & in quibus versantur minora tormenta ignivoma. Poterit & condigne *scamnum* appellari, exemplo Hippocratis Medici, qui non diversum admodum ab equu-
C leo nostro organum a se excogitatum *scamnum* vocavit, [6] cujus etiam † formam inferius suo loco ap-

* Sum Arnoldi Manlii Constantinop. 1573.

Sic pagina prima, frons ipsa Libelli, habebat, ubi asterisco notata, tam summa quam infima pagina, (quæ littera minutiore hic excusa vides) manu Arnoldi Manlii descripta fuisse, cetera, quæ in medio, ipsam nempe Opusculi inscriptionem, ipsius Magii esse, Seghetus noster indicavit. Septuagesimo tertio post millesimum quingentesimum a Christo nato Annum, Magium strangulatum credere inclinat animus, quod idem annus etiam diserte ad frontem Libelli, quam hic exhibui, a Manlio adnotatus fuit. Sed mehercle vereor, ne nos curiosos dicas nimis.

1 *Quod homini non solum brevem vitæ cursum*) Ut *Theophrastus moriens accusasse naturam dicitur, quod cervis & cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil interesset; hominibus, quorum maxime interfuisset, tam exiguam vitam dedisset*, &c. quæ ait Cicero 3. *Tuscul. Quæst.*

2 *Quod ultimum omnium terribilium dixit Philosophus*) Aristoteles nimirum *Ethic. Nicom.* l. 3. cap. 6. φοβερώτατον δ' ὁ θάνατος· πέρας γάρ.

3 *Et cum Plinio adfirment*) *Lib.* 1. *cap.* 1. *Natura vero*, ait, *nihil hominibus brevitate vitæ præstitit melius.*

* Non exstat. † Non exstat.

4 *Martyres sanctos*) Locorum plane silvam habes in Gallonii libro *de SS. Martyrum cruciatibus.*

5 *Ego ea de caussa hoc nomine*) Machinæ istius appellationem a parvis equis translatam, nomen sane ipsum prodat, si id rei debet convenire suæ: nec de eo viros doctos jam olim puto dubitasse, quamvis de ipsa structura & vera forma eculei dissenserint, nec perinde notam habuerint. Fr. Hotomannus lib. 5. *Antiq.* sub littera E: *Equuleus vel Eculeus, stipes censetur fuisse, in equi formam incisus, cui imponebantur rei, ut nervis utraque ex parte distentis cruciarentur*, &c. A Turnebus lib. 4. *Advers.* cap.
D 3. *Eculeus stipes erat, cui velut equo imponebantur, ac varie torquebantur, cruciabantur, & distendebantur*, &c. & lib. 15. cap. 16. *Equuleus tormenti genus est a similitudine nomen habens, quasi parvus equus sit, erat autem machina lignea equo similis, cui imponebantur, qui torquebantur*, &c. Inde G. Fabricius in suis *Comm. in Poetas Christianos*, ubi *Eculeum* exposuit stipitem quendam, in quo rei suspendebantur, *Quærendum*, ait, *num ejusmodi machina fuerit, de qua præcipitarentur sontes, quam Saxones* das Rossle *nominant, quasi parvum equum.* Sic alii putarunt διὰ τὸ ἱπποειδὲς & a forma equina dictum eculeum; partim a modo insidendi, quod eo tormento secus rei insiderent, ac si equo veherentur.

6 *Cujus etiam formam inferius*) Delineationem se non reperisse testatus est ad oram Seghetus noster. Remittit autem Magius nos ad caput ult. sui Libelli. Sed nec Hippocrates Latina voce *scamnum* appellavit unquam; nec ab eo excogitatum volunt ξύλον illud, ejusque inventorem quendam Pasicratem faciunt.

appingemus. *Equuleum* autem cum littera Q & duplici U, ex recepta consuetudine, cui assentiri par est, non autem cum littera C & simplici U scribimus. 1 Quamquam non me latet Antiquos *Eculeum* dixisse, quemadmodum & *Ecum* pro *Equo*, *Cocum* pro *Coquo*, & reliqua similia: ut 2 apud Lucretium, & in Antiquorum, quæ hodie supersunt, monumentis fuit a nobis aliquando observatum. Quo fit ut non facile assentiar 3 Jodoco Badio non infimæ classis Grammatico,

1 *Quanquam non me latet Antiquos Eculeum*) Quanta inter Q & C cognatio, ex Grammaticis notum satis est: libetque ex ipsorum Alpha, Prisciano inquam, paucula saltem adscribere hæc, *lib.* 1. *Apud Antiquos frequentissime loco cu syllabæ, quu ponebatur, & e contrario: ut* arquus, coquus, oquulus, *pro* arcus, cocus, oculus, quum *pro* cum, quur *pro* cur. Hæc Priscianus. Sed exemplorum, quæ nostro addere potes, elegantem copiam exhibet eruditiss. JC. Rad. Fornerius lib. 1. *rerum quotid.* cap. ult. quem adeas de his utiliter, ut & nuperum libellum Aus. Pompæ *de usu antiquæ locutionis* lib. 1. cap. 3. quo de consonantium inter se commutatione disserit. Et subinde Criticis nostris hæc talia notantur passim. Ceterum quod ad *Equulei* vocem attinet, vulgata scriptura ea & recepta, Prisciano etiam proba visa. cujus verba ubi de Diminutivis agit, extremo *lib.* 3. sunt: *In* leus, equus, equuleus, *Cic. in Ver. de signis*: *Equuleus argenteos nobiles quique maximi fuerant, aufert*. Ita apud Priscianum est corruptissime. Locum obiter ex Ciceronis ea de signis fidenter emendo, & scribo: *Equuleos arg. n. qui Q. Maximi f. a.* Mendorum caussa pateat cuivis. Ciceronis autem verba plena in dicta *Oratione* sunt: „ Tum iste (*Verres*) ab Equite R. splendido „ & gratioso Cn. Calidio, cujus filium sciebat Senatorem Populi Rom. & Judicem esse, equuleos argenteos nobileis, qui Q. Maximi fuerant, aufert. „ Imprudens huc incidi, Judices; emit enim, non abstulit: nollem dixisse; jactabit se, & in his equitabit equuleis. Emi, pecuniam solvi, &c. ubi scribunt ad oram, Lambinum adnotasse *eculeos argenteos* in 5. cod. legi: quæ sane antiqua scriptura hujus vocis, retinentque & recentiores multi. Id vero adeo permiror viros cetera eruditos & magnos Lambinianæ isti notæ addidisse, forte legendum *culleos argenteos* in eo Ciceronis loco, ut nimirum de vasis vinariis loquatur. Quo mihi profecto, quod tamen ipsorum pace dixerim, nihil alienius a Ciceronis mente scriptum videtur. Nolim hic, ubi non locus, plura verba profundere, vel inequitare cuidam longe me doctiori. Saltem mihi considerent ista, *& in his equitabit equuleis*, ubi *equitandi* verbum Orator non alia de caussa certe affectavit, quam ob illos equuleos argenteos, vasa ex argento nimirum a forma vel cælatura ita dicta. Ne quid dicam, quod Priscianus etiam non aliter olim jam legerit, quam *equuleos*. Rem claram puto.

2 *Apud Lucretium*) Ut lib. 6. *de rer. nat.*

Tum color in nigris exsistit nubibus arqui.

Habuisti τὸ *arquus*, pro *arcus*, etiam in Prisciani verbis paullo ante prolatis. Unde mihi fiat leviculæ saltem conjecturæ indicandæ venia. Servius Grammaticus in primam Donati editionem Commentario, non longe ab initio: *Q vero, quam Antiqui, quoties u sequebatur præponebant, præstantius est, ut tunc cum post u aliqua ex vocalibus fuerit secuta, præponi debeat*, *ut* quando quendam, quia, quomodo, *& juxta Antiquos* æquus, *alias enim per* c *quam per* q *scripserunt*, *ut* cur, *&* cum. Hactenus Servius. Pro illo *æquus*, an *arquus* forte scribendum?

3 *Jodoco Badio*) Barbare loquutus revera Badius, quum barbare adfirmaret scribi *Eculeus*: ideoque recte a Magio notatur; sed modeste tamen præquam ab aliis Criticis laceratur: quale carbone exaratum de eo elogium habes apud Fr. Floridum lib. 2. *lect. subcisiv.* cap. 22. Posfit tamen istos bonos viros, & in illis Badium (de quo ita & Glareano visum est, eum non prorsus contemnendum) excusare sæculum quo vixerunt, ne ad ipsorum lapsus sane crebros in obscura adhuc litterarum luce nobis statim adeo turgescat vitrea bilis, ut eam hamaxatim (liceat ita ludere ne & me commotum putes) evomamus, ad quod proclivis perquam fuisse videtur ille Sabinus. Sed nolim mihi rem esse cum biliosis: & vereor alicujus κινῆσαι τὰς σφῆκας ἐρεζομένας. Ocius ergo παραμείψομεν, & ad nostrum *Eculeum* quod attinet, non barbare ita scribi, sed vetusto more, & librorum antiquorum fide, habuisti supra a nobis allatum e Cicerone exemplum: passimque tibi vel aliud agenti occurrent in MSS. alia. Quibus addo tamen ex illis numquam sine laude loquendis Glossariis, quæ primum in lucem protulit eruditissima illa Typographorum optimorum corona, H. Stephanus, ubi sua serie in primo *Glossario* ita legimus, *Eculeus*, στρεβλωτής, βασανιστής. Quæ ideo potissimum attuli, quum alias hæc conquirere, quæ se sponte offerant, supervacaneum videatur, si forte leviter emendarem. Puto enim scribendum στρεβλωτήρ, βασανιστήρ. Nec improbabunt ii qui versati fuere in vett. MSS. Græcis, in quorum nonnullis ρ & ς in fine verborum prorsus eodem scribuntur modo. Inde nimirum error. Et βασανιστής esset potius ipse tortor. Alterum *Glossarium*, cujus verba non magis omittenda, βασανιστήριον, *Eculeus*, *genus tormenti*: βασανιστής, *Tortor*. Imo, ut & eruditiss. viri a nostro ævo adnotationem adjiciamus, H. Gifanius *Eculeus* per c duntaxat probasse videtur, quum in suis *Observationibus Linguæ Latinæ* ita scribat, quod opus utinam emergat in dias luminis oras, ut furtorum tandem pausa sit, corniculaque illa notha se alienis pennis venditare desinat; sed ille ita scribit: Eculeus ἱππάριον, *parvulus equus sive tener. Veteres ab* equo, *non* equuleus, *sed* eculeus *deducunt*: *est enim* c *littera commutabilis cum* q. *Ab eo &* *tormenti genus*, Eculeus. *Cic.* 2 *de natura Deorum*: Omnia in perfectis & maturis docet esse meliora, ut in equo quam in eculeo; in cane quam in catulo; in viro quam in puero: *Sic* V. C. *habent*, *ubi vulg.* equulo. Hæc ille: quamvis in *Collectaneis suis in Lucretium*, voce *Robur*, *equuleus* potius scribere malle se videatur, certe utrumque adprobet. Refert autem Cicero Chrysippi sententiam, &, ut tollor, Lambinus eandem vetusti cod. lectionem quoque jam antea testatus erat, ὀνειρώττειν οὖν ὡς ἀληθῶς ἐοίκασιν illi, qui significatus diversitatem ex scripturæ varietate sibi fingunt: quasi alio nempe per c, alio per *q* scribatur.

4 *Si Alciato credimus*) Verba Alciati, ab amico mihi ultro indicata, ista lib. 4. *Dispunctionum* cap. 7 fine ipso: „ Sunt tamen qui de Justiniano aliter sentiant; „ nec temere Grammaticis de Jureconsulto credendum „ arbitrentur: quandoquidem etiamnum videamus, & „ sæpissime experiamur, quanto supercilio id hominum „ genus, quo jure, qua injuria & mortuos & viventes „ insectetur, quamque suis in studiis sibi placeant Moriæ beneficio felices, alios omnes contemnant: & „ epistolis ante ipsis Legum codices præfixis, Accursium, Bartolum, ceterosque acerbissimis conviciis dilacerent: Imperatoris sui Laur. Vallæ exemplo provocati, cui mortuo honos hoc epitaphio habitus fuit.

„ *Tandem Valla silet, solitus qui parcere nulli est:*
„ *Si quæris quid agat? nunc quoque mordet humum:*

qui in Commentariis suis in Horatium, *Equuleum* recte, *Eculeum* barbare scribi affirmat. Si enim *Eculeum* dixerimus, quod nonnulli fecerunt, non barbare, sed Antiquorum more loquemur. Sed hæc satis aperta sunt. Nunc quid homines docti & superiorum sæculorum Scriptores de hoc instrumento senserint, & in quanta erroris caligine versati sint, despiciamus.

CAP. II.

Laurentii Vallæ de Equuleo sententia.

LAurentius Valla, homo doctus, qui primus Latinam Linguam barbarie Gotica demersam fœdatamque repurgare & primævo candori restituere aggressus est, ut est elegantium verborum consectator egregius, ita nonnunquam antiquitatum explicatione hariolus mendax. Quam turpiter de Regionibus Urbis Romæ mentiatur, antiqui lapidis Capitolini monumentis alias demonstravi; ut qui censor prædurus in omnes Auctores exstitit, & mortuus humum quoque mordere (4 si Alciato credimus) dictus sit, ea de causa acer-

rimæ reprehensionis notam subeat. Hic igitur libro primo *Elegantiarum* in eo capite, in quo de fide & fidibus loquitur, ait fidiculas fuisse instrumentum tortorium, quod olim fieret duobus lignis transversis: 1 hæc enim ipsius sunt verba. Fidiculæ autem, ut infra sumus ostensuri, idem sunt cum equuleo. Sed quæ similitudo duobus lignis transversis cum fidibus, aut cum equulei organo? Mirari satis nequeo unde hic Auctor transversorum lignorum commentum desumserit. Equuleum autem cum fidibus similitudinem quandam habuisse, inferius quisque videre poterit. 2 Sed & cur sua ætate equulei usum non agnoscit Valla?
B siquidem apud Gallos atque Hispanos, ut multarum antiquitatum, ita & equulei, quod infra apertum reddemus, inventum atque usus semper mansit, atque hodie viget, quamquam non *equuleum* vocant, sed Galli 3 *Genam*, *(Gene)* Hispani, voce instrumento admodum congruente, *Pulliedro*, quo nomine & pullum equinum vulgo appellant.

CAP. III.

Quid Raphael Volaterranus de Equuleo scriptum reliquerit.

4 RAphaelis Regii Volaterrani, viri de re litteraria bene meriti, *Commentaria Urbana* omnium manibus, quod bona fruge referta sint, hodie teruntur. In his ille e re nata de equuleo loquitur, atque ait, fuisse illud tormenti

A genus, quod nostra ætate maxime usurpant latrunculatores & magistrarus, quibus inquirendi facultas conceditur, quod *funis* nomen habet. In hoc enim

C homines, brachiis post terga revinctis, funique per trochleam transducto alligatis sustolluntur, & mox pendentes statim demittuntur, ut his brachia ponderis vi, qua humeris junguntur, facile luxentur, cruciatu mehercle magno. Sed scopum non attigit vir alioqui ingenii perspicacis: siquidem Seneca in *Epistolis* ipsi non parum adversatur; nam de nescio quo homine ait, 5 *In equuleo lon-*

,, quod sane carmen longe magis ipsis quam Vallæ con- ,, venisset, cujus doctrinæ pleraque hujusmodi condo- ,, nanda sunt. At hi ea maxime reprobant, quæ non ,, intelligunt. Id vero distichon epitaphium Vallæ a quodam imputatum profert & Raph. Volaterranus lib. 21. *Comm. Urban.* ubi de recentioribus eruditione & arte claris viris agit.

D 1 *Hæc enim ipsius sunt verba*) Non *transversis lignis*, ut noster Magius se legisse putabat, sed *obliquatis*, ait Valla. Hæc enim ejus verba lib. 1. *Elegant.* c. 5. quod de diminutivis nominibus est. Ubi pluribus de ὑποκοριστικῷ *Fidicula* postquam egit, ita finit: ,, Denique *fidis* in ,, nominativo inauditum est, ergo *fides* dicendum est, ,, cujus diminutivum *fidicula*, id est, parva cithara, ,, vel chordula. In plurali tortorium (ut dixi) in- ,, strumentum ex duobus (ut reor) & obliquatis lignis ,, compactum, vel ab exto quenda fide ac veritate, ,, vel a nerveis funibus vinculisque, quibus ad illum ,, modum homines torquendi alligabantur. Dixerat au- ,, tem antea paullo: Fidicula *pro instrumento torquendi*, ,, *quod an rite formetur, nunc videamus*.

E 2 *Sed & cur sua ætate*) Nominis enim *Equulei* nulla in Vallæ verbis mentio, ut ex adscriptis jam modo patet. Adeo ut quis dubitare non frustra posset, an Valla per *Fidiculas*, sicut Magius quidem vult, Equuleum intellexerit, idque βασανιστήριον eo loco explicare cogitaverit. Alias nec *Fidiculas* recte Vallam novisse, adseverat Gallonius etiam in lib. *de Martyrum cruciatibus* cap. 3.

3 *Genam*) Et H. Junius *Nomenclatore* suo ubi carceris & supplicii propria vocabula recenset, *Fidiculas* Gallice reddit *Gehenne*, qui tamen fidiculas & equuleum non unum esse putavit instrumentum, quum de unoquoque separatim tractet. Noster unum fuisse contendit omnino, in cap. ultimo. Ego, si tanti quid mihi probetur, improbeturve, distinguendum vero cum
F aliis potius arbitror inter ista, nec Magius ea argumenta dicere infra videtur, quæ nobis extorqueant ipsi adhibere fidem.

4 *Raphaelis Regii Volaterrani*) Atqui putabam diversos fuisse Raphaeles, Regium alium, alium Volaterranum, in qua opinione me confirmavit amicus, qui suggessit illum Oratorem fuisse & Litteratorem, hunc Politicum & Historicum: illum Patavii docuisse, hunc Romæ: illum An. 1496. obiisse, hunc Anno 1500. etiam in vivis fuisse. Utut igitur Regius hic se immiscuerit, Magium nostrum cum Volaterrano litigare constat.

5 *In equuleo longior factus*) Id tamen pro se adduxit Volaterranus, & nescio an adeo ipsius sententiæ (quamvis in eam alias non discedo) adversetur. Verba illius sunt obiter saltem, vel, ut noster Magius ait, e re nata sermonem de hoc tormento facientis lib. 31. *Comm. Urban.* extremo capite, quo de doloris necessitate & remedio agit: ,, Sed præter omnes nostri potissime ,, Martyres testimonio sunt, quam sit animus probe in- ,, stitutus, imperator vitæ mortalium. Ex quo vita ,, beata, & cum virtute non solum in viola & rosa, ,, sed in tormentis & Equuleo erit. Est enim *Equu-* ,, *leus* id pœnæ genus, quam hodie nostri *funem* ap- ,, pellant. Quod sane ex auctoritate Senecæ in *Episto-* ,, *lis* deprehendimus: Doloribus, inquit, distortus & in ,, Equuleo longior factus. Hactenus ille. Funem istum vero, quem Volaterranus *Equuleum* esse ait, alii potius *Fidiculas* interpretantur. Ita enim H. Junius in *Nomenclatore* suo: Fidiculæ *Suet. Machina multis intenta funibus, quibus ceu fidibus distendebantur facinorosi, ad exquirendam facti fidem*, κολαστήριον, πιεστήριον, ἀρθρέμβολα, τροχὸς *Aristoph.* ξύλον βασανιστήριον *Sozomeno. Aleman. Poltersell, Zmich, Ereibschuur, mit den inan folteret. Belg. Diinbanch, Gall.* Gehenne. *Nebrissensis interpretatur illud tormenti genus, quod Italiæ familiare*, tratto di corda: *Hispanis* trato de cuerda *vocatur.: quo reus rejectis in tergum manibus fune suspensus in præceps demittitur*. Hactenus & ille. Locus vero Senecæ nobis prætereundus minime est, nostro & infra laudatus, qui tamen memoria in eo deceptus est, quod putarit de aliquo certo homine ab illo Auctore prolatum. Est autem hic non longe ab initio *epistolæ* 67. ubi inducit quasi objicientem sibi Lucilium: ,, Si bonum est, inquis, fortiter torqueri, & magno animo uri, & pa- ,, tienter ægrotare, sequitur ut ista optabilia sint. Ni- ,, hil autem video ex istis voto dignum. Neminem cer- ,, te adhuc scio eo nomine votum solvisse, quod flagel- ,, lis cæsus esset, aut podagra distortus, aut Equuleo ,, longior factus. Ubi vides & *podagra distortus* esse apud Senecam, non *doloribus distortus*, ut Volaterranus laudat.

gior factus: & Auctores, qui de equuleo faciunt mentionem, non semel ajunt, *Conjectus in eculeum*. Qui vero hodie vulgato cruciatus genere fune torquentur, quomodo longiores fiunt? quo pacto conjiciuntur in aliquod vas aut instrumentum capax? Sic enim loqui consuevere Auctores Latini, *conjectus in dolium ferreis clavis præfixum*; *conjectus in arcam*; *conjectus in lebetem*. Et de his qui detruduntur in locum aliquem similiter capacem, *conjectus in carcerem*; *conjectus in fornacem*; *conjectus in latrinam*: quæ loca conjectum excipere & continere possint. In vulgato autem funis tormento qua ratione id fieri aut exprimi possit, non equidem video. Funis siquidem pendet e trochlea, cui alligantur manus torquendi, & nihil est quod torquendum excipiat; quod omnibus notum est.

CAP. IV.

Juris Cæsarei & Pontificii Interpretes Equuleum minime novisse.

IN Justiniani Imperatoris Augusti Codice, sub titulo *De Ariolis & Mathematicis*, fit equulei mentio his, si recte memini, verbis: [1] *Equuleo deditus, ungulis latera sulcantibus, perferat pœnas*, &c. Cujus vocis significatum ad eum locum Accursius Interpres omnino ignorans, sicco pede prætergressus silentio involvit, in ejusmodi antiquitatibus hallucinari, & Andabatarum more, ut proverbio fertur, pugnare solitus. [2] In Jure quoque Pontificio non semel equulei mentionem esse factam animadverti, & Glossularium somnia mera in vocis explicatione afferre, quæ si memoria tenerem, hic referre non gravarer, ut, quantum ille a vero aberraverit, unusquisque posset intelligere.

1 *Equuleo deditus*) Recte meminit verborum legis Magius. Ita enim in *l. 7. Etsi excepta. C. de malef. & mathemat.* Imp. Constantius A. & Julianus Cæs. ad Taurum Præfect. Præt. rescripsere: „Si quis magus, vel magicis „carminibus adsuetus, qui maleficus vulgi consuetudine „nuncupatur, aut aruspex, aut ariolus, aut certe augur „vel mathematicus, aut enarrandis somniis occultans „artem aliquam divinandi, aut certe aliquid horum simi- „le exercens, in comitatu meo vel Cæsaris fuerit depre- „hensus, præsidio dignitatis exutus, cruciatus & tormen „ta non fugiat. Si vero convictus fuerit, & ad proprium „facinus detegentibus repugnaverit pernegando, sit equu- „leo deditus, ungulisque sulcantibus latera perferat pœnas „proprio dignas facinore: quamvis in libris multis *aculeo* legatur, sicut me frater cariss. Casparus admonuit.

2 *In Jure quoque Pontificio*) Ut in *can.* 1. 23. *q.* 5. ex Augustino ad Marcellinum Comitem de Donatistis captis: „Noli perdere paternam diligentiam, quam in ipsa „inquisitione servasti, quando tantorum scelerum confes- „sionem non extento equuleo, non sulcantibus ungulis, „non urentibus flammis, sed virgarum verberibus eru isti: „qui modus coercitionis & a magistris artium liberalium „& ab ipsis parentibus adhibetur, & sæpe etiam in judi- „ciis solet ab Episcopis adhiberi: quem locum mihi etiam frater meus, quem iterum amoris & honoris caussa nomino, indicavit, ut & hic in nonnullis codicibus *aculeo* legi: in editione vero Lugdun. *non extendente eculeo*: ad glossam ordinariam quod attinet, istam vero de verbo *eculeo* non habere syllabam ad hunc locum. Somnia itaque ista mera, quæ sibi finxisse Glossularium Magius ait, alibi inquirat qui volet, cuique vacat: mihi sane non videtur res tanti, ut ideo hic morer vigilans, vel otio meo, quo alias mehercle non abundo, abutar, propter aliena somnia.

CAP. V.

[3] *Andream Alciatum, & Hieronymum Cardanum Equuleum ignorasse.*

DIvini & humani Juris Interpretes equulei instrumentum ignorasse, nemini mirum videri debet; siquidem humaniorum litterarum expertes & alia hodie cuivis obvia & cognita ignorarunt, ut eorum sæculum, non ipsos accuses. Sed quid de Alciato eruditissimo viro loquar, qui Jano Parrhasio præceptore antiquitatum omnium peritissimo usus, & in mitioribus studiis plus quam par esset versatus, usque adeo ut a Juris notitia nonnihil ea de caussa sæpius exciderit, hujus organi tortorii significatum non est assequutus: nam in libris suis *de verborum significatione*, equuleum pro funis tormento non sine errore magno accepit. Hieronymum Cardanum Philosophum & Medicum, multis editis libris maxime illustrem nostræ ætatis Scriptorem, & qui Auctores omnes scrutatus esse videtur, in ejusdem instrumenti ignoratione versari satis mirari nequeo: quandoquidem in libris *de Varietate rerum* facta equulei mentione, vulgatum funem tortorium non sine errore dicit.

CAP. VI.

In Calepini Lexico quæ explicatio Equulei legatur.

AMbrosium, divi Augustini Fratrem cucullatum, ab oppido in quo natus est *Calepinum* nuncupatum, Græcarum litterarum omnino expertum, & humanioribus litteris vix tinctum, omnium Scriptorum fortunatissimum dicere soleo, quod cum Latinum Lexicon Græcorum exemplo edidisset, non id quidem quod a Doctis legeretur, sed ab his qui in Grammaticorum scholis adhuc versarentur, inornatum, aridum, & exemplis e sacræ Scripturæ Interpretibus sæpius quam a Cicerone depromtis refertum, doctissimorum postea virorum cura atque opera factum est, ut hoc opus ad immensam magnitudinem excreverit, ut jure [4] *Calepon*, id est, *grave*, dici possit; & copia verborum vocumque non sine elegantia satis expletum jam non a pueris modo, sed ab omnibus legatur; ut nullus sit, qui non Calepino aut palam aut tecte hodie utatur. Tandem enim Gesneri & Manutii additamentis & castigationibus ita auctum atque exornatum prodiit in lucem, ut nihil in eo desiderari posse videatur. In hoc tamen, [5] in voce *Equuleus*, legitur hoc instrumen-

3 Alciati & Cardani loca mihi non in promtu. Istius etiam in libris 4. *de V. S.* unde Magius istum errorem vellicandum se sumsisse ait, non apparere videntur: si mihi raptim percurrenti fides haberi potest. Sed potius autumabo, oculum meum cursim pertranseuntem fugisse ista Alciati verba, quam ut Magii nostri memoriam accusem.

4 *Calepon*) *Chalepon*, χαλεπον.

5 *In voce Equuleus*) Recte taxat confundentes equuleum cum laminis, locaque Valerii & Quintiliani, e quibus errorem hunc emanasse, male intellectis, putat, cap. ult. proferre conatur, quod adeas. Sed emendarunt hunc errorem ex parte novissimi Calepini Editores. Sic enim in illo, quem ultimo Basilea exhibuit, legitur: „Est & „tormenti genus, quo ad exprimendum e noxiis consciis- „ve veritatem Romani utebantur: ita dictum (ut quibus- „dam placet) ab equi forma: tametsi alii ardentem la- „minam malunt interpretari.

tum nihil aliud fuisse, quam laminam ferri ignitam, qua homines torqueri consuevissent. Sed per Deum immortalem quid potuit dici insulsius? Quid laminæ ignitæ cum parvo equo sive pullo equino commune? Hanc explicationem nullus a risu defendet. Eum autem, qui talia scripsit, eo deceptum fuisse arbitror, quod Valerius Maximus & Fabius Quintilianus, ubi de equuleo mentionem faciunt, & laminæ ignitæ candentisque meminerint. Sed quo pacto laminæ ad equuleum spectarent, inferius a nobis demonstrabitur.

CAP. VII.

Qualem Pictor Brixiæ Equuleum pictura expresserit.

BRixiæ, urbe Italiæ florentissima, ut Bernardinus Felicianus vir eruditissimus & mihi longe charissimus retulit, visitur hodie pictura superiorum sæculorum, quæ antiqua dici potest, expressum, quo pacto sanctus nescio quis Martyr tortus olim fuit equuleo. In ea Pictor Martyrem equo ligneo eo more insidere facit, quo solent qui equis vehunt. Pedibus tamen Martyris funes alligantur, qui per trochleas ducti ac tympanis versatilibus tensi tibias pedesque deorsum trahunt ac producunt, ut præter coxendices, tibias, & pedes reliquum corpus nihil patiatur. Quam picturam in charta lineis repræsentatam cum Venetiis annis superioribus conspexisset Franciscus Spinola, Poeta non omnino spernendus, per Bibliopolarum tabernas oberrans plausu sane magno affirmabat, se tandem veram equulei picturam spectasse, pulchramque antiquitatem cognitam habere; mihi tamen, qualis ea esset, aperire noluit, quasi esset aliquid ea de re mox in lucem editurus, qui tamen postea præter libellum *de ratione intercalandi*, & Carminum, Odarum ac Epigrammatum Volumina aliquot, nihil cum edidisset, Venetiis [1] hæreseos damnatus mari demersus est.

CAP. VIII.

Qua voce Græci hujusmodi instrumentum significent. Scholiastes Aristophanis & alii reprehensi.

QUem equuleum Latini nostri vocant, Græci τύμπανον dixerunt; quod eo instrumento infligitur tormentum cum significare volunt, τυμπανίζω dicunt, ut cum apud alios Græcos Scriptores, tum apud [2] Julium Pollucem in *Onomastico*

1 *Hæreseos damnatus*) Aliter narrat Martyrologium Gallicanum, quod videsis.

2 *Julium Pollucem in Onomastico*) Pollux noster cum aliis verbis inter τιμήματα recenset, & quidem compositum, non simplex: nec explicat; verba ejus sunt *l. 8. c. 7.* Ἀπὸ δὲ θανάτου, ἐθανατώθη, ἐθανάτωσαν, ἀπέκτειναν, ἀνεῖλον, ἀπέσφαξαν, ἀπῆγξαν, ἀπετυμπάνισαν, κατεκρήμνισαν, κατὰ κρήμνου ὦσαι. Et statim in instrumento δημίου seu carnificis recenset ipsum tympanum: καὶ τὰ ἐργαλεῖα αὐτοῦ, ξίφος, βρόχος, τύμπανον, φάρμακον, κώνειον. In MS. Palat. vetustiss. est τύπανον, sicut etiam dicebant, ut vel in *Etymologico magno*, verbo ῥύμβῳ, τύμπανον, φιλοτεχνότατος videre potes, idque magis κατ' ἀναλογίαν, quum τύμπανον πλεονασμῷ τοῦ μ inde factum fuerit; quod tamen usitatius esse videtur, & τύπανον Poetis propter metrum potius usurpatum esse. Sed priore Pollucis loco Interpres vulgatus Rod. Gualtherus *fidiculis extenderunt* reddit τὸ ἀπετυμπάνισαν: in quo si non alium, tamen Magium nostrum facile habebit subscriptorem, qui fidiculas nil aliud quam equuleum esse contendit. Sed cur Julianus ille Interpres, si hoc sentiebat, non & altero loco τύμπανον *fidiculas* in sua translatione dixit, sed retinuit Græcum nomen *tympanum*? verum quid ille dicat, quid ne dicat, non valde attendendum arbitror, in Polluce quidem: ita multoties a vero sensu aberravit, & lapsus est infinitis locis, quemadmodum & eruditissimus amicus noster Wolfg. Seberus in nova illius Onomastici editione observavit. Nolim insultare cuidam juvenilius, τὸ αὐτὸ δ' ὅμως βοᾷ. Alibi quoque Auctorem nostrum in errorem pertraxit, quando Latinam saltem interpretationem illius inspicere satis habuit, ut mihi constat ex *Miscellaneis* Magii. Quamvis hic tamen ab eodem, ob tympani explicationem, non jure vapulet Gualtherus, cujus verba, priusquam ulterius progrediar, adscribo. Sic enim ad Pollucis locum priorem adnotat: *ἀποτυμπανίζειν est tympanis ac fidiculis extendere. Tympanum enim lignum erat, quo nocentes cædebantur extensi. Proprie autem σκυτάλην vocitant. Hoc autem supplicio olim hostes sustulerunt, donec gladii usus receptus est.* Sed ἀποτυμπανίζειν, proprie videtur esse, fustibus necare τύμπανον vero rotundus ille fustis vel bacillus est, quo administrabatur hæc pœna. Ei rei argumenta, ni fallor, sat firma dicunt Lexicographi Græci veteres. Magius vero erravit plane, (ὡς τὴν σκάφην σκάφην λέγω) dum veteres cum novis, Scholiastem priscum cum Gualthero & Sigonio reprehendit, qui τύμπανον tamen recte explicant, e quo ille omnino Latinorum *equuleum* facere vult. De Aristophanis itaque Scholiaste, quem viri doctissimi non sine caussa magni ob eruditionem faciunt: is in Plutum Comici ad Blepsidemi σχετλιασμὸν illum,

Ω τύμπανα, καὶ κύφωνες, οὐκ ἀρήξετε;

ita commentatur: τύμπανα, ξύλα, ἐφ' οἷς ἐτυμπάνιζον· ἐχρῶντο γὰρ ταύτῃ τῇ τιμωρίᾳ, ἢ βάκλα, παρὰ τὸ τύπτειν· ἤγουν ξύλα οἷς τύπτονται ἐν τοῖς δικαστηρίοις οἱ τιμωρούμενοι. Ubi vide, an forte rectius legamus, ἐν οἷς ἐτυμπάνιζον. Certe sic exscripsit Suidas, loquiturque pari modo Hesychius, quorum verba inferius paullo afferam: ἐν οἷς, pleonasmo præpositionis, qualem & alibi notant, ut apud Lucian. ἐν βέλει πληγείς. Sic idem *dialog. Protes. & Plut.* καθικόμενον ἐν τῇ ῥάβδῳ. Sic Apocal. VI. ἀποκτεῖναι τὸ τέταρτον τῆς γῆς, ἐν ῥομφαίᾳ, καὶ ἐν λιμῷ, καὶ ἐν θανάτῳ. Sed in re manifesta utimur testibus non necessariis. Ille igitur Scholiorum veterum in Aristophanem Auctor tympanum, non equuleum, ut Magius perverse hic interpretatur, ait fuisse lignum, quo verberabantur sontes. Eumque si sequutus Gualtherus, non bene culpatur; non magis quam Sigonius *de Republica Atheniensium* lib. 3. cap. 1. extremo ita scribens: *τύμπανον, unde ἀποτυμπανίσαι fluxit, ligna erant, quibus nocentes homines cædebantur, ut Pluti Interpres prodit.* Bene, inquam, hic amicus Magii ex Aristophaneo Commentatore vetere τύμπανα explicavit. Gualtherum tamen sua ex eodem Scholiaste sumsisse non arbitror, sed ex *Etymologico magno*, ubi αὐτολεξεὶ ista Græce habes, quæ mox adducam. Sed quibus nunc redarguere Scholiastem priscum nititur Magius, breviter considerari debent, sintne alicujus momenti. Et mihi sane videtur Latinus judex Græcum hominem male damnasse, re scilicet non probe examinata. Quærit enim primo, quid ligno aut fusti cum equo parvo & versatili tympano sit? Nihil prorsus. Nec Aristophanis Interpres de equuleo hic vel cogitavit, nec versatile tympanum enarrare voluit, opusve habuit, sed tortorum tympana vel carnificum, quibus sontibus certatim insonabant plagas atque verbera. Nisi forte, ait, ideo dictum tympanum putavit Interpres, quod in tympani morem tunderentur hoc ligno sontes. At nihil opus his ambagibus hic quidem. Ideo dictum tympanum credidit Interpres, quod eo ferirentur damnati; παρὰ τὸ τύπτειν, ait ipse scilicet. Non respexit, inquam, ad tympanum quod pulsatur. Supervacua ergo est & conjectura illa de textu lacunoso & depravato, quasi ita loquutus fuisset Scholiorum Scriptor, τύμπανα, ξύλα, ἐν οἷς ἐτυμπανίζοντο. Non ille ignoravit nec tympanum versatile sive pulsatile, nec tympana quibus cædebant nocentes; sed de his, quæ ad fustitudinas, cum Comico ludens inquam, insulas spectant, non de illis sermonem facere voluit, & μειῶσαι τι, quod Aristophanis locus desiderabat. Liberius forte hæc in Magium ne cui videantur, vereor. Sed vir optimus suo quemque uti arbitrio præclare hic jubet ipse, ingenueque vult, ut par est, judicia libera esse. Et de eo certe alias ita censeo, virum fuisse doctrina erudita & lectione varia eximie instructum, memoria præterea valuisse expromta, qualisque paucis obtigit. Ultima vero ratio, qua ait, si a tympano sumta similitudine fustem illum sic dictum censuerit Scholiastes, non fusti id nominis congruere, sed fontibus, quid sibi vult? Quid enim non congruat? tametsi nam-

co quisque videre potest. Aristophanis antiquus Interpres, vir alioqui non indoctus, *in Plutum* non sine errore maximo scriptum reliquit, tympanum, id est, equuleum, lignum fuisse quo verberabantur sontes a carnifice. Quem sequutus est Rudolphus Gualtherus in quibusdam in Julium Pollucem, quem ipse Latinum reddidit, annotationibus. Eodem luto hæsit Scholiastis vetustate & auctoritate ductus Carolus Sigonius vir doctissimus, & amicus meus, in libris *de Republica Atheniensium*. Sed quid ligno aut fusti cum equo parvo & versatili tympano? Nisi forte antiquus ille Interpres tympanum dictum, quod in tympani morem tunderentur hoc ligno sontes, existimaverit; aut ejus contextus sit lacunosus & depravatus, ut ille hanc sententiam loquutus sit; Tympanum est instrumentum ligneum, in quo distenti cædebantur & vapulabant sontes: non enim fit mihi verisimile, illum instrumenti, quod sua ætate maxime esset in usu, ignarum fuisse. Sed suo quisque utatur arbitrio: volumus namque, ut par est, judicia esse libera. Si autem a tympano sumta similitudine fustem illum sic dictum censuit, respondeo non fusti id nominis congruere, sed sontibus.

CAP. IX.

Divus Joannes Chrysostomus & Theophylactus verbum τυμπανίζω quomodo exposuerint.

DIvus Paulus sanctorum virorum mortes ac tormenta, quæ propter Christi fidem pertulerunt, enumerans, ait, [1] ἄλλοι δὲ ἐτυμπανίσθησαν, id est, *alii autem tympanizati* vel *ex-*

namque sontes dicantur τυμπανίζεσθαι, id cum respectu ad fustem illum certe dicitur, quo pœna eis infligitur. Sed ille ad sontes respiciendum putavit, quasi hi in morem tympani tunderentur, itaque nomen fusti non convenire. Atque ita est. Magius noster omnino existimavit τύμπανον esse equuleum, & hunc a Scholiaste describi, & descriptionem tamen illam haud congruere equuleo facile vidit: inde ergo affirmavit errasse & Scholiastem, & quotquot (in quibus video & Rhodiginum lib. 20. *Antiq. Lect.* cap. 5. esse) eum sequantur. Jam itaque loca quædam ex veteribus Lexicographis sunt proferenda de isto τυμπάνῳ, unde id fustem vel bacillum rotundum fuisse, quemadmodum dixi, amplius pateat. ἀποτυμπανίζεσθαι vero, sicut & simplex τυμπανίζεσθαι, illo supplicio affici. Hesychius Glossatorum eximius: τυμπανίζεται, πλήσσεται, ἐκδέρεται, ἰσχυρῶς τύπτεται. Et: τύμπανον, ᾧ αἱ Βάκχαι κρούουσιν, ἢν εἶδος τιμωρίας. Apud quem & in paullo præcedentibus, τύμπανα, τὰ δερμάτινα ϖρακτήρια κόσκινα, &c. obiter scribendum admoneo κρακτήρια, id est, *sonantia*, vel *sonora*. Iterum Hesychius: τύμπανον, (nisi τύπανον hic legendum, quum præcedant τυπάζειν, τύπαις) ξύλον. ἐν ᾧ τυμπανίζουσιν. Suidas: τύμπανα, βάκλα· παρὰ τὸ τύπτειν. ξύλα ἐν οἷς ἐτυμπάνιζον· ἐχρῶντο γὰρ ταύτῃ τῇ τιμωρίᾳ. Quæ verbatim ex Aristophanis Scholiaste, ut & alia, quod viros doctos dudum observasse credo, multa exscripsisse videtur. Idem Suidas: τυμπανίζεται, ξύλῳ πλήσσεται, ἐκδέρεται, καὶ κρεμᾶται. Etymologic. magnum: τύμπανόν ἐστι τὸ τοῦ δημίου ξύλον, ᾧ τοὺς παραδιδομένους διαχειρίζεται, καὶ τυμπανίζεται, ξύλῳ πλήσσεται, ἐκδέρεται, καὶ κρεμᾶται. Et alibi idem: ἀποτυμπανίσαι, οὐχ ἁπλῶς τὸ ἀποκτεῖναι, ἀλλὰ τυμπάνῳ, ὅ ἐστι ξύλον ὅπερ σκυτάλην καλοῦσι· τὸ γὰρ παλαιὸν, ξύλοις ἀνῄρουν τοὺς πολεμίους, ὕστερον δὲ τῷ ξίφει. Non tamen nego, & de machina, qua distendebantur vel suspendebantur sontes, τύμπανον & verba ab eo derivata usurpata inveniri: ubi potest respectum esse ad illa distenta tympana: & innuunt ἐκδέρεται, κρέμαται, in Lexicographorum modo allatis observationibus: superque ea re quædam in Thesauro H. Stephani habes: quo pacto & fere locum in ea ad Hebræos exponunt, quem cap. seq. Magius adfert. Sic forte & apud Lucianum *Tyranno*: τοὺς ἐκ δικαστηρίων δῆτα παράγαγε, λέγω δὴ τοὺς ἐκ τυμπάνου, καὶ τοὺς ἀνεσκολοπισμένους. Adeo ut in hoc quidem Magium nostrum equuleum posse Græca voce τυμπάνου ex primi, temere non reprehenderim. H. Junius ἀρθρέμβολον reddere voluit, cujus verba e Nomenclatore eruditiss. quum ad hanc materiam spectent, & ipsa inserere lubet: Equuleus, *aut, ut alii,* eculeus *Cicer. stipes acutus, cui reus impositus excruciatur, distenditur, & evisceratur quodammodo, & artuum compages dissolvitur.* ἀρθρέμβολον, *de quo Josephus ita:* ἀρθρεμβόλοις ἐξήρθρουν, καὶ ἐξ ἁρμῶν ἀναμοχλεύσαντες ἐξεμέλιζον. *Vocatur & στρεβλωτήριον ab eodem: alii interpretantur tormenti genus, quo religatis superne manibus, appensum de pedibus pondus hominem distendit, quale τύμπανον fere Græcis.* Turnebus lib. 15. *Adverf.* cap. 16. ξύλον βασανιστήριον putat appellari a Sozomeno *lib.* 5. *cap.* 12. illis verbis: καὶ δημοσίᾳ προσαγαγὼν πρὸς τὸ βασανιστήριον ξύλον, αἰωρεῖσθαι προσέταττεν. Quæ & opinio Sigonii l. 3. *de Jud.* c. IV. Sed, ut ad priora revertar, alter usus tamen, ubi ξύλον illud seu fustis significatur, veteribus Scriptoribus, Atticis notior fuisse videtur, & nescio an aliter usurpare, quam de nece, quæ per ejusmodi fustium inflictus inferebatur, sive clavis ligneis voluerint. Sic certe Demosthenes capiendus videtur in ea *de Chersoneso*: Ὡς οὖν ὑπὲρ τῶν ἐσχάτων ὄντος τοῦ ἀγῶνος, οὕτω προσήκει γινώσκειν, καὶ τοὺς πεπρακότας αὐτοὺς ἐκείνῳ, μισεῖν τε καὶ ἀποτυμπανίσαι: quod Wolfius vertit, *in cruciatum abripiendi sunt.* Ubi Ulpianus Scholiastes (sicut in auctario ex Lutetiano codice producunt) τυμπανίζεται, ξύλῳ πλήττεται, ἐκδέρεται, κρεμᾶται· ἀποτυπανίσαι δὲ, ἀντὶ τοῦ ἀνιλεῶς φονεῦσαι ῥοπάλοις: quæ priora apud Suidam iisdem verbis exstant; posteriora quoque ita fere Suidas, quamvis ea videtur mendum insidere, ἀποτυμπάνισον, ἀκλεῶς τι φόνευσον, pactoque emendandum, ut in Demosthenicis Scholiis legitur, ἀνιλεῶς, sive ἀνηλεῶς malis, ut in quodam Scholiolo istius verbi Theodoreti Therapeutice adscriptum habuit. Ea vero quæ ex *Chersonesitana* protuli, totidem verbis & in 4. *Philippica* Oratoris ejusdem leguntur: Sic & in tertia *Philippica*: Ὁρῶν δὲ ταῦθ᾽ ὁ δῆμος ὁ τῶν Ὠρειτῶν· ἀντὶ τοῦ τῷ μὲν βοηθεῖν, τοὺς δ᾽ ἀποτυμπανίσαι, τοῖς μὲν οὐκ ὠργίζετο, τὸ δ᾽ ἐπιτήδειον εἶναι ταῦτα παθεῖν ἔφη, καὶ ἐπέχαιρε: quamvis ibi pariter Wolfius, *in cruciatum egit*. Sic & in ea περὶ παραπρεσβείας: Εἰ μὲν οὖν ἤκουσεν, οἶμαι, τοὺς τότε ταῦτα πρὸς αὐτὸν εἰπόντας, παραχρῆμα, ὡς δεῦρ᾽ ἐπανῆλθον ἀποτετυμπανισμένους, &c. ubi tamen idem Interpres, *in crucem actos*. De cujus viri certe doctiss. interpretatione hic non inquiro. Deest & ocium ad eam rem, & ingenium, credo, multo magis: eruditioribus ista disputanda relinquo. Me tamen ejusmodi loci facile permoverunt, ut potius cum Aristophaneo Scholiaste & Sigonio sentire & explicare apud Antiquos τύμπανα malim, de fustium pœna, quam cum Magio de equuleo, vel cum Wolfio de cruce: etsi *cruciatum* quum plerumque reddat, ut generalius loquutus, ita forte commodius excusari queat. Sic enim & apud Plutarchum in *Dionis Vita*, ubi Dionis cum armatis accessum ad Syracusas narrat: Οἱ δὲ πολλοὶ τοῖς τυράννου φίλοις ἐπετίθεντο, καὶ συνήρπαζον τοὺς καλουμένους προσαγωγίδας, ἀνθρώπους ἀνοσίους, καὶ θεοῖς ἐχθροὺς, οἳ περιενόστουν ἐν τῇ πόλει καταμεμιγμένοι τοῖς Συρακουσίοις, πολυπραγμονοῦντες καὶ διαγγέλλοντες τῷ τυράννῳ τάς τε διανοίας καὶ τὰς φωνὰς ἑκάστων· οὗτοι μὲν οὖν πρῶτοι δίκην ἐδίδοσαν, ὑπὸ τῶν προστυγχανόντων τυμπανιζόμενοι: vertunt, *ab obviis male mulctati*. Sed doctissimus Xylander, *verberibus cæsi*: sequutus, ut in Notis indicat, quoque Interpretem Aristophanis in *Pluto*: indicatque Guarinum vertisse, *virgis enim cæsos excoriarunt*: sequutum (ut opinor) Suidam, cui τυμπανίζεσθαι scilicet non modo ξύλῳ πλήσσεσθαι, sed ἐκδέρεσθαι etiam, & κρεμᾶσθαι sit: quod si libeat sequi, ait Xylander, *in crucem actos* vertendum esse. Idem Plutarchus *Galba*: τῷ δὲ δήμῳ χαριζόμενος, οὐκ ἐκώλυε τοὺς παραπίπτοντας τῶν Νέρωνος ἀποτυμπανίζειν: ubi *obtruncandi* verbo reddunt. Aristoteles (cujus loci, ut & præcedentis Plutarchi index nobis Xylander *Notis ad Dionem* ejus) lib. II. *Rhetoric.* c. 6. Ἀντιφῶν ὁ Ποιητὴς μέλλων ἀποτυμπανίζεσθαι ὑπὸ Διονυσίου, εἶπεν, ἰδὼν τοὺς συναποθνήσκειν μέλλοντας ἐγκαλυπτομένους ὡς ᾔεσαν διὰ τῶν πυλῶν, τί ἐγκαλύπτεσθε, ἔφη, ἢ μὴ αὔριόν τις ὑμᾶς ἴδῃ τούτων; P. Victorius interpretatur, *quum ad supplicium duceretur*, in *Comm. suis ad illum locum*. Plura jam non conquiro. Ceterum in tanta Interpretum varietate, quæ in his verbis Latine reddendis adparet, certi quid præscribere cuiquam si me posse existimem, valde sim temerarius & audax. Raptim hæc tamen in Notas conjeci, καὶ μάλα μαλακῶς ἔχων. Lector candidus boni consulet, & sicubi aberraverim, quod ut humanum, minime a me alienum puto, utinam non familiare esset mihi nimis, ignoscet, melioraque & rectiora, si qua novit, nobiscum impertiet, id quod & rogatum eum volo amice.

1 Ἄλλοι δὲ ἐτυμπανίσθησαν) Sic secure operas edere jussi, ut & cap. seq. erat enim in descripto exemplo ἐτυμπανίζεσθε, utrobique. Locus est in ea *ad Hebræos* capit. XI.

tensi sunt. Ad quem locum Theophylactus Græcus Interpres, & ante Theophylactum [1] Joannes Chrysostomus sanctitate vitæ & eruditione plane admirandus, inquit, significari crucis tormentum, [2] in quo ille distenderetur. Sed aliquis fortasse dixerit, se non videre quo pacto & hic cruciatus cum equulei sive tympani tormento conveniat: nam qui cruci olim affigebantur, etsi porrectis extensisque pedibus & passis brachiis consistebant, ut in sanctissimi Servatoris nostri imagine animadvertimus, nullibi tamen legimus eorum tibias vel brachia tympanis tendi consuevisse, aut ea de causa cruci addictos fuisse ut distendendo trahendoque torquerentur. Ea tamen explicatio multis plausibilis fuit.

CAP. X.

D. Thomam a Theophylacto & D. Joanne Chrysostomo dissentire. Thomæ sententia comprobata, quod sit Græco verbo congruens.

D. Thomas Aquinas, qui propter reconditam doctrinam, & quasi e cælo & Angelis desumtam, *Angelici* cognomentum adeptus est, a prænotata Theophylacti & Chrysostomi sententia non parum discrepat. Inquit enim in Commentariis suis ad eum Pauli locum, per verbum illud ἐτυμπανίσθησαν, id est, *tympanizati* vel *distenti sunt*, significari eo loci equulei cruciatum. Cujus sententiam nemo non plausu excepturus est, qui nostram de equuleo explicationem legerit. Quamobrem facile crediderim spiritu Dei Thomam potius afflatum, quam Græcorum Ethnicorumque Auctorum, quos contemsit, scriptis admonitum talia protulisse: τυμπανίζεσθαι autem dicunt Græci de his qui in tympano torquentur; quod in tympani tensilis & pulsatilis morem eorum corpora quæ torquebantur in equuleo distenderentur, & tympanis versatilibus in equuleo locus esset, unde & τύμπανον hujusmodi organum dictum a Græcis. *Tympana* vero appellant Mechanici, ut patet apud Vitruvium, Oribasium & alios, axes quorum capita foramina habent, quibus induntur vectes, quo facilius versari possint, iisque funes advolvantur, quibus pondera vel protrahuntur vel sustolluntur, ut ergatas non ad perpendiculum, ut fit, consistentes esse dicas, sed jacentes potius. A verbo τυμπανίζω vel a tympano pulsatili & tensili, vel a tractorio versatilique quod tendat, apud Paulum Ægynetam & alios Græcos Medicos dicitur *tympanitis* hydropis species illa flatuosa, quæ in tympani morem tumentem uterum distendit, ut instar tympani pulsatilis sit.

CAP. XI.

A quibus Equuleus fuerit excogitatus.

QUis autem tormenti genus, de quo agimus, excogitaverit, non facile dixerim, Auctoribus, quos mihi legere contigit, hac de re nihil

vers. 35. Ἄλλοι δὲ ἐτυμπανίσθησαν, οὐ προσδεξάμενοι τὴν ἀπολύτρωσιν, ἵνα κρείττονος ἀναστάσεως τύχωσιν: quod Magius noster *extenti*, vel *distenti*, ut cap. seq. interpretatur. Et *distenti* sane cum veteri hic viri docti maluerunt, idque & H. Stephanus in sua Novi Testamenti editione Græca minori, qua obscuriorum vocum & quorundam loquendi generum accuratas interpretationes margini adscripsit, ad oram posuit. Alii tamen & *fustuario multati sunt*, *fustibus cæsi sunt*, ut H. Stephanus in suo Thesauro adnotavit. Castalio, *cruciati*, si recte legi. Lubet hic adscribere saltem duorum eximiorum Commentatorum verba. Erasmus Roterodamus *Annotationibus in illum locum Epist. ad Hebr.* ita scribit: „ Distenti sunt (ἐτυμπανίσθησαν) quod a corio sumtum est, „ in tympano distento. Quamquam Græcanica Scholia „ interpretantur de his qui fustibus contusi perierunt. „ Cæditur enim crebris ictibus tympanum. Joachimus „ Camerarius vero avus meus maternus, cujus memoriam sancte colo, ad illum locum hæc adnotat, ἐτυμπανίσθησαν. „ Supplicio affecti sunt ultimo per cruciatus: „ ut de uno omnia intelligantur: nam τυμπανίζεσθαι pul- „ sationis & jactationis erat supplicium; neque oblatam „ liberationem admiserunt, id est, in confessionis con- „ stantia neglexerunt salutem, & pertulerunt acerbissi- „ mos cruciatus: hic mihi sensus simplicissimus videtur. Et mirum ni illud scholion, quod in Hesychio reperio, ἐτυμπανίσθησαν, ἐκρεμάσθησαν, ἐσφαιρίσθησαν, ad locum illum Epistolæ sacræ pertineat.

1 *Joann. Chrysost.*) Chrysostomi verba in eum locum ab amicis accepi hæc: ἐνταῦθά μοι δοκεῖ καὶ τὸν Ἰωάννην αἰνίττεσθαι καὶ τὸν Ἰακώβ· ἀποτυμπανισμὸς γὰρ λέγεται ἀποκεφαλισμός. Theophylacti verba mihi non in promptu, quum is Auctor ad manus non sit. Sed quid ista Chrysostomi cum iis, quæ Magius ex illo hic dicere voluit, simile habent? quid enim cruci cum ἀποκεφαλισμῷ; Ille ergo longe aliam expositionem apud sanctum virum legisse videtur: nil enim certe de decollatione ait, sed de crucis tormento, in quo illi distenderentur, locum Epistolæ a sancto Patre expositum refert, nec probat. An itaque hic memoria lapsus? Quod ipsi certe vitio vertendum non esset, adeo omnibus memoriæ subsidiis destituto. Nihil tamen adfirmo, permitto id decidere aliis. Hoc forte ἐν παρόδῳ considerandum fuerit, quod de ἀποτυμπανισμῷ ait vir sanctus, esse capitis abcisionem: id quod alibi raro legas. Nec scio etiam Interpretem, qui D. Chrysostomi explicationem in eo loco sequutus fuerit. Geminum tamen hujus legitur in Favorini Lexico: ἀποτυμπανισθῆναι, ταὐτόν ἐστι τῷ τὴν κεφαλὴν ἀποκοπῆναι. Sed χρῆσιν nullam dat, cur ei credere statim debeamus: virique doctissimi in Thesauro suo adfirmant, se nescire ex quo Auctore ista Varianus protulerit. Verum Chrysostomi eruditio atque dicendi vis dubitare nos non sinit amplius, quin & talis ejus verbi usus fuerit, quem etiam alibi occurrere observo. Ita enim in Athenæo suo eruditorum Phenix, Is. Casaubonus, ὁ πάνυ, exponit, locumque commode oblatum in amici mihi viri (quod glorior certe, addideroque ideo præfiscini) istis *doctis Juppiter & laboriosis* Animadversionibus adscribo, si nullum alium, hic lubens, si modo centonibus nostris purpuram intexere fas est. Verba Athenæi lib. 4. *Dipnosoph.* sunt: Εὐφορίων δ' ὁ Χαλκιδεὺς ἐν ἱστορικοῖς ὑπομνήμασιν οὕτω γράφει, παρὰ δὲ τοῖς Ῥωμαίοις προτίθεσθαι πέντε μνᾶς τοῖς ὑπομένειν βουλομένοις τὴν κεφαλὴν ἀποκοπῆναι πελέκει, ὥστε τοὺς κληρονόμους κομίσασθαι τὸ ἆθλον· καὶ πολλάκις ἀπογραφομένους πλείους δικαιολογεῖσθαι καθ' ὃ δικαιότατός ἐστιν ἕκαστος αὐτὸς ἀποτυμπανισθῆναι. Ubi Dalechampius, *Unoquoque disceptante æquissimum esse, sic se cruciari & ad supplicium trahi*. Sed audiamus Casaubonum nostrum potius, lib. 4. *Animadversionum* cap. 13. ita scribentem, καθ' ὃ δικαιότατός ἐστιν ἕκαστος αὐτὸς ἀποτυμπανισθῆναι, „ quibus contendunt unusquisque quod „ justissimum sit, sibi potissimum caput amputari. Et addit: „ Torquent se hoc loco Interpretes in expri- „ menda voce ἀποτυμπανισθῆναι: quæ hic quidem per- „ spicue ponitur pro eo quod paulo ante dixit, τὴν κε- „ φαλὴν ἀποκοπῆναι. Eustathius docte, postquam ista ex „ Athenæo verba Euphorionis descripsit, καὶ ὅρα, in- „ quit, τὸ ἀποτυμπανισθῆναι, ταὐτὸν ὂν τῷ τὴν κεφαλὴν ἀποκοπῆναι. Hactenus eximius ille. Vide vero sis, an & apud Theodoretum in Ἑλληνικῶν παθημάτων θεραπευτικῇ, ubi hoc verbum aliquoties occurrit, ita exponi debeat; quamvis Interpres Zenobius Acciajolus voluit *tympanis distendere*, vel *extendere*, sive *fidiculis*, semper vertere. Loci sunt: *Sermon.* 3. Καὶ μέντοι καὶ τοὺς ἀνδροφόνους ἀνασκολοπίζοντες καὶ ἀποτυμπανίζοντες: de Græcis loquitur. *Serm.* 8. qui est de Martyribus, ubi de alacritate eorum in perferenda morte: προτεῖναι δὲ τὰ νῶτα τοῖς ἐθέλουσι μαστιγοῦν, καὶ λαμπάσι καὶ ὄνυξι τὰς πλευρὰς, καὶ τοὺς αὐχένας ὑποθεῖναι τοῖς ξίφεσι, καὶ ἀποτυμπανισθῆναι προθύμως καὶ ἀνασκινδυλευθῆναι. Et hic verbo ἀποτυμπανισθῆναι additum ad oram Scholion (cujus supra memini) in cod. vet. Augustano adnotavit Sylburgius hoc, ἀνηλεῶς φονευθῆναι. Idem *Serm.* 9. καὶ τοὺς μὲν αὐτῶν ἀπετυμπάνισαν, τοὺς δὲ ἀνεσκολόπισαν, τοὺς δὲ θηρίοις παρέδοσαν. Sed ad finem tandem pergendum est, ne operis sim in mora.

2 *In quo ille distenderetur*) Scribendum puto, *in quo illi distenderentur*.

prodentibus. Animadverti tamen [1] apud Ciceronem in *Tusculanis Quæstionibus*, ut arbitror, & apud alios litteris proditum, Græcos equulei fuisse ut rerum multarum auctores. Profecto machinarum penæ omnium Græcos extitisse auctores nemo non affirmabit, qui Vitruvium, Oribasium, Heronem, Pappum, Bitonem & Athenæum legerit, ut miram hujus Nationis solertiam, quæ tamen hodie interiit, maxime suspicias, admireris, & laudibus prosequaris. Adde quod apud Græcos sævissimi Tyranni rerum sunt potiti, ut horum imperio Mechanicorum auctam fuisse industriam credere possis, eoque provectam, ut equuleos & alia tortoria organa in eorum gratiam adinvenerit. sed jam ad equuleum nostrum accedamus.

CAP. XII.

Auctoris de Equuleo sententia.

EQuuleum ego crediderim fuisse ligneum scamnum sive ligneam arcam pedibus quatuor.

* *Reliqua deerant: quæ tamen restitui posse in parte videntur ex schedis adjectis Auctoris manu descriptis. Continebant illæ totius quasi operis materiem paucis. Nos ea modo censuimus adjicienda quæ deerant: ex fragmenti mole videntur tot capita secutura fuisse quot præcessere. Lector hæc boni consulat, sciatque quod raptim scripta hæc erant, multum nobis difficultatis obortum in legendo, adeo ut in nonnullis expedire nos nequiverimus. Iis tale signum additum est*. Ceteras lacunas Auctor ipse libris destitutus reliquit.*

Sed jam ad equuleum propius accedamus. Equuleum existimamus fuisse ligneum scamnum sive ligneam arcam pedibus quatuor ligneis consistentem fundoque carentem, quæ utrimque capiebat tympana & funes, quibus manus pedesque sontium & torquendorum obligarentur & protraherentur, non sine magno, ut conjecturæ locus est, dolore totius corporis. Quamobrem Seneca inquit [2] loco prænotato, *in equuleo longior factus est*: [3] re manifestum hoc pacto ossibus e compage motis solutisque, corpus productum fuisse. In hoc pendere solebant, quia suspensi aere in vacuo, corpore eo pacto extenso, non e simplici fune ad perpendiculum, ut alii censent. Equulei autem nomen huic instrumento congruere quis non videt, cum & hodie scamnis quibusdam.. *.. jam ante consistebant & volvebantur, *cavaletti* appellantur, & eodem nomine significantur scamna parva quibus lecti sustinentur.

Adde quod Aurel. Prudentius Poeta Christianus, in martyrio Romani & Vincentii sanctitate non vulgari hominum, optime hujusmodi instrumentum appingere videtur, & in quo [4] *divaricatis cruribus* (ut ejus verbis utar) consistere tortos demonstrat, & etiam [5] *fidiculas* appellat, non solum *equuleum*.

[6] Valerius Maximus de.... *laxavit equuleos, la-*

* Quæ absunt hic legi non poterant in autographo.

1 *Apud Ciceronem*) Non invenio apud Ciceronem de equulei inventione peculiare quidquam, nec puto alius. Certe videntur viri docti, qui hanc materiam tractandam susceperunt, non fuisse omissuri si quid tale apud Ciceronem legissent. Forte ut Græci tympana sua excogitarunt, quibus nocentes puniebant, ita Romanos equulei tormenti auctores apud se extitisse vero non fit absimile, ut cuique populo sui quidam puniendi modi sunt. Conjectator sum, ut vides: nec a me certi quid exspectes, ubi tacent alii, ubique ipse tecum ad doctiores ire paratus sum.

2 *Loco prænotato*) Cap. 3. ubi Senecæ verba ex *epist* 76. adscripsi.

3 *Re manifestum* (Locus mutilus. Credo forte scripsisse, *quare manifestum*) &c.

4 *Divaricatis cruribus*) Verba Prudentii in Hymno 5. *Peristeph.* quem dicavit D. Vincentio Martyri Cæsar-Augustano, sunt:

In hoc barathrum (carcerem subterraneum) *conjicit*
Truculentus hostis Martyrem,
Lignoque plantas inserit
Divaricatis cruribus.

Et paulo post:

Nam carceralis cæcitas
Splendore lucis fulgurat,
Duplexque morsus stipitis
Ruptis cavernis dissilit.

5 *Fidiculas appellat* (*Peristeph.* hymn. 10. qui D. Romano Martyri Antiocheno inscriptus: hunc enim locum puto Magium dicere, ubi Romanus:

Nec distat, ignis an fidiculæ sæviant,
An corpus ægrum languor asper torqueat:
Cum sæpe morbos major armet sævitia.
Non ungularum tanta vis latus fodit,
Mucrone quanto dira pulsat pleurisis.

Inferiusque jubet sceleratus Asclepiades carnificem, ut

Sulcosque acutos & fidiculas transferat.

Ubi tamen pro ungulis usurpasse Poetam *fidiculas* conatur ostendere Gallonius.

6 *Val. Max. de.....*) Locus Valerii de Zenone *l.* 3. *c.* 3. ita habet: *Rupit verbera, fidiculas laxavit, solvit equuleum, laminas exstinxit*, &c. quæ non exscribo: quum in Gallonii disputatione superius ea exstent: ubi & Quinctiliani, vel quisquis potius ille Declamator est, locus, quem tamen non solum in mente habuit Magius. Libet itaque adscribere & illum & alios quosdam. Ille est in *Declam.* ult. „ An tu quæstionem illam fuisse credis, „ qualis vernilibus corporibus adhibetur? ideo enim equuleos movebam artifex senex, tenebam fidiculas ratione sævitiæ, ut leviter sedibus suis remota compago per „ singulos artus membra laxaret. Consumtus est spiritus „ silentio sui, & verbera ignesque animum pariter vocemque cluserunt, &c. adeo ut nesciam quid illa *in corio filii* apud Magium sibi velint. Hoc igitur quod scimus, Magium dicere ibi & crebram mentionem esse laminarum & flagellorum. Ita enim eadem *Declam.* non longe a fine: „ Consiste agedum mulier loco meo, & „ in habitum paterni furoris accincta admove equuleos, „ flagella, laminas, prædico, testor, aliter non possum „ loqui, aliter mihi non potest credi. Et præcedenti *Declamatione* de eodem, pro muliere contra maritum: „ At „ tu, proh nefas! verberibus, ignibus, & tota crudelitatis arte scrutaris rem, de qua non deberes interrogare „ servos, de qua vernilium quoque corporum patientiam „ petulanter excuteres. Laminas accendis, equuleos moves, &c. Iterum: „ Pater in tormentis filii non aversos tenuit oculos, ipse vestes scidit, velementa laceravit, manibus flagella concussit, renovavit ignes, &c. „ Et: „ Filium consumsisti per flagella, per laminas. Sic „ & *Declam.* 7. ubi pauper quidam se offert torquendum: „ Vultis cum hoc viderim tantum testimonium dicam? „ Mirum hercle, si scindo vestes, nudo corpus, ignes, „ flagella deposco: quæ ubi mox iterum junxit: „ Non „ refert, *ait*, cujus ad equuleum nominis persuasionem, „ quas silentii afferas causas; & plura in ea *Declamatione*, unde saltem extremis excerptis, ocius hinc abeo: „ Cum flammis urentur nuda vitalia, nox illa occurrat, „ cum membra fidiculæ flagella laxaverint, &c. Si me forte fidiculæ flagella mutaverint, ego tamen vidi. Si vocem in equuleis ignibusque perdidero, ego tamen vidi. Quæ non minus pro Magii nostri sententia faciunt, præsertim quum & velit fidiculas cum equuleo easdem esse: quæ tamen docti viri, ut dixi, malunt distinguere. Legere potes & Senecæ l. 2. *Controv.* 5. ubi torta a tyranno mulier pro marito introducitur, pariterque cum equuleo ignes, verbera, flagella. & l. 9. *Controv.* ult. *Instabant super caput,*

minas exstinxit, &c. Quo pacto autem laxari poterat funis, si funis tormentum esse velimus, & laminæ exstingui.

Quintilianus in *Declamationibus*, ubi de filio a patre torto per injuriam maximam agit, nonnihil appinxit equuleum: inquit enim, senem artificem equuleos movisse, & corio filii corpus totum compage solutum; imprimisque meminit laminarum & flagellorum. Funis autem tormentum qua ratione moveatur, scimus, non arte ulla, sed trahentis manu, & totius corporis compagem solvere non animadvertimus. Brachia solum laxare scimus qua humeris spatulisque junguntur.

* *Fidiculas* equuleum appellasse Prudentium Poetam diximus. Sed erit fortasse aliquis qui hoc neget, existimans diversum tormenti genus fuisse. Ego idem fuisse dico & affirmare vel quovis pignore ausim, quod Suetonii auctoritate demonstro. inquit enim [1] in *Caligula* Imp. illud quoque tormenti genus excogitasse, *ut larga meri potione eneratos & veretris deligatis simul & urinæ & fidicularum tormento distenderet*, & affirmasse etiam *se de* uxore *fidiculis exquisiturum cur tantopere eam diligeret*. Sed apud illum Poetam non obscure me a veritate non aberrare potes cognoscere locis prænotatis. Sic apud Jureconsultum [2] ff. . . . . . & C.

Hodie servatur antiquum instrumentum apud Hispanos & Gallos. Hi *Genam* vocant, Hispani *Pulliedro* voce meliori: equuleos enim *Pulledros* & Itali vocant. Visiturque hujusmodi tormentum Neapoli in arce ab Hispanis invectum, quo in inquisitione criminis læsæ majestatis solum utuntur. Joan. Vinc. Pinellus nobilissimus atque eruditissimus vir pollicitus est aliquando se curaturum ut ego delineatum illud conspicerem.

Magnam similitudinem habebat cum scamno Hippocratis, ut videre est [3] apud Hippocratem in

* *In margine hæc erant:* Non sine similitudine fidium, sicut illæ claviculis sive pectinibus tenduntur, &c.

non accusator, sed tortor: ipse ignes subjiciebam; ipse ad intendendum equuleum manus admovebam. Lib. 10. *Controv.* 5. *Statuitur ex altera parte Parrhasius cum coloribus, ex altera tortor cum ignibus, flagellis, equuleis*. Et passim.

1 *In Caligula Imp.*) Fallitur memoria optimus Magius in priore loco, qui non in *Caligula*, sed *Tiberio* Suetonii legitur cap. 62. „ Excogitaverat autem inter genera cru„ ciatus, etiam ut larga meri potione per fallaciam one„ ratos, repente veretris deligatis, fidicularum simul uri„ næque tormento distenderet. In Gallonianis ad hunc locum respondere conantur, scilicet aliud tormenti esse apud Suetonium, remotissimum ab eo quod in Martyrum gestis & aliorum Auctorum locis legatur. An vere, Lector eruditus judicabit. Certe ungulas non designari, hoc clarum. Et cur Suetonius in alia χρήσει illud nomen sumat, quam Valerius Maximus, quam Quintilianus, cujus tamen minime illas Declamationes esse viri docti autumant? Isidori vero auctoritas sola an nos debeat adigere ut fidiculas fuisse ungulas ferreas credamus, nescio. Quodque me in opinione confirmat magis, eruditiss. Jureto idem videri in iis quæ Appendicis loco adjecta sunt. Nec ad cetera forte difficilis sit responsio: quæ hic excutere tamen non vacat. Ceterum non ideo & equuleum tamen confundi prorsus cum fidiculis, ut Magius vult, necesse est. Suetonii loca hercle non cogunt, potius contrariæ sententiæ favent. Eorum vero, ne morer, alter est in *Caligula* cap. 23. *Cum & subinde jactabat, exquisiturum se vel fidiculis de Cæsonia sua, cur eam tantopere diligeret*. Addam & illud Martialis ad Rufum *lib. v. epigram.* 52.


Exprimere, Rufe, fidiculæ licet cogant,
Ave Latinum, χαῖρε non potes Græcum.

2 *ff. . . & C. . . .*) Loci quos memoria Magio nostro in illa fortuna non suppeditavit, nec mihi in promtu, in Jurisconsultorum libris parum versato. Nec dubito tamen unum esse, quem & Gallonius laudat, in C. *de Quæst. lib. 9. tit.* 41. §. 16. *de Decurion.* ubi Impp. Valent. Valens, & Grat. ita ad Antonium Præf. Præt. Galbanorum*: „ Decuriones sive ob alienum, sive ob suum debi„ tum, exsortes omnino earum volumus esse pœnarum, „ quas fidiculæ & tormenta constituunt. Quod quidem ca„ pitale Iudici erit, si in contumeliam ordinis exitiumque „ tentetur. Majestatis tantummodo reos, & (quæ nefan„ da dicto sunt) conscios, aut molientes ex ordine mu„ nicipali, maneat tam cruenta conditio. Cui ex Codice & alterum addo *l. 4. nullus. T. ad L. Juliam majestatis*, ubi Impp. Valent. Valens, & Gratian. Olybrio P. V. „ Nullus omnino, cui inconsultis ac nescientibus nobis „ fidicularum tormenta inferuntur, militiæ vel generis aut „ dignitatis defensione uti prohibeatur, &c.

* Rep. *Gallorum*.

3 *Apud Hippocratem in lib. . . . . & apud*) Hic vero ad Medicos eundem. Et ostendit mihi vir clariss. & doctiss. H. Schilerus, illustr. Comitis Hanoviæ Medicus eximius, hujus scamni effigiem in Chirurgia Universali Jo. Andr. a Cruce Veneti, librumque perhumaniter concessit: ut inde sculpendam dare & mox ad calcem appendicis, si quis desiderabit, exhibere potuerimus.

SCAMNVM HIPPOCRATIS
EX
Officina Ioannis Andreæ á Cruce
Veneti
Vide Chirurgiam ipsius universalem



Nescio tamen an ad Magii nostri mentem: qui videtur alio modo, ni fallor, delineasse, vel delineaturus fuisse, si vixisset, & ultimam manum Libello suo imponere potuisset. Interim quod potuimus amici quidem viri beneficio, dedimus. Talium rerum periti cum Hippocratis verbis comparabunt, si ita videbitur. Adducit vero Hippocratis locos ille ab Italia Auctor Chirurgiæ ad oram sui libri, nempe libro 4. *de articulis*, & libro 2. *de fracturis*: quorum unum vel ambos & Magius hic forte indicare volebat, si memoria suggessisset. Sed quis ille alter, quem laudavit Magius, proque cujus nomine διὰ τῶ αὐτογράφου τὸ δυσανάγνωστον scilicet asteriscus notatus est? Et suspicer Oribasium fuisse, quem quoque ex Rufo de hac machina auctorem dant in lib. *de Machinamentis*. Ceterum *scamni* vocem, ut & supra ad caput I. attigi, si quis cum Magio ab Hippocrate esse putabit, valde sua opinione falletur, quid gravius dicam. Ξύλον apud Hippocratem de hac machina est sæppius. *Scamni* vero vox de eadem apud Latinum (ut ajunt) Hippocratem, Corn. Celsum, habetur *lib. 8. cap.* 20. cujus auctoritate credo se & recentiores Medici, qui non aliter appellarunt, facile tueri possunt. Sed age, loca ipsa Hippocratis inquiramus. Περὶ ἀγμῶν itaque ille omnis medicinæ parens, ut a Celso vocatur, ubi de ossibus tibiæ agit, si exciderint, quo modo ἐκ κατατάσιος fiat ἐμβολὴ describit. Locus est prolixior, nec vacat omnia adscribere: indicasse sufficiet. Adhibet ibi & ὀνίσκους, ἐφ' ὧν κατάτασιν quoque fieri posse docet. Sic & περὶ ἄρθρων, ubi περὶ ῥάχιδος differit ejusque luxatione, & quo pacto reponi debeat: χρὴ δὲ τὴν, ait, κατασκευὴν τῶ διηναγκασμοῦ τοιήνδε κατασκευάσαι· ἔξεστι μὲν ξύλον ἰσχυρὸν & πλατὺ, ἐντομὴν παραμήκεα ἔχον, κατορύξαι

lib. . . . . . . & apud . . . * . . . quatuor enim habet pedes, & tympana continet, quibus humani corporis membra trahi & tendi possint, si quando fuerint locis suis dimota . . . * . . . que.

Equulei autem [1] pœnam servilem appellat Prudentius, eo quod nobiliores & ingenui non poterant ea torqueri, ut patet [2] apud Justinian. C. . . . & in ff. ubi de Decurionibus, & in tit. *de pœnis*.

Qui autem in equuleo torquebantur, non solum distendebantur, sed etiam alios cruciatus patiebantur, nam flagris cædebantur. Unde Quintil. ait loco prædicto, [3] *per flagella, per verbera*, loquens de equulei tormento.

Item laminis ignitis torquebantur. Quamobrem Valerius Maximus ait, [4] *Exstinxit laminas, laxavit equuleos*. Quintilianus quoque ait, [5] *Accendis laminas*, &c.

Adde quod & ungulis ferreis eorum cutis solebat laniari, qui in equuleo torquebantur. [6] Unde Justinian. de Mathem. C. ubi ait, *sit equuleo deditus & ungulis latera sulcantibus scelere dignas perferat pœnas*.

Sed jam equuleum pictura exprimamus.

** Pictura in manuscripto non exstabat.*

In Martyrum vitis, [7] *suspensi in equuleo*. Cic. *Virtus in equuleum non conjicitur*.

* Quod non ingratum Lectori fore credidimus aliquid etiam de Auctoris infortunio nosse, visum est & hanc epistolam cum ceteris repertam addere. Usi autem in omnibus ea fide, qua alios in nostris uti vellemus.

Al R^mo. D. Commissario in S. Jac^o.

R^me. Domine & Pater in Christo.

NEminem adhuc allocutum esse Dominum meum, miror vehementer: quamobrem suspicari cœpi nuntium non satis diligentiæ in perquirendo adhibuisse. Dixi alias, Domini mei domum esse non longe sitam ab Ecclesia Turcia, sub qua fons est aquæ salientis, non puteus. Ecclesiam esse parvam, parvamque habere turriculam. Domum habere in strata scalam ligneam graduum quatuor. Nunc illud addo, domum non esse in planicie, sed in latere montis, vulgo nella Costa, *& Dominum meum esse Comitem Mahonæ, qui omnibus in vicinia notus sit, est enim proceræ staturæ. Singulis diebus ante Solis ortum proficiscitur in navale, eo quod præfectus sit conficiendæ Mahonæ vel resarciendæ. Redit domum duntaxat Sole occidente, aut paulo citius interdum: si nuntius domum inveniat, alloquetur ejus uxorem, ut vir illius scilicet Dominus meus vel hora statuenda eum*

&c. Unde doctiss. Commentator Foesius διαναγκασμὸν ad eum locum observat vocare Hippocratem organon illud quo vi adhibita restitutio cogatur: mihi tamen, si non valde fallor, de ipso modo illius violentæ restitutionis, & quæ per vim fit repositionis, potius illud vocabulum accipiendum videtur. Sed ego forte ultra crepidam audacem sutorem imitor. Ait idem Foesius ibidem βάθρον ἢ ξύλον a Paulo Ægineta vocari illud instrumentum: ejusque etiam meminisse Oribasium lib. *de Machinamentis* cap. 35. Idem Hippocrates eodem περὶ ἄρθρων libro, ubi de femore prolapso restituendo agit, quem locum inserere placet, & post eum Celsi verba, ut tandem finis sit: Εἴρηται δὲ καὶ πρόσθεν (in iis περὶ ἀγμῶν) ὅτι ἐπάξιον ὅτῳ ἐν πόλει πολυανθρώπῳ ἰητρεύει, ξύλον κεκτῆσθαι τετράγωνον ὡς ἑξάπηχυ, ἢ ὀλίγῳ μεῖζον, εὖρος δὲ, ὡς δίπηχυ, πάχος δὲ ἀρκέει σπιθαμιαῖον· ἔπειτα κατὰ μῆκος μὲν ἔνθεν καὶ ἔνθεν τομὴν ἔχειν χρὴ, ὡς μὴ ὑψηλοτέρη τοῦ καιροῦ ἡ μηχάνησις εἴη· ἔπειτα φλιὰς βραχείας, ἰσχυρὰς, ἐνηρμοσμένας, ὀνίσκον ἔχειν ἑκατέρωθεν, ἔπειτα ἀρκέει μὲν ἐν τῷ ἡμίσει τοῦ ξύλου, οὐδὲν δὲ κωλύει καὶ διὰ παντὸς ἐντετμῆσθαι ὡς κάπετους μικρὰς πέντε ἢ ἕξ, διαλειπούσας ἀπ' ἀλλήλων τέσσαρας δακτύλους· αὐτὰς δὲ ἀρκέει εὖρος τριδακτύλους εἶναι, καὶ βάθος οὕτως· ἔχειν δὲ κατὰ μέσον τὸ ξύλον καὶ καταγλυφὴν χρὴ βαθυτέρην ἐπὶ τετράγωνον ὡς τριῶν δακτύλων· καὶ ἐς μὲν τὴν καταγλυφὴν ταύτην, ὅταν δοκέῃ προσδεῖν ξύλον ἐμπηγνύναι ἐναρμόζον τῇ καταγλυφῇ· τὸ δὲ ἄνω στρογγύλον ἐμπηγνύναι δὲ ἐπὴν ποτὲ δοκέῃ ξυμφέρειν, μεσηγὺ τοῦ περινέου καὶ τῆς κεφαλῆς τοῦ μηροῦ· τοῦτο τὸ ξύλον ἑστεὸς κωλύει τὴν ἐπίδοσιν ἐπιδιδόναι τὸ σῶμα, τοῖσι πρὸς ποδῶν ἕλκουσιν· ἐνίοτε γὰρ ἀρκέει αὐτὸ τὸ ξύλον τοῦτο, ἀντὶ τῆς ἄνωθεν ἀντικατατάσιος· ἐνίοτε δὲ κατατεινομένου τοῦ σκέλεος ἔνθεν καὶ ἔνθεν, αὐτὸ τὸ ξύλον τοῦτο χαλαρὸν ἐγκείμενον ἢ τῇ, ἢ τῇ, ἐκμοχλεύειν ἐπιτήδειον ἂν εἴη τὴν κεφαλὴν τοῦ μηροῦ ἐς τὸ ἔξω μέρος, διὰ τοῦτο γὰρ καὶ αἱ κάπετοι ἐντετμέαται, ὡς καθ' ὁκοίην ἂν αὐτέων ἁρμόσῃ ἐμβαλλόμενος ξύλινος μοχλὸς μοχλεύοι, ἢ παρὰ τὰς κεφαλὰς τῶν ἄρθρων, ἢ κατὰ τὰς κεφαλὰς τελέως ἐρειδόμενος ἅμα τῇ κατατάσει ἤν τε ἐς τὸ ἔξω μέρος συμφέρῃ, ἐκμοχλεύεσθαι, ἤν τε εἰς τὸ εἴσω· καὶ ἤν τε στρογγύλον τὸν μοχλὸν ξυμφέρει εἶναι, ἤν τε πλάτος ἔχοντα. ἄλλος γὰρ ἄλλῳ τῶν ἄρθρων ἁρμόζει, &c. Foesii in *Comm.* inter alia hæc habentur. *Hoc organum, quod Hippocrates ξύλον vocat, describitur optime Rufo apud Oribasium libro de Machinamentis, cap.* 29. *Scamnum vocat Celsus, ut & recentiores* βάθρον. *Paulus* μέγα ξύλον, *ut & hic Hippocrates*, qui mox ait: εἰ γὰρ τὸ ξύλον τοῦτο τὸ μέγα, &c. ἢ βάθρον, *& Galenus in Comment. Hujus quoque meminit in Mochlico Hipocrates*. Celsi verba, in quibus *scamnum* vocatur, itaque forte cupies: ea sunt *lib.* 8. *cap.* 20. „ Etiamnum valentius intenditur membrum „ super scamnum, cui ab utraque parte axes sunt, ad „ quos habenæ illæ deligantur, qui ut in torcularibus „ conversi, rumpere quoque, si quis perseveraverit, non „ solum extendere nervos & musculos possunt. Collocandus autem homo super id scamnum est, aut pronus, „ aut supinus, aut in latus: sic ut semper ea pars superior sit, in quam os prolapsum est; ea etiam inferior, „ a qua recessit, &c. Agit autem eo capite de femore „ luxato, & Hippocratis meminit. Sed lubet ocius hinc ex alieno choro pedem tandem.

1 *Pœnam servilem appellat Prudentius*) Locum Prudentii videtur respexisse illum in *Hymno Romani*. Jusserat Asclepiades Judex ille impius Romani,

Eviscerandum corpus equuleo eminus
Pendere, & uncis ungulisque crescere.
Apparitores sed furenti suggerunt,
Illum vetusta nobilem prosapia,
Meritisque multis esse primum civium.
Jubet amoveri noxialem stipitem,
Plebeja clarum pœna ne damnet virum.
Tundatur, inquit, pectus crebris ictibus,
Plumboque cervix verberata extuberet,
Persona quæque competenter plectitur,
Magnique refert vilis, an sit nobilis,
Gradu reorum forma tormentis datur.

2 *Apud Justinian. C. . . .*) Ut *lib.* 9. *C. tit.* 41. *de Quæstionibus* §. 11. ubi Impp. Diocletianus & Maximus Boetho ita rescribunt: „ Divo Marco placuit, eminentissimorum nec non etiam perfectissimorum virorum usque ad „ pronepotes liberos, plebejorum pœnis vel quæstionibus „ non subjici, &c. In Digestis vero ut *l. ult. de Decurione, T. de Decurionibus*, ubi Paulus libro 1. *Quæstionum*: De Decurione damnato non debere quæstionem „ haberi, Divus Pius rescripsit. Unde etiam si desierit „ Decurio esse, deinde damnetur, non esse torquendum, „ in memoriam prioris dignitatis placet.

3 *Per flagella, per verbera*) *Filium consumsisti per flagella, per laminas*, est in penult. *Declam.* quæ Quintiliano attribuitur vulgo, ut supra excerpsi.

4 *Exstinxit laminas, laxavit equuleos.*) Et hoc jam indicavi, apud Valerium esse, *fidiculas laxavit, solvit equuleum, laminas exstinxit*.

5 *Accendis laminas*, &c.) Ex eadem penult. *Declam.* illius Pseudo-Quintiliani supra jam attuli, *Laminas accendis, equuleos moves*.

6 *Unde Justinian.*) Vide supra ad caput 6.

7 *Suspensi in equuleo*) Adi Gellonium in appendice: ad quam te libens tandem remitto, mi Lector. Habes ibi, quæ Magius noster hoc ultimo capite mutilo strictim attingit, latius exposita & disputata prolixius. Unde non opus fuit, ut ego, si vel ingenium tempusque adfuissent, actum agerem: qui loca tantum quædam in isto Libello posthumo adnotare volui, nec ex professo interpretandum suscepi. Tu symbolam, quam contuli properans, hoc quidem tempore & statu meo non bono in bonam partem bonus accipies, & erratis meis benignus ignosces, quod te rogo, precorque ut valeas. Dixi.

exspectet, vel nuntium conveniat, nam libenter ille Galatam *solet proficisci, quod ibi sororem habet. Si more nationis magnam petat pecuniam, quid sit respondendum nosti. Ad hæc scias me illi jam in Mabona dedisse ducatos* 60. *Venetos argenteos, ut si inter constituendum pretium illum alloquaris, nuntio minime intelligente, possis ei dicere; & illud addere, me non esse pugnando ab eo captum, ideo non debere ad vivum secare, cum sim pauper, omniaque* Cypri *amiserim. Si dicat se intellexisse a quodam * sclavo, cujus patria meæ patriæ vicina sit, & qui apud me Cypri manserit, intellexisse, inquam, me habere iperzoglia & domos; dicas hoc esse falsum. Siquidem qui hæc habent, non eunt parvi lucri caussa in longinquas partes, eum qui dixit talia mihi esse hostem, quia nolui illi donare ducatum, quem petiit in Mabona. Demum, si aliquid addendum sit, adde, nam mutuum, non donum, quamquam hoc mutuum mihi est tanquam donum & tanquam eleemosyna. Principium hoc operis ostende Oratori &* Eripe me his invicte malis, *ut sic cum Palinuro Virg. canam.*

THOMAS SEGHETUS

LECTORI.

DE equuleo quid ipse didicerim, paucis addam; ante aliquot annos iter susceperunt visendæ Galliæ Cisalpinæ amplissimi & de me optime meriti viri ANDREAS MAUROCENUS Senator & Historiographus Reipublicæ Venetæ & μακαρίτης BENEDICTUS GEORGIUS ALOYSII Procuratoris F. Bibliothecarius, summa uterque doctrina, humanitate, prudentia: aderam itineris comes & ego. Mirandulæ cum in arcem deducti fuissemus, spectavimus tormenti genus ex asseribus compacti in morem adamantis acuminati effigiatum. Huc tamquam in equum conjiciebantur rei nudi, ita ut acumen premeret partem illam, quæ honeste nominari nequit, distentis per pondera manibus pedibusque, quo graviores insiderent. Præclari illi viri *Equuleum* vocavere, & *Cavalletum* (quod idem est) Italis dici affirmarunt. Eorum ego sententiæ accedo. Alii æstiment an jure. Forma talis est.

* *Servo.*

Adamantinum Segheti Equuleum Mirandulanum *hic habes Figura* A *expressum, quæ in prima editione satis obscure apparebat, adeo ut fuerint non vulgaris doctrinæ Viri qui expingendum putabant, eo, quo in figura* B *expressimus, modo; nobis prior placet, tu Lector elige.*





F. ANGELI ROCCHÆ,

EPISCOPI TAGASTENSIS, ET APOSTOLICI SACRARII PRÆFECTI,

DE

CAMPANIS

COMMENTARIUS.

Imprimatur, ſi videbitur Reverendiſſimo P. Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Imprimatur. Fr. Thomas Pallavicinus Magiſter, & Reverendiſſimi P. F. Ludovici Yſtella Sacri Palatii Apoſt. Magiſtri Socius, Ordinis Prædicatorum.

P. D. PURPURINUS A FAVENTIA

AD

SANCTAM ECCLESIAM CATHOLICAM

AUCTOR COMMENTARII.



OCcasione sese mihi olim oblata ex casu quodam in Sacra Congregatione Rituum examinando, hunc de Campanis Commentarium animi causa elucubrandum suscepi; nunc autem Ecclesiasticorum Virorum & omnium Christi Fidelium commoditati & utilitati in lucem edendum curavi. Quamvis enim nomen Campanæ omnibus cujuscumque Nationis ac Linguæ vulgariter notum, parum nobis polliceri videatur; ipsa tamen Campana plus (ut ajunt) in recessu, quam in fronte promittit, ac denique præstat, quippe quæ multa non minus admiratione ac scitu digna, quam lectu jucunda, in se comprehendit, non quidem vulgariter cognita, sed paucioribus ac studiosis tantum nota, sicut Commentarium hunc legenti planum profecto fiet. Qui ergo hæc scire cupit, legere ne gravetur: eum namque legisse fortasse non pœnitebit, si patienter leget, materia ipsa, de qua loquimur, patientiam postulante, necnon solatium, præter vulgi & aliorum hominum non paucorum exspectationem, tandem aliquando capiendum pollicente.

INDEX CAPITUM.

F. ANGELI ROCCHÆ,

EPISCOPI TAGASTENSIS, ET APOSTOLICI SACRARII PRÆFECTI,

DE

CAMPANIS

COMMENTARIUS.

CAP. I.

De Campanarum inventione aut antiquitate.



DE Campanis nos verba facturi, occasione sese jam nobis oblata in sacra Rituum Congregatione, ordine Naturæ servato, de Campanarum inventione sermonem primo loco habebimus.

Campanæ in toto Orbe Christiano adhibentur, præsertim vero in Ecclesiis & Monasteriis quibuscumque, necnon aliis in locis, in quibus hominum cœtus aut conventus ad aliquam rem præstandam a Christi Fidelibus celebrari solet. Nam Infideles, veluti Turcæ præsertim sunt, Campanis non utuntur, sicut etiam Hieronymus Magius, *Epistola Dedicat.* & pag. 43. qui captivus mansit apud Turcas, testatum reliquit in suo *de Tintinnabulis* Libello, quem, ut ipse ait, in Turcico ergastulo conscripsit. Immo, ut in Chronicis & Historiis Turcarum legitur, Constantinopoli, tam potentiæ quam divitiarum splendore clarissima, & antiqua Christianorum Imperatorum sede, capta, Campanæ omnes bombardarum usui (teste Magio) fuerunt destinatæ, etiamsi Campanarum usus ad homines procul per urbem dissitos in unum statim congregandos, necnon ad singulas diei noctisque horas indicandas utilissimus exsistat. Quamvis enim in Turcarum Templis, quæ Meschitæ dicuntur, altissimæ Turres constructæ reperiantur, quæ Turres Campanariæ Christianorum esse videntur, in ipsis tamen Turribus Campanæ non sunt, sed ex earumdem Turrium fastigiis vel summitatibus quidam mercede conducti, statis diei ac noctis horis, magna & sonora quidem voce inclamantes ad Templa, sive Meschitas, homines convocare solent. Græci etiam apud Turcas degentes, quippe qui Turcico Imperio subjecti sunt, Campanis carere jubentur, Campanarumque loco, Tabula quadam lignea, malleis duobus ligneis prænotata, quam Symandrum, vel Synandrum, ab hominum cœtu convocando dictum, appellant; & ferrea item lamina cum ferreo malleolo concinnata, quam Αγιοσίδηρον, Hagiosiderum, hoc est, sanctum ferrum, vocant, utuntur, dum nonnulli tamquam Campanarii ante fores Templi in edito loco Populum ad Templum convocant, ut Hieronymus Magius in Libello *de Tintinnabulis* cap. 15. scriptum reliquit. Campanarum autem usum a Turcis vetitum esse Græcis, constat eo, quod

A Campanarum sonus nimiam securitatem & auctoritatem præ se ferat, & valde ad conjuratorum aut seditiosorum animos, quamvis longe lateque dispersos, contra Turcam de improviso congregandos exsistat idoneus. Turcæ vero, ceterique Infideles Campanis non utuntur, vel dictam ob causam, vel ob hanc fortasse, ne scilicet Christianis extra eorumdem Imperium degentibus adsimiles in hoc saltem ritu esse videantur, etsi, ut infra diffuse dicemus, Campanæ apud Ethnicos erant olim in usu frequenti. Hinc Saladinus Ægyptius, vel Sultanus, id est, Ægypti Rex, vel Princeps, capta Hierosolyma, civitatem hanc ingressus,
B Campanas e Turribus dejecit, mox Basilicas omnes, præter Salomonis Templum, profanavit: ipsumque, priusquam ingrederetur, aqua rosacea lavisse fertur. Hæc ex Platina in Urbano III. & Simonetta lib. 5. post Epistolam 81. in Persecutione Urbani III. cap. 82. & Genebrardo in *Chronicis* lib. 4. circa An. Domini M. C. LXXXVII. Turcarum exemplum imitantur Hæretici, ut etiam hac in re Stephanus Durantus in primo *de Ritibus Ecclesiæ Catholicæ* cap. 22. ait hisce verbis: *Sane Huguenoti (vel Hugonistæ) & ceteri hujus sæculi Hæretici, Campanis bellum indixerunt: eas enim frangunt &*
C *comminuunt, Saracenos imitantes, qui, ut Platina in Urbano III. scripsit, capta Hierosolyma, Campanas inprimis e sacris Turribus dejecerunt.* Hæc Durantus. Cornelius Schultingius *lib. 9. num. 47.* & *lib. 12. num. 47.* in Hierarchica Anacrisi contra Calvinistarum Ecclesiasticam Politiam pro Eupolitia Apostolica & Canonica, in Synodis Calvinistarum, compulsationes Campanarum tempore sepulturæ Defunctorum prohibitas omnino fuisse scribit. Turcæ quoque, auctore Cuspiniano *de Religione Turcarum*, usum Campanarum nequaquam admittunt, illisque etiam ipsis Christianis, qui sub ditione eorum vivunt, prohibent. Hæc
D item Durantus *cap. 21.* Quæ profecto, cum ita sint, Hæretici ac Turcæ magnam similitudinem & convenientiam habent cum Dæmonibus, qui sonitum Campanarum tantopere abhorrent, ut infra item dicetur. In solo igitur Orbe Christiano Campanæ adhibentur; quisnam vero in Ecclesia Dei Campanæ fuerit inventor, non satis constat, cum hac in re diversi diversa sentiant. Polydorus Vergilius in lib. 6. c. 21. *de Inventoribus rerum*, hujus generis inventum Sabiniano adscribit ita dicens: *Quod tintinnabulorum (hoc est, Campanarum) sono Populus invitatur, vocaturque ad sacra audienda statis diei horis, Sabiniani, qui Gregorio successit,*
E *hoc decretum est.* Hucusque Polydorus. Hoc item alii de Sabiniano affirmarunt, quorum e numero fuerunt Franciscus Petrarcha, & alii. Novissime autem Onuphrius Panvinius in *Epitome Summorum*

A *Pontificum* ita inquit de Sabiniano: *Hic Papa Campanarum usum invenit, jussitque ut ad horas Canonicas & Missarum sacrificia pulsarentur in Ecclesia*. Hæc Panvinius. Quamvis vero hujus generis inventum Sabiniano [1] tribuatur ab iis, quos modo recensuimus; huic tamen sententiæ aut opinioni adversantur verba sancti Hieronymi, quem ante Sabinianum ducentos circiter annos floruisse [2] constat. Is enim in Regula Monacharum *cap.* 33. dum loquitur de Matutino, & de modo recitandi officium divinum, facit mentionem de sonitu Campanæ in nocte hisce verbis *Tom.* 9. *pag.* 628. *Ad matutinas excubias media nox vos præparet. Nullam ex vobis dormientem reperiat Campanilis sonitus.* B Hæc S. Hieronymus, qui in capite trigesimo nono ejusdem Regulæ [3], postquam verba fecit de Horis Vespertinis, de sonitu Campanulæ, Sorores ad Ecclesiam post cœnam vocantis, loquitur hunc in modum *cap. cit. pag.* 632. *Post peractam cœnam, vel si omittitur, post aliquam horulam juxta exigentiam temporis ad Ecclesiam Sorores Campanula vocet; ubi vel de Sanctorum gestis, vel de aliis mirabilibus Dei lectio devota dicatur*. Ex his profecto locis usum Campanæ pro Sanctimonialibus in unum ad Ecclesiam convocandis tempore S. Hieronymi ante Sabiniani tempora fuisse aperte constat. Propterea C censendum videtur, sententiam probabiliorem esse illorum, qui Campanæ inventum (quantum ad Ecclesiasticum usum) Paulino Sancto & Episcopo Nolano adscribunt. Paulinus enim Sanctorum Augustini & Hieronymi coætaneus fuit, sicut Epistolæ invicem scriptæ id ita esse testantur: immo, ut ait Trithemius, S. Augustini Discipulus fuit. Adde etiam, quod Campanæ a Nola, ex præcipuis Campaniæ urbibus una, cujus Episcopus fuit Sanctus Paulinus, Nolæ jam dictæ sunt; & a Campania ipsa, Italiæ Provincia, Campanæ item ab omnibus præsens in tempus vocitantur. Nam Sanctus Paulinus, Episcopus Nolanus, Campanæ D usum primus in suam Ecclesiam invexisse creditur, atque id ita esse vulgaris aut communior docet opinio, quasi priori sæculo dictus Campanæ usus fuerit ignotus, vel potius in Ecclesiis ad ea usque tempora non receptus. Priscis namque seculis etiam apud Ethnicos Campanæ in varios usus adhibitæ inveniebantur, sed sub aliis nuncupatæ nominibus, quæ infra suo loco explicabuntur. Vide *cap.* 2. 3. & 11. Paulino igitur nonnisi quantum ad usum Ecclesiasticum Campanæ inventum adscribendum censetur. Sed quamvis Campanæ usus a Sancto Paulino Episcopo Nolano in Ecclesiam fuerit introductus, E sacra tamen Ligna, pro Campanis adhibita, post quadringentos circiter annos pulsari quoque solebant, ut videre est in secundo Concilio Nicæno [4], actione 4. in qua ex Libello illi oblato de miraculis Sancti Anastasii Martyris, hæc de pulsatione Lignorum leguntur [5]: *Cum sanctæ Civitati Reliquiæ sacræ appropinquassent, omnibus ea res fuit declarata, & significata. Itaque lætitia magna perfusi omnes, surgentes subito, Lignaque sacra pulsantes invicem obviam facti sunt in veneranda Virginis Deiparæ Æde, quæ appellatur Nova. Illinc cum Cruce & supplicatione egressi,* F *læti & gaudentes cum gratiarum actione sacris Reliquiis occurrerunt*. Hæc dicto in Concilio. Theodoretus item Episcopus Cyrensis, qui floruit circa Annum Dom. CD L. mentionem facit de Tintinnabulis in libro 4. *Hæret. Fabularum* in capite de Meletianis in Ægypto hæreticis, in hæc verba: *Ea ratione, tamquam liberi & sui juris Meletiani, illa quoque ridicula excogitaverunt, interdiu quidem corpus aqua mundare, cum plausu autem manuum & quadam saltatione hymnos concinere, & multa tintinnabula funi appensa movere, & alia his similia. Qua de causa magnus ille Athanasius perpetuo cum eis bellum gessit*. Hæc Theodoretus de Tintinnabulis vel Campanis Meletianorum, contra quos pugnavit Sanctus Athanasius, qui floruit circa Annum Domini CCCLX. Adde interea, quod etiam Sancti Hieronymi temporibus alio item signo Christiani ad Ecclesiam convocabantur, hoc est, ad Synaxim vel ad Collectam invitabantur, quæ sane Collecta Collectionem plerumque, aut Conventum, seu Aggregationem hominum significat in Veteri ac Novo Testamento*, ut etiam Patres interpretantur. A Populi enim collectione, necnon a collectore Sacerdote, qui tamquam ad Dominum pro Populo fungens Legatione, omnium petitiones compendiosa brevitate colligit, atque concludit. Oratio jam dici consuevit Collecta; quæ etiam Eleemosynam, in Conventu aut Aggregatione Christianorum pro pauperum alimentis collectam, significabat. De Collecta igitur pro Conventu aut Aggregatione Sororum Monialium in unum ad orandum sumta, ceteris Collectæ significationibus prætermissis, loquitur Sanctus Hieronymus in Epistola ad Eustochium Virginem, *epist.* 27. *tom.* 1. sive in Epitaphio Paulæ matris ejus, hunc in modum: *Post* ALLELUJA *cantatum*, (*quo signo vocabantur ad Collectam*) *nulli residere licitum erat: sed prima, seu inter primas veniens, ceterarum opperiebatur* (hoc est, exspectabat) *adventum, pudore & exemplo ad laborem eas provocans, non terrore*.

Quod autem ante Christi Domini, Salvatoris nostri, adventum in carne, usus Campanarum fuerit, Scriptores diversi planum profecto faciunt, quorum e numero est Lucianus Samosatenus, qui vixit circa Annum Domini centesimus. Is enim dum Hippiæ Balneum describit, & miris laudibus commendat, de duobus Horologiis dictum Balneum exornantibus, uno per Solem, altero per aquam & sonitum, mentionem facit in hanc verborum formam: *Quin etiam horarum geminis indiciis idem Balneum exornavit; uno per aquam & sonitum, altero per Solem*. Hujus generis Horologium per aquam & sonitum vidi ego Romæ ab Attilio Parisio utriusque Juris consulto excogitatum & fabricatum, Clementique VIII. Pontifici Maximo dono datum, (quod Hydrologium dicitur) unica tantum rota, & uno tantum pondere sese devolvens, horarumque numerum demonstrat Campanæ sonitu: illi autem Balneo Hippiæ (qui floruit circa tempora Luciani, ut infra videre licet) non absimile in libello *de Tintinnabulis* Hieronymi Magii graphice delineatum repræsentatur.

De Tintinnabulis, vel Campanis, quæ item Æra, Pelves, & Lebetes vocitabantur, ut infra suo loco fusius videre est, mentionem fecerunt, Tibullus, & Ovidius, qui circiter Annos 14. ante Christum natum; Quintilianus, Juvenalis, & Martialis circa Annos centum post Christum natum vixerunt. Tintinnabula tempore Augusti Imperatoris in usu fuisse ostendit Suetonius in *ejusdem Imperatoris Vita* hisce verbis: *Cum dedicatam* (inquit) *in Capitolio Ædem Tonanti Jovi assidue frequentaret, Augustus somniavit queri Capitolinum Jovem cultores sibi abduci, seque respondisse, Tonantem pro Janitore ei appositum. Ideoque mox, tintinnabulis fastigium Ædis redimivit, quod ea fere januis dependebant*. Dio quoque rem eamdem ita refert *lib.* 54. *Augustus, orto die, tin-*

1 Anno Domini 606. 2 Anno Domini 422. 3 Anno Domini 400. 4 Anno Dom. 787. Tom. 3. *Conciliorum*. 5 Baron. Tom. I. A. Dom. 58.

* Levit. 23. Num. 16. Deut. 17. 2. Paralip. 7. Hebr. 10.

tinnabulum Jovi Tonanti appendit: his enim tintinnabulis Bannitores nocturni utuntur; ut si quid usus sit significare possint. Hæc Dio; & Suetonius de Augusto, qui quinquaginta & sex annos vixit in Imperio, & in ejusdem Imperii anno quadragesimo secundo ineunte natus est Rex Regum, & Dominus dominantium; Salvator noster Christus Jesus. Strabo Geographus & Historicus de tintinnabulis majoribus in varios rerum usus adhibitis loquens, rem quamquam satis festivam & auditu dignam in Jasso, Cariæ Insula, factam refert de quodam Citharœdo & Surdastro; dum tintinnabulum homines ad mercatum invitaret. Strabo igitur in quartodecimo *Geographiæ* libro ita inquit: „Cum Citharœdus quidam artem ostentaret, au„direntque eum Jassii omnes; quam primum tin„tinnabulum increpuit vendendorum piscium si„gnum; illi omnes, relicto Citharœdo, ad pi„sces dilapsi sunt; præter unum Surdastrum. Ci„tharœdus itaque propius ad illum accedens, O „homo (inquit) gratias tibi ingentes habeo, cum „propter Musicæ studium, tum propter honorem „erga me: Nam ceteri, quam primum tintinna„bulum increpuit, omnes abierunt. Ille, quid „ais, inquit; num jam tintinnabulum sonuit? „Qui cum affirmaret; At tibi bene sit, inquit; & „surgens ipse etiam digressus est. Hæc Strabo; qui floruit circa quartumdecimum annum ante Christum natum. De tintinnabulo majori mentionem item facit Polybius Historicus Græcus, qui vixit ante Christum ducentos & amplius annos. Quamvis autem Ecclesiasticus, vel sacer Campanæ majoris usus (non ejus inventum) Sancto Paulino, Episcopo Nolano, adscribatur; profanus tamen usus ante Christum natum multis annorum centuriis cœpisse censetur: talis enim Campanæ usus non solum ad homines in mercatum convocandos, ut ex Strabone de piscium venditione cognovimus; verum etiam in Thermis, & in aliis urbium locis ad varia olim munia apud Ethnicos vel Gentiles fuit receptus, ut infra suo loco *Cap.* 3. & 11. explicabimus, dum de multiplici Campanæ usu sermonem habebimus. Quisnam vero inter eos fuerit Campanæ inventor, omnino ignoratur, ut ait Polydorus Vergilius, qui in tertio *de Inventoribus rerum* libro cap. 8. multa cum vetera, tum nova recenset inventa, quorum Inventores ignorari affirmat, & inter illa multa mentionem facit de Tormento illo æneo, quod Bombardam vocant; de Organo, de Horologio, & de Campana, cujus tamen Campanæ inventum antiquissimum esse constat; nam Moysis temporibus aliquem illius usum fuisse ostendit Josephus in tertio *Antiquitatum Judaicarum* libro, in cujus capite octavo sermonem habet de Tintinnabulis; & in capite undecimo de Tuba, & de Campanula; necnon de Buccina cornu scilicet recurvo; tubæ instar inflari solito, & in sacrificiis adhiberi consueto, *cujus os tantum* (inquit Josephus lib. 3. *Antiquit.* c. 8. & c. 11. *patebat quantum ad inflandum sufficeret, desinebatque in extremitatem Campanulæ similem, quemadmodum Tuba:* Hæc Josephus, qui dum loquitur de Buccinis, quibus apud Hebræos Plebs ad concionem vocabatur; Principes ad consultandum de Republica exciebantur, universus Populus convocabatur, & castra movebantur, mentionem facit de Campanula, quæ Græce dicitur κώδων: Josephus enim etsi Hebræus, Græca tamen Lingua Judaicas antiquitates conscripsit, ut aliis Nationibus res Hebraicas promulgaret. Hæc de Campanæ Inventore atque antiquitate. Si autem Campanæ Inventorem minus attigimus, id profecto in causa fuit, ut etiam de se Polydorus affirmat, quod maluerimus paucis verbis certa tradere, quam incerta persequi multis. Nunc reliquum est, ut rem secundo loco positam, hoc est, Campanarum nomenclaturam, aggrediamur.

CAP. II.

De Campanarum Nominibus.

CAMPANARUM diversa sunt nomina ob diversas quidem causas, quas in iisdem nominibus recensendis diligenter, quoad fieri a nobis poterit, explicare conabimur. Nomina vero, ut in Hieronymi Magii Libello cap. 1. *de Tintinnab.* videre licet, sunt hæc:

Tintinnabulum	*Æramentum*
Petasus	*Squilla*
Codon	*Crotalum*
Nola	*Signum*
Lebes	*Cloca*
Æs	*Campana.*

Inter tot diversa Campanarum nomina Tintinnabulum primo loco sese nobis offert explicandum, tamquam hujus generis nomen magis antiquum; ut vidimus; & Campanæ sonitum, quem tinnitum vocant, perbelle repræsentans, ac proprissime quidem. Tinnitus enim est proprius metalli sonitus. Hinc Plinius in undecimo *naturalis Historiæ* libro cap. 20. (Vide & Virgil. lib. 4. *Georgic.* & Varro *lib.* 3.) de tintinnabuli proprietate & metalli sonitu ita inquit: *Apes gaudent plausu atque tinnitu æris, eoque convocantur.* Tintinnabulum igitur est æneum instrumentum, quo ad Thermas, vel Balnea, loca aquas habentia, aut sponte Naturæ calentes, aut fornace calefactas, sudandi, lavandive usibus deputata, Populus hora lavandi antiquitus convocari solebat: turri enim vel alicui loco edito imponebatur, ut ejus tinnitus procul audiretur, ac perciperetur, juxta illud Plinii in trigesimo sexto ejusdem *Historiæ* libro cap. 13. dicentis: *Pyramides ita fastigiatæ, ut in summo orbis æneus, & petasus unus omnibus sit impositus, ex quo pendeant excepta catenis tintinnabula; quæ vento agitata longe sonitus referrent, ut Dodonæ olim factum.* Hæc Plinius. Est autem tintinnabulum nomen factitium, a sonitu, vel tinnitu, quem edit dum pulsatur, ita vocitatum. Illud vero, *bulum*, in voce, *tintinnabulum*, nihil omnino significat, sed est quædam vocabuli productio, ut ait Hieronymus Magius, vel desinentia, ut videre est in dictione, *Prostibulo*, *Incitabulo*, *Mendicabulo*, *Vocabulo*, *Mandibula*, & in ceteris hujus generis vocum desinentiis, quas in ipsis vocibus nihil significare constat. Nam sicut a voce Bovis *Boatus*, & a voce Ovis *Belatus*, vel *Balatus*, dicuntur, aut formantur, ita a sonitu Campanæ illo, *Tin*, *Tin*, dum pulsata tintinnire sive tintinnare auditur, tintinnabuli nomen Campana sibi sortita olim fuit: tinnitus enim proprie de metallis dicitur: tinnit namque aurum, argentum, æs, ferrum, stannum, orichalcum, & cetera hujusmodi. Hinc locus ille, quem in Aulis Principum vulgo *Tinnellum*, prandio scilicet ac cœnæ Aulicorum destinatum, vocant, a tintinnabuli forsan tinnitu nomen sibi sortitus est, quasi *Tintinnellum*, media syllaba per syncopem detracta, dicatur, ut Aldo Juniori, viro sane politioribus litteris & ingenii perspicacitate ornato, placet. Hujus vero generis tinnitum, pho-

ribus rebus aut usibus deservientem, in utriusque sexus Monasteriis observatum esse constat.

Petasus.

PETASUS item ab Antiquis pro Campana sive pro majori tintinnabulo sumi consuevit, & a galeri vel pilei latioris forma & similitudine ita nuncupatus fuit. De hoc ipso Campanæ nomine mentionem facit Plinius in loco nuper laudato, aut citato.

Codon.

CODON κώδων vox Græca est, & a Græcis pro tintinnabulo usurpata, & ab hac voce tractum est verbum codonizo, κωδωνίζω, quod est tinnire, aut crepitaculum sonare. Propterea Hieronymus Magius cap. 1. *de Tint.* ait: *Codones dicuntur eo; quod, dum moventur, sonum & quasi cantum edere solent: Græca,* (inquit) *ut par est, etymologia, testantur Joannes Grammaticus in libros Aristotelis de Anima; & Suidas in Lexico suo, sive Collectaneis; vel potius a forma & similitudine capitum plantæ papaveris, quæ codonum voce a Græcis significantur, codones dici tintinnabula, aliquis non sine ratione fortasse contendet.* Hæc Magius.

Nola.

NOLÆ quoque nomine, Campana olim vocitabatur; sed cur ita diceretur, non satis constat, etiamsi nonnulli Campanam dictam fuisse Nolam crediderint a Nola civitate Campaniæ mediterranea, cujus Episcopus fuit Paulinus, qui primus usum Campanæ in Ecclesiam suam, uti jam diximus *pag.* 1243. invexisse creditur. Sed hujus generis etymologia, sive Nolæ origo esse non potest: nam ante Paulinum Episcopum Nolanum, de Nola pro Campana mentionem fecit in *Oratoriis Institutionibus* Fabius Quintilianus, qui Domitiani Imperatoris ætate circa Annum Domini nonagesimum floruit. Is enim in capite ultimo libri octavi affert in medium tritum illud & antiquum Proverbium: *Nola in cubiculo.* Quam rem proverbialem pro Campana proverbialiter sumta intelligendam esse censet Cælius Rhodiginus lib. XIX. cap. XI. *Antiq. Lect.* hisce verbis: *Conjectura ducor esse hoc prolatum in garrulum, desidentem dies totos domi, & nugali verborum futilium importunitate, & copia exundanti detinnientem, ut obstreperа loquacitate, uti pica verbosiore, obsurdescerent aures, ac veluti tintinnabulo convulnerarentur. Vel* (*quod magis arridet*) *eos intelligamus, qui domi quidem & in cubiculo, ubi silentii esse usum Varro scribit, fluenta verborum promunt; in foro autem, ubi civili eloquentia gloriam sibi comparant viri præstantes, ut testis comprobat Homerus; aut in Senatu, altero ingeniorum theatro; penitus consilescunt, fiuntque* (*quod Græci dicunt*) *etiam piscibus magis muti. Nolam siquidem pro Campana dici observavimus.* Hæc Rhodiginus. Nolæ igitur nomen pro Campana etiam ante Paulinum Episcopum Nolanum annos circiter trecentos usurpatum fuit. Adde etiam pro majori antiquitate hac in re comprobanda, quod quamvis Paulinus usum Campanæ in Ecclesiam suam primus invexisse credatur, Gennadius tamen in additamento ad Sancti Hieronymi librum *de Viris illustribus*, de Paulino loquens, nihil tale (ut recte ait Magius cap. 1. *de Tintinn.*) de ipso refert; quippe qui nolæ, pro Campana sumtæ, usum & nomen ante Paulinum fuisse non ignorabat. Turris autem illa, cui Campanæ imponuntur, & Campanile a Campana deductum Italice vocitatur; Nolarium (quod campanile vulgo in Italia vocitatur) a Nola sumta pro Campana derivatum, dicebatur, ut ex Inscriptione marmore incisa tempore Urbani IV. Anno Dom. 1262. constat. Id quod videre licet in pavimento Ecclesiæ Sanctæ Mariæ oppidi Marini Columnensium non procul ab Urbe Roma. Inscriptio legitur in hanc verborum formam:

IN. NOMINE. DOMINI. AMEN.
ANN. DOM. M. CC. LXII.
ANNO. VERO. PONTIFICATVS. DOM.
VRBANI. IV. PAPAE.
OPVS. HOC. NOLARII.

A teste vetustissimo & nobilissimo Patavinæ Diœcesis Municipio in Campanili majoris Ecclesiæ ad partem exteriorem, Cœmeterium versus hæc marmore incisa leguntur:

ANNO. DOM. M. CC. LI. INDICT. NONA.
DE. MENSE. MAII. DESTRVCTVM. FVIT.
NOLARE. QVOD. HIC. ERAT. IVSSV.
ECCELINI. DE. ROMANO.

IN. M. CC. LXXXXV. INDICT. OCTAVA.
DIE. XII. APRILIS. COEPTVM. FVIT.
REHÆDIFICARI. PER. COMMVNE.
ESTENSE.

Lebes.

LEBES, vas æneum est, in quo igni apponitur aliquid, ut ebulliat. Quoniam vero Lebetes, vel Lebeta, ex ære fiunt sicut etiam Campanæ, & quamdam Campanarum formam satis belle repræsentare videntur, hisce de causis Campana Lebetis nomen vulgo interdum sibi sortita invenitur: immo ab ære Dodonæo, ære optimo, Lebeta, ut infra videre licet, Dodonæa dicta fuerunt.

Æs.

ÆS Dodonæum quatenus valde resonans, pro Campana usurpatum fuit; dictum est autem Æs Dodonæum a Dodona civitate in Chaonia Epiri Regione, juxta quam propinquum erat nemus Jovi sacrum. Hinc Juppiter Dodonæus. Propterea Virgilius lib. 3. *Æneidos* Lebetes, vel Lebeta Dodonæa ab ære optimo, seu Corinthio, tamquam præstantissima ita nominavit. Ausonius autem Æs, vel Ahenum Dodonæum, proverbialiter dictum sumens, ad Proverbium, quod in homines garrulos, vel justo loquaciores dici consuevit, alludit in hæc verba:

Nec Dodonæi cessat tinnitus aheni.

Æs enim Dodonæum, proverbialiter sumtum per translationem, aut per allusionem ad hominem garrulum dicitur, quasi tintinnabuli quoddam genus die noctuque continuo crepitans. Æs igitur Dodonæum absolute ac proprie sumtum pro Campana usurpatum fuit.

Æramentum.

ÆRAMENTUM ab ære derivatum, quod est ex ære fusum, veluti est ferramentum ex ferro factum. Campanæ namque varia sibi sortitæ sunt nomina juxta varias earum formas, aut sonum, & juxta varias hominum considerationes apud diversas Nationes.

Squilla.

SQUILLÆ ad hanc usque diem Campanulæ, sive parvæ Campanæ, in Italia nominantur, ut videre licet apud Stephanum Durantum lib. 1. *de Ritibus* cap. 22. & Guillelmum Durandum *lib. 1. c.* 4. & alios. Squillæ vocabulo, pro Campana sumto, usus est Franciscus Petrarcha in suis vernaculis cantionibus hisce verbis;

E non sonò poi Squilla.

Item:

Nè senza Squilla si comincia assalto.

Item:

A Nòna, a Vespero, all' Alba, & alle Squille.

Eodem quoque ipsius Squillæ vocabulo usi sunt Dantes Aldigerius & Ludovicus Ariostus suis in scriptis non semel. Quænam vero vox illa sit, nemo explicat, nisi Hieronymus Magius cap. 1. *de Tint.* qui opinatur illam e Gallia esse desumtam: inde apud nostrates verbum, *Squillare*, ortum fuisse ait. Sed in Dictionariis Gallicis hujus generis vox non invenitur, & a Viris Gallis, & quidem eruditissimis, talis vox Gallica esse omnino negatur. Quamvis autem apud Latinos Auctores, & quidem antiquos, nomen Squillæ pro quodam herbæ ac piscis genere inveniatur; quid tamen talis vox pro Campana significet, non satis constat; nisi verbum *Squillare*, apud Italos pro sonitu quodam peracuto, a Squilla ipsa, Campanula scilicet peracute sonante deductum, sumi solere dicamus: Squilla enim talem sonum edere solet.

Crotalum.

CROTALUM item pro Campana sumebatur apud Antiquos: Græce autem *Κρόταλον Crotalon*, quod Latine Crepitaculum vocitatur, a crepitu dictum. Quare a Columella Crepitaculum nuncupatum fuit; & a Lucretio diminutivi forma Crepitacillum, quod erat ex ære, vel ex ligno, aliave materia ita concinnatum, ut efficere sonum valeret, si quis manu versaret. Unde per metaphoram Crotalus dicebatur ille, qui lingua expeditiore, ac voce sonanti, ac prope tinnula, quique loquacitate sua neminem non obtundit.

Signum.

SIGNUM ita appellatur Campana, ut in libro perantiquo, qui Ordo Romanus nuncupatur, videre licet. Id quod etiam videre est apud Ivonem *part.* 4. *cap.* 45. & *lib.* 2. Pannormiæ *cap.* 184. & Burchardum *lib.* 13. *c.* 12. necnon Amalarium Fortunatum *de Divinis officiis* cap. 1. & alios. Istuc ipsum legitur in tertia Decreti parte, distinctione prima de Consecratione, capite quinquagesimo, & ex Concilio Cabilonensi descriptum citatur. Campana vero dicitur Signum: quia sonitu illius datur signum, sive indicium faciendi aliquid in Ecclesia, sive in aliis locis, in quibus pulsatur Campana.

Cloca.

CLOCA etiam Germanico vocabulo appellatur Campana, ut videre est in Capitulari Caroli Magni, ubi legitur: *Clocæ non sunt baptizandæ*. Gallice item Campanæ vocitantur *Cloches*; & quod ab Italis *Campanile* vulgo dicitur, a Gallis *Clocher d'Eglise* appellatur, hoc est, Campanarium, vel Campanile, sive Campanaria turris Ecclesiæ. Campanula vero Gallice *Clochette* vocitatur. Hæc ex libro primo Stephani Duranti capite 22. *de Ritibus Ecclesiæ*, necnon ex *Dictionario* Petri Canalis Gallice & Italice conscripto.

Campana.

CAMPANA denique a Campania Italiæ Regione, sicut Nola pro Campana ab ipsa ejusdem Regionis Nola, Campaniæ civitate, ita vocitata, nomen traxisse creditur, præsertim vero propter æs Campanum, cui Plinius palmam tribuit, cum ex eo & ollæ, ac lebetes ænei, & Campanæ conflentur: æs namque Campanum optimum inter omnia æris genera esse censetur, ut ait Isidorus in decimo sexto *Etymologiarum* sive *Originum* lib. cap. 19. & 24. in quo etiam Campanam ab eadem Regione Italiæ nomen accepisse scribit. Istuc ipsum Joannes Fungerus in *Etymologico trilingui* scriptum reliquit. Campana igitur ita vocitata nomen sibi sortita censetur a Campania, vel ab aliqua civitate Campaniæ, sive sit Nola, ut alii volunt; vel, ut Magius ait c. 1. *de Tint.* Temesa sive Tempsa æris fodinis olim nobilitata. Quare ob æris dicti loci, ut diximus, præstantiam, æra quasi per antonomasiam Temesæa dicebantur, ut ex lib. 5. *Fastorum* Ovidii patet dicentis, *Temesæaque concrepat æra*. Eamdem item ob causam, æris videlicet Campaniæ vim, aut excellentiam, æs Campanum antonomastice dicebatur. Cum autem Campanæ vocabulum ante Sancti Hieronymi ætatem in antiquis Scriptoribus non reperiatur, eam Gothicam esse vocem, vel ab Artifice Campanarum præcellente, cum frequens Campanarum usus in Ecclesiis esse cœpisset, Campanam dictam fuisse Magius opinatur: suum tamen hac in re cuique judicium liberum esse ait. De Campanarum nominibus hæc dicta sufficiant. Nunc reliquum est, ut rem tertio loco de multiplici earumdem usu propositam, nos tandem aliquando explicandam aggrediamur.

CAP. III.

De multiplici Campanarum usu apud Ethnicos.

NOS multiplicem Campanarum usum explicaturi, prius videbimus, quibus in rebus Ethnici Campanas adhibere consueverint; postremo autem loco multiplicem earumdem usum apud Christianos tam sæculares quam Ecclesiasticos frequentissimum, in medium afferemus, & omnia ad eum pertinentia singulatim explanabimus, cunctis rebus diligenter distinctis. Usum autem Ethnicorum in Campanis constitutum breviter describemus, quippe qui Christianorum in primis ritus explicandi causa, præsertim vero Ecclesiasticorum, nostrum de Campanis Commentarium conscribendum suscepimus, occasione sese nobis, uti jam initio diximus, oblata in Sacra Rituum Congregatione.

De Campanarum usu apud Ethnicos.

Ad varia olim munia Ethnici, hoc est, Gentiles, tinnitu vel sonitu Campanarum uti solebant.

Campanæ pro Thermarum usu.

Tintinnabuli sonitu, quod hodie Campana dicitur, Romanos antiquos populum in Thermas

A statis horis, vel advocari, vel ex illis dimitti solere constat. Propterea Martialis de sonitu æris, hoc est, Tintinnabuli, seu Campanæ, hunc ait in modum:

Redde pilam, sonat æs Thermarum, ludere pergis?
Virgine vis sola lotus abire domum?

Ex hisce verbis Martialis colligimus per Campanam monitum fuisse illum, qui in Gymnasio pila exercetur, ut si lavari velit, sonante Campana, properet ad Thermas; sin secus, paulo post nullum lavandi locum futurum, sed sola aqua frigida, quæ Virgo vocabatur, se lavandum, certo sciat: tintinnabulo enim, seu Campana Romani e Gymnasio, ut ait Guido Pancirollus *tit.* 9. *lib.* 2. revocabantur loturi ad Thermas, mox claudendas. B Hoc autem loco per sonitum æris non minor, sed major Campana (ut sentit Magius c. 3. *de Tintin.* & recte quidem) intelligenda est: nam, ut ipse ait, per tinnitum æris Thermarum non solum qui pila exercebantur, & in Thermas convenerant, sed qui a Thermis procul aberant, lavatum convocabantur. Id quod probat Ciceronis auctoritate in *Quæstion. Tusculanis* in hanc verborum formam dicentis: *Simul atque increpuit, (Thermarum scilicet Campana,* ut ipsemet Magius interpretatur) *Romani relictis Philosophis & Præceptoribus unctum (qui enim lavissent ungebantur) ire solebant.* C Hæc ex Magio, quem in hac præsertim re sequor: qui, si Romani ad sonitum Campanæ, relictis Philosophis ac Præceptoribus, unctum ibant, etiam a Thermis procul aberant, qui sane majoris Campanæ sonitu tale signum audire non poterant, ut infra clarius patebit. Dictus autem Ciceronis locus a Magio laudatus, vel citatus est, in libro secundo *de Oratore*, ubi non de Campanæ sonitu, at de sonitu vel crepitu disci (qui est lanx, id est, vas escarium) per jocum Cicero loquitur, dum discum escarium crepitantem ab hominum vulgo libentius audiri quam Philosophum affirmat, dicens: D *Auditores discum audire malunt quam Philosophum; qui simul, ut increpuit, Philosophum disputantem relinquunt.* Magius autem carceri Turcico mancipatus excusatione dignus censetur, quippe qui sine libris Libellum suum conscripsit.

Aqua vero, quæ a Martiale Virgo dicitur, adhuc exstat Romæ ad Campum Martium, necnon ad Trivii Fontem, & ad hanc usque diem ita vocitatur ob quamdam Virginem, quæ militibus Romanis, ut Scriptores * ajunt, quærentibus aquam, ingentem aquæ venam monstravit; quam deinde E Agrippa ab octavo lapide, diverticulo duorum millium passuum Prænestina Via Romam adduxit. Forma ipsius Aquæductus præsens in tempus Romæ item cernitur non procul ab Ecclesia Sancti Silvestri in Octavii Bubali nobilis Romani Hortis, in quibus legitur Inscriptio lapidi Tiburtino insculpta, ubi fit mentio de dicta Aqua, quæ Virgo nuncupatur.

Campana pro Mercatu indicando.

Græci quoque ad mercatum præstandum in Foro piscatorio, seu piscario, sub cœnam, ut etiam Guido Pancirollus & alii volunt, pulsabant No- F lam, (hoc est, Campanam) teste Plutarcho in libro *Symposiacon* quarto q. 4. post multa hisce verbis: *Qui subinde in Foro piscatorio versantur, & tintinnabulum celeriter exaudiunt.* Hieronymus autem Mercurialis lib. *variarum Lectionum* verba

* Jul. Frontinus *de Aquæd.* Barthol. Marlianus, Franc. Albert. in *Topogr. Urbis Romæ*.

Plutarchi Latine ita reddidit: *Qui quotidie tabernas, ubi væneunt pisces, circumambulant, exquisitive tintinnabulum audiunt.* Hæc in sua translatione Mercurialis, qui statim subjungit: *Quo ex loco tintinnabulum a piscium venditoribus usurpatum, ut emtores a longe invitarentur, etiam colligo.* Hucusque Mercurialis. Ergo si emtores a longe invitabantur per tintinnabulum, major Campana intelligenda est. Istuc ipsum comprobatur auctoritate Strabonis *lib.* 14. qui ponit exemplum de Citharœdo quodam ac de Surdastro, tintinnabulo ad mercatum piscium homines invitante, ut in capite 1. de Campanæ inventione atque antiquitate diximus, & fusissime quidem.

Campana in triumpho adhibita, & supplicio extremo destinatis appensa.

Joannes Zonaras, Historicus Græcus præstantissimus, in secundo *Annalium* Tomo pag. 61. dum de Marco Furio Camillo Dictatore, de Vejentibus triumphante, sermonem habet, Triumphumque describit, Campanam Currui Triumphantis appensam fuisse inquit; eodemque statim loco Nolas vel Campanas ab eis, qui extremo supplicio afficiebatur, gestari consuevisse ostendit, in hanc verborum formam: *Appensa quoque erat Currui Nola, & flagellum; quæ innuebant, eum in tantas calamitates posse incidere, ut aut flagris cæderetur, aut capitis damnaretur. Nam qui ob facinus extremo supplicio afficiebantur, Nolas gestare solebant, ne quis inter eundum contactu illorum piaculo se obstringeret.* Hucusque Zonaras ad verbum. Hoc autem in Triumpho admissum fuit, ut Imperator, vel Triumphator in tantæ felicitatis cumulo, ut ait Magius lib. *de Tintin.* cap. 11. admoneretur, ne plus, quam par esset, efferri ac superbire vellet, sed humanæ miseriæ recordaretur. De iis, qui ad supplicium extremum a Carnificibus cum tintinnabulis ducebantur, loquitur Plautus in *Pseudolo* in hæc verba: *Lanios inde accersam duos cum tintinnabulis*; tintinnabuli vero, vel potius tintinnaphori, ut alii volunt, erant Carnifices tintinnabula ferentes, dum extremo supplicio damnatos ad supplicii locum ducebant.

De Campana funeribus adhibita.

Antiquitus apud Ethnicos, cum quis e vita decedebat, æra, campanæve pulsabantur, ut Guido Pancirollus *Tom* 2. & alii ex Theocriti Scholiaste referunt. Ethnicorum namque antiquitas Campanarum sono spectra & Dæmonum ludibria credebant averti. Id quod Tibullus non obscure indicat, dum ait:

Cantus, & e curru Lunam deducere tentat,
Et faceret: si non æra repulsa sonent.

Æris enim tinnitu credebant fieri, ut ne magicorum carminum vis ad Lunam perveniret; & Lunam hoc modo laborantem adjuvari. Hinc Juvenalis *Sat.* 6.

Æra laboranti poterunt succurrere Lunæ.

Lunam laborantem superstitiose intelligebant Gentiles, eamque præ verecundia rubore suffundi credebant, quod magico victa carmine cedere cogeretur. De hoc Lunæ rubore ob verecundiam contracto loquitur Horatius lib. 1. *Serm.* Sat. 8. dicens:

—— Lunamque rubentem,
Ne foret his testis, post magna latere sepulcra.

Quod etiam Manes, vel potius Dæmones, æris vel campanæ tinnitu fugari, creditum fuerit a superstitiosa illa Gentilitate, planum profecto fit ex Ovidio, qui in libro *Fastorum* quinto ita inquit de Umbris, aut Manibus:

Rursus aquam tangit, Temesæaque concrepat æra,
Et rogat, ut tectis exeat Umbra suis.
Cum dixit novies, Manes exite paterni,
Respicit, & pure sacra peracta putat.

Per Campanarum itaque sonitum, malos infestosque Spiritus repelli aut coerceri superstitiose credebant Gentiles, quod Manes, ut ait Hieronymus Magius, silentium amare crederentur; unde & Silentes a Poetis dicerentur, ut ex Ovidio constat, qui in eodem *Fastorum* libro ait:

Mox etiam Lemures animas dixere silentum.

Unde quoties Umbræ hujusmodi loquerentur, exiguo potius murmure quam clara voce uti dicebantur; sicut Ovidius ibidem ait in hæc verba:

Umbra cruenta Remi visa est assistere lecto,
Atque hæc exiguo murmure verba loqui.

Hac igitur de causa apud Ethnicos æra, sive Campanæ pulsabantur, cum quis e vita decedebat. Sed propriam & veram hujusce ritus causam explicabimus infra suo loco *cap.* 18. dum de Ritu Ecclesiastico & Campanis consecratis loquemur, quæ ob rem sacram a Dæmonibus timentur.

Tintinnabula in Sacris, in Excubiis, & in privatis Romanorum ædibus adhibita.

Apollodorus in libro illo *de Diis Gentium*, Hierophantam, hoc est, Sacerdotem Proserpinæ, tintinnabulum, vel Campanam in Sacris pulsare consuevisse ait. Deæ item Syriæ Sacerdos tintinnabulo uti consuevit, sicut scribit Lucianus Samosatensis, qui hunc ait in modum: *Sacerdos postquam ad summum Templi pervenit, preces pro unoquoque facit: precando autem pariter, & æreum quoddam tintinnabulum pulsat: quod motum, graviter atque aspere sonat.* De hoc item ritu fidem facit Robortellus in Octaviano Augusto *c.* 91. dum de januis, ac fastigiis, vel summitatibus Templorum loquitur in hanc verborum formam: *Fastigium tintinnabulis redimitum, & tintinnabula fere solebant ex januis Templorum pendere.* De tintinnabulis adhibitis in excubiis monet Suidas, & Guido Pancirollus *tom.* 2. ita inquit: *Excubitores olim in nocturnis vigiliis tintinnabula secum deferebant; ad quorum pulsum illico respondendum erat.* Istuc ipsum a nostris in Arcibus præsertim fieri solet, ut infra suo loco dicetur. Campana denique in privatis Romanorum ædibus pulsabatur, ut refert Lucianus Samosatensis: ædes enim ditiorum Romanorum amplissimæ tintinnabulo seu Campana uti solebant ad Familiam excitandam, sicut Romæ ob eamdem causam fieri solere non ignoramus: id quod infra, & fusius quidem, explicabimus.

De Campana pro distinguendis horis adhibita.

Inventis Campanis, introductus quoque fuit usus Horologiorum, quibus horæ distinguuntur. De Horologiorum ratione & usu, atque inventione loquitur Vitruvius [1], necnon alii complures. Quoniam vero de antiquo Horologii usu satis dictum videtur, dum de Campanæ antiquitate verba fecimus; hinc eo confugiendum est, ubi fit mentio de Balneo Hippiæ, qui floruit circa tempora Luciani, ut ipsemet Lucianus ait, qui vixit circa Annum Domini centesimum. Verum sicut Campanæ inventor ignoratur, ita etiam sonantis Horologii primus nescitur Auctor. Quid autem jucundius, ut ait Polydor. Vergil. *l.* 3. *c.* 18. reperiri potuit Horologio, quo nobis, etsi occultato Sole, per tintinnabulum sua, sicut ita videtur, sponte sonans, horæ distinctæ nunciantur? Quid item nobis gratius Campana inveniri potuit, qua tot tantæque res hominibus tam utiliter ac tam commode indicantur? Quamvis autem res ita sese habeat, sicut magna ex parte hucusque vidimus, & infra multo plura & majora de multiplici Campanæ usu ostendemus; utriusque tamen inventæ rei Auctor, uti diximus, ignoratur. Hæc de multiplici tintinnabulorum seu Campanarum usu apud Ethnicos. Nunc reliquum est, ut Campanas benedicendi causam & ritum apud Christianos, deinde multiplicem earundem usum, explicemus.

1 Lib. 9. cap. 9. Guido Panciroll. *Tom.* 2. *tit.* 10. Magius cap. 6. *de Tintin.* Lucian. *Tom.* 2.

CAP. IV.

De Ritu consecrandi aut benedicendi Campanas.

MULTA ab Ethnicis, falsa Religione ac superstitione deceptis, fieri solebant, quæ deinde a Christianis & Ecclesiasticis præsertim viris, falsa Religione ac superstitione omnino ablata, in usum pium ac sanctum translata fuerunt, ut in nostro *variarum Lectionum* Commentario diffuse demonstratum est. Inter Ecclesiasticos viros exstat Sanctus Paulinus Episcopus Nolanus, Sancti Hieronymi & S. P. Augustini contemporaneus, uti jam diximus, qui abusum Gentilium sacrorum correxit, & Campanam ad pia munera traduxit, dum ea primus in sua Ecclesia usus est, ut ejus nimirum sonitu semotius habitantes ad conciones, & precationes, necnon ad Divina officia, & ad sacrosanctum Missæ Sacrificium, atque ad alia excitari possent. Quæ omnia singulatim explicabuntur, cum primum Campanas consecrandi aut benedicendi causam & ritum fuerimus assequuti.

CAP. V.

De Campanarum benedictione aut consecratione.

CAMPANÆ juxta perantiquum ac pium institutum in Sancta Dei Ecclesia benedici aut consecrari solent. Quod autem hujus generis ritus consecrandi Campanam sit antiquissimus, ex eo, quod Alcuinus in libro *de Diviniis officiis* ait, satis congrue comprobatur. Is enim Alcuinus, qui floruit circa Annum Domini 770. Bedæ Presbyteri Discipulus, vel Auditor, & Caroli Magni Præceptor, ut inquiunt Trithemius, Melchior Hittorpius, & alii, de hoc ritu ita scriptum reliquit: *Neque novum videri debet Campanas benedicere, & ungere eisque nomen imponere.* Antiquitas item hujus ritus confirmatur, quia in Ordine Romano, quem librum antiquissimum esse constat, tota forma benedicendi aut consecrandi Campanas legitur conscripta, etiamsi dicti libri Auctor ignoretur, ut omnes tam nominis Auctoris ignorationem, quam ejus antiquitatem fatentur, præsertim vero Melchior Hittorpius [2], qui talem antiquitatem multis profecto comprobat argumentis, quæ brevitatis causa hoc loco silentio prætermittenda censemus, Campanæ consecrationem breviter explicaturi, ut ejus multiplicem usum apud Christianos, præsertim vero apud Ecclesiasticos viros observatum, tandem aliquando ac distincte quidem repræsentemus.

2 In Præfat. ad librum *de Divin. Offic. ac Ministeriis.*

Cam-

Campana antequam in turrim Campanariam, seu Campanis destinatam reponatur, consecrari, aut benedici solet juxta formam in Ordine Romano, uti jam diximus, antiquissimo, necnon in Pontificali Romano conscriptam: prius enim tota intus & extra cum Aqua benedicta ab Episcopo una cum Ministris lavatur, deinde mundo linteo extergitur, dum ab Episcopo cum Ministris aliquot etiam Psalmi recitantur. Quibus finitis, Episcopus cum pollice dextræ manus de Oleo sancto Infirmorum signum Crucis facit extra & supra Campanam; deinde, oratione ad Campanam pertinente recitata, cum linteo mundo signum Crucis factum ab ipso Episcopo extergitur; & Antiphona cum Psalmo item recitata, Episcopus cum pollice dextræ manus de Oleo sancto Infirmorum septem facit Cruces exterius super Campanam, deinde intra Campanam cum Chrismate facit quinque Cruces, dum hæc dicit verba:

Verba consecrationis Campanæ.

Sanctificetur ✠ & consecretur ✠ (Domine) Signum istud: In Nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus ✠ Sancti. In honorem Sancti N. Pax tibi. Hac re præstita & oratione pro effectibus Campanæ consecratæ mirabilibus impetrandis recitata, necnon thymiamate, thure, ac myrrha thuribulo impositis, thuribulum ipsum igne accensum, & fumigans, ipsi Campanæ supponitur, ut ea totum illum recipiat fumum. Dum autem thuribulum Campanæ suppositum manet, cantatur seu recitatur Antiphona cum Psalmo, in quo Dei opera mirabilia narrantur, & Psalmo finito, Episcopus orationem dicit, in qua precatur Deum, ut ad sonum Campanæ Christi fideles bonos consequantur effectus, malis omnibus propulsis, & in fugam conversis; demum vero, recitato Evangelio, Campanæ consecrationi finis imponitur. Quæ sane omnia in Pontificali Romano ad amussim conscripta reperiuntur, ubi omnes Psalmos, & Orationes, & Antiphonas, quæ in Campanæ consecratione dicuntur, videre licet.

CAP. VI.

Causa & effectus consecrationis Campanarum, atque nomina earumdem.

Cur autem Campanæ benedicantur, aut consecrentur, ex sententia Patrum, qui Coloniensi Concilio interfuerunt, planum profecto fit in hanc verborum formam [1]: „ Benedicuntur quoque Campanæ, ut sint tubæ Ecclesiæ militantis, „ quibus vocetur Populus ad conveniendum in „ Templum & audiendum verbum Dei: Clerus „ vero ad annunciandum mane misericordiam „ Dei, & veritatem ejus per noctem, ut per illarum sonitum Fideles invitentur ad preces, & „ ut crescat in his devotio fidei; quamvis etiam „ Patres alio respexerint, videlicet, ut Demones „ tinnitu Campanarum, Christianos ad preces „ concitantium, terreantur, quin potius precibus „ ipsi territi abscedant, illisque summotis, fruges, mentes & corpora credentium serventur, „ ut procul pellantur hostiles exercitus, & omnes „ insidiæ inimici, fragor grandinum, procellæ „ turbinum, impetus tempestatum, & fulgurum „ temperentur infesta tonitrua, & ventorum fla- A „ mina suspendantur, spiritus procellarum, & aereæ potestates prosternantur. Breviter; ut audientes confugiant ad sanctæ matris Ecclesiæ „ gremium, & ante sanctæ Crucis vexillum, cui „ flectitur omne genu, quemadmodum hæc in „ solemni benedictione Campanæ reperies. Hæc ad verbum ex Concilio Coloniensi primo *tom.* 5. cap. 14. Quæ item omnia in Ordine Romano de divinis officiis nuper commemorato, atque etiam in Pontificali Romano in ipsa Campanæ benedictione aut consecratione leguntur. Hæ sunt igi- B tur causæ, propter quas benedicuntur aut consecrantur Campanæ. Hujus autem generis consecratio in Ordine Romano, & in libro *de Ritibus Ecclesiæ Catholicæ* lib. 1. cap. 22. num. 6. a Stephano Duranto improprie Baptismus nuncupatur, non quod Campanæ (inquit etiam ipse) baptizentur Baptismo, quo remissio pecatorum confertur, sed quia per hujusmodi Baptismum, sive potius benedictionem aut consecrationem, Campanæ Aqua benedicta lavantur, necnon sancto Infirmorum Oleo & sancto Chrismate unguntur, eisque nomina imponuntur. Quæ omnia, & item alia in Baptismo, quo baptizantur homi- C nes, fieri solent. Ideo Alcuinus [1], dum de hoc ritu baptizandi Campanas (ut etiam refert Durantus *lib.* 1. *cap.* 22.) mentionem facit, ita inquit: „ Neque novum videri debet, campanas „ benedicere, & ungere, eisque nomen imponere. Nam Jacob *Geneseos* 28. memor visus scalæ „ ad cælum usque pertingentis, tulit lapidem, „ quem capiti suo supposuit, & erexit in titulum „ fundendo oleum desuper; appellavitque nomen „ urbis Bethel, quæ prius Luza dicebatur. Quamvis vero in Capitulari Caroli Magni, ut ait D Durantus *loco. cit.* Clocas, id est, Campanas, apud Gallos ita vocitatas, baptizari prohibeatur; Vitus tamen Amerbachius interpretatur prohiberi superstitionem, non autem legitimam & Ecclesiasticam benedictionem, vel consecrationem: quia Campanæ, ut jam diximus, non baptizantur Baptismo, quo remissio peccatorum, præsertim vero peccati originalis, confertur, quippe quæ gratiæ ac effectus Baptismi capaces non sunt, sed quia cultui divino dicantur dictas ob causas, necnon propter Aquam benedictam, Oleum sanctum Infirmorum, & sanctum Chrisma, nominumque impositionem, quæ in hominum Baptismo adhibentur, Baptismus improprie a nonnullis vocitatus fuit. Baptismus enim vox Græca est a verbo E Græco βάπτω, quod Latine tingo, immergo, & lavo, & per vocem a verbo Græco translatam, baptizo, dicitur, pro quo Itali dicunt *lavare*, & *bagnare*. Hinc a voce, Baptismo, baptisterium, id est, lavacrum, vocitatur, quod est locus, vel vas ex ligno, aut lapide in cellis, id est, in secretioribus locis ita ædificatum, ut in illud infundi possit aqua, in quam lavandi causa aliquis valeat sese immergere, & lavari commode queat. De hujus generis baptisterio aut lavacro loquitur Plinius Junior ad Apollinarem scribens in hæc verba [2]: *Cella frigidaria, in qua* F *baptisterium amplum atque opacum est*. Sicut igitur lavacrum illud, in quo homines lavantur, ut a sordibus corporis purgentur, baptisterium nuncupatur; ita etiam fons ille sacer, in quo humanæ creaturæ per proprium & spirituale Baptisma baptizantur, vel lavantur, ut ab animæ sorde, hoc est, ab originali peccato, purgentur, baptisterium item vocitatur. Ideo sicut per sacrosanctum Baptisma proprie sumtum a sorde vel labe peccati crea-

1 Part. 9. cap. 14. Concil. 1. Colon. Provinc. Tom. 5. Concil. Anno Dom. 1536.

1 De Divinis Officiis. 2 Lib. 5. epist. 6.

turæ humanæ purgantur seu lavantur, ita Campanæ per Aquam benedictam suo modo lavantur & liberantur a sordibus & inquinamentis malignorum Spirituum, Oleo Sancto, & Chrismate, necnon Thymiamate, Thure, ac Myrrha, & signis sanctæ Crucis munitæ custodiuntur, necnon ad multa mala propellenda, & ad Christi Fideles excitandos, atque ad sanctam Matrem Ecclesiam invitandos & convocandos consecrantur. Hæc tamen functio in Campana consecranda propter Baptismi formæ carentiam, ut mox & plenius quidem explicabimus, non est proprie Baptismus, sed benedictio & consecratio: Campana enim proprii Baptismi non est capax. Visum autem fuit Patribus eas lavare, benedicere, atque ungere, sicut & vasa Ecclesiastica, & complura id genus alia. Juxta hunc item sensum Ivo 1 in sermone de Sacramentis Dedicationis, Templum suo modo & suo ordine baptizari solere dixit. Campanæ igitur suo modo baptizantur, id est, lavantur; eisque nomina imponuntur, dum verbis Consecrationis prolatis cum signis Crucis interjectis, uti jam vidimus, hæc adduntur verba, *In honorem Sancti N.* Quo in loco nomen alicujus Sancti, vel Sanctæ pronunciatur, cujus nomini ob privatorum hominum, vel alicujus Ecclesiæ, sive oppidi, vel civitatis devotionem ratione Patronatus erga talem Sanctum, vel Sanctam, Campana, divino cultui dedicata, consecratur.

De Campanæ consecratione, ac ejusdem nominis impositione Cæsar Baronius S. R. E. Cardinalis in decimo *Annalium* Tomo pag. 810. expressam facit mentionem, dum Campanam Basilicæ Lateranensis primariam a Joanne XIII. sub nomine Sancti Joannis Baptistæ benedictam aut consecratam fuisse ait, hisce verbis: „ Joannes Pontifex Romam (*e Capua scilicet*) rediens, cum Imperator ibi (*hoc est, Capuæ*) adhuc moraretur, contigit primariam Lateranensis Ecclesiæ Campanam miræ magnitudinis recens ære fusam super Campanile elevari: quam prius idem Pontifex sacris ritibus Deo consecravit, atque Joannis nomine, (puto Baptistæ) cujus Ecclesiæ esset usui, nuncupavit. Qui sacer ritus in Ecclesia perseveravit, ut eo modo, quo ipse usus est, Campanæ in Ecclesiis collocandæ, Deo primum, imposito eis nomine, dicarentur. Quod testantur veteres Codices Rituales; licet errore vulgi pro arbitrio utentis vocibus, dicantur baptizari Campanæ, cum ita ab Episcopo benedicuntur, *non aliunde* baptismi in re longe dispari mutuati nomen, nisi quod sicut in Baptismo nomen imponitur baptizato, ita in ea consecratione nomen Campanæ daretur; idque sive ea ratione, ut distingui posset a ceteris, vel quod magis conduceret ad pietatem, si voce Sancti alicujus diceretur Populus ad Ecclesiam convocari: cum alioqui nihil commune cum Sacramento Baptismatis habeant cæremoniæ illæ; sed magis cum aliis sacrorum vasorum benedictionibus in sancta Catholica Ecclesia antiquo usu receptis. Hæc Baronius de ritu consecrandi Campanam *tom.* 10. pag. 810. eique nomine a Joanne XIII. circa Annum Domini 968. imposito. Campanæ tamen apud Græcos circa Annum Dom. 865. sub Nicolao hujus nominis primo, in usu esse cœperunt, ut idem Baronius in decimo item *Annalium* Tomo pag. 319. scriptum reliquit, in hæc verba: *Ad hunc quoque annum referunt Scriptores, prosequuti res Venetas, ærea instrumenta, quæ Campanas dicimus, usui esse cœpisse Græcis, missis ipsis Campanis a Duce Venetiarum Urso Patriciaco ad Michaelem Imperatorem.* Hucusque Baronius, cujus verba si recte pensitentur, hunc ritum benedicendi aut consecrandi Campanas a Joanne XIII. Pontifice Maximo institutum, sive ortum habuisse circa Annum Domini 968. sensisse videtur, dum ait: *Qui sacer ritus in Ecclesia perseveravit, ut eo modo, quo ipse* (Joannes videlicet) *usus est, Campanæ in Ecclesiis collocandæ, Deo primum, imposito eis nomine, dicarentur.* Sed hujus generis ritus consecrandi Campanas fuit in usu centuriis annorum aliquot ante Joannem XIII. Alcuino teste, qui cum floruerit circa Annum Domini 770. de hoc tamen ritu ita inquit: *Neque novum videri debet Campanas benedicere, & ungere, eisque nomen imponere.* Quare si ritus consecrandi Campanas apud Alcuinum non erat novus; ergo dictum ritum benedicendi & ungendi Campanas oleis sacris, eisque nomen imponendi ante Alcuini tempora fuisse, dicendum est contra ea, quæ de ejus ritus antiquitate alii aliter dixerunt: qui tamen cæremonias illas, hoc est, sacras unctiones, & alia, nonnisi cum aliis sacrorum vasorum benedictionibus, aut consecrationibus, in sancta Catholica Ecclesia antiquo usu receptis, commune aliquod habere optime ajunt; nominis vero impositionem in Campanis consecrandis ad earundem distinctionem & Populi devotionem excitandam, (dum per Campanas ad Ecclesiam Populus convocatur) ritum talem institutum esse ostendunt. Quamvis autem, uti *cap.* 5. jam diximus, Campanæ laventur aqua benedicta, & sacris ungantur oleis, eisque nomen imponatur, functio tamen illa, vel ritus ille, Baptismus proprie dictus nullo modo est: quia caret Baptismi forma, quæ est: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: sine qua forma Baptismus proprie dictus nullo modo esse potest. In consecratione autem Campanæ verba hæc dicuntur: *Sanctificetur* ✠, *& consecretur* ✠ *(Domine) Signum istud. **In Nomine** Patris* ✠, *& Filii* ✠, *& Spiritus* ✠ *sancti. **In** honorem Sancti N. Pax tibi.* Per hæc verba dici consueta in Campanæ benedictione, fit sola Campanæ consecratio, non autem proprie Baptismus, ut ipsa verba consecrationis expresse sonant: proprii namque Baptismi Campana capax non est, sed sola creatura rationalis.

Quamvis interea Campanæ pulsandæ usus etiam apud Christianos, præsertim vero apud Ecclesiasticos viros, antiquior esse videatur, quam eam consecrandi ritus, ob talis rei mentionem in libris antiquis a me non inventam, uti jam in capite 1. *de antiquitate Campanæ* dictum fuit; consecratio tamen Campanæ initium sumsit aliquot annorum centuriis ante Pontificatum Joannis XIII. sicut a nobis jam *cap.* 5. satis probatum fuit. Dictus deinde ritus pie ac sancte institutus jam inde a tanta ipsius ritus antiquitate in Campanis consecrandis observatus semper fuit, & in toto Christiano Orbe ad hanc usque diem observatur, dum ea omnia nuper enarrata, benedicta scilicet Aqua, Oleum sanctum infirmorum, & sanctum Chrisma, thymiama, thus, & myrrha, in consecratione Campanarum adhibentur, & nomina eis imponuntur. Immo in Hispania dum Campanæ consecrantur, vel, ut improprie ajunt, baptizantur, sed proprie lavantur, vir & mulier ex hominibus loci primariis, tamquam compatres admittuntur, ad quam rem præstandam Codex ritualis proprius adhibetur, in quo præter illa, quæ in Pontificali exstant Romano, compatres item commemorantur admissi. Harum rerum in omnibus Ecclesiis recentia quoque non desunt exempla, non solum quantum ad nominum impositionem, sed etiam quantum ad compatres in Hispania, præ-

1 De Ecclesiast. Sacram. & Offic. in Serm. de Sacram. Dedicat. in Tomo de Divinis Officiis.

fertim vero in aliquot Cataloniæ partibus inter consecrandas Campanas admitti consuetos, candido linteo, ad simplicem lavationem indicandam, Campanis consecratis imposito pro veste alba, quæ proprie baptizatis imponi solet.

Quoniam vero Campanæ in honorem Beatæ Mariæ semper Virginis in Meridie, in Sero, & in Aurora pulsari solent, ut infra *cap.* 17. & fusius quidem suo loco dicemus, multæ Campanæ tam Romæ, quam alibi, Mariæ nomen in consecratione retinent, inter quas insigne exstat exemplum Lutetiæ Parisiorum in augustissima Cathedrali Dei Matris Ecclesia, cujus maxima Campana, ut Paulus Merula in *sua Cosmographia* lib. 3. cap. 1. scriptum reliquit, Mariæ nomine insignita est: ait enim Merula [1]: *Campana maxima, cui a Maria Virgine cognomen, viginti viros flagitat pulsanda; sonitus, sereno cælo, per septem leucas auditur*. Hæc Merula de Campana miræ magnitudinis, nomine Mariæ insignita; cui Campanæ assimilatur illa, quæ reperitur in primaria Ecclesia, Deiparæ Virgini dicata Rothomagi, *Rouen* vulgo nuncupati, quæ est Galliæ civitas, cujus Campanæ pondus est librarum triginta sex, Merula teste ubi sup. *cap.* 30. vel quadraginta millium, ut ait Swertius in Magium; lingua vero librarum 610. eodem Merula teste, ac Ferreolo Locrio, & Guicciard. in *Descr. German. Infer.* In Bononiensi quoque Prætorio magna exstat Campana, cujus circumferentia duobus ac viginti majoribus palmis constat; altitudo 14. & amplius; crassities vero palmo uno. Hucusque digredi libuit, maxima Lutetiæ Parisiorum Campana suadente, ut eo, unde digressi sumus, revertamur.

Multæ item Campanæ tam in Italia quam extra Italiam non solum Beatæ Mariæ semper Virginis, verum etiam Sancti vel Sanctæ alicujus nomine vocitantur ad Campanarum distinctionem, necnon ad Populi devotionem, ut jam diximus, excitandam. In multis quoque Campanis nomina ipsa incisa leguntur tam Dei ac Deiparæ Virginis quam aliorum Sanctorum, in hanc verborum formam: *Ad Dei & Beatæ Mariæ Virginis honorem*; vel hunc in modum: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Ad honorem Dei, ac Beatæ Mariæ Virginis, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli. Verbum caro factum est*; & id genus alia; præsertim vero verba illa de Incarnatione Dei, quatenus Dæmonibus majorem in modum formidanda: nam, ceteris exemplis hac de re prætermissis, tribus sociis per viam ambulantibus, ut Jacobus Sprenger in suo *Maleficarum Malleo* narrat, duo illorum ictu fulminis percussi fuerunt; tertius autem quamvis territus fuisset ob voces item in aere clamantes, *Percutiamus & illum*, absque ulla tamen læsione recreatus fuit atque salvatus ob aliam vocem dicentem: *Hoc fieri non potest, quia ipse hodie audivit, Verbum caro factum est*. Hoc est, audivit Missam, in cujus fine recitatur Sancti Joannis Euangelium, in quo legitur, *Et Verbum caro factum est*. Hæc ex Jacobo Sprengero, dicto in libro, de Verbi Incarnatione, Dæmonibus majorem in modum formidanda, & hanc ob rem in Campanis apponi consueta ad fulgura & tempestates effugandas, quæ a Dæmonibus item concitari possunt Deo permittente: [2] quoniam corporalis materia quantum ad motum obedire censetur ad nutum non solum Angelis bonis, verumetiam Spiritibus malis juxta Theologorum doctrinam. Deinde in multis Campanis fit mentio de anno, in quo facta est Campana, necnon de ipsius Ecclesiæ Rectore, vel optime merito, & Campanæ Artifice, ut ego ipse vidi Romæ, ubi præcipuarum Ecclesiarum & Basilicarum Inscriptiones Campanis incisas perlegi, præsertim vero in Campanis Basilicæ S. Joannis in Laterano, Sanctæ Mariæ Majoris, & Sancti Petri in Vaticano. In multis tandem Campanis nonnullæ dictiones per aliquos nominum casus absque ullo, a quo regantur, verbo, in hanc formam incisæ leguntur: *Mentem sanctam spontaneam, honorem Deo, & Patriæ liberationem. Ave Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus; & benedictus fructus ventris tui*. Hæc omnia leguntur in parva Basilicæ Sancti Petri Campana, quæ ad Missam primam indicandam & ad Vesperas festis diebus pulsatur, antequam majores Campanæ incipiant pulsari. Eædem voces per obliquos nominum casus hoc in loco a nobis conscriptæ in Campanis Basilicæ Sanctæ Mariæ Majoris, aliarumque Ecclesiarum Romæ, atque alibi leguntur incisæ, quæ a Petro de Natalibus in Catalogo Sanctorum recitantur, dum Sanctæ Agathæ Virginis & Martyris conscribit Vitam & Martyrium. Nam, ut ipse ait, dum Fideles corpus Beatæ Agathæ aromatibus condirent, Juvenis sericis vestibus indutus, quem centum & amplius juvenes comitabantur albis vestibus amicti, apparuit, marmoreamque Tabulam ad ejus corporis caput in sepulchro apposuit; deinde cum ceteris juvenibus ab omnium oculis evanuit, quem Angelum fuisse constat. In Tabula vero hæc legebantur: *Mentem sanctam spontaneam, honorem Deo, & Patriæ liberationem*. Hæc ex Petro de Natalibus, necnon ex Laur. Surio Tom. 1. *de Vitis SS.* qui dictam recitat historiam, sed voces illas per casus obliquos mutavit hunc in modum: *Mens sancta, honor in Deum voluntarius, Patriæ redemptio*. Sed Gabriel Flamma Tom. 1. *de Vitis SS.* eamdem historiam de Tabula marmorea enarratam comprobat, & formam nominum illam per casus obliquos primo loco absque ullo verbo conscriptam interpretari studet, dum singulas fere voces marmorea in Tabula incisas meditatur. Denique post satis longam meditationem, tria tribus illius Inscriptionis clausulis apponit verba, quæ ibi desiderabantur. Id quod non ex incuria, nec sine mysterio a juvene illo, (id est, Angelo) factum fuisse ostendit Gabriel Flamma, qui dictæ inscriptioni sensum dedit hunc in modum: *Mentem sanctam spontaneam obtulit, honorem Deo dedit, & Patriæ liberationem impetravit*; hoc est, Agatha Sancta se & cor suum voluntario dedit dono, quo Deum honoravit. Nam quidquid ipsa fecit, cogitavit, & dixit, passaque fuit; tam vivendo, quam moriendo, ad honorem Dei retulit, aut direxit. Hinc Patriæ liberationem apud Deum promeruit, sicut factum fuisse constat unius anni spatio post ejus obitum [1], quando scilicet Mons Ætna in Sicilia perpetuo clarus incendio, ad cujus Montis radices Catana sita cernitur, igneum eructavit flumen, quod cum per totam fere Siciliam fluitando cursitaret, Catanenses ad Sanctæ Agathæ sepulchrum confestim cucurrerunt, & ipsius velo inde sublato, atque ante incendium expanso, seu explicato, Catana fuit ab ipso incendio miraculose liberata, igne illo Dei providentia protinus represso, cum dies 5. Febr. Martyrii S. Agathæ anniversarius foret. Hæc ex Petro de Natalibus, Laurentio Surio, & Gabriele Flamma. Qua de re jam inde ab

1 Vide & Ferreolum pag. 436. in Maria Augusta, & Swertii Not. in Magium. 2 Ægid. lib. 2. *Sentent.* dist. 7. q. 3. art. 2. dist. 10. q. 3. art. 1. dub. 5.

1. An. Dom. 253. ut scriptum reliquit Ant. Filoteus in *Comment. de Monte Ætna*; 252. ut ait Card. Baron. in *Martyrol.* ex *Fastis* Onuph. Panvinii.

eo tempore quotiescumque igneum flumen, sive incendium ab Ætna eructatur, (quod viginti vel triginta annorum intervallo evenire solet) dicto velo ad igneum flumen explicato, incendium cessat. Propterea factum reor, ut ipsa Inscriptio Campanis incidi soleat, ad fulgura, seu potius ignea flumina propulsanda tempestatesque expellendas, dum Campanæ, ad hanc item rem præstandam consecratæ, pulsantur, ut infra *cap.* 21. & plenius quidem suo loco dicemus. Hæc de causis & ritu consecrandi aut benedicendi Campanas, necnon de effectibus earumdem ex benedictione sive consecratione ipsa emanare consuetis. Quamvis autem exempla consecrandi Campanas innumera fere sint per totum Christianum Orbem diffusa, exemplum ex Basilica desumtum Lateranensi, quæ est omnium Ecclesiarum mater & Magistra, & Caput, sat declarat, hunc ritum consecrandi Campanas recte fuisse institutum, & Pontificale item Romanum ab omnibus esse observandum. Nunc reliquum est, ut admiranda, quæ de Campanis consecratis reperiuntur conscripta, ob oculos ponamus.

CAP. VII.

Admiranda de Campanis consecratis.

SILENTIO prætermittenda non censentur admiranda illa & scitu quidem dignissima, quæ de Campanis consecratis narrantur, præsertim vero juramentum inprimis illud in Hibernia, Scotia, & alibi super Campanas præstari consuetum, ob magnam reverentiam, quæ ipsis adhibetur dictis in locis. Si qui enim super Campanas pejerare, hoc est, falso & animo fallendi jurare audeant, plerumque tacite, ut ita dicam, vel cælitus puniuntur. Si qui vero tales convicti ab homine pejerasse inveniantur, graviter in eos animadverti solet, ut colligitur ex eo, quod in *Topographia Hiberniæ* dist. 3. cap. 33. scriptum reliquit Silvester Giraldus in hæc verba: „ Hoc etiam non prætereundum puto, quod Campanas bajulas, baculosque Sanctorum in superiori parte recurvos, auro, & argento, vel ære contextos, sive contectos, in magna reverentia tam Hiberniæ, & Scotiæ, quam Guvalliæ, vel Walliæ Populus & Clerus habere solent; ita ut Sacramenta (hoc est, juramenta) super hæc longe magis, quam super Evangelia, & præstare vereantur, & pejerare. Ex vi enim quadam occulta, & iis quasi divinitus insita, necnon & vindicta (cujus præcipue Sancti illi appetibiles esse videntur) plerumque puniuntur contemtores, & graviter animadvertitur in transgresores. Hæc de Juramento super Campanas præstari memoratis in locis consueto, narrat Giraldus, qui etiam in eadem *Topographia* dist. 2. cap. 33. de quadam Campana fugitiva ita inquit; „ Est in Lagenia, in Terra scilicet Mactaleuvi Campana quædam, quæ nisi a Custode suo, Exorcismo quodam ad hoc composito, singulis noctibus adjuretur, & vinculo quolibet vel fragili ligetur; mane in Media apud Clunarech, in Ecclesia Sancti Finnani, unde venerat, reperitur. Quod & aliquoties certum est contigisse. Hæc Giraldus ad verbum.

Surius in Vita Sancti Lupi Episcopi Senonensis ad sonitum Campanæ Senonensis, precibus ejusdem Sancti, hostes viribus destitutos ac terrore correptos statim fugatos fuisse narrat, in hanc verborum formam [1] „ Mortuo autem Theodorico „ Principe, Rex Clotarius in Burgundiam veniens, hostili manu armatum Blidebodem Ducem misit in Senones: Illo ergo tela atrociter in oppidum vibrante, sanctus Episcopus in Domino fidens, ad Protomartyris Stephani Ædem se contulit. Cumque ad convocandum populum Signum Ecclesiæ tangeret, viribus hostes destituti, tantoque sunt terrore correpti, ut nullam sibi salutis spem superesse putarent, nisi fuga sibi consulerent. Ita vir sanctissimus, dum instar Moysis ad cælum tollit manus, hostes profligat. Hæc Surius de Campana Senonensi, ad cujus tinnitum vel sonitum hostes fugati fuerunt. De hac eadem Campana idem Surius rem notatu dignam in ejusdem Sancti Lupi Vita refert hisce verbis: „ Clotarius Rex ubi comperit Signum, vel Campanam Sancti sonum edere gratissimum, jussit eam Parisios transferri, ut ejus tinnitu sæpius oblectaretur. Displicuit ea res beato Episcopo. Itaque mox, ut ablata est a Senonibus, omnem soni gratiam amisit. Id Rex intelligens, ocyus jubet suo illam loco restitui. Ubi autem ad Pontem Syriacum est, redlit illi pristinus sonus, & ob sancti viri merita septimo milliario auditus est. Illico vir beatus in urbem residens, se dat itineri, progrediensque in occursum ejus cum psallentium choris, quam dolens amiserat, cum gaudio excipit, gratias agens Deo. Hæc item dicto in loco Surius.

Scribit etiam Antonius Augustinus, Archiepiscopus olim Tarraconensis, vir profecto eruditione clarissimus, rem sane dictu item mirabilem de Campana quadam, quæ (ut ipse ait in libro *de Numismatibus*, quæ *Medaliæ* vulgo vocitantur dial. 6. pag. 194.) in Hispania, in Regno scilicet Aragoniæ, Diœcesi Cæsaraugustana in villula quadam, sive Viliglia Hispanice hodie dicta, olim Celsa ad Iberim fluvium sita, nemine ipsam movente, nonunquam, ut ita dixerim, sponte sua vel ex se sonitum reddere, seu personare ob aliquam sane rem futuram & notatu dignam testatur, sive ostendit; multasque idem Antonius Augustinus recenset vices, in quibus id evenisse accepit; totidemque tristissimos in medium affert eventus, a spontaneo illius Campanæ sonitu olim præmonstratos; inter quos direptio, seu depopulatio Urbis Romæ tempore Clementis Septimi Anno Domini M. D. XXVII. & pestis illa Anno Domini M. D. LXIV. in eodem Regno Cæsaraugustano suborta recensentur. Adde etiam, quod Doctor Petrus Garsias, Canonicus & Eleemosynarius Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Pilari Ordinis Eremitarum Sancti Patris Augustini, & olim Rector Ecclesiæ, in qua extat dicta Campana sponte sua sonans, nunc Romæ, dum hæc scribo, Anno Domini M. DC. IX. commoratur, & eamdem Campanam tempore sui Rectoratus, hoc est, Anno Domini M. DC. I. a nemine motam a die 13. Junii usque ad trigesimam diem, interpolatis temporibus, frequenter personasse omnino affirmat, atque non semel, etiam me præsente, id ita esse jurejurando confirmavit, & scriptum reliquit. Ad hujus autem generis spectaculum quatuor millia hominum cucurrisse addidit, & varios eventus in diversis Mundi partibus post talem Campanæ sonitum Anno Domini M. DC I. evenisse affirmavit. Adde etiam, quod hæc Historia fuit impressa Romæ Anno Domini M. DC. I. & in Bibliotheca Angelica hodie asservatur. De spontaneo ejusdem Campanæ sonitu admirando faciunt mentionem Scriptores item alii, hoc est, Petrus Gregorius Tholosanus Thom. 1. *de Republica* lib. 12. cap. 13. num. 25. Hieronymus Curita *, magnus Historicus Regni Aragonum *lib.* 10. *cap.* 39. &

[1] Tom. 5. p. 2. & 4. die 1. Sept. Idem scriptum reliquit ex Surio Card. Baron. Tom. 8. p. 242. & 243. Annal. ad An. Dom. 615. & 616.

* Rep. *Surita*.

lib. 14. *cap.* 27. ad calcem, Fabius Paulinus libro 4. *Hebdomadum* cap. 7.

Hujuſce item Campanæ miraculi teſtimonium a publicis Tabellionibus præſtitum, Leonardus Vairus in libro 2. cap. 14. *de Faſcino* ſe perlegiſſe teſtatur hiſce verbis: „In Regnis Hiſpaniæ, in oppi„do *Vililla* nuncupato Cæſarauguſtanæ Diœceſis „Campana quædam eſt, quam miraculorum appel„lant: hæc per aliquot menſes, antequam aliquid „adverſi in Chriſtiana Republica contingat, ex ſe „ipſa, nemine impellente, pulſatur. Cujus rei „teſtimonium per publicos Tabelliones, teſtibus „plurimis adhibitis, hiſce oculis egomet legi, præ„ter fidem, quam de eadem re illius regni Proreges „ſeu Proceres ſuis litteris faciebant. Hæc Vairus.

Martinus Delrius libro 4. cap. 3. q. 2. *Diſquiſition. Magicarum* iſtuc ipſum refert, quod Vairus de Campana Vilillæ ſcriptum reliquit. Præterea ex Gobelino Perſona in Vita S. Meinulphi, rem narrat quoque admirandam de quadam Campana in Bodkenſi Monaſterio, in hæc verba: „Tintinnabu„lum quoddam magnum æneum bene ſonorum in „Bodkenſi Monaſterio reverenter aſſervatur. Nam „quoties aliqua ex ejus Monaſterii Sororibus brevi „erat abitura e vita, abſque ullo humano miniſte„rio, per ſe fortem reddebat ſonum. Hucuſque Martinus Delrius de Campana Monaſterii Bodkenſis. De Campanæ autem Vilillæ vel Viligliæ ſonitu ſpontaneo & admirando Scriptores alios hujus generis miraculum verum eſſe omnino affirmantes, brevitatis gratia reticemus, aliarum Campanarum admiranda conſcripturi.

Sigebertus Gemblacenſis in *Chronicis* Anno Domini M. LXXXI. de Campanis, quæ in Eccleſia Maldemburgenſi Flandrenſis Provinciæ ſua ſponte perſonuerunt, ita inquit: „Campanarium „Eccleſiæ Maldemburgenſis, vehementi vento „flante, a ſuis locis evulſum, & ad terram penitus „fuit inverſatum, ita in aere pendens, & rui„nam ſui minitans, ut ſemper caſurum & cun„cta vicina confracturum cerneretur. Sed cum per „ſex noctes & dies id tractaretur a Populo, „qualiter hinc inde extractis machinis ſurſum eri„geretur & utrumque loco ſuo relocaretur; pri„die Kalendas Januarii circa noctis medium ad„veniens virtus divina, totam Eccleſiam intus & „foris implevit luce ignea, & Campanarium ad „terram reclinatum totum ſimul erexit, ac firmiſſi„me ſuis locis relocavit; & Campanas ibi depen„dentes mox ſonare compulit. Hæc Sigebertus.

Campanæ item Aldemburgenſes ſponte ſua perſonuerunt, ut ait Jacobus Meyerus in Balduino Pio libro tertio *Annalium Flandriæ* ad Annum Domini M. LXII. in hanc verborum formam [1]: „Al„demburgii cum fames intolerabilis Flandros pre„meret, grandiſque multitudo hominum panis „quærendi gratia confflueret Aldemburgum, re„pertus quidam fuit prima luce, qui ſub dio de „nocte fame (ut creditum eſt) perierat, qui dum „ſepeliretur, prohibuit Sacerdos Godobertus, ne „pulſarentur Campanæ, eo quod homo eſſet igno„tus. Sed ecce ibi, ſtupentibus cunctis, qui „aderant, prodigio per ſe æra illa (mirum di„ctu!) perſonuerunt. Hæc in Balduino Pio Ja„cobus Meyerus.

In Monaſterio Salernitano Ordinis Fratrum Prædicatorum ſupra portam illius loci, qui vulgo *Capitulum* vocitatur, in quo Patres pro aliqua re decernenda congregari ſolent, ærea exſtat Campanula, quæ ſponte ſua interdum perſonavit, dum ſcilicet aliquis ex Familia dicti Conventus ex hac vita deceſſit. Cujus rei aliquot recenſentur exempla, præſertim vero illud, quod ante triginta an-

1 Pag. 25. Edit. vetuſtioris, & pag. 30. recentioris.

A nos eveniſſe narratur. Illa enim Campanula, nemine ægrotante dicto in Conventu, perſonuit; ſed ecce Sacerdos novellus die ſequenti primam cantaturus Miſſam, Campanarium cum aliis Fratribus Campanas pulſandi gratia adſcendit ad hanc celebritatem, ut fieri ſolet, indicandam, e ſummitate illa cecidit, & obiit.

Cum cadaver Beati Iſidori, qui Madriti in Hiſpania quadringentis abhinc & amplius annis natus eſt, ex humili ſepulchro ad honeſtiorem locum transferretur, Eccleſiarum Campanæ a nemine pulſatæ, nullove artificio tactæ, divinitus ſponte ſua, miro ordine perſonuerunt, ut Philippus III. Catholicus Hiſpaniarum Rex in ſuo Libello ſupplici, typis mandato, pro ejuſdem Beati Iſidori canonizatione apud Summum Pontificem Clementem Octavum impetranda retulit.

B

In Eccleſia Ordinis Fratrum Carmelitarum Valentiæ (quæ eſt urbs inſignis citerioris Hiſpaniæ, tribus millibus paſſuum a mari remota) exſtat Capella Beatæ Mariæ ſemper Virginis, de Conſolatione nuncupatæ, in qua ſub terra & profunde quidem jacebat Campana, quæ a vetula quadam ob vitæ probitatem inſigni, & prope dictam Capellam degente, circa Annum Domini 1490. ſingulo quoque ſero, præſertim vero in Sabbato, quando ſcilicet Campana ad Salutationem Angelicam recitandam pulſari ſolet, Campana illa ſubterranea ſponte ſua ſonare audiebatur. Hac re tandem promulgata, Rector Conventus Carmelitani locum illum a vetula indicatum excavari juſſit. Hinc terra excavata, profundaque cavea effecta, Campana ipſa tandem aliquando inventa fuit, infra quam erat imago Beatæ Mariæ ſemper Virginis lignea & aurata, quam tempore barbaricarum incurſionum in loco illo ſubterraneo incluſam fuiſſe a Chriſti Fidelibus, conjecturam faciunt. Non deſunt autem, qui dicant, circa dictæ imaginis pectus aperturam eſſe, in qua cum ſacris Reliquiis ſanctiſſimum item Sacramentum fuiſſe inventum per traditionem affirmant.

C

D

In Territorio Groningæ, quæ eſt civitas Friſiæ metropolitana, exſtat pagus vocitatus *Brock*, in quo Campanæ ſponte ſua perſonarunt; deinde magnam hominum mortalitatem ſecutam fuiſſe Hiſtoriæ produnt.

Spontaneum item ſonitum dederunt Campanæ Baſilicæ S. Pauli prope & extra muros Urbis Romæ. Nam Anno Domini 1610. die 24. Octobris, die Dominico, dum intra Arenariam (quæ inter Baſilicam Sancti Pauli & Eccleſiam Sancti Sebaſtiani exſtat) Notarius publicus de mandato Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Cardinalis Urbis Vicarii, cum aliis commoraretur, ut locum ſanctarum Reliquiarum a Pictore quodam indicatum recognoſceret, majores Campanæ Baſilicæ Sancti Pauli perſonuerunt. Quoniam vero dictæ Campanæ nonniſi in diebus feſtis ſolennibus, & in Summi Pontificis ad ipſam Baſilicam adventu pulſari ſolent; abſente Abbate, Prior Monaſterii Sancti Pauli, & aliquot ejuſdem Monachi ab Eccleſia Sancti Sebaſtiani ad ſuam Baſilicam redeuntes, audito in ipſa Arenaria dictarum Campanarum ſonitu, greſſus omni feſtinatione properarunt, Summum Pontificem ad eam Baſilicam adventaſſe putantes. Poſtquam autem eo deventum fuit, nec Summum Pontificem illuc acceſſiſſe, nec dictas Campanas ab ullo prorſus homine pulſatas aut motas fuiſſe, facti ſunt certiores. Id quod omnibus perſuaſiſſimum fuit, tum ob ingentem Campanarum magnitudinem, tum quia ingreſſus ad eas haud facile patet, atque in tali die dictæ Campanæ, uti jam diximus, pulſari non ſolent. Idcirco ad certitudinem ac vene-

E

F

rationem sanctarum Reliquiarum indicandam, spontaneum Campanarum sonitum divinitus factum esse, pie credendum censetur.

Multa item alia in hanc rem exempla dicenda supersunt, quæ nimis longum esset recensere. Hæc itaque dicta sufficiant de admiranda virtute Campanis consecratis ad res occultas præsentes & futuras indicandas, necnon ad alios effectus admiratione dignos producendos, loco ac tempore divinitus immissa. Nunc reliquum est, ut Campanarum Ecclesiasticarum originem a Tubis Veteris Testamenti in sancta Dei Ecclesia deductam in medium afferamus.

CAP. VIII.

De origine Campanarum a Tubis Veteris Testamenti deducta.

CAmpanarum originem a Tubis Veteris Testamenti habere, censendum videtur: nam in Veteri Testamento Dominus Deus, ut legitur in decimo *Numerorum* capite, Tubas fieri mandavit, dum Moysi dixit: *Fac tibi duas Tubas argenteas ductiles, quibus convocare possis multitudinem, quando movenda sunt castra*. Et infra post multa de congregando Populo a filiis Sacerdotis Aaron, atque de tempore procedendi ad bellum, ad clangorem Tubarum, necnon diebus festis & lætitiæ, deque holocaustis & victimis pacificis, ac de oblationibus, Tubarum item clangore indicandis, loquitur in hanc verborum formam: *Filii autem Aaron Sacerdotis clangent Tubis, eritque hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris. Si exieritis ad bellum de Terra vestra contra hostes, qui dimicant adversum vos, clangetis ululantibus Tubis, & erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, ut eruamini de manibus inimicorum vestrorum. Si quando habebitis epulum, & dies festos, & Kalendas, canetis Tubis super holocaustis & victimis pacificis, ut sint vobis in recordationem Dei vestri*. Hæc de Tubis in decimo *Numerorum* capite. Ut autem Campanæ a Tubis Veteris Testamenti per ea, quæ in dicto *Numerorum* capite leguntur, originem habere comprobentur, similitudinem inter Tubas & Campanas, ob multiplicem earumdem usum ductam, expendere seu examinare necesse est.

CAP. IX.

De similitudine inter Tubas & Campanas.

IN decimo, ut vidimus, *Numerorum* capite, Tubarum usus ad plura pertinebat, ad castrorum scilicet motionem, ad belli congressionem, ad Populi congregationem, ad festi celebrationem, ad epuli oblationem, ad holocausta & victimas pacificas. Sicut autem hæc omnia in Veteri Testamento ad Tubarum fiebant clangorem, ita totidem, at illis modo suo similia, in Novo Testamento ad Campanarum sonitum celebrantur. Nunc enim in sancta Dei Ecclesia pro castrorum motione, belli congressione, atque Populi congregatione, lustrationes vel supplicationes, quas vulgo Processiones appellant, prævio sanctissimæ Crucis vexillo, Clero sequente, & Populo comitante, celebrantur, & ululantium Tubarum loco, Campanæ pulsantur pro victoria consequenda contra Dæmones humani generis hostes, hoc est, contra eorumdem consultationes & insidias, & contra alia mala, ut implorata misericordia

A Dei omnipotentis & clementis, *cujus*, ut ait S. Leo [1], *natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia est*, opus misericordiæ consequamur.

Tubarum item loco super holocaustis & victimis pacificis in Veteri Testamento clangentium, nunc ad laudem, honorem, & gloriam incruenti sacrificii in sancta Dei Ecclesia, uti jam diximus, Campanæ pulsantur.

Interea sicut ad festos dies celebrandos Tubæ olim clangebant, ita nunc ad festivitates repræsentandas & venerandas Campanæ pulsantur.

Sicut denique in Veteri Testamento tam in ad- B versis quam in prosperis rebus ex præcepto Dei Tubis clangendum erat, ita nunc juxta temporum varietatem & rerum indigentiam pulsari solent Campanæ, dum scilicet ad pœnitentiam & lacrymarum compunctionem excitamur, & ad Dei misericordiam implorandam provocamur.

Adde etiam, quod omne tempus convenit verbo Dei. Modo enim legendum est, modo Deo cantandum, modo orandum, modo exhortandum, modo docendum, modo tandem increpandum: hæc enim omnia in Ecclesia sancta Dei fieri solent, juxta illud Beati Pauli Apostoli ad Ti- C motheum scribentis 1. *Epist.* c. 4. *Prædica verbum; insta opportune, importune; argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Necnon juxta illud Psalmi 33. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Ad hæc tandem omnia præstanda, juxta rerum congruentiam ac distinctionem, Campanæ item congrue ac distincte pulsantur. Hæc de origine, quam a Tubis Veteris Testamenti Campanæ Novi Testamenti quantum ad usum traxisse censentur, quandam inter se similitudinem habentes, ut dissimilitudinem earumdem videamus.

D

CAP. X.

Dissimilitudo inter Tubas & Campanas.

QUantum vero ad materiam & formam, Tubæ atque Campanæ sunt dissimiles: Illæ namque argenteæ, hæ autem ex ære conflatæ: Illæ ductiles, hæ conflatiles: Illæ satis oblongæ, angustæ, ac subtiles, hæ quasi rotundæ atque crassæ, quamdam tamen galeri aut pyri formam repræsentantes. Campanæ denique fiunt ex ære, quod est metallum durabile ac sonorum; atque E intus habent ferreum instrumentum, quo percutiuntur ut sonitum reddant, Novique Testamenti Prædicatorum ora significant, quæ plus durant quam Tubæ Veteris Testamenti, altiusque resonant. Notus namque olim erat tantum in Judæa Deus, nunc autem in toto Terrarum Orbe, ut recte ostendit Amalarius Fortunatus, Episcopus Treverensis in libro tertio *de Ecclesiasticis officiis* capite primo, in quo hæc omnia diffuse declarat, sicut infra *cap.* 13. videre licet, eo scilicet in loco, in quo de officio pulsandi Campanas habetur F sermo. Hæc hactenus de Campanis ad Tubas relatis, ut rem præcipuam initio propositam prosequamur.

1 Serm. 2. *de Nativ. Dom.* & legitur in Annunc. B. Mariæ semper Virginis Officio.

A

CAP. XI.

Campanarum sonitus diversi unde oriantur.

CAmpanarum sonitus diversi sunt juxta materiæ ac formæ diversitatem. Materia enim ex æris, stanni, plumbique mixtione constare solet, secundum varia opificum consilia, ut ait Hieronymus Magius cap. 20. *de Tintinn.* nam si gravem (inquit) sonum quæsiverint, stanni, plumbique non parum æri admiscent; si acutum, stanno plumboque plus parcunt. Sed sæculis superioribus, cum avaritia minus, ut Magius inquit, sæviret, vel major argenti foret, ut reor, copia, argentum multum opifices in fundendis Campanis admiscere solebant. Id quod ex ipso antiquarum Campanarum sonitu planum profecto fieri tradit Magius, qui duas hujus generis Campanas in Sancti Bartholomæi Ecclesia apud suos conterraneos Anglarienses reperiri ait.

Formæ item Campanarum diversæ, majores videlicet, & minores; magis, & minus crassæ; magis quoque, ac minus oblongæ, vel magis, & minus latæ; necnon magis & minus pyri, vel magis aut minus petasi, vel galeri, aut pilei formam repræsentantes, efficiunt sonituum diversitatem. Propterea Magius c. 20. *de Tintinn.* ex diversitate formarum diversos Campanarum sonitus breviter colligit, & comprehendit in hæc verba: „ Campanæ non solum materiam, sed & formam „ plurimum ad soni magnitudinem & suavitatem „ conducere certo scimus. Si humiliores, latio„ resque petasi seu galeri, aut lebetis figura effor„ mentur, sonum non admodum magnum & „ ingratum auribus edunt: si vero longiores, cras„ sioresque quam artis ratio patitur, obtusum, „ nec late dimanantem emittunt. Artis præscri„ pto Campanæ altitudo duplici oris diametro con„ stat, at paulo breviore mensura. Forma pyri „ longioris effigiem æmulatur atque exprimit. „ Antiquorum tintinnabula magis ad galeri quam „ ad hujusmodi pomi formam accedebant, erant„ que tenuiora, quamobrem & rauca, & minus, „ quam nostra sint, sonora. Hæc Magius ad verbum.

Sonitus denique Campanarum diversitatem efficiunt diversa illa ferrea instrumenta, quibus Campanæ intus pulsantur. Dicuntur autem diversa, juxta majorem & minorem ferri quantitatem. Si enim ferreum illud instrumentum (quod Rhopalum Græce dicitur, Latine autem Malleus, & Lingua nuncupatur) habeat cum Campana proportionem, congruum Campanæ quantitati sonitum reddit, & auribus gratum; sin secus, vel obtusum, vel asperum, sive nimis acutum (quem vulgo squillantem appellant) & auribus ingratum. Hinc ferreum illud instrumentum perpulchre ac satis proprie Lingua Campanæ nuncupatur, quippe quæ in ipsa Campana suo modo facit, quod lingua in homine. De variis Campanarum formis fundendis, necnon de Instrumentis, quibus Campanæ pulsantur, juxta varias Campanarum formas faciendis, Vannuccius Biringuccius Senensis, Artifex Campanarum egregius, perscribit in sua *Pyrotechnia* lib. 6. a cap. 10. usque ad 15. in qua etiam docet quonam pacto Campanæ in turribus constitui, aut suspendi, & moveri debeant, multaque figuris delineatis optime commonstrat.

CAP. XII.

De musico Campanarum concentu, necnon turrium præstantia.

EX variis denique Campanarum formis peritissimorum hominum, etiam Musicorum arte, ac scite quidem factis, musicus Campanarum concentus fieri potest, immo solet, sicut diversis in locis videre licet. Nam, ut Hieronymus Magius in libello *de Tintinn.* cap. 27. & Hieronymus

B Cardanus in libris *de rerum Varietate* libro 12. cap. 58. scriptum reliquerunt, apud Menapios & Sicambros Populos ad utramque Rheni, Germaniam & Galliam dividentis, partem sitos, necnon apud alias Christianas Nationes Campanæ a musices non ignaris efformatæ atque suspensæ in turribus, ac denique a Musicis pulsatæ, musicum reddunt concentum, organorum instar.

Antuerpiæ, quæ est civitas Brabantiæ ac Belgii totius celeberrimum Emporium, exstat augustissimum Templum B. Mariæ semper Virgini sacrum, turrim ex candido marmore admirandæ altitudinis,

C hoc est, quadringentorum & viginti pedum Antuerpiensium, teste Guicciardino in *Descript. Germaniæ Inferioris*, p. 103. in folio, habens constructam, in qua, ut ait Franciscus Swertius *in Magium*, fit musicus Campanarum concentus, adeo insignis, tantaque arte & harmonia, ut non Campanas, sed Organum aliquod, exteris omnibus stupentibus, audire videaris. De hujus generis Campanarum harmonia Hieronymus Cardanus *de rerum Varietate* l. 12. c. 58. postquam loquutus est de perpetuo Tubarum sono efficiendo, hunc ait in modum: „ Revocavit hæc narratio memoriam „ ejus, quod Bruxellis in Belgica vidi; Nolæ plu-

D „ rimæ in circuitu positæ super turri, ut fieri solet, „ vocum musicarum sonis proportionem obtinent: „ adeunt gnari artis, & tangentes singulas pro no„ tis descriptis, cantilenam pulsant, admiratione „ potius dignam quam jucundam auditu; nam „ Nolæ non retinent vocem, sed cum ictu statim „ desinit. Idem Lovanii Antuerpiæque fit. Trans„ ferri etiam potest ad urceos, aliaque vasa. Si di„ cas, quis usus harum Nolarum? Ut tota civitas „ audiat musicam; quod commodum non est exi„ guum. Hucusque Cardanus, qui cum dicat, harmoniam Campanarum Bruxellensium admiratione potius dignam quam auditu jucundam, Fran-

E ciscus Swertius Antuerpiensis *in Magium de Tintinnabulis*, de Campanarum Antuerpiæ harmonia ita inquit: *Utinam Cardanus hodie Campanarum musicam Antuerpiæ audiret, secus judicaret, nempe & admiratione dignam & auditu jucundam*. Hæc Swertius. Georgius autem Braunius in Tomo quinto *Civitatum Theatri* pag. 27. de Turri & harmonia Campanarum Cathedralis Ecclesiæ Antuerpiensis, necnon de primaria ejusdem Campana, deque ipsamet Ecclesia in hanc loquitur verborum formam: „ Primaria Antuerpiensis Ecclesia, Bea„ tæ Mariæ semper Virgini inscripta, Collegiata,

F „ nunc Cathedralis est, amplitudine magnificentia„ que excellens, multis ornamentorum generibus „ decorata. Cujus eminentior turris, Campanis „ destinata, mirabili structura ex candido marmo„ re affabre facta, admirandæ altitudinis visitur; „ alta pedes quadringentos viginti, unde non tan„ tum sumtuosissima civitatis ædificia, sed & „ amœnissimi quaquaversus agri, horti, & pra„ ta, etiam ultra Scaldim in Flandria conspiciun„ tur. Sunt in ea triginta tres Campanæ promi„ scuæ magnitudinis, quæ tam consonantem edunt

„ sonum, & diversas Ecclesiasticas melodias ita „ exprimunt, ut ab harmonia musica vix cum „ distinxeris. Harum Campanarum prima tanta „ est, ut nulla in Belgio sit magnitudine vastior: „ octo enim pedes capit ejus altitudo, septem „ cum semipede hiatus in diametro. Hucusque Braunius de quattuor Antuerpiensis Ecclesiæ rebus admiratione dignissimis, turris videlicet altitudine, Campanæ primariæ vastitate, Campanarum multitudine, & musico earumdem concentu, musicam Organorum harmoniam repræsentante. Hæc obiter dicta sint, ut harmoniam Campanarum musicam prosequamur.

1 Mechlinia item, vel Machlinia, vulgo *Malines* vocitata, quæ est civitas Brabantiæ præclara, & Brabantiæ meditullium non inepte dici potest, Lovanio, Bruxella, vel Bruxellis, & Antuerpia tot clarissimis urbibus interclusa, & undique quattuor milliaribus distans, habet Campanas, quæ Organorum instar, digitis tamen ac pedibus pulsatæ, musicos & varios quidem concentus pro pulsantis arbitrio reddunt. Idem fit Bruxellæ, seu Bruxellis, Hallei, seu Hallæ, ac Trajecti, & aliis in locis illius Regionis.

2 Leodium, quod est Germaniæ Inferioris, quam secundam dicunt, civitas maxima, miræ item magnitudinis habet Campanas, quæ musicos diversi generis concentus mira efficiunt arte. Nam in Cathedrali Ecclesia, Sancto Lamberto dicata, octo sunt amplissimæ Campanæ, minusculæ vero duodecim ad horarum pulsationem accommodatæ. Ad Campanæ harum maximæ pulsationem quattuor & viginti requiruntur homines. Maxima enim Campana duabus & quidem magnis est cincta rotis, quæ circumligatæ sunt duobus deorsum pendentibus funibus, quibus item alligati sunt quattuor & viginti alii funiculi. Deinde homines duodecim trahunt vice versa funes ab una parte, necnon duodecim alii ab altera parte; ita vero, ut, quando pars una deorsum trahit, altera sursum trahat. Qui sane mos in pulsandis Campanis pro musico efficiendo concentu per totum Belgium observatur, sicut dictæ civitatis & Regionis Indigenæ, qui Romæ vitam degunt, omnino affirmant.

In Ecclesia Sancti Pauli ejusdem civitatis Leodii quattuor & viginti Campanæ ad omne genus musices aptissimæ, Organorum instar, manibus ac pedibus pulsantur; immo tanta sunt dispositæ arte, ut ex se, vi tamen ponderum, instar Horologii, die nocteque antequam horæ personent, omnia horarum præambula, quæ sunt Antiphonæ, cuilibet diei festo conguentes, musicaliter, ut ita dixerim, decantent.

In Sancti Laurentii ejusdem civitatis exstant una & viginti Campanæ, e quibus concentus musicus & quidem jucundissimus redditur non sine magna audientium voluptate: iis enim Campanis, & frequenter quidem, diversæ concinuntur cantiones, ad quas audiendas homines convolare solent.

Ibidem apud Cruciferos Campanæ complures, Organorum instar pulsatæ, omnibus redduntur gratæ ob musici concentus jucunditatem.

3 Argentoratum, sive Argentina, civitas vetustissima ac permagnifica, Argentuaria, & Aurentina etiam dicta, apud Helvetios ad Germaniam Superiorem pertinens, prope Rhenum sita, nobile ac ingens quoddam opus habet, cujus adsimile, si altitudo ejus & artificium pensitentur, nec in Germania, nec in Italia, nec in Gallia, neque aliis in locis invenitur, sumtuosissima nempe turris illa, quæ Anno Christi Domini 1277. inchoata fuit, atque viginti octo ferre annis usque ad fastigium consummata, quadratis autem lapidibus & perpulchre figuratis ab ipsis fundamentis ad supremum usque culmen erecta, ubique aeri & vento pervia: cujus adscensus quattuor patet cochleis. Ubi vero crassities ejus in fastigium incipit acuminari, ibi octo insurgunt cochleæ. Supremus nodus, qui inferius vix modii magnitudinem habere videtur, tantus est, ut capacitas ejus quinque aut sex homines recipiat personatos [1]. Turris autem longitudo sive altitudo quingentos & septuaginta quattuor geometricos habet pedes. Hæc ex Georgio Braunio in Tomo *Theatri Civitatum* primo.

1 Georg. Braunius Tom. 3. *Theatri Civitat.* p. 12. 2 Idem *ibid.* Tom. 1. pag. 11. 3 Idem *ibid.* pag. 33.

Admirabili dictæ turris artificio admiranda Campanarum præstantia musico insignita concentu respondet. In alia intra Ecclesiam turri exstat Horologium mira profecto arte constructum, quod aliquot anni festivitates præcipuas vel solemnitates Ecclesiasticas repræsentat per imagines quasdam, quæ referunt personas & alias res diebus festis repræsentandis congruentes, dum horæ pulsantur. Antea vero quam horæ pulsentur, duo Angeli tubas personantes repræsentati musicum reddunt concentum, quo expleto, horæ pulsantur: quibus tandem pulsatis, gallus etiam super Horologii verticem effictus magno cum strepitu alas concutit, deinde statim bis modo suo cantat. Hujus generis Horologium construxisse fertur Nicolaus Copernicus, vir arte Mathematica peritus, qui Anno Domini 1540. floruit, sed tam insigni opere ad finem perducto, a civitatis Consulibus, & Primatibus, oculis (ut ajunt) orbari jussus fuit, ne usquam gentium tam egregium opus construere posset.

Admirandum & valde insigne Venetiis prope Sancti Marci Ecclesiam exstat Horologium a duobus effictis ex ære Mauris, hoc est, obscuri aut nigerrimi coloris hominibus, hinc inde pulsatum; Postea vero quam horæ pulsatæ sunt, e duorum ostiolorum uno, inter quæ Deiparæ Mariæ semper Virginis sculpta infra Horologium imago sedens repræsentatur, Angelus tubam personando exit, ut alterum ostiolum ingrediatur, a tribus comitatus Magis, qui dum ante dictam imaginem transeunt, sese artificiose flectunt, & inclinato capite ipsam imaginem venerantur, Angelumque intra ostiolum ingredientem sequuntur. Id quod Franciscus Sansovinus in ejusdem civitatis Descriptione satis fuse ac belle quidem scriptum reliquit, multis rebus lectu ac scitu dignis enarratis de dicto Horologio, quod, ut ait idem Sansovinus, Anno Dom. M. CD. XCVI. artificiose fuit constructum.

Musico autem Campanarum concentu Campanariæ turres miro artificio constructæ, admirandisque Horologiis insignitæ, gallisque cantantibus exornatæ, tam in Germania Superiori quam Inferiori passim cernuntur. Quæ sane loca suis cum rebus ad musicos Campanarum concentus pertinentibus recensere, nimis longum foret. Postquam vero in ipso musico Campanarum concentu describendo mentionem fecimus de Campanarum earumdem admirandæ altitudinis ac structuræ turribus, quæ in Germania Superiori & Inferiori, hoc est, Flandria reperiuntur, silentio prætereundum non videtur illud, quod Flavius Blondus in lib. 1. num. 56. *Romæ instauratæ* de Turri Campanaria Basilicæ Sancti Petri Romæ scriptum reliquit hisce verbis: *Leo IV. Campanariam turrim exstruxit, quæ omnium prima in Orbe terrarum fuit*. Hæc Blondus, qui dictam turrim omnium primam in Orbe terrarum fuisse dixit, vel

1 Hoc est, magnæ staturæ.

vel ob altitudinis aut structuræ præstantiam; vel illam omnium primam ratione temporis in Orbe terrarum fuisse intellexit, quasi dixerit nullam Turrim Campanariam ante illam ædificatam fuisse ad illud usque tempus, hoc est, Annum Domini D. CCC. L. Nam Frater Alphonsus Ciacconius Ordinis Prædicatorum in *Leone* IV. de hac Turri loquitur hunc in modum: *Anno* 850. *S. Petri Basilicam Leo Romanus Pontifex, novo ad usum rei divinæ, eoque magnifico Campanario exornavit: & ne hujusmodi in posterum obnoxia incursionibus ac direptionibus esset, Vaticanum ipsum munire & lapideis muris sepire instituit*. Hæc Ciacconius. Platina vero inquit [1]: *Mœnibus Vaticanum cinxit; Leoninamque Urbem de suo nomine appellavit; necnon Turrim, quam adhuc cernimus, in Vaticano apud Sanctum Petrum ædificavit: & Fores Basilicæ S. Petri, ab Agarenis direptas, ex argento restituit*. Hæc ex Platina & Ciacconio colligere mihi visum fuit, ut mentionem in medium afferrem ab iis factam de dicta Turri, cujus fastigium circa An. Dom. M. CCC. III. in nocte post festum S. Petri diem, ob incuriam Mansionariorum igne devastatum, Bonifacius VIII. præter alia & multa quidem beneficia eidem Basilicæ Sancti Petri collata, reparandum curavit; Campanisque ob dictum incendium in terram collapsis & confractis, sed novas & duplicati quidem ponderis Campanas, ut legitur in Codice manuscripto perantiquo Benefactorum ejusdem Basilicæ, fundendas mandavit. Anno autem Dom. M. CCC. LII. paulo ante Clementis VI. obitum, teste Alphonso Ciacconio [2], dirus fulsit Cometes, & quatriduum ante ipsius mortem, eadem Turri Campanaria fulmine icta, culmen ejus magna ex parte disjectum fuit, & vi ignis Campanæ devastatæ fuerunt, quarum loco Anno Domini M. CCC. LII. anno scilicet primo Innocentii VI. novæ Campanæ factæ sunt, ut in prima Campana, quæ dicitur major, & in secunda Campana, quæ nuncupatur minor, videre licet. Campanæ autem sunt quinque, quibus incisæ sunt Inscriptiones, ut infra leguntur, quæ quamvis rudem contineant Latinitatem, versuumque regulam & quantitatem syllabarum interdum non servent, eas tamen ad rem historicam repræsentandam hoc loco apponere visum fuit.

INSCRIPTIO

Majoris Campanæ Sancti Petri.

In nomine Domini, Matris, Petrique Paulique,
Accipe devotum, parvum licet, accipe munus,
Quod tibi Christe datum Petri Paulique triumphum.

Explicat, & nostram petit, populique salutem
Ipsorum pietate dari, meritisque refundi.
Et Verbum caro factum est.

Anno Milleno trecenteno cum quinquageno
Additis & tribus Septembris mense colatur;
Ponderat & millia decies septiesque librarum.

INSCRIPTIO

Secundæ Campanæ.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.
Ad honorem Dei, & Beatæ Mariæ Virginis,
Et Beatorum Apostolorum Petri & Pauli.
Verbum caro factum est.

Solve jubente Deo terrarum Petre cathenas,
Qui facis, ut pateant cælestia regna Beatis.
Hæc Campana cum alia majori ponderante $\frac{\text{m}}{\text{xvi.}}$
Post consumtionem ignito fulgure, anno præcedente imminente, fusa est Anno Domini M. CCC. LIII. *Mense Junii, & ponderat hæc* M. X. *& centena librarum. Amen.*

INSCRIPTIO

Tertiæ Campanæ, quæ pulsatur pro Auditoribus Rotæ.

Nomine Dominico Patris, prolisque Spirati
Ordine tertiam Petri primæ succedere noscant
Per dies paucos quotquot sub nomine dicto
Sanctam Ecclesiam colunt in agmine trino. Amen.

INSCRIPTIO

Quartæ Campanæ, quæ pulsatur, dum Populus ad sanctam convocatur Concionem.

Anno Domini M. CC. LXXXVIII. *Ad honorem Dei, & Beatæ Mariæ Virginis, & Sancti Thomæ Apostoli, tempore Fratris Joannis de Leodio ministri, factum fuit hoc opus de legato quondam domini Rikardi Domini Papæ Notarii. Guidottus Pisanus me fecit.*

INSCRIPTIO

Campanæ parvæ, quæ prior pulsatur in diebus festis.

Mentem sanctam spontaneam, honorem Deo, & Patriæ liberationem.
Ave Maria gratia plena Dominus tecum;
Benedicta tu in mulieribus,
& benedictus fructus ventris tui.

Nunc autem, Anno scilicet Domini 1610. Septembri Mense, dictæ Campanæ translatæ fuerunt supra Basilicam Sancti Petri novam intra unum ex quattuor minoribus Tholum, quem vulgo Cuppulam vocant. Deinde 26. die Mensis Octobris eadem Turris Campanaria, culmine olim dejecto, funditus fuit eversa cum aliis vetustissimis ædificiis, quæ admirandum Basilicæ novæ prospectum ac situm impediebant. In aliis item Campanis ceterarum Basilicarum & Ecclesiarum tam Urbis Romæ quam aliorum locorum exstant Inscriptiones, hisce, quas vidimus, aliqua ex parte adsimiles.

In primaria Basilicæ Lateranensis Campana, quæ Anno Domini 1389. fusa legitur, inter sacra nomina & mutila quædam verba & inexplicabilia fit mentio de Bonifacio IX. qui anno eodem summus Pontifex creatus fuit. In secunda Campana Honorii III. nomine insignita, & ob vetustatem perfracta, sed Anno Domini 1504. restituta, fit mentio de Ranutio Farnesio, Cardinale, & Pauli III. nepote, necnon Basilicæ Lateranensis Archipresbytero: ita etiam in tertia & quarta, Artifice dictarum Campanarum commemorato.

1 In Vita Leonis IV. 2 In illius Papæ Vita.

In tribus Baſilicæ Sanctæ Mariæ Majoris Campanis minoribus, quarum duæ Anno Domini 1285. alia vero 1291. fuſæ leguntur, exſtant Inſcriptiones ad honorem Omnipotentis Dei, ac Deiparæ Mariæ ſemper Virginis venerationem, juxta verborum formas jam a nobis enarratas [1]; necnon illa Inſcriptio ad Sanctæ Agathæ corporis caput in ſepulchro reperta, & a nobis in capite hujuſce Commentarii ſexto explicata. Quæ omnia ſuperius videre licet. In ipſis item Inſcriptionibus leguntur Artificum Campanarum nomina, & eorum, qui pecuniam in eos ſumtus erogarunt.

In majori tandem Eccleſiæ Jeſuitarum Campana, quæ ex Anglia delata fuit, hæc legitur Inſcriptio:

Facta fuit A. Dom. 1400. *die* VI. *Menſis Septembris. Sancta Barbara ora pro nobis.*

Hucuſque de Campanarum Inſcriptionibus, ob mentionem de Campanaria Turri Baſilicæ Sancti Petri, a Blondo, necnon ab aliis tam ſplendide factam, digredi aliqua ex parte mihi viſum fuit, ut eo, unde digreſſi ſumus, revertamur.

Quamvis autem in Italia & aliis in locis Campanæ in eadem Turri complures dedita opera ita concinnatæ, uti jam vidimus, non reperiantur, ut artificioſos muſicæ concentus efficiant; Romæ tamen & alibi non deſunt Campanæ, quæ ſuavem & amœnum ſonum reddant; nonnullæ item, etſi non arte, vel non dedita opera ita fuerunt concinnatæ, ut artificioſum reddant ſonitum; muſicum tamen concentum quendam efficere inveniuntur, dum aliquas muſicæ conſonantias, quamdam ſcilicet ſymphoniam emittunt. Romæ itaque in Eccleſia Sanctæ Mariæ ad Montes, & in Eccleſia Sanctæ Catharinæ ad Funarios, aliter de Roſa, necnon alibi exſtant Campanulæ, quæ muſicum quemdam reddunt concentum. Bononiæ autem Campanas muſicas olim fuiſſe Hieronymus Magius in libello *de Tintinnabulis* cap. 17. teſtatur hiſce verbis: *Vidimus olim Bononiæ in Æde Epiſcopali antiqua tria tintinnabula argentea, ea arte facta, ut cum a Sacerdotibus, muſices non ignaris, ad ſonum edendum moverentur, muſicos concentus emitterent*. Hucuſque Magius de argenteis Bononiæ Campanis, de quarum concentu muſico hæc dicta ſufficiant, ut ſcopum noſtrum primarium, multiplicem ſcilicet Campanarum uſum in ſancta & univerſali Dei Eccleſia, tam videlicet apud viros Laicos quam Eccleſiaſticos receptum, tandem aliquando explicandum aggrediamur, officio pulſandi Campanas prius explicato

CAP. XIII.

De Campanario ſive de officio pulſandi Campanas.

ANteaquam ad multiplicem Campanarum uſum in Eccleſia ſancta Dei receptum accedamus, nomen & officium illius, qui Campanas pulſare debet, explicare neceſſe eſt. De officio pulſandi Campanas, ac de nomine ipſius, qui eas pulſare debet, habetur ſermo in libro primo *Decretalium* Titulo 27. capite primo, in quo poſt officium Sacriſtæ Titulo 26. comprehenſum, recenſentur ea, quæ pertinent ad officium Cuſtodis, de quo ita ibi legitur: *Cuſtos Eccleſiæ, cui ea, quæ Eccleſiæ competunt, cuſtodienda committuntur, oportet, ut ſui Archidiaconi juſſioni in cunctis obediat: in Canonicis horis ſigna tintinnabulorum pulſanda, ipſo Archidiacono jubente, ab eo pulſentur: pallia, vel linteamina altaris, ſeu cuncta utenſilia Eccleſiæ indeſinenter cuſtodiat. Lampades & laternas in accendendo ſeu exſtinguendo pervigil exſiſtat*. Hæc ibi de officio Cuſtodis, qui eſt Sacriſtæ miniſter, & a Campana pulſanda nunc vulgo Campanarius vocitatur; olim vero, in primitiva ſcilicet Eccleſia, & Cuſtos & Manſionarius nuncupabatur. Cuſtos ob rerum Eccleſiaſticarum cuſtodiam ſeu curam; Manſionarius autem a manſione vocitabatur, ut Onuphrio Panvinio placet, hæc verba ſcribenti [1]: *Manſionarius dictus eſt Cuſtos, & Conſervator Ædium Eccleſiaſticarum, Templorum, & Altarium: item familiaris & domeſticus, a manſione. Multi ex his erant in Eccleſia Romana, quorum major primus Manſionarius vocabatur. Unius horum & ejuſdem muneris meminit Divus Gregorius in libris Dialogorum: hodie in multis Eccleſiis exſtant, curamque Pſalmodiæ & Altarium habent*. Hæc Panvinius. De hujuſce officii nominibus mentionem facit Sanctus Gregorius Magnus in tertio libro *Dialogorum* cap. 24. & 25. dum loquitur de S. Theodoro & S. Abundio Manſionariis, qui modo Cuſtodes, modo Manſionarii appellantur. Nam in capite 24. cujus Titulus eſt de Theodoro [2] Manſionario Beati Petri Apoſtoli Urbis Romæ, Sanctum Petrum ait apparuiſſe, & loquutum fuiſſe Theodoro, qui ad lampades concinnandas quadam nocte citius, quam ſolebat, ſurrexerat. In capite autem 25. loquitur de S. Abundio [3] Eccleſiæ Sancti Petri Manſionario & Cuſtode nuncupato, ad quem a Sancto Petro puella quædam paralytica ſananda miſſa fuit, quam ſtatim ſanatam fuiſſe, manu ipſius puellæ a S. Abundio tacta, Sanctus Gregorius ibidem narrat.

De Theodoro Manſionario Eccleſiæ Beati Petri Apoſtoli Urbis Romæ Sanctus Gregorius lib. 3. *Dialog.* cap. 24. tom. 3. loquitur in hæc verba: ,, Adhuc ſuperſunt aliqui, qui Theodorum ejus ,, Eccleſiæ Cuſtodem noverunt, cujus narratione ,, innotuit res, quæ ei contigit valde memorabi- ,, lis. Quod quadam nocte dum citius ad melio- ,, randa juxta januam lumina ſurrexiſſet, ex more ,, ligneis gradibus ſub lampade poſitus ſtabat, & ,, lampadis reſovebat lumen. Tunc repente Bea- ,, tus Petrus Apoſtolus in ſtola candida deorſum ,, in pavimento conſtitit, eique dixit: Colliberte ,, quare tam citius ſurrexiſti? Quo dicto, ab ocu- ,, lis adſpicientis evanuit. Sed tantus in eum pavor ,, irruit, ut tota in illo corporis virtus deficeret, ,, & per dies multos de ſtrato ſuo ſurgere non va- ,, leret. Qua in re quid idem Beatus Apoſtolus ,, ſervientibus ſibi voluit, niſi præſentia ſui reſpe- ,, ctus oſtendere: quia quidquid pro ejus venera- ,, tione agerent, ipſe hoc pro mercede retributio- ,, nis ſine intermiſſione ſemper videret. De Abundio Manſionario [4] item Eccleſiæ Beati Petri hunc loquitur in modum: ,, Alius hic non ante longa ,, tempora, ſicut noſtri Seniores referunt, Cuſtos ,, Eccleſiæ Abundius dictus eſt, magnæ humili- ,, tatis atque gravitatis vir, ita Omnipotenti Deo ,, fideliter ſerviens, ut idem B. Petrus Apoſtolus ,, ſignis oſtenderet, quam de illo haberet æſtima- ,, tionem. Nam cum quædam puella paralytica ,, in ejus Eccleſia permanens, manibus reperet, & ,, diſſolutis renibus corpus per terram traheret, diu- ,, que ab eodem B. Petro Apoſtolo peteret, ut ſana- ,, ri mereretur, nocte quadam ei per viſionem adſti-

1 Sup. pag. 1257. & 1258.

1 De interpret. vocum obſcurarum Eccleſ. poſt Vitas ſumm. Pontif. ab ipſo conſcriptas. 2 In Martyr. Rom. die 26. Decembris. 3 Ibid. die 14. April. 4 S. Greg. lib. 3. Dial. capite 25. S. Abund. appellatur Cuſtos, & infra nuncupatur Manſionarius: qui idem ſunt Cuſtos & Manſionarius.

„ tit, & dixit: Vade ad Abundium Mansionarium, & roga illum, atque ipse tibi salutem restituet. cumque illa de tanta visione certa esset, „ sed, quis esset Abundius, ignoraret, cepit huc „ illucque per Ecclesiæ loca se trahere, ut quis esset Abundius investigaret. Cui repente ipse factus est obviam, quem quæsivit; eique dixit: Rogo te, pater, indica, quis est Abundius Custos? „ Cui ille respondit: ego sum. At illa inquit: Pastor & nutritor noster Beatus Petrus Apostolus „ ad te me misit, ut ab infirmitate ista liberare me „ debeas. Cui ille respondit: Si ab ipso missa es, „ surge; manumque ejus tenuit, & eam in statum „ suum protinus erexit. Sicque ex illa hora omnes „ in ejus corpore nervi ac membra solidata sunt, „ ut solutionis illius signa ulterius nulla remanerent. De dictis Mansionariis, hoc est, de Sancto Abundio & Sancto Theodoro, fit mentio in Martyrologio Romano de illo in 14. Aprilis die, de hoc autem in die 26. Decembris.

Nomen igitur tam Custodis quam Mansionarii ante mille atque amplius annos pro Campanario sumebatur. Quod etiam nunc Romæ viget, dum Mansionarii præsens etiam in tempus pulsant Campanas, necnon pulsandas curant, & præsertim in Basilica Sancti Petri, ubi S. Theodorus & S. Abundius tali officio functi jam fuerunt, quos Ordinibus sacris insignitos & superpelliceo indutos fuisse omnino censendum est, sicut hodie Mansionarii esse solent, qui Presbyteratus Ordine, vel Ordinibus saltem minoribus decorantur antequam ad officium Custodis aut Mansionarii assumantur. Itaque Mansionarii, ad quos pertinet etiam cura pulsandi Campanas, tales esse debent; non enim ab homine quopiam indifferenter pulsandæ sunt, quippe quæ Aqua benedicta lavantur, & Oleo sancto infirmorum sanctoque Chrismate unguntur, multiplici signo Crucis inter ungendum adhibito; necnon thymiamate, ac myrrha; vel thure saltem suffumigantur, atque hunc in modum Orationibus, Psalmis, & Antiphonis inter benedicendum recitatis, Campanæ divino cultui dedicatæ consecrantur, addita postremo Evangelica lectione, uti suo jam loco *cap.* 5. & plenius quidem dictum fuit. Cum itaque res ita sese habeat, Campanæ quatenus consecratæ, ac divino cultui dicatæ, non a Laicis pulsandæ forent, sed ab iis, qui sacris Ordinibus ac saltem minoribus decorati fuerunt, vel Deo saltem dicati reperiuntur, cujusmodi etiam sunt Clerici nondum sacris Ordinibus ullis initiati, sed habitu laicali deposito, clericali tantum habitu ac prima tonsura insigniti, & superpelliceo induti, de Foro Ecclesiæ facti sunt, ut legitur in Pontificali Romano Part. 1. & in ipsa clericali ordinatione ab Episcopo id ita esse aperte declaratur. Hujus generis item sunt Religiosi, ac Religiosæ Feminæ; Illi laicali habitu deposito, & Ecclesiastico induti, & capitis corona, quam tonsuram & clericam vulgo appellant; Hæ autem velatæ, aut sacratæ, Moniales que nuncupatæ: Conversi vero (ut ajunt) & Conversæ non item rebus hisce carentes. Quamvis vero Clerici, necnon Religiosi, ac Religiosæ Feminæ primo loco memorati, Campanas pulsare queant, hoc tamen officium etiam ad Ostiarium pertinere censetur, qui scilicet Ostiarius est unus ex illis quattuor, qui ad Ordines minores assumuntur. Quod autem munus pulsandi Campanas etiam pertineat ad Ostiarium, ex eo constat, quod, ut legitur in Pontificali Romano *loco cit.* ii, qui ad Ordinem Ostiariatus ab Episcopo assumuntur, sive ordinantur, clavibus Ecclesiæ sibi ab Episcopo datis, Archidiaconus, vel alius Archidiaconi vice fungens, ducit eos superpelliceo indutos ad

A ostium Ecclesiæ, & facit illos claudere & aperire; tradit etiam eis funem Campanarum, faciens eos pulsare Campanas, deinde illos reducit ad Pontificem, benedictionem Domini ab eodem Episcopo accepturos. Hæc ex Romano Pontificali de Ostiarii officio, quod est etiam pulsare Campanas. Quamvis enim Clerici, Beneficiati, & Canonici, dum alicujus Basilicæ, vel Ecclesiæ Collegio, quod Capitulum vocitatur, adscribuntur, vel, ut ita dicam, incorporantur, tintinnabulum seu Campanulam pulsare soleant; hoc tamen tantummodo in signum jurisdictionis, & possessionis, vel incorporationis ab iis fieri solet;
B ab Ostiariis autem pulsatur Campanula ratione suscepti Ordinis, qui est inter quattuor minores primus. Cum itaque res ita sese habeat, officium pulsandi Campanas nonnisi ab illis, qui vel minoribus Ordinibus, vel prima saltem tonsura in sancta Dei Ecclesia sunt insigniti, exerceri jure potest ac debet; immo propter Campanæ significatum hujus generis officium a Presbytero subterfugiendum non esse ait Amalarius Fortunatus Episcopus Treverensis in tertio *de Ecclesiasticis Officiis* libro cap. 1. in cujus initio Campanas Ecclesiasticas originem a Tubis Veteris Testamenti traxisse, illasque Ora Prædicatorum Novi Testa-
C menti significare demonstrat. Quæ sane omnia, etsi superius[1] tetigimus, & quidem summatim, ut Campanarum originem, necnon similitudinem ac dissimilitudinem inter Tubas & Campanas ostenderemus; hoc tamen loco Amalarii verba recitanda videntur, quibus Campanarium officium ob earumdem Campanarum significatum a Presbytero subterfugiendum non esse ostendit in hanc verborum formam: „ Prædicationem, (inquit) „ quam significabat clangor Tubarum, Hieronymo exponente[2], significat Signum, (*hoc est*, „ *Campana*) quod in in nostra Ecclesia reboat. Signum nostrum (*Campana scilicet nostra*) est ex
D „ metallo æris. Æs est metallum durabile & „ sonorum. Habet idem Signum (*hoc est*, *Campana*) interius plectrum ferreum, quo tunditur „ ut audiatur. Oraque Prædicatorum significat „ Novi Testamenti, quæ plus durant quam Tubæ Veteris Testamenti, atque altius resonant. „ Ora Prædicatorum nostrorum durabunt usque „ in finem; & auditur longe sonus eorum usque „ in fines terræ. Tempore Judæorum notus erat „ tantum in Judæa[3], at nunc in omni terra. Vas „ metalli æris Ora significat, ut diximus, Prædicatorum; Ferrum interius, Linguam eorum. Et
E infra: „ Campanæ funis, qui habet initium a ligno[4] (cui scilicet alligatur) Scripturam sacram „ significat Novi Testamenti, descendentem a „ ligno Dominicæ Crucis. Quod tamen lignum „ a superioribus continetur, quia Dominica Crux „ a Prophetis & antiquis Patribus continetur: „ qui funis usque ad manus Sacerdotis pertransit, „ etenim Scriptura ad opera Sacerdotum debet „ transire. Hæc Amalarius, qui post multa alia, quæ brevitatis gratia sunt silentio prætereunda, hortatur Presbyterum, ne Campanam pulsare despiciat, dum hisce loquitur verbis: *Ne despiciat Presbyter hoc opus agere, ut in isto imitator sit fi-*
F *liorum Aaron, sicut & in multis ceteris. Qui se cognoscit debitorem esse prædicationis, non debet se retrahere a movendis Signis*, (hoc est, Campanis) *cum ex iisdem possit prædicare Populo*. Hæc Amalarius de præstantia & significatu Campanarii, & officio pulsandi Campanas.

[1] Cap. 8. 9. & 10. [2] Comment. in Joelis capite 2. Tom. 5. [3] Psalm. 75. [4] Vid. Guil. Durandus libro 1. *Ration.* cap. 4. num. 5.

A Istuc fere ipsum scriptum reliquit Rupertus Abbas Tuitiensis, in primo *de Divinis Officiis* lib. cap. 16. tom. 4. hisce verbis: *Hæc igitur Ecclesiæ Signa* (hoc est, Campanæ) *atque illæ Tubæ legales unum atque idem significant, scilicet sanctos Ecclesiæ Prædicatores*. Hæc Rupertus, qui post alia multa ad capitis cit. calcem, sermonem de Campanis, Prædicatores significantibus, ita concludit: *Trinum itaque solemnis diei classicum, id est, Matutinum, Vespertinum, & quod ad Missæ pulsatur initium, sic imitetur Evangelicus Prædicatorum Chorus, ut semper prædicet lamentationes præsentis vitæ, carmen futuræ, & væ Gebennæ*. Hæc Rupertus de Campanis, quæ significant Prædicatores.

B Campanæ itaque, ut omnia hucusque de officio pulsandi eas paucissimis repetam verbis, quatenus consecratæ, ac Divino cultui dicatæ, necnon quatenus Prædicatores Verbi Dei significant, non a Laicis pulsari deberent, sed a Presbyteris, (Amalario consulente atque hortatore) sicut ab aliis Ecclesiasticis viris, vel ab Ostiariis, aut Janitoribus Ecclesiæ superpelliceis indutis, aut ab iis, qui minoribus ordinibus, vel prima saltem tonsura, uti jam diximus, sunt insigniti; necnon a Religiosis viris juxta qualitates superius assignatas. Propterea Joannes Stephanus Durantus, C vir doctissimus & insignis, in primo *de Ritibus Ecclesiæ Catholicæ* libro cap. 22. scribit, congruum esse, ut Campanarii in Campanis pulsandis exsistant superpelliceis induti. Ipse namque Durantus, rebus omnibus ad benedictionem vel consecrationem Campanarum pertinentibus, necnon origine, usibus, & effectibus earumdem diligenter pensitatis, multa post tandem in trigesimo primo ejusdem libri capite de Campanis conscripta, ita paucis inquit verbis: *Eos vero, qui Campanas pulsant, congruit superpelliceis indui*. Hanc autem congruentiam ex Concilio item Coloniensi 1. desumtam esse innuit. Verba Concilii D sunt hæc[1]: *Campanarios cereis accendendis, aliisque in choro ministrationibus intentos, deceret superpelliceis indui*. Hæc ibi de Campanariis. Quamvis autem in Concilio Coloniensi primo indumentum superpellicei ad officii Campanarii decentiam referatur; in secundo tamen Concilio Coloniensi cap. 13. *tom.* 5. ut Campanarius in suis officiis exsequendis utatur superpelliceo, decernitur in hæc verba: *Statuimus igitur, ne liceat Campanariis seu Matriculariis nutrire barbam, aut in veste laica in Ecclesiis circumcursitare, sed ministeria sua in superpelliceis exhibeant*. Concilium hoc in loco in-E definite loquitur de ministeriis Campanarii, ergo de omnibus ministeriis ad officium Campanarii pertinentibus Decretum illud intelligi posse videtur. Nam propositio indefinita sine signo universali pro universali sumitur, teste Aristotele in primo *Priorum* libro capite primo. Itaque si ministeria Campanarii indefinite sumta cum superpelliceo exercenda sunt, ergo multo magis Campanarum pulsatio; cum Campanarius, cujus munus est pulsare Campanas, a Campana ipsa nomen sibi sortiatur. Immo si omnia, quæ de Campanis hucusque a nobis dicta sunt, recte perpendantur, munus pulsandi Campanas omnia alia F ministeria Campanarii antecellere, dicas necesse est. Quæ profecto cum ita sese habeant, Campanæ nullo modo a Laicis, nec sine superpelliceo ab Ecclesiasticis viris pulsari debent. Hæc sunt, quæ de Campanario, sive de officio pulsandi Campanas mihi dicenda videbantur. Nunc reliquum est, ut multiplicem Campanarum usum in sancta & universali Dei Ecclesia receptum aggrediamur.

1 Cap. 31. Tom. 5. Concil.

Cap. XIV.

De multiplici Campanarum usu in sancta & universali Dei Ecclesia recepto.

Multiplex profecto est Campanarum usus in sancta & universali Dei Ecclesia receptus, qui majori ex parte, & quidem satis belle, præsertim vero Ecclesiasticus, duobus versibus comprehensus est a quopiam homine conscriptus, per prosopopœiam, id est, per personam fictam, figuram scilicet illam, qua rebus inanimatis personam & orationem tribuere interdum solemus, ut factum esse constat in duobus versibus [1] infra positis, in quibus Campana ipsa de se loquens inducitur in hæc verba:

Laudo Deum verum, Plebem voco, congrego Clerum,
Defunctos ploro, nimbum fugo, festaque honoro.

Duobus hisce versibus (quos ob rhythmicas quasdam syllabarum desinentias a Leone fortasse quodam, hujus generis versuum inventore, Leoninos appellant) varii Campanarum usus in sancta Dei Ecclesia recepti, comprehensi sunt; quorum primus ad veri & omnipotentis Dei laudem insinuandam & honorem indicandum pertinet. Ad hanc rem præstandam inter divina interdum officia recitanda, & inter Missarum solemnia, præsertim vero in sacrosancto Missæ sacrificio, Campanæ pulsantur. Istuc ipsum faciendum insinuatur, dum Populus ad Ecclesiam per Campanarum sonitum convocatur, & Clerus eodem invitatus congregatur. Pulsantur item Campanæ dum Ecclesiasticæ festivitates, & Sanctorum solemnitates celebrantur, defunctique ad Ecclesiam sunt deferendi, ac denique dum ad nimbos, & grandines, aut procellas fugandas pulsari solent; quæ sane omnia duobus illis versibus comprehensa, singulatim & quidem plenius explicanda esse censemus, ceteris Campanarum usibus ab Ecclesia receptis, necnon rebus aliis, ad quemlibet Campanæ pulsandæ usum pertinentibus, pensitatis & explicatis.

Cap. XV.

De usu pulsandi Campanas pro Clero congregando, Populoque convocando ad divina officia celebranda, & ad conciones audiendas.

Sicut in Veteri Testamento, uti jam in capite 8. de Origine Campanarum & de similitudine ac dissimilitudine inter tubas & Campanas diffuse diximus, ad tubarum clangorem ex Divino præcepto, ut legitur in capite *Numerorum* decimo, multa fiebant; ita nunc ad Campanarum sonitum in Novo Testamento multa, illisque modo suo similia, celebrantur, singulatim hoc loco explicanda. Qua in re præstanda, ritus cujusque auctorem sive inventorem in medium afferre conabimur.

1 Qui mendose recitantur a Glossatore in libro 1. Extravag. de offic. Cust. cap. 1.

De Campanis ad Officia divina pulsandis.

Quisnam ritum pulsandi Campanas pro Clero in primis, deinde pro Populo ad divina Officia, necnon ad Conciones, & ad Missarum sacrificia convocando, instituerit, non satis constat. Nam, ut in primo hujusce nostri Commentarii diximus capite, in quo de inventione atque antiquitate Campanarum verba fecimus, & diffuse quidem, hunc ritum a Sabiniano Pontifice Maximo ante mille circiter annos institutum fuisse scribunt Polydorus Vergilius in libro sexto *de Inventoribus rerum* cap. 12. Platina in *Sabiniano*, Franciscus Petrarcha, & alii, præsertim vero Onuphrius Panvinius in *Epitome Summorum Pontificum* dicens: *Hic Papa Campanarum usum invenit, jussitque ut ad Horas canonicas, & ad Missarum sacrificia pulsarentur in Ecclesia*. Hæc Panvinius, cui profecto sententiæ aut opinioni adversantur Sancti Hieronymi verba, quæ quamvis in primo capite ad antiquum Campanæ pulsandæ in sancta Dei Ecclesia usum a nobis fuerint recitata, hoc tamen loco tandem repetenda censemus, ut probabilius ostendamus hujusce ritus Institutorem.

Quamvis itaque hujus generis ritus inventum Sabiniano ab iis, quos nuper recensuimus, tribuatur, verba tamen Sancti Hieronymi, quem ante Sabinianum ducentos circiter annos floruisse constat, huic opinioni omnino refragantur. Hieronymus enim in Regula Monacharum cap. 33. tom. 9. p. 627. dum loquitur de Matutino, & de modo recitandi officium divinum, facit mentionem de sonitu Campanæ in nocte hisce verbis: *Ad matutinas excubias media nox vos præparet. Nullam ex vobis dormientem reperiat Campanilis sonus.* Hæc Sanctus Hieronymus, qui in capite trigesimo nono ejusdem Regulæ pag. 632. postquam verba fecit de Horis Vespertinis, de sonitu Campanulæ, Sorores ad Ecclesiam post cœnam vocantis, loquitur hunc in modum: *Post peractam cœnam, vel si omittitur, post aliquam horulam, juxta exigentiam temporis ad Ecclesiam Sorores Campanula vocet: ubi vel de Sanctorum, vel de aliis mirabilibus Dei lectio devota dicatur.* Hucusque Sanctus Hieronymus. Ex his profecto locis usum Campanæ pro Sanctimonialibus ad Ecclesiam convocandis tempore Sancti Hieronymi ante Sabiniani tempora fuisse aperte constat. Propterea censendum videtur, sententiam probabiliorem esse illorum, qui Campanæ inventum (quantum ad Ecclesiasticum usum) Paulino Sancto & Episcopo Nolano adscribunt. Paulinus enim, uti jam diximus, Sanctorum Augustini & Hieronymi coætaneus fuit, sicut Epistolæ invicem scriptæ id ita esse testantur; immo, ut ait Trithemius, S. Augustini Discipulus fuit. Adde etiam, quod propterea Campanæ a Nola, ex pricipuis Campaniæ urbibus una, cujus Episcopus fuit Sanctus Paulinus, Nolæ jam dictæ; & a Campania ipsa Italiæ Provincia, Campanæ item ab omnibus præsens in tempus vocitantur: nam Sanctus Paulinus Episcopus Nolanus Campanæ usum primus in suam Ecclesiam invexisse creditur, atque id ita esse vulgata seu communis docet opinio, quasi priori sæculo dictus Campanæ usus fuerit ignotus, vel potius in Ecclesiis non receptus. Etsi ergo hujus generis ritus Paulino Sancto & Episcopo Nolano juxta opinionem magis vulgatam adscribitur, fieri tamen potest, ut Sabiniani tempore dictus ritus, quatenus non ubique apud Ecclesiasticos viros receptus, vel quatenus fortasse intermissus, ab ipso Sabiniano, vel institutus, vel in usum revocatus ad Missarum sacrificia indicanda, & ad horas in Ecclesiis divini officii gratia distinguendas intelli-

A gatur. Divina officia distinctionibus horarum comprehenduntur, quæ sunt Officium nocturnum, seu Matutinum, Prima, Tertia, Sexta, & Nona, Vesperæ item & Completorium. Hæc autem ex Joannis Beleth [1] meditatione juxta septem hominis ætates, Infantiam, Pueritiam, Adolescentiam, Juventutem, Virilitatem, Senectutem, ac Decrepitatem instituta videntur, ut hoc Symbolo Creator omnipotens in omnibus vel pro omnibus ætatibus a nobis laudetur & oretur. Vel, ut reor, ad imitationem Prophetæ David in *Psalmo* 118. dicentis, *Septies in die laudem dixi tibi*: quamvis enim particula illa, *septies*, universi-
B tatem & perennitatem significet, sicut Doctores dictam voculam interpretantur eodem in loco *Psalmi*; Nicolaus tamen Lyranus dictum illud ad septem Horas canonicas referri posse ait. Adde etiam, quod particula, *septies*, frequentiam quoque significat juxta dictum *Proverbiorum* cap. 24. illud, *Septies in die cadet justus, & resurget*: justus enim, ut ait Glossa, cadere, id est, peccare frequenter memoratur quantum ad peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur: nam per ignorantiam, vel oblivionem, vel surreptionem, per necessitatem, vel fragilitatem carnis singulis diebus, &c. frequentes peccamus; justus tamen re-
C surgit, quia justus est, nec ejus justitiæ humana præjudicat fragilitas. Huc etiam spectare videntur septem illæ Horæ canonicæ, ad quas recitandas Clerus convocatur, & Populus ad easdem atque ad Conciones audiendas per Campanarum pulsum invitatur.

Cap. XVI.

De Campanis in sacrificio Missæ pulsandis.

D De Campanis in Sacrosancta Eucharistia conficienda ex Gregorii Noni Decreto pulsandis in *Chronicorum* Conradi Abbatis Urspergensis Additionibus, quæ *Paralipomena* inscribuntur, in hæc legitur verba: *Eo tempore* (*Anno scilicet Domini* M. CC. XXXVIII.) *Pontifex Gregorius Nonus Salve Regina, certis divinæ rei horis addi, Campanasque ad Eucharistiæ confectionem & laudes Virginis Dei genitricis pulsari decrevit, rem scilicet Ecclesiasticam reformaturus*. Hæc ibi. Quæ sane omnia ad opem divinam implorandam, & intercessionem Beatæ Mariæ semper Virginis invocandam, facta esse censendum videtur, dum
E scilicet Fridericus II. Imperator, etiam vice tertia excommunicatus, & Imperio privatus, Romanum ac Summum Pontificem, & Ecclesiam mirum in modum vexabat, necnon Tartari Christianitatem infestabant, Christianas depopulando provincias, ut legitur dicto in loco nuper citato, & in Platina *de Summorum Pontificum vitis* in *Greg.* IX. In Sacrificio autem Missæ, dum scilicet Sacrosancta conficitur Eucharistia, & elevatur, Campanæ pulsantur ad honorem ac venerationem tanti Sacrificii, necnon ad excitandas hominum mentes, ita vero, ut homines item domi commorantes ad Campanarum sonitum genibus flexis Christum
F Dominum in spiritu adorent, ut ex Concilio Claromontano, Conrado Urspergensi Abbate, Petro Messia [2], Arnoldo Vuion [3], Monacho Benedicto, & ex aliis colligitur.

1 Cap. 28. ad calcem. Ration. Divin. offic. Durandi. 2 Part. 4. cap. 9. 3 Part. 2. de ligno vitæ lib. 5. embl. 3. in Urbano II.

CAP. XVII.

De Campana in Vespere vel in Sero, in Mane, & in Meridie pulsari consueta.

QUisnam trinum Campanæ pulsum, aut sonitum in tribus illis temporibus, Vespere scilicet, aut in Sero, Mane item, ac Meridie, necnon quibusnam de causis dictum ritum instituerit, variæ sunt opiniones ac sententiæ, quas omnes & quidem singulatim explicare conabimur. Antea vero quam Institutorum nomina & causas institutionum explicemus, nonnulla dicenda sunt, & quidem satis congrua illis causis, ob quas hujus generis ritus fuit institutus.

Tria illa tempora nuper commemorata, & in Psalmi 54. versiculo comprehensa hisce verbis: *Vespere, & Mane, & Meridie narrabo, & annunciabo: & exaudiet vocem meam*: non carent mysteriis, in quibus meditandis ac venerandis in illo triplici Campanæ pulsu aut sonitu ad clementissimi & omnipotentis Dei misericordiam & opem implorandam, Deipara Maria semper Virgine pro nobis intercedente, Angelica Salutatio tribus vicibus recitari solet, & genibus quidem flexis, Paschatis, Resurrectionis, & Pentecostes diebus exceptis, atque item Dominicis & Vespere Sabbati totius anni diebus, quæ Resurrectionis diem repræsentant: in hisce namque diebus omnibus Angelica Salutatio absque genuflexione recitatur.

Id quod in Concilio primo Nicæno sancitum fuit in hanc verborum formam [1]: *Quoniam sunt quidam in die Dominico genua flectentes, & in diebus Pentecostes, ut omnia in universis locis consonanter observentur, placuit sancto Concilio a Paschate usque ad Octavas Pentecostes, stantes Domino, vota persolvere, vel Deo orationes effundere*. Hæc ex primi Concilii Nicæni Canone vigesimo juxta Editionem primam, & versionem Gentiani Herveti, in tertia item Decreti Parte, Titulo *De Consecratione*, descriptam. Burchardus vero Ecclesiæ Wormaciensis Episcopus libro 13. *Decretorum* cap. 3. & Ivo Carnotensis etiam Episcopus in Panormia *lib.* 2. *cap.* 183. ex Aurelianensi Concilio istuc ipsum fusius explicarunt in hæc verba: „ Ut Presbyteri Plebibus annuncient, „ quod in Quadragesima & in Jejunio quattuor „ temporum tantummodo ad Missarum solemnia „ genua flectere debeant. In Dominicis e contra „ diebus, & in ceteris festis, a Vespera usque in „ Vesperam non flectant genua, sed stantes incurvati orent: nec quisquam uno genu solo tenus „ impresso orare præsumat, sicut Judæi irridentes „ Dominum in Passione ejus fecisse leguntur, sed „ utraque genua terræ figat. Ait enim Apostolus [2]: „ Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi. Hæc de genuflexione in orando.

Per tria igitur illa tempora, in versiculo Psalmi comprehensa, Mysteria Passionis & Mortis, quam Christus Dominus pro nobis perpessus est; ejusdem Mysteria Resurrectionis & Adscensionis in cælum nobis insinuantur, sicut Sanctus Pater Augustinus & Sanctus Hieronymus in ipso Psalmi versiculo explicando scriptum reliquerunt: nam Sanctus Pater Augustinus post multas meditationes & considerationes, in illis tribus temporibus explicandis præstitas, ita inquit tom. 8. *in Psalmum* 54. *Vespere Dominus in Cruce, Mane in Resurrectione, Meridie in Adscensione*; & Sanctus Hieronymus tom. 7. *in Psalmum* 54. *Vespere, cum Passionem suscepit; Mane, cum resurrexit; Meridie, cum omni claritate virtutis suæ adimpleta cælos adscendit, & sedet ad dexteram Patris*. Ter itaque ad trinum Campanæ sonitum in tribus illis temporibus enarratis Angelica Salutatio ad tria hæc mysteria repræsentanda recitatur, tribus tamen præviis Antiphonis, quarum prima prænunciatam ab Angelo Christi Domini conceptionem in utero Beatæ Mariæ semper Virginis faciendam complectitur; Altera vero ejusdem Virginis assensum Deo commissum; Tertia denique Filium Dei in ejusdem Virginis utero de Spiritu Sancto conceptum, incarnatum, & natum: sed post quamlibet Antiphonam Angelica Salutatio recitatur.

Antiphona prima.

Angelus Domini nunciavit Mariæ, & concepit de Spiritu Sancto.
Ave Maria gratia plena, &c.

Antiphona secunda.

Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.
Ave Maria gratia plena, &c.

Antiphona tertia.

Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.
Ave Maria gratia plena, &c.

Postquam tertia vice Salutatio Angelica fuerit recitata, dicitur oratio, quæ Annunciationem Angelicam, Beatæ Mariæ semper Virgini præstitam, Conceptionem item, Incarnationem, Passionem, Mortem, ac Resurrectionem Filii Dei, nostramque precationem comprehendit in hanc verborum formam:

Gratiam tuam, quæsumus, Domine, mentibus nostris infunde; ut qui, Angelo nunciante, Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, per Passionem ejus & Crucem ad Resurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Fidelium Animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.

Tempore Paschali.

Non desunt autem, Ecclesiastici præsertim viri, qui tempore Paschatis Antiphonam, tempore Paschali in Ecclesia recitari consuetam, sine genuflexione dicant juxta formam infra præscriptam:

Antiphona.

Regina cæli lætare, Alleluja. Quia quem meruisti portare, Alleluja, resurrexit, sicut dixit, Alleluja. Ora pro nobis Deum, Alleluja.
℣. *Gaude, & lætare Virgo Maria, Alleluja.*
℟. *Quia surrexit Dominus vere, Alleluja.*

Oremus.

Deus, qui per Resurrectionem Filii tui Domini nostri Jesu Christi familiam tuam lætificare dignatus es; præsta, quæsumus, ut per ejus genitricem Virginem Mariam, perpetuæ capiamus gaudia vitæ. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

1 Tom. 1. Concil. & de consecrat. dist. 3. c. capite 10. *Quoniam*. 2 Epist. *ad Ephes.* cap. 3.

Post dictam Orationem ad omnem Demonum machinationem, versutiam, ac nequitiam a nobis effugandam, ter signo sanctæ Crucis frons muniri solet. Multis item in locis post sonitum Salutationis Angelicæ, præsertim vero in Urbe Roma pulsatur in Vespere sive in Sero Campanula, qua excitamur & invitamur ad orandum pro Defunctis. Multi autem ex laicis hominibus, ex iis præcipue rei litterariæ ignaris, ad signum Salutationis Angelicæ, pulsatum, oratione cum Antiphonis prætermissa, Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam tam pro vivis quam pro defunctis recitare solent. Ceteri vero pro defunctis recitare solent Psalmum, *De profundis*, omnibus fere notum. Hæc sunt, quæ de hujus generis ritu mihi dicenda videbantur; nunc reliquum est, ut ejusdem ritus Inventores, aut Institutores, & causas ostendamus.

CAP. XVIII.

De causis pulsandi Campanam in Vespere, in Mane, & in Meridie, deque hujusce ritus Institutoribus.

DE Institutoribus & causis illius ritus pulsandi Campanas in tribus diei temporibus, jam non semel commemoratis, diversi diversa scripserunt. Frater Alphonsus Ciacconius in *Vita Urbani* II. qui floruit circa Annum Domini M. XC. ad hunc ritum per preces Beatæ Mariæ semper Virginis alludere videtur, dum subobscure ita inquit: *Urbanus preces Beatæ Virginis & Præfationem ejus in Ecclesia Latina cantari instituit, Præfationibus novem antiquis adjungens decimam, (Et Te in veneratione Beatæ Virginis collaudare) Sabbatoque de ea commemorationem fieri præcepit*. Hæc Ciacconius, qui per preces Angelicam Salutationem intelligere videtur. Id quod Arnoldus Vuion Monachus Benedictinus in Libro, qui *Lignum Vitæ* inscribitur, expresse dicit in hæc verba [1]: „ Institutionem pulsus Campanæ, „ qui fit Vespere, Mane, & Meridie, vocatur„ que Ave Maria, ex Schola quoque Benedictina „ manasse, indicat Campanula illa, quæ sub bra„ chio dextro ejusdem Pontificis visitur. Conside„ rans namque Urbanus actiones omnes nostras, „ nisi orationis scuto fortissimo muniantur, eadem „ facilitate disperdi & labi, qua excogitatæ vi„ dentur; sciensque impossibile esse multorum „ preces a Deo non exaudiri, ut quod semel ex „ Divina voluntate instituerat, tandem etiam ea „ ipsa juvante perficeretur, in eodem Consilio „ Claromontano, ut a primo die, quo exercitus „ Christianus Terram sanctam recuperaturus dis„ cederet, Vespere & Mane in omnibus Chri„ stiani Orbis Ecclesiis, tam Cathedralibus quam „ Abbatialibus utriusque sexus, Populus Christia„ nus trino Campanæ pulsu ad orationem excita„ retur, statuit tum, ut Deus Optimus Maximus „ exercitui Christiano suo signo signato vires con„ tra inimicorum suorum potentiam sua pietate „ conferre dignaretur, tum etiam eorum misereri, „ qui in opere tam pio perficiendo animas suas pro „ defensione Fidei, omniaque sua tradentes, ex „ hac vita migraverant. Qui mos inviolabiliter „ servatus est per annos fere C. XXXIV. usque ad „ tempora [2] Gregorii Papæ Noni Anagnini ex Co„ mitibus Monachi Camaldulensis. Hic videns „ hujusmodi consuetudinem laudabilem in obli„ vionem a Fidelibus tradi, eo quod scilicet in„ stitutionis ejus causa, Hierosolymis ipsis a Sul„ tano Ægyptio iterum recuperatis, Christianis„ que fugatis, jam cessasse videretur; eamdem in „ laudem Divæ Virginis, adjuncto & Meridiano „ pulsu, transmutavit. Hæc ad verbum Arnoldus, qui dum illa tria meditatur tempora, in quibus Campana pro Angelica Salutatione recitanda pulsari solet, hunc ritum institutum fuisse ait ob tria Mysteria, quibus Beata Maria semper Virgo, ac Dei mater, a Christi Fidelibus honoratur: *Primo scilicet ob mysterium gaudiorum, quæ in Christi Incarnatione cœperunt, & hæc indicat pulsus Campanæ Vespertinus; Secundo ob mysterium dolorum, qui summi fuerunt in Dominica Passione, & hos memorat pulsus Meridianus; Tertio denique ob mysterium gloriosorum, quæ in Christi Domini Resurrectione initium sumserunt, & hæc pulsus excitat Matutinus*. Hæc item omnia ex Arnoldo recitat Ferreolus Locrius in Libro, qui *Maria Augusta, Virgo Deipara*, inscribitur lib. 7. cap. 16. Non desunt autem qui etiam contra Arnoldum & Ferreolum sententia mutata pulsum Campanæ Meridianum non a Gregorio Nono, sed a Ludovico XI. Gallorum Rege inventum fuisse dicant, quorum e numero est Robertus Gaguinus in *Historiis Francorum*, sive *Annalibus*, in quibus ita inquit lib. 10. cap. 12. *Introducta quoque est (Auctore Ludovico) consuetudo Campanam hora meridiana (ut in noctis crepusculo solet) pulsandi: quo tempore Populus, uno poplite [1] humi deflexo, Angelicam Divæ Mariæ Salutationem, obtinendæ publicæ pacis gratia, religiose exhibet. Qui mos hactenus diligenter a plerisque servatur*. Hæc Gaguinus, qui quamvis pulsum Campanæ Meridianum a Ludovico XI. Arnoldus modo ab Urbano Secundo, modo a Gregorio Nono & Genebrardus [2] ab Honorio Tertio institutum fuisse velint, aliorum tamen sententia est, dictum in Meridie Campanam pulsandi ritum a Calixto Tertio fuisse inventum, Vespertinum autem a Joanne XXII. Si Polydoro Vergilio libro 6. *de Invent. rerum* cap. 12. hac in re acquiescendum sit; vel potius, & quidem verius affirmandum est, pulsum Campanæ Meridianum a Calixto Tertio fuisse inventum eadem sane de causa, qua pulsus Matutinus & Vespertinus ab Urbano Secundo fuerant instituti, ut eo scilicet Meridiano pulsu Populus Christianus excitatus, orare pro exercitu Christiano in Hungaria contra Turcas decertante recordaretur. Nam Gregorius Nonus non pulsum Campanæ Meridianum instituit, sed tantum, ut ad consecrationem sacrosanctæ Eucharistiæ Campanæ pulsarentur, præcepit, sicut in capite primo, ad ejusdem fere Capitis calcem satis bene juxta eamdem plurium Auctorum sententiam demonstratum fuit. Quod autem, ut nuper jam diximus, Meridianus Campanæ pulsus a Calixto Tertio fuerit institutus, colligitur ex diversorum Auctorum scriptis, præsertim vero ex Francisco Joannetto, qui in Libro *de Vitis Roman. Pontificum* num. 388. in eodem Calixto ait hisce verbis: *Statuit præterea Calixtus, signum Campanis in Meridie dari, quo orationibus assiduis Christi Fideles Deum contra Turcas pro nostris militibus suppliciter rogarent*. Idem scriptum reliquit Platina dicens [3]: *Mandavit præterea Calixtus, ut assiduo rogatu Deus flecteretur, in Meridie Campanis signum dari Fidelibus omnibus, ut orationibus eos juvarent, qui contra Turcas continuo dimicabant*. Istuc ipsum ad verbum refert Fr. Alphonsus Ciacconius in eodem Calixto, qui, ut ambo referunt,

1. Lib. 5. embl. 3. cap. 20. P. 2. ubi agitur de S. Benedicti Ordine. 2 An. Domn. 1227.

1 Figurate dictum, pars pro toto, id est, uno poplite pro duobus. 2 Lib. 4. Chron. ad. An. 1227. 3 In Vita Calixti III.

A ſtatim poſt ſuæ Conſecrationis ſolemnitatem, Bellum ſacrum, quod Cruciatam appellant, in publico Conſiſtorio Turcis indixit 1, idque ſe ante Pontificatum voviſſe oſtendit ſuo Chirographo his verbis ſcripto, quod in libro quodam extabat: *Ego Calixtus Pontifex Deo Omnipotenti & Sanctæ ac individuæ Trinitati voveo me bello, maledictis, interdictis, exſecrationibus, & demum quibuſcumque rebus potero, Turcas Chriſti nominis hoſtes ſæviſſimos perſequuturum*. Hucuſque Platina & Ciacconius de pulſu Campanæ Meridiano inſtituto a Calixto Tertio contra Turcas, qui Conſtantinopolim ac totum Orientale Imperium, pulſis Chriſtianis, occupaverant. B Platina vero ſubdit hæc verba dicens: *Crediderim ego tum precibus omnium, Chriſtianos ad Bellogradum contra Turcas dimicantes, Duce Joanne Vaivoda, Viro clariſſimo, adſtante etiam Joanne Capiſtrano Ordinis Minorum, Crucemque pro vexillo hoſtibus inferente, eos, Bellogradum oppugnantes, ingenti clade ſuperaſſe*. Hæc Platina. Non deſunt qui juxta vulgatam opinionem, aut ſententiam, pulſum Campanæ Veſpertinum, & Matutinum ad tempus illud, in quo Beata Maria ſemper Virgo fuit ab Angelo ſalutata, & in Angeli Salutatione atque Annunciatione ipſi Virgini præſtita, Chriſtus Dominus in ejuſdem Virginis utero conceptus C fuit, referendum eſſe dicant; quam rem præ ſe ferre item videntur Antiphonæ illæ præviæ, quæ in Salutatione Angelica recitanda dicuntur, quæque dictam Salutationem Angelicam, Annunciationem, Conceptionem, & Incarnationem complectuntur. Quæ omnia in capite decimo ſexto & fuſiſſime quidem explicata ſunt. Quoniam vero quota hora diei Angelus Domini Beatæ Mariæ ſemper Virgini apparuerit, certo non conſtat; propterea pulſus Campanæ Veſpertinus & Matutinus dari ſolent ad talem diei horam inſinuandam, aut commemorandam. Nonnulli enim arbitrantur, ut Azorius 2 & Ferreolus 3 teſtantur; D *Nocte appetente Angelum ad Beatam Virginem veniſſe, & eam ſalutaſſe, atque cum ea ſermonem habuiſſe uſque ad mediam noctem, tandemque Virginem conſenſum præſtitiſſe ſuum, tuncque Filium Dei in ejus utero ſecundum carnem fuiſſe conceptum*. Quamvis autem juxta hanc opinionem Chriſtus Dominus media nocte fuiſſet conceptus & natus in utero virgineo; anticipative tamen, ut ait Ferreolus Locrius 4, in Veſpere pulſatur Campana, ne Campanæ ſonus foret omnino vanus, dum in ipſo mediæ noctis ſilentio ſomnus altus dormientium premit corda. E Alii vero cum Sancto Athanaſio in ſermone de Deipara ſemper Virgine dicunt, Angelum Beatæ Virgini apparuiſſe initio diei, hoc eſt, in aurora matutina; & tunc Chriſtum fuiſſe conceptum. Hæc ex acutiſſimo Theologo Joanne Azorio *Part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 17. q. 4. qui in Inſtitutionibus moralibus dicta omnia facta fuiſſe media nocte deſinente & incipiente jam die probat, & eruditiſſime quidem. Verum quia (ut diximus) certo non conſtat, quota hora, hoc eſt, vel Veſpertina, vel Matutina, Angelus Domini Beatæ Mariæ ſemper Virgini apparuerit, F Veſpere ac Mane trinus Campanæ pulſus pro Salutatione Angelica recitanda in ſancta Dei Eccleſia fuit inſtitutus. Hæc de ritu pulſandi Campanam in Veſpere, Mane, ac Meridie in ſancta Dei Eccleſia recepto. Nunc ſupereſt, ut ceteros ejuſdem Eccleſiæ uſus pulſandi Campanas explicemus.

1 An. Dom. 1455. 2 Part. 2. lib. 1. cap. 17. quæſt. 4.
3 Lib. 7. cap. 16. in Maria Auguſta Virg. Deip.
4 Ubi ſupra.

CAP. XIX.

De uſu pulſandi Campanas ad laudem & gloriam Dei Omnipotentis, & honorem Sanctorum in diebus feſtis, & ſacris Proceſſionibus celebrandis, necnon in gratiarum actionibus.

Campanæ in Eccleſia Dei receptæ, quatenus Divino cultui dedicatæ, uti ſuo jam loco diffuſe diximus, conſecrantur. Propterea in diebus feſtis, & in ſacris Proceſſionibus ad laudem & gloriam Dei Omnipotentis & honorem Sanctorum pulſari ſolent, ut ad earum pulſum mentes hominum interius excitentur ad laudandum Deum & ad Sanctos honorifice invocandos eleventur. Nam ſicut Campanarum pulſus Chriſti Fidelibus mentem excitat, & ad hæc facienda extollit; ita e converſo Dæmones per aerem curſitantes, earumdem ſonum, tamquam Divino cultui & Sanctorum honori dicatum, mirum in modum effugiunt & abhorrent, quippe qui ex eo Campanarum pulſu non parum affliguntur. Adde etiam, quod Campanæ dum etiam ad Feſtivitates & Proceſſiones indicandas pulſantur, Populi per ipſum Campanarum ſonum præmonentur & ad illas convocantur; necnon ad eas rite celebrandas animum ad Deum elevatum præparare ſtudent. Idcirco Campanæ non ſemel ante Feſtivitatum Eccleſiaſticarum & Proceſſionum celebrationem atque in iiſdem celebrandis frequenter pulſari ſolent.

Iſtuc ipſum pro gratiarum actione fieri ſolet, victoria contra impios Eccleſiæ ſanctæ hoſtes Divino auxilio parta, vel pro alia id genus re aſſiduis precibus apud Deum impetrata: nam multiplici Campanarum ſonitu mentes hominum ad gratias ipſi Deo agendas & habendas excitantur, & gaudio afficiuntur, ſpirituali ſolatio perfuſi.

CAP. XX.

De uſu pulſandi Campanas pro defunctis.

Uſus pulſandi Campanas pro defunctis, a Calviniſtis vetitus 1, in ſancta Dei Eccleſia perantiquus eſt, Chriſtiana pietate inſtitutus: propterea quod tali Campanarum ſonitu (ait Beda 2) viventes perinde atque invitati quodam modo cohortantur, ut defunctos ad Eccleſiam delatos comitentur, vel ſaltem pro illis ad Deum preces effundant: *Sancta enim & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur*, ſicut in 2. *Machabæorum* legitur lib. cap. 12. in calce. Comitatus autem ille ad opus ſepeliendi mortuos, ex ſeptem operibus miſericordiæ corporalibus unum, referri poteſt. Quæ ſane inſtitutio & conſuetudo perantiqua, valde pia & valde neceſſaria cenſetur, quia (ut ait Guillelmus Bernardus 3) citra hunc uſum pulſandi Campanas, morte multorum a multis ignorata, defunctorum animæ precibus Fidelium non juvarentur, nec viventibus ob hujus generis opera præmium apud Deum merendi daretur occaſio. Hinc, ut ſentio, laudanda videtur

1 Vid. Cornel. Schultingius in *Hierarchica Anacriſi* lib. 9. num. 47. & lib. 12. num. 47. 2 Lib. 4. cap. 23. ut & Steph. Durantus lib. 1. cap. 22. num. 4. & cap. 23. num. 14.
3 In Libro *de ſepulturis & exſequiis*.

tur consuetudo illorum locorum, in quibus ad sonitum seu tinnitum funebrem expressius indicandum, Campanæ non ad utramque, sed ad unam tantum partem paulatim aut sensim pulsantur, quasi mœrorem quemdam vel humanam viventium imbecillitatem quodam modo repræsentantes. Hoc autem Campanarum tinnitu non solum ea, quæ dicta sunt, pro defunctis præstantur, sed etiam cum hymnis & canticis, necnon cum cereis ardentibus, aut luminaribus, pium Christicolarum transitum honoramus, juxta Sancti Gregorii Nazianzeni sententiam dicentis [1]: *Nocturnis cantionibus ac cereorum ignibus nos Christiani pium e vita discessum ornandum existimamus*. Vel, ut inquit Joannes Chrysostomus [2], *Defunctos tamquam Athletas comitamur*; *perinde ac si dicatur*: *Quamvis animæ, quarum corpora* (ut Guillelmus Bernardus [3] verba Chrysostomi interpretando ait) *sepelienda sunt luminaribus accensis ad significandum* (inquit Durantus [4]) *animas vivere, ac defunctos filios lucis, & eorum corpora surrectura comitamur, mox ad beatitudinem forsan convolarint*; *corpora tamen, quibus, ut organis*, (ait Guillelmus Bernardus) *ad pias efficiendas operationes, per quas, debellatis hostibus, triumphum assequutæ sunt, his honoribus prosequi solemus*. *Hæc*, ut Damascenus in *Oratione de Fidelibus defunctis* [5] ex Athanasio inquit, *grata sunt Deo, ingensque ab eo præmium referunt*. Ad hujus generis comitatum Fidelibus defunctis præstandum, in Ecclesia sancta Dei a Christicolis in funeribus pulsari solent Campanæ benedictæ seu consecratæ, quibus etiam, quatenus consecratis, Dæmones, ut infra *cap.* 21. explicabitur, expelluntur: id quod ab Ethnicis, falsos Deos colentibus, in suis funeribus fieri haudquaquam poterat, etsi cum quis e vita decedebat, æra, quasi Campanas profanas, pulsabant, per Campanarum sonitum malos infestosque Spiritus repelli aut coerceri superstitiose ac falso quidem credentes, uti suo jam loco *cap.* 3. pag. 1251. dictum fuit.

CAP. XXI.

De usu pulsandi Campanas ad improbas pluvias vel tempestates expellendas.

Campanæ, quatenus benedictæ seu consecratæ, utplurimum nec fulgure, nec fulmine afflatæ seu tactæ inventæ sunt, immo ea necnon procellas vel tempestates expellunt, sicut ita fieri solere constat, & in earumdem consecratione, sicut in Pontificali Romano pag. 2. videre licet, obsecratur Deus, ut ipsarum Campanarum sonitu fragor grandinum, procellæ turbinum, impetus tempestatum, & fulgurum, ac fulminum temperentur; infesta tonitrua & ventorum flamina suspendantur; spiritus procellarum & aereæ potestates prosternantur. Quæ item omnia in Concilio Provinciali Coloniensi [6] leguntur eo in capite, cujus titulus est, *Cur benedicantur Campanæ*. Immo dicto in loco, ut superius & fusissime quidem in *capite* 6. pag. 1257. videre est, de ipsis Dæmonibus propulsandis expressa fit mentio: Dæmones enim, quippe quibus (quatenus Deus illis permittit) quantum ad motum, ut Theologi omnes affir-

A mant [1], ad nutum, sicut etiam Angelis bonis, obediunt; pluvias, tempestates, fulgura, & fulmina, & id genus alia, sed justa & occulta nobis de causa Deo permittente, possunt efficere. Propterea, dum procella nobis imminet, sive turbo, vel grando, & generaliter quivis cæli status inquietior sese nobis offert, Campanæ pulsantur, ut Dæmones, quatenus dictarum rerum interdum patratores, aut excitatores, Campanarum tinnitu, Christianos ad preces concitantium, terreantur; quin potius precibus ipsis territi abscedant, illisque summotis, fruges, mentes, & corpora credentium serventur, cunctis malis, quæ ex tempesta- B tibus oriri solent, Dæmonum fuga propulsis [2]. Nec silentio prætereundum videtur miraculum illud, quod narratur de Campanula a S. Bennone Misnensi Episcopo benedicta: nam ad sonitum illius Campanulæ (quæ quodam in loco exstat apud Misnam, Germaniæ civitatem) totum ejus territorium a fulgure & tempestate, ut incolæ ipsius loci affirmant, tempus usque in præsens conservatur, etiamsi loca viciniora sæpe ab illis lædantur. Istuc ipsum de alia Campana in pago Scomberch ab eodem benedicta Bennone (quod nomen a Slavorum Lingua translatum, Benedictus Latine di- C citur) omnino affirmatur. Sonitus namque illius Campanæ omnem vim cæli ab agris finitimis ac tuguriis avertit.

Quamvis autem per multiplicem Campanarum sonitum aer nubibus condensatus ac turbulentus concutiatur, & ob hujus generis discussionem quandoque serenus reddi queat; earum tamen tinnitus, dum tempestatum ostenduntur indicia, in Ecclesia sancta Dei etiam ad procellas repellendas institutus fuit; præsertim vero ad fulgura & fulmina propulsanda, fugatis Dæmonibus, qui consecratas Campanas tantopere abhorrent, earumquæ sonitum tanto prosequuntur odio, in quo D Hæretici atque Turcæ Dæmonibus valde assimilantur, quippe qui bellum Campanis indixerunt, ut superius *cap.* 1. dictum fuit. Hæc de usu pulsandi Campanas ad improbas pluvias vel tempestates expellendas conscripta in ipso festo Sanctorum Martyrum Gervasii & Protasii, die decima nona Junii, qua scilicet die, dum hæc de fulgure ac tempestate conscriberem [3] in Apostolico Vaticani Palatii Sacrario, ecce ibi procella fulmine associata suborta fuit, & a me non procul ictus est Aulæ Regiæ locus fulmine non sine magna animi mei consternatione, absque tamen ulla tam hominum læsione, quam rerum perditione, misericordiarum Patre to- E tiusque consolationis Deo adjuvante [4], dum Campanæ ad preces fundendas Christi Fideles excitabant pulsatæ.

CAP. XXII.

De usu pulsandi Campanas in alicujus magni Viri adventu ad Urbem.

Campanæ in sancta Dei Ecclesia, quatenus Divino cultui dedicatæ, uti jam diximus, F consecrantur, & non solum ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei, atque ad honorem Sanctorum, necnon ad lætitiam interdum spiritualem indicandam pulsari solent, sed inter

1 Orat. 2. in Julianum.
2 Homil. 4. in Epist. ad Hebr. & Homil. 70. ad Popul. Antioch. Tom. 5. & Hieronym. in Epitaph. Paulæ.
3 De sepult. & exsequiis.
4 Lib. 1. cap. 23. num. 14.
5 Pag. 316. b.
6 I. cap. 14. p. 9. Tom. 5. Ann. Dom. 1536.

1 Vide sup. cap. 6. pag. 1257. Hieron. Magii lib. 4. *Miscell.* cap. 14. Paul. Ghirlant. quæst. 6. *de Sortilegiis*, Guid. Pancirol. *de novis repertis* tit. 9. de Campanis.
2 Concil. 1. Colon. cap. 14. Tom. 5.
3 Anno Dom. 1610.
4 Epist. 2. ad Corinth. cap. 1.

alia permulta jam a nobis enarrata, etiam ad primarios Ecclesiæ sanctæ viros decorandos, hoc est, S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & alios Prælatos, in eorundem scilicet occursum, dum ipsi intra civitates, oppida, & alia loca, in quibus Ecclesiasticam præsertim jurisdictionem & potestatem exercent, honorifice ac lætanter excipiuntur, inter quos locum obtinet supremum Summus Pontifex, Patriarcharum Patriarcha, universalis Ecclesiæ Pastor, Christi Vicarius, & Sancti Petri successor. De hoc usu pulsandi Campanas in alicujus magni Viri adventu ad Urbem mentionem faciunt Canonistæ, dum alios usus pulsandi Campanas recensent, sed indefinite quidem, hoc est nulla penitus mentione facta de Prælatis, in hæc verba: *Campana est etiam quandoque signum gaudii & honoris occurrendi processionaliter alicui*. Hæc Joannes Andreas [1], Ægidius Bellemera [2], Cardinalis Zabarella [3], Cardinalis Ostiensis [4], & alii in primum librum Decretalium c. 1. *de Officio Custodis*. Quamvis autem Campanæ, quatenus consecratæ ac divino in primis cultui dedicatæ, præter alios usus Ecclesiasticos enarratos [5], etiam in adventu Virorum Ecclesiasticorum ad urbes, & ad alia loca, uti diximus, gaudii & honoris gratia pulsandæ censeantur, talibus tamen gaudii & honoris indiciis Imperator quoque necnon Reges frui solent ac debent, sacra unctione insigniti, David, Saulis, Salomonis, & aliorum instar, qui in Reges inuncti fuerunt, ut in primo cap. 10. 16. ac tertio cap. 1. *Regum* legitur libris: Rex enim & Imperator sacro nunc Cathecumenorum oleo inunguntur, brachium scilicet eorum dextrum, atque item scapulæ, ut in Pontificali Romano [6] & in sacrarum Cæremoniarum libro [7] videre licet. Hujus generis usum pro Imperatore ac Rege in sancta Dei Ecclesia vigere ipsa exempla sive facta, ubique occasione sese offerente, declarant. Id quod tantum frequenti usu firmatum ostendit Laurentius Surius in *Vita Beati Ermenoldi Abbatis* [8], qui Henricum V. Imperatorem a Paschali II. excommunicatum, & ante Monasterium, cui Ermenoldus præerat, transeuntem, Campanarum sonitu honorare noluit. Surius enim hac de re ita inquit: „ Putabant omnes S. Ermenoldum, Abbatem loci, tum ob Imperatoriæ celsitudinis majestatem, tum ob B. Othonis reverentiam obviam ei processurum cum Fratrum Collegio, cum canticis, & hymnis, Campanarumque clangoribus, cum vexillis, & sacris reliquiis. At ille multum diversus ab adulatoribus, nec metu impellebatur, nec flectebatur gratia aut favore, ut illi honorifice obviam veniret, aut blanditer illum salutaret, quem sciebat a Pontifice Maximo Ecclesiastica communione privatum. Hæc ex Surio; ex cujus verbis usum pulsandi Campanas in honorem Imperatoris, necnon Regis, dictam saltem ob causam, consuetum esse colligimus, propter Imperatoriam & Regalem dignitatem, qua sunt insigniti, quippe qui in ipsa Coronatione totius Imperii ac Regni rectores, Ecclesiæque sanctæ ac fidei Christianæ defensores, Infidelium expugnatores, Justitiæ cultores, necnon meritorum ac demeritorum remuneratores declarantur.

Hujus generis honor, in signum lætitiæ præstari consuetus, aliis item Principibus, præsertim vero Ducibus dari debet, ut colligitur ex sententia Canonistarum [9], qui, ut nuper diximus, hac de re indefinite loquuntur in hanc verborum formam: *Campana est etiam quandoque signum gaudii & honoris occurrendi processionaliter alicui*. Per quæ sane verba etiam Duces inter magnos viros vel principes dignitate scilicet ac potestate insignitos recensentur. Talibus itaque viris vel principibus dignitate ac potestate decoratis, e longinquo ad sui dominii loca, sive suæ ipsorum jurisdictioni subjecta redeuntibus, Campanæ in signum honoris ac lætitiæ pulsari solent. Hi denique omnes tam sæculares quam Ecclesiastici, dignitate ac potestate insigniti, in locis haud sibi subjectis ad arbitrium illorum, qui eis dominantur, sonitu Campanarum in signum lætitiæ honorantur, dum solemni apparatu intra civitates excipiuntur. Id quod Religiosis item viris præstari solere constat, dum inter visitanda Monasteria, suorum Ordinum Magistri (hoc est, Priores Generales) civitates vel oppida ingrediuntur.

1 Tom. 1. num. 13. 2 Part. 2. num. 1. 3 Part. 2. num. 2. 4 Tom. 1. num. 1. & Abbas Tom. 1. num. 2. 5 Vid. Pontificale Rom. *de Coron. Regis* p. 1. 6 Ibidem. 7 Lib. 1. sect. 5. cap. 3. 8 Tom. 7. *de Vitis Sanct.* die 6. Januarii. 9 In lib. 2. *Decret.* cap. 2.

CAP. XXIII.

De multiplici usu Campanæ in Ecclesia sancta Dei, tam horis distinguendis, quam aliis Universitatum, Collegiorum, Scholarum, Communitatum, Cœnobiorum, Xenodochiorum, & Magistratuum commoditatibus deserviente.

Quamvis de Horologii pro distinguendis horis usu in primo hujusce Commentarii capite [1], necnon in tertio capite [2] satis dictum videatur, dum de ipsius Horologii apud Ethnicos Inventore atque usu loquebamur; nos tamen de usu in sancta Dei Ecclesia recepto verba facturi, perpauca & breviter quidem ex iis hoc loco repetemus. Nam etsi, uti jam diximus, Lucianus Samosatensis, qui vixit circa Annum Domini centesimum, Hippiæ Balneum describit, & commendat Horologiis exornatum duobus, uno scilicet per aquam & sonitum, (quod Hydrologium nuncupatur) altero autem per Solem; primus tamen Inventor ignoratur. Non desunt etiam, qui velint, usum Horologii Obelisco Ægyptiaco additum fuisse ab Octaviano Augusto Imperatore, cujus Imperii anno 42. ineunte Christus Jesus, Rex Regum, & Dominus dominantium, & Salvator noster, natus est. In Ecclesia vero sancta Dei Sabinianus Pontifex Maximus, qui sancto Gregorio Magno Anno Domini 605. successit, Phoca Imperatore, horas diei sono tintinnabulorum distinxit, ut Volaterranus lib. 22. in *Anthropologia* scriptum reliquit. Hujus generis inventum quanta sit laude dignum, vix verbis explicari posset. [3] Quid enim homini gratius & commodius inveniri potuit Horologio, quo nobis, etsi occultato Sole, per Campanam, sua, ut ita dicam, sponte sonantem, horæ distinctæ nunciantur? Quot autem commoditates & utilitates ex Horologii usu nobis nascantur, esse hominem, qui ignoret, arbitror neminem, si cujusque status & indigentia in horis distinguendis examinentur.

Universitates autem, Collegia, Gymnasia, aut Scholæ, Communitates, nec non Cœnobia, & Xenodochia non solum Horologio indigent, sed etiam alio, & frequenti quidem, Campanæ pulsandæ usu ac ritu.

1 Pag. 1242.
2 Pag. 1251.
3 Polyd. Vergilius lib. 3. cap. 18.

CAP. XXIV.

De aliis Campanæ usibus in Ecclesia sancta Dei receptis.

USus item Campanæ in vigiliis nocturnis excubitoribus deservire solet, in locis præsertim præsidiariis, in quibus ad pulsum Campanæ illico responderi necesse est, ut in Arcibus aut Castris fieri semper solet. Campanulæ denique pulsandæ usus receptus fuit in Monasteriis, & in ædibus Virorum principum, seu Magnatum tam Ecclesiasticorum quam Secularium. Nam in Monasteriis Campanæ sonitus adhibetur, dum ibi degentes convocantur ad orationem serotinam, & ad alia in Monasteriis facienda, præsertim vero dum Cœnobiorum Familiæ ad prandium & ad cœnam invitantur.

Idem Campanulæ pulsandæ usus, uti diximus [1], in ædibus S. R. E. Cardinalium, & Prælatorum, necnon aliorum Magnatum observatur, dum Familiæ in obsequium Dominorum suorum, vel pransum & cœnatum per tintinnabula in superioribus ædium appensa turriculis convocantur, ita vero, ut non solum qui domi sunt, sed etiam qui domo absunt, Campanulæ sonum audiant, & sui quisque domestici tintinnabuli aut Campanulæ tinnitum agnoscat: immo principes Viri, & præsertim Cardinales, & Episcopi, cum domi aut in cubiculis versantur, ut linguæ ac lateribus parcant, per ipsa tintinnabula minora sive minima, eorumdem manibus mota, famulos ad se accersire solent.

Hinc locum illum, in quo Familiæ S. R. E. Cardinalium, & Prælatorum, necnon aliorum Magnatum comedere solent, ab ipso tintinnabuli seu Campanulæ tinnitu, uti jam diximus [2], tinnellum vulgo appellant, quasi tintinnellum a tintinnabuli tinnitu ita vocitatum, media syllaba per syncopem detracta, sicut in secundo hujusce Commentarii capite fusius explicatum fuit, dum de Campanæ nominibus habetur sermo.

Magistratus denique, atque publicam personam gerentes, in causarumque cognitione sedentes per tintinnabula minora sive minima litigantes accersunt in auditorium, & iis item silentium imponunt, ut Hieronymus Magius cap. 18. *de Tintinnab.* refert, qui Florentiæ id se non semel, sed sæpe spectasse testatur.

Hæc de multiplici Campanæ usu in Ecclesia sancta Dei recepto. Nunc reliquum est, ut ea explicemus tempora, in quibus Campanas pulsare non licet, causis de hac prohibitione allatis.

CAP. XXV.

De temporibus, in quibus Campanas pulsare non licet, & cur ita.

IN triduo Hebdomadæ Sanctæ, in qua Passionis & Mortis Christi Domini Salvatoris nostri memoria recolitur, Campanæ non pulsantur, sed silent, & Campanarum loco Tabulæ malleo ferreo pulsantur, quia tunc siluerunt Apostoli, & Prædicatores, atque alii, qui per Campanas, ut scribit Guillelmus Durandus [3], intelliguntur, aut designantur: sonus enim Campanarum sonum prædicationis significat juxta illud [1] *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines Orbis terræ verba eorum.* Id quod de Apostolis dictum fuit, qui cum audissent Christum Dominum dicentem [2], *Ecce appropinquavit qui me tradet*, præ tristitia siluerunt & dormitaverunt, & ex consequenti a laudibus & prædicationibus conticuerunt. Ad Apostolorum itaque silentium repræsentandum a Completorio, ut ait Durandus [3], vel a Vespera, qua Dominus traditus fuit, Campanarum silentium inchoatur, quando scilicet Discipuli fugerunt, Dominumque dereliquerunt, a fidei confessione cessantes. Ad eosdem Discipulos fugientes atque in laudibus & prædicatione conticentes repræsentandos, candelæ candelabro appositæ in tribus Matutinis Hebdomadæ Sanctæ singulatim exstinguuntur, suprema, in candelabro sita, excepta, quæ (ut ceteros prætermittam significatus) e candelabro ipso amovetur accensa, & ita ad finem usque Matutini latenter asservatur, ut postea ostendatur accensa, & Ecclesia illuminetur [4]; significat fidem, quæ in Deipara Virgine semper mansit; necnon designat Christum Dominum, qui licet videretur secundum carnem exstinctus, tamen secundum Divinitatem, quæ illis erat occulta, vivebat; & postea resurgens cum luce clarissima sese suis Discipulis manifestavit, eosque illuminavit. Hæc ex Durando.

Campanæ igitur, ut eo, unde digressi sumus, revertamur, silent in tribus illis diebus. Ad Missam deinde Sabbati Sancti, Resurrectione Christi Domini prænunciata, pulsantur. Sed in Concilio Lateranensi celebrato sub Leone X. decretum fuit, ut nulli Ecclesiæ in tali die Campanas pulsare liceret, antequam Campana Ecclesiæ Cathedralis vel Matricis pulsaretur. Concilii verba sunt hæc [5]: *Ut debitus honor Matrici Ecclesiæ reddatur, tam ipsi Fratres quam alii Clerici seculares, etiam super hoc Apostolicæ Sedis privilegio muniti, die Sabbati majoris Hebdomadæ, ante quam Campana Cathedralis vel Matricis Ecclesiæ pulsaverit, Campanas in Ecclesiis suis pulsare minime possint. Contra facientes pœnam centum ducatorum incurrant.* Hæc de Campanarum silentio in illis diebus majoris Habdomadæ observando.

Tempore item Interdicti Campanas pulsare non licet [6], dum propter celebranda officia Campanarum pulsatio cum ingressu Ecclesiæ prohibetur: nam si Ecclesiasticis concedatur celebratio divinorum officiorum, & administratio Sacramentorum; id nonnisi januis clausis, interdictis & excommunicatis omnino exclusis, & non pulsatis Campanis, concedi solet, divinis quoque officiis voce summissa recitatis. Pulsatio tamen Campanæ in tempore Interdicti conceditur in Mane, Meridie, ac Sero pro Angelica Salutatione ad honorem Beatæ Mariæ semper Virginis recitanda, ut a cunctis laudetur ac veneretur, & ut nobis in nostris necessitatibus Virgo Deipara opem ferat. Quamvis hæc ita sese habeant, Innocentius tamen hujus nominis tertius concessit Abbati & Monachis Sancti Germani Antisiodorensis, ut in morte atque exsequiis Monachorum ipsius Monasterii tempore Interdicti Campanam unicam pulsare possent, ita vero, ut non multum foret intervallum, nec prolixa pulsatio. Id quod & Cathedrali etiam Ecclesiæ & Monasterio S. Juliani Antisiodoren-

1 Supra cap. 2. pag. 1244.
2 Ibidem.
3 In *Ration. Divinorum Officiorum* lib. 6. cap. 72. num. 3.

1 Psalm. 18.
2 Matth. 26. & Marc. 14.
3 Ubi supra, & Paulus Fuscus *de Visitat.* lib. 1. cap. 14. num. 10.
4 Durand. ubi supra cap. 72. num. 25.
5 Sess. 11. pag. 179. Tom. 5. Concil. Anno Dom. 1521.
6 Vid. Calder. 2. p. Tract. num. 4. Tom. 14. Tractatuum, & Armill. verbo *Interd.* num. 40.

ſis alias datum fuiſſe in ea narratur conceſſione. A Hæc ex libro anni 6. Innocentii III. epiſtola 24. Alexander item hujus nominis quartus Ludovico Sancto Francorum Regi, & Margaritæ uxori ejus; Gregorius X. Philippo III. Regi, & Mariæ uxori ejus; Nicolaus III. eidem Regi Philippo; Martinus IV. eidem Philippo, & uxori ejus, necnon Honorius IV. eidem Philippo conceſſerunt, ut in locis generaliter vel particulariter interdictis Miſſæ ſibi celebrari poſſent, etiam cum cantu, & alta voce; ſed in tali caſu concedere noluerunt, ut pulſarentur Campanæ. Hæc ex Regiſtris dictorum Pontificum in Vaticana Bibliotheca aſſervatis. Hactenus autem de multiplici Campanarum uſu, necnon B de ſilentio earumdem. Nunc denique ſupereſt, ut Commentario noſtro finem imponamus, ubi primum verba fecerimus de numero Campanarum Eccleſiis conceſſo.

CAP. XXVI.

De numero Campanarum tam Clericorum ſecularium quam Religioſorum Eccleſiis conceſſo.

NUmero Campanarum creſcente, contentioſa C inter Eccleſiaſticos viros prætenſio de numero earumdem ſuborta fuit, ut refert Albericus de Roſate dicens; *Audivi, quod magna lis fuit in Curia Romana, Utrum Fratres Prædicatores poſſent habere plures Campanas.* Hæc Albericus in ſuo *Dictionario*, [1], in quo multis rationibus & allegationibus affirmativam ſententiam concluſam fuiſſe narrat. Iſtuc fere ipſum Oldradus in Conſilio ducenteſimo vigeſimo octavo ſcriptum reliquit. Ad hanc controverſiam inter Eccleſias Cathedrales, necnon inter alias Clericorum ſecularium, & Eccleſias Religioſorum ſubortam, ſpectat Conſtitutio D Joannis vigeſimi ſecundi in libro primo *Extravagantium* capite unico *De Officio Cuſtodis*, in quo ad omnium Eccleſiarum quietem comparandam Summus Pontifex limitationem de numero Campanarum Apoſtolicis litteris edidit. Huic autem Conſtitutioni, ut Vincentius de Caſtronovo ac Stephanus Durantus [2] recte ajunt, generali conſuetudine derogatum fuiſſe conſtat. Controverſia item orta fuit in Curia Romana inter Ordinem Humiliatorum & quoſdam Monachos, ut idem Albericus & Oldradus teſtantur, quiſnam videlicet primo Campanas ad Matutinum pulſare deberet. Sed tandem aliquando decretum fuit, ſicut iidem teſtes E ajunt, ut qui primo ſurgeret, primo pulſaret.

Quamvis autem res ita ſeſe habeant, præſertim vero de numero Campanarum, hoc tamen loco, ut noſtro Commentario finem imponamus, tanquam ſigillum apponendum illud cenſetur, quod hac in re ſcriptum reliquit Sanctus Carolus Borromæus Cardinalis Sanctæ Praxedis, & Archiepiſcopus Mediolanenſis: is enim in Libro de Inſtructione Fabricæ atque de ſupellectili Eccleſiaſtica ad Mediolanenſis Provinciæ uſum edito, de numero Campanarum ita inquit *lib.* 1. *cap.* 25. „ Si Eccleſia „ Cathedralis eſt, ſeptem, aut quinque ad mini„ mum Campanas; ſi Collegiata, tres, grandio„ rem F ſcilicet, mediam, & minimam; ſi Paro„ chialis, totidem, aut duas ſaltem habere debet, „ eaſque diſtincto quodam ſoni concentu inter ſe „ conſentientes pro varia divinorum Officiorum, „ quæ fiunt, ratione ac ſignificatione. Hæc ibi Sanctus Carolus. Infra vero ait: „ Campanæ vero „ nec in turri, nec alio in loco collocandæ ſunt, „ niſi primum ſolemni benedictionis precumque „ ritu ex Eccleſiæ inſtituto ſint conſecratæ, nullam rem profanam inſculptam inſcriptamve ul„ lo modo, ſed Sancti Patroni Eccleſiæ, vel ali„ am ſacram imaginem piamque Inſcriptionem „ habentes.

Hucuſque Sanctus Carolus Borromæus. Campanæ itaque in rebus profanis pulſari non debent, nec item in rebus ſacris a Laicis, quatenus benedictæ atque conſecratæ, ut ſuo jam loco [1] ſatis dictum fuit.

Quoniam vero de Campana Ænigma ſatis elegans circumfertur, illud in gratiam curioſi Lectoris hoc loco cenſeo apponendum, quod Franciſcus Swertius in hæc verba ſcriptum reliquit:

ÆNIGMA
FRANCISCI SWERTII

In Mag. cap. 20.

Eſt intra cælos, eſt intra manſio terras,
Non cælum tango, non quoque tango ſolum.
Conſtringor vinclis, concludor robore duro,
Ut nulla mutem conditione locum.
Os mihi ſemper hiat, petulanter & exſero linguam,
Nec, niſi cum cogunt verbera multa, loquor.
Cum loquor, aſſiduis repleo clamoribus aures;
Verbera cum ceſſant, tunc quoque ceſſo loqui.
Non ulli noceo clamoribus; hortor iniquos,
Contrito ut quærant corde ſalutis iter.

ÆNIGMA
NICOLAI REUSNERI.

Os mihi ſemper hians, & pendens ferrea lingua eſt;
Vox eſt nulla, niſi prodita verberibus.

Hæc ſunt, quæ mihi de Campanis dicenda videbantur duobus concluſa Ænigmatibus, quæ juxta propriam Ænigmatum conditionem, quamvis obſcura ſint, horum tamen ſenſus, Campanæ forma, & lingua ejuſdem, id eſt, malleo, necnon ſitu, & pulſatu ipſius cum aliis rebus ad Campanam pertinentibus, undequaque ac diligenter quidem penſitatis, facillime profecto explicantur & intelliguntur.

1 In vocab. *Campana*. 2 Lib. 1. de Rit. Eccleſ. cap. 22. num. 9.

1 Supra cap. XIII.

PARALIPOMENA,

HOC EST,

Res in capite 14. & 18. hujusce Commentarii prætermissæ.

CAP. XIV.

NOs de multiplici Campanarum usu, in sancta Dei Ecclesia recepto, verba facientes, prætermisimus ritum, quo Summi Pontifices antiquitus uti solebant, dum aliquem Populum, vel Principem justa de causa excommunicabant. Singulis namque Dominicis & festivis diebus per Episcopos & Archiepiscopos inter pulsandas Campanas candelis accensis, excommunicati publice declarabantur. Quo facto, Campanarum sonitus cessabat, & candelæ item exstinguebantur, in terram dejectæ. Campanæ pulsabantur, ut earumdem sonitu, quo Dæmones expelli solent, Excommunicati, Dæmonibus assimilati, a Fidelium commercio expulsi declararentur. Per candelas autem exstinctas, & humi dejectas, Excommunicati, tanquam divinæ gratiæ luminis expertes, extraque Sanctorum Communionem ejecti, hoc est, Ecclesiæ Sacramentis, ac suffragiis, necnon aliis piis Fidelium operibus, dictarum scilicet rerum omnium participatione declarantur privati. Quem profecto excommunicandi ritum ab Innocentio hujus nominis Tertio non semel observatum esse ante annos circiter quadringentos, anno scilicet sui Pontificatus tertio, sexto, & quintodecimo, dum ipse diversos Populos ac Principes excommunicatos publice nunciari mandavit, sicut ex antiquis Romanorum Pontificum Regestis, vel, ut ajunt, Registris in Bibliotheca Vaticana asservatis, constat. Id quod etiam ad hanc usque diem fieri solet a Summo Pontifice, quando in Feria v. majoris Hebdomadæ, quæ dicitur in Cœna Domini, Bulla coram Populo promulgatur: nam pulsatis jam Campanis, & Bulla denique lecta, Summus Pontifex e sublimi suggesto, sive pulpito, candelam accensam, in ipso tractu exstinguendam, super Populum adstantem projicit. His peractis, datur Christi Fidelibus benedictio solemnis, & plenaria Indulgentia promulgatur, ut in Cæremoniali Romano videre licet *lib.* 2. *cap.* 45. ubi fit mentio de aliis item, hoc est, de S. R. E. Cardinalibus & Prælatis, qui olim, Bulla recitata (quam etiam Processum appellant) candelas accensas e loco illo sublimi projiciebant in terram ad eamdem rem designandam.

CAP. XVIII.

IN decimo octavo hujusce Commentarii Capite, in quo diximus trinum Campanæ pulsum, vel sonitum, in *Mane*, *Meridie*, ac *Sero* pro Salutatione Angelica recitanda institutum fuisse, non solum dum Christi Fideles Bello Turcarum diversis in locis vexabantur, necnon dum Bellum sacrum, hoc est, Cruciata, pro Terra sancta recuperanda gerebatur, sed etiam pro publica pace inter Christianos obtinenda; silentio prætermisimus aliud orandi ritum in magnis Ec-

A clesiæ sanctæ calamitatibus tempore Nicolai Tertii ad sonitum Campanarum inter omnes quorumcumque locorum Christiani Orbis Missas celebrandas observatum, ut in ejusdem Summi Pontificis legitur Bulla, quæ in Bibliotheca Vaticana asservatur. Verborum Bullæ forma hæc est:

„Inter alia vero (*Nicolaus Papa post multa inquit*) Devotorum suffragia, quibus propter hoc „in laudis sacrificio Dominum honorabunt, in „singulis Missarum celebrationibus post dictum „a Celebrante, Pax Domini, responsionemque B „sequutam, antequam ipse Celebrans, vel Re„spondentes (*hoc est, Chorus*) incipiant Agnus „Dei, cum devotione debita in patena duabus „Eucharistiæ partibus collocatis; tertia quoque „cum Oratione solita in Calice mixta cum San„guine, ipso quoque Calice cooperto, illud exi„mii Citharœdi Canticum, Lætatus sum in his, „quæ dicta sunt mihi, *&c.* a vobis Religiosis, „Clericis, & aliis litteratis dici volumus cum „Oratione ac versiculis infrascriptis, ipso Cele„brante aliisque præsentibus genua flectentibus, „dum præmissa dicuntur, *Dicto Psalmo cum Gloria Patri*, dicatur: *Kyrie eleison. Christe elei-* C *son*, *Pater noster*, &c. ℣. *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.*

℣. *Domine salvos fac Reges.*
℟. *Et exaudi nos in die, qua invocaverimus te.*
℣. *Salvum fac Populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ.*
℟. *Rege eos, & extolle illos usque in æternum.*
℣. *Fiat pax in virtute tua.*
℟. *Et abundantia in turribus tuis.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
D ℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.* Oremus.

Largire, quæsumus, Domine, Fidelibus tuis Indulgentiam placatus & pacem, ut pariter ab omnibus mundentur offensis, & secura tibi mente deserviant. Per Christum Dominum nostrum. Respondetur, *Amen.* Post hæc dicuntur *Agnus Dei*, & cetera, quæ supersunt in Missa.

Hæc Nicolaus Tertius in Bulla sua pro pace inter Principes Christianos, præsertim vero inter Reges Franciæ atque Castellæ invicem diffidentes impetranda, ut Bellum Sacrum, hoc est, Cruciata, contra Turcas instaurari facilius posset. Omnibus autem singulo quoque die ita orantibus decem E dies de injunctis pœnitentiis idem Summus Pontifex relaxavit.

Joannes item vigesimus secundus in gravissimis Romanæ Ecclesiæ necessitatibus, præsertim vero tempore schismatis, eamdem orandi formam frequentavit, sicut ex ejusdem Bulla, quæ in Archivo Castri sancti Angeli asservatur, constat: & ita orantibus idem Summus Pontifex Indulgentias quoque concessit, ut in eadem legitur Bulla. Hic autem orandi ritus per trinum Campanæ sonitum Christi Fidelibus indicabatur, ut omnes ad orandum sese pararent.

F Propter denique schisma e medio tollendum, & propter pacem Christi Fidelibus a Deo impetrandam, ad hanc usque diem remansit ritus dicendi, *Dona nobis pacem*, in tertio Agnus Dei, dum celebratur Missa. Antiquitus enim tribus vicibus uniformiter dicebatur, *Agnus Dei, qui tollis peccata Mundi, miserere nobis*; sed ob multas & varias Ecclesiæ olim adversitates Ecclesia cœpit ad Dominum de tribulatione clamare, *Dona nobis pacem*. Basilica vero Lateranensis tanquam antiquior, & quatenus aliarum Ecclesiarum primogenita, nunquam in *Agnus Dei* dicit, *Dona nobis pacem*, in celebratione

Missæ, sicut nec Schola Cantorum, id est, Chorus; sed tribus vicibus uniformiter dicit, *Miserere nobis*, ad antiquitatem illam conservandam, quavis alia opinione prætermissa.

Hoc igitur ab omnibus ejusdem Basilicæ Sacerdotibus observatur. Quando autem in eadem Basilica coram Summo Pontifice & S. R. E. Cardinalibus Missa solemniter cantatur, tertia vice tam a Celebrante, quam a Schola Cantorum, qui Capellæ Pontificiæ deserviunt, dicitur, *Dona nobis pacem*.

De hoc ritu in celebranda Missa observato, deinde mutato, Innocentius hujus nominis tertius ante annos quadringentos mentionem facit in hæc verba 1: „ Porro secundum consuetudinem antiquam Scholæ Cantorum, quam adhuc „ ipsi conservant, & in pluribus observatur Ecclesiis, ut in Lateranensi, nullatenus variatur; „ sed tribus vicibus uniformiter dicitur Agnus

1 Lib. 6. *Mysteriorum Missæ* cap. 4.

A „ Dei, qui tollis peccata Mundi, Miserere nobis; „ propter tria genera peccatorum, quæ petimus „ nobis remitti, cogitationis, locutionis, & actionis. *Et infra:* „ Postmodum autem multis & „ variis adversitatibus & horroribus Ecclesiæ ingruentibus, cœpit ad Dominum clamare de tribulatione, Dona nobis pacem. Hanc Innocentii sententiam recitat etiam Guillelmus Durandus in *Rationali Divinorum Officiorum* lib. 4. c. 25. nulla tamen mentione de Innocentio facta. Stephanus autem Durantus in libro 3. cap. 53. de *Ritibus Ecclesiæ* sub Innocentii nomine affert in medium eamdem sententiam, cui assentiendum omnino censetur, qualibet alia consideratione aut opinione silentio a nobis prætermissa.

B

Hæc de trino Campanæ sonitu, necnon de ritu in tertio, *Agnus Dei*, in celebratione Missæ mutato, suadente occasione sese oblata de Pace, dum de ritu orandi perantiquo, ad eam impetrandam instituto, loquebamur.

FINIS COMMENTARII.



DE HOROLOGIIS
ET CAMPANIS,
hic delineatis & ære incisis, Declaratio.

DUm de turrium præstantia, & admirandis A quorundam Horologiorum structuris, necnon de musico Campanarum concentu, musicam item Organorum harmoniam repræsentante, loqueremur *cap.* 12. in medium attulimus nonnulla, quæ indigebant delineatione, ut quæ scripta sunt, facilius intelligerentur.

Ad hanc rem præstandam primo loco apponere libuit Horologium Sancti Marci Venetiarum delineatum, & æri incisum.




A Campanula illa, quæ sub majori Campana horarum exstare cernitur, malleolo percussa, anteaquam horæ pulsentur, dat sonitum, quo dato, Campana horarum hinc inde pulsatur a duobus effictis ex ære Mauris. Deinde e duorum ostiolorum uno, inter quæ Deiparæ Mariæ semper Virginis sculpta infra Horologium imago sedens repræsentatur, Angelus tubam, uti jam diximus pag. 1268. personando exit, ut alterum ostiolum ingrediatur, a tribus comitatus Magis, qui dum ante dictam imaginem transeunt, sese artificiose flectunt, & inclinato capite, manu ad frontem directa, ipsam imaginem, corona e capite cujusque amota, venerantur, Angelumque intra ostiolum ingredientem B sequuntur. Id quod Franciscus Sansovinus in ejusdem civitatis descriptione lib. 8. satis fuse ac belle quidem scriptum reliquit.

Stella vero, quæ supra imaginem Deiparæ Mariæ semper Virginis cernitur, Magis infra transeuntibus apparet, deinde in suum sese retrahit locum. Infra denique cernitur Sphæra stellaria & horaria, in qua repræsentantur duodecim Signa cælestia, & Solis radius horas ostendens, atque item Sol ipse, qui singulo quoque Mense in domo sibi præfixa manet. In centro autem Sphæræ cernitur Luna, quæ inter multitudinem stellarum suas facit mutationes. Infra vero Campanam horarum per leonis imaginem juxta Scripturam Sacram [1] repræsentatur Sanctus Marcus Evangelista, præcipuus Venetiarum Protector, ad cujus pedes Dux item Venetus cernitur genuflexus. Hæc de Horologio Sancti Marci Venetiarum.


Secundo loco sese nobis offert explicandum Horologium Leodii, quod est Germaniæ Inferioris, hoc est, Flandriæ, civitas maxima: ibi enim præter magnitudinem & multitudinem Campanarum, quæ dum Organorum instar pulsantur, musicum reddunt concentum, ut in *capite* 12. satis fuse narravimus; in Ecclesia Cathedrali, Sancto Lamberto dicata, exstat etiam Horologium mira arte constructum, sicut rotæ ac funiculi multiplices præ se ferunt. Quælibet enim hora in quattuor distinguitur partes; quæ a quattuor statuis illis ex ære fictis distincte pulsantur; quibus pulsatis, a statua illa inferiori pulsatur horarum Campana, quæ horas distincte personando refert.

Tertio loco repræsentatur modus pulsandi magnas in Belgio Campanas, hoc est, in Flandria,

1 Apocal. 4.




HOROLOGIUM LEODII.



Galliæ Belgicæ Regione. Nam in Cathedrali præsertim Ecclesia Leodiensi Sancto Lamberto dicata (uti jam in capite duodecimo pag. 1267. hujusce *Commentarii* dictum fuit) octo sunt amplissimæ Campanæ, minusculæ vero duodecim ad horarum pulsationem accommodatæ. Ad Campanæ harum maximæ pulsationem quattuor & viginti requiruntur homines. Maxima hæc enim Campana duabus & quidem magnis est cincta rotis, quæ circumligatæ sunt duobus deorsum pendentibus funibus, quibus item alligati sunt quattuor & viginti alii funiculi. Deinde homines duodecim trahunt vice versa funes ab una parte; ita vero, ut, quando pars una deorsum trahit, altera sursum trahat. Qui sane modus in pulsandis Campanis pro musico efficiendo concentu per A totum Belgium observatur, sicut dictæ Civitatis & Regionis Indigenæ, qui Romæ degunt, omnino affirmant.

Quarto denique loco sese nobis offerunt triginta tres promiscuæ magnitudinis Campanæ, hic delineatæ ac ære incisæ, quæ sunt in Cathedrali & primaria quidem Antverpiensi Ecclesia, Deiparæ Mariæ semper Virgini dicata, cujus turris admirandæ altitudinis ac structuræ dictas continet Campanas. De præstantia hujusce Ecclesiæ ac turris, necnon de dictis Campanis, earumque B harmonia musica sermonem habuimus in duodecimo hujusce Commentarii capite pag. 1266. juxta Georgii Braunii verba. Nunc autem ad majorem dictæ delineationis Campanarum intelligentiam nonnulla explicanda censentur. Turris enim



triginta trium Campanarum non solum est alta pedes quadringentos viginti, uti citato jam diximus loco, sed intus habet trecentos & sexaginta tres gradus, per quos adscenditur ad Campanarum fa- C stigium. Habet etiam intus diversa loca satis ampla, in quibus pendent Campanæ, præsertim vero triginta tres promiscuæ magnitudinis Campanæ illæ, quæ quotidie tam pro divinis officiis,

A ſtando pulſantur. Supra dictas Campanas exſtat Horologium cum Campana, quæ pulſat horas. Exſtat etiam ſuperius alia contignatio, in qua pendent Campanæ, quæ præludium aliquod, vel, ut Muſici ajunt, Motettum, in majoribus nempe feſtivitatibus, antequam horæ pulſentur, ſonant. Alio denique in loco ad latus ejus tres magnæ pendent Campanæ, quarum major, triumphalis dicta, motu primo nonniſi a viginti hominibus pulſari poteſt, deinde a duodecim tantum viris facile B pulſatur, quæ tandem cum aliis duabus, in majoribus tamen feſtivitatibus, muſicum refert concentum, quem vulgo Muſici contrapunctum vocant.

Triginta tres denique Campanæ illæ quarto loco delineatæ, ac æri inciſæ, ſeu potius earumdem mallei per rotulas & funiculos moventur: & ita, ut ſuo loco [1] videre licet, Campanæ ipſæ Organorum inſtar manibus ac pedibus pulſantur: & hunc in modum pulſatæ tam conſonantem edunt ſonum, & diverſas Eccleſiaſticas melodias ita exprimunt, ut ab harmonia muſica (Georgio Braunio teſte) vix eum diſtinxeris, uti ſuo jam loco [2] dictum fuit.

1 Cap. 12. pag. 1267. 2 Pag. 1266.

F I N I S.



HIERONYMI BOSSII
DE
TOGA ROMANA
COMMENTARIUS.

HIERONYMUS BOSSIUS

LECTORI

ANTIQUARIO.



Nihil omnino, quod te non fugit, in Latinis literis ROMANA ANTIQUITATE præstantius: in qua ferio illustranda cum MANUTIUS, MURETUS, LIPSIUS, VICTORIUS, MAJORAGIUS, aurei partus, matrum suarum, atque alii quamplurimi doctissimi & eruditissimi Viri, operam omnem suam diligentissime collocarint, magnam sæpe mihi fecit admirationem, quod de iis nemo adhuc exstiterit, qui de TOGA, quod ego sciam, singulariter quicquam scripserit. Quippe de *Senatu*, de *Magistratibus*, de *Sacerdotiis*, de *Comitiis*, ac de *Legibus* Romanæ Civitatis justa leguntur volumina; de TOGA vero nihil ad hunc diem litterarum monumentis traditum fuit, quod vel unius folii, ut dicitur, utramque paginam impleat. Ea re gratiam a te non vulgarem initurum me speravi, si quæ sparsim in hoc genere apud majorum minorumque gentium Scriptores notavi & observavi, tibi excusa typis communicarem. Et certe *quicquid lectione collectum est*, & *stylus*, ut ad Lucilium ait Seneca, *redegit in corpus*, id velim in commune conferre me putes, magis caussa juvandi tui, si hæc ignoraveris, aut oblectandi, si non ignoraveris, quam ulla mihi nominis colligendi cupiditate. Satis enim mihi superque erit, si potero cum Poeta dicere,

—— tutus & intra
Spem veniæ cautus, vitavi denique culpam,
Non laudem merui.

Quamquam de *Rebus* tantum abest, ut quicquam velim mihi vindicare, ut Scriptores, ex quibus ista desumsimus ac descripsimus, suo loco singulos indicaverim. Cum itaque de *Verbis* solum, quibus sententias inter se colligavi, atque de *Ordine*, in quem universam digessi materiam, pseudo-Critici isti, conniventes in suis, & *in libris alienis ingeniosi*, torquere in me possint jacula detractionis suæ; ut eorum censuram effugere non possum, sic ab illorum sententia, mi ANTIQUARIE LECTOR, semper ad te provocabo. Atque adeo jam provoco, qui te non magis lectorem quam judicem habere desidero. Quantum namque ab eorum perfidia timendum est, tantum mihi spei facio ab æquitate tua. Quod enim *Verba* attinet, licet de ANTIQUITATE loquar, non adeo tamen antiquus sum, ut cum matre Evandri videar differere; nec adeo recens, ut ab Antiquis discedam. Quod vero *Ordinem* spectat, eum secuti sumus, quem nemo, ut arbitror, de Oratorum Dialecticorumve familia improbabit, cum sit maxime cum rei natura consentaneus. Primum scilicet de TOGA in universum, deinde de ejusdem speciebus disputavi. Cujus tibi utriusque rei judicium do libentissime. Jamque, quod te rogo per ipsam, quam tantopere amas, Antiquitatem, lege, perlege: cognosce & judica ex æquo & bono, more Majorum.

INDEX CAPITUM.

HIERONYMI BOSSII

DE

TOGA ROMANA

COMMENTARIUS.

CAP. I. Lemma.

TOGA *unde dicta: a quo inventa: quis & apud quos ejus fuerit uſus.*



TOGA veſtis erat, ut inquit Iſidorus *lib.* XIX. *cap.* XXIV. *forma rotunda & fuſiore, & quaſi inundante ſinu*; quæ ſic appellata fuit, auctore Nonio Marcello lib. I. *de Propriet. Serm. a tegendo*, quod corpus tegeret. Ea etenim, *cum ante pectus demiſſa in humero dextro fibula necteretur, ſiniſtrum humerum*, ut docet ibidem Iſidorus, *operiebat ac tegebat omnino*. Hujus autem veſtis auctorem Adrianus Turnebus *Adverſ.* tom. I. lib. VII. cap. II. Tebennum quendam Arcadem fuiſſe dicit: cui facile quidem credimus; cum quia in hoc genere Scriptor eſt claſſicus, tum quia a Plutarcho Τήβεννον, & ab Athenæo Τήβενναν Græca voce appellari animadvertimus. Quamquam hoc veſtimenti genus fuerit adeo ROMANIS proprium, ut eos Virgilius lib. I. *Æneidos* vocaverit,

—— rerum dominos, gentemque togatam.

Gullielmus ſiquidem Budæus ſuis *in Pandectas Annotationibus* ait, *toga geſtamen erat proprium, inſigneque Romanorum*. Hominis quoque ſententiam mirifice Guidus Pancirolus J. C. confirmat: qui *Var. Lect.* lib. I. cap. XII. ſic loquitur de ipſa toga, *civium Romanorum inſigne fuit, nec aliis ea veſte uti licebat*: quare ſi quis peregrinus & alienigena ex privilegio togam induere potuiſſet, in civibus ſtatim habebatur Romanis; ut ex *l. ſed ſi accepto uſu toga, D. de jure Fiſci* colligi facile poteſt.

CAP. II. Lemma.

TOGATÆ *Comœdiæ* a TOGA *ſic dictæ.*

COmœdiæ etiam, in quibus auctores aut toga uterentur, aut mores ac ritus imitarentur Romanorum, togatæ a Veteribus dicebantur. Quod videre licet apud Sex. Pompejum Feſtum lib. XX. *de verb. ſignificat.* TOGATARUM *autem*, ut ille ait, qui in eundem Feſtum Annotationes elucubravit, *aliæ erant* PRÆTEXTÆ *ingenuarum perſonarum; aliæ tabernariæ vilium perſonarum.* TOGIS *enim* PRÆTEXTIS *utebantur ingenui pueri & puellæ; in tabernis vero ſervi, plagiarii, & alii humilis conditionis viri ac mulieres.* Sic quoque Græcorum fabulæ ab illorum habitu, ut Varro teſtatur lib. I. *de Lingua Lat. Palliatæ* nominabantur. Itaque eleganter admodum cecinit de Comicis noſtris Horatius *epiſt. ad Piſones de Arte Poetica*:

A *Nil intentatum noſtri liquere Poetæ,*
Nec minimum meruere decus, veſtigia Græca
Auſi deſerere, & celebrare domeſtica facta;
Vel qui prætextas, vel qui docuere togatas.

CAP. III. Lemma.

TOGA *virorum, non fœminarum: arcta pauperum, divitum laxa.*

NON fuit tamen, ut ad rem redeam, communis uſus Togæ viris cum fœminis; niſi quod ea meretricibus dabatur infamiæ cauſ-
B ſa, & virginibus Prætexta, ut infra docebimus, pudicitiæ & pudoris ergo permittebatur. Ut itaque ceteræ mulieres ſtolam induebant, quod facile diſcere poſſumus ex his Ulpiani verbis in *l. Veſtis D. de auro & argento legato*: *Muliebria ſunt, quæ matrisfamiliae cauſa parata ſunt, quibus vir non facile uti poteſt ſine vituperatione: veluti ſtolæ, pallia, tunicæ*; ſic toga viri utebantur; laxiori ſcilicet & ampliori divites; arcta vero ii, quibus erat *res anguſta domi*. Quod Horatius ſignificavit his verſibus lib. I. *epiſtola ad Lollium* XVIII.

C *—— mecum contendere noli,*
Stultitiam patiuntur opes, tibi parvula res eſt.
Arcta decet ſanum comitem toga; deſine mecum
Certare.

Quare in Menam quendam Pompeii Magni Libertum, qui, cum ad ſummas perveniſſet & dignitates & divitias, ampliorem togam geſtabat, omnibuſque propterea indignationem commovebat, ſic idem Poeta lib. *Epod.* ode IV.

Videſne, Sacram metiente te Viam
Cum bis ter ulnarum toga,
D *Ut ora vertat huc & huc euntium*
Liberrima indignatio?

CAP. IV. Lemma.

TOGA *adulteris data & meretricibus ignominiæ cauſſa.*

MUlieres vero impudicæ, & ob adulterium a maritis repudiatæ, ipſam ſtolam deponere ac togam veſtire cogebantur; ut ſcilicet a pudicis diſcernerentur. Quod multis locis Ve-
E nuſinus Poeta verum eſſe demonſtravit; ſed his præcipue verbis *Sermonum* lib. I. ſat. II.

—— bonam deperdere famam,
Rem patris oblimare malum eſt ubique; quid intereſt, in matrona, ancilla, peccesve togata?

Et paullo infra iſtud ipſum ſic exprimit:

Nec magis huic, inter niveos virideſque lapillos,
Sit licet, hoc Chærinte tuum, tenerum eſt femur, aut crus
Rectius, atque etiam melius perſæpe togatæ.

Utroque in loco Ascensius *togatam* interpretatur infamem, prostitutam, & meretricem. Nec omnino aliter poterat interpretari, cum ipse Horatius addiderit:

Quod venale habet, ostendit: nec, si quid honesti est,
Jactat, habetque palam: quærit quo turpia celet.

Quam rem acute & ingeniose Martialem innuisse putamus, cum dixit *lib.* II. *epigrammate* XXXIX.

Coccina famosæ donas & jantina mœchæ:
Vis dare quæ meruit munera? mitte togam.

insigne scilicet adulterii commissi. Cui non dissimile illud epigramma est, quod festive conscriptum legitur *lib.* X. *epigrammate* LII.

Thelin viderat in toga spadonem,
Damnatam Numa dixit esse mœcham.

Quare ipse etiam, qui jam ætatis beneficio jus quinque & viginti annorum acquisivi, salva Lipliana lege, quæ in Satyra Menippea est de correctoribus, locum illum Ciceronis *Phil.* II. *in M. Antonium* sic restituo, *sumsisti virilem, quam statim muliebrem togam reddidisti*: ubi nonnulli malunt legere, *sumsisti virilem togam, quam statim muliebrem stolam reddidisti*. Et quidem significantius Antonii mores effœminatos per muliebrem togam, quam per stolam, quæ castæ ac pudicæ mulieris erat vestimentum, Cicero mihi videtur expressisse.

CAP. V. Lemma.

TOGAM *deponere quinam cogerentur.*

ATque ut stolam fœminæ ob prostitutam pudicitiam deponebant, sic homines etiam, qui ausi fuerant, ut *sat.* I. inquit Juvenalis,

— aliquid brevibus Gyaris & carcere dignum;

quique propterea in Cycladas aqua & igne carentes insulas fuerant deportati, usu togæ interdicebantur; hi namque, ut primum apud Ulpianum *l.* I. §. *hi quibus*, *de leg.* III. mox etiam apud Manutium lib. *de Legibus Romanis* observavimus, *sicut pristina jura, ita & bona amittebant omnia*. Quod significasse mihi videtur Plinius, cum ait *lib.* IV. *epist. ad Minutian.* XI. *Idem cum Græco pallio amictus intrasset, (carent enim togæ jure, quibus aqua & igni interdictum est) postquam se composuit, circumspexitque habitum suum, Latine, inquit, declamaturus sum*. In eas vero insulas neminem amandabant, deportabantve, qui capitale facinus non perpetrasset. Sic Gallus Asinius, ut Cornel. Tacitus libro IV. *Annalium* refert, Gyaro aut Donusa claudendum censuit Q. Vibium, quod Tiberio Principi molitus fuisset insidias.

CAP. VI. Lemma.

TOGAM *Romani omnes Saturnalibus deponebant.*

SAturnalibus etiam, quæ de mense Decembri celebrabantur, Romani omnes togam exsuebant, & induebant synthesim. Qua de re subscribam Martialis distichon, quod in *Apophoretis* CXLI. est:

Dum toga per quinas gaudet requiescere luces,
Hos poteris cultus sumere jure tuo.

Quanto autem vitio daretur, uti toga Saturnaliorum tempore, argumento sit illud ejusdem Martialis *lib.* VI. *epigr.* XXIV.

Nil lascivius est Charisiano,
Saturnalibus ambulat togatus.

Tunc etenim servis domini discumbentibus inserviebant, & eisdem licebat, quæ voluissent in dominos libere dicere, ut Horatius testatur hoc carmine *Serm.* lib. II. sat. VII.

— age, libertate Decembri,
Quando ita Majores voluerunt, utere: narra.

Sic Claudium Imperatorem servis & libertis regnum Saturnalibus permisisse legimus: *Namque opinio Veterum erat*, ut magnus Lipsius inquit, *Saturnum suis, id est, Saturnalium diebus, iterum quasi regni compotem esse: ceterum annum in vinclis haberi*.

CAP. VII. Lemma.

TOGATI *tenuiores homines salutabant & prosequebantur divites.*

VErum ceteris anni temporibus, modo ne pax bello mutaretur, hoc in more positum erat apud Romanos, ut tenuiores, & qui non ita satis haberent unde viverent, togati vel per Urbem comitarentur, vel domi salutarent viros abundantes ac primarios, de quibus sportulam impetrare potuissent. Unde Juvenalis *sat.* I.

— nunc sportula primo
Limine parva sedet, turbæ rapienda togatæ.

Et *sat.* III.

Nonne vides quanto celebretur sportula fumo?

Quam consuetudinem Martialis expressit elegantissime in *Apophoretis* disticho CXXV.

Si matutinos facile est tibi rumpere somnos;
Attrita veniet sportula multa toga.

Sic *togati* apud eundem Poetam pro deductoribus, *togata opera* pro ipsa deductione, ac denique *toga rara*, pro rara in deducendo & salutando opera a doctissimis quibusque accipitur. Et cum eandem operam ita præstare nobiliores animadverteret, ut spem omnem habendæ sportulæ infringerent ac præciderent pauperibus, horum misera conditione commotus in Paullum sic invehitur *lib.* X. *epigrammate* X.

Quid faciet pauper, cui non licet esse clienti?
Dimisit nostras purpura vestra togas.

C A P. VIII. Lemma.

TOGA *Romani utebantur solum pacis tempore.*

ET quoniam, quod paullo ante innui, in pace tantum togæ usus erat; nam in bello, toga deposita, chlamydem & sagum Romani sumebant; nisi quod Consularibus togatis esse licebat, pacis insigne & otii togam dicere possumus. Quidni? Pro pace M. Tullius togam posuit, cum dixit lib. I. *Officiorum*,

Cedant arma togæ, concedant laurea linguæ.

Neque id certe de toga intelligendum puto, qua erat ipse amictus; nec de scuto aut gladio armati hominis; sed, quod pacis insigne toga esset, arma vero belli, eum more Poetarum fuisse loquutum existimo. Et hoc, nisi fallor, ut certe non fallor, significare voluisse, *bellum paci concedat*. Et admirabilis ille architectus Laconismi, Justus Lipsius, in hunc sensum dixit *Politicorum*, sive *Civilis doctrinæ* lib. IV. cap. II. *Prudentia omnis, quam in Principe quæro, duplex est, togata, & militaris: illam intelligo, quæ in cottidiana hac gubernatione tranquillisque rebus intervenit; istam, quæ in bello turbatisque rebus.* Quare togatus non solum, quod inquit Budæus, *a sagato distinguitur ut inermis ab armato*, sed etiam, ut homo, qui in pace degat, ab eo qui bellum aut paret, aut suscipiat & gerat.

C A P. X.

TOGAM *vestire quinam, & quo tempore cogerentur.*

EX quo factum est, ut Proconsules, qui in Provinciis, cum essent cum potestate consulari, bella persæpe gesserunt, in Urbis ingressu Romam reversi, non omne solum amitterent imperium, quod patet ex *l. ult. de off. Proconf.* sed insignia etiam deponerent consularia. Itaque L. Pisone a Provincia Macedonica redeunte, *Togulæ* lictoribus ad portam præsto fuerunt, quibus illi acceptis sagula rejecerunt. Sic etiam Senatores dum judicarent in Senatu, & Advocatos dum causas orarent in judiciis, togatos esse oportebat. Quorum alterum probatur a Pancirollo *Variar. Lection.* lib. II. cap. XII. alterum *leg. 3. Cod. de Advocat. diverf. Judic.* Ea re toga Præfecturæ Illyricianæ pro Illyriciano Advocatorum collegio ab hominibus litteratis accipitur.

C A P. X. Lemma.

TOGARUM *genera quot & quæ fuerint apud antiquos Romanos.*

HIC mihi videtur locus tandem aliquando breviter exponendi, quot & quæ fuerint togarum genera, ut de singulis, nisi me vires defecerint ingenii, deinceps disputemus, veterum Scriptorum auctoritatem ad omnia, ut par est, suscipientes omnino. Variis usi sunt Romani togis, ac una potius toga diversis appellata

A nominibus, *prætexta*, sive puerili: *pura*, sive virili: *candida, alba, pulla, picta, palmata, purpurea, pexa, rasa, vitrea, regia, præsidiaria.* Nonnunquam etenim nomen accipiebat ab ætate, aliquando a colore, interdum quoque ab officio.

C A P. XI. Lemma.

PRÆTEXTA *ingenuorum fuit puerorum & puellarum, ac Magistratuum.*

AC primum, ut disputatio nostra eum ordinem habeat, quem institutæ rei natura
B præscribit, de Prætexta dicamus. *Per Togam Prætextam*, ait Rævardus Tomo I. *eam intelligebant Veteres, cujus in oris & extremitate purpura prætexebatur.* Quamobrem a Plutarcho περιπόρφυρος nominatur. Quod genus togæ Tullus Hostilius Rex Romanorum III. Macrobio teste, omnium primus, ut Romæ haberetur, instituit. Agellius autem *libro* XVIII. *capite* IV. eandem *puerilem togam* appellat. Quoniam illa, ut est apud Cælium Calcagninum libro III. *Epistolicarum Quæstionum, ingenuorum puerorum erat, antequam puram togam induerent, quo tempore, si quid peccassent, non pecuniam solvebant, sed anguillarum*
C *tergoribus molle mulctabantur.* Sed quidni illud Marci Tullii in Marcum Antonium ex *Philippica* II. hoc loco referam? *tenesne*, inquit, *memoria prætextatum te decoxisse?* id est, ut ego cum Manutio interpretor, *in pueritia*, nondum *sumta virili toga*. Hanc etenim *prætextam* fuisse concessam pueris Macrobius docet lib. I. *Saturnalium* capite VI. *ut ex purpuræ rubore impuberes ingenuitatis pudore regerentur.* Qui propterea a Pancirollo libro I. *Variarum Lectionum* cap. XV. *prætextati* sunt appellati. Sicuti etiam ab Ulpiano *in lege vestis*, §. *puerilia. ff. de auro & argento legato*, ipsa prætexta
D in puerilibus numeratur vestimentis. Hinc anni prætextæ, quod Budæus annotavit, a Plinio *lib.* XXXIII. pro annis pueritiæ: & ætas prætextata ab Agellio lib. I. *Noct. Attic.* pro pueritia: & *mores prætextati* a Festo in integris codicibus pro moribus puerorum intelliguntur.

Puellas etiam antequam nuberent prætextatas incessisse testatur Manutius meus, cum verba illa Ciceronis declarat *Act.* II. *in C. Verrem: Eripies igitur pupillæ togam prætextam? detrahes ornamenta non solum fortunæ, sed etiam ingenuitatis?* Quare prætextatus sermo verbum est mediæ significationis, cum, referente Sext. Pomp. Festo,
E prætextatum sermonem quidam putent dici, quod prætextatis nefas sit obscœno verbo uti: alii quod nubentibus, depositis prætextis, a multitudine puerorum obscœna clamentur. Nunc exponerem, qua ratione prætextatus sit nomen factum, id nisi Macrobius *Saturn.* lib. I. cap. VI. ubi lepidam & festivam de Papyrio puero narrat historiam, abunde satis declararet. Paucis itaque referam, quod Romani anno fere XVII. prætextam deponebant, *puram togam*, de qua infra disputandum est, assumerent. Hoc Plinius *lib.* XXXIII. & Suetonius *Tiberii Vita* probat: Stephanus Vinardus pompæ equestris descriptione, & Budæus *in*
F *Pandectas Annotationibus* affirmat: Pancirollus lib. I. *Var. Lect.* cap. XV. & Manutius *Commentario in* II. *adversus Verrem Ciceronis Actionem* asseverat. Nec non solum puellæ virgines, aut pueri XVII. annos nati, sed viri etiam, modo Livio & Macrobio credimus, prætexta utebantur in Prætura, in aliis Magistratibus, & in Sacerdotiis. Quare verba illa Ciceronis in *Oratione pro Domo sua* Budæus scienter interpretatus est: *Videtis prætextatos inimicos*, id est, *in magistratu positos.* Nec

Nec illud mehercule reticendum est, quod Prætores, cæterique Magistratus, ac Sacerdotes cum prætexta olim, ut temporibus nostri pallio Archiepiscopi, sepeliebantur. Qua de re licet uberius Pancirollum *Variarum Lectionum* lib. 1. cap. x. consulere possis, nolo tamen ad hoc comprobandum Virgilii auctoritatem non suscipere, qui dum

—— Misenum in littore Teucri
Flebant, & cineri ingrato suprema ferebant,

ad hanc ipsam consuetudinem respiciens ait *Æneidos* lib. 6. vers. 220.

—— tum membra toro defleta reponunt,
Purpureasque super vesteis, velamina nota,
Conjiciunt.

C A P. XII. Lemma.

PURA TOGA *quænam, unde dicta; ubi, quando, & a quibus sumta.*

DEpolita vero prætexta Romana * adolescentes *puram togam*, sive, ut eam vocarunt alio nomine, *virilem* sumebant in templo Jovis Capitolini. Quod Valerius Maximus non tam innuisse quam aperte significasse mihi videtur, sic laudans M. Cottæ pietatem *lib.* v. *cap.* IV. *Eo ipso die, quo togam sumsit virilem, protinus ut e Capitolio descendit, C. Carbonem, a quo pater ejus damnatus fuerat, postulavit: protractumque † reum judicio afflixit.* Dicta autem est *pura toga*, quod ei nulla purpura esset prætexta: virilis, quod ea utentes non nisi res viro dignas cogitare ac facere convenit. De qua docte quidem & erudite, meo judicio, Calcagninus lib. III. *Epistolicar. Quæst. Quod ad* puram togam *attinet*, quam exeuntes pueritiam adolescentes, *& ad maturiorem ætatem provecti anno fere* XVII. *ætatis induebant, non sine parentum & cognatorum hilaritate, quæ virilis etiam dicebatur, ea fuit colore vel simplici, vel candido; aut in candoris animi testimonium, aut quod gerendis magistratibus jam idonea ætas videtur.* De eadem meminit Cicero *ad Atticum* epistola lib. VIII. *Habebamus in manibus Antonii concionem, in qua erat Pompeii accusatio usque a toga pura;* hoc est, ut Docti omnes interpretantur, ab ejus tyrocinio. Quibus verbis verissimum illud esse declaratur, quod Budæus inquit, *Puram togam tyronculi forenses assumebant tyrocinii die.*

C A P. XIII. Lemma.

CANDIDA *quæ & quibus data.*

NUnc de *candida toga*, quam, ut Veterum omnium testantur monumenta, petitores magistratuum vestiebant, breviter dicamus. Qui hanc togam & *albam* unam eandemque esse putant, omnino falluntur: in altera *candidus* color ab arte, in altera *albus* est a natura: namque, ut ait magnus Justus Lipsius *Elect.* lib. 1. cap. XIII. *Petitores non contenti insito lanæ colore, cretam addebant in vestem, ut candesceret, imo splenderet. Hac ergo nota discreti a vulgo, & κατ᾽ ἐξοχὴν dicti candidati.* Porro Cælius Rhodiginus sic appellatos affirmat *lib.* XIV. *cap.* XVI. *quod magistratum petituri in toga candida id agerent.* Quare Ciceronem in *candida* Orationem egisse legimus in Catilinam & Antonium competitores. Mos etiam fuit, ut ipsos magistratuum petitores (quod non parum ad rem nostram facit) in Campum Martium, & in Comitia magna *Deductorum* caterva sequeretur honoris causa. Ibi etenim, ut inquit Budæus, *tribus circuibant, singulosque præhensantes*, id est, *δεξιούμενοι gratiam, & suffragia precibus, temporariaque observantia emerebantur.* Hinc illud epistola *ad Atticum* I. lib. II. *Cum candidatum deducerem, is quærit ex me num consuevissem Siculis locum gladiatoribus dare.* Sed præstabit fortasse Q. Fratris adscribere verba, quæ leguntur in hanc sententiam lib. *de petit. Consul. Jam Deductorum officium quod majus est quam Salutatorum, hoc gratius tibi esse significato atque ostendito, & quod ejus fieri poterit descendito. Magnam affert opinionem, magnam dignitatem quotidiana in deducendo frequentia.* Neque solum magistratuum petitores, sed, quod fortasse non ita pauci adhuc ignorarunt, sponsi etiam candidati fuerunt. Quare apud Plautum Chalinus, qui ad Casinæ nuptias animum appulerat, sic de se ipso loquitur Act. II. Scen. VIII.

At candidatus *cedit hic mastigia;*
Stimulorum loculi; protollo mortem mihi.

Et de Olympione, qui cum falso futurum se Casinæ sponsum putaret, ludibrio habebatur, sic ancilla loquitur Act. IV. Sc. I.

Villicus hic autem cum corona, candide
Vestitus, laute exornatusque obambulat.

Utrumque certe locum declarans Dionysius Lambinus, *sponsi*, inquit, *erant* candidati, *hoc est*, candidam *vestem gerebant.*

C A P. XIV.

ALBA TOGA *quænam & cui usui fuerit.*

CUm in capite superiori de *alba toga* sit facta commemoratio, nunc cum magno Lipsio dicere non verebor, eam *albam togam* fuisse, quæ, *ut nativum lanæ albæ colorem retineret, nullam admittebat omnino cretam.* Qua quidem amicti lætis præcipue ac festis diebus in spectaculis, & in conviviis natalitiis, nuptialibus, sponsalibus, addo etiam in epulis funebribus, Romani conspiciebantur. Versus est de hac re apud Horatium *satyra* II. *lib.* II.

* Refer. *Romani.* † Alii rectius, *peractumque.*

Ille repotia, natales, aliosve dierum,
Festus, & albatus *celebret.*

Et Vopiscus in *Floriano: Tantum illud dico, Senatores omnes ea esse lætitia elatos, ut domibus suis omnes albas hostias cæderent, albati sederent.* Redeo ad convivia, & Ciceronis auctoritatem suscipio ex *Orat. in Vatinium: Scire ex te cupio, quo consilio, aut qua mente feceris, ut in epulo Q. Arrii familiaris mei cum* toga pulla *accumberes. Quis unquam in luctu domestico, aut in funere familiari cœnavit cum* toga pulla*? cum ipse epuli dominus Q. Arrius* albatus *esset, tu in templum Castoris te cum C. Figulo atrato ceterisque tuis furiis Funestum intulisti? Fausti adolescentis nobilissimi paullo ante ex epulo magnificentissimo famem illam veterem tuam non expleras? quem accumbere atratum videras?* Quippe Vatinius vehementer adeo increpatur a M. Tullio, quod cum Q. Arrius in demortui patris honorem epulum Populo daret in templo Castoris, ipse non de more *albatus*, sed *atratus* accubuerit. Utebantur etiam *alba toga* in sacrificiis; nam, ut inquit idem Romanæ princeps eloquentiæ lib. II. *de Legibus*, *Color* albus *præcipue decorus Deo est, cum in ceteris tum maxime in textili.* Et Ascensius in explicatione eorum carminum, quæ apud Persium leguntur *sat.* II.

Hæc ego nutrici non mando, vota negato
Juppiter hæc illi, quamvis albata *rogarit;*

sic inquit: *Albata, id est, albis vestimentis in signum puritatis & honesti voti induta juxta ritum rite sacrificantium;*

CAP. XV. Lemma.

TOGA PULLA *ab omnibus in luctu adhibebatur, in spectaculis a pauperibus.*

Albæ vero togæ contrario nomine & usu opponebatur *Pulla*, sic dicta, quod nigra esset omnino. Hanc Veteres adhibebant in luctu, & modo epulum exceperis, in omni funebri pompa. Quod satis me probasse putabo, si versus adscripsero in hanc sententiam a Juvenale conscriptos *satyra* III.

Si magna Asturici cecidit domus: horrida mater,
Pullati *proceres, differt vadimonia Prætor.*

In iis quidem commentariorum scriptores vocem illam, *pullati*, soliti sunt modo interpretari, *Pullati proceres*, id est, *atrati, & vestes lugubres induti*. Si quis tamen plura videre desiderat suo jure legat M. Tullii *Orationes in Verrem*; in illis etenim non semel aut iterum, sed sæpe ac sæpius de re ista fit mentio.

Venio ad id, quod Octavius Cæsar Augustus ut refert Suetonius *de ejus Vita* lib. II. cap. XLIV. *Sanxit ne quis Pullatorum media cavea sederet*: cum lautiores in spectaculis *togam albam*, & tenuiores, quibus mutandæ vestis copia non erat, *pullam* gestarent, hos ab illis secernere voluit. Ad quod edictum respexit forte Calpurnius Poeta, cum dixit,

Venimus ad sedes, ubi pulla *sordida veste*
Inter fœmineas spectabat turba cathedras.

Quare vulgus a Plinio *pullatum hominum genus*, & a Quintiliano *pullatus circulus* ac *pullata turba* dicitur. Paupertas etiam ab eodem Calpurnio, quod mihi Lipsius indicavit, *pullata* vocatur his versibus:

O utinam nobis non rustica vestis inesset,
Vidissem propius mea numina: sed mihi sordes
Pullaque paupertas*, & adunco fibula morsu*
Obstiterunt.

Itaque *pulla toga* promiscue omnium fuit in luctu, & in spectaculis eorum solum, qui rei familiaris adeo angebantur difficultate, ut non haberent, unde possent togam pro re nata commutare.

CAP. XVI. Lemma.

TOGA PICTA, *unde Palmata, purpurea dicta, ubi sumta.*

Venio ad *togam pictam*, quæ, nisi fallor, sic appellabatur, vel quod essent in ea imagines acu *pictæ*, quales nonnullæ a Catullo, a Virgilio, & ab Homero describuntur: vel quod purpura ita esset intexta, ut aliqua imago, aut palma in ea picta videretur. Quare nonnunquam ea *palmata*, & aliquando *purpurea*, appellata fuit. De qua quidem egregie scripsit Juvenalis *satyra* X.

Quid si vidisset Prætorem in curribus altis
Exstantem, & medio sublimem in pulvere Circi
In tunica Jovis, & pictæ Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ.

Et Rhodiginus, vir sane cum paucis eruditus, sic ait *Ant. Lect.* lib. XVI. *Pictam togam privatus habuit primus & propriam Gordianus senior, quum ante ex Capitolio acciperent Imperatores, vel ex palatio.* Quippe, ut tradit Livius *lib.* X. ab Urbe condita, Lampridius in *Alexandro Severo*, & Stephanus Vinardus in fine *Herculis sui*, olim fuit consuetudo, ut Triumphantes in *toga picta purpurea* inveherentur in Capitolium. Quare Martialis eleganter dixisse mihi videtur *lib.* VII. *epigr.* II.

I comes, & magnos illæsa merere triumphos,
Palmatæque *ducem, sed cito, redde togæ.*

Nec silentio prætereunda sunt Flavii Vopisci verba, quæ de hâc ipsa toga leguntur in *Vita Probi Imperatoris: Te manet pro virtutibus tuis Capitolina palmata.* Hic, si non satis probatum putarem, eam non solum *pictam*, sed *palmatam* etiam vocari, & in Capitolio dari solitam fuisse, possem multa ex Rhodigino, ex Pancirollo, & ex uno Plutarcho adscribere. Quamquam nolo ea omnino reticere, quæ de hac ipsa toga me legisse recordor apud Isidorum *lib.* XIX. *cap.* XXIV. *Toga autem palmata dicebatur, quam merebantur ii, qui reportabant de hostibus palmas. Ipsa vocabatur & toga picta, eo quod victorias cum palmis intextas haberet.* Quam sententiam mirifice comprobat, meo judicio, Cælius Calcagninus hoc modo libro III. *Epistolicarum Quæstionum: Pictæ ad cultum maxime humanum pertinebant, in quo genere Triumphales censentur: quæ Dalmaticæ & Palmares, vel a palma intexta, vel a victoria, quæ & ipsa palma dicitur, vocantur.* Superest itaque, ut ad id confirmandum, quod supra diximms, *pictam* scilicet *togam* eandem esse atque *purpuream*, nostram convertamus orationem. Quam rem nulla cujusquam Scriptoris auctoritate facilius pleniusve confirmari posse puto, quam si meæ adstipulatorem sententiæ Festum produxero. Sic ille quidem ait lib. XIV. *de Verb. significat. Picta quæ nunc Toga dicitur, antea vocabatur Purpurea, eaque erat sine pictura.* Aliud mehercule nihil potuit dicere, quod magis ad rem nostram faceret. Moris etiam fuit (quod Brissonium lib. II. *de Formulis* annotasse Paullus Bellonus J. C. & politiorum litterarum cultor eximius, me monuit) moris inquam fuit, ut Populus Romanus inter ea munera, quæ Regibus sociis & amicis mittere solebat, pictam togam numeraret. Ad quod respexit Cornelius Tacitus, cum dixit *lib.* IV. *Cognitis Ptolomæi per id bellum studiis, repetitus ex vetusto more, missusque e Senatoribus, qui scipionem eburneum, togam pictam antiqua patrum munera daret, Regemque & socium atque amicum appellaret.*

CAP. XVII. Lemma.

TOGA *quando Pexa, Rasa, aut Vitrea diceretur.*

SEquitur ut hoc in capite videamus, quare toga nonnunquam *rasa*, interdum *pexa*, & aliquando *vitrea* fuerit appellata. Et quidem lepidum illud epigramma est, quod de *præposteris donis* apud Martialem legitur *lib.* II. *epigr.* LXXXV.

Vimine clausa levi niveæ custodia coctæ,
Hæc tibi Saturni tempore munus erit.
Dona quod æstatis misi tibi mense Decembri,
Si quereris, rasam *tu mihi mitte* togam.

Quo in loco a Poeta eam *rasam togam* vocari puto, quæ quod sine pilis esset, & propterea admodum levis, in æstivos usus comparabatur. De qua etiam mentionem fecit Juvenalis *satyra* II.

Reticulumque comis auratum ingentibus implet
Cærulea indutus scutulata, aut galbana rasa.

Hæc enim scutulato textu, id est, brevibus scutis distinguebatur, & conficiebatur ex lana præcipue Histriæ, Liburniæve. *Quam* quidem, ut Plinius docet *Naturalis Historiæ* lib. VIII. cap. XLVIII. *lino propriorem quam lanæ, & pexis aliena vestibus, sola ars scutulato textu commendat.* Quando autem hoc genus togæ in usu primum venerit, aperte demonstrat eodem libro & capite Plinius iis verbis: *Togas rasas Phrygianasque divi Augusti temporibus cœpisse scribit Fenestella.* Ea vero toga quæ rasæ contraria ad arcendum frigus hyemali tempore villosa erat, *pexa* vocabatur, ut dicit quidam Commentariographus, a *spissitate* textrini, quam Plautus *tunicam spissam* appellat in *Epidico*. Propterea *Pexibarbos*, inquit Probus, *juvenes pexæ barbæ vocitatos & densæ*. De hac toga, quæ haud dissimilis fuit vestibus istis, quas nunc vulgus *cotonnatas & frisatas* vocat, scribit non sine sale ac cavillo Martialis in Sextum *lib.* II. *epigram.* XLIV.

Emi seu puerum, togamve pexam.

Et eodem *libro epigr.* LVIII. in Zoilum,

Pexatus *pulchre rides mea, Zoile, trita.*
Sunt hæc trita quidem, Zoile; sed mea sunt.

Nec illud silentio prætereundum est, quod ad Priscum legitur *lib.* VII. *epigr.* XLV.

Divitibus poteris Musas, elegosque sonantes
Mittere: pauperibus munera pexa *dato.*

Id est, *pexam togam*. De *vitrea* nec melius quicquam nec planius dicere possumus, quam si illa, quæ sunt apud Adrianum Turnebum, in hunc locum transferamus ex *Adversariorum* tomo II. lib. XIV. cap. XIX. *Vestibus tenuis textus & pellucidis lim uti Censorium pene opus erat: certe probro & infamiæ id dabatur. Eas autem vestes, quod ritu vitri translucerent,* Vitreas *etiam appellatas fuisse legi.* Varro apud Nonium in Modio: *istorum* vitreæ togæ *ostentant tunicæ clavos. Ante vitreum in colore poni dicebamus cæruleo & glauco: hic* perluciditatis, *non coloris significatio attenditur.*

CAP. XVIII. Lemma.

REGIA, PRÆSIDIARIA TOGA *quænam, & quorum propria.*

ATque, ut id omne quod pertractandum nobis proposuimus, tandem aliquando absolvamus, de *Regia* & *Præsidiaria Toga* breviter aliquid hoc loco referamus. *Regia* igitur toga, ut S. D. vir certe doctissimus in suis Commentariis affirmat, *ex lana erat, auro, & purpura intexta.* Vere itaque apud Plinium *Naturalis Historiæ* lib. VIII. cap. XLVIII. *Lanam cum colo & fuso Tanaquilis, quæ eadem Caja Cæcilia vocata est, in templo M. Anci durasse, prodente se, auctor est M. Varro; factamque ab ea togam Regiam undulatam in æde Fortunæ, qua Ser. Tullius fuerat usus.* Quæ sic ob eam caussam, ut arbitror, dicebatur, quod ea Reges præcipue uterentur. Quanquam a T. Li-

vio, quod videre licet in III. & IV. *decade*, inter insignia triumphantis numeratur. Ratione pari *toga Præsidiaria* a Præsidibus, ut illa a Regibus *Regia* fuit nuncupata. Quod Cælius Rhodiginus hoc modo accurate ac diligenter annotavit *lib.* XVI. *cap.* X. *Togam Præsidiariam in Severo dicere videtur Spartianus, qua Imperator, vel omnino qui præsunt, uti consuevere. Quum rogatus*, inquit, *ad cœnam Imperatoriam* palliatus *venisset, qui* togatus *debuerat*, togam Præsidiariam *ipsius Imperatoris accepit*.

A Hæc sunt, Romanæ antiquitatis cupidissime Lector, quæ ipse de *Toga Romana*, cum latius essent ab aliis diffusa & sparsa, horis primum subsecivis in MSS. Adversaria mea ex multorum scriptis delegi; deinde vero ex Adversariis in hunc Libellum congressi, ut laborem tibi longæ anquisitionis detraherem. Tu interim

—— si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti: si non, his utere mecum.

FINIS.



HIERONYMI BOSSII,
TICINENSIS,
DE
SENATORUM LATO CLAVO
OBSERVATIONES NOVÆ ANTIQUÆ,
IN SYNTAGMATA XIX. *TRIBUTÆ*:

IN QUIBUS VETERES PRÆCIPUE LATI CLAVI USUS EXPLICANTUR; SCRIPTORES MULTI ILLUSTRANTUR, AUT EMENDANTUR.

APPROBATIO.

D. HIERONYMI BOSSII TICINENSIS, viri eruditiſſimi & humanarum litterarum interpretis, Opuſculum, cujus titulus eſt DE LATO CLAVO *novæ antiquæ Obſervationes*, mandato Reverendiſſimi P.F. Angeli Michaelis Levii Inquiſitoris generalis Papiæ, diligenter vidi, nihilque in eo, quod cenſuram mereat, animadverti; dignum vero eſt, tum propter ſtyli elegantiam, tum propter ea, quæ juxta Antiquit. Romanam DE LATO CLAVO accurate & luculenter diſputat, quod typis impreſſum in lucem exeat.

D. Matthias Guarguantus Congregationis S. Pauli, S. Officii Papiæ Conſultor Theolog.

Die 27. Maii 1618.

IMPRIMATUR.

F. Michael Angelus Levius Forlivien. Ordinis Prædicatorum Inquiſitor generalis Pap.

ILLUSTRISSIMO ET AMPLISSIMO VIRO,

JULIO ARESIO,

Præſidi ac Regio a Secretis Conſiliario,

HIERONYMUS BOSSIUS

S. P. D.



MEa tibi pollicitatione, Illuſtriſſime Præſes, JULI ARESI, hæ *novæ-antiquæ de* SENATORUM LATO CLAVO *Obſervationes* debentur. Neque profecto in alterius cujuſquam nomen & mancipium tranſire poſſunt, quæ in tuo cenſu jam pridem ſunt, in quo ipſe etiam & mea omnia, ſive benevolentia, ſive beneficentia tua. Itaque ex norma & more veteri Opuſculum iſtud, tuo nomine, quaſi cera & ſigillo Heri, ſignatum, tibi, quod vovi, reddo, & merito eidem, quod privatim promiſi, publice figo. Sed nec una fuit Operis tibi inſcribendi cauſa promiſſio mea: etenim ipſum quoque argumentum, quod Senatorium eſt *de Lato Clavo*, a me ſuo jure expoſcere videbatur, ut Viro plane laticlavio dedicarem; ne cuiquam ſcilicet dicerer feciſſe adinſtar parentis Niſæ Virgilianæ, qui filiam fruſtra pulcherrimam habuit, quia Mopſo illam male elocavit. Cum tu vero, ſapientiſſime ARESI, non avum ſolum maternum JULIUM CLARUM, & patrem M. ANTONIUM ARESIUM, Senatores habueris, ſed ipſe etiam abhinc annos v. fueris Senator creatus, is omnino es, in quo laticlavia dignitas quodammodo ſuos lares conſtituit. Quod ſi plurimum ex eo ſplendoris acceſſit lato clavo tuo, quia Regum maximus PHILIPPUS te Præſidem tuo merito eſſe voluerit; ornamentum ego longe majus viciſſim ab ejuſcemodi inſcriptione tui nominis & mihi & Obſervationibus meis polliceor. Interim ſaxit Hygieia, quod calide cupio, ut bene valeas: ſaxit Vitunus, ut

——— Troica vincas
Sæcula, & Euboici tranſcendas pulveris annos.

Ticino Regio, pridie Kalendas Julii 1619.

Nomina ampliſſimorum Patrum, qui in excellentiſſimo Mediolani Senatu nunc temporis ſedent, & in hujus Præfatione Operis reverentiæ cauſa tantum ſignificatione appellantur.

Præſes, Julius Areſius.
Ludovicus Medius, *Senator.*
Papyrius Cattaneus, *Senator.*
Ludovicus Acerbus, *Senator Præf.*
Hieronymus Callentus, *Senator.*
Ludovicus Taberna, *Senator.*
Truſſus Truſſius, *Senator.*
Hieronymus Paravicinus, *Senator.*
Nicolaus Leyzaldus, *Senator.*

A Jo. Baptiſta Trottus, *Senator.*
Jo. Baptiſta Vicecomes, *Senator.*
Jo. Thomas Gallaratus, *Senator.*
Aloyſius Meltius, *Senator.*
Mattheus Cayraſcus Maldonatus, *Senator.*
Valerius Confalonerius, *Senator.*
Paulus Bellonus, *Senator.*
Fernandus Quintana Puennia, *Senator.*
Petrus Franciſcus Corius, *Senator.*

HIERONYMI BOSSII,

TICINENSIS,

PRÆFATIO.

LECTOR PHILOLOGE,

Cum bona venia, quæſo, audias, quæ proloquar.



SUnt profecto non ita pauca in veterum Scriptorum monumentis, quæ nudo uſu, aut quidem certe ſine fructu, ab iis omnibus leguntur, qui nullam habent Romanæ cognitionem antiquitatis: etenim vel unum aliquando verbulum, cujus interpretatio ab ipſa petenda ſit, quaſi *Remora*, & *Arcula* [1] avis Lectores remoratur & arcet; aut tamquam *Inebra*, & *Clivia* uſque adeo ſenſus claudit, obtenebratque, ut etiam Oedipus [2],

— victæ ſpolia qui ſphingis tulit,
Hæreret .... tardus interpres,

in eis ſive percipiendis, ſive explicandis. Quod ſi quis paulo attentius conſideraverit, idem, puto, intelliget, quam falſo Litteratores quidam in priſci ævi Oratoribus, & Poetis, Philologis, & Jureconſultis eam eſſe vitilitigent obſcuritatem, quam ſecum ipſi adferunt ab omni doctrina veteris memoriæ deſtituti. Quid igitur? Apellis tabula [3], in qua Pictorum iſte optimus, maximus, Veneris caput politiſſima arte perfecit, minus fortaſſe pulchra erit exiſtimanda, quia deſi-oculus, qui præcipue ſit dexi-oculus, non iſtam poſſit propius intueri? Parum ſanæ mentis eſt is potius & habendus, & dicendus, qui ita ſentit, nec illud novit, quod Socrates inquit Apulejanus [4]: ſi quis velit acriter cernere, oculi curandi ſunt, quibus cernitur. Quamobrem non mihi fraudi erit, ſi quemadmodum in [5] latrantis nominis Comœdia [6] Plautinus Prologus ſolum eos,

Qui utuntur vino vetere ſapientes putat,
Et qui lubenter veteres ſpectant fabulas.

Illos ego præter cæteros viciſſim dixero prudenter facere, qui Phœbo ac Muſis operantes antiqua inprimis delectantur eruditione: cujus certe neceſſitas tanta eſt, ut qui eam non ex bona fide amplectatur, nugas egerit, ſi quicquam ſe ſperet in litteris excolendis profecturum: tanta vero difficultas, ut eandem perquirere, indagare, ac recognoſcere, [7] ad eos ſolum optimo jure, optima lege, pertineat, qui in Republica litteraria ſint primi Virorum doctrina & virtute: nec ætate minus, aut exercitatione, veterani. Quippe juventutis adhuc prætextatæ [8] conatus omnes ac labores, quamtumvis improbi, omnino evaderent inanes. Cauſa in promtu & in mundo eſt: namque hujus ætatis homines parum admodum, ut in rebus agendis ita in ſtudiis verſati, acutum cernere haud poſſunt. & ipſe Antiquitas etiam, ut ait Arnobius [9], eſt errorum mater pleniſſima. præterquam quod non ſemper in hoc genere excuſamur; ſi quæ dubia ſunt, ut ſunt, relinquamus: atque adeo Cenſores, quibus non tam ex priſca formula quam ex recentiore conſuetudine, ſarta tecta exigere traditum eſt, unius litteræ omiſſionem, aut commutationem acriter adeo notant, quaſi minus fuerimus diligentes in eo reſtituendo, cujus ignoratione fiat ipſa Antiquitatis explicatio deterior. Quod ſi ab Socrate illo, nobis ſupra laudato, factum olim accepimus [10], ut ubi dubitatione claudicaret, ibi divinatione conſiſteret, multo æquius melius ii, qui Romanis rebus, veternoſa ſenectute fuſcatis, lucem ſimul & quandam quaſi juventutem amant inferre, ſuo jure Comicum illum imitari Trachalionem [11] poſſunt, in locis quidem nonnullis obſcurioribus, ut

Capillum promittant optimum eſt, occipiantque hariolari.

Quod tamen iterum clara voce pronuntio, non licere adoleſcentibus; ſed tantum iis, qui per multos annos in hiſce ſtudiis exercitati doctorum Tribum tulerunt, & digni ſunt judicati, ut Alpheſtæ dicantur Homerica appellatione [12]. Horum ego Medius fidius

1 Plinius *Hiſt.* lib. 10. cap. 1. & Feſt. lib. *de verb. ſignif.* 2 Seneca Tragicus *Theb.* act. 1. verſ. 138. 3 M. Tull. lib. 3. *de Offic.* 4 Apulejus lib. *de Deo Socratis.* 5 Gul. Canterus *Nov. Lect.* lib. 7. cap. 22. 6 Plautus *Caſinæ* Prologo. 7 Lucret. lib. 1. *de rerum nat.* 8 Comment. noſtro de *Rom. Toga* cap. 11. 9. *Lib.* 1. *adverſ. Gentes.* 10 Apulejus lib. *de Deo Socratis.* 11 Plaut. *Rud.* act. 2. ſcen. 3. verſ. 46. 12. Budæus Præf. in lib. *de Aſſe.*

aucto-

auctoritatem sic suspicio, ut non ea minus, quæ temporario quodam impetu aut dixerint, aut scripserint, quam quæ ex intervallo & considerate asseveraverint, rata & firma habenda esse arbitrer & existimem. Ad hæc, si quis me jubeat libere pro sententia dicere, quid e Republica credam; bene agi cum Philomusa juventute affirmabo, si ejuscemodi tantum haruspices adeat, quos consulat, atque eorumdem solum responsa accipiat, quæ vel secum non madida memoria sæpius repetat, vel in suis referat commentariis. 1 Non ego tamen vice fungar nomenclatoris, ut de iis quempiam nominem, cui nondum 2

> —— —— *flavum Proserpina crinem*
> *Abstulerit.*

Etenim, cum vivant in luce hominum, satis superque sunt iis per se noti, qui litteras colunt, & harum causa Litteratos censent & venerantur. Sed neque isti sunt ita multi, nec ubique terrarum reperiuntur; qui tamen si reperirentur, non semper vellent interpellari hoc verbo Clientibus usitato, Licet consulere? itaque magnas merito gratias debemus clarissimis illis Antiquitatis restituendæ Triumviris, nunquam citra honorem verborum nominandis,

PAULO MANUTIO,

qui de *Senatu*, de *Comitiis*, de *Legibus*, de *Civitate Romana* libros ita scripsit, quasi omnibus iis nunquam non interfuerit, interdum etiam præfuerit;

CAROLO SIGONIO,

qui de *antiquo jure Romanorum* Opus tanta cum diligentia & cura elucubratum emisit ut *custos Romani carbasus ævi* 3 non mihi valde desiderandus esse videatur;

JUSTO LIPSIO,

qui in admirandis suis, quanta Romani Imperii fuerit magnitudo, maxima cum omnium ostendit admiratione. Non fuit, arbitror, non fuit, inquam, aut in Urbe templum, forum, comitium, theatrum, vicus, via, aut in Civitate sacerdotium, ordo, dignitas, gens, cognatio, ritus, & mos, de quibus non isti scripserint, nolentes omnino apud memoriam posteritatis

> —— *sæcula cana mori.* 4

Quos propterea doctrinæ & eruditionis Principes Centuriæ omnes nominarunt, atque ipse imprimis Reip. litterariæ Senatus, ob rem bene gestam coronari voluit. Si quæ igitur illis ad Antiquitatem pertinentia, aut imprudentibus exciderunt, aut prudentibus fuere silentio prætérita; nobis eo avidius suscipienda tractatio est, quo rarius contigit in ejusmodi argumento versari, de quo vere possimus dicere cum Poeta 5,

> *Avia Pieridum perago loca, nullius ante*
> *Trita solo: juvat integros accedere fontes.*

cætera quæ sequuntur tute nosti. Sed ecce tibi de *Lato clavo* nihil aut Manutius, aut Sigonius, aut Lipsius, singulariter tradiderunt; nec ejus mentionem fecere nisi carptim, & opera occupata de Senatoribus disputantes. Quantula autem, & quam sparsim disjecta sunt illa, quæ in litteris de Lato Clavo Veteres ipsi reliquerunt? vix centesimum quemque, mi Lector, de eo locutum fuisse puto: atque istud etiam in justo & grandi volumine semel tantum fecisse, aut iterum, meo periculo crede; bene credis. Togatorum ille doctissimus, qui 6 ætatem Patriæ, qui descriptiones temporum, qui sacrorum jura, qui sacerdotum, qui domesticam, qui bellicam disciplinam, qui sedem Regionum, Locorum, qui omnium divinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, causas aperuit; Varro, inquam in suis scriptionibus, quotquot exstant, & earum quoque, quæ non exstant, Fragmentis omnibus, admodum raro, & qua solum agit de tunica Latum Clavum nominavit. Itaque sum ego tum hoc maxime admiratus, cum illud mente ac cogitatione reputarem, quod nulla re alia magis R. Imperii constiterit, steteritque majestas, quam Senatus præstantia & auctoritate: nec ipsi vero Senatores præclarius aliquod ornamentum, quo se indicarent, omnino habuerint, quam Latum Clavum; de quo quidem ea, quæ scripsi, non ante legenda proponam, quam de Rom. Civitate, atque de isto omnium amplissimo Ordine 7 nonnulla dixero: ex quibus tu inprimis, atque alii tecum omnes, qui mea ista aliquando pervolutabunt, de ipsius *Lati Clavi* dignitate facilius cognoscatis statuatis, judicetis. Porro autem Romulus ipse, ultimus auctor ac parens Urbis, quia sibi, dum per vultures auspicato eam conderet, aves addixerint, non Romulam, sed Romam voluit appellare, ne nominis diminutione quidpiam de spe magnitudinis futuræ detraheretur. 8 Quæ hominem certe spes non fefellit, nisi quod eventuum felicitate omnes ejusdem vicit ac superavit cogitationes. Is namque imaginem urbis magis, quam urbem fecerat; 9 quæ non longo tractu temporum adeo ex mini-

1 Cæcil. Statius in *Epiclero*. 2 Virgil. 4. *Æn.* & Canterus lib. 4. *Nov. Lect.* cap. 20. 3 Claudianus lib. *de Bello Get.* vers. 232. 4 Martial. lib. 8. *epigr.* 80. ad Domitianum. 5 Lucretius lib. 1. *de Rerum Natura* vers. 924. 6 Vid. M. Tull. lib. 1. *Acad. Quæst.* 7 Plin. *lib.* 10. *epist.* 4. & 5. 8 L. Florus *lib.* 1. *cap.* 1. Anonymus Lexic. in *Omastico*. 9 L. Florus *ibid.*

ma evaſit in maximam, & in illuſtriſſimam ex obſcuriſſima, [1] ut tum maxime verus, ſi quando unquam, Poeta [2] ſit exiſtimandus, cum Stilichoni novum grtulans Conſulatum, hanc eſſe Urbem aſſeveravit,

Qua nihil in terris complectitur altius æther:
Cujus nec ſpatium viſus, nec corda decorem,
Nec laudem vox ulla capit.

Verum ſi quis forte cavilletur, hæc tantum fuiſſe pronuntiata, aut de ſeptem Montibus, quod Roma ipſa [3]

—— —— *vicinis faſtigia conſerit aſtris,*

aut de ædificiis, in quibus publicam magnificentiam, ut ait ille, [4] ſecuta luxuria eſt, aut denique de aggere, vallo, & mœnibus, quorum ulterius non proceſſit ambitus, religionibus, ut fertur, [5] non permittentibus, alia nos adjungemus, quæ omnino facient ad ſolam Civitatis, hoc eſt, Gentis & Populi Romani, commendationem: quippe nemo unquam mortalium clariora exempla dedit fortitudinis & conſtantiæ, quam Cato, & Calpurnius Piſo: nemo pietatis in patriam & continentiæ, quam P. Scipio, & Curtius: nemo liberalitatis & verecundiæ, quam Q. Fabius Maximus, & Cicerejus Candidatus, Romani Cives [6]. Nec puto cuiquam paullo humaniori ignota ſunt illa Romana pericula atque miracula, [7] Horatius, Mutius, Clœlia: quæ niſi in Annalibus forent, hodie fabulæ viderentur. Ego quidem non omnes ætatum Duces ac ſtrenuos milites nominabo, quorum tanta virtus in ſago fuit, ut Reges quamplurimos & quoſdam in primis ſpectantes jam arma in Hetruria populos metus Romani nominis compreſſerit [8]. Tantum dicam in univerſum, quod bello & pace, foris & domi ad præclara quæque facinora ita ſe probaverit Populus Romanus, ut nemo unquam ſine dolo malo negaverit, imperii ſummam meris meritis potius, quam fortunæ indulgentia ad eum perveniſſe. Hoc autem cum ſibi perſuaſiſſimum haberent bene cati & cordati homines, non dubitarunt Romam ſexcentis ſive elogiis, ſive eclogiis [9], exornare. De quibus ego nonnulla tamen Teſtimonia recitabo: & ipſos quoque Teſtes laudabo, ut major ſit teſtimoniis auctoritas. Atqui Roma dicitur

Venerabilis Urbs a Juvenale *lib.*4. *ſat.*10.
Civitas libera a Paterculo lib.2. *Hiſt.*
Patria communis a Seneca *Conſ. Helv.*
Caput Orbis a T. Livio *lib.* 1. & 21. vocatur etiam
Armorum legumque parens a Claudiano *Pan. de Stil.*
Urbs æterna a Frontino lib. *de Aquæd.*
Virtutum Templum a Caſſiodoro *Var.* lib. 1. ep. 39.
Lux Terrarum a M. Tullio *Act.*3. *in Cat.*
Aræ Gentium a Symmacho *lib.*10. *ep.* 34.

Quamquam hæc duo omnium poſtrema ſignificantius a Martiale in eo verſu [10] exprimuntur, in quo

—— *Terrarum Dea, gentiumque Roma*

appellatur. Jure igitur ac merito hujuſce Urbis civibus quantumvis plebeiis hæc duo, præter alia multa ac magna, tribuebantur, [11] ut ipſis, ſive magiſtratum peterent, eſſet Roma pro merito: ſive auxilium implorarent, illa vox, *Civis Romanus ſum*, quiritantibus opem ferret ac ſalutem: nec domi ſolum, foris etiam apud finitimos, apud Barbaros. Porcia quidem lex ſola pro civium tergo lata videtur, quod gravi pœna, ſi quis verberaſſet, necaſſet-ve civem Romanum, ſanxit [12]. Quantus autem Equitibus honos haberetur, nolo ego inpræſentiarum dicere, ut ea quam pauciſſimis expediam, quæ de Senatu dicenda ſunt. Cum igitur Romulus Urbem condidiſſet, optimiſque conſtituiſſet inſtitutis, centum ſibi viros adlegit, ut eſſent, quibuſcum Rempub. adminiſtraret [13]. Hi autem Senatorum nomen ſive ab ætate, ſive a virtute & prudentia more Græco primum acceperunt: mox tamen multitudinis Patronorum, atque etiam Patrum, ab officio. Qui vero, ut cum Pomponio [14] loquar, poſt hos centum Senatui adſcripti fuere, Patres Conſcripti appellati ſunt: quorum poteſtatem maximam in Civitate fuiſſe abunde ſatis teſtantur Veterum ſcripta, una cuſtodia fidelis memoriæ rerum geſtarum [15]. Itaque mihi teſtes non evocandi ſunt per longum iter, ut iſtud probem: quin imo teſtimonium nemini denuntiabo, cum teſtes voluntarios habeam unum atque alterum ex Hiſtoricis, ac totidem etiam ex Philologis. Atqui leges a Senatu petendas, Reges Barbaros Senatui ſupplicaturos, pacem & bella Senatu auctore decernenda eſſe Vopiſcus narrat [16]. Id quod Polybius affirmat his verbis [17]: de legationibus mittendis, fœdere faciendo, rebus repetendis, bello indicendo, Senatus cognitio eſt. Atque etiam, ut idem ait, [18] triumphos neque ducere, neque, uti decet, apparare cuiquam licet, niſi Senatus aſſenſus fuerit, & in ſumtum, quod opus ſit, erogaverit. Quandoquidem Senatus ipſe vectigalibus præeſt, idemque poteſtatem habet diem Publicanis proferendi, ſi quam calamitatem acceperint, eos relevandi, aut etiam locationem inducendi [19]. Verum ſi quid mei

1 Dion. Halic. lib. 1. *Rom. Antiq.* 2 Claudianus *in* 2. *Conſul. Stilich.* verſ. 131. 3 Idem *ibid.* verſ. 134. 4 Vellejus Paterc. *Rom. Hiſt.* lib.2. 5 Dionyſ. Halic. lib. 4. *Rom. Antiq.* 6 Plutarchus & Valer. Max. videndi. 7 Florus lib. 1. *Rom. Hiſt.* cap. 10. 8 T. Livius *lib.* 10. 9 M. Ant. Muretus *Var. Lect.* lib. 11. cap. 13. 10 *Lib.* 12. *epigr.* 8. *ad Trajanum.* 11 Auſ. in *grat. act.* 12 T. Livius *lib.* 10. 13 Dionyſ. Halic. lib. 2. *Rom. Antiq.* 14 Pomp. Lætus lib. *de Mag* cap. *de Senatu.* 15 Tit. Liv. *lib.* 6. 16 In *Vita Taciti.* 17 Lib. 6. *Rom. Hiſt.* 18 Ibid. 19 Idem *ibidem.*

judicii eſt, Senatus poteſtas Feneſtellæ & Pomponii verbis plenius declaratur. Etenim, inquit iſte, [1] Senatus de omni re cognoſcebat, & ſuffragium ferebat, & quod viſum pluribus fiebat. Ille [2] vero poteſtates, quas injuſſu præterque Senatus auctoritatem quiſque non dicam ſortitus fuerit, ſed per libidinem dominandi arripuerit, tyrannides potius quam poteſtates ſeu magiſtratus appellandas eſſe ducit & arbitratur. Quid igitur? cum Lipſio [3] dicam: ſoli Senatores proprie ſedebant ad clavum. Neque profecto minor fuit poteſtate hujus ampliſſimi Ordinis ſapientia cujus cauſa factum eſt, ut Plebs Senatui, quod ait [4] Salluſtius, ſicut corpus animo obediret. Præterquam quod ipſe Senatus [5] Aſylum Mundi, Princeps ſalutis, Concilium publicum, recti bonique præceptor, pars melior humani generis, & decus omnium Provinciarum, non tam nomine quam re ipſa ſapientiſſimis quibuſque videretur. Otho quidem certe Cornelianus optimo jure dixit in Concione: [6] æternitas rerum, pax gentium, & mea cum veſtra ſalus incolumitate Senatus firmatur. O Magni Principis magnum ac verum de ampliſſimo Ordine Elogium! Quia igitur nemo ad unum, niſi me fallit, non ſtaturus eſt eo, quod Imperator cenſuit, de Patrum Conſcriptorum ſapientia nihil ego alterius cujuſquam ſententiam rogabo, ne de eadem videar ad Populum ferre. Quamquam illud de Senatus majeſtate, quæ par omnino poteſtati & ſapientiæ fuit, libet hoc loco addere, quod Cyneas Legatus Regi Pyrrho interroganti, quid de Roma ſentiret, Urbem templum ſibi viſum, Senatum Regum conſeſſum affirmaverit [7]. Cujus profecto vivam ac ſpirantem imaginem, ſi qui alii in Orbe terrarum, referunt

MEDIOLANI SENATORES,

Viri ſcilicet, ac potius heroes, doctrina clariſſimi, dignitate ampliſſimi, auctoritate graviſſimi, ſed inprimis

POPULO, PRINCIPI, AC REGI,

integritate juxta atque prudentia cariſſimi: quos propterea feliciſſimos ac florentiſſimos per multos annos bene valere optamus omnibus votis, non tam noſtra quam Reipublicæ cauſa. Verumenimvero, ut qua de re agitur cœptum ſermonem perſequamur, illud ſcito, Lector optime, benevole, quod in Urbe illa domina Gentium [8] hoc præcipue fuerit inſtitutum, ut ſua cuique Ordini ac Magiſtratui eſſent inſignia, quibus non ſolum principi Populo maxima adderetur ex ipſo habitu dignitas [9]; ſed ipſi etiam Magiſtratus indicarentur obviam ſibi facientibus in via ad reverentiam. Adde his, quod inſignibus ejuſcemodi voluerint Romani, ut Plebs ab Equite, Ædilis a Quæſtore, a Prætore Præfectus Urbis, a quinque Viris menſariis Duumviri Capitales, Magiſter Equitum a Tribuno, ac demum a Cenſore Conſul diſtingueretur [10]. Hoc certe nonnumquam tactum legimus, quod Magiſtratus neſcio quis fuerit acriter objurgatus, quia alterius inſignia Magiſtratus ſit temere auſus uſurpare [11]. Nec vero Proconſul, cui ſua quoque dabantur inſignia, Proconſularibus utebatur ornamentis, niſi Urbe eſſet egreſſus [12]. Cæterum ſatis, arbitror, conſtat auctore Salluſtio, [13] quod Romana Civitas arma atque tela a Samnitibus, inſignia vero Magiſtratuum a Tuſcis pleraque ſumſerit: a quibus tamen ne non acceperit latum Clavum maxime vereor; ac liquido potius affirmo non accepiſſe. Sed cum de hoc mihi non propoſitum ſit diſputare, illud tantum dicamus quod ad rem noſtram facit, *lati Clavi* ſcilicet tunicam fuiſſe priſcis temporibus ornamentum ſimul & inſigne Ordinis Senatorii: cujus antiquitatis locus cum nondum cujuſquam opere aut opera fuerit illuſtratus, venire ego, ut juris ac legum vox eſt [14], in vacuum non dubitavi. Sed quantum de hoc certus ſum, quod nemo aget jus ſibi prohibendi eſſe, quia in ſuo verſer argumento [15]; tantum iſtud mihi alterum polliceor futurum, ut ſtudioſiſſimus quiſque politioris litteraturæ oculos cupiditatis adjiciat, ac ſi potius deflectat lumina, ut fiat, quod Varro ait, omnino ſtrabo, cum meam hanc viderit ſcriptionem [16]; in qua profecto, ut meras rupinas, agros rupinos, & ſenticeta excolere mihi videor; ita illud non ignoro eſſe perdifficile, ut vel modice paucorum exſpectationi ſatisfaciam. Omni tamen diligentia & virium mearum fini in ea cura omnes defigam cogitationes, ut ne carduos dem pro floribus [17]; ſed ut puras putas de *lato Clavo* proponam & exponam antiquitates: quæ quoniam in occulto deliteſcunt præter Veterum ſuſceptam auctoritatem, nonnullos etiam Recentiores, qui hujuſce mihi rei latibula & quaſi cubilia ſuis indiciis detexerunt, laudare non dubitavi. Ex quo factum eſt, ut ipſum quoque Libellum *novas antiquas Obſervationes* inſcripſerim, ea ſpe una commotus, quod ejuſcemodi inſcriptio facile ſalivoſas aquas inter legendum omnibus motura ſit [18]: cum iis, qui res novas quærunt, tum illis etiam, qui ad veteres memorias ſe dediderunt [19]. Verum quia ſuſceptum a nobis argumentum, quaſi

—— *chaos, rudis indigeſtaque moles* [20],

magnam ſecum obſcuritatem ac potius confuſionem adfert, eaſdemmet *Obſervationes* in novem & decem Syntagmata diſtribui, hoc eſt, congeriem, ut cum Poeta [21] loquar,

1 Pomp. Lætus lib. *de Mag.* cap. *de poteſt. Senat.* 2 Feneſt. lib. *de Magiſt.* cap. 21. 3 *Admirand.* lib. 4. cap. 2. 4 *Orat. ad Cæſ. de Rep. ord.* 5 Caſſ. *Var.* lib. 4. Cic. *de Ar. Reſp.* Plin. *lib.* 2. *ep.* 12. Petr. Arb. *Satyr.* Symm. *lib.* 1. *ep.* 46. C. Tacit. lib. 1. *Hiſt.* 6 Corn. Tac. lib. 1. *Hiſt.* 7 L. Florus *lib.* 1. *cap.* 18. 8 Vel. Paterc. lib. 2. *Hiſt.* 9 L. Florus *lib.* 1. *cap.* 8. 10 *L.* 1. §. *caſum D. de poſtul.* 11 Petrus Ærodius lib. *rerum judic.* 12 *L.* 1. *D. de off. Proconſ. & Legat.* 13 Orat. *de Conjur. Catil.* 14 *L. an unus eod. titulo.* 15 M. Tull. *contra Rull. Orat.* 2. 16 Jo. Scaliger *Comm. in Virgil. Cirim.* 17 Duarenus lib. 1. cap. 12. *Diſput. ann.* & Bellonius *de poteſt. eor. quæ fiunt in cont.* cap. 66. 18 Jo. Scaliger *Comm. in Virg. Cirim.* 19 Agellius *lib.* 2. *cap.* 21. 20 Ovid. *Metam.* lib. 1. 21 Ovid. *ibid.*

P R Æ F A T I O.

—— *ſecui, ſectamque in membra redegi.*

Mox autem addidi ſingulis capitibus lemmata, quæ univerſam materiam & complecterentur, & ſatis eamdem oſtenderent per ſe, ſi minus explicarent. Omnia quidem certe digeſſi eo ordine, quo aptiorem nullum ad hujus rei tractationem inveniri poſſe putavi. Etenim quædam quaſi *lati Clavi* elementa in ſex primis Syntagmatis; incrementa in mediis; ac ipſa decora in poſtremis tradidimus. Itaque nemo, arbitror, ab hujus Libri lectione diſcedet, ut Demipho ille Terentianus [1] a Critone incertior multo quam prius, ſed fortaſſe quemadmodum idem Comicus [2] abiit a Nauſiſtrata pulchre ſcilicet, probe, & præter ſpem. Sed nolo plura in hunc ſenſum dicere, ne inſignita modulatione factus eſſe videar præco,

—— *ad merces turbam qui cogit emendas* [3].

Cum ego præſertim, qui operam dedi ſtudioſe, ut, quod ait Accius [4],

Paucis probatus potius quam multis forem,

nihil morer plauſus hominum illitteratorum. Ad id tandem venio, quod a quibuſdam natura malevolis & maledicis allaturum eſt mihi magnum theſaurum mali [5]. Etenim haſce *Obſervationes* ſtylo conſcripſi, nec novo, quia antiquis ſcatet ubique formulis, nec antiquo, quia nunc primum in lucem & uſum venit; ſed plane, abſit dicto invidia, meo. Si quis igitur Vatinius, & Momus apud Duumviros Capitales [6] hac de re poſtulet nomen meum recipi, atque edat ſubſcriptionem, non ego ſtruam profecto pedem, nec diem patiar diffindi [7]. Quin imo jam mea ſponte adſum, & ſive habeantur, ſive non habeantur quæſtiones, reſpondeo me Libellum hunc meo quodam ſtylo & charactere, non ante unquam uſitato, contexuiſſe: atque id addo etiam nonniſi recte feciſſe: nam ut in veſtitu hominum, quod ait ille [8], cæteroque vitæ cultu, loco ac tempori apta ſumuntur; ita ingeniorum varietas in familiaribus ſcriptis negligentiam quandam debet imitari, in forenſibus vero quatere arma facundiæ. Itaque non illud ſervaſſem decorum, quod Græci appellant τὸ πρέπον [9], cujuſque ignoratione non modo in vita, ſed ſæpiſſime, & in poematis & oratione peccatur, niſi formularum ſive gravitate ſive antiquitate ipſius *lati Clavi* majeſtatem ſimul & antiquitatem pro virili eſſem ſubſecutus. Quod ſi Virgilius in Anchiſis filii laudatione ſe altius tollit, quam cum ovile canit Menalcæ, nec Homerus eadem ratione in *Batrachomyomachia* ludit, qua Ulyſſis narrat peregrinationem, nos viciſſim omiſſo ſolito verborum filo, quod in levium rerum tractatione eſt adhibendum, hoc plane ſenatorium de *lato Clavo* argumentum ſtylo voluimus illuſtrare, qui Curiæ magis, ut inquit Symmachus [10], quam caveæ conveniret. At fortaſſe litterarum iſti profani [11] iterum reclamabunt, id a me factum fuiſſe nullo jure, quia nullo exemplo tolerabili. Quaſi vero unius rationis auctoritate ac pondere non omnia facile exempla quantumvis maxima ſuperentur. Quamquam profiteri etiam poſſem me hunc Libellum formaſſe de ſpeculo Homeri ac Virgilii [12]: quorum uterque gravia ſublimi dicendi genere, ac levia ſemper, ut ſupra innuimus, humili ratione loquendi, pertractarunt. Adde his, quod haruſpex, ac ipſe potius genius, in Apollinis & Muſarum ſacris non tam permittit, quam præcipit ſæpiſſime, ut ſuo quiſque ritu ſacrificium faciat [13]. Rectius illi quidem acida ſua lingua intendiſſent, jus mihi non eſſe id ita facere, quia Conſtantius & Theodoſius Cæſares formularum uſum ſuſtulerint [14]. Sed ii fortaſſe cum toti ſint in jure Apiciano potius quam Appiano, eruditum pulverem non attigerunt Jureconſultorum, ut quid tale unquam ſancitum fuiſſe didicerint. Quibus tamen, ſi mecum agerent violatæ legis, omnino reſponderem; Imperatores ex forenſium judiciis, non ex Philologorum libris & ſermone formulas ſuſtuliſſe, ac ne tollere quidem potuiſſe. Atqui in mentem nunc mihi venit ejus Pomponii Marcelli, qui cum reprehendiſſet in oratione Tiberii Cæſaris verbum, (*ſtrenas* arbitror) & Attejus Capito affirmaſſet verbum Latinum eſſe, & ſi non eſſet, mox futurum; jam inde, inquit, mentitur Capito; tu enim Cæſar civitatem dare potes hominibus, verbis non potes [15]. Sed neque dum Lernæo obtrectationum monſtro defuncti ſumus, cum non pauci, ut video, dicturi ſint, quod tantam Liber ex formulis contrahere habeat obſcuritatem, ut operam ſuam luſerit, quicunque in hujus lectionem ſe voluerit penetrare. Quod profecto tantum abeſt ut futurum ſit, ut & mea iſta de *lato Clavo* tractatio ab hiſce formulis maximam lucem accipiat: & vero etiam ipſiſſima formularum vis, ratio & uſus, noſtro uſu magis ac magis oſtendatur ac illuſtretur.

Dixi tandem & expoſui rationem conſilii mei: nunc Duumviri Capitales dent operam judicio; ſed inprimis aram teneant, ac jurent ſe nihil gratiæ, nihil precibus daturos. Atque ut liberius poſſint ex æquo & bono cauſam mihi adverſariis-ve tradere, in ciſtam tabulas ſuas conjiciant, quæ noſtrum alterutrum vel A littera notatæ abſolvant, vel C ſignatæ condemnent [16]. Verum quoſnam mihi fingo Duumviros? quid horum, inquam, fruſtra, qui nulli omnino ſunt, ſententiam perquiro? Tu, mi Lector, qui noſtra hæc audiſti, pronuncies velim, quid tibi videatur: etenim tuum præcipue eſt, nec alterius cujuſquam, de hac re ita ſtatuere ac decernere, ut ab omnibus vulgo intelligatur, quam falſo & quantum per invidiam & injuriam his mihi hominibus, quæ ſupra enumeravi, Caniculæ iſti calumniarentur [17].

Duo profecto non vulgaria commoda ex hoc tuo judicio manabunt ac proficiſcentur: unum, quod ii reſpicientes, ut bonam mentem habeant, pro ſe ſupplicabunt: alterum, quod mea dignitas ex eorum maledictis nullum detrimentum capiet; ſequeretur etiam tertium, quod Romanæ Antiquitatis ſtudioſi, in quorum gratiam ſunt a nobis hi labores ſuſcepti, ope & conſilio tuo alacrio-

1 *Phorm.* Act. 2. Scen. 4. 2 *Ibid.* Act. 5. Scen. 9. 3 Horat. lib. *de Arte Poet.* 4 Fragm. Vet. 5 Plaut. *Merc.* Act. 3. Scen. *ſum-ne ego.* 6 Feneſt. lib. *de Magiſtr.* cap. 5. 7 Bellonius *de poteſt. eor. quæ fiunt in cont.* cap. 8. 8 Symm. *lib. 7. epiſt.* 9. 9 Cic. *de Orat.* 10 Lib. 1. epiſt. 83. 11 Macrob. lib. 1. *Saturn.* cap. 18. 12 Idem *ibid.* lib. 5. cap. 2. 13 Seneca Rhetor. *lib. 10. controv. 5.* 14 Did. Mill. Interp. *tit. de Judic. cap. 6. num. 3. & 10. ad l. 1. & 2. C. de form. & impetr. ſubl.* 15 Manut. in *Apophtheg.* lib. 8. 16 Aſc. Pedianus *in Divin.* 3. verſ. 17 Pet. Moſell. *Annot. in A. Gell.* lib. 4. c. [illegible]

res ad ista accederent perlegenda. Sed tandem aliquando de iis omnibus, quæ vel ad declarandam *lati Clavi* majestatem, vel ad probandum hoc styli genus inusitatum, nos statueramus præfari,

—— *supremæ ad præscripta candida calcis* [1]

pervenimus: hoc tantum superest pro Clausula, ut apud te de reliquo Opere bono periculo periculum faciam. Itaque, mi Lector Philologe,

nihil te moror,

quin ad ipsas Observationes & Syntagmata properes, quæ leges, quæ censeas, ut inter bonos bene agier oportet,

sine fraudatione.

[1] Lucretius *de Rer. Nat.* lib. 6. vers. 91.



CENSUS SYNTAGMATUM.

HIERONYMI BOSSII,
TICINENSIS,
DE
SENATORUM LATO CLAVO
OBSERVATIONES NOVÆ ANTIQUÆ,
IN SYNTAGMATA XIX. *TRIBUTÆ:*

In quibus veteres præcipue Lati Clavi usus explicantur; Scriptores multi illustrantur, aut emendantur.

SYNTAGMA I.

Clavus unde dicatur: in re vestiaria quid sit.



NIMUS mihi est de *Senatorum Lato Clavo* nonnulla conscribere: ut autem liceat jusque sit apud omnes omnis generis Scriptores, antiquos & recentes, meo arbitratu ex prisca formula, ire, agere, uti, frui, in ipso Operis vestibulo me apes imitaturum profiteor, quæ *floriferis*, ut ait Lucretius [1],

—— *in saltibus omnia libant**.

Nec quia certe Musis tantum mansuetioribus & Philologiæ nos operari soliti simus, ea, quæ ad rem nostram facient, facient autem non ita pauca, ex severioribus disciplinis, atque ex una præcipue LL. & Jurisprudentia petere & haurire dubitabimus. Ita scribenti mihi adiit dexter Phœbus, & volens ac propitia Pallas, ut tandem quid sit, & unde dicatur Clavus in re vestiaria, bona fide perquiramus, ac recte & ordine inprimis explicemus; sicuti e ferro, aut e ligno, aliave materia factæ machinulæ, quas ab una parte acuminatas, ab altera capitatas, ideo figimus, ut vel aliquid claudant, vel contineant, clavi a claudendo [2] appellantur: ita vestium fibulas, & orbiculos speciem habentes clavi, nomen ab ipsa forma accepisse existimo: verius certissime credo, cujus mihi sive opinionis, sive sententiæ fundus est Ulpianus [3]: *Argento cedit, quod ad speciem*, inquit iste, *argenti junctum est: quemadmodum clavi aurei & purpuræ pars sunt vestimentorum*. Nec quicquam certe aliud, si quid ego judico, *clavi aurei* significant in lege ista, quam has istas fibulas & orbiculos vestium, de quibus ad hoc Opusculum conscribendum ingressus sum: quod tamen ut confirmatius sit, rogo eant in suffragium, Deo bene juvante, Jureconsulti, qui rem istam aliquando carptim pertractarunt: ac tu inprimis dic, Pancirolle, dic quid censes? *Senatorum tunica erat purpurea, genua pertingens, & circa collum recisa, a lateribus undique aperta, quam lati clavi aurei suffingebant*. Hæc ille *Thesauro Variarum Lectionum* [4]. Eximie autem, quod verba fa-

1 Lib. 3. *de Rer. Nat.* 2 Anonym. Lexic. in verbo *Clavus*. 3 *L.* 20. *D. de auro & arg. legat.* 4 Lib. 2. cap. 8.

* Lambinus *limant* legit.

A cta sint in hunc modum a Pancirollo, sibi placuisse testatur DS. Pandulphus Pratejus [1]: etenim clavi quibusdam, ait, sunt retinacula in vestibus gemmæ viteæ instar habentia, quibus tanquam clavis pars vestis alteri parti conjuncta retinetur; quos, similitudine gemmarum, *boutons* Galli appellant. Huic quoque sic verbo assentitur Tiraquellus [2] perelegans sane Jureconsultus, *qui erant*, inquit, *hi clavi, ornamenta quædam purpurea clavorum speciem præbentia: bottoni* dicunt Itali. Scienter igitur dixit Anonymus Juris Lexicographus [3]: *Clavi in re vestiaria sunt fibulæ, & veluti claviculi quidam, qui in vestibus insuuntur*
B *vel ad ornatum, vel ad illas annectendas*. Dum ego igitur, si quis aliter dixerit, eum contra Remp. facturum edico, omnes Reipub. litterariæ Senatores & Consulares viri adsint mihi, & faveant, edictoque huic meo subscribant & obsignent.

SYNTAGMA II.

Clavus in re vestiaria duplex: latus, & angustus.

C

ERE præsenti est, quando in hoc argumento versamur, quotuplex iste clavus fuerit, in medium proferre. Quippe vel latus erat, vel angustus. Ne quis autem hoc a me gratis dictum existimet, testem laudo hujus rei locupletissimum Suetonium: etenim in *Vita Octavii Augusti* cap. 73. hominem tradit usum fuisse *togis, neque restrictis neque fusis: clavo, nec lato nec angusto*. Itaque non ambigitur, sed omnibus potius palam est, quidnam Horatius, Poeta in Lyricis sine exemplo maximus, in eo carmine [4] sibi velit,

D

—— *læva Priscus inani*
Vixit inæqualis, clavum ut mutaret in horas.

Argumentum sane, quo hominis inconstantia notatur, non obscurum. Quia vero clavus iste vestibus adsuebatur purpureis, ut superiore capite cum Pancirollo diximus, scienter admodum nobis fecisse videtur Physico-Historicus Plinius, qui eum purpuræ lumen vocavit. Nec minus certe probandus est summus ille Panegyristes, Papinius, quod angustum clavum ad hominis, ut ar-
E bitror, imitationem, arctum lumen purpuræ aliquando nominaverit. Optime igitur optimus ille Philologorum Turnebus in hoc dicendi genus

1 In V. *Clavus*. 2 *Annot. in Alex. ab Alex. lib.* 5. *cap.* 18
3 In V. *Clavus*. 4 Lib. 2. Sat. 2.

A disputat in *Adversariis* suis [1]: arctum lumen purpuræ *angustum clavum accipio, quo is, quamvis Senatoris filius, contentus erat*. Versus autem Papiniani sunt hi ad Severum [2]:

Hic parvus inter pignora Curiæ
Contentus arcto (mendose *alto*) *lumine purpuræ*
Crescis.

Quorum versuum sanitatem idem ille, quem supra honoris causa nominavi, Turnebus, quasi Apollo Medicus, in eo restituit, quod τὸ *alto* in spongiam, ut ajunt, incubare voluit, ut *arcto* legeretur. B Quam emendationem Johannes Bernatius, adolescens profecto supra ætatem eruditus, in suis Notis ad eundem Poetam loco cit. & amplectitur & confirmat his verbis: *Non Pedarii, sed Consulares Senatores, Lipsius & Turnebus indicant illi morem, & vestitum priscum tangi, & discrimen clavium, quod utrumque Ordinem Senatorium ac Equestrem discrevit: quare rescribendum suadent* arcto lumine: persuadent mihi. Sed ecce tibi quam vere pedester nescio quis Scriptor Librarios, genus hominum perdendis litteris natum appellet. Turpi certe nota notas hominis deformarunt, cum in eis clavium discrimen admiserint. C Dictatore opus est, qui in istos animadvertat: etenim potestatem sibi, nemine dante, plus quam Censoriam vindicarunt: qui non solum plebejos in Ceritum tabulas retulere, sed ipsis etiam Senatoribus & Equitibus cum lato & angusto Clavo jus omne ingenuitatis ademerunt. Quænam hæc est capitis diminutio [3]? minima, an media, an maxima? isti mehercule Librarii, cum tribuant utrique Ordini claves, quæ insignia servorum erant, Senatores & Equites infra Plebem dejiciunt, & servos quodam modo faciunt. Quæ una res facile tibi germanum sensum aperiet Martialis in eo carmine [4]:

D

*Dum sibi redire de Patrensibus * fundis*
Ducenta clamat coccinatus Euclides,
Corinthioque plura de suburbano:
Longumque pulchra stemma repetit a Leda,
Et suscitanti Lectio reluctatur;
Equiti superbo, nobili, locupleti,
Cecidit repente magna de sinu clavis.
Nunquam, Fabulle, nequior fuit clavis.

Hoc ego profecto carmen sic interpretor, ut ipsa clavis, cum ex hominis sinu divitias & genus E mentientis deciderit, non tam a stirpe quam ab opibus extremi Ordinis Euclidem esse indicaverit: quippe qui omni careret familia, & ipse sibi famulus esset ac janitor. Verum ut ostendamus nostram sententiam nobis non placere, quia nostra, sed quia vera sit, præstantissimi viri e Societate Jesu, doctrinæ & religionis nomine cum in Orbe nostro, tum apud Antipudas, maxime nota, ac nata potius in exemplum virtutum omnium, Matthæi, inquam, Raderi [5] explicationem recitabo: *Concludit Martialis epigramma, & ait nequissimam fuisse clavem, ut quæ prodiderit rem Domini sui, & ex divite pauperem, e Domino servum reddiderit*. F Itaque nos tanquam pullarii vocem illam clavium, quasi obscœna sit avis, ex Bernatii Notis ejiciemus: non enim aut Justus, aut Adrianus, cum eum Statii locum interpretaretur, verbum ullum fecit de clave, sed de clavo. Ut igitur bonam mentem, cujus nec volam nec vestigium habet clavium discrimen, ipsis Notis reddamus, clavum discrimen per contractionem rescribimus: quemamodum enim in Censoriis Tabulis *fabrum* & *procum*, non *fabrorum* & *procorum* legitur; ita Notographus iste non clavorum sed clavum dicere voluit. In quo si me fallit conjectura, nihil unquam in hoc genere ex animi mei sententia facturum sperabo.

[1] Lib. 1. cap. 2. [2] *Lib. 4. sylva* 5. [3] *L. 1. de capit. diminut.* [4] *Lib. 5. epigr.* 26. [5] *Comment. in Mart. illud epigr.* 36.
* Videtur leg. *patruelibus*.

SYNTAGMA III.

Lati Clavi color qualis: aureus-ne, an purpureus.

PLurimum sane multis nominibus justissimisque de causis amandus mihi est Annibal Campeggius Jureconsultus, qui ut adolescens homo est divino prope ingenio ac pari judicio præditus, Astreæ Musas, & Musis Gratias, ut ait Euripides, [1] suavissimo admiscet conjugio: hic mihi Opusculum nunc nuper donavit Aldi Manutii, non pauca atque adeo multa complectens ad Rom. Antiquitatem pertinentia; eaque re dignissimum, ut Philomusus quisque, perdius ac pernox manibus atque oculis illud ipsum usurpet: [2] volumen est quod inscribitur, *de Quæsitis per Epistolam*. Cum igitur in eo Manutius, qua de Tunica Romanorum Disputationem persequitur, videatur lato Clavo purpureum tantum colorem tribuere, nostræ partes sunt in præsentia disquirere, lato-ne Clavo uti orbiculo, an uti tunicæ, quæ latus Clavus, ut infra ostendemus, ab eo ornamento nominatur, purpureum inesse colorem dixerit. Ego quidem sic utrumque Plinii locum, quorum alterum ex *libro* 9. *cap.* 36. alterum ex *libro* 33. *cap.* 1. non ille citavit solum, sed ad verbum etiam descripsit, & hoc Ovidii carmen [3],

Induiturque humeris cum lato purpura Clavo,

sic, inquam, interpretor, ut Historicum & Poetam non magis de lati Clavi orbiculo, fibulave, quam de tunica fuisse locutos existimem. Atque demum ut cum volentibus Musis in pauca sermonem cogam, lato Clavo (orbiculum intelligo) nec purpuram adimo, nec solam sine auro tribuo: namque omnino sedens assentior Mediolanensium Quinctiliano, M. Antonio Majoragio, qui libro *de Senatu Romano* [4] latos Clavos affirmat fuisse lata quædam & rotunda signa ex purpura & auro facta. Quod autem essent purpurei, inanis profecto & otiosa opera esset *; cum quia satis ex majorum minorumque Gentium scriptis constet, tum quia Manutius ipse non de hoc eat ad inficias. Hinc certe Logistorici observarunt natam phrasim, qua latus Clavus a Plinio [5] purpura latior dicitur. Verum quod in eis aurum cum purpura misceretur, multi dubitant ac negant quamplurimi, id quod nos iterum ductu & auspicio Majoragii asseveramus. Quanquam possem etiam cum Tyrio Jureconsulto id ipsum affirmare, si tanquam translatitia hic illa repetere voluero, quæ in principe hujus Opusculi nostri capite adnotavimus: etenim ait clavi aurei & purpuræ pars sunt vestimentorum [6]. Quæ quidem si judicio paullo attentiori fuerint examinata, nullus cuiquam locus dubitandi relinquetur, ac ne quidem erit ad unum qui audeat dicere, hoc amplius censeo.

[1] Fragm. Poet. Græc. [2] A Gell. *lib.* 2. [3] *Trist.* lib. 4. eleg. 10. [4] Cap. 5. de vest. Sen. [5]. Lib. 33. cap. 1. [7]. L. 20. *de auro & arg. legat*.
* Verbum *probare*, vel quid simile, videtur excidisse.

SYN-

Syntagma IV.

Lati Clavi auctorem ignorari asseritur; quis omnium primus Romæ usus fuerit, ostenditur.

EXposui quid & quotuplex sit Clavus in re vestiaria; dixi item qualis ejus fuerit color; sequitur ut de eo disputemus, qui lati Clavi usum in Romanam attulerit Civitatem. De illo enim, qui hoc orbiculi sive fibulæ genus excogitaverit, nihil aut certi, aut medii est, quod quisquam loquatur, cum ejusdem nulla mentio sit, quod sciam, in omni antiquitate. Quod si quisquam sciolus, & litterator [1] aliquid de suo in hunc sensum dicis causa afferat, ab omnibus reclamabitur, Improbe factum: namque Edicto non a Domitiano quidem, sed ab ipsis Musarum Imperatoribus lato, in hoc genere cautum est, ne quis novellet. Non tamen nos fugit, quod latus Clavus primum, ut ait Polydorus Vergilius [2], repertus est ab Incolis Balearium Insularum: hoc ipsum quoque narrari a Strabone, elegantissimus ingenio ac moribus JC. Octavianus Picenardus, se observasse mihi significavit. Et quoniam mihi videor nescio quem in strepitu exaudire [3], qui mihi idem illud imperet, quod gladiatoribus olim solebat, Age, repete: facies cum fructu; hoc loco repetam cum Strabone [4], quod Balearium Insularum incolæ primi mortales latum Clavum induisse ferantur. Cæterum hominis nomen, quem primum Veteres lato Clavo uti Romæ viderint, in vulgus facile dabo, si locum insignem certe ac nobilem ex Seniore Plinio exceptum huc transferam. Qua in re meam nec operam, nec fidem patiar desiderari. Porro autem ipsissima Historici verba adscribo [5]: *Toga prætexta & latiore Clavo Tullum Hostilium e Regibus primum usum, Hetruscis devictis, satis constat.* Itaque hoc amplissimi Ordinis ornamentum nulli omnino alii acceptum refert, quod in Romana Civitate cœperit usurpari, quam illi ipsi Regi, a quo prætextam in usum adductam fuisse nostro Commentario *de Romana Toga* [6] docuimus cum Macrobio. Id quod poteram, ut vides, perbelle perque commode facere cum Plinio, si ea, quæ modo recitavi, me tunc non fugissent scribentem. Sed forrasse noluit Historicus haudquaquam plebejus indicare se mihi, cum agerem de Toga, ut cum latiore Clavo tanquam Senator prodiret. Quod bonum hercle factum est.

Syntagma V.

Latus Clavus quo tempore textus in modum gausapæ.

NIhil omnino vident in litteris, aut quidem certe Polyphemi esse mihi videntur ii, qui latum Clavum ex eo dicunt fuisse Plinii Historici tempore excogitatum; quia apud istum hæc legerint [7]: *Patris mei memoria cœpere amphimala, nostra sicuti etiam ventralia: nam tunica lati Clavi in modum gausapæ texi nunc primum cœpit.* Illos profecto nemo præter crassam ingenii sui [8] Minerva vam excæcavit, qui mentem non assequuntur Scriptoris adeo Latine & aperte loquentis. Scilicet Ælianus iste Novocomensis, sive, ut volunt nonnulli, Veronensis, bene sibi constaret, si tale quippiam hoc loco exprimere voluisset; etenim secum pugnantia loqueretur, cum alibi [1] ostenderit, ut nos supra indicavimus, latiore Clavo usum fuisse Hostilium; hic autem annis ab Urbe condita 9. & 70. Rex fuit Romanorum tertius; hoc est, ante Consules omnes, atque etiam, si Romulum & Numam Pompilium exceperis, ante Reges omnes. Quid enim dicam ante Plinium, qui Vespasiano imperante vixit? Bone Deus, quæ & quot sæcula intercesserunt! nemo, non perfunctorie in Rom. Historia versatus, ignorat. Sed quæso collyria nostra, ex ante Cælianam sive Junianam Carnam venerantes, cæcutientium oculis illinamus, ut lucem aliquando, adspiciant. Omnium igitur primus apud Romanos Tullus Hostilius in tunica latum Clavum adhibuit. Ea autem ob insigne ejuscemodi, ut infra dicemus, non solum laticlavia, sed etiam latus Clavus appellabatur. Quamobrem in eo loco per latum Clavum tunica ipsa intelligenda est: quæ cum antea semper ex levioribus filis contexta fuerit, in gausapæ tamen speciem, hoc est, ut ego interpretor, ex lana cum villis solum cœpit texi, vivente Plinio. Atqui germanam hanc esse Scriptoris sententiam tam clare patet,

Quam Solis radii esse olim, cum sudum est, solent [2].

Nec quisquam ire in aliam sententiam potest, quin idem judicet, ut ait ille meus [3], meridie non lucere, itaque cæcus cæco, ac Polyphemus potius altero Polyphemo ducitur, quisquis Ravisium Textorem sequitur, apud quem ista leguntur [4]: *Tunica lati Clavi texi cœpit Plinii temporibus, qui latiore Clavo Tullum Hostilium e Regibus primum usum prodidit.* Decumanus sane errat, qui monere juventutem facile posset, ut ne unquam, relictis fontis, rivulos consectentur. Nunquam certe, aut admodum raro fallunt primi rerum Scriptores: contra vero falluntur ii sæpissime, qui illis posthabitis solas Epitomas legunt. En tibi, si Ravisium audias, tunica lati Clavi in usum venit solum vivente Plinio; si Plinium, regnante Hostilio. Quamobrem Textor iste pœna falsi tenebitur, si minus iterum de hac re,

—— *tenues percurrens pectine telas* [5],

se ipse emendaverit. Hoc autem qui fieri potuerit ab homine, qui jam sit in peculio Proserpinæ & Orci familia numeratus [6]? nos potius, ne cum larvis, ut dicitur, luctari videamur, primum e Græcis Latinisque litteris elementum hoc loco adscribamus A.

Syntagma VI.

Clavata vestis duplex; laticlavia, & angusticlavia.

VEstis, quæ ejuscemodi clavis sive distingueretur ad pompam, sive connecteretur ad usum, ut Calcagninus observavit [7], clavata dicebatur. Ea tamen ob duplicem clavorum formam modo, quia angusti essent, angusticlavia, Græce στενόσημος, modo, quia lati, pariter laticlavia, Græce

1 Pet. Vict. lib. 8. cap. 24. *Var. Lect.* 2 Lib. 3. *de Invent. rer.* 3 P. Vict. *Var. Lect.* lib. 13. cap. 14. 4 Lib. 3. *de situ orbis.* 5 Lib. 9. cap. 39. 6 Cap. 11. 7 Lib. 8. cap. 48. 8 Homer. lib. 1. *Odyss.* de Ulys. astut. in Polyph.

1 Lib. 9. cap. 39. 2 Plaut. *Mil. Glor.* Act. 1. Sc. 1. vers. 1. 3 Cic. lib. 1. *ad Att.* epist. 1. 4 *Officinæ* tom. 2. cap. 4. *de vest. gen.* 5 Virg. lib. 7. *Æneid.* 6 Apul. lib. 3. *de Asino aureo.* 7 Lib. 3. ep. 1.

πλατύσημος appellabatur. Sic Valer. Maximus Numidam adolescentem a Scipione tunica laticlavia fuisse donatum recensuit. Quia vero Sextus Pompejus in verbo *picta* [1] ejus se opinionis esse declarat, ut tunica palmata a latitudine clavorum diceretur, quæ nunc a genere picturæ appellatur, orta est inter multos dissensio & controversia: sunt qui affirment cum Festo laticlaviam tunicam eandem esse, quæ palmata vocatur: sunt qui mordicus id pernegent: quam rem sive litem nolo ego judicare, qui non sum inter istos arbiter aut a Prætore datus, aut ex compromisso sumtus; sed potius volo, ut SC. per discessionem fiat ab iis, qui in Musarum Senatu jus habent pronuntiandi: jamque solemnibus & lege præscriptis verbis adclamo; qui hæc sentitis, in hanc partem, qui alia omnia, in illam partem ite, qua sentitis. Ecce autem cum Sexto Pompejo Majoragius est, ubi de laticlavia veste sic loquitur [2]: *Hæc eadem tunica palmata vocabatur a latitudine clavorum, (ut auctor est Festus) qui fere palmæ orbem æquarent.* Contra quem venit Aldus Manutius his verbis [3]: *Nec vero iis assentior, qui Festum secuti, si modo Festus ita scripsit, tunicam palmatam a latitudine clavorum dictam, & eandem esse cum lato Clavo arbitrantur; quid enim simile habet Clavus cum palma?* Ego tunicam fuisse palmatam existimo, quam triumphantes, toga picta superimposita, tanquam insigne victoriæ gestarent. Adstipulatur Manutio Budæus [4], qui palmatam tunicam ab eo sic dictam vult, quod arborem palmam inscriptam ac pictam haberet. Sed nec desunt, qui Majoragii sententiæ subscribant, & hominem sequantur. Quippe Sigonius in libro *de antiquo jure Romanorum* [5], qua de lato Clavo disserit, hanc tunicam post palmatam tradit. Sed unus inprimis Bayfius Majoragio subscribit, cum ait: *Tunica lati Clavi, sive latus Clavus, antea quidem dicebatur tunica palmata a latitudine clavorum*: quibus mox addit: *Cum apud Livium* [6] *identidem legas tunicam palmatam, accipe pro tunica lati Clavi.* Optime igitur Liviani interpretes in eo Patavini Polyhistoris loco, quos vos sellis curulibus, toga prætexta, tunica palmata, & toga picta, & corona triumphali, laureaque honoratis, per tunicam palmatam nihil aliud omnino, quam ipsam tunicam, quæ a lati Clavi magnitudine nomen accepit, intelligi volunt. Horum autem sententiæ assertor plenissimæ auctoritatis, & super numerum [7] esse Livius [8] potest, qui munera a S. P. Q. R. sociis Regibus & amicis dari solita dinumerans, modo palmatam, modo lato Clavo tunicam sine ullo discrimine appellat. Sic itaque hæc pars major videtur, quæ laticlaviam & palmatam vestem eandem esse contendit, ut dici sine fuco possit, Majoragii sententia vicit. Prudenter igitur faciet, qui dixerit cum Prudentio [9],

Servemus leges patrias, infirma minoris
Vox cedat numeri, parvaque in parte quiescat.

SYNTAGMA VII.

Latus Clavus tunica fuit, non toga.

QUia vero dubitari adhuc facile posset in tunica-ne an in toga lato Clavo usi fuerint Romani, nobis hunc nodum esse tollendum hoc capite arbitramur. Quod certe aut labore nullo, aut uno tantum sudore faciemus. Etenim si ego Alexander non sum; nec is nodus Gordianus est [1]. Porro autem Suetonii locum appingam ex *Vita Octavii Cæsaris* [2]: *Sumenti virilem togam tunica lati Clavi resuta utraque ex parte ad pedes decidit. Fuere qui interpretarentur non aliud significare quam ut is Ordo, cujus insigne id esset, aliquando ei subjiceretur.* Sed ne quis per infrequentiam dicat, se neque dum acquiescere, ad hancce unam rem confirmandam testem etiam laudo Varronem [3], quis tunicam ita consuit, ut altera plagula sit angustis Clavis, altera latis? Non tamen Bayfium [4] prætereo, apud quem tunica lati Clavi latus Clavus etiamnum appellatur. Quod si quis obstinate incredulus allegoricos adjiciat: vetera hæc poma, alia nova, ut hoc præcipue caput ex totius Opusculi inscriptione novum antiquum sit, auctoritatem hominis recentioris, qui omnia in Romana antiquitate, si quis alius, cornicum oculis perspexerit: etenim Paulus Manutius hac de re admodum erudite his verbis egit [5]: *Fuit latus Clavus Senatorum tunica.* Et *de Rom Civitate* libro: *Cives Romani, si Senatores erant, tunica purpurea utebantur, quam & latum Clavum video nominatam.* Cumque Majoragius meus omnino sentit, qui in suo *de Senatu* [6] Opusculo sic scriptum reliquit: *Vestis igitur Senatorum latus Clavus dicebatur, quæ non toga, ut plerique opinantur, sed tunica prætexta erat.* Possem sexcenta alia in hunc sensum ex Varrone *de Lingua Latina*, ex Plinii *Historia* [7], ex Valerii Maximi *factis dictisque memorabilibus* [8], ex Quinctiliani *Institutionibus Oratoriis* [9], ex Budæi *Annotationibus in Pandectas* [10], ac demum ex Turnebi *Adversariis* [11]; sed nunc mitto testimonia, uti minime necessaria: satis enim superque constat ex his, quæ supra recitata sunt, latum Clavum non togæ, sed tunicæ adhibitum olim fuisse. Id tamen addere mihi libet, quod laticlavia tunica fuerit a Statio Papinio tunica potens appellata his verbis [12]:

—— te, clare puer, genitum sibi Curia sensit,
Primaque patricia clausit vestigia luna,
Mox Tyrios ex more sinus, tunicamque potentem
Agnovere humeri.

Scite quidem istud, meo judicio, ac scienter a Poeta dictum est de Crispino, viro plane Ordinis Senatorii: namque præter alia, quæ in legendo Senatu spectabantur, ut genus, ordo, ætas, & magistratus, ratio inprimis habebatur census. Qui cum sestertium octingentorum millium, ut Suetonius, & alii Historiarum Scriptores testati sunt, longe superabat Equestrem, qui tantum erat HS. quadringentorum. Itaque census Senatorius, ut cum Budæo loquar [13], duplex quam equestris erat. Addo etiam cum eodem sub Augusto triplex.

SYNTAGMA VIII.

Latus Clavus fuerit-ne tunicæ intextus, an insutus?

NON sinat unquam Sancus-Fidius, ut mihi quicquam, quod ait Comicus [14],

—— homo mortalis posthac duarum rerum creduat,

1 Lib. *de verb. signif.* 2 Lib. *de Sen. Rom.* cap. 5. 3 Lib. 2. *de quæs. epist.* 2. 4 *Annotation. in Pand. l. ult. de Senat.* 5 Lib. 2. cap. 2. 6 Lib. 10. 7 Suetonius in *Claudio* cap. 25. 8 Lib. 30. & 32. 9 Lib. 1. *contra Symmach.* vers. 608.

1 Justinus *Hist.* lib. 11. 2 Lib. 2. cap. 94. 3 Lib. 2. *de Analog.* 4 Lib. *de Re Vest.* cap. 12. 5 Lib. *de Senat. Rom.* cap. 2. 6 Cap. 5. *de hab. & vest. Sen.* 7 Lib. 33. cap. 1. 8 Lib. 5. cap. 1. 9 Lib. 11. cap. 3. 10 *Ad l. ult. de Senatu.* 11 Lib. 1. cap. 2. 12 Lib. 5. *Sylv. Prot. ad Crisp.* 13 *Annot. in Pand. ad l. ult. de Senatu.* 14 Plaut. *Truc.* act. 2. scen. 2. vers. 52.

si minus ab eo, dolus malus aberit, quod sum in Nibrisensem dicturus: non enim obstrigillandi, sed veritatis afferendæ causa, hominis sententiam oppugnabo: jamque ex prisca familiæ ercifcundæ formula, juro me non calumniæ causa litem intendere, & non calumniæ causa ad inficias ire. Aliud certe agebat, cum suo Juris Civilis Lexico 1 sic ipsum Clavum definiret: *Clavus in veste erat verruca ex auro, vel ex cocco, aut aliis coloribus vesti intertexta*. Miror equidem virum in humanioribus litteris sane cum paucis versatum haud notavisse quod clavus iste fuerit insutus non intextus. In hoc etiam genere memoriam, non enim dicam fidem, Cælii Calcagnini, viri alioqui diligentissimi, desidero, qui in *Epistolicis* ad Thomam nepotem *Quæstionibus* hæc scripsit 2: *Clavatas vestes eas dixerunt Antiqui, quibus clavi, & verrucæ, & quasi bullæ vel ex auro, vel cocco, vel purpura, vel id genus quopiam essent inserti*. Cujus quæso prisci Scriptoris, cujus monumenti, cujus veteris inscriptionis auctoritate nititur? cum igitur ex nullo codice MS. vel recenti, vel antiquo, ex nullo numismate, nulla certa Tabula, ac demum nullo lapide in Urbis parietinis aut in Aventini ruderibus reperto, quid tale collegerit, expungat τὸ *dixerunt Antiqui*, & pro eo libens volens reponat, *nos dicimus*, aut *Recentiores existimarunt*: modo ne tamen *inserti* verbum idem valere voluerit, quod *adsuti*. De hac igitur re cum dubitaret Tiraquellus, noluit suam litem facere, sed voluit potius relinquere in medio, cum dixit 3: *Erant hi clavi tunicis attexti, seu fortasse assuti*. At est fortasse aliquis qui sibi postulat probari, quibus ego ductus rationibus sententiam veriorem putem esse eorum, qui latos Clavos sic volunt factos, ut essent tunicæ omnino adsuendi, quam eorum qui sic volunt in tunica textoris pectine effictos, ut sunt in damascena veste flores, vites, & aliæ id genus vermiculationes: eum ego, quisquis est, non invitus judicem fero; atque adeo ex prisca formula rogo audiat. Togatorum ille omnium consensu doctissimus, M. Varro, sic ait 4: *Si quis tunicam in usu ita consuit, ut altera plagula sit angustis clavis, altera latis, utraque pars in suo genere caret analogia*. Quamquam nec Pomponius ipse Jureconsultorum elegantissimus, qui hujus mihi sententiæ auctor & princeps fuit, ut latum Clavum tunicæ adsutum crediderim, non defugiet auctoritatem. Qui si ab iis interrogabitur, quibus hac in re, ut dicitur, aqua hæret 5, ita profecto respondebit ut affirmet, *etsi non sint Clavi vestimentis consuti, tamen veste legata contineri* 6. Pomponii autem testimonium apud omnes ab omni dubitatione sartum tectum habebitur, si illud hoc loco addam quod Ulpianus aliquando dixerit 7: *Vestimentorum sunt omnia lanea, lineaque, vel serica, vel bombycina, quæ induendi, præcingendi, amiciendi, insternendi, injiciendi, incubandive causa parata sunt, & quæ his accessionis vice cedunt, quæ sunt insitæ picturæ Clavique qui vestibus insuuntur*. Ex his igitur clare adeo liquet latum Clavum non tunicæ intextum, sed adsutum fuisse, ut id qui negaverit, poterit idem cum Anaxagora nivem atram judicare.

1 In verbo *Clavus*. 2 Lib. 3. epist. 1. 3 *Annot. in Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 18.* 4 Lib. 2. *de Analog.* 5 P. Victorius *Var. Lect.* lib. 3. cap. 22. 6 *L. 21. ff. de auro & arg. legato.* 7. *L. vestimentum D. de auro & arg. legato.*

SYNTAGMA IX.

Latus Clavus qua parte tunicæ adsueretur.

Quoniam latum Clavum tunicæ adsui, non intexi magna contentione asseveramus, non huic alienum loco existimo investigare, qua parte ipsius tunicæ id fieret: ad humerosne, an ad latera; ad umblicum, an ad extremam coronidem. Sunt fateor non ita pauci, qui tunicam ejuscemodi totam clavis distinctam velint, sunt & alii quam plurimi, qui in ea tantum parte, quæ a collo ad ipsum pertinet umblicum, poni solitos fuisse putent. Verum cum haud nostrum sit, ut cum Palæmone Virgiliano dicam 1,

— *inter eos tantas componere lites*,

de hac re Horatium consulamus, staturi eo quod censuerit: tu mecum igitur, Lector, hoc age, dum is sic pronuntiat 2,

— *quisque insanus nigris medium impediit crus*
Pellibus, & latum demisit pectore Clavum:

Nos quidem in Horatii partes rapimur; atque ita rapimur, ut ab eo nunquam simus discessuri. Si quis tamen odiose pervicax ad contentionem, Poetæ sententiæ stare noluerit, illum adeat Jureconsultum, qui legum verba collegit simul & explicavit in *Juris Vocabulario* suo 3; non dubium est quin actu tum respondeat hoc modo: Clavi vestibus insuuntur vel ad ornatum, vel ad illas connectendas; quod fere fit in ea parte qua pectus contegitur. Id quod non obscure confirmatur a Petro Gregorio his verbis 4: *Latus Clavus erat vestimentum succinctorium, quod clavis jungebatur in pectore*. Nec quia Pancirollus in *Variarum Lectionum Thesauro* 5 huic opinioni refragetur, & latos Clavos in ipsis tunicæ lateribus ponat, quisquam propterea aut contra Horatium, aut contra Jureconsultum, iturus est. Id scilicet elegantissimus Majoragius faciet? nihil minus: atque adeo si aram tenens ille juraret, nihil puto crederet: etenim nisi me fallit memoria, ut certe non fallit, hæc aliquando dixit Majoragius 6: *Ego quovis pignore contenderim Clavos illos latos in Senatoria veste tantum in pectore collocatos*. Huic autem, si quid mei suffragii opus est, plena cera subscribo. Et plane uti e Repub. fideque mea esse videtur, quod ille censuit, ego etiam D. E. R. I. C.

SYNTAGMA X.

Tunica lati Clavi qualis, & quanta? præcincta, an discincta?

Cautio mea est, ut nonnulla, quæ licet de tunica sint, nihil tamen ad rem nostram faciunt, in præsentiarum silentio prætercam. Cautio inquam mea est, ne quis Legulejus, & rabula de foro illud mihi objiciat, *non debuisse in alienam rem supervacuas impensas facere* 7. Si tunicam enim viris quam fœminis breviorem apud Romanos fuisse, ut Agellius 8; si sine manicis, ut Nonius Marcellus 9; si longo inter-

1 Virgil. *Eccl.* 3. 2 *Lib. 1. Sat. 6.* 3 In verbo *Clavus*. 4 Parte 3. *Syntagm. Juris univ.* lib. 47. cap. 23. n. 17. 5 Lib. 1. cap. 13. & lib. 2. cap. 8. & 211. 6 Lib. *de Senatu* cap. 5. 7 *L. utiles ff. eodem*. 8 Lib. 7. cap. 12. 9 Lib. *de gen. test.*

vallo post togam inventam, & citra humeros desinentem, ut idem Agellius; si ad talos non demitti solitam, ut Quinctilianus [1], hoc loco dicerem, non magis de tunica agerem lati Clavi, quæ Senatorum fuit, quam de tunica in universum, qua usi etiam sunt plebeii. Unde lepide admodum Horatianus [2] ille,

> —— *Vultejum mane Philippus*
> *Vilia vendentem tunicato scruta Popello,*
> *Occupat, & salvere jubet prior.*

Quantum igitur æquius melius est de eo dicere, quod singulare ac proprium est hujusce tunicæ laticlaviæ: quæ quidem, nisi plus videre mihi videor in Quinctiliano quam video, non ut recta & angusti Clavi tunica cingebatur. Rhetoris verba hæc sunt [3]: *Cui lati Clavi jus non erit, ita cingatur, ut tunicæ prioribus oris infra genua paulum, posterioribus ad medios poplites usque perveniant.* Verum ut hac de re nulla sit dubitatio, illud inprimis facit, quod idem luculentissimus Scriptor laticlavios & cinctos, tanquam duo opposita, unam in periodum paulo infra coegerit: *latum habentium Clavum modus est*, inquit [4], *ut sit paulum cinctis submissior.* Ex quibus verbis colligi facile id potest, quod cæteri omnes Rom. cives, qui tunica vel recta, id est, sine clavis, vel angusticlavia uterentur, soliti fuerint præcingi. Quare si quis ab hoc more non se præcigendo discessisset, id illi tanquam censorium facinus ignominiæ ac probro dabatur. Quid quod Octavius Cæsar, ut refert Suetonius [5], *Centuriones statione deserta itidem, ut Manipulares, capitali animadversione puniit: pro cætero delictorum genere variis ignominiis affecit: ut stare per totum diem juberet ante Prætorium interdum tunicatos, discinctosque, nonnunquam cum decempedis, vel etiam cespitem portantes.* Clarissimus certe dignitate & doctrina vir, Barnabas Brissonius, Parisiensis Senatus Præses, atque idem mansuetiorum severiorumque Musarum in Gallia facile Princeps, justum caput confecit in suo *selectarum ex jure Civili Antiquitatum* [6] volumine, quo non obscure probat ignominiæ militaris genus fuisse, ut discincti vel stare, vel opus facere milites cogerentur. Cum itaque, ut ad propositum redeamus, in Tranquillo Cæsarem [7] legamus *usum lato Clavo ad manus fimbriato, nec ut unquam aliter, quam ut per eum cingeretur, & quidem fluxiore cinctura*; non tantum ex Syllæ præscripto fugiendus erat Imperator iste, quod se male præcingeret, quam damnandus Centuriis omnibus, quod latum Clavum cingeret contra morem & consuetudinem civium suorum. Sed id quæso adscribamus, quod Pancirollus *Thesaur. Variarum Lectionum* de hac laticlavia tunica dixit [8]: *Non cingebatur, ut aliæ tunicæ, sed utrique aureis & latis clavis affigebatur.* Quanquam si vera dicenda sunt, hominis sententia dividenda est: etenim quod cingeretur, cum illo sentio; quod vero id utraque parte fieret, dissentio. Cæterum ut quanta fuerit tunica lati Clavi ostendamus, verba Marcelli Donati adscribemus: latum Clavum vestem oblongam ad talos usque declinantem fuisse ex Quinctiliano *loco* superius *citato* existimandum, cujus formam puto eam esse, quam in statuis Senatorii Ordinis homines repræsentantes videmus.

1 Lib. 2. cap. 3. *Inst.* 2 *Lib.* 1. *epist.* 7. 3 Lib. 2. c. 3. *Inst.* 4 Ibidem. 5 In *ejus Vita* c. 24. 6 Lib. 2. cap. 7. 7 In *ejus Vita* cap. 45. 8 Lib. 2. cap. 3.

SYNTAGMA XI.

Latus Clavus Senatorum; angustus Equitum Romanorum.

ADmonet me laticlaviæ & angusticlaviæ tunicæ mentio superioribus capitibus facta, ut quinam aut hac, aut illa uterentur, bona cum venia explicem. Sed illud ipsum, quod in re sua dixit aliquando Plinius [1], id ego in mea nunc dicam, *veuio in Senatum, jus dicendi peto.* Etenim de hoc amplissimo Ordine nemo loqui debet non veniam præfatus. Erant igitur insignia Senatorum omnium latus Clavus & calcei lunati [2]: in quo sensu illa Apuleii omnino accipienda sunt [3], *non licet insignia* Senatus *vestitu*, id est, tunica laticlavia, *vel calceatu*, hoc est, lunatis calceis, *temere usurpare.* Quanquam ex proposito huic Libro argumento tantum mihi cedet * de lato Clavo perquirere: ad quod unum mihi in auspicio esse volo Plinium [4]: etenim quibusque paulo humanioribus notum est, sic hominem in historiis nonnunquam locutum fuisse: *Annuli distinxere alterum Ordinem a Plebe, ut semel cœperant esse celebres, sicut tunica ab annulis Senatum.* Atqui habebat clavos Senatorum tunica latos, Equitum angustos. Id quod Lampridius etiam his verbis notatum reliquit [5]: *Tum satis esse constituit, ut Equites Romani a Senatoribus Clavi qualitate discernerentur.* Itaque Alexander ille JCtus, qui nomen a suo ipsius cognomine accepit, optime *Genialibus* lib. 4. cap. 11. in hanc sententiam scripsit: *Erant igitur Senatoris iusignia tunica, & purpura, & laticlavus, jus spectandi in Orchestra, & epulandi publice tam in epulo Jovis in Capitolio, quam ludorum causa. Qui quidem laticlavus propterea vestis Senatoris erat, qua Senatus dignitas & amplissimus Ordo notabatur.* Nec aliud Suetonius Tranquil. in *Vita C. Julii Cæsaris* cap. 80. per latum Clavum significavit, quam tunicam istam, de qua disputamus, Senatoriam, *Peregrinis in Senatum allectis libellus propositus est.* Bonum factum: Ne quis Senatori novo Curiam monstrare velit: *& illa vulgo canebantur:*

> *Gallos Cæsar in triumphum ducit: iidem in Curiam:*
> *Galli braccas deposuerunt, latum Clavum sumserunt.*

Hoc autem loco, οὐδὲ πάρεργον, observandum censeo latum Clavum juncto verbo aliquando laticlavum appellari ab Alexandro in *Genialibus* l. 4. c. 2. ut laticlavium a Bud eo in *Adnotationibus suis ad Pandectas* [6]. Sed ad rem: factum propterea est, ut Carolus Sigonius, Antiquariorum doctissimus, in Opere suo *de antiquo jure civium Romanorum* verissime scripserit [7], *ut insigne Senatorum, quo ab Equitibus Romanis distinguerentur, sic Equitum, quo a Plebe discernerentur, annulus aureus.* Scienter igitur P. Manutius in eum Ciceronis locum [8], *ipse tamen Prætor, qui sua vigilantia pacem in Sicilia dixit fuisse, in hac officina majorem partem diei cum tunica pulla sedere soli bat*; scienter, inquam, scripsit Manutius [9]; *cum tunica pulla, non Senatoria, quæ a latis purpureis clavis latus Clavus dicebatur.* Mitto libens quæ in hunc sensum Ant. Augustinus Archie-

1 Lib. *Epist.* 9. 2 P. Manut. *Comm. in Orat. pro Aul. Cluent.* 3. *Florid.* lib. 1. 4 Lib. 33. cap. 1. 5 In *Alexandro*. 6 In *l. ult. de Sen.* 7 Lib. 2. cap. 3. 8 *Act.* 2. *in C. Ver.* 9 *Comm. in Orat. Cic.*

* Leg. *cedit*, vel *sedet*.

piscopus Taraconensis libro *de Legibus* [1], & Laurentius Grimalius Goslicius *de optimo jure Senatorum* tradiderunt. Quippe in hoc cum Manutio sentiunt. Ea tamen nolo reticere, quæ pro hujus rei testimonio Alexander Sardus, vir non adspernandæ eruditionis, litteris consignavit [2]: *Erat tunica & latus Clavus Senatorum, Equitum annulus, ut a Plebe discernerentur*. Quod si quis adhuc plura desiderat, illud ego Ciceronis [3] usurpabo, *aut hoc testium satis est, aut nescio quid satis sit*. Cæterum quod Papinius *Protreptico ad Crispinum* [4] dicat,

—— —— non sanguine cretus
Turmali, trabeaque Remi, & paupere Clavo,

omnino de Equitum angusto Clavo intelligendum est. Qua in re poetam ad id puto respexisse, quod Equestris census, ut antea [5] docuimus, erat longe minor Senatorio. Itaque in eo certe P. Manutius memoria vacillat, quod ad hæc M. Tullii verba [6], *nostra hac purpura plebeja, ac pæne fusca* sic scribat [7]: *Plebejorum tunicæ, quæ a Senatoriis primum clavo differebant, qui erat in Senatoriis latus, in plebeiis angustus*: id enim, quod proprium Equitum est, Plebi tribuit. Consentiunt certe in hoc Litterati omnes, quod Rom. Civitas, cum Senatu, Equitibus, & Plebe constaret, ad Ordinum omnium distinctionem tria habere voluerit genera tunicarum: de quibus agit diserte admodum Sigonius his verbis [8]: *Cum ergo omnes Cives Romani tunica uterentur, factum est, ut tunica Ordines distinxerit. Nam Senatores tunicam clavatam induerunt; Plebs rectam & sine clavis. Ut autem latus Clavus fuit Senatorum, sic angustus Clavus Equitum Romanorum*. Quod Manutius ipse sexcenties alibi affirmavit; eximie quidem libro *de Civitate Romana*; sed & homo est, a quo nihil humani, ut cum Terentio loquar, alienum puto. Adde quod etiam ipse

—— quandoque bonus dormitat Homerus [9].

Contra quidem Lælius Bisciola, vir e Societate Jesu ea doctrina præditus, ut a clarissimo Jo. Baptista Sacco eruditionis condum promum audierim appellari, non cum somno scripsit [10]: *Appareat signum fuisse annuli gestationem Equestris Ordinis, ut Senatoris tunicam: cum tamen etiam Senatores gestarint annulos, & suo * Alexandro Mammææ Equites Romani, a Senatoribus Clavi qualitate distincti*. Nec vero ea paucula desiderari patiar, quæ Bayfius in hunc sensum [11]: *Tunica lati Clavi insigne erat Senatorum, Senatumque ab Equite distinguebat*. Porro autem ob eam rem adscripsi ista, ut ne formula in exhibitoriis Edictis usurpata in jus vocarer: quem locum Bayfii dolo malo retines, exhibeas.

SYNTAGMA XII.

Per latum Clavum Senatoria dignitas intelligenda est.

EGO Sexto latum Clavum a Cæsare nostro, ego quæsturam impetravi: meo suffragio pervenit ad jus Tribunatus petendi, quem nisi obtinet in Senatu, vereor ut decepisse Cæsarem videar: locus est Plinii Secundi secundo *Epistolarum* libro epist. 9. De quo si me quisquam hisce verbis in testibus interrogandis solemnibus appellaverit; quæro abs te & volo uti mihi respondeas, quænam mens animi fuerit Plinio, cum se latum Clavum Sexto impetrasse scripsit; quærent illi nullo negotio, atque adeo uno tantum verbo satisfaciam; scribendo non adfui: sed muto dictum, & huic imprimis Scriptori dignitatem Senatoriam per latum Clavum significari contendo. Ejusdem plane sententiæ fuit Suetonius, cum illa in *Vita Vespasiani Augusti* cap. 4. diceret: *Convictus quoque dicitur ducenta HS. expressisse juveni, cui latum Clavum adversus patris voluntatem impetrarat, eoque nomine graviter increpitus*. Non tamen diffitebor me haud parum hærere, an eodem sensu verbum illud Suetonius usurpaverit, cum hoc modo factum quoddam Tiberii in *ejus Vita* cap. 35. narraret: *Senatori latum Clavum ademit, quem * cognovisset sub Kal. Julii demigrasse in hortos, quo vilius post diem ædes in Urbe conduceret*. Nec certe libet iis assentiri, qui sic, *latum Clavum ademit*, interpretantur, ut Senatu eum Senatorem motum fuisse dicant: nec ab illis dissentire placet, qui usu tantum lati Clavi interdictum volunt. Inter quos unus præcipue est Sabellicus [1], vir, ut suis temporibus, satis expolitæ eruditionis: quanquam τὸ adimere latum Clavum non in ista magis, quam in illa significatione proferri posse mihi videtur. Utroque enim modo dictum Romanam sapit antiquitatem. Sed dispiciamus sodes, quid statuat Censor ille, optima lege & sine vitio creatus, P. Manutius [2]: *Sæpe*, ait, *Veteres ita locuti sunt, ut dicerent, Senatori latum Clavum Imperator ademit, aut latum Clavum dedit, cum Senatoriam dignitatem aut ademtam, aut datam significare vellent*. Ejusdem porro, cujus latum Clavum dare, familiæ & gentis erat latum Clavum petere. Quod dicendi genere usus est Gajus [3]: *Nuper ex indulgentia Principis Antonini recepta est alia causa donationis, quam dicimus honoris causa: ut ecce si uxor viro lati Clavi petendi gratia donet, vel ut Equestris Ordinis fiat, vel ludorum gratia*. Neque certe dubium est, quin Librarius Lugdunensis hanc legem sua oblimaverit imperitia, cum *lati Clavi petente gratia* pro *petendi* in sua Editione rescripserit. Quando autem cœpimus de donatione honoris causa dicere, nec quicquam sit, quod auspicium dirimat; ea libet subnectere, quæ in Ulpiani Fragmentis leguntur [4]: *Hoc amplius*, inquit, *principalibus Constitutionibus concessum est mulieri in hoc donare viro suo, ut is ab Imperatore lato Clavo, vel equo publico, similive honore, honoretur*. Nemo profecto, ut hæc a nobis supprimerentur, alio die pronunciasset: cum præsertim Ulpianus eadem prorsus significatione in posteriore hoc loco, atque in priore illo altero Gajus, latum Clavum nominaverit. Sanctissima profecto jura amicitiæ, quæ mihi est cum doctissimo humanissimoque viro, Aquilino Coppino, Regio Artis Oratoriæ Interprete, eximie observarem, si minus laudarem hominem, qui in sua quadam †, ad amplissimum genere & animo Comitem Theodorum Trivultium scripta, sic loquatur ad sensum priscæ eruditionis [5]: *Cum nuper in Medianum a Jo. Baptista Vicecomite, Regii fisci Advocato, invitatus fuissem, cumque ibi dies*

1 Cap. *de Lege Julia* lib. 2. 2 Lib. 1. *de mor. Gent.* cap. 19. 3 Lib. 2. *de Finibus*. 4 Lib. 5. *Sylvarum*. 5 Syntagm. 7. 6 *Orat. pro Sexto*. 7 *Com. in Orat. pro Sexto*. 8 Lib. 3. *de judic.* cap. 20. 9 Horat. lib. *de Arte Poet.* 10 *Horarum subseciv.* lib. 14. cap. 13. 11 Lib. *de Re Vest.* cap. 22.

* Vid. leg. *sub.*

1 *Annot. in Suet.* lib. 4. cap. 35. 2 Lib. *de Senat.* cap. 1. *de ejusd. Orig.* 3 *L. 43. D. de donat. inter vir. & uxor.* 4 *Tit. 7. de jure don. inter vir. & uxor.* 5 *Lib. 4. epist. 16.*

* Rep. *cum*. † Vox *epistola* excidit.

duos jucundissime moraremur, accidit ut alluderem ego ad eam famam, quæ latum Clavum illi destinabat affirmatione constanti: firmavit quidem omen Jupiter; namque paucissimis post diebus ipse Vicecomes lato Clavo donatus a Rege in Senatorium Ordinem fuit cooptatus. Atque ne hoc indictum relinquam, sapientissimus iste ac prudentissimus Senator mentem mihi & animum simul omnium primus injecit, ut hoc Opusculum conscriberem: etenim cum a me togata opera deduceretur, atque ex Jo. Baptista Sormano JC. e selectorum Judicum Collegio præstantissimo, & Mediolanensium Pro-Prætori æquissimo, qui una tunc erat, me Commentarium *de Romana Toga* edidisse intelligeret, dixit: *qui de Toga scripsit, idem scribat oportet de lato Clavo:* tanti igitur viri sive consilium, sive imperium, libens secutus sum, ut qui ab omnibus, Catonis instar, optimus Orator, optimus Senator habetur, optimus quoque Imperator esse videatur; cum id mihi adeo facile persuaserit, quod solo nutu, ut audistis, faciendum imperavit. Verum de his hactenus, ut tandem pro hujus Syntagmatis corollario illud explicemus, quamobrem post diem Kalendarum Julii, quod supra innuimus, conductionum mercedes essent leviores. Ecce autem hujusce rei causam veram ac germanam ego narro; cujus ex *Commentariis in veterum Poetarum Catalecta* hæc, quæ recito, petita sunt: *Ædibus conducticiis migratio fiebat Kalendis Quinctilibus, quia is erat conductionum dies apud Antiquos, ut apud nos dies Michaelis festus;* partim a Sabellico, qui sic *Annot. in eum Suetonii locum* disputat: *Sub id tempus magna pars Civitatis in villas & suburbana loca migrabat, domusque proinde vilius, exonerata Civitate, locari solitas crediderim.* Quem sordidum quæstum secutus ille Senator, dignus creditus est, qui ea ignominia notaretur, hoc est, ut lati Clavi usu privaretur. Quæ res lucem sane præfert non dubiam scire cupienti, quanam causa Martialis [1] Vacerram nescio quem,

—— Juliarum dedecus Kalendarum.

per jocum ac potius contemtum appellarit.

SYNTAGMA XIII.

Per Laticlavios Senatores intelligendi, apud Suetonium præcipue.

EST mihi propositum ostendere hoc capite, quod Senatores apud antiquos Scriptores, Suetonium præcipue, nominentur Laticlavii. Faxit interim bonus Eventus, ut ea res mihi, operique huic meo, & juventuti cupidæ Romanæ antiquitatis, bene atque feliciter eveniat. Nunquam profecto Suetonii Octavium legi, ubi sunt hæc disertim scripta [2], *ne quis esset expers castrorum, binos plerumque Laticlavios præposuit singulis alis;* quin hoc sibi eum voluisse crediderim, ut etiam Senatores, qui solent togatæ pacis esse custodes & architecti, præfecturas in bello ab Imperatore ostenderet accepisse. Verum nemo, qui nec supinus, nec dormitans Suetonium aliquando volutaverit, illud ignorabit, quod solemne illi & antiquum est, ut Senatoribus Laticlavii nomen tribuat. In mundo locus est ejusdem Historici, quo quidem Neronis mores pari licentia notat atque iste vixit: *Nero* [3], inquit, *in ejuscemodi rixis, oculorum & vitæ periculum adiit, a quodam Laticlavio, cujus uxorem attrectaverat, prope ad necem cæsus.* Hic profecto nihil aliud intelligendum puto per Laticlavium, quam Senatorem. Ne quis autem in vincula me & carcerem ducat, quasi temere locutus sim, ex Dionis *Epitome* Xiphilini, tanquam Tribuni auxilium implorabo. Porro Xiphilinus Senatorem, qui facinus adeo præclarum, & ea re non reticendum, nec sine cura dicendum, confecit, hoc nomine appellat [1]: *Julius Montanus, Senator, commotus uxoris causa, facto in Neronem impetu, ei multas plagas inflixit, ita ut per multos dies in conspectum hominum non venerit.* Sed totam persequar narrationem, lepida enim & jocosa adeo est, ut etiam extra ordinem & sine sorte hujus nostri Syntagmatis possit ad verbum decantari [2]: *Quæ res Montano nullum damnum intulit, cui Nero ne iratus quidem omnino fuisset, etsi putabat se injuriam accepisse, nisi ipse veniam per litteras petivisset. Quibus litteris lectis, Nero ita respondit: Non ergo percussor Neronis se ipsum vita jam spoliavit?* Ad hujus rei fidem loquitur etiam Cornelius Tacitus [3], a quo nominatim idem Laticlavius indicatur his verbis: *Julius quidam Montanus Senatorii Ordinis, sed qui nondum honorem capessisset, congressus forte per tenebras cum Principe, quia vim tentantem acriter repulerat, deinde agnitum oraverat, quasi exprobrasset, mori adactus est.* Itaque dubitari non potest, quin per Laticlavium sit apud Suetonium Senator accipiendus. Si quis tamen plura in hunc sensum desiderat suo jure Dionis Historiam adeat ac legat, qua singulariter de Neronis vita moribusque; vel etiam, si libet, Turnebum consulat, cujus certe doctrina & eruditio in Philologorum familia, quasi quoddam lumen, cæteris exstinctis, nimium quantum elucet: atqui homo iste in *Adversariis* [4] suis adeo distincte Laticlavium ex nostra sententia exponit, ut si quis aliuta faxit, omnino sibi tantum canet, & fides erit penes auctorem.

SYNTAGMA XIV.

Latus Clavus pro Senatore aliquando positus.

LAticlavius & latus Clavus ita nonnunquam inter se cohærent significatione, uterque ut possit pro Senatore poni. Quamobrem ne patiar agi in me, quasi per fraudem & injuriam alterum ab altero divellere voluerim, iis, quæ de Laticlavio supra exaravi, hæc adjungam de lato Clavo. Omnibus igitur prædibus & prædiis cautum sit meo periculo, scienter eos facere, qui pro Senatore latum Clavum fuisse a Martiale positum contendunt, cum illud carmen lusit in Gelliam [5]:

Dum proavos, atavosque refers, & nomina magna,
Dum tibi noster Eques sordida conditio est.
Dum te posse negas nisi lato, Gellia, Clavo
Nubere: nupsisti, Gellia, Cistifero.

Etenim ista, vento levior, gloriosa mulier, cum nobilitatem generis sui, famosasque majorum imagines, sic jactitaret, ut pares sibi nuptias negaret futuras, si Equiti nuberet; non nisi certe uni ex

1 *Lib.* 12. *epig.* 32.
2 Lib. 2. cap. 38.
3 Lib. 6. cap. 26.

1 In *Vita Neronis.*
2 Xiphilinus *ibid.*
3 *Annal.* lib. 13.
4 Lib. 1. cap. 2.
5 *Lib.* 5. *epigr.* 17.

Ordine Senatorio, qui dignitate & censu major est Equestri, jungi connubio volebat. Quæ postea in uxorem sive coemtione, sive confarreatione, atque utinam ne tantum usu, a Cistifero ducta, jucundam sane occasionem dedit Poetæ, omnium sine exceptione lepidissimo, in hisce duobus verbis jocandi, *lato Clavo*, & *Cistifero*. Joci autem lepos, vis, & aculeus iis solum feriet aures, qui non ignorant Civitatem Rom. Plebe, Equitibus, & Senatu constitisse; ac triplicem propterea ab Ausonio vocatam. Quorum Ordinum, ut nos alias docuimus, amplissimus est Senatorius, qui ab aliis lato Clavo distinguitur; medius Equestris; infimus vero Plebejus. In hoc autem Cistiferi munia usque adeo levia & humilia sustinent, ut eos tanquam homines despicatissimos, fecem potius plebis quam plebem nominare possimus. Ad rem facit profecto, quod Matthæus Raderus, Martialis Commentariographus, ita scripserit in hunc locum ex sententia Turnebi: *Cistifero, sacrificulo Cybeles abjectissimo, vilissimo: dicebantur Cistiferi a Cista, in qua Cybeles nescio quæ arcana sacra, aut sacrilegia ferebant*. Illud etiam addendum omnino est, quod mihi ita placet, ut probem vehementissime: idem Raderus in corruptis nonnullis Codicibus, ubi non tam contra legem, quam contra sensum carminis, *Celtibero* legitur, reponit ac rescribit *Cistifero*. Non ego tamen veterum codicum lectionem rejicio, in quibus non *Cistifero*, sed *Cistophoro* habetur: ad hunc certe modum ille Martialis versus,

Nubere: nupsisti, Gellia, Cistophoro.

conceptus est in perantiquo exemplari nobilissimi ac ingenii acumine & multiplici facundia præstantissimi viri, Augustini Guaschi, o delicium Phœbi & meum! Sed tandem redeamus illuc unde divertimus: cum Poeta, inquam, videamus & nos stultitiam Gelliæ, quæ aureum Equitis contemnens annulum cum cista latum Clavum commutavit. Quid mirum! hoc est mulieribus familiare, ut pejora quæque, commodis propriis relictis, suo quodam morbo complectantur sequanturque.

SYNTAGMA XV.

Latus Clavus Senatorum & Equitum filiis qua causa concessus.

NOstrum nunc libet sermonem ad id cum bona venia deflectere, ut etiam præter Senatores, quod supra diximus, eorumdem Senatorum filios lato Clavo usos fuisse ostendamus cum Suetonio. Cujus hæc sunt de Cæsare Augusto in *ejus Vita* cap. 38. *Liberis Senatorum, quo celerius Reip. assuescerent, protinus virilem togam, latum Clavum induere & Curiæ interesse permisit*. Ad quem lati Clavi usum tunc etiam puto Historicum hunc nostrum respexisse, cum de Vespasiano Augusto adhuc adolescente sic in *ejus Vita* cap. 2. loqueretur: *Sumta toga virili latum Clavum, quanquam fratre adepto, diu aversatus est: nec ut tandem appeteret compelli nisi a matre potuit*. Observandum igitur est, quod Senatorum filii post togam virilem, ut Marcellus Donatus [1] scribit

A in priorem illum locum Suetonii, assumerent laticlaviam; quo efficiebatur ut ad munia Reip. habiles redderentur. Unde clarum, quid Plinius sibi velit in ea *ad Aristonem epistola* 14. *lib.* 8. dum ait: *Adsistebant Curiæ foribus & Consilii publici spectatores ante, quam consortes erant. Suus cuique parens pro magistro, aut cui parens non erat, maximus quisque & vetustissimus pro parente*. Quod si me, Lector, velis & jubeas, quæ sequuntur, adscribere, morem ego tibi geram non invitus. Jamque audi, & hoc age: „Quæ potestas referentibus? quod censentibus jus? quæ vis magistratibus? quæ cæteris libertas? ubi cedendum?
B „ubi resistendum? quod silentii tempus? quis dicendi modus? quæ distinctio pugnantium sententiarum? quæ exsecutio prioribus aliquid addentium? Omnem denique Senatorium morem, quod fidelissimum percipiendi genus, exemplis docebantur. Itaque justissima causa idem Plinius, a quo ista petita sunt, Juni Aviti mortem deplorat, quia cum adolescente ipso omnis spes de eo suscepta omnino periit. Hominis autem verba hæc sunt [1]. *Observantur* * *oculis cassi labores, & infructuosæ preces, & bonor quem meruit. Tantum redit animo ille latus Clavus in penatibus meis sumtus*. Sed Equitum quoque filiis permis-
C sum aliquando fuisse tunicæ usum laticlaviæ, ex eo facile perspicitur, quod Ovidius Poeta dicit [2],

Induiturque humeros cum lato purpura Clavo.

Et tamen Equitem non Senatorem patrem agnoscit. Liquidæ certe veritatis est, Cornel. Tacitum, tanquam hominem adolescentem Equestri & quasi patricia familia natum, lato Clavo exornatum aliquando fuisse. Etenim hoc suo ipse ore testatur,
D cum dicit [3]: „Non eum diem lætiorem egi, quo „mihi latus Clavus oblatus est, vel quo homo novus & in civitate minime favorabili natus, Quæsturam, aut Tribunatum, aut Præturam accepi: quam nos mihi pro mediocritate hujus quantulæcunque in dicendo facultatis, aut reum posse † defendere, aut apud Centumviros causam aliquam feliciter orare, aut apud Principem ipsos illos Libertos & Procuratores Principum tueri & defendere datur. Hoc autem in loco obiter, *quam nos* ‡ *mihi pro mediocritate*, expungo, &, *quam cum mihi pro mediocritate*, repono, qua ratione sensus, qua etiam ex fide optimi
E & perantiqui codicis Aurelii Bussoli, Philosophi ac Medici cum paucis eximii. Cui quidem amplissimum honorem & soteria maxima debeo, quod sua curatione fecerit, ut frater annuo morbo affectus, ac confectus potius, iterum visus sit

——— *ad lumina surgere vitæ* [4].

Sed ad rem redeo, & addo his, quæ supra diximus, quod Claudius apud Suetonium [5]: *Latum*
F

[1] *Dilucid. ad Suet. lib.* 2. *cap.* 38.

[1] Lib. 8. ep. 23.
[2] Lib. 4. *Trist.* eleg. 10.
[3] *Dialog. de Oratoribus*.
[4] Virgil. lib. 7. *Æneid.*
[5] Lib. 5. cap. 24.

* Rescr. *Obversantur*.
† Leg. *prospere*.
‡ Editio Lips. & aliæ habent, *eos quibus*.

Clavum, quamvis initio affirmasset non lecturum se Senatorem, nisi Civis Romani abnepotem, etiam Libertini filio tribuit; sed sub hac conditione, si prius ab Equite Romano adoptatus fuisset. Cæterum si plura cupis in hanc sententiam, Livium percurras licet in Historia [1]. Is profecto, quale fuerit Bruti Consulis institutum supplendi ex Equestri Ordine Senatus, & abunde satis oratione persequitur, & eam ob rem Equites seminarium Senatus appellat [2]. Eximie igitur & acute fecit doctiss. Lipsius, qui non minus Equitum quam Senatorum filios quasi Senatores appellavit. Locus est in *Admirandis de magnitudine Romana* lib. 4. c. 2. *Solis Senatoribus aut istis quasi Senatoribus jus lati Clavi gestandi erat.* Atque hic quidem cum Justo justam impono Syntagmati clausulam.

SYNTAGMA XVI.

Latus Clavus ab Equitum & Senatorum filiis quando & qua causa depositus.

FUere tamen nonnulla a nobis observata, quæ filios Equitum Senatorumque lato Clavo, vel privabant invitos, vel sponte suadebant abstinere. Porro isti, cum ad eam pervenissent ætatem, qua possent in Senatoribus adscribi, annorum scilicet, ut Sigonius [3] putavit, XXVII. ut vero placuit Fenestellæ [4], tantum XXV. nec illam tamen assequerentur dignitatem, vel quia nollent, otiosam ac tranquillam vitam honoribus anteponentes, vel quia non possent gratia destituti lato Clavo deposito, ut cum A. Manutio [5] loquar, angustum sumebant. Quod ut ratum & firmum fiet, Adrianus Turnebus in *Adversariis* suis lib. 1. cap. 2. hos profert & exponit Ovidii versus [6]:

Curia restabat: Clavi mensura coacta est,
Majus erat nostris viribus illud onus.

Quoniam igitur Poeta se satis non existimabat futurum ad Senatoriam dignitatem sustinendam, latum Clavum cum angusto commutavit: id quod aperte & disertim significat, cum dicit, *Clavi mensura coacta est.* Ea re, Vellejo Paterculo referente [7], fuit C. Mecænas non minus Agrippa Cæsari carus, sed minus honoratus: quippe vixit angusti Clavi pene contentus, nec majora consequi potuit, sed non tam concupivit. De quo mehercule, quasi de rupto & corrupto, ex lege Aquilia agi in Librarium posset, qui voce *minora* pro *majora* posita hunc Paterculi locum turpiter nimis temeravit simul & infuscavit: id quod miror non fuisse notatum ab A. Manutio, qui in hunc Scriptorem scholia dedit apprime docta & erudita. Ego quidem abhinc annos septem, cum apud C. V. Philippum Massinium meum, tunc Ticini, nunc Bononiæ, hoc est, Italiæ universæ Antecessorem primarium, Vellejana ista recitarem animi potius quam ingenii causa, & mendum subesse putavi, & vero etiam, præfiscini

1 Lib. 2.
2 Lib. 33. *Hist.*
3 Lib. *de antiq. jure Rom.*
4 Lib. *de Mag.* cap. 1.
5 Lib. *de quæsit. Epist.* de Tunica.
6 Lib. 4. *Trist.*
7 Lib. 2. *Rom. Hist.*

hoc dixero, legendum *majora* obiter censui. Quam correctionem non laudo, quia mea est; & libens tamen retineo, quia in Varronis Belgii, Justi Lipsii, Notis plane aureis [1] confirmatam nunc ipsam videmus. Ex quo fit, ut tibi, quisquis es qui hæc legis, adclamem prisca sanctionum formula: neve per saturam abrogato, aut derogato. Possem quidem sine fraude hoc caput concludere, atque ad ea respiciens, quæ supra disputavi, pro certo dicere, quod lati Clavi tunica in Senatoribus insigne fuerit dignitatis, ut ita loquar, præsentis: in horum autem & Equitum filiis honoris tantum sperati. Sed libet hujusce tractationis rem meliorem & ampliorem facere cum elegantissimo Radero [2]: „ Latus Clavus, *inquit*, iste insigne fuit amplissimi, hoc est, Senatorii Ordinis, quanquam gesserint eundem omnes, qui vel patre Senatore, vel Equite nati essent, non quidem per omnem ætatem, sed ab anno XVII. quo virilem togam sumebant ad annum ætatis Senatoriæ; quo anno Curiam ingredientibus remansit ejusdem tunicæ jus, addito reliquo jure Senatorio. Sin autem Senatoriam dignitatem non adipiscerentur, aut eandem oblatam recusarent, ut Mecænas fecit, deponebant latum Clavum, & angustum sumebant in reliquam vitam. Atque ut ad reliqua tandem faciamus transitum, in his commode verbis hoc caput deficiet.

SYNTAGMA XVII.

Latus Clavus Pop. Rom. Sociis & amicis datus: a triumphantibus, Præfectis & sacrificantibus sumtus.

UT autem ea, quæ sum in hoc Syntagmate dicturus ad varios lati Clavi usus & indicandos & probandos, magis ac magis valeant, cum Valerio Maximo ominis boni gratia initium faciam: atqui de Africani posterioris humanitate sic ipse testatur [3]: „ A Quæstore suo, hastæ subjectos captivos vendente, puer eximiæ formæ & liberalis habitus missus est. De quo cum explorasset, Numidam esse, orbum relictum a patre, educatum apud avunculum Masinissam, eo ignorante immaturam adversus Romanos ingressum militiam; & errori illius veniam dandam, & amicitiæ Regis fidissimi Populo Romano debitam venerationem tribuendam existimavit. Itaque puerum annulo, fibulaque aurea, & tunica laticlavia, Hispanoque sagulo, & ornato equo donatum, datis, qui eum prosequerentur, equitibus, ad Masinissam remisit. Ex quibus verbis nemo, ut arbitror, non intelligit, tunicam lati Clavi in er ea munera solitam numerari, quibus aliquando Romani amicos Reges, Populos, Socios, & Legatos munerabantur; vero enim simile est, ut ab Africano, donis dilargiendis Masinissæ sororis filio, idem honor habitus sit, atque si ipse fuisset Masinissa, cujus causa habitus est. Si quid tamen de ea re ad Populum, Plebemve, lati opus, Coss. Prætt. Tribb. Pl. qui nunc sunt, quod eis videbitur ad Populum, Plebemve ferant: nos interim illud confirmabimus, quod Romana

1 Ad Paterc. lib. 2.
2 *Comm. in Martial. lib. 5. epigr. 17.*
3 Lib. 5. cap. 1.

Civi-

Civitas Regibus, Populis, & Legatis munera vel daret præsentibus, vel absentibus mitteret. Equidem id verum esse non obscure testatur Livius [1] cum Masinissam refert Regem appellatum, eximiisque ornatum laudibus, aurea corona, aurea patera, sella curuli, & scipione eburneo, toga picta, & palmata tunica a Scipione donatum. Sic alibi [2] etiam, Masinissæ auditis Legatis, dona ampla ait data, quæ ferrent Regi, vasa aurea argenteaque, toga purpurea, & palmata tunica cum eburneo scipione, & toga prætexta cum curuli sella. Laticlavia igitur tunica, cum eadem fuerit, ut nos antea docuimus, quæ palmata, in regiis olim muneribus habebatur. Paulus quidem certe Bellonius, qui & propter eloquentiam & propter Jurisprudentiam a Paulo illo vetere Jureconsulto in bona ingenii & in nomen adoptatus videtur, locum mihi quasi digito commonstravit in eodem Livio: ubi hanc tunicam dono Regibus dari solitam a lato Clavo voluit denominare. Dum autem ego huc transfero hominis verba, tu fac adsis, non animo minus quam oculis: Patres, inquit [3], munera, quæ Legati ferrent Regi, decreverunt, sagula purpurea duo cum fibulis aureis singulis & lato Clavo tunicis, & equos duos phaleratos, bina equestria arma cum loricis. Quia vero idem Historicus [4] Scipionem ipsum, a quo Masinissa his donis complectitur, sic loquentem facit, ut addat verbis honorem, & neque magnificentius quicquam triumpho apud Romanos, neque triumphantibus ampliorem eo ornatu esse dicat; facile crediderim, nec hæsitanter dixerim, quod tanquam victoriæ insigni triumphantes usi fuerint tunica lati Clavi: sed hoc tamen in genere, si quid jus non est rogari, ejus nihilum rogatum sit [5]; cum ego de ejuscemodi re, ut Xenophanes Colophonius de Jove suo, quid putem, non quid contendam, ponam. Cæterum cum Tullus Hostilius Rex lato Clavo, quod diximus alibi, primus Romæ usus sit, non mihi magis quam Aldo Manutio in *Quæsitis suis per Epistolam* [6], dubitandum videtur, quin eadem tunica reliqui Reges usi sint. Illud quidem pro certo habendum est, quod latum Clavum quoque gestarint, referente Lampridio [7], Præfecti Prætorio, quibus Senatoriam concessit dignitatem Alexander. Æquum itaque censeo de Plautiano, Præfecto Cohortibus Urbanis, hoc loco dicere, cujus mentionem factam in hunc modum legimus ab Herodiano [8]: „ Suberant multa, quæ hominem „ ad Imperii cupiditatem inflammarent; opes, „ quantas nemo antea Privatus possederat: „ militum præterea obedientia & apud omnes „ Romanæ ditionis homines maximis hono- „ res: adhæc habitus, quo in publicum pro- „ dibat; siquidem latum Clavum perpetuo ha- „ bebat, atque in secundis Consularibus nu- „ merabatur. Quæ profecto verba ut a Marcello Donato in *Scholiis ad Suetonii Cæsarem* fideliter recitantur, ita omnino aversa ἑρμηνεία exponuntur, cum sic ille dicat [1]: *Pro comperto etiam habemus non solum Senatores, sed & principes alios Viros laticlavo usos in honoris signum; quin imo & mulieres quoque teste Herodiano libro tertio de Plautina scribente.* O rem miram & inauditam nostro sæculo! Plautinam fecit ex Plautiano, ex mare fœminam; & Plautinam præsertim, cuiusmodi nulla est, quæ aut lena aut lupa non sit. De Plautiano igitur viro Urbis primario, ac Severo Cæsari imprimis caro, loquitur Herodianus. Sed hæc hactenus de Regibus & Legatis, de triumphantibus & Præfectis: ad sacerdotia veniamus. Quod autem lati Clavi tunicam sacrificantes quoque vestirent [2], testis esto locupletissimus & pro sexcentis unus Poeta ille, cujus Musis interminata vita permanet, Silius Italicus: is quidem libro, nisi fallor, tertio *de bello Punico secundo* vers. 26. sic cecinit;

—— mos thura dare, atque e lege parentum
Sacrificam lato vestem distinguere Clavo.

Apposite medius fidius ad nostram sententiam & morem veterem. De quo nihil adjiciam alterius cujusquam auctoritatem, cum hac una religiosissimus quisque esse contentus possit.

SYNTAGMA XVIII.

Quisnam Laticlavius, aut Angusticlavius Tribunus diceretur.

LIceat mihi aliquid ex Jurisprudentiæ fontibus in præsentia derivare, quod hortulos irriget mansuetiorum Musarum: etenim hoc præcipue caput erit, quidam quasi compascuus ager Jureconsultorum, Philologorumque: atqui lex sic ab Alexandro Imperatore sciscitur [3]: *Si Ruffinus vir clarissimus, Tribunus Laticlavius, major annis lege definitis, faciens Testamentum te manumisit, justam tibi libertatem competisse scire debes.* In cujus legis explicatione Interpres, quisquis ille fuerit, (libens enim homini parco, qui nolo quempiam traducere) non solum non audiendus est, qui Roman. antiquitatem ignoret; sed ridendus etiam, qui nesciat Latine: *Laticlavius nomen est*, inquit, *dignitatis*: dic quod erat clava de metallo, quam projiciebat Tribunus inter confertissimos hostes, & sic cæteri omnes fortiter pugnabant, ita quod illam recuperabant [4]: o mera portenta, monstra linguæ & ingenii! omnino digna sunt, quæ non solum hujus certi loci interdictione multentur; sed quæ aut insulæ vinculo in Barbarorum quasi Cycladas deportentur, aut longa fuga ex Jurispruden-

1 Lib. 30. *Hist.*
2 Lib. 31. *Hist.*
3 Livius lib. 30. *Hist.*
4 Ibidem.
5 Ant. Riccob. *de Hist. Comment.*
6 Lib. 2. epist. 2. *de Tunica*.
7 In *Vita Alex.*
8 Lib. 3. *Hist.* cap. 35.

1 Cap. 45.
2 Vid. Festus Avienus Rufus in *descript. Orb. terr.*
3 L. 4. C. de Testam. milit.
4 In eand. leg. Gloss.

tiæ Regno ad sempiternam damnentur oblivionem. Contra vero Guidi Pancirolli interpretatio, qua in *Variis Lectionibus* [1] verba explicat hujus legis, amplectenda est: *Namque Laticlavios*, inquit, *Senatores legionum Tribunos appellat*: quod mire facit ad id comprobandum; quod nos supra [2] de Laticlaviis in quemdam Suetonii locum diximus: quippe latum Clavum gerebant etiam, ut cum Radero [3] loquar, Tribuni militum: quorum alii Laticlavii, alii Angusticlavii minoris dignitatis illis Laticlaviis. Verum suam quoque hac de re sententiam proferat summus ille Homerica appellatione Juris & politiorum litterarum ἀςεροπαῖος, Jacobus Cujacius, atque hominem profecto, qui primus omnium rogandus erat, nunc ita rogo, ut ipse dicat, quasi ex centuria sit, ni quis scivit: *Ecce autem pro qualitate Clavi, quo utebantur, alii*, inquit [4], *Tribuni militum Laticlavii, ut ille Ruffinus, de quo* l. 4. Cod. de Testamento milit. *alii Angusticlavii: Senatores omnes Laticlavii, Equites Angusticlavii*. Itaque omnino vir ille fuit Ordinis Senatorii, de quo Tiburi ad S. Pauli, teste Pancirollo [5], inscriptio legitur in hunc modum concepta:

C. POPILIO. TR. LATICLAVIO.
LEG. III. CYRENAICÆ.

Nec vicissim dubitandum est, quin Tribunus Angusticlavius is diceretur, qui ex Equestri Ordine esset, & propterea minoris, ut ait Cujacius, dignationis quam Laticlavius, hoc est, ex Senatorio Ordine Tribunus. Ad hominis autem præscriptum, ne dicam imitationem, dixit Marcellus Donatus [6]: „ Cum Tribuni „ militum alii Senatorii essent Ordinis, alii E„ questris Ordinis, ad Tribunatum evecti illi „ latum Clavum, hi angustum Clavum indue„ bant: unde Tribuni si qui erant majoris di„ gnitatis Laticlavii dicti, qui minoris, An„ gusticlavii. Fuit igitur Suetonii Tranquilli pater Eques Romanus, cum de illo his verbis fiat mentio [7], *interfuit huic bello pater meus Suetonius Lenis tertiæ decimæ Legionis Tribunus* (ut est in emendatis Codicibus) *Angusticlavius*: mendose enim legitur *Augusticlavius*. Quem locum ex eo corruptum esse suspicatus sum, quod M. Antonius Sabellicus sic scribat in suis *Commentariis in Sueton. Augustum*: *Si ad Octavium Augustum id referas, ætas vix competet, ut sub Othone Tribunus adhuc esset: vel si ita accidit, certe jam grandem natu tunc esse oportuit*. Cum hæc igitur postrema desiderium commovissent mihi veritatis inquirendæ, ad Ambrosianam Bibliothecam, sedem illam Musarum elegantissimam, ab amplissimo Federico Borromæo Cardinali constructam, confugi; ego enim tunc Mediolani, in illa Italiæ urbe & Orbis ocello, eram Collegii Calchii Rhetor: illuc præcipue a Triumviro prudentissimo Paulo

1 Lib. 2. cap. 8.
2 Syntagm. 13.
3 *Comment. in Martial. lib.* 5. *epigr.* 17.
4 Lib. 12. *Observ.* cap. 29.
5 Lib. 1. *Var. Lect.* cap. 13.
6 *Dilucid. ad Suet. lib.* 2. *cap.* 36.
7 Lib. 8. cap. 11.

A Ambrosio Gerardinio invitatus; cui quidem Collegio duo maxima ornamenta non ita pridem accessisse, ut gratulor, ita gaudeo; quod ejus scilicet perpetui Administratores candido ac læto omine creati fuerint præstantissimus Comes Constantius Taberna, & nobilissimus vir Balthazar Barzius. Itaque, ut ad rem redeam, doctissimus vir Antonius Olgiatus, ejus loci Præfectus, ex forulis mihi Suetonii exemplum curavit, in quo non *Augusticlavius*, ut vulgo fere in omnibus legitur, sed, ut mihi probatur, *Angusticlavius*; sed & Typographus Lugdunensis, qui Suetonium ab humanissimo B viro Francisco Cagnolio, JC. & in S. Ambrosii Canonico, dono mihi datum excussit, typis suis tanquam Urbe summovit *Augusticlavium*, ut *Angusticlavium* in civitatem reponeneret. Cum qua emendatione recte consentit Codex immortalitate dignissimi viri Francisci Cicereii, vulgo Cisarini, manu correctus, quem mihi ex grandi sua & eleganti Bibliotheca utendum dedit Henricus Arsagus, JC. Patritius Mediolanensis, ac vir imprimis ea cognitione legum, ea doctrina, eaque vitæ integritate præditus, ut plane temporibus nostris exemplum antiquitatis esse videatur. C Quæ omnia si cum Sabellici verbis conjuncta perpendantur, Criticorum censoriam notam effugere non potest Pancirollus [1], qui ad eum Suetonii locum nescio quem Augusti Laticlavium admittit. Gravius tamen nihil ipse pronunciabo, ne malam gratiam reddere homini videar, qui plurimum de nobis, Opusculum istud conscribentibus, benemeritus est doctrina sua.

D

SYNTAGMA XIX.

Latus Clavus belli tempore depositus; sedato bello iterum sumtus.

QUando autem ea omnia, quæ ad lati Clavi usus pertinere videntur, exponere nobis ipsi proposuimus, non feram ut quicquam omnino sciente me indictum relin- E quatur. Itaque hoc loco dicemus, quod licet Tribuni Militum fuerint in castris cum lato Clavo, nullus tamen ex quovis Ordine civis tempore belli ejusdem lati Clavi tunicam intra Urbis mœnia induerit. Tunc enim per Senatus consultum mos fuit tumultum decerni, justitium edici, & saga sumi in universa Civitate. Quare Livius de clade ab exercitu Romano accepta, deque Caudina pace disputans, „ Ad famam, *inquit* [2], obsidionis de„ lectus haberi cœptus erat: dimissus deinde „ auxiliorum apparatus, postquam deditio„ nem tam fœde factam acceperunt: extem„ ploque sine ulla publica auctoritate concesF „ sus in omnem formam luctus est. Ta„ bernæ circa forum clausæ, justitiumque in „ foro sua sponte cœptum prius, quam

1 *Thes. Var. Lect.* lib. 2. cap. 22.
2 Lib. 9. *Rom. Hist.* cap. 7.

„ indictum: lati Clavi, annuli aurei positi: „ pæne mœstior exercitu ipso Civitas esse. „ Hunc quoque morem lati Clavi in tumultu deponendi sic Dion, Catilinæ conjurationem persequens, innuit [1]: „ His rebus permoti „ Romani vi ipsum egisse judicaverunt: An- „ toniumque Consulem, ignari eum in parte „ conspirationis esse, ad bellum Conjuratis fa- „ ciendum emiserunt, ipsi vestem mutaverunt. Non ausim tamen dicere quod per mutationem vestis latum Clavum depositum fuisse intelligendum sit in eo Ciceronis loco ex *Oratione post reditum* in Senatu habita: Vos me flo- „ rentem semper ornastis: laborantem mutatio- „ ne vestis & prope luctu vestro, quoad li- „ cuit, defendistis; nostra memoria ne in suis „ quidem periculis mutare vestem solebat: in „ meo periculo Senatus veste mutata fuit. Vere dicam, mihi non liquet quid statuendum sit, namque Romana Civitas in luctu & adversis rebus, ut arbitror, togæ tantum colorem mutabat: in bello autem non solum * relinqui Cives Senatus auctoritate saga induebant pro togis; sed ipsi Senatores etiam latum Clavum deponebant [2]. Itaque in eo faciles sumus ut Ciceronis causa Romanos Cives atratos toga fuisse credamus: in hoc contra difficiles, ut sagatos incessisse putemus. Integrum cuique tamen & liberum esse volo, ut quam malit opinionem hanc suo jure teneat, hanc sequatur. Quæ utinam sit ejuscemodi, ut ab intelligentibus antiquitatis æstimatoribus, quorum de ea re notio est, enucleato suffragio possit confirmari. Sed o meam nimis mala fide memoriam! id minimo minus præterieram, quod disertim in hunc sensum scripsit clarissimus ille antiquæ eruditionis & Jurisprudentiæ veteris assertor, qui me quasi Mystagogus sua manu duxit ad formularum sacra, Barnabas Brissonius [3] meus: hominis igitur verba, quæ nunc in mentem redierunt, recitabo: „ Duplicem sane fuisse vestium mu- „ tationem observandum est: in luctu unam; „ in bello, seu potius tumultu, alteram: in „ illa solus color togæ mutabatur; in hac to- „ gæ sagis mutabantur: per illam atrata, per „ hanc sagata Civitas erat. Ad id tandem venio, quod statim depulsis periculis, quorum terrore facta fuerat mutatio vestis, lati Clavi ac togæ usus renovaretur. Cum certe M. Tullius narrat [4] Consulem edixisse, ut ad suum vestitum Senatores redirent, hoc sine ulla dubitatione significare vult, quod iidem latum Clavum in tumultu depositum, sumere iterum juberentur. Quod autem referat Dion [5] vestes a Romanis occiso Catilina, tanquam omni malo liberatis, mutatas fuisse, id ego ita interpretor, ut non magis reliquos Cives ad togam, quam Senatores ad suum vestitum existimem rediisse. Plura huc non congeram, sed Syntagma potius universum in compendium cogam, illud affirmans constantissime, quod fuerit latus Clavus in tumultu depositus; eo vero sedato iterum sumtus. Quanquam quid obstat Veterum morem ad præsentia tempora atque ad litteratorum imprimis hominum desideria transducere? si istud profecto bellum, quod abhinc annos v. in Italia excitatum maxima cum exercituum clade, ac pœne incredibili urbium & oppidorum vastatione exarsit, tandem aliquando exstingueretur, non dubium est quin a sago ad togam & latum Clavum, hoc est, ut ego interpretor, a Marte ad Minervam sint omnes facile discessuri. De me tamen nihil dico, quem, præter communem belli calamitatem, vis quædam maior totum adeo misere contudit, ut non solum speratam qualis qualis ingenii mei fæcunditatem, sed ipsas etiam ad aream spectantes fruges, suppresserit. Tantum igitur de aliis loquar: quod si cum Rege nostro Itali Principes velint non castrensi paucorum dierum, sed pia ac æterna pace amicitiam firmare, viri quidem Mercuriales, Jano clauso, Bibliothecas suas recluderent, & nunc panderent magis ac magis,

—— *Helicona Deæ, cantusque moverent* [1].

Non enim homines ad bonarum artium studia excitantur, feruntur ve libentes, volentes, nisi cum positis armis, suus litteris honos habetur, ac sua etiam redeunt Litteratis ornamenta. Hoc autem ut propediem eveniat, tu, ad te enim converto orationem meam, tu facies, Regum maxime Philippe, quem dum Regem habemus, omnia habemus, securi sumus, neminem timemus: vere dicimus, jurati dicimus. Quamobrem illum ego immortalem Deum, qui Austriacam Gentem Religionis præcipue causa in amplissimum Orbis terrarum fastigium extulit, publica voce obtestor ac veneror, ut te servet, qui te nobis dedit; te conservet, qui te Regem fecit; ac demum te protegat, qui per te salvam Italiam voluit, & nos salvos in Italia.

Quod felix, faustum, fortunatumque sit, nostrum istud de Senatorum lato Clavo Opusculum ad eum finem, quem mihi non transeundum præscripseram, tandem aliquando perduximus. In quo si tantum suo mihi favore posteritas erit propitia, quanta ego cum diligentia ac fide Romanarum de lato Clavo antiquitatum hasce reliquias & quasi ossa collegi, pretio satis amplo vigilias & lucubrationes meas fuisse redemtas putabo: nec mihi certe, ut ait Poeta [2], usque adeo est cornea fibra, ut scriptiones meas non audiam libens probari: quanquam nec illud abhorreo, ut [3]

—— —— *doctior alter*
Addat supremam laude sequente manum.

1 Lib. 37. *Rom. Hist.*
2 Ant. Riccobonus Comm. de Hist. ex L. Sesennæ Hist. lib. 3.
3 Lib. 2. *de Form.*
4 Orat. post reditum.
5 Lib. 37. *Rom. Hist.*

* Rest. *reliqui*.

1 Virgil. lib. 3. *Æneid.*
2 Persius *Sat.* 1.
3 Symmachi *Notograph.*

Si quid præsertim vel imprudenter omissum, vel negligenter dictum sit, atque adeo sine fuco ac fallaciis more Majorum loquar, hoc volo,

Sciant omnes,

A

non vulgarem illos a me gratiam inituros, qui Libellum hunc meum, vel illustrando meliorem, vel augendo majorem aliquo modo reddere voluerint.

F I N I S.



HIERONYMI BOSSII,

TICINENSIS,

CIVIS NOBILIS ET PATRICII ROMANI,
ATQUE IN PALATINA ACADEMIA
REGII ELOQUENTIÆ PROFESSORIS,

ISIACUS,

SIVE DE

SISTRO

OPUSCULUM.

1622. die 4. Martii
Imprimatur,

Fr. Franc. Vic. Rosæ, & S. Inquisitionis Mediol.

F. Aloysius Bariola pro Illustriss. D. Cardinali Archiepiscopo.

Vidit Saccus pro excellentiss. Senat.

PERILLUSTRI ET REVERENDISS. VIRO,

ANGELO MARIÆ ALCHISIO,

Bagenſi Abbati, & Generali ſacræ Olivetanorum Familiæ ex-Præfecto,

HIERONYMUS BOSSIUS

S. P. D.



Acultates animi & ingenii tui ſingulares, quibus Præſulum fere omnium & Purpuratorum Principum oculos, cum Romæ eſſes, in te convertiſti, ac idem etiam retinuiſti, non te quidem, ALCHISI ampliſſime, in iſto Bagenſi ſeceſſu latere omnino patiuntur. Nec dubium eſt, quin illis ducantur primarii nobilitate & dignitate viri, qui licet ad Reipub. gubernacula ſedeant, iſtuc ſæpiſſime, quartum procul ab Urbe lapidem, tui unius ſive videndi, ſive colloquendi cauſa confluunt: iis præcipue diebus, quibus ſtatum aliquod, aut extra ordinem indicitur juſtitium: etenim nulla re alia magis delectari videntur, quam conſuetudine & ſermonibus tuis; in quibus profecto non tam mella quam prudentiam Homerici Neſtoris agnoſcere ac ſimul deguſtare quilibet poteſt. Præterquam quod ea tua fuerit ſemper morum integritas, & rerum agendarum ſive facilitas, ſive felicitas, ac prudentia; ut cum ſummo totius *Olivetanæ Familiæ* plauſu in ipſo pæne virilis ætatis veſtibulo ABBAS: mox vero etiam Provinciæ Inſubricæ Luſtrator, ſive, ut vulgo dicitur, VISITATOR, fueris renunciatus. Quibus ſane in Magiſtratibus te ita geſſiſti, ut qui natus in exemplar inculpatiſſimæ vitæ ac percauti & diligentiſſimi Gubernatoris videbare, idem quoque, ob longe maximas ſpes de te conceptas promerueris feliciſſima acclamatione Generalis Præfectus ſalutari. Nec eorum certe Virorum dignitate & ſapientia præſtantium opinionem, qui te ad ſupremam illam dignitatem promovere, fefelliſti: niſi quod tuorum præclare factorum multitudo, atque magnitudo, longe eam ſuperaverit. Porro autem cum in omni bene conſtituta Republica, & præcipue ſacra, annorum bonitas non tam de magnis fructibus, quam de bonis Principibus, æſtimari ſolita ſit; biennium ſe illud beatiſſimum egiſſe Monachi Olivetani profitentur, quo te Præſulem ac Rectorem habuerunt. Quamquam plura in hoc genere non ego dicam de te; quem non ex eorum numero eſſe ſcio ac centuria, quos Bion apud Plutarchum facit amphoris ſimiles, quod auribus facile circumferantur. Miſſis igitur iis, quæ tuæ Olivetanæ Familiæ notiſſima ſunt, illud non reticebo, quod præſtantiſſimum & eximium te ſemper & ubique gentium præſtes, qua de re tibi cunque diſputandum ſit. Non ergo te certe unquam de ſacro Chriſtianæ Reipub. imperio, de ΤΗΣ ΠΟΛΙΤΙΚΗΣ ΒΑΣΙΛΕΙΑΣ adminiſtrandæ ratione, de civium moribus, de cælorum motu, de infixis cælo ſideribus, de inerrantium ſtellarum curſu & progreſſionibus, de rerum natura, ac demum de ipſomet Deo differentem exaudio, quin ſummam tui ipſius mi-

hi facias admirationem. Quod si vera dicenda sunt, in tuas ego partes sic raptus sum tuarum disputationum suavitate, varietate, & elegantia, ut omne tempus perire mihi arbitrer, quo tecum esse non possum quotidiana scriptione ac munere imprimis Palatino occupatissimus. Præsertim cum tuis illis ingenii bonis hoc & addi non ignorem, quod non minus ipse in amœniore Philologia excellas, quam qui ætatem in ejus studio universam consumserunt. Quamobrem si Philologum de *Sistro Isidis* Opusculum, quod homo ipse ad litteras & Memorias veteres deditus conscripsi, ac idem tibi dicare volui, libens volens exceperis, nullum erit omnino aliud operæ pretium, quod ultra a me fieri posse discupiam: etenim & meam erga te propensam voluntatem satis ejuscemodi Libello significatam, si minus declaratam, existimabo: & nimium etiam quantum de hoc lætabor, quod Opusculum ei viro inscripserim, qui de antiquario isto argumento, deque nostra scribendi ratione, omnium optime censere poterit. A cujus sane præjudicio nihilum quidem esse judicia Criticorum discessura mihi ipse persuadeo. Ita est, ALCHISI amplissime, post te nullam verebor cujusquam acidæ linguæ hominis intercessionem: post te, inquam,

— judicium timebo nullum.

Quin imo ab iis omnibus albos suffragiis lapillos mihi tua causa facile polliceor,

*— quis cor * finuante Minerva*
Acrius & tenues finxerunt pectus Athenæ.

Quia vero eam esse tuam erga me humanitatem scio, ut omnia, quæcunque a me proficiscuntur, probare solitus sis, mihi facile futurum recipio, ut si minus hæc scriptio propter meam aut styli aut eruditionis humilitatem ingeniis quorundam ad aliena probanda fastidiosorum, satisfaciet; tua sit eidem auctoritas plurimum splendoris allatura, ac defensura imprimis ab horum sinistra dicacitate & malevolentia. Pro cujus sane beneficio & ornamento, me tibi jam nunc profiteor tantum debere, ut ab hujus obligationis nexu nonnisi altero beneficio, novarum tamen Tabularum, non tuo, me posse unquam sperare liberari. Tu interim vale, & faxit Deus O. M. ut alicujus ΤΗΣ ΕΠΙΣΚΟΠΗΣ infula exorneris, aut (quod calidius cupio & voveo) ut

— te bis Afro
Murice tinctæ
Vestiant lanæ 1

Iterum vale, & me, ut facis, amare perge. Ex ædibus.

1 Horat. lib. 2. *Carm.* od. 16.

* Rest. *limante*, ut habent omnes Martialis Editiones, quotquot vidi; locus autem est *lib. 6. epigr.* 64.

HIERONYMI BOSSII,

TICINENSIS,

CIVIS NOBILIS ET PATRICII ROMANI, ATQUE IN PALATINA ACADEMIA REGII ELOQUENTIÆ PROFESSORIS,

ISIACUS,

SIVE DE

SISTRO

OPUSCULUM.



Requens admodum apud majorum gentium Scriptores, sive illi Poetæ sunt, sive Philologi, de Sistro mentio. Quod tamen quale sit, non tam quæri & dubitari a multis solet, quam adhuc plane videtur ignorari. Etenim alius alio modo, & alius pariter alia forma pro suo sensu definit ac variat, proque sua libidine describit ac format. Quare facturum me arbitror operæ pretium, si quæ fuerit germana & vera Sistri descriptio, quam maxima potero diligentia perquisivero. Nec parum certe ab iis omnibus, qui Romana delectantur antiquitate, de ejuscemodi opera amabimur, si quantum utilitatis hæc res sit ipsis allatura cognoscent, cum ad Poetas, tum ad Historicos & Philologos, quam plurimis in locis explicandos.

Quoniam vero Sistrum instrumentum fuit, quo Sacerdotes in Isidis sacro utebantur, libet nonnulla de ipsa Dea præloqui, ex quibus non tam Sistri species, quam interpretatio omnis pendet ac desumitur. Neque tamen ab ovo gemino, ut fertur, exordiar; sed prudens sciens mittam antiquum Ius nomen, amores Jovis, Junonis iras, juvencæ formam, & Argi demum custodiam; illud tantum dicam, quod Io tantopere Ægyptiis, ad quos perfugerat, & apud quos Osiri nupserat, in amore fuerit & reverentia, ut eam, facto novo Isidis nomine, tanquam Deam coluerint, ac eidem etiam sacrificia Isiaca decreverint, in quibus anser consueverat immolari: id quod factum a nonnullis perhibetur, ut gratam se Gens illa utrique præstaret, quæ ab Iside litteras, & ab Osiri varias artes fuerat edocta. Quamobrem Franciscus Rugerius meus, vir plane in Philologorum Republica Consularis, prudenter ac simul scienter fecit, qui in *anti-Boccalino* suo, ad Jo. Georgii Trissini defensionem scripto, Isidem Ægyptiarum litterarum inventricem nominavit. Sed & Romani, cupide nimis Ægyptios æmulantes, utrumque in suis indigitamentis adscripserunt, *quos tamen ante*, ut *Apologet.* cap. 6. Tertullianus inquit, *Capitolio probibitos inferri, id est, Deorum Curia pulsos, Piso & Gabinius Consules, non utique Christiani, eversis etiam aris eorum, abdicaverant*. Cujus rei causa Quirites ab Arnobio non leviter reprehenduntur: quanquam ab eodem pene etiam ex-

A cusantur, cum lib. 2. *adversus Gentes* ait: *Nondum affulserat, qui viam monstraret Errantibus, & caligine in altissima constitutis cognitionis lumen immitteret, & ignorationis discuteret cæcitatem*. Romani igitur postquam Isidi honores divinos decreverunt, templum illi in Campo Martio posuerunt, unde Campensis Isis appellata ab Apulejo. Præterquam quod aras eidem ad Bassiani Thermas & in Exquilina regione consecrarunt. Pompam vero, qua sacrum Isidi perageretur, longe melius, quam Apelles Megabyssi Sacerdotis Dianæ Ephesiæ pompam fertur pinxisse coloribus, verbis expressit lib. 11. Platonicus in *aureo Asino* Philosophus: e quo B tamen, non paucis de industria missis, hoc mihi satis ad rem meam petere: *Influunt turbæ sacris divinis initiatæ, viri, fœminæque omnis dignitatis & omnis ætatis, linteæ vestis candore puro luminosi: illæ limpido tegmine crines madidos obvolutæ; hi capillum derasi funditus vertice prænitentes, magnæ religionis terrena sidera, æreis & argenteis, immo vero aureis etiam Sistris argutum tinnitum constrepentes: & Antistites sacrorum proceres illi, qui candido linteamine cinctum pectorale ad usque vestigia strictum injecti potentissimorum Deum proferebant insignes exuvias*. Quippe ex iis liquido constat, C quam scienter eleganterque *liniferi calvi, sistrataque Turba* a Martiale * dicantur Isidis Sacerdotes; quia scilicet pice depilati & rasi, quia cum linteis & Sistro Isidi operarentur. Verum si Apuleii verba & Poetæ carmen diligentius considerentur, non poterit non refelli Isidorus, qui lib. *Orig.* 3. capite 21. de Sistro sic loquitur: *Hoc mulieres percutiunt, quia inventrix hujus generis est mulier*. Quasi vero fœminæ, non homines, Sistrum pulsarent. Atque adeo Apulejus crepitaculum istud in solis virorum ponit manibus. Quamquam non ego inficior, mulieres etiam Sistro aliquando usas fuisse, cum Regina Cleopatra apud Virgilium *Æneid.* lib. 8. D vers. 696.

—— *in mediis patrio vocet agmina Sistro.*

Præsertim cum hac de re luculentum ac firmum tribuat testimonium M. Annæus Lucanus hoc carmine lib. 10. *de Bello Civili* vers. 62.

Hesperios auxit tantum Cleopatra furores.
Terruit illa suo, si fas, Capitolia Sistro,
Et Romana petit imbelli signa Canopo,
Cæsare captivo Pharios ductura triumphos.

* Lib. 12. epigr. 29.

Sed ecce tibi hoc obiter observandum, non in sacris tantum Isidis, sed in bello etiam Sistrum adhibitum fuisse ab Antiquis: eadem scilicet plane ratione, qua nostris Christianorum hominum temporibus æneo illo instrumento, quod tubam nominamus, & classicum canitur, & populus ad supplicationum pompam convocatur; aut quidem certe in ipsa pompa ad pietatem magis ac magis excitatur. In ejuscemodi vero sacris Isidis referebant indagationem, qua filium amissum quærebant Isidi natum: id quod non tam recensetur, quam irridetur in hunc modum a M. Minucio Felice in *Octavio* cap. 21. *Isis perditum filium cum Cynocephalo suo & aliis Sacerdotibus luget, plangit, inquirit: & Isiaci miseri cædunt pectora, & dolorem infelicissimæ matris imitantur: mox vero invento parvulo gaudet Isis, exsultant Sacerdotes, Cynocephalus inventor gloriatur; nec desinunt annis omnibus vel perdere quod inveniunt, vel invenire quod perdunt. Nonne ridiculum est, vel lugere quod colas, vel colere quod lugeas? Hæc tamen Ægyptia quondam, nunc & sacra Romana sunt.* Hinc certe est, quod Seneca Philosophus in homines ejuscemodi ineptiis delirantes sic lib. *de beata Vita* cap. 27. despuat: *Cum sistrum aliquis concutiens ex imperio mentitur: cum aliquis secandi lacertos suos artifex, brachia atque humeros suspensa manu cruentat: cum aliquas genibus per viam repens ululat; laurumque linteatus senex, & medio lucernam die præferens conclamat, iratum aliquem Deorum; concurritis, & auditis, & divinum esse eum, invicem mutuum alentes stuporem affirmatis.*

Pausanias tamen, Scriptor haud sane contemnendus, non ad filii amissi indagationem, sed ad Osiridis perquisitionem hoc factum referri videtur. Fuit autem Isidis maritus Osiris, quo mortuo juravit illa nulli se deinceps nupturam, prout Herodotus, Diodorus, Eusebius, alii. Cum Osiris igitur a Typhone frater clam occisus fuisset, ab ipsa Iside diu quæsitus, & frustra quidem, maximis cum lacrymis, fuit. Quem tamen apud Phialam juxta Syenem laceratum tandem aliquando invenit Isis, ac eundem sepeliendum curavit in Abato Insula ejus paludis, quæ Memphi proxima est. Hanc vero Insulam exinde Stygem, id est, mœrorem, appellavit, nec nisi Sacerdotes certis diebus, eosque mitratos, eo accedere voluit. Sed tandem Pausaniam in *Bœoticis* audiamus: *Ægyptios*, ait, *Isidi festos dies celebrare, qua anni parte lugeri ab ea Osirim dicunt: ac per illos sane dies incipere Nilum excrescere, quo fit ut incolarum turba dictitet, augeri Nilum, atque impleri, lateque ex eo arva irrigari Isidis lacrymis.* Quamobrem falluntur ii, & toto aberrant cælo, qui Veteres arbitrantur usos fuisse Sistro in funerum pompa, quia Lucanus sic aliquando lib. 8. *de Bello Civili* vers. 831. cecinerit:

Nos in templa tuam Romana accepimus Isin,
Semideosque canes, & Sistra jubentia luctus.

Quippe nemo non videt Poetam hoc versu respexisse ad ea ipsa, quæ Minucius Felix, quæ Seneca, quæ Pausanias, de Iside & Isiacis, Osirim cum lacrymis perquirentibus, aut perquirere quidem certe simulantibus, conscripserunt. Hoc autem eo magis confirmari a nobis potest, quod idem Poeta duobus superioribus carminibus hæc duo altera lib. 8. *de Bello Civili* subjungat:

Et quem tu plangens hominem testaris Osirim;
Tu nostro Ægypte tenes in pulvere Manes.

Nec vero dubitationi locus est, quin ad Isiaca sacra Claudianus alluserit *Panegyrico in* 4. *Consul. Honorii* vers. 569. cum dixit:

——— *numina Memphis*
In vulgus proferre solet: penetralibus exit
Effigies; brevis illa quidem; sed plurimus infra
*Liniger, imposita suspirans voce * Sacerdos*
Testatur sudore Deum: Nilotica Sistris
Ripa sonat, variosque modos Ægyptia ducit
Tibia; submissis admugit cornibus Apis.

Sed hæc hactenus de sacris Isidis, deque Sistratis Isiacis: ad alia pertranseamus, quæ ad ipsam Deam præcipue ac singulariter pertinent. Non Sacerdotes solum Sistrati erant, sed Isis etiam cum Sistro pingebatur. Quare Valerius Flaccus lib. 4. *Argonaut.* vers. 418. sic de ea loquitur:

Aspide cincta comas, & ovanti persona Sistro.

Per istud autem crepitaculum in manu Deæ positum aliud nihil significatur, quam, ut Beroaldus *in Apulejum* scribit, accessus Nili, qui fluvius est Ægypti nobilissimus. Sed non ego unius Flacci contentus auctoritate, Juvenali testimonium denuncio, ut Isidem Sistratam asserat. Quem audite, sodes, cum in meum sensum sic *lib.* 5. *satyr.* 13. vers. 92. adclamet:

Decernat quodcumque volet de corpore nostro
Isis, & irato feriat mea lumina Sistro.

Hoc amplius audi, & attende, ut sententiam plenius Poetæ assequaris: dixit, *feriat mea lumina*, quia Veteres vana quadam superstitione ab hac Dea una cum Harpocrate credebant morbos corporibus immitti, cæcitatem inferri, ac ipsa etiam corpora hydropisi & aliis affici intercutibus morbis: quæ observatio non mea, sed Juvenalis Interpretum, ac unius inprimis Eilhardi Lubini, qui ad eandem superstitionem respexisse Persium asseverat *satyra* 5. hoc carmine:

Tunc grandes Galli, & cum Sistro lusca sacerdos
Incussere Deos inflantes corpora, si non
Prædictum ter mane caput gustaveris alli.

Adde his, quod etiam Ægyptus fuerit cum Sistro figurata. Talem quippe nunc nuper vidimus in duobus numismatis, quorum alterum ex ære mihi dono dedit elegantissimus, & idem eruditissimus JC. & Advocatus Mediolanensis præstantissimus, Jacobus Valerius: alterum ex argento largitus est singularis vir humanitatis Jo. Antonius Castillionæus pariter JC. In utriusque autem adverso orbe imago est Hadriani Cæsaris cum hoc dicto, quadratis litteris adscripto, HADRIANUS AUG. COS. III. P. P. in averso Ægyptus sub specie mulieris jacentis, quæ sinistra manu ac brachio cistellam premit variis repletam fructibus; dextera ostentat Sistrum ovalis formæ manubriatum: prope vero jacentis Ægypti pedes quadrata basis, super qua Ibis est avicula: in superiore orbis apside litteris scriptum legitur majusculis, AEGYPTOS, in inferiore, S. C.





* Rep. *veste* vel, ut alii, *vecte*.

Eadem plane forma, nisi mea me fallit memoria, in suo *Commentario de Toreumatis* pagina CCLXXI editionis Venetæ, Sebastianus Erricius Hadriani numisma descriptum posuit: qui tamen neque Sistrum, neque Ibin agnovit; aut neutrum quidem certe proprio scivit nomine appellare. Porro autem fuit hoc numisma ea figura percussum ad sempiternam illius itineris memoriam, quo Hadrianus per Judæam in Ægyptum transivit: id quod Dio in *ejus Vita* testatur.

Verum jam satis arbitror ostensum, & simul probatum, quod Sistrum instrumentum fuerit Sacerdotum Isiacorum, ac insigne etiam ejusdemmet Deæ, ac Ægypti. Nunc libet explicare quidnam illud esset ab etymologia. Sistrum igitur *ἀπὸ τοῦ σείειν*, quod est *quatere* & *percutere*, dicitur; propterea quod concussum manibus argutum sonorumque edit tinnitum. Ita quidem Sistri nomen Joannes Fungerus in *Etymologico*, & Eihardus Lubinus *Comentariis in Persium*, interpretatur. Confirmat hanc notationem Jurisconsultus eruditissimus Alexander ab Alexandro *Genial. Dier.* lib. 6. cap. 8. cum ait: *Sistrum est æneum crepitaculum, quod non spiritu, sed motu concussum personat*. Minus quidem vere locutus est Guarinus Veron. *Vocab. Brevil.* V. *Sistrum*, qui Sistrum a sisto, sistis, deductum voluit: quamquam non in sententia diu permansit, qui desultorie illuc iit, ut modo ab inventrice sic appellari dicat, modo sic Ægyptiaca Lingua pronunciet nominari. Quorum sane alterum nec probo, nec damno, quia Ægyptiace nescio; nec valde assentior Hadriano Junio *Nomencl.* cap. *de musicis instr.* num. 244. qui *Sistrum a concussu & agitatione, vocabulo Ægyptio sacris Isidis receptissimo*, vocatum dicit; alterum mirari tantum possum, quia nullam ipse hujus crepitaculi inventricem profert, e cujus nomine derivatum Sistrum intelligatur. Nihil tamen audeo contra hominem mutire, cum ista apud Isidorum lib. 3. *Originum* cap. 21. perlegerim: *Sistrum ab inventrice vocatum: Isis enim Ægyptiorum Regina id genus invenisse probatur*. Sed neque in hujus ita facile sententiam eo nisi qua Sistri inventum Isidi tribuit. Ceterum nihil omnino profiteor me videre, quamobrem a nomine Isidis Sistri vox formari potuerit. Itaque adhuc affirmo Sistrum *ἀπὸ τοῦ σείειν* denominari: præsertim cum a me sit etiam maximus Philologiæ Mysta Adrianus Turnebus, qui de ejuscemodi crepitaculo *Adverf.* lib. 28. cap. 33. sic disputat: *Sistrum instrumentum erat Ægyptium e metallo arguto, quo in sacris Isidis utebantur: ab agitatione nomen habet; nam agitatum & concussum tinnitus argutos edebat*. Ac scienter profecto Turnebus Sistrum dicit e metallo arguto factum; non ex ære tantum, quod Alexander ab Alexandro, quod Lexicographus, quod Claudius Minois voluerunt: neque ex ære, aut ferro, quod Hadriano Junio placuit in *Nomenclatore*. Etenim Sistrum, ut Eilhardus Lubinum *in Juvenalem* scribit, instrumentum est æreum, uti etiam aureum, & argenteum. Hanc certe de Sistri materia opinionem uti veram libenter amplectimur, quia etiam Apulejus loco a me supra laudato, nempe lib. 2. *Asini Aurei, terrena sydera*, hoc est, ut ego cum Hermolao Barbaro interpretor, Sacerdotes, *æreis, & argenteis, imo vero aureis etiam Sistris argutum tinnitum constrepentes in pompa illa sacrorum Isidis* se narrat vidisse. Hactenus de usu, & inventrice; de nomine, & materia: nunc ad formam transeundum, in qua nonnulli eorum, qui hac de re scripserunt, jejuni nimis fuere, Sistri speciem non perfecte describentes; alii falsi, omnia præter Sistrum definientes; nec pauci liberales plus justo, aliquid de suo addentes: omnes vero, ut paucis concludam, inter se non tam varii quam contrarii; si unum tamen atque alterum exceperis, qui rem mihi videntur acu nonnihil tetigisse. In argumento igitur sic controverso, & pleno dissensionum, nihil omnino nisi veniam præfatus audebo pronunciare. Qui quidem non ingenii ostentandi causa, non aliis libidine contradicendi, sed mero publicæ utilitatis desiderio, ac veri etiam inquirendi cupiditate, hanc rem mihi pertractandam suscepi. Testis fides, & ipsa veritas, quonam ego consilio, quanam mente animi, verba non valde probem Hadriani in Junii *Nomencl.* cap. *de music. instr.* num. 245. cum ait, *Sistrum fuisse instrumentum æneum, ferreumve, trigonum ferme, orbiculis, annulisve bacillo ferreo complosis tinitum edens*. Prudenter quidem ac simul fecit scienter eruditissimus vir Laurentius Pignorius, qui Commentario suo *de Servis*, Augustæ Vindelicorum impresso pag. 88. sonorum ejuscemodi instrumentum posuit, nec ullum apposuit proprium nomen, quo illud appellandum sit; unum tantum adscripsit, commune etiam aliis instrumentis ibidem adpictis, crepitaculum. Sed tamen aliqua ex parte excusandus Hadrianus, qui huic generi crepitaculi nomen Sistri fecerit, cum proprium nesciret; quia istud etiam, quemadmodum Sistrum manu ac brachio concussum, ferrea virga percussum tinnitus suos emitatt; aliud certe nihil habet cum Sistro commune. Quamquam fortiter ego adhuc reclamo non eam esse germanam Isiacorum Sistri descriptionem, quam mox tamen bene volentibus Musis in medium proferam. Nunc illud præterire nolo, quod trigonum hoc instrumentum, paulo ante graphice quidem ab Hadriano descriptum, omnino Ægyptium inventum fuisse existimem, cum Δ Græcæ litteræ figuram habeat, ipsa vero Ægyptos Δ appellata. Hac de re Pierius Valerianus lib. 17. cap. *de Ægypto* diserte hoc modo: *Est alia ratio cur Ægyptum hieroglyphice significarent ibes; nempe cum ea regio Delton a Δ Græcæ litteræ figura nuncuparetur, eam cum ibibus similitudinem habet, quod alites hæ litteram eam incessu pedum, interstitio ad æquales trianguli lineas deducto, figurare videantur, idemque rostrum patefactum signat: Ποιεῖ γὰρ τῇ τῶν ποδῶν ἀναςάσει πρός ἀλλήλες, καὶ πρὸς τὸ ῥύγχος ἰσόπλευρον* ΤΡΙΓΩΝΟΝ. Quæ cum ita sint, eam facile opinionem sequor, in qua esse amicissimum mihi virum, & e Mediolanensi selectorum Judicum Collegio Jurisconsultum præstantissimum, Cæsarem Burrum, cognovi. Is proximis superioribus diebus cum nonnullis de rebus philologicis mecum differeret, hoc crepitaculi trigoni genus opportune admodum a sua ipsius figura *Deltaton* seu *Deltoton* posse dixit denominari. Id quod etiam apud nescio quem Scriptorem se aliquando legisse affeverabat.

A recta vero Sistri descriptione non parum etiam aberravit Joannes Fungerus, qui aliquid tamen non alienum scripsit ab ejus vera definitione: etenim *Etymologico*, V. *Sistrum*, *Sistrum* facit *parte sui superiore rotundum, cælatumque, in cujus summæ apsidis vertice felis sit vultus: tota vero ejus species ovalis fuit, & in ora manubriata undique tintinnabula habens*. Verus certe in hoc Fungerus, quod in superiore parte cum fele ponat, ut ita loquar, hemicyclum, per quem mox ad ovalem formam descendat: secus in iis, quod oram afferat manubriatam, & habentem undique tintinnabula. Id quod falsum esse profecto evincam, cum Sistrum antiqua sua, &, ut sic dicam, vernacula forma descripsero. Ex qua itidem patebit Claudium Minoem non recte & ordine *ad Alciati Emblema* XXV. sic scripsisse: *Sistrum instrumentum æneum fuit, curvum ad lebetis formam, ut Plutarchus Commentario* de Iside: *circum erant parva quædam cymbala, seu tintinnabula, & in ejus parte*

superiore sculpta erat felis humana facie: in ima vero figura Isidis & Nephthyos. Cum dixit *curvum ad lebetis formam*, non de Sistro loqui, sed de cymbalo, mihi videtur: hoc enim quantum in Pignorii Commentario *de Servis* pag. 91. licet observare, prope ad lebetem accedit. Ex quo vicissim illud sequitur, ut neque cymbala in Sistro esse potuerint, quæ cum quandam quasi lebetis speciem referant, nisi humanis prehensa manibus inter se collidantur, nullum edunt omnino sonitum. Ad figuras venio felis, Isidis, & Nephthyos; quarum tantum profecto unam, nempe felis, Claudius suo loco ponit; duas vero alteras Isidis & Nephthyos de sua sede deturbat, eas in imo Sistro collocans, quæ sunt in superiore Sistri parte hinc illinc æquo intervallo a felis figura collocandæ. Scienter Turnebus *Advers.* lib. 26. cap. 33. *Erat in summæ ejus apsidis vertice vultus felis, qua concutiebatur Isidis & Nephthys facies*. Sed neque ego tamen Turnebo magis quam Minoi assentior in Sistri descriptione: is enim, ut supra ostendimus, pro Sistro cymbalum expressit; hic vero tympani fortasse illud genus, quod cribro non absimile: de quo Pignorius hoc carmem recitat in suo *de servis* Commentario pag. 93.


> *Tympana habet Cybele: sunt & mibi tympana cribri.*

In hanc ego facile opinionem veni, quia nostris adhuc in Bacchanalibus ejuscemodi cribri adhibentur: additis tamen sphæricis tintinnabulis in orbis lamina, quæ nulla Pignorius suo appingit tympano.

Verba Turnebi hæc sunt: *Sistri species ovalis erat & manubriata, in ora undique tintinnabula babens, ut agitatum tinnitum redderet maximum*. Ubinam, quæso, ternæ illæ figuræ Deorum & eluri? recordari eas certe debuit Turnebus, cum paulo supra, eodemmet capite, de iisdem cum Plutarcho mentionem fecerit. Quid igitur? non erat oblitus felis, non Isidis, non Nephthyos, sed integræ fidei quod in Isidis imagine vidisse aliquando sibi visus est, noluit aut addendo quicquam, quod non viderat, aut reticendo, quod viderat, immutare. Qua in re Turnebum non tam laudo, quam libenter sequor, quia & ipse in aliquibus Hadriani numismatis sub mulieris forma Ægyptum cum Sistro perspexerim, in quo ejuscemodi figuras, ut est signum ob antiquitatem admodum fugiens, agnoscere haud ita facile potui. Sed quoniam de hoc abunde satis disputatum supra est, ad Sistri descriptionem redeo allatam a Turnebo: e qua quidem mordicus affirmo detrahenda esse tintinnabula, ut virgæ æneæ, aut argenteæ, aut etiam aureæ in eorum loco inferantur. Quare unus præcipue Joannes Bernartius, adolescens elegantissimus, ac supra ætatem eruditissimus, mihi reticendus non est in præsentia, qui *Scholiis suis ad lib.* 9. *Statii Thebaid.* sic Sistrum describit: *Erat Sistrum crepitaculum, cujus per angustam laminam in modum baltei recurvatam trajectæ medio pauculæ virgulæ, chrispante brachio tergeminos ictus, reddunt argutum sonum*. Non profecto poterat paucioribus illud dici de virgis Sistri, quod adhuc nemo, ut vidistis, observavit, aut dixit. Quanquam & in ipso Bernartio non tam felis & numinum effigiem, quam ipsiusmet Sistri formam desidero: etenim non eam fecit orbiculatam, non trigonam, non ovalem. Qualis illa tamen esset pro certo asseverare facile poterat, cum suam illam descriptionem ex antiquis marmoribus se desumsisse omnino profiteatur.

Quid igitur? unus profecto cl. vir Laurentius Pignorius in tanta opinionum varietate, cum bono sui nominis omine laurea donandus esset corona, si minus eluri, Nephthyos, & Isidis figuras in sua descriptione passus fuisset desiderari. Hominis hæc verba e Comment. *de Servis* pag. 87. *Sistrum erat oblongum, manubriatum in ima sui parte, cancellatum trajectis virgulis, & ut uno verbo dicam, laminæ, & præterea nibil*. Sed & Joannes Ludovicus de la Cerda, e Societate Jesu, eruditissimus Virgilii Interpres, Comment. *in lib.* 8. *Æneid.* tam multiplicem, tam variam Sistri descriptionem admiratus, *quid hoc instrumentum*, inquit? *Nebrissensis tubæ genus esse existimat; inepte. Alii cornu incurvum; ἀτόπως. Alii dant formam tympani. Junius confundit cum crotalo. Ego tamen hæreo eximio in litteris viro Antonio Augustino, qui lib.* 3. Icon. *ex marmoribus & antiquis documentis ait fuisse instrumentum instar palæ, ea forma quaGallis est* Raquetta, *quo instrumento & Hispani utimur in ludo pilæ a Gallis accepto. Habebat hoc instrumentum tres aut quatuor fidiculas, utebaturque illo sacerdos Isidis*. Ut autem nunc magis ac magis perspiciatur, quam res sit controversa de Sistro disputatio, libet Pierium etiam Valerianum rogare, ut & ipse sententiam suam pronuntiet: quippe cum de sacris Ægyptiorum litteris loquitur, non potest Isidem ejusque Sistrum silentio præterire, cum illa fuerit præcipuum numen, hoc vero instrumentum apud Ægyptios nobilissimum. Erat igitur Sistri species, ut a Valeriano describitur, *orbicularis, atque cava, in cujus circumferentiis mobilia quatuor veluti tintinnabula appendebantur: in apside vero summo verticis loco felem effingebant, quæ faciem humanam baberet: infra vero sub motalibus orbiculis hinc Isidis, inde Nephthyos effigiem*. Verum his verbis Pierius tympanum potius cribri forma quam Sistrum nobis proposuit, dum illud fuisse vult orbiculare cum tintinnabulis. Nec eidem nos vicissim omni ex parte de Isidis & Nephthyos simulacris assentimur, quæ ipse idem infra *motales*, ut is loquitur, *orbiculos* collocet: nos vero supra virgas, & in utroque apsidis latere: alterum ab una eluri parte, & ab altera alterum. omnium igitur maxime cautus fuit J. Cæsar Bulengerus, qui cum in rerum antiquarum, ad Rom. præcipue civitatem pertinentium, tractatione se diligentissimum præbuisset, in eo tamen capite, quod integrum de Sistro est, xxv. lib. II. tantum dicit, quod Sistrum Isiacorum fuit: ceterum de forma ne verbulum quidem. Non certe Bulengerus potest de mala Sistri descriptione reprehendi, qui nullam dedit. Quamobrem ego, non quia plus ceteris mihi sapere persuadeam, quod est ingenii, sed quia plus quam ceteri in hoc genere observavi, quod est laboris; sic Isiacorum istud instrumentum definio, verius describo:

Sistrum crepitaculum ovale est, ex arguti metalli lamina factum, cujus apsis superior tribus insignitur figuris; una scilicet eluri humana facie in medio posita; alterea Isidis in dextro latere; tertia Nephthyos in sinistro. In ima vero sui ipsius parte manubrium habet, quod dum concutitur, virgulæ quædam ex eodem metallo factæ, & per laminæ forulos trajectæ, adunco utrinque cuspide laminam ipsam percutiunt, quæ mox sonorum edit tinnitum.



Atque hæc quidem germana est Isiaci Sistri descriptio: eadem certe forma unum & alterum Sistrum ex ære factum se vidisse Romæ Jacobus Valerius JC. & antiquitatum perscrutator eximius, a me supra laudatus, qui non ita pridem ad nos inde rediit, significavit. Quamobrem Gaspar Salvianus, vir animo plane candidior nive, atque, ut eum Sigismondus Boldonus Philologus, & idem Philosophus præstantissimus,

—— *nostri decus admirabile secli*,

appellare solitus est, bonæ mentis genius, & Philii, amicitiæ præsidis, delicium, cum nescio quo indice cognovisset, me alterutrius exemplum bona fide in charta calamo expressum discupere, utrumque suo sumtu factum, ad me Roma sua sponte curavit perferendum.

In illis autem non alio modo, aliave forma Sistrum figuratum perspeximus, atque nos esse censemus, & iidem etiam asseveramus. Itaque momenta rationum & argumentorum, quibus ego ductus meam Sistri descriptionem uti omnium verissimam, uti omnium certissimam, optimamque in medium attuli, atque etiam confirmavi, non sunt sine fundo & auctoritate; atqui sunt sita,

I. In conjecturis, quas ex veterum Philologorum monumentis elicimus.

II. In Hadriani Augusti numismate, sive toreumate, quod nobis Ægyptum sistratam exhibet.

III. In Plutarchi verbis libro *de Iside & Osiride* ab eo factis, quæ in hujus Isiacæ nostræ disputationis clausula referentur.

IV. In Romanorum Sistrorum figura ad nos Roma Mediolanum a Salviano missa.

V. In his ipsis recentioribus Philologis, quorum profecto definitiones de Sistro datæ, si ea parte vel recudantur, vel reticeantur, qua illi aut aliquid addiderunt de suo, quod non in Sistro est; aut aliquid contra ademerunt, quod est; aut non omnino posuerunt, quale re ipsa est; nostram penitus confirmant descriptionem. Id quod certe non obscure constabit, si eorumdemmet verba, quæ ad singulas partes descriptionis nostræ respondent, missis illis, quæ non respondent, repetere hoc loco voluerimus. Porro autem non ea a nobis repetentur invitis, qui nostræ descriptionis assertionem modis omnibus, quibuscunque possumus, sartam & tectam, ratam & firmam esse, quam quod maxime, exoptamus. In eo igitur, quod in ipso definitionis vestibulo diximus, *Sistrum crepitaculum ovale est*, adstipulatorem nostræ sententiæ habemus A. Turnebum, qui de Sistri figura sic diserte loquitur, *Sistri species ovalis erat*. cujus mihi suffragium eo carius, quod ab ipso ocel-

A lo Philologiæ Laurentio Pignorio hisce duobus verbulis confirmatur, *Sistrum erat oblongum*. Nec minore etiam cum assensione recentiorum Philologorum asseveravimus istud ipsum crepitaculum esse, ex arguti metalli lamina factum, cum idem Turnebus sic scriptum, ut supra suo loco diximus, reliquerit: *Sistrum instrumentum erat Ægyptium e metallo arguto, quo in sacris Isidis utebantur*. Hoc certe illud ipsum est, quod Apulejus, quamquam aliis verbis, de Sistri materia scripsit, cum Isiacos Sacerdotes *æreis & argenteis, immo vero aureis etiam Sistris argutum tinnitum constrepentes* facit. Etenim omnibus, nisi si qui Toronæo

B surdiores sunt, abunde liquet, æs, argentum, & aurum, metalla esse suo tinnitu arguta & sonora. Quoniam vero Sistrum esse crepitaculum diximus, cujus apsis superior tribus insignitur figuris, libet etiam istud probare, aut quidem satis probatum confirmare verbis eorumdemmet recentiorum Philologorum. Sed hoc tamen dicendum prius arbitror, quod ad nomina & locos spectat figurarum; ipsius Sistri apsidem ita ejuscemodi figuris distingui: *Una scilicet eluri humana facie in medio posita; altera Isidis in dextero latere; tertia Nephthyos in sinistro*. Qua profecto in re unus

C omnium maxime mecum est Turnebus, qui ne mihi se præstet adversarium, hæc ait in suis *Adversariis*, *erat in summæ ejus apsidis vertice vultus felis, qua concutiebatur Isidis & Nephthyos facies*. Minus, fateor, Claudius Minois & Pierius Valerianus de harum figurarum loco mecum sentiunt, quorum uterque tamen consentit de numero & nomine. Ex illius enim prioris, nempe Minois, sententia, *in Sistri superiore parte sculpta erat felis humana facie, in ima vero figura Isidis & Nephthyos*. Et ab hujus opinione non longe abiit Valerianus; cujus hæc verba: *in apside summo verticis loco felem effingebant, quæ faciem humanam habe-*

D *ret: infra vero sub motalibus orbiculis, hinc Isidis, inde Nephthyos effigiem*. Itaque tantum a nobis facit uterque de numero & nomine figurarum, quantum discedit de loco.

Quamquam nihil hoc ego facto commoveor, cum de fele in superiore apsidis parte collocata, atque de Isidis & Nephthyos facie, ab eluro hinc illinc effictа Romani primum Sistri descriptio, deinde Ægypti in Hadriani numismate sistratæ effigies, atque ipse etiam, ut alios prudens sciens mittam, Adrianus Turnebus, verissime nos & judicare & pronuntiare, esse pro testimonio possunt. Nec vicissim deerit, qui nobis in eo prorsus

E & libenter assentiatur, quod ita asserimus de Sistro, *in ima sui ipsius parte manubrium habet*, ecce autem tibi quod doctissimus & eruditissimus Pignorius meus, *Sistrum* ait *oblongum esse, & manubriatum in ima sui parte*. Qui etiam subdit, *cancellatum esse trajectis virgulis*, ut non vocatus, nec subornatus, sed oblatus testis de eodem manubrio sit:

Quod dum concutitur, virgulæ quædam ex eodem metallo factæ, & per laminæ forulos trajectæ adunco utrinque cuspide laminam ipsam percutiunt. Quamquam quod in Sistro virgulæ fuerint, Joannes Bernartius, Statii Scholiastes, hisce verbis

F aperte testatur: *Per Sistri angustam laminam in modum baltei recurvatam trajectæ medio parvulæ virgulæ crispante brachio tergeminos ictus, reddunt argutum sonum*. Ejuscemodi vero Bernartii testimonio omnis omnino tollitur dubitatio, num verum sit, quod de lamina diximus in nostra Sistri descriptione.

Quæ mox, ultro citroque currentibus virgulis, *sonorum edit tinnitum*. Ad quod profecto respexit Alexander ab Alexandro, in cujus libro VI. cap. 8. *Genial. Dierum*, *Sistrum non spiritu, sed motu concus-*

sum personat. Ex quo etiam patet, quam proprie, & scienter loquatur Seneca Philosophus, cum ait, *Sistrum aliquis concutiens ex imperio mentitur*. Ad de his quod Hadrianus in *Nomenclat*. *Sistrum a concussu & agitatione, vocabulo Ægyptio sacris Isidis receptissimo*, vocatum dicat. Porro autem nemo hujus sententiam amplecti poterit, quin Sistri etiam notationem, paulo supra a nobis allatam, suffragio comprobet enucleato: etenim diximus Sistrum ἀπὸ τῦ σείειν, quod est *quatere*, deduci ac derivari. Quæ cum ita se habeant, nostra omnino Sistri descriptio habenda est pro omnium certissima, proque omnium verissima. Qua tamen contenti non sumus, nisi illud addiderimus, quonam sensu, quove mentis consilio fuerit Sistrum hac forma ab Ægyptiis figuratum. Nemo enim nescit fuisse Gentis illius morem & consuetudinem, ut in iis, quæ oculis proponerent contemplanda, aliquid semper μυστικῶς inesse voluerint. Quid, quod eorumdem etiam sermo fuerit μυστικῶς per ἱερόγλυφα γράμματα expressus? sed promissa præstemus, & quidnam Ægyptii per eam Sistri formam innuere aut significare voluerint, nostra tandem aperiamus interpretatione. In superiore igitur Sistri parte apsis erat, hoc est, semicirculus, quem Græci ἡμικύκλον vocant, & per illum hæc mundi pars exprimebatur, orbi lunari subjecta, ubi generatur nihil a natura, quin idem corrumpatur: ubi omnia mutantur, & perpetuo fiunt, ut ille ait Poeta,

—— *vices variabilis ævi*.

Quia vero Sistri usus totus erat in motu & quassatione, per eandem quoque rerum indicabatur vicissitudo, quæ ex illarum oritur non intermissa formatione, ac simul, ut ita loquar, deformatione.

Sed ab apside & motu ad virgas transeo, quæ modo tres tantum erant, quia omnia dicit, afferente Aristotele, qui tria dicit, & quia etiam omnia, quæ sub Luna sunt, in numero, pondere, & mensura versantur; modo quatuor, ut per eas quatuor elementa, ignis, terra, aqua, & aer, innuerentur. Affingebatur autem huic Isiaco instrumento felis humana facie, ut symbolum esset, *quod id animal temperaturam cum Luna persimilem habeat; sive coloris varietatem, sive astrum, sive nocturnam potius quam diurnam exercitationem, sive procacem admodum salacitatem consideremus. Quid vero illud, quod ajunt felem unum primo partu edere, secundo duos, ac singulis ita vicibus usque ad septenos unum addere, ut tot denique tota vita pariat natos, quot in Luna dies connumerantur. Jam vero papillarum incrementa decrementaque pari cum Luna consensu innotescunt*. Hæc Pierius Valerianus lib. 48. cap. *de rerum vicissit*. a quo etiam ista, quæ sequuntur, desumsimus, ut ne gratis omnino & nullo Auctore loqui videremur: *Humana eluri facies nihil aliud sibi volebat, nisi ut intelligeremus animal istud peritiam & rationem mutationum, quæ lunari globo accidunt, habere, quando uni homini per rationem id intelligere datum est. Hinc etiam Isidis, inde Nephthyos effigies conspiciebantur, ut per eas ortum & obitum indicarent, cujusmodi sunt elementorum, ut Philosophi loquuntur, alterationes & motus*, Hanc autem germanam esse totius Sistri interpretationem, non cum Pierio solum censemus, sed cum Plutarcho etiam asseveramus: cujus propterea de hac re sententiam libet hoc loco ad verbum describere, ne quis pseudo-Criticus & male feriatus Censor contra nos quidquam mutire, ac ne quidem hiscere audeat; „ Sistrum igitur, ut Plutarchus ait libro *de Iside & Osiride*, quati omnia naturalia arguit, & nunquam motu vacare debere; „ sed veluti excitari atque agitari, ubi torpere & „ tabescere cœperint. Ajunt enim Sistris Typhonem averti atque depelli: ostendentes interitu „ res vinciente & inhibente ortum rursus motu naturam solvere atque expedire. Et Sistri superiore parte rotundi conspectus admonet de quatuor „ corporibus, quæ concutiuntur. Nam quæ pars „ mundi ortui & obitui est obnoxia, ea continetur globo Lunæ; inque ea omnia moventur ac „ mutantur ratione quatuor elementorum, ignis „ puta, terræ, aquæ, & aeris. Curvamini Sistri „ autem in vertice infigunt felem humana facie: „ imæ parti infra ea quæ quatiuntur aliquando Isidis, interdum Nephthyos faciem. His faciebus „ adumbrant ortum & interitum, quæ sunt elementorum mutationes atque motus, fele Lunam „ repræsentante, ob animalis istius varietatem ac „ vim noctu agendi & fæcunditatem. Dicitur „ enim unum principio catulum parere, deinceps „ duos, tres, quatuor, unoque subinde plures, „ donec septem uno partu edat. Itaque duodetriginta in summa parit, qui est numerus dierum „ Lunæ. Qui hæc Plutarchi verba diligenter attenderint, næ illi intelligent omnes, hominis suffragio ea omnia comprobari, quæ a nobis dicta sunt paulo supra, sive cum Sistri formam describeremus, sive cum ipsam interpretaremur descriptionem. Cum igitur meæ sententiæ adstipulatorem habeam tantum virum, quantus profecto Plutarchus est, non vereor me ipsum in publicæ famæ theatro ac foro sistere, ut quæcunque de Sistro in hoc volumen congessi, optimo jure scripta, optimaque lege congesta mordicus affirmem. Tu certe, mi Lector benevole, Philologe, si ita esse, quemadmodum esse ego contendo, meo periculo credideris, bene credes: quod si adhuc hæres animo, ac tuum assensum non tam suspendis quam sustines, aliud nihil ego te amplius rogabo, nisi ut iterum Plutarchi verba, quæ paulo supra laudavi, attendere velis diligentius: ille profecto non te sinet

—— *errantem dubitare, & quærere semper*
De Sistri forma, & nostris diffidere dictis.

F I N I S.

HIERONYMI BOSSII,

TICINENSIS,

CIVIS NOBILIS ET ROMANI PATRICII,
ATQUE IN PALATINA ACADEMIA
ELOQUENTIÆ PROFESSORIS REGII,

JANOTATIUS,

SIVE DE

STRENA.

Die 14. Julii 1625.

Imprimatur.

Fr. Franciſcus Earenus Lector Theol. & Vicarius S.ᵃᵉ Inquiſitionis Mediolani,

Fr. Al. Bariola Auguſtianus Conſultor S. Officii pro illuſtriſſ. D. Cardinali Archiep.

Vidit Saccus pro excellentiſſ. Sen.

ILLUSTRISSIMO ET AMPLISSIMO VIRO,

PAPIRIO CATTANEO,

REGIO MEDIOLANI SENATORI,

HIERONYMUS BOSSIUS

S. P. D.



OBservantiam erga te meam, Vir ampliſſime PAPIRI CATTANEE, cum haud vulgaris ſit, non vulgari a me tibi ratione aut ſignificandam, aut declarandam eſſe exiſtimavi. Etenim ego te, quem non Senatorem ſolum regia plane imperandi arte præditum novi, ſed judicii etiam præſtantia & memoriæ miraculo eximium noſtri ævi Juriſconſultum eſſe non ignoro, ſumma ſemper ac ſingulari colui veneratione: quamquam nec diffiteri nec diſſimulare ullo modo poſſum, quin proximis ſuperioribus diebus cum te officii ac ſimul reverentiæ cauſa viſiſſem, tuus ille Philologus, *medioque Helicone petitus ſermo* ſic me affecerit; ut qui venerabundus acceſſeram, admiratione diſceſſerim obſtupefactus. Atque illud profecto, quod antea ſemper ex priſca formula bene factum adclamavi; tunc ex meo ſenſu meique animi ſententia optimum factum dixi, ut tu ſcilicet ex laticlaviis Patribus fueris Duumvir creatus, cujus præcipue fidei ac patrocinio res Academicæ demandarentur: non ſolum enim ſtare, ſed florere maxime etiam cum *Ticinenſis*, tum *Palatina* poteſt *Academia*, quæ patronum habeant earum artium intelligentiſſimum, ad quas Juventus Philomuſa incumbat diſcendo, quaſque Doctores ipſi ornent & illuſtrent interpretando. Ego quidem quoties Palatinam ſapientiæ ſedem, politiorum litterarum domicilium, Philologiæ ſacrarium, & quaſi Romanæ antiquitatis atque eruditionis Capitolium, adſcendo, toties mihi videor (quod præfiſcini dictum ſit) ob eam cauſam triumphare, quia hanc nobis Academiam ſapientiſſimus *Senatus Mediolanenſis* ſua liberalitate commiſerit; cujus tu cum altero doctiſſimo prudentiſſimoque Senatore, Collega tuo, patronus es ac moderator. Cum tot igitur ac tanta ſint nomina, quibus ego te colam ac venerer, næ ego temere & imprudenter feciſſem, ſi argumento minus ſingulari meam hanc erga te ſingularem obſervantiam declaraſſem. Id quod ſane ante hunc diem exſequi non potui, re & occaſione, qualem habere me & oportebat & exoptabam, omnino deſtitutus. Nunc vero, cum hortantibus nonnullis amicis diſputationem quandam meam, quam duos abhinc annos in frequentiſſima Philologorum & auditorum corona de *Strena*, ſtrenuis viris, Senatoribus Principibus, Imperatoribuſque dari ſolita, publice habui, Libello iſto ſim complexus & explicarim, opportunam admodum mihi delatam occaſionem arbitratus ſum, qua ſatis meo facerem deſiderio. Itaque Opuſculum iſtud, quo nos decumano labore ac Pliniana induſtria & diligentia Romanam *Strenam* ab oblivionis dominio & poteſtate emancipavimus, non Jovi Feretrio, aut Statori, ſed memoriæ tui nominis ornatiſſimi hac ma-

nu dicatum imus & consecramus. Quod eo libentius & fidentius præsto, quo æquius esse arbitror, ut Senatoribus specimen aliquod præbeatur earum rerum, quæ toto anno publice in Lyceis dicuntur & explicantur: ita enim fit, ut vos amplissimi PATRES, quibus philologas disputationes nostras vel propter Senatoriæ dignitatis majestatem, vel propter sanctiores Curiæ occupationes audire non vacat, aut licet, vestro jure & sine molestia legere scripta possitis, & arbitrari quam rite & ordine bonarum artium interpretes, a vobis regiis stipendiis auctorati, Apollini & Musis operentur. Quæ una mihi sane cogitatio persuasit, ut hoc meo *Palatini* muneris quadriennio VIII. Opuscula in vulgus emiserim, typis descripta; iis autem cum Nonum istud, scriptione novum, quamquam antiquum argumento adjungam, ac tuo nomini inscribam amplissimo; si non ingratum tibi accidisse, atque in tuum librarium Cimeliarchium fuisse admissum cognovero, me plane cum bene volentibus Musis, quæ novem sunt, hoc quadriennium clausisse, nec leve præmium tulisse meorum laborum, aut minimum famæ confecisse mihi existimabo. Sed o utinam antiquaria mea scripta tuos ita *possint oculos auresque morari*, ut ne *Janotatium* nostrum despuas, & hujus lectione Libri intervalla velis dispungere negotiorum! Tunc ego quidem *sublimi feriam sidera vertice:* etenim longe pluris faciendum censeo, ut unus & alter versiculus nostri Libelli ab illustrissimo *Senatore Papirio Cattaneo* relegatur & probetur, quam ut justa volumina auratis apicibus tabula accipiantur sive Rostrali, sive Capitolina. Nec erit certe, cur *surdam famam*, ut cum Plauto loquar, meo Opusculo timeam, aut cur alterius cujusquam judicium & censuram verear, si modo istud tibi uni placuerit; qui non omne solum jus Pontificum, veterum Quiritum scita, & Patrum consulta in succum & sanguinem convertisti tuum, sed in politiores quoque tu ipse litteras ita penetrasti, ut eundem meras Musarum delicias subsecivis horis loquentem

—— —— non Ulyxes linqueret,
Liquit canentes qui melodas Virgines.

Quamobrem, cum in hac mea Libri nuncupatione oculus dexter saliat, licet salisator non sim, omnia fausta, omnia felicia, omnia denique fortunata, ductu & auspicio tuo mihi esse eventura polliceor. Te vero interim, Senator amplissime, per tui Taciti Politicam, perque Senecæ Philosophiam, ac Papiniani pariter tui Jurisprudentiam, rogo & obsecro, ut ad confirmandas spes meas, me in tua fide esse velis, ac eundem cum paucis tueare patrocinio tuo. Vale, meum decus, meum præsidium: vale, inquam, & vive ætatem Nestoris, cum vere hoc seculo sis.

Nestor consilio clarus & eloquio.

Ex Hermathena nostra prid. Kal. Octobreis.

A D

LECTOREM PHILOLOGUM

E T

A N T I Q U A R I U M

P R Æ F A T I O.



Era profectò & ſingularis hæc fuit ſemper laus

S E N A T U S
P O P U L I Q U E
R O M A N I,

ut non Urbs ſolum Orbis humanus, *ſed ipſe civium quoque cœtus* humana Gens *appellaretur. Etenim munificentiam illi & liberalitatem ſuo quodam genio ac natura ſic excoluerunt, ut æque dandis muneribus, atque imperii finibus dilatandis, ſupra omnes ſeſe efferre nationes glorioſum duxerint. Porro autem cum Aſiam bello in poteſtatem redegiſſent, eam Attalo Regi muneris loco poſſidendam tribuerunt, hoc ſibi perſuadentes omnino, quod eſſet* ipſa victoria donum felicius *aliquando futurum* [1]. *Nec eos ſane aut conſilium fefellit, aut ſperato eventu deliberationis ſpes fraudavit*, quia, *ut cum Valerio* [2] *dicam*, multum occupaſſe, habere invidiam potuit: tantum tribuiſſe, gloria carere non potuit; *nec vero unquam olim poterit*, quia omne præclari facti decus crebra memoria in ſe ipſo revireſcit. *Itaque magis ac magis Romanos eſſe laudandos exiſtimo, qui in omni officio humanitatis fuerunt adeo cupidi laudis, ut nec ipſe princeps Populus in univerſum ab aliis nationibus, nec ipſi cives viciſſim a reliquis civibus, occaſionem ullam benevolentiæ ſibi ſive conciliandæ, ſive conſervandæ officio aliquo liberalitatis prætermittere voluerint. Quamobrem nec Sociorum Amicorumve Legati Romam veniebant, quin eis* locus & lautia *decernerentur: nec Imperator inaugurabatur, quin* Coronarium *a Populo daretur: nec quicquam feliciter ipſi Cæſari accidebat aut domi, quin* Congiarium *Populus, aut foris, quin* Donativum *milites haberent. Præterquam quod ab eodem Cæſare ſæpiſſime variarum rerum* Miſſilia *in Populum jacerentur, ac ſimul* Teſſeræ *dividerentur, modo* frumentariæ, *modo* nummariæ; *quibus exhibitis, unuſquiſque aut ſummam nummum præſcriptam, a diviſoribus, aut farinæ vim ab annonæ Præfecto exigeret. Non Conſul, non Magiſtratus in ea* Urbe æterna *ſuæ dignitatis auſpicia faciebat, quin* Honorarium *illi offerretur* [3]: *non Patronum* [4] *Cliens* Togata Opera *deducebat ſalutabatve, quin* Sportulam *conſequeretur. Adde his quod nec Romani civis ægrotatio expers fuerit ejuſcemodi officio liberalitatis: etenim convaleſcentibus & valetudinariis* Soteria *amici tranſmittebant. Unde lepidiſſimus Poetarum Martialis non invenuſte venuſto ſimul & aculeato epigrammate jocatur in quemdam Polycarmum, qui quoties ab amicis videretur, ſe ægrotum, aut quidem certe valetudinarium ſimulabat, ut munuſcula ab eiſdem ſub ſpecie ſoteriorum extorqueret. Epigramma* [5] *autem hoc eſt:*

Ægrotas uno decies aut ſæpius anno,
 Nec tibi, ſed nobis hoc, Polycarme, nocet:
Nam quoties ſurgis, ſoteria poſcis amicos:
 Sit pudor, ægrota jam, Polycarme, ſemel.

Sed quoniam veterator iſte nonnihil me remoratus eſt ſoteriis ſuis, mittam dicere, aut numero ſaltem dicam, quod ſi quis prandio, aut, ut ipſi loquebantur Veteres, cœna exciperetur, a domino Apophoreta *data ſint, quæ adſportaret conviva: ſi quis hoſpitio;* Xenia *præſto fuerint, quæ hoſpes ſive peregrinus auferret: ad quod certe reſpexit idem Poeta, cum librum unum Diſtichorum, quibus hoſpitis canit munuſcula,* Xenia; *& alterum, quo ludit in convivæ pariter dona,* Apophoreta *inſcripſit admodum opportune & ingenioſe. Non illud ſilentio prætereundum hoc loco arbitror, quod ſi cujuſquam dies celebraretur natalis, natalitia darentur: ſi quicquam læti ac fauſti nuntiaretur, E... lucraretur nuncius: & idem etiam aliquando ominis boni cauſſa E... nominaretur.*

Sed quoniam in omnibus iis, quæ ſupra narravimus, vagari liberalitas videbatur, quæ modo pro occaſionibus repente aut quidem certe inopinato oblatis; modo pro libera hominum voluntate, quæ non tam varia quam vaga eſt, exercerctur; Rerum illi Domini *certum quoddam ac ſtatum tempus muneribus ultro citroque dandis conſtituerunt. Itaque ineunte quolibet anno, ipſis inquam anni Calendis, Strenam vel præſentibus dabant, vel abſentibus mittebant. Qua de re cum adveniente Chriſti natali die per accenſum noſtrum in Palatina Academia, ubi ex S.C. politiores litteras interpretamur, feſtæ Vacationes edicerentur, ad Philologam noſtram diſputationem nonnulla ὁδοῦ πάρεργον adjunximus; ea autem nec plauſu mortuo, & aliqua cum approbatione,* VII. *Viri illi Reipub. Litterariæ Conſulares, Jacobus Valerius J.C. & Advocatus Mediolanenſis, Lælius Biſciola Theologus, Joannes Superantius J.C. Franciſcus Benardinus Ferrarius Ambroſiani Collegii Doctor, Benedictus Soſſagus Poeta, Vincentius Gallus Rhetor, & Franciſcus Rugerius Philologus, (ut alios mittam innumeros) qui tunc aderant, audiverunt; atque adeo tantam ſe rem volupta-*

1 Val. M. lib. IV. cap. VIII. 2 Ibidem. 3 Frontinus lib. *de Aquæduct.* 4 Comment. noſtro *de Romana Toga* cap. VII
5 Lib. 12. epigr. 56.

PRÆFATIO.

tum percepisse professi sunt, ut iidem se maxima fraudari oblectatione dixerint, si minus illa Litterarum monumentis consignarem, quæ mox suo quisque jure posset ore & oculis usurpare. Superbe quidem & arroganter facerem, si momenta rationum vellem hoc loco recensere, quibus ii mihi conabantur hujusce Opusculi persuadere conscriptionem: illudque inprimis asserebant, nec quidem vix exeuntibus verbis, me in publica commoda peccare, qui tam multa, tam clara de re adeo antiqua & obscura a me tunc temporario sermone in medium prolata, typis descripta, exire non paterer in hominum manus ad Romanæ explicationem Antiquitatis: sed horum ego sermones æque demissis oculis præ modestia mea, atque pro illorum amantissimis dictis subridenti ore excepi. Quamquam victus contentione & precibus eorumdem, ad id tandem quod efflagitabant meam fidem coactus fui obligare: quam profecto ut solverem, desudandum mihi potius fuit, quam elaborandum, adeo sunt in ipsa, ut Plautus loqueretur, antiquissima antiquitate demissa ac sepulta ea, quæ de Strena erant temporariæ illi meæ disputationi addenda, & in lucem ac memoriam hominum revocanda. Non certe contentus fui illa solum repetere ac scribere, quæ in Palatina Academia, tunc quasi per ingenii ludum, ad auditorum animos oblectandos diximus. Quanta igitur cunque potui & cura & diligentia, Scriptores omnes tum Græcos, tum Latinos, cum antiquos, tum recentiores perlegi, apud quos aliqua de Strena mentio; quæ vero ab illis dicta comperi, bona fide selegi & descripsi; eaque vicissim digessi, nisi fallor, suo ordine. An vero fallar, tu mox cognosces, mi Antiquarie, & Philologe Lector, cum Librum attente percurreris: ego quidem de ea re judicium do tibi prætorio jure. Qui etiam volo censeas de Libri inscriptione, ut omnis ansa obstrigillandi iis Sciolis eripiatur, qui male feriati summo studio illud student, ut saltem aliorum scripta notantes, cum nihil sapiant, sapere videantur. Quippe Librum inscripsimus Janotatium, quia quod a nobis pertractatur argumentum de Strena est: quæ in honorem Jani data fuit a Romanis, & a Tatio Rege primum excogitata. Itaque ex duobus nominibus nomen unum junximus Janotatium, quod non tam principium & auctorem Strenæ indicaret, quam quid in Libro explicetur, in ipso quasi Operis vestibulo significaret. Verum nihil amplius te moror, quo minus ad ea properes legenda & censenda, quæ ego Romana fide anquisivi, & anquisita ac inventa ad communis Patriæ, &

SENATUS
POPULIQUE
ROMANI

gloriam in hoc volumen coegi. Atque equidem ut publice testarer meam erga Urbem & Romanos cives voluntatem, qui duos abhinc annos amplissimis viris Julio Porcio, Jacobo Avila, & Jacobo Lupo, Almæ Urbis Coss. & Horatio Speculo Capitum Regionum Præfecto, sive, ut vulgo dicunt, Priore, non me solum [1] Civitate Romana donarunt, inque Senatorium Ordinem cooptarunt; sed meos Libros etiam omnes posteros & successores, quotquot futuri sunt, Cives nobiles, Patriciosque Romanos eodem jure esse jusserunt, quo Cives nobiles, Patriciique Romani nati, aut optimo jure facti sunt; scriptionem hanc meam, sive Philologam, sive Antiquariam, non nisi facta singulari S. P. Q. R. commemoratione publice posui ac fixi spectandam, legendam.

1 Summa privilegii, quo H. Bossius Rom. Civitate donatus fuit Anno 1622.

Ad illustrissimum & amplissimum Virum,

PAPIRIUM CATTANEUM,

Regium Mediolani Senatorem,

Cl. V. BENEDICTI SOSSAGI
EPIGRAMMA.

ANtistes Juris, legum tutela, *Papiri,*
Urbis & anguigeræ turrigeræque Decus,
Cui lances Astræa suas donavit habendas,
Mnemosynæ cujus suspicit ingenium:
Cui non Grajugenum vidit, non Romula tellus
Audiit attonitis auribus ante parem.
Certe visa fuit majestas regia nunquam,
Dum per te loquitur, dignius ore loqui.
Accipe BOSSIADÆ Janum tua tecta petentem,
Præ te Romuleos despicit ille lares.
Gaudebat quantum magnos hilarare Quirites
Muneribus, vellet nunc placuisse tibi.

Ejusdem SOSSAGI
CARMEN

Ad Cl. V. HIERONYMUM BOSSIUM,

Ticinensem, & Romanum Patricium, ac Regium Eloquentiæ Professorem.

FElix o nimis, & nimis beatus!
Qui laudis cupidus perennioris
Pernox incubat improbo labori,
Et cudens monimenta docta, sistit
Annos fluminibus citatiores,
Et nomen simul eripit sepulchro
Invita Lachesi, negante fato.
Talem te colit, erudite BOSSI,
Ticinus pater, Insubrumque tellus,
Non lucem sine linea perire,
Non docto pater s labore noctem,
Dum prima viridis fores juventa,
Nec lanugo genas tibi induisset,
Mandasti innumeros typis libellos,
Excultos satis, & satis probatos:
At nunc robore fortioris ævi
Munitus Latium Vetus recludis,
Et mores Veterum latentiores.
Si sic quod superest fugacis ævi
Ducas, astra super vehere fama
Fama præpete, nesciaque mortis:
Felix o nimis, & nimis beatus!

Ad eundem BOSSIUM
DISTICHON

ANNIBALIS CAMPEGII,

J.C. & Regii Pandectarum Interpretis.

DAt Janus strenam, strenam dat BOSSIUS: illa
Fluxa perit, nunquam hæc interitura manet.

Ad eundem BOSSIUM,
Regium Eloquentiæ Professorem,
EPIGRAMMA

Cl. V. QUIRINI CNOGLERI,

Austrii, Theologi, Philosophi, & Medici.

URbis quæ fuerat, strenam dat BOSSIUS orbi:
O mune munus! o datorem muneris!
Quo vestræ, Critici, Strenæ de nomine lites?

A Hæc Strena utrumque, & Trena simul, & Strenia est;
Trena tamen potius. Treno insunt omnia, & iste
Punctum Libellus omne laudis possidet.
Quid caussæ dicam, BOSSI, te præter, in isto
Scripturientium chao & prurigine,
Quod Strenæ, quæ prima tamen totum inchoat annum,
Laudator hactenus nec unus obtigit?
An larva levior res est, caligave resarcta?
An clara sic, nec scriptionis indiga?
Nil horum. Nec res est scribi dignior ulla,
Nec quæ sit obsita tenebris majoribus.
B Quidnam igitur? nempe argumentum strenuitatis
Non debuit Strenam dare nisi strenuus.

Ad Cl. V. HIERONYMUM BOSSIUM,

Ticinensem, & Romanum Patricium, ac Regium & primarium Eloquentiæ Professorem,
EPIGRAMMA

FRANCISCI RUGERII,

Philologi nostro seculo eximii.

C CErno iterum exponi Romana æraria, Strenæ,
Et, BOSSI, ingenio munera sacra tuo.
Siccine thesauros ingentes divite servas?
Tantas solerti mente recondis opes?
Doctorum Cæsar Phœbi Capitolia scande,
Edomitæ famæ pande trophæa tuæ,
Et Strenam prisco præbe inde numismate: plaudit
Non plebs, Parnassi sed tibi docta cohors.

BOSSIO-CENTO
Verbis concinnatus ex Acclamationibus H. Bossii,
petitis a Nobil Viro,

D P. PAULO VENTURINO,

J.C. Veronensi.

Accl. XIX.	SCiant Posteri, sciant omnes, Provocari me,& magnitudine vinci,	*Accl.* XVII.
Accl XIIX	Difficultate sua voluntatem Comprobatura.	Nuncup. Epistola.
Accl. I	In integrum litteras Hieronymus Bossius, Augusto augustior,	passim *Accl.* I.
Accl. I.	Felicitate felicior, reddens, Di, qualis futurus!	*Accl.* I.
E *Accl.* III.	Antiquæ eruditionis specimen,	*Accl.* III.
Accl. XVII.	Ad litterarum laudem Litteratorumque Gloriam natus, dedit.	*Accl.* XVII.
Accl. III.	Quod si Decumanum	
Accl XIIX.	Major laus majoris gratulationis Caussam,	*Accl.* XIII.
Accl. XIIX.	Major gloria plenioris Plausus argumentum faciet;	*Accl.* XIIX.
Accl. XVIII.	Uno ore æternum prædicent, Uno sensu æternum censeant, Æternum addicti.	*Accl.* XVII.
Accl. XIV.	Ipsus ego tibi, Bossi,	
F *Accl.* II.	Ex voto plaudo, ex vero gratulor, Mensura furentis invidiæ Nulla tui spatium meriti capiet.	*Accl.* XIX.

Cl. V. BENEDICTI SOSSAGI
CARMEN.

BOSSIUS hic ille est, cujus si scripta revolvas,
Aurea non isthæc ferrea secla putes.
Exprimit artificis doctos industria vultus,
Ingenium scriptis exprimit ipse suis.

INDEX CAPITUM.

HIERONYMI BOSSII,

TICINENSIS,

CIVIS NOBILIS ET PATRITII ROMANI, ATQUE IN PALATINA ACADEMIA REGII ELOQUENTIÆ PROFESSORIS,

JANOTATIUS,

SIVE DE

STRENA.

SYNOPSIS CAPITIS I.

Strena quid ex definitione Festi, & nostra eadem. Quare sacrum munus Symmacho dicta: item quare faustum munus Ausonio.



Erfunctorie omnes ad hunc diem, strenue nemo de *Strena* scripsit. Ita profecto est; quantum ego scio, quantumque judicio esse possunt omnium Bibliothecarum, omniumque Typographorum syllabi. Quisquis enim Philologus de ea mentionem fecit, aut uno & altero Symmachi loco contentus fuit, aut duos tantum Festi & Nonii versiculos laudavit; cæterum ne γρῦ quidem adjunxit. Itaque, nos qui Opusculum hoc de *Strena* conscribere conamur, & iidem aggredimur, in quemdam campum, ut Jureconsultorum vox est, vacantem venire nobis omnino videmur. Quemadmodum certe dum *novas antiquas Observationes de Senatorum lato clavo* scriberem,

> [1] *Libera per vacuum posui vestigia princeps;*
> *Non aliena meo pressi pede;*

ita possum sine ulla fascini aut invidiæ deprecatione, meo jure dicere ac profiteri, quod in hanc curam unus ego omnium primus & solus incubuerim ut de *Strenæ* nomine, auctore, usu & aliis ad eam rem pertinentibus, priva scriptione disputarem;

> [2] *Nec sum animi dubius, verbis ea vincere magnum*
> *Quam sit, & angustis hunc addere rebus honorem;*
> *Sed me Parnassi deserta per ardua dulcis*
> *Raptat amor: juvat ire jugis, qua nulla priorum*
> *Castalium molli divertitur orbita clivo.*

D Porro nihil timemus ut alter dicat, *hic meus est*; nihil veremur ut nos quisquam dicat *actum agere*. Sed ne rei tempus pertractandæ verbis consumatur inanibus,

> Εγρεο, καὶ τρηχεῖαν ἐπιστείβωμεν ἀταρπόν,
> Τὴν μερόπων ἔπω τις ἑῆς ἐπάτησεν ἀοιδαῖς 3:
> *Eia age, flectamus deserta per aspera currum,*
> *Qua nondum proprio callem quis carmine trivit,*

1 Horat. *lib.* 1. *epist.* 19. 2 Virg. lib. 3. *Georg.* vers. 289. Oppianus lib. 1. *Cyneget.*

A A definitione sit initium: Strena munus est die festo ominis boni causa datum: nec a me quidem sic definio; auctorem Festum sequor, cujus hæc ipsissima verba: [1] *Strenam vocamus, quæ datur die religioso ominis boni gratia.* Quam definitionem si quis paullo diligenter nec animo occupato attenderit, facile intelliget quam lepide Symmachus [2] pro Strena *sacrum munus* dixerit. Nec vero caussam ignorabit quam propter Ausonius Poeta, dum Ursulum Professorem alloquitur [3] Strenam *faustum munus* appellarit. Ab altero certe *munus* dicitur *sacrum*, quia die religioso dabatur, ab altero *faustum*, quia fausti & boni ominis caussa. Sed hæc de defi-

B nitione, ut arbitror, satis, cum aperte declarent, quid Strena sit. Ad ἔτυμον transeo, ut, quam ingeniose fuerit dono ejuscemodi nomen Strenæ factum, intelligatur.

SINOPSIS CAPITIS II.

Duplex Strenæ notatio: a Strenuitate prior; a ternario numero altera; de priore hoc Capite. Strena igitur quasi Trena. Ratio τοῦ γράμματος S in Strena præscripti affertur, & explicatur.

C Duplici notatione hoc Strenæ nomen a Philologis cum nostri tum superioris ævi explicatum video: alii enim a ternario numero deductum volunt; a strenuitate alii: nos de alterutra separatim, ut distinctius agamus, esse disputandum arbitramur; atque ut numero dicam, a numero incipiam. Idem Festus eadem voce: *Strena vocamus a numero, quo significatur alterum, tertiumque* (corrupte *initiumque*) *venturum similis commodi, veluti Trenam præposita S littera, ut in loco & lite solebant Antiqui.* Cujus sane rei fidem faciunt egregiam antiqua marmora, in quibus disertim & quadratim litteris X. *viri stlitibus judicandis* scribitur, præterquam quod Fulvius Ursinus, politissimus cultor Antiquitatis, in Fragmentis XII. Tab. quæ collegit, & idem Notis illustravit, *stlites*, non *lites* legendum contendit: homini ego hac

D de re suffragio quidem enucleato, non eblandito, libens volens assentior. Dicebant quoque, aut quidem certe scribebant Veteres pro lata *stlatam*, pro tritavo, *stritavum*. Exempla qui amat videre Festum 4 adeat; adeat etiam si libet Quintilianum, 5

1 V. *Strena.* 2 Lib. 10. epist. 27. 3 Epist. 18. 4 V. *Stlata* & V. *Stritavum.* 5 Lib. 1. *Institut. Orat.* cap. 4.

Si vera tamen dicenda, unus *ſtritavus* tantum facere mihi fidem videtur ἐτύμῳ Feſti: etenim in loco & lite, quemadmodum in lata S & T, hoc eſt, ſilentii & Harpocratis nota ST, præponitur: unde *ſtlocus*, *ſtlis*, *ſtlataque*; in *tritavo* autem ſolum S ut in *Trena* proſcribitur, unde *ſtritavus* & *Strena*. Quamobrem non ego auſim negare, quod Strena a numero ternario ſuum nomen accipiat; præſertim cum maximus ingenio & judicio Jureconſultus Barnabas Briſſonius libro *de Formulis P. R.* quo de iis rebus diſputat, quæ ominis boni gratia fiunt, non ſolum affirmet *Strenam* veluti *Trenam* Præpoſita S littera dici; ſed ejuſdem etiam Feſti laudet notationem. Quanquam Franciſcus Juretus, vir in conjungenda Philologia cum Juriſprudentia eximius, de Strena ſic loquitur *Miſcellaneis ſuis ad Symmachum*, ut eam potius a ſtrenuitate, quam a ternario numero denominatam credere videatur. Nos vero nec Pompejani, nec Noniani, ſed medii quidem inter illos eſſe volumus; muto dictum, utrique eſſe volumus.

SINOPSIS CAP. III.

Strena a Strenuitate deducta Nonio: nonnullis vero Strena, quaſi ſine Threna dicta; quæ notatio proponitur, nec probatur. Strenua Dea: eadem Strenia, ac Stirenia, ſed mendoſe apud Varronem, Symmachum & Alexandrum ab Alexandro: qui nunc correcti. Xenium quid: an idem quod Strena.

Eorum autem familiam, qui nolunt a ternario numero Strenam appellari, unus ducit Nonius Marcellus [1]: quippe, ut hujus ſententia eſt, *Strena* dicitur a *Strenuitate*: ad quod ſane tum reſpexit & alluſit Q. Aur. Symmachus, cum de muneribus pro Strena datis neſcio quid verborum facit in hunc modum: *Nomen indicio eſt, viris ſtrenuis hæc convenire ob virtutem.* Itaque ſi bene vim verbi aſſequimur & eandem attendere volumus, re ipſa Strena danda, ſimul & accipienda eſt, ſtrenue, ac magna cum animi alacritate. Quovis certe pignore dato & quantacunque ſponſione facta contenderem, hoc propoſitum fuiſſe Decretalium Gloſſographo cum ſcripſit [3]: *Dicitur Strena quaſi ſine Thiena, id eſt, ſine lamentatione.* Non ego tamen ſine querela τὸ *ſine Thiena* legi, cum ea vox nec Latinitatem, nec Ελληνισμὸν ſapiat, nec Perſica ſit, aut Chaldæa, ſed monſtrum potius verbi ſub calamo natum alicujus Librarii, qui manus habeat, ut Jupiter ille Lucianicus caput, in ſcribendo puerperas. Et quoniam quidem illa Thiena exorta eſt parum bene volente Lucina, tenebras potius notationi Strenæ, quam lucem affert. Quamobrem in veræ lectionis inveſtigatione tamdiu me volui exercere; dum eam, calida admodum animi & mentis contentione perquiſitam, inveni. Non igitur *ſine Thiena*; ſed mutata litterula, *ſine Threna* legendum mordicus aſſerveramus: etenim cum ὁ θρῆνος ἀπὸ τοῦ ῥήματος θρηνέω, quod eſt *lamentor*, derivatur, dubitari non poteſt quin Gloſſographus in Archetypo ſuo *ſine Threna* ſcripſerit. Hanc meam ſive conjecturam, ſive correctionem, eorum improbabit nemo, qui Græce ſciunt: unus certe Joannes cognomine Januenſis, e ſacra Dominicanorum Familia Sacerdos, meæ ſententiæ adſtipulatur. Quæ-

1 Lib. *de Propr. ſerm.* cap. 1 *de compendioſa doctrina*. 2 L. 10. epiſt. 35. 3 Decretal. diſſ. 37. cap. legant.

A ritis fortaſſe quibus verbis? his ipſis [1]: *Strena. F. G. quæ vulgo dicitur Strenna, eſt quod primo datur alicui in Calendis, vel in primo die anni, vel ſeptimanæ pro bono omine: & dicitur Strena, quaſi ſine Trena, vel ſeorſum a Trena, id eſt, lamentatione, quia hilariter dari debet. Unde Strenoſus qui ſæpe dat vel accipit Strenam, & Streno, as, id eſt, encæniare, initiare, Strenam alicui dare, Strena aliquem exhilarare.* Paulo autem infra in verbo *Trena* hæc addit, quæ homini videntur hanc Strenæ notationem confirmare: *Trena a treneo trenes, unde trenis lamentabilis, trenoſus, lamentoſus, & trenicus.* Sic quidem lectum a B me fuit proximis ſuperioribus diebus in ejus *Catholico*, quod in elegantiſſimi viri J. Cæſaris Regiobuſti ſuburbano Muſeo vidi, ad quod me animi cauſa deduxerat ingenio ille & moribus bonæ mentis ocellus, ac doctrina idem & eruditione Phœbi ac Muſarum corculum, Felix Oſius meus. Nec me profecto illuc iviſſe pœnituit; atque adeo mens mihi eſt redire ſæpius ad eas reguſtandas ſuavitates, quas locus ille Philologorum & Antiquariorum oculis propinat; ſive nos Pictorum tabulas ſive Plaſtarum ἀγάλματα, ſive omnis metalli numiſmata, ſive denique gemmas, & Pliniana dignos contemplatione lapillos intuea- C mur.

Verum ut illuc redeam, unde diverti, non ſingularis eſt Januenſis de ea re opinio, ut Strena quaſi ſine trena, id eſt, ſine lamentatione, dicatur; quoniam Duarinus quoque Veronenſis, in *Vocabulario ſuo breviloquo* [2], non tam eodem ſenſu, quam iiſdem plane verbis loquitur, quibus ille in ſuo *Catholico*. Ab utroque tamen facile abeo, nec mihi patior ullo modo perſuaderi, ut Strenam quaſi *ſine trena* dictam putem; quia littera S in junctis cum ea vocibus non vim habet privationis, ut A, cum amens dicitur Latine, aut cum D Αμουσος Græce, & quia etiamſi ea eſſet Strenæ ἐτυμολογία, male uterque ſcripſiſſet *ſine trena*, *trennave*, cum fuiſſet *ſine threna* ſcribendum: adde his quod *Sthrena*, non *Strena* diceretur; id quod nec dictum a quopiam audivimus, nec alicubi ſcriptum adhuc legimus, nec olim puto legemus unquam. Ego vero, quod Strena ſine ulla adſpirationis nota ſcribenda ſit, cum ob uſum, tum ob ipſam rationem notationis a N. Marcello allatam, omnino contendo. Porro autem, quod a ſtrenuitate ducatur ſtrena, non tam Symmachi aut Marcelli verba ſuadent, quam teſtimonium perſuadet Auguſtini, quod apud me E profecto plurimum ponderis habet, cum quia ſancti viri eſt, tum quia Anteceſſoris mei, qui eandem provinciam in Palatina Academia Oratoriæ Artis explicandæ ſuſtinuit: quam ego excellentiſſimi Senatus Mediolanenſis beneficio abhinc quadriennium obtinui. Atqui S. Auguſtinus cum de antiquitate illa ΨΕΔΟΘΕΩΝ obcœcata præſtigiis, & nullo Chriſtianæ fidei illuſtrata ſplendore loqueretur, ſic ſcripſit [3]: *Deos ſingulos ſingulis rebus & pene ſingulis motibus attribuere: vocarunt Deam Ageroniam, quæ ad agendum excitaret: Deam Stimulam, quæ ad agendum ultra modum ſtimularet: Deam Murciam, quæ præter modum non move-* F *ret ac faceret hominem, ut ait Pomponius, murcidum, id eſt, nimis deſidioſum, & inactuoſum: Deam Strenuam, quæ faceret* ſtrenuum: *his omnibus Diis & Deabus publica ſacra facere ſuſceperunt.* Quod ſi Strenuam Deam appellarunt Veteres, quæ ſtrenuos homines redderet, ſi, inquam, ut ipſiſſimis Auguſtini verbis, alibi [4] etiam de eadem re factis, nunc ego utar, *Strenua Dea eſt*,

1 *Catholico* in V. *Strena*. 2 In V. *Strena*. 3 Lib. 4. *de Civ. Dei* cap. 16. 4 Ibid. lib. 4. cap. 11.

ſtre-

strenuum faciendo; cur non Strenam a strenuitate dictam credimus, quæ a strenuis & strenuis datur? De strenua vero Dea mentio quoque apud Sextum Rufum his verbis [1]: *Sacellum Strenuæ in Regione, cui nomen templum Pacis*. Adde quod Metellus Poeta, a Francisco Jureto Jureconsulto in *Miscellaneis Symmachianis* laudatus, dum Strenarum canit celebritatem, ejusdem Deæ non vulgarem faciat commemorationem [2],

Servant, inquit, *dona tamen notam*
A luco veteri nomine Strenuæ.

Quæ carmina nihil omnino aliud exprimunt, quam eum Symmachi locum, ubi narratur Tatio Regi verbenas felicis arboris ex luco *Strenuæ* pro Strena missas fuisse. Sed fortasse rogabit aliquis, an hæc Strenua, quæ apud Varronem *Strenia* atque etiam *Stirenia*, plane eadem, si modo *Strenia* unquam fuit apud Romanos? De qua sane doctissimus vir Lilius Gregorius Gyraldus, qui in Palatina Academia hic Mediolani a Demetrio Chalcondylo Atheniensi Græcis Musis didicit operari [3], ita dubitat, ut solam potius Strenuam agnoscat: est enim, ut Gyraldus loquitur [4], Strenua Dea, quæ & Strenia dici videtur, si codicibus credendum est. Nam divus Augustinus a strenue faciendo denominatam ait. Nec certe silentio prætereundus est hoc loco eruditissimus Philologiæ promus condus L. Cælius Rhodiginus [5], qui non tam Strenuæ nomen asserit, quam cur inter inanissima numinum nomina fuerit Strenua posita his verbis narrat: „ Appium Claudium crebro memorare solitum accepimus, negotium Populo Romano melius quam otium committi: non quia ignoraret, quam jucundus esset tranquillitatis status, sed quod animadverteret, præpotentia imperia rerum agitatione ad virtutem capessendam excitari, evibrarique nimia quiete in desidiam & velut marcorem quemdam relabi. Quo nomine *Strenuam*, Ageroniam, Stimulam industriæ Deas excogitavit Priscorum sedulitas. Sed & olim in Symmacho *Streniam* legebatur: quod cum mendosum esset, Juretus loco *Streniam* semovit, ac *Strenuam* reposuit in editione sua Parisiensi; eandem vero lectionem doctissimus Philologorum Gaspar Scioppius, in cujus amicitia multum mihi laudis & gloriæ positum existimo, sartam tectam servavit in Moguntiaca, quam ipse recensuit. Et quidem si Præses & Antistes hæc Dea strenuorum est, nec nisi a strenuitate Strena nominatur, nihil video cur *Strenia* dicenda sit. Itaque locum ipsum Varronis [6], in quo fuit antea semper nomen *Streniæ*, sic emendo, & legendum propono: *Postea Ceronia*, scilicet Urbis Regio, *quod hinc oritur caput sacræ Viæ ab Strenuæ sacello, quæ pertinet in arcem, qua sacra quotquot mensibus feruntur in arcem, & per quam Augures ex arce profecti solent inaugurare*. Eadem opera mihi Alexander ab Alexandro sanandus: etenim cum dicat [7]: *Hæc quidem sacra* (de Via sacra loquitur) *Romæ a Carinis oritur, & ab Streniæ sacello, ubi statua Clœliæ virginis insidens equo*: delendum assero τὸ *ab Streniæ sacello*, & *ab Strenuæ sacello* reponendum censeo. Sed omnino, ut verbum usurpem e *duodecim Tabulis* petitum, facer essem in Re-

A publica litteraria, si minus sacram Viam apud Festum [1] ab hac labe perpurgarem: *Quæ non catenus quidem, ut vulgus opinatur, sacra appellanda est a Regia ad domum Regis sacrificuli, sed etiam a Regis domo ad sacellum Strenuæ*: ita enim lego, duabus illis vocibus, *Stireniæ* & *Streniæ*, ad Cycladas Insulas ablegatis. Quid autem de erudi tiss. viro Radero meo dicam, qui Xenii significationem explicare conans apud Martialem [2], *Xeniorum*, inquit, *genus aliud est muneris, quod Strenas vocant a Strenia Dea*, Varronem & ipse erroris auctorem secutus pro *Strenua Streniam* fecit? Quanquam illud magis miror, quod vir,
B si quis alius, acutissime videns in litteris, non perspexerit, quanta inter Xenia & Strenas, ac alia munerum genera differentia sit. Equidem cum ea nobis maxima videretur, non sine aliqua industria ac diligentia eam pertractavimus in hujus Opusculi ad Lectorem *Prologio*. Ceterum me nolim quisquam verberet inconstantiæ nomine, qui doctiss. Raderum in *novis-antiquis meis Observationibus de Senatorum Lato Clavo* non sine elogio nominaverim, & contra eundem nunc esse voluerim. Sed quæ mea culpa? hæc vis est veritatis. Atqui ξένιον donum est quod hospiti datur; siquidem ξένος, unde deducitur, *hospes* est;
C & ξενικὸν *hospitium*, unde etiam verba ξενίζω καὶ ξενοδοχέω ἀπὸ τοῦ ξένου derivata, *hospitio suscipio*, & *hospites recipio* ac *hospitor* significant. Redeo cum RADERO in gratiam: Strena, si hospiti datur, Xenium est; & vicissim Xenium, si Strenæ tempore, Strena est.

SYNOPSIS CAP. IV.

D *Arithmeticæ duplex genus: ejusdem laus magna: magna item necessitas Philologo. Ternarii numeri perfectio quæ & quanta. Ternarius symbolum quale sit apud Mythologos, Philologos, Philosophos. Jupiter Trioculus quare effictus. Ternarii in sacrificiis, vaticiniis, & conviviis frequens usus. Ternarii mysteria varia. Strenæ notatio a Ternario deducta boni ominis plena. Gratiæ cur tres: cur nudæ.*

STrenue satis, ut arbitror, superiore capite strenuitatem Strenæ & sum ego tutatus, & explicavi: nunc igitur ejusdem nomen ostendam posse etiam μυστηριωδῶς a numero deduci ternario. Quod si maximus ille princeps ingenio-
E rum, Academiam &

—— veteres qui clarat Athenas [3],

si Plato, inquam, Socratis ore duplicem Arithmeticam facit [4]: *Alteram* scilicet *vulgarium hominum; alteram philosophantium;* non omnino rationes nostras & argumenta, quibus Strenam qua si Trenam dictam contendimus, aut explosum, aut improbatum iri existimabimus. Sed non propte ea *avaritiæ digitos commodare* [5] conabor per
F acutissima quæque ἀνακλήματα, quod ii facere solent, qui ad medium Janum sedentes Calendaria curant; sed ad Arithmeticorum numeros meam mentem ita appellam, ut non tam ceteras *artes sublato numero*, quod hospes inquit Atheniensis apud Platonem [6], *evanescere*, quam nullam

1 Lib. *de Region. Urb. Romæ*. 2 In *Quirinalibus*. 3 Laurent. Frizolius Dialogo *de Operibus* Lilii Gyrald. 4 Hist. Deorum Syntagm. 1. cap. de. Miscellaneis Deis 5 Lib. XI. *Lect. Antiq.* cap. 1. 6 Lib 4. *de Ling. Lat.* num. 8. 7 Lib. 2. *Genial. Dier.* cap. 18.

1 V. *sacram Viam*. 2 Comment. *in Martial. lib.* 1. *epig.* 1. & 3. 3 Ausonius. 4 *Phileb.* 5 Senec. Epist. 78. 6 Ibid.

pene Philologiam esse sine Arithmetica, ex mea disputatione intelligatur. Quid, quod idemmet Plato interrogatus, cur sit *homo animal sapientissimum*, responderit [1], *quia numerare novit*. Sed ad hanc hominis sapientiam sive comparandam, sive conservandam, *opus est numeris, non iis qui corpus habent, sed qui omnem paris imparisque generationem atque virtutem, quam ad perficiendam cognoscendamque rerum naturam conferunt* [2]. Itaque nunc eo libentius fidentiusque de ipsa Strenarum triade philosophabor, cum tantum absit, ut ex amusa literionum sententia ludicrum aut sordidum studii genus Arithmetica sit, ut nemo *ἀναριθμητικὸς* personam Philologi rite & ordine sustinere possit. Porro autem Samius Pythagoras, qui hac in nostra [3] Magna Græcia, Italia, omnium primus Philosophiam Italicam instituit, *ternarium numerum* non notam solum *perfectionis*, sed ipsam in eo constituit cunctarum rerum absolutionem. Quem secutus deinde Aristoteles [4] fuit, apud quem *τὸ πᾶν καὶ πάντα τοῖς τρισὶν ὥρισται*, *omne & omnia ternario terminantur*: id quod quidem non ab eo dicitur sine fundo, cum in ejusmodi ternario numero sint *τελευτὴ, καὶ μέσον, καὶ ἀρχὴ*, *finis, medium, & principium* [5]: nec est dubium, quin utrique Philosopho, Aristoteli nempe & Pythagoræ, plena cera subscribat Plutarchus, qui cum eadem pene verba dixerit in *Symposiacis* [6] suis, hoc amplius addit, ut breviter quidem, ita vere, *omnium numerorum primus est perfectus ternarius*. Cujus dignitas & perfectio eo major est, quia ejus unitas ternaria est, æqualitas ternaria, ac ternaria etiam connexio. Atqui in ternario tres monades sunt; & ecce ternariam unitatem, tresque isti monades sunt inter se pares; in quo ternaria æqualitas versatur: ac iidem quoque monades ter in ternario ponuntur, ex quo ipsius ternarii ternaria connexio colligitur. Prudenter igitur veteres Mythologi ad sui Jovis vim ac potestatem designandam hoc potissimum numero usi sunt: etenim supremo illi Regnatori Olympi trifidum sive trisulcum fulmen, a tribus Cyclopibus, Bronte, Sterope, & Pyracmone, cusum, tribuunt: quod cum ab ipso Jove emittitur, tria quoque in iis, quæ contingit, operatur penetrando, comburendo, atro colore tingendo. Adde his, quod ab ipsa Antiquitate etiam Jupiter ac cetera Deorum turba coleretur tribus modis, adoratione, sacrificiis, & hymnis; & quidem ter in die, ex totidem hemisphærii punctis, mane, vespere, meridie. In sacrificiis vero hostia tribus rebus adspersa immolabatur, liquore aliquo, puta oleo, vino, aqua; sale, & fruge, puta farre, hordeo, tritico. Sed nec illud hoc loco reticendum arbitror, quod in Larissæo Minervæ fano simulacrum Jovis positum fuerit tres oculos habens; unum & alterum scilicet in ea vultus parte qua homines habemus nostros, hinc inde a naso, & tertium in fronte: cujus commentationis argumentum ex his causis desumptum videtur: I. *Quia communis omnium hominum sermo regnare in cælo Jovem prædicat*. II. *Quia Æschylus Euphorionis filius ipsum maris etiam Regem Jovem appellat*. III. *Quia eum Deum, qui sub terra imperare dicitur, Homeri quidem versus Jovem nominat* [7] Hinc certe illa tria Jovis epitheta sive cognomina, *Ætherei* apud Martialem [8], *Secundi* apud Statium [9], & *Stygii* apud Virgilium [1]: fuit enim Jovis nomen, ut Bernartius scienter *in Statium* [2] adnotavit, tribus Saturni filiis commune, cæli scilicet Regnatori, Neptuno, & Plutoni. Quanquam ego Jovem lapidem, quando de Jove loquimur, dejerare ausim, unico illo simulacro, licet tribus oculis insignito, non tres Deos, sed unum tantum Jovem fuisse notatum. Atqui Pausanias, qui hoc factum narrat in *Corinthiacis*, sic more Ethnico ait: tres ei oculos attribuit quicunque illud posuit, unum & eundem significans Deum tribus, quas Dii tres sortiti inter se dicuntur, mundi partibus imperare. Nec alio quidem sensu hoc figmentum interpretatur, aut jam supra laudatus Bernartius in suis *Scholiis ad Statium*, aut Palatinæ Academiæ alumnus quondam, cum sub Demetrio Calcondylo Græcis Musis hic Mediolani operaretur [3], nunc vero singulare decus & ornamentum, Lilius Gregorius Gyraldus, in sua *Deorum historia* [4]. Sed quoniam ejuscemodi simulacrum Jovis hieroglyphicum sapit, libet maximi hieroglyphicorum promicondi, Pierii Valeriani, hoc loco verba adscribere [5]: „Statuam Jovis, *inquit*, in subdiali ara, ad quam Priamum Troja capta incensaque confugisse proditum, tribus insignem oculis fuisse ex Pausania cognitum; idque simulacrum a Sthenelo Capanei filio Argos translatum. Hieroglyphice vero indicasse triplicem ejus providentiam, qua cælestia, maritima, & inferna curat. Potuit-ne quicquam planius, ac ne quidem plenius ad hanc scenam? nihil omnino, Redeo igitur ad ternarium; sed neque tamen ab ipso Jove discedo; oculorum tantum mitto figmentum. Tu interim mecum sis, Rector Philologe.

Porro autem si legimus in sacris Litteris, auctorem naturæ Deum numero, pondere, & mensura, tribus, inquam, rebus, omnia perfecisse, næ ab ipsomet Deo ternaria probata perfectio est; quid, quod principium ipsum, medium, & finis, a me supra per ternarium significata, unus Deus revera sit. Nec hoc quidem Orpheus ignoravit, a quo Jupiter *ἀρχὴ, καὶ μέσον, καὶ τελευτὴ* appellatur; sed quod ille falso de Jove, nos de Deo verissime asseveramus, a quo omnia primum creantur, mox rapiuntur ad se, deinde perficiuntur. Atqui rerum omnium *ἀρχὴ* est, cum omnia ab illo fonte perenni effluunt, aut nascuntur: *μέσον*, cum in eundem refluunt, & suam originem repetunt: *τελευτὴ*, cum perficiuntur ubi in suum principium redierint: unde illi non ex Platonis [6] solum & Pythagoræ disciplina, sed ex nostrorum etiam Theologorum [7] sententia tria cognomina tribuuntur: dum enim creationem obit, bonus; dum allicit & rapit ad se, pulcher; dum perfectionem pro cujusque merito elargitur, justus appellatur. Verum ne plus nimio sacra profanis atque adeo Ethnicis commiscam, cum de Jove disputaverim, de ejusdem filia Hecate illud dicam, quod ad ternarium numerum pertinere existimabo. Atqui ingeniose quidem admodum Poetæ fecerunt, qui cum hanc Jovis filiam in cælo esse Lunam crediderint, in terris Dianam, & apud inferos Proserpinam, tergeminam sive tricipitem dixerunt simul ac finxerunt: quamobrem sunt omnino, ut cum Ausonio loquar [8],

—— *tria virginis ora Dianæ*.

1 In *Epinomide*. 2 Plato ibidem. 3 Cicero lib. 2. *de Orat.* 4 Lib. 1. *de Cælo* cap. 1. 5 Arist. *ibid.* 6 Lib. 9. cap. 3. 7 Pausanias *Corinthiacis* cap. 24 8 Libro 9. epigram. 36. 9 Libro 1. *Achill.* vers. 48.

1 Lib. 4. *Æneid.* vers. 638. 2 Scholiis ad. lib. 1. Achilleidos. 3 Laurentius Frizolius Dial. de Operib. Lilii Gyr. 4 Syntag. 2. de Jove. 5 Lib. 33. *Hierog.* cap. *de provid. Jovis*. 6 Plato passim. 7. Steph. Pugius *de Lege divina*. 8 Grypho tern. num.

Et eorum uno apud Orpheum [1] *jubolis equus*; altero *rabioso canis*; ac demum tertio homo præfertur agrestis formæ: cujus figmenti explicationem quisquis operæ pretium duxerit intelligere, suo jure Pierii Valeriani Opus *Hieroglyphicum* [2] perlegat, qua de cane, quaque de equo disputat. Nos interim ternarii laudationem prosequentes ex Poetarum fabulis hæc addemus, quod Plutoni canis tribuitur [3],

Cui tres sunt linguæ, tergeminumque caput;

quod Neptuni insigne sit tridens [4]; quod tres sint Gratiæ, Veneris comites; tres Parcæ Deorum librariæ, sententias Jovis excipientes; tres Horæ, cæli portarum custodes; ternæ Musæ [5]; triceps Mercurius Proclidis [6]; triplex Apollo idem Sol, & Liber existimatus; tres demum pedes, qui τρίποδα sustinent, ex quo Apollo [7], sive Pythius, sive Delphicus, certissima oracula & responsa emittebat ob trium temporum cognitionem,

—— —— [8] *novit namque omnia vates,*
Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

Sed fabulosa mittamus, & philologa ac simul historica narremus: habet notam prudentiæ ternarius, habet justitiæ, habet fortitudinis, habet temperantiæ: etenim, ut Democriti & omnium rite philosophantium sententia est, ex prudentia oriuntur tria, bene cogitare, bene dicere, bene facere: & quia *æqualitas in medio posita est eorum, quæ injuste aguntur & contra jus tolerantur, ab excessu & defectu proficiscentia*, majorum gentium Philosophi *ternarium dignati sunt justitiæ titulo* [9]. Quos quidem doctissimus clarissimusque vir Henricus Farnesius meus prudenter juxta ac scienter imitatus est, cum de ternario disserens hæc scripsit [10]: *Numerus hic non est arithmeticæ, sed justitiæ nota: tria enim sunt justitiæ præcepta, honeste vivere, neminem lædere, & suum cuique tribuere*. Est vero ternarius fortitudinis signum, quæ sic a M Tullio [11] definitur, *ut sit rerum magnarum appetitio, & rerum humilium contemplatio, & laboris cum utilitatis ratione perpessio*. Est etiam temperantiæ symbolum [12], quia virtus hæc, quæ domat cupiditates, *tribus animi bonis*, ut ait Georgius Trapezuntius [13], *absolvitur, continentia, clementia, modestia*. Designatur quoque per ternarium salus & veritas, quia hygeia per triplicem triangulum inter se quinquelinearem, quem πεντάγωνον nominant, exprimitur: veritas, quia, ut ait Farnesius meus [14], tres sunt syllogismorum figuræ, quibus ex cæca & ancipiti opinionis caligine veritas elicitur. Opportune igitur cum de syllogismis Dialecticorum mentionem fecerim, aliquid de Rhetorica, quæ ex altera parte respondet Dialecticæ [15], hoc loco addam ad ejusdem met ternarii commendationem. *Et in carmine, & in soluta oratione genera dicendi probabilia sunt tria, quæ Græci χαρακτῆρας vocant, nominaque eis, A. Gellio teste* [16], *fecerunt ἁδρὸν, ἰσχνὸν, μέσον, quasi* dixerim Latine stylum *uberem*, *gracilem*, *mediocrem*. *Vera autem & propria hujuscemodi formarum exempla in Latina Lingua M. Varro esse dicit; ubertatis Pacuvium; gracilitatis Lucilium, mediocritatis Terentium*: triplicis nempe styli tres Poetas. *Sed ea ipsa genera dicendi jam antiquitus tradita ab Homero sunt tria in tribus; uber in Ulysse; gracile in Menelao; mediocre in Nestore* [1]. Animadvertenda quoque eadem tripartita varietas est in tribus trium Sectarum Philosophis, in Carneade Academico, Diogene Stoico, & Critolao Peripatetico. Sed non in comessatione minus quam in dictione locum habet ternarius numerus; etenim in tricliniis tres lecti tresque mensæ positæ, & appositi etiam cibi missibus ternis [2]. Adde his quod in poculis servatus etiam fuerit ternarius, ut eleganter admodum expressit Burdigalensis Poeta his versibus [3],

Ter bibe, vel toties ternos, sic mystica lex est.
Vel tria potanti, vel ter tria multiplicanti,
Imparibus novies ternis contexere cubum.

Itaque aut tres cyathos bibemus ad numerum Gratiarum, aut tres ternos ad Musarum numerum. Quid plura? Nemo paullo humanior non novit ternarium esse absolutissimum, esse sacrum, & singularem quandam habere ἐνέργειαν. Atqui ratum & efficax id existimatur, quod ter dictum, aut factum est: beatissimi Danai [4] putantur, quia τρὶς μάκαρες: amatores, *quos irrupta tenet copula* [5] amasse, felicissimi censentur, quia felices ter a Poeta dicuntur. Verum ego prudens sciens mitto, quod idem ternarius numerus adhiberi solitus sit in *Magorum mysteriis*, ut testatur Theocritus [6]; *in funebribus cæremoniis*, ut Virgilius [7]; *in silentio indicendo*, ut Euripides [8]; *in rerum ludicrarum tractatione*, ut Aristophanes [9]; *in rerum seriarum explicatione*, ut Plato [10]. Mitto hæc, inquam, & alia sexcenta, quæ plane, ut Festus loqueretur, muginando possem de ternario recensere simul, ac enodatius enarrare. Nolo enim me quisquam putet, aut Ausonianum *ternarii Gryphum* hoc loco descripsisse, aut eorum scrinia compilasse, qui de numeris conscripserunt. Secus autem nihil Marsilius Ficinus [11], nihil Joannes Reuchlinus [12], nihil Lucas Paulus [13], nihil Petrus Bongus [14], nihil Joannes Noviomagus [15], nihil Fabius Paulinus [16], nihil ii omnes denique de numeris, aut numerorum mysteriis in litteras miserint, quin illud ego omne nunc referrem, sed quando hæc nostra disputatio inde fluxit & emanavit, quod Romanorum Strenam quasi Trenam fuisse dictam probare vellemus; hoc certe addendum arbitramur, quod ab Ausonio nostro [17] vocetur

Martia Roma triplex: Equitatu, Plebe, Senatu.

Quodque maximi *honores* Romanæ Reipublicæ ab Horatio [18] nominentur *tergemini*: qui quidem, ut D. Lambinus [19] interpretatur, sunt Quæstura, Prætura, Consulatus. Maxima igitur dignitas & perfectio est ternarii numeri, cum tot ac tanta complectatur μύστηρια, ut numen

1 Argonautica. 2 Lib. 4 & 5. 3 Tibul. lib. 3. eleg. 4. 4 Pausan. *Eliacis poster.* 5 Homerus lib. 5. *Iliados*. 6 Adagiogr. Erasmus Chil. 3. cent. 7. prov. 95. 7. Strabo lib. 9. *Geogr.* 8 Virg. lib. 4. *Georg.* vers. 392. 9 Plutarch. lib. *de Iside & Osiride*. 10 Lib. 1. *simul. Reip.* c. 10. 11 Lib. 1. *Rhet. ad Heren.* 12 Aristot. lib. 1. *Rhet.* cap. 22. 13 Lib. 4. Rhet. Constant. Landus lib. *de Numisma*. 14 Lib. 4. *simul. Reipub.* cap. 1. 15 Arist. lib. 1. *Rhet.* cap. 1. 16. *Noct. Att.* lib. 7. cap. 14.

1 Idem *ibid.* 2 J. Lipsi. *Ant. Lect.* lib. 3. 3 Auson. *Grypho*. 4 Hom. lib. 5. *Odyss.* 5 Horat. lib. 1. *Carm.* ode 13. 6 Idyllio 2. 7 Æneid. lib. 6. 8 Hecuba. 9 Ranis. 10 Dial. de Repub. 11 Argum. Plat. 12 Lib. de Cabal. 13 Lib. de num. myst. 14 Lib. de myst. num. 15 Lib. de arte Comput. 16 Lib. 3. de Septen. 17 Grypho. 18 Lib. 1. *Carm.* ode 1. 19 Comment. in Horat.

in Jove significet; in Apolline vaticinium; potestatem in Diana, Plutone, & Neptuno; in Gratiis, Parcis, & Horis officium; in Hygeja salutem; in sacrificio cultum & venerationem; moderationem in tricliniis & poculis; dignitatem in Urbe; *ἐνέργειαν* in sermone; perfectam eloquentiam in Oratore; veritatem in Dialectico; virtutem in animo; felicitatem in homine; in omnibus denique rebus perfectionem. Quamobrem iis ego facile etiam assentirer, qui strenam, munus scilicet ominis boni causa datum, a ternario numero, bonorum omnium plenissimo, denominatam crediderunt, quipe de festo munere cum Festo sunt præsertim, cum sic Strenæ nomen a ternario numero derivantes, quo animo dare quisque Strenam debeat, ostendant ac declarent. Porro autem *non datur beneficium*, ut Scaliger inquit[1], *spe tantundem recipiendi, sed simplici animo, non opera venali. Idcirco Gratiæ & nudæ sunt & tres; ut qui beneficio prior certat, ubi quippiam vicissim recipit, de integro itidem refundat; ea de causa prisci Latini Strenam quasi Trenam sunt interpretati, a tertia officii repræsentatione.*

SYNOPSIS CAP. V.

Strena vox proprie Latina. Janus Deus, cui non Græci similem. Non de Strena, sed de alia quapiam voce non Latina a Tiberio dubitatum: in Edicto ἐπινομίδα καὶ εὐαρχισμὸν non bene Strenam exprimere.

OMnino hæc vox Strena, sive e ternario sit format. numero, quasi Trena, aut Trina, sive a strenuitate deducta, Latinæ Gentis propria est. Atque adeo *vocem Latinæ parem Græci non habent*, ut scienter Casaubonus *in Suetonii Tiberium*[2] observavit. Quod igitur Romani homines ductu & auspicio ejus Dei instituerunt, cui

—— par nullum Græcia numen habet[3];

voluerunt pariter ea voce appellari, quæ sibi cum ipsis Græcis haud esset communis. Itaque eorum ridenda simul & explodenda sententia est, qui Tiberio puræ putæ Latinitatis amantissimo Strenæ nomen, tanquam non Latinum, suspectum fuisse existimarunt in Edicto, de quo his verbis Dio Cassius[4]: *Tiberius Strenam a quibusdam oblatam non accepite: eaque de re Edictum proposuit, in eo voce non Latina usus. Ejus cum in mentem ipsi noctu venisset, ut erat elegantiæ in loquendo perquam diligens, omnes qui Latinæ Linguæ proprietatem studiose observarent ad se vocavit. Ibi Atejo Capitone dicente, tametsi nemo ante ipsum eo vocabulo usus fuisset, nunc nihilominus in Tiberii gratiam int. r aliqua referendum: Marcellus quidam subdidit: hominibus Cæsarem Civitatem Romanam dare posse, dictionibus non posse: eam ejus immoderatam æquo animo libertatem Tiberius tulit.* Aliud quid certe Tiberio fecit dubitationem non Strena, quæ mere Latina: indicio cujus rei facile illud etiam esse potest, quod Ulpianum Athenaicus reprehendat Cynulcus, cum Strenam Romanorum *ἐπινομίδα* Græce diceret. Quod tamen verbum cum idem Casaubonus suis *Animadversionibus*[5] defendere conetur, non ipse minus in Cynulcum severus Aristarchus, quam in Ulpianum Cynulcus, ut ab eo vocatur, imperitus censor esse mihi videtur. Hæc liberius loquor, quia libertas dicendi ab eo mihi data: etenim in *Animadversionibus ad Athenæi Cœnas* post nonnulla sophismata ait: *Notabamus ad Suetonium deesse Græcis vocabulum, quo Latinum Strena dicant. Finxerunt etiam alii εὐαρχισμός* Græcum verbum, ut id exprimerent, quod per Strenam significatur.* Sed nec istud usu receptum: quamobrem imitandus Plutarchus, qui quoties *Lautia* in suis Græcis Scriptionibus habuit nominare, mera voce Latina *λαύτεια* dixit, ita Strenam *στρέναν* dicendam puto, ne scilicet dum novum aliquod fingamus verbum ad Strenam Græce exprimendam, aliud quid intelligatur, quam quod nos ipsi animo intendimus. Fugit certe ratio Calepinum, cum Strenam *ξένιον* dici affirmavit Græco vocabulo. Id quod sane haud animadversum miror ab oculatissimo in litteris viro, Joanne Passeratio, qui Calepini Dictionarium recensuit & auxit. O bone deus! quo auctario? eo quidem ut plus laudis & gloriæ Calepino accesserit ex adjunctis a Passeratio, quam ex iis quæ primum ipse conscripsit. Porro autem munus, quod *ξένιον* appellatur, illud est, quod hospitibus dabatur: ex quo factum, ut lepidissimus Poetarum Martialis sua Disticha, quibus munuscula hospitibus danda celebrantur, *Xenia* nuncuparit. Non mihi sane venire quicquam in mentem potest, cujus caussa doctissimus Raderus alicubi scripserit, *Xeniorum genus aliud esse quod Strenas vocant.* Tolerabilior tamen Calepino Raderus, qui Xenium genus Strenæ, non Strenam, ut ille, dixerit. Sed hac de re alias. Præterquam quod de singulis munerum nomenclaturis in principe hujus libri disputatione sic egimus, ut quid Strena cum a Xenio ipso, tum ab omnibus aliis doñis differat, abunde satis explicatum a nobis fuisse arbitremur.

SYNOPSIS CAP. VI.

T. Tatius Romuli primum hostis; mox socius in Regno; idem auctor Strenæ. Quo seculo Strena data: Romæ data:

NEmo est paulo humaniorum litterarum peritus, qui in Romanis Historiis perlegendis non didicerit, T. Tatium Romuli primum hostem, deinde socium in Regno fuisse: etenim plerique omnes Historici, qui res a Romanis gestas in litteras miserunt, de hac Regni societate mentionem faciunt plane singularem. Porro autem Eutropius, ut alios mittam, sic de ea disputat[1]: „ Cum uxores Romulus ipse & Populus non haberent, invitavit ad spectaculum ludorum vicinas Urbis „ Romæ nationes; atque earum virgines rapuit „ anno ab Urbe condita quarto. Tunc una virgi„ num pulcherrima cunctarum acclamatione ra„ pientium Talassio Duci Romuli decernitur: un„ de nuptiarum solemnitatibus Talassio vulgo cla„ mitant; quod scilicet talis nupta sit quæ Ta„ lassium habere mereatur. Commotis itaque bellis „ propter raptarum injuriam, Romulus Cæni„ nenses vicit, Antemnates, Crustuminos, Sabi„ nos, Fidenates, Vejentes; hæc omnia oppida „ Urbem cingunt. Tunc etiam Tarpeja virgo „ Sabinorum clypeis in monte obruta est, qui ab „ ejus nomine Tarpejus est nominatus; in quo Ca„ pitolium est constructum. Pepigere tamen Ro„ mani cum Sabinis, quorum filias rapuerant, „ amicitias adeo, ut Sabinorum Rex Tatius re„ gnaret cum Romulo; Sabinique & Romani unus

1 Lib. 3. *Poet.* cap. 24. 2. Cap. 34. 3 Ovid. lib. 1. *Fast.* vers. 90. 4 Lib. 57. *Rom. Hist.* 5 Lib. 3. cap. 18.

* Ita legitur in Athenæi Animadv. loco citato; at rectius *εὐχαρισμόν* in Not. ad Sueton. Tiber. cap. 34. 1 Lib. 1. *Rer. Rom.*

„ Populus efficerentur. Ad quod sane Ovidius non tam respexit, quam adlusit, cum de sermone cum Jano a se habito sic scripsit: [1]

Ille manu mulcens propexam ad pectora barbam,
Protinus Oebalii rettulit arma Tati:
Utque levis custos armillis capta Sabinis
Ad summæ Tatios duxerit arcis iter,

Sed leviter nimis Ovidius, & obscure: aperte Florus hoc, Livius, & alii testantur; nec ποιητικῶς ut ille, sed ad fidem historiæ. Unus autem in primis Florus, quod fuerint Sabinis & Sabinorum Regi Tatio per virginem proditæ portæ Urbis Latinæ, prodit. Idem etiam narrat [2], *quod atrox in ipso aditu pugna*: quod tandem *pax facta cum Tatio, fœdusque percussum*: quod *secuta res mira dictu, ut relictis sedibus suis novam in Urbem hostes demigrarent*. Sed fortasse curioso Lectori hoc non ingratum accidet, si primum locum indicavero, ubi fœdus ejuscemodi percussum fuit. Quippe Romæ, ut Festus testatur, *sacram Viam*, inquit, *quidam appellatam esse existimant, quod in ea fœdus ictum sit inter Romulum ac Tatium*. Tatius igitur ut Romanorum civium benevolentiam magis ac magis aucuparetur, modis quam pluri mis eorumdem animos cœpit sibi devincire; id quod præcipue studuit efficere largitionibus: neque eum, ut in novo Principe semper

—— *res est ingeniosa dare* [3],

eventus fefellit; adeo quidem liberalitate & munificentia, tanquam caduceo [4], omnem P. R. tumultum sedavit, ac animos leniit, & pacavit omnino: etenim Titus Tatius ipsis anni Calendis nonnulla Romanis munera nomine Strenæ dar instituit; quæ suaviter adeo illorum animos affecerunt, ut iidem voluerint ipsum Regem sive in amoris, sive in grati animi signum *verbenis ali quot felicis arboris remunerari*. Sed obiter notandum censeo *verbenas* hoc in loco, ut apud Virgilium Servius adnotavit [5], *abusive vocari omnes frondes sacratas, ut est laurus, oliva, myrtus*. Ego quidem hæc paucula dicenda existimavi ne quis in eo deciperetur, ut per verbenam ipsam Plinii verbenacam, quæ a Dioscoride ἱερὰ βοτάνη nominatur, intelligeret: etenim cum eæ fuerint verbenæ felicis arboris, sequitur certe, ut non ex verbenaca, quæ inter herbas & frutices, non inter arbores censetur, illas fuisse credendum sit. Quin potius repeto, verbenas καταχρηστικῶς omne genus frondium arboris felicis nominari: felix autem arbor, ut infra docebimus, ea præcipue ab Antiquis existimabatur, quæ alicui superorum Deorum esset consecrata. Unde etiam in more apud eosdem positum fuit, ut *ipsæ aræ suorum numinum fronde ornarentur* [6]. Scienter igitur & lepide verbenas ejuscemodi & festas frondes, quibus aræ coronarentur, *ararum redimicula* Donatus nuncupavit [7]. Quanquam eædem etiam herbæ verbenæ, id est, herbæ sacræ, apud Festum, *sagmina* vocantur, quia ex loco sancto arcebantur a Consule Prætore-ve, Legatis proficiscentibus ad fœdus faciendum, bellumque indicendum.

Itaque centum illi Oratores, quos Virgilianus Æneas [8],

—— *augusta ad mœnia Regis*
Ire jubet, ramis velatos Palladis omnes,
Donaque ferre viro, pacemque exposcere Teucris;

ad hujus prisci ritus observationem verbenarii Legati possint eleganter admodum nominari; id quod jampridem Philippus Beroaldus Rhetor olim *Palatinus*, cujus successorem nunc me esse magna profiteor cum animi voluptate, in Commentariis Apulejanis observasse perspexi, cum hæc scripsit [1]: *De verbenario Legato, quem ad hostes mittebant res raptas repetitum, alibi plura annotavimus*. Ceterum ut ad propositum argumentum redeam; T. Tatii temporibus primum Strenarum commercium fuit, prima origo. De qua luculentum hoc Metelli Carmen [2]:

Strenæ præterea nitent
Plures aureolæ, munere regio
O . . . P . . . P . . .
Urbi quas Latiæ tum juveni dedit
Rex Titus Tatius prior,
Festas accipiens paupere
Verbenas studio Patrum
Solers posteritas quas creat aureas.

Mendose quidem in Juretanis *ad Symmachum Miscellaneis soleres* legitur pro eo, quod nos reposuimus, *solers*. Sed ad rem, non est hoc loco Symmachus reticendus: cujus fortasse in *Epistolis* aliud nihil habetur quod omnes frequentius laudent, quam quod de Strena est: hominis igitur & ipse verbis [3] loquar: *Ab exortu pene Urbis Martiæ Strenarum usus adolevit auctoritate Tatii Regis, qui verbenas felicis arboris ex luco Strenuæ, anni novi auspices, primus accepit*. Ita enim lego ex emendatione Scioppii mei. Quod autem Strenæ primum fuerint institutæ a Tatio Rege, confirmatur etiam in Adr. Junii *Nomenclatore* [4]. Præterquam quod eruditissimus Turnebus sic disertim scripsit [5]: „ Strenarum origo, qua felicem „ ominamur annum ipsius auspicio & initio, a „ Tatio Rege manasse dicitur, qui primum Ro„ muli hostis, deinde Collega in Regno Romano „ fuit. Hoc, quia & Strenæ ne hoc quidem tem„ pore exoleverunt, litteris mandare volui, ut & „ antiquitatem rei intelligamus, & quem aucto„ rem ejus moris habeamus, sciamus. Itaque possum hoc Caput sic perorare, ut dicam, Romæ Strenam primum fuisse excogitatam a Tatio Rege in ipso plane Urbis exortu.

SYNOPSIS CAP. VII.

Verbenæ felicis arboris pro Strena. Felix arbor quæ; mox quænam infelix. Pro Strena laurus data: quæ caussa. Pateræ aureæ cum v. *solidis; numismata & nummi, in quibus effigies Imperatorum. Ausonius in Palatina Academia. Inscriptiones bene explicatæ. Stips quid. Signa Diis dicata & Strenæ ab Imperatoribus. Strenæ munus varium.*

LAudanda profecto ex eulogio plus quam Joviano Romanorum veterum probitas ac frugalitas, quæ in totius Orbis exemplum floruit illis [6]

1 Lib. 1. *Fast.* vers. 259. 2 Lib. 1. *de gest. Rom.* cap. 1. 3 Ovid. lib. 2. *de Arte Am.* 4 Am. Marcellinus libro 25. cap. 4. 5 In libro 12. *Æneid.* 6 Alexander ab Alex. lib. 4. c. 17. 7 Comment. *in And. Terent.* Act. 4. Sc. 4. 8 Lib. 7. *Æneid.* vers. 153.

1 Comment. in lib. 11. Apul. *de Asino Aur.* 2 In *Quirinalibus*. 3 Lib. 10. epist. 35. 4 In V. *Sotena.* 5 Lib. 9. *Advers.* cap. 26. 6 Ovid. lib. 1. *Fast.* vers. 97.

—— prisci temporis annis;
Dum populus pauper, dum nova Roma fuit;
Dum casa Martigenam capiebat parva Quirinum,
Et dabat exiguum fluminis ulva torum.
Jupiter angusta vix totus stabat in æde;
Inque Jovis dextra fictile fulmen erat.
Frondibus ornabant, quæ nunc Capitolia gemmis.
Pascebatque suas ipse Senator oves.

Nihil omnino, nihil sic tum luxuria variaverat, ut alibi ars, cum Plinio dicam 1, alibi materia esset in pretio. Nusquam certe eo sæculo fuit, quod inquit Ovidius, in pretio pretium: tantæ vero frugalitatis argumentum esse etiam in Strenarum missione voluerunt: namque, ut ex iis liquet, quæ e Symmacho & Metello petita Capite IV. descripsimus, verbenas felicis arboris dederunt pro Strena. Felices autem arbores duplici ratione dicuntur: aut quia fructum ferunt, aut quia superis Diis sunt sacræ. Infelices item duobus modis vocantur: aut cum steriles sunt, aut cum in tutela inferum Deorum; qua de re scienter admodum disputat Johannes Brodeus in *Miscellaneis* 2, ante vero hunc Macrobius in *Saturnalibus* 3; ad quos tamen nolo ita Lectorem meum advocare, ut nihil hac de re mihi esse dicendum putem. Quin immo Polyhistoricum Plinium 4 de eo testem produco, quod arbores *infelices existimentur, damnatæque religione, quæ neque seruntur unquam, neque fructum ferunt*. Plinio autem Apulejus non eblandito, sed vi veritatis enucleato suffragio adstipulatur, cum ait: *arbor infecunda & infelix, quæ nullum fructum ex se gignit, tanti est in pretio, quanti lignum ejus in trunco*. Quam hominibus opinionem me eam imbiberint, nihil est, cur pluribus quam ... Catonis verbis 6 & auctoritate confirmem, eas felices arbores appellari, quæ fructum ferant: etenim non in re minus philologa quam in philosopha contrariorum contraria sunt consequentia: alioquin certe de Varronis titione ex felici arbore 7, aut de eo ardore, quo apud Claudianum 8,

Vivunt in Venerem frondes, omnisque vicissim
Felix arbor amat;

ad hanc rem magis ac magis illustrandam faces accenderem disputationis meæ. Non tamen Virgilianum reticebo carmen, in quo fœcunditas felicitatis nomine significatur: *Hic segetes*, inquit Poeta,

illic veniunt felicius uvæ,
Arborei fœtus alibi, atque injussa virescunt
Gramina.

Quo in loco cum Ascensius Interpres 9 felicius explicet per fœcundius & uberius, hoc amplius ego ad rem præsentem observo, quod hanc ipsam felicitatis fœcunditatem *arborei fœtus* habeant apud Virgilium, apud quem etiam in eo libro *Georgicorum*, quo præcipue præter cetera de inoculatione & insitione ab eo differitur 10,

Exiit ad cælum ramis felicibus arbos,
Miraturque novas frondes, & non sua poma.

1 Naturalis Hist. lib. 33. cap. 1. 2 Lib. 4. capite 6. 3 Lib. 3. capite 20. 4 Lib. 16. capite 26. 5 Apolog. 1. 6 Cælius Rhodig. *Lect. Ant.* libro 10. cap. 7. 7 N. Marcel. l. 2. verbo *titionum*. 8 *De Nupt. Hon. & Mariæ* vers. 65. 9 Comment. *in Virg. lib. Georg.* 1. vers. 54. 10. Lib. 2. vers. 81.

Sed ne cuiquam ego admirationem faciam, quod proposita duplici arborum felicitate unam tantum explicarim, ad alteram transeo: & quoniam e duabus Deorum quasi classibus felicitatem ejuscemodi arboribus dari Veteres insana illa & deridenda religione sua crediderunt, ipsorummet ... nomina recensebo; & quinam superioris aut inferioris, ut ita loquar, ordinis sint, indicabo. Atqui superiores Dii, quorum sex mares sunt, & totidem fœminæ, unico disticho censentur ab Ennio,

Juno, Vesta, Ceres, Diana, Minerva, Venus, Mars,
Mercurius, Jovi, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Quamquam a nonnullis plures quam duodecim numerantur, qui, ut testatur Adrianus Turnebus 1, eos esse XVIII. contendunt. Sed qui hoc faciunt, nihil discriminis ponunt inter majorum & minorum gentium Deos; inter communes & dividpotes; inter Consentes & Penates; inter hos denique & selectos. Quippe, ut selectorum numerus quoquo modo augeatur, nonnullos ex communium & minorum gentium Deorum censu in numerum transscribunt selectorum, magnorumque. Divus profecto Aurelius Augustinus 2 non tam ex Varrone numerat, quam ex sua mente irridet XX. selectos antiquæ, ut ita loquar, Gentilitatis; XII. scilicet mares, & VIII. fœminas: mares sunt hi: *Janus, Jupiter, Saturnus, Genius, Mercurius, Apollo, Mars, Vulcanus, Neptunus, Sol, Orcus, Liber Pater*. Fœminæ hæ: *Tellus, Ceres, Juno, Luna, Diana, Minerva, Vesta, Venus*. Sed, mi Lector antiquarie,

3 *Nec tibi tam longis opus est ambagibus usquam;*
Nec me tam multam hic operam consumere par est.

Tantum igitur Scriptores indicabo, apud quos poteris tuo jure, de Deorum, ac Dæmonum potius, veterum potestate, numero, nominibus, & dignatione perquirere. In primis quidem, si te hæc curiositas tenet, videndi sunt ex Ethnicis M. Terentius Varro *lib.* 4. numero 10. Virgilius lib. VI. *Æneidos*; M. Tullius Cicero tribus ipsis libris *de natura Deorum*: post hos autem non sine cura legendi sunt maximi illi Triumviri, Christianæ religionis & pietatis adversus Gentes Ethnicas assertores, L. Cælius Lactantius Firmianus *divinarum Institutionum* libris primo & tertio *de falsa religione*, libro secundo *de origine erroris*; Tertullianus *Apologetico*, & Arnobius ipsis octo libris, quibus ejuscemodi Antiquitatis deliramenta de Deis non tam confutare conatur, quam despuit. Sed o me immemorem! legendus præcipue, quem præterieram, D. Aurelius Augustinus *de Civitate Dei*.

Ego interim ad nostri Actus Scenam revertor, & illas arbores felices ex Veterum disciplina confirmo, quæ uni ex superioris ordinis Diis dicatæ sunt. Quia igitur Quercus & Esculus est Jovi sacra, Pinus Neptuno, Cerrus & Myrtus Veneri, Laurus Apollini, Olea Minervæ, Vitis & Hedera Baccho, arbores sunt, quæ felicitatis nomen ab ipsa Deorum tutela credebantur retinere 4.

1 Lib. 15. *Advers.* cap. 1. 2 Lib. 7. *de Civit. Dei* capite 2. 3 Lucret. libro 6. vers. 1079. 4 Ovid. lib. 3. *Fast.* Faernus *Fab.* Textoris *Offic.* Alexander ab Alex. lib. 3. Genial. Dier. cap. 17. Alciatus *Embl.*

Contra autem ex Tarquinii Prisci testimonio apud Macrobium[1], *Arbores, quæ inferorum Deorum avertentiumque in tutela sunt, infelices nominantur.* Nec est quisquam, arbitror, qui nesciat in inferis numinibus reputari Plutonem, Proserpinam, Megæram, Chimæram, Tisiphonem: in avertentibus vero Robigum, Angeronam, Belloniam, Averruncum. Itaque si verbenam cujuscunque felicis arboris pro Strena dari solitam fuisse putandum est, ea aut quercea fuit, aut pinea, aut myrtea, aut hederacea, aut denique ex quacunque earum arborum decerpta, quæ Diis illis magnis sive selectis esset dedicata. Nos vero non nisi lauream eam verbenam fuisse existimamus, quod quidem nec gratis, nec sine fundo dicimus: etenim si Strena boni ominis caussa dabatur, cur non lauri potius, quam alius cujuscumque arboris felicis verbenam pro eo munere Januario missam arbitrabimur, cum haud dubios & felices rerum eventus ex abunde crepantis lauri strepitu aucupari soliti fuerint Veteres: præcipue vero ipsis anni Calendis. Tibullus certe hac mente accipiendus in eo disticho[2],

At succensa sacris crepitet bene laurea flammis,
Omine quo felix & sacer annus eat.

Hoc autem non observatum miror aut a Bernardino Veronensi, qui Tibullum Commentariis illustravit, aut a Marco Antonio Mureto, qui in eundem Poetam Scholia dedit eruditissima, aut denique ab illo Critices & Philologiæ doctissimo mysta L. Cælio Rhodigino, qui cum justum caput in suis *Antiquis Lectionibus*[3] de lauro conscripserit, duo tantum notaverit in Tibullo de hac felici arbore: alterum scilicet ad illud carmen[4],

Laurus ubi bona signa dedit, gaudete coloni;

quod ex crepitante lauru felicitas portendatur: alterum ad hos versus de Sibylla,

Vera cano, sic usque sacras innoxia laurus
Vescar, & æternum sit mihi virginitas;

quod vaticinaturi lauro uterentur, ac simul vescerentur, aut quidem certe, ut ait ille noster[5], *morderent laurum*: unde Δαφνηφάγοι a palliatis Poetis nominabantur. Sed sunt & aliæ rationes, quæ mihi facile verbenas lauri pro Strena fuisse donatas persuadent. Quæ quoniam non paucæ sunt, illas numero dicam potius quam recensebo. Princeps est, quod sicuti a Jano janua dicitur, ita a janua laurus janitrix denominatur, quia hæc arbos, ut inquit Plinius[6], *triumphis proprie dicatur, vel gratiosissima domibus janitrix Cæsarum Pontificumque, quæ sola & domos exornat, & ante limina excubat*. Altera ratio ab Ausonio mihi suppeditatur in hoc carmine[7] de Imperii tempore,

Ter dominante Tito cingit nova laurea Janum.

Ex quo sane verum esse illud perspicitur, quod Joannes Savarus *in Sidonium Commentario* scribit, cum ait, *primis anni auspiciis Janus nova laurea coronabatur*. Locus autem C. Sollii Apollinaris Sidonii hic est[8],

1 Lib. 3. *Saturnal.* cap. 20. 2 Lib. 2. eleg. 5. 3 L. 5. cap. 7. 4 Tibul. lib. 2. eleg. 5. 5 Rhodig. ibidem. 6 Lib. 15. *Hist.* cap. 30. 7 Lib. *de* XII. *Cæs.* 8 Carm. 1. Paneg. Anth.

—— tuque o, cui laurea, Jane,
Annua debetur, religa torpore soluto
Quamvis fronde comas.

Tertiam rationem, quæ duplex est, ex Polyhistore Plinio[1] desumo. Etenim laurus *pacifera* ab eo dicitur, *ut quam prætendi etiam inter armatos hostes quietis sit indicium*: & eadem etiam, ut idem Scriptor testatur[2], *Romanis præcipue lætitiæ victoriarumque nuncia additur lituis, & militum lanceis, pilisque*. Itaque facile est credere, laurum, cujus usus tam frequens domi forisque fuerit, in honorem Jani pro Strena datam, cum Janum ipsum argumento pacis bellique cultum sciamus prisco seculo. Quartum argumentum, quod contendimus esse verum, nobis affert idem Plinius, qui laurum spectatissimam dicit esse in monte Parnasso. *Ideoque etiam illa est*, ut idemmet Historicus ait[3], *grata Apollini, assuetis eo dona mittere jam & Regibus Romanis, teste Lucio Bruto*. Ceterum prudens sciens mitto dicere, quod lauru victores Delphis coronarentur, & triumphantes Romæ[4]; quodque lauri folia sub pulvillo noctu posita veritatem somniorum conciliare putarentur[5]; quod divinationis symbolum esset eadem arbos; quod salutem afferre existimaretur[6]; quod ex arboribus una laurus fulmine non iceretur[7]; quod denique adversus venena præsentissimum esse putaretur remedium[8]; mitto, inquam, hæc omnia & alia sexcenta, cum validiore argumento hoc a me confirmatum iri nemo negaturus sit, si per arborem felicem laurum præcipue significari apud antiquos Scriptores ostendero. Quippe Hilarius apud Ammianum Marcellinum[9], cum de futuris oraculorum cogitaret consulere, ad cortinæ similitudinem Delphicæ de laureis virgulis mensam a se constructam & ritualiter consecratam ait, eamque ut motam significet de more, hæc mox subjungit: *Linteis quidam indumentis amictus, calceatusque itidem linteis soccis, torulo capiti circumflexo, verbenas felicis arboris gestans, litato conceptis carminibus numine, præscitionum auctore, ceremoniali scientia superstitit*. Quod vero Apollini sacrificantes, divinationem facientes, oracula consulentes, laurum aut morderent, aut gestarent manibus, aut capiti imponerent, notissimum esse arbitror, vel ipsis Philologiæ, ut ita loquar, edictalibus. Itaque per *verbenas felicis arboris* est laurus omnino intelligenda: quid, quod idem Marcellinus Lauriacum sive Laureacum, vulgo *Lorch* appellatum, olim, ut Phil. Ferrarius[10] adnotavit, Norici Metropolim, atque etiam, ut de ejus situ Abrahamus Ortelius[11] scribit, *Austriæ oppidum ad ostia Anasi fluminis*, περιφραστικῶς a notatione nominis *Castrum felicis arboris* appellarit. Sed audiamus, quæso, ipsiusmet Historici[12] verba: *Gratianus exinde digressus per Castra, quibus felicis arboris nomen est, ad opitulandum oppressæ parti porrectis itineribus ire tendebat*. Hic certe sermo est de Lauriaco, cum ex superioribus historiæ partibus non obscure colligatur, hinc in Austria fuisse Gratianum Cæsarem: quod vero in nonnullis Codicibus *per inaureatum* legatur hoc modo, *per Castra quibus felicis arboris nomen est per inaureatum opitulanda*, merum Glossema esse, quantalibet sponsione facta contenderem: quod certe non animadvertit Franciscus Lindenbrogius[13], qui tamen alioquin laudem meret non

1 Lib. 15. *Hist.* cap. 30. 2 Ibidem. 3 Ibid. 4 Idem ibid. 5 Cælius Rhod. lib. 5. cap. 7. 6 Idem *loco cit.* 7 Plinius ibid. 8 Adagiogr. laur. baculum gesto. 9 Lib. 29. c. 1. 10 Epist. Georg. lib. 1. 11 Thesaur. Geogr. 12 Marcell. lib. 31. c. 10. 13 Observ. in Ammian. Marcel. *loco cit.*

vulgarem, cum vocem illam *inaureatum*, ab aliquo primum Cosmographiæ non ignaro lectore transverso calamo notatam, mox a Typographis in ipsum historiæ corpus admissam, expungat, & *per Lauriacum* reponat. Laudandus etiam de eo plurimum, quod hanc correctionem suam laudatione confirmet *Codicis Theodosiani* [1], in quo Novella legitur, *Dat.* VIII. *Kal. Julii Lauriaco Marcellino & Probo Coss.* Porro autem eadem luce *Agellianæ Noctes* sunt illustrandæ, in quibus aliud nihil, quantum ego judico, felix arbor significat quam laurum. *Noctium* locus hic est [2]: *Eædem ferme cærimoniæ sunt, quas Flaminicas Sacerdotissas Dialis seorsum ajunt observitare; veluti est, quod velo lato operitur, ut & quod in rica surculum de arbore felici habet*. Ita enim omnino legendum arbitror ex emendatione doctissimi clarissimique Quirini Cnoglerii Austriaci Philologi, Philosophi, Medici, ac Theologi præstantissimi, qui proximis superioribus diebus apud suavissimum Æsculapii ocellum & Jovis hospitalis delitium, Gasparem Asellum meum, suas mihi *Noctes Italicas* ostendit; in eis vero asserit corrupte legi in Agellio, *quod bene nato operitur*: & corrigit, *quod velo lato operitur*. Mox etiam ait mendosum esse, *quod virica surculum*, & pro eo, *quod in rica surculum* reponit: scienter quidem & erudite; quam emendationem libens amplector, cum quia amplissimus Perisinorum Episcopus Neapolio Comitolus in suo codice per Amanuensem voluit, ut audio, adnotari, laudato etiam ipsius Quirini nomine in margine Libri; tum quia mire facit ad novæ nuptæ flammeum, de quo nos abunde disputamus in nostro *de sponsalibus & nuptiis ... thalassio*, qui propediem typis describetur. Sed quicquid & qualecunque sit hoc, quod hactenus aut de Diis, aut de felici arbore, aut singulariter de lauru disputavi, nonnihil a proposito de Strena deflectens, non operam tamen lusisse, nec operæ pretium me non fecisse existimo; præsertim cum in hoc genere ex Agathonis sententia [3],

Τὸ μὲν πάρεργον ἔργον ὡς ποιούμεθα,
Τὸ δ᾽ ἔργον ὡς πάρεργον ἐκπονούμεθα,
Quod est parergon expedimus tanquam opus,
Opus parergon rursus esse credimus.

Sed an Delius vates faverit mihi in hac conjectura, qua fretus per arborem felicem laurum intelligendam dixi, senatum Criticorum arbitrum capio. Missa igitur pro Strena fuit præcipue *laurus*, quæ sacra Apollini est. Nec id silentio prætereundum, quod Alexander Sardus pro testimonio dicit hujus rei: *Calendis*, inquit, *ipsis anni & Januarii mensis Magistratus solennem purpuram induunt: populus sacra votaque faciunt: thus apponunt laribus, Jano caricas, caryotidas, & mella: postes lauro ab amicis misso coronant*. Idem etiam ex plurimis unam caussam affert & explicat, quam propter anniversario hoc in munere dando laurus adhibeatur Apollinaris: *Etenim mittunt*, ait, *& numismata Magistratibus, laurum etiam, quod Apollini Medicinæ Deo sacra salutem afferre credatur*. Quamdiu certe *non pudor in stipula*, quod ait Poeta [4],

Placidam cepisse quietem,
Et fœnum capiti supposuisse, fuit;

& verbenæ & laurus placuerunt adeo quidem, ut *argenti lamina crimen haberetur*: o tempora! o mores! in ipso auri contemtu plane aurei,

At postquam Fortuna caput extulit Urbis,
Et tetigit summo vertice Roma Deos,

quæ prius arboreæ ac laureæ erant verbenæ, factæ fuerunt a posteritate, ut recenset Metellus, aureæ: dubium luxu-ne dantis, an avaritia accipientium. Hic sane scrupulus Symmacho fuit, cum Theodosio & Arcadio Imperatoribus Strenam deferendo eos ita proloqueretur [1]: *Sumite defensores publicæ salutis solemniter auro ducta munuscula; non quia divitiis metalli honore gaudetis, sed ut nostra devotio felicis seculi testetur opulentiam*. Non hic tamen pro ductis auro munusculis sunt verbenæ aureæ intelligendæ: majus quiddam a Scriptore significatur: id quale sit nec ego assequor, & alius fortasse me acutior divinare potius quam affirmare potest. Sed hæc lusi: nunc serio. Datæ sunt pateræ aureæ pro iis verbenis, quæ antea ex arbore dabantur decerptæ. Μεταμορφώσεων quidem hanc vel ipse ignoravit Ovidius, eximius τῶν μεταμορφώσεων Architectus: sed audiamus Symmachum [2] se ipsum explicantem: *Merito vobis solemnes pateras cum quinis solidis ut numinibus integritatis offerimus; quibus nec vester pudor, nec noster census oneratur*. Novit ipsa veritas quam vere hoc dictum: sed bene factum, quod ipsi Imperatores Strenam modo strena compensantes, modo provocantes, numismata sive ἀγάλματα & τορεύματα dederint, in quibus ipsorummet cælata & incisa effigies: & quamobrem Symmachus cum ab Arcadio & Theodosio Augg. Strenam accepisset, per hæc verba utrique gratias agit [3]: *Quid potissimum prædicem? promtam-ne numinis vestri & celerem largitatem? an circa absentes memorem diligentiam, an quod sacrum munus auxistis honore verborum? Dicam ut res est, curasse clementiam vestram, ut alloquiis Principum fruerer, & augusta in ipsis donis ora venerarer: Quando mihi continget expressa potius & viva gaudia capere de vobis? Quantum veritatis* * *est bonum, cujus species & imago mirabilis est?* Itaque numismata ejuscemodi, pro calendario munere data, imagine signabantur ipsorummet Imperatorum:

[4] *Quod quoniam docui, pergam connectere rem, quæ*
Ex hoc apta fidem ducit.

Atqui Corippus Africanus apparatum Strenæ, quam Justinus Cæsar dare cogitabat, sic describit [5]:

Dona Calendarum, quorum est ea cura, parabant
Officia, & turmis implent felicibus aulam;
Convectant rutilum sportisque capacibus aurum
Adcumulant, onerantque locos, quibus altior ipsa
Stella triumphalis firma statione locata
Jam fuerat, nondum claro tunc Consule plena.
Hinc vetus argentum formas speciesque novatum
In varias, pressum titulis sculptumque figuris.
Excelsis portant humeris, magnisque laborant
Ponderibus, justæque graves funduntur in unum,
Utraque materies in magnos surgit acervos.

Erant hæc numismata ex argento & auro facta: materia scilicet digna, quæ vultus & figuras refer-

1 Lib. 1. til. *de Tabulariis*. 2 Lib. 10. capite 15. 3 Athenæus libro 5. cap. 1. 4 Ovid. lib. 1. *Fast.* vers. 205.

1 L. 10. epist. 35. 2 Eadem epist. 3 Lib. 10. epist. 27. 4 Lucret. lib. 2. vers. 521. 5 Panegyr. Just.

* Alii rectius, *veritas*.

ferret Cæsarum. Dati etiam pro Strena nummi, qui principio ærei, mox aurei fuerunt; testis Ovidius [1],

Æra dabant olim; melius nunc omen in auro est:
Victaque concessit prisca moneta novæ.

Sed libet in ea re, de qua salivosas aquas antiquario Lectori commovisse scio, meam nunc disputationem nonnihil sistere; libet, inquam, omnibus & indiciis & vestigiis latibula & abditissimos quosque recessus penetrare, ut quanam forma & figura fuerit is nummus, qui omnium primus pro Strena datus fuit, investigem simul ac probem. Cum igitur ex hemistichio Ovidiano supra laudato liqueat æs prius, quam aurum, aut argentum, signatum fuisse, si auctorem ipsum signandi æris indicavero, recta certe via deducemur ad hujus cognitionem antiquitatis. Porro autem, si Polydoro Vergilio [2] fides, *æs Janus primus signavit*: atque, ut idem asserit Polydorus [3], *nota æris fuit, ex altera parte Janus geminus, ex altera rostrum navis*. Id quod certe P. Valerianus confirmat his verbis: *Janiculos plerosque nummos videas capitibus geminis, una cervice contentis, una parte signatos, altera navi*. Plenius tamen, cum ait hunc fuisse primum nummum cusum, & a Jano ipso signandi æris morem inventum. Sed est fortasse nonnemo, qui scire desiderat,

——— [4] *cur navalis in ære*
Altera signata est, altera forma Biceps?

is audiat Janum ipsum, qui breviter Poetæ verbis respondens,

Noscere me duplici posses in imagine, dixit,
Ni vetus ipsa dies extenuasset opus.
Caussa ratis superest: Tuscum rate venit in amnem
Ante pererrato falcifer orbe deus.
Hac ego Saturnum memini tellure receptum;
Cælitibus regnis ab Jove pulsus erat.
Inde diu genti mansit Saturnia nomen:
Dicta quoque est Latium terra, latente deo.
At bona posteritas puppim formavit in ære,
Hospitis adventum testificata dei.
Ipse solum colui, cujus placidissima lævum
Radit arenosi Tibridis unda latus;
Hic, ubi nunc Roma est, tunc ardua sylva virebat;
Tantaque res paucis pascua bubus erat.
Arx mea collis erat, quam vulgus nomine nostro
Nuncupat, hæc ætas Janiculumque vocat.
Tunc ego regnabam, patiens cum terra Deorum
Esset, & humanis numina mista locis.
Nondum Justitiam facinus mortale fugarat;
Ultima de Superis illa reliquit humum.
Proque metu populum sine vi pudor ipse regebat.

Istud ipsum etiam quærit in suis *Problematis* [5] Plutarchus, & ait: „Cur antiquum numisma ab una „parte Jani Bifrontis imaginem, ab altera navis „aut puppim aut proram insculptam habet? an, „quæ vulgata est opinio, in honorem hoc fit Saturni navigio in Italiam advecti? aut hoc ei cum „multis aliis commune? nam Janus quoque, Evander, & Æneas mari in Italiam appulerunt. „Id profecto probabilius est, cum urbibus alia bono sint, alia necessitatibus inserviant: ac bonorum maximum sit bona legum constitutio, necessariarum autem rerum copia: quandoquidem Janus eis vitæ rationem tradidit ordinatam moribus „ad mansuetudinem redactis, abundantiam autem rerum necessariarum præbet fluvius, eas partim a mari, partim ex agris convehens. Ideo numisma monimentum legumlatoris quidem habuit „caput Bifrons ob mutationem, ut docuimus, factam; fluvii autem, navigium. Sed & Athenæus [1] Janum primum coronam, tumultuarios pontes, navigiaque invenisse ait, ac primum æreum nummum signasse; & complures idcirco civitates in Italia, & Sicilia bicipitem figuram in nummis imprimere: ex altera vero parte vel pontem, vel coronam, vel navigium. Ego tamen id potius refero ad Saturni hospitium cum Ovidio: quod etiam asserit P. Valerianus, auctoritatem tamen suscipiens Macrobii; ex quo quidem hæc nos ad verbum [2]: „Janus cum Saturnum classe pervectum „excepisset hospitio, & ab eo edoctus peritiam „ruris ferum illum & rudem ante fruges cognitas „victum in melius redegisset, regni eum societate „muneravit. Cum primus quoque æra signaret, „servavit & in hoc Saturni reverentiam, ut quoniam ille navi fuerat advectus, ex una quidem „parte suis capitis effigies, ex altera vero navis exprimeretur; quo Saturni memoriam etiam in posteros propagaret. Æs ita fuisse signatum hodieque intelligitur in aleæ usu, cum pueri denarios „in sublime jactantes, *Capita aut navim* lusu teste vetustatis exclamant. Pedem ponit in Macrobiano vestigio Aurelius Victor, cum de eodem Jano sic loquitur [3]: „Justum etiam usum signandi „æris ac monetæ in formam incutiendæ ostendisse „traditur: in qua ab una parte caput ejus imprimeretur, altera navis; unde hodie aleatores posito nummo opertoque optionem conlusoribus „ponunt enuntiandi, quid putent subesse, Caput aut navim. Nisi me conjectura fallit, ut certe non fallit, hinc ductus est ludus ille, quem nostri Insubres pueri ludunt in altum projicientes nummum, quem vulgo *quadrantem* vocant, & inclamantes *Crucem aut litteram*. Etenim numulus iste in adversa parte signatam ostendit *F* quadrata forma litteram, quæ Italice *Philippo* significat, supra quam litteram regia corona est frondem hinc inde emittens lauream, cum hoc dicto, *Rex Hispaniarum*: in altera vero parte, hoc est aversa, insigne conspicitur Provinciæ, sive, ut vulgo dicunt, Ducatus Mediolanensis; quod insigne hoc modo figuratur, orbis scilicet effingitur decussatus, & crucis speciem occupans, in quo propterea quatuor spatia constituuntur triangula: quorum primum & quartum aquilam habet; secundum & tertium serpentem: quæ omnia hoc dictum ambit, *Dux Mediolani*. Verum, id quod proposuimus, concludamus: cum primus omnium Janus æs signaverit; cumque in eo suam geminam faciem, & navim, aut navis ratim, exprimi voluerit; cumque etiam apud Ovidium de stipe Januaria interrogatus, hunc ipsum nummum navalem, sive, ut cum Festo [4] loquar, ratitum, descripserit; excepto quidem Carneade, qui de omnibus dubitare solet, nemo dubitabit, quin pro Strena datus fuerit omnium primus nummus cum Jano gemino, & navi, aut rati excusus.

1 Lib. 1. *Fast.* vers. 221. 2 De Invent. rer. lib. 2. cap. 20. 3 Ibidem. 4 Ovid. *Fast.* lib. 1. vers. 229. 5 Quæst. Roman. quæst. 41.

1 Lib. *Dipnos.* 15. cap. 13. 2 Lib. 1. *Saturn.* cap. 7. 3 Lib. *de Orig. Rom. gent.* 4 Lib. *de verb. sign.* verb. *ratitum.*

A Porro autem illud notandum est, quod Jurisconsultorum eruditissimus Barnabas Brissonius observavit [1]; navis scilicet *effigiem fuisse in asse; ratis vero in quadrante & triente*. Quod quidem verissimum esse iisdem pene verbis restatur S. Pompejus Festus. Ceterum in aliis nummis, qui ab Imperatoribus & Regibus dabantur pro Strena, eorum imprimebatur effigies, quemadmodum jam diximus factum in numismatis. Confirmat hoc magnus Aurelius Cassiodorus, qui de Strena sic loquitur [2] nomine Theodorici Regis: *Hanc liberalitatem nostram alio decoras obsequio, ut figura vultus nostri metallis usualibus imprimatur, monetamque facis de nostris temporibus* B *futura secula commoneie*. Adhuc affero nummos pro Strena datos; afferoque Ausonium Poetam mihi adstipulatorem. Sed differo tamen hominis verba ad rem præsentem facientia recitare: nam Palatinæ Academiæ Genius mihil vellit aurem & admonuit, ut ne illud indictum relinquerem; quod in ipso tantus Poeta, quantus Ausonius fuit, aliquando Menti ac Musis operatus fuerit docendo simul & dicendo. Ex quo factum, ut ego semper cives maxime laudaverim Mediolanenses, qui elegantissimi omnium Pictoris manu in ejusdem Academiæ prospectu ac facie depictum Ausonii signum ad ætatem nostram conservarunt; præsertim cum illi adjun- C cta sit marmorea tabula, in qua sic cælo scriptum legitur [3]:

HEVS VIATOR!
IMPERATOR. VALENTINIANO,
GRATIANO, VALENTE ET THEODOSIO, QVORVM TEMPORE DIVVS AMBROSIVS MEDIOLANENSI PRÆFVIT ECCLESIÆ IN CATALOGO NOBILIVM VRBIVM HIS VERSIBVS MEDIOLANVM CELEBRAVI:

[4] *Et Mediolani mira omnia, copia rerum,*
Innumeræ cultæque domus, facunda virorum
Ingenia, antiqui mores, cum duplici muro
Amplificata loci species, populique voluptas
Circus, & inclusi moles cuneata Theatri.
Templa, Palatinæque Arces, opulensque Moneta:
Et Regio Herculei celebris sub honore lavacri,
Cunctaque marmoreis ornata peristyla signis,
Mœniaque in valli formam circundata labro.
Omnia quæ magnis operum velut æmula formis
E *Excellunt, nec juncta premit vicinia Romæ.*

Sed tandem ad cœptam de Strenæ nummis disputationem revertor. Porro cum Ausonius esset eo tempore Quæstor, quo Imperatoris, puto Gratiani, nonnihil exaruerat liberalitas in largiendis Strenis Ursulo, Trevirorum Grammatico, sua effecit admonitione & opera, ut ne eum Cæsar munere ejusmodi fraudaret. Quamobrem sic Epistolam ad hominem scriptam inchoat [5]:

Primus jucundi fuit hic tibi fructus honoris,
Augustæ faustum munus habere manus.
F *Proximus ex longo gradus est, Quæstoris amici*
Curam pro Strenis excubuisse tuis.
Ergo interceptos regale numisma Philippos
Accipe.

Poterat quidem Ausonius *τὸ regale numisma* supprimere, cum nemo adeo ἵππος sit in litteris, ut *Philippeos*, sive *Philippos*, fuisse nesciat apud Romanos pecuniæ genus: ad cujus sane imitationem cum fuerit argenteus nummus apud Mediolanenses Regis Philippi signatus imagine, non alio quam Philippi nomine voluerunt illum nominari. Si quis autem dubitat de nummis pro Strena datis ab Imperatoribus & Regibus, binas hoc loco adpingam Inscriptiones, ex quibus patebit nummos eisdem datos ab aliis: unam exhibeo *:

LARIBVS. PVBLICIS. SACRVM.
IMP. CÆSAR. DIVI. F. AVGVSTVS.
PONTIFEX. MAXIMVS
TRIBVNIC. POTESTAT. XVIIII.
EX. STIPE. QVAM. POPVLVS. EI
CONTVLIT. K. JANVAR. ABSENTI
C. CALVISIO. SABINO.
L. PASSIENO. RVFO. COS

Ecce, inquam, unam habes: alteram bona fide produco †:

IMP. CAESAR. DIVI. F. AVGVSTVS
PONTIFEX. MAXIMVS
IMP. XIII. COS. XI. TRIB. POTEST. XV.
EX. STIPE. QVAM. POPVLVS. ROMANVS
ANNO. NOVO. ABSENTI. CONTVLIT
NERONE. CLAVDIO. DRVSO
Q. QVINTIO. CRISPINO COS
VOLCANO

Nec veteri cuiquam licet, quin in iis fiat sermo de Strena: id quod quidem, si nihil aliud, ea verba indicant, in priore Inscriptione, CONTVLIT K. IANVAR. & in posteriore illa, ANNO NOVO. Quod vero ad nummos pertinet, eos assero per vocem *stipis* in hisce Inscriptionibus expressos. D Nec hoc quidem sine fundo loquor; Veteres enim, referente Sext. Pomp. Festo [1], *stipem dicebant pecuniam signatam quod stipatetur: ideo stipulari dicitur is, qui interrogatus spondet stipem, id est, æs.* Fortius dico quod assero; nam Togatorum doctissimus Varro mire in hunc sensum [2], *stipendium a stipe dictum, quod æs quoque stipem dicebant*. Sed recitemus, quæso, quæ sequuntur a nostro non aliena proposito: *Quod asses libræ pondo erant, qui acceperant majorem numerum, non in arca ponebant, sed in aliqua cella stipabant, id est, componebant, quo minus loci occuparet, a stipando stipem dicere cœperunt. Stipare ab στείβειν fortasse Græco vocabulo. Id apparet, quod ut alias, tum institutum etiam nunc, Diis cum thesauris asses dant, stipem dicunt: & qui pecuniam alligat stipulari, & restipulari. Milites stipendiarii ideo quod eam stipem pendebant; ab eo Ennius scribit, Pœni stipendia pendunt. Ab eodem ære impendendo dispensator, & in tabuleis scribimus expensum.* Itaque in harum alterutra inscriptionum per stipis nomen ea Strena intelligenda est, quam Imperatores a Populo acceptam, sive fraudem avaritiæ fugientes, sive laudem sequentes liberalitatis, aut pietatis, in signorum dedicationem aliquando impendebant. Eaque re Dio Cassius Nicæus commemorat [3] signum novum Concordiæ abs D. Augusto constitutum ex Strena sibi a S.P.Q.R. Kalendis novis concessa. Sed quid plura de his? præter verbenas arboreas & aureas, præter solidos, pateras, numismata, & nummos aut ex ære, aut puro puto ex auro factos,

1 Lib. 8. *de Form.* 2 Lib. 6. *Var. Form. Comit. sacr. largit.* 3 Ausonii verba in Tabula marmorea. 4 Ausonius in *Urb.* 5 Ep. 18.

1 *De verb. sign.* in V. *Stipem.* 2 Lib. 4. *de Ling. Lat.* in V. *Stipendium.* 3 Lib. 24.

* Apud Gruterum pag. CVI. num 4. † Ibid. pag. LXI. num. 1.

de quibus supra disseruimus, alia etiam pro suo quisque arbitrio, pro suo censu, dabat ac mittebat pro Strena. Quod ne gratis a me dictum existimetur, Herodiano testimonium denuncio: audite, sultis, hominem: *Cum hunc diem festum* (nempe Calendarum) *civitas*, inquit [1], *agitaret*, *in quo Romani invicem se colunt*, *salutantque*, *& numismata alter alteri*, *ceteraque omnifariam munera missitant*, *summique Magistratus conspicuam sibi & solemnem purpuram induunt*, *Universis diem celebrantibus Commodus*, *non quidem ex Imperatoriis* (*ut mox erat*) *ædibus*, *sed ex ipso gladiatorio ludo prodire in publicum*. Sed cum non nunquam ego observarim Plinium [2] quærere, *Cur primum anni incipientis diem lætis precationibus invicem faustum ominamur*? illud facile credo fuisse in more positum apud Romanos, ut ejuscemodi munera lætis illis precationibus subsequerentur; vicissim vero ea prospera læta, & bona verba, quorum frequens apud Ovidium fit mentio, illarum sive precationum, sive acclamationum, fuisse propria existimo, de quibus profecto aliquid plenius disputarem, nisi de priscis Romanorum acclamationibus justum volumen esset propediem emissurus, vir omnis antiquitatis & Ecclesiasticæ imprimis eruditionis peritissimus, Franciscus Bernardinus Ferrarius meus: cujus ego voluminis cum unum Caput manuscriptum semel percurrens delibarim, vix dici potest, quanta tenear ac flagrem cupiditate Libri totius perlegendi: nec tu quidem, mi Lector, frustra a me salivosas aquas commotas dices, cum illum pervolutaveris, cum perlegeris: vincet enim, vincet, mihi crede, in eo Opere plane aureo doctissimus Ferrarius & omnem exspectationem tuam, & omnem prædicationem meam.

SYNOPSIS CAP. VIII.

Strenam qui darent, *quibusnam*. *Caligulæ Edictum de Strena*. *Data Augusto absenti Strena in Capitolio*: *hoc a T. Tatio Rege Urbi additum*. *Simulacra Deorum ex Strena dicata*. *Septimontium dies festus Romanis*: *qua caussa*. *Idem etiam muneris genus*.

MEtellus Poeta in illo eodem Carmine, quod de Strenis elucubratum semel, iterum, ac tertio laudavi, sic ait [3],

Illas nobilitas Cæsaribus piis,
Rex dignis Procerum dabat.

Unde colligi nullo negotio potest, quod mutua fuerit inter ipsos Principes & Populum Strenarum missio. Possem liquidius hoc ipsum probare, si ea vellem hoc loco repetere, quæ paulo supra de verbenis arboreis aureisque, de pateris & numismatis, deque nummis & aliis munerum generibus ultro citroque missis, ex Cassiodoro & Symmacho, atque ex Herodiano & Ausonio descripsimus, sed nolo actum agere: tantum dicam compendio, quod Reges & Imperatores Magistratibus & Populo, Præfectis Urbis, & Professoribus Strenam miserint: quod ab iisdem vicissim acceperint: quod denique in ea æterna Urbe mutuus & amœbæus fuerit Strenarum usus inter ipsos cives, inter amicos: quo quisque

1 Lib. 1. *Hist.* cap. 49. 2 Lib. 28. *Hist.* cap. 2. 3 In *Quirinalibus*.

A autem ingenuus magis erat, eo etiam promtiorem se & paratiorem ad dandam Strenam præstabat, quam ad accipiendam. Sed non hoc fuit C. Cæsari Caligulæ ingenium, qui, non eo contentus, ut oblatam aliorum liberalitate Strenam acciperet, non datam petiit, & quidem per Edictum. Auctor Suetonius, cujus appingam hoc loco verba, ne quid, ab eo non dictum, affingere Suetonio videar: *Edixit*, ait [1], *& Strenas ineunte anno se recepturum*: *stetitque in vestibulo ædium Kalend. Januariis ad captandas stipes*, *quas plenis ante eum manibus ac sinu omnis generis turba fundebat*. Plane Caligula *aurum Imperii*, ut ait ille meus [2], *non laurum amans*, se
B hoc traduxit Edicto, qui quasi miles potius in caliga, quam Imperator esset in purpura, tam putide stipem emendicarit: eo igitur Tiberius laudabilior, qui, ut testis est idem Suetonius [3], *consueverat quadruplam Strenam de manu reddere*: licet postea *offensus interpellari se toto mense ab iis*, *qui potestatem sui die festo non habuissent*, *ultra non reddidit*. O bene factum! Sic mulctandi, qui sua munera fenerantur, & suam omnino, ut Plautus ait, cauponantur liberalitatem. Etenim non ita pauci sunt, qui in dandis muneribus Comicum solent Pompon. imitari in *Pistoribus*: quippe si quid ille largiebatur,
C hoc sibi ipse occinebat [4]: *Aside*, *si qua ventura est alia Strena Strenæ*. Muto dictum, arbitror eum nihil de suo dedisse unquam, & post unam acceptam Strenam semper alteram quæ offerretur exspectasse. Sed has mittamus hominum sordes, ne charta de Cæsaribus adhuc locutura nimis obscœnetur. Ad rem redeo.

Octavius Augustus usque eo diligebatur a Romanis, ut etiam absenti fuerint datæ Strenæ: quod majus aut amoris aut reverentiæ desiderari poterat argumentum? atqui, referente Suetonio [5], *omnes ordines in Lacum Curtii quotannis ex voto pro salute ejus stipem jaciebant*: *item Kalendis Januariis Stre-*
D *nam in Capitolio etiam absenti*: *ex qua summa pretiosissima Deorum simulacra mercatus*, *vicatim dedicabat*. In his autem Augustalis Historici verbis unum observo non temere prætereundum, quod certe per imprudentiam prætermissum, cum eas Inscriptiones describeremus *, in quibus stips pro Strena posita. Illud autem est, quod præcipuus apud Romanos locus, ubi munera ejuscemodi a Populo darentur Principi, fuerit Capitolium; in honorem, existimo, Tatii Regis, ultimi Strenarum auctoris: etenim *Capitolium non a Romulo*, *sed a Tatio additum Urbi credidere* [6], cum ante Tatium sex tantum fuerint montes in orbe Urbis: postquam vero Ca-
E pitolium septimus mons Romano fuit inclusus pomœrio, diem festum celebrarunt nomine Septimontii: de quo Festus [7]: *Septimonoio*, *ut ait Antistius Labeo*, *hisce montibus feriæ*. *Palatio*, *cui sacrificium*, *quod fit*, *Palatuar dicitur*. *Veliæ*, *cui item sacrificium*. *Faguali*, *Suburæ*, *Cermalo*, *Oppio*, *Cælio monti*. Eodem etiam Septimontii die Romani sese mutuo munerabantur: unde Tertullianus [8], *Strenæ captandæ & Septimontium*, *& brumæ*, *& caræ cognationis honoraria exigenda omina*. Nec alio quidem sensu τὸ ὄνομα Septimontium est accipiendum, quam pro munere eo die da-
F tum.

1 In *Caligula* cap. 42. 2 Thesaurus Elog. XII. Cæsarum. 4 In *Tiber.* cap. 34. 4 Non. Marcell. lib. *de Propr. Serm.* cap. 1. in V. *Strena*. 5 In *Octavio* cap. 57. 6 C. Tacitus *Annal.* lib. 12. cap. 24. 7 In V. *Septimontio*. 8 Lib. *de Idololatria*.

* Sup. pag. 1432.

Sed quando a Capitolio ad Septimontium, Romanorum veterum * commendantes verissimo eulogio, nonnihil divertimus, ad ipsum redeamus Capitolium, ut simul ad Strenam in eo datam: Gui dus Pancirolus Jureconsultus & idem Philologus admodum elegans, *Vetus*, dixit [1], *institutum fuit, ut Kalendis Januarii etiam absenti Augusto Strenam in Capitolio darent*. Sed hæc plane ex Suetoniano præscripto. Longius ego progredior mea dictione, & assero, consuetudinem viguisse, ut Imperatores ipsi Strenam darent Urbis Præfecto, Strenam & ab eodem vicissim acciperent. Quod dederint, ex his patet Symmachi verbis [2] ad Theodosium & Arcadium Imperatores, a quibus ante Kalendas fuerat missa Strena; *Felix mehercule seculum, quo Principes cohibere diu nesciunt tribuenda devotis*. Et paulo infra; *Ago igitur atque habeo gratias, & meam vicem, qui solvendo non sum, cœlestibus delego virtutibus; illæ clementiam vestram dignis processibus numerentur*. Quod acceperint, idem ut testatur Symmachus [3]: *Sumite defensores publicæ sanitatis solemniter auro ducta munuscula: bonis Principibus bene parta libamus: suscipite a Judicibus aperta obsequia, qui pretia occulta damnatis*. Et mox in clausula Epistolæ, ubi ista leguntur, *libenter Strenis solemnibus Præfectura fungetur, strenuis deferendis*. Quid igitur? non viris solum strenuis Strena defrebatur, sed illam ipsi imprimis viri strenui deferebant. Illud quoque notandum est, quod amplissimo Senatorum Ordini habitus hic honos fuerit, ut omnium primi in Strenarum distributione munus acciperent ab Imperatore. Ad quem sane morem Corripus Africanus respexit, cum in *Panegyrico Justini minoris Cæsaris* statim post explicatum descriptumque Strenarum apparatum sic cecinit;

Inde Senatorum sacro recitantur ab albo
Nomina, conscripti Patres, qua voce citati
Accedunt hilares, subeuntque altissima sedis
Culmina, prætendunt dextras, & præmia sumunt
Consules & mundi Domini, donisque superbi
Fulvo plena ferunt argentea vasa metallo.

Porro autem, ut Victor ait [4], *Senatus ob festa Januariorum frequens prima luce conveniebat*. Nec vero Cæsares voluerunt ut bonarum artium Professores honore isto Strenæ carerent. Quod quam verum sit, tu fac, quæso, dicas, Ursule Trevirorum Grammatice? namque [5]

Primus jucundi fuit hic tibi fructus honoris,
Augustæ faustum munus habere manus.

Addam illud ego certe cum eruditissimo V. Josepho Scaligero [6], quod etiam *mos iste erat Imperatoribus, ut quotannis Strenas amicis darent*. Quem morem universa Romana Civitas imitata est: civis enim civem, amicus amicum, patronum cliens, & Ordinem Ordo, ejusœmodi auspicalibus donis in ipso anni vestibulo prosequebantur. Neque mihi hoc credi postulo, sed Historico Herodiano, qui ita de hac re loquitur, Politiano Interprete [7]: *Hunc diem festum* (id est, Calendarum anni) *Civitas agitat, in quo Romani invicem se colunt, salutantque, & numismata alter alteri, ceteraque omnifariam munera missitant*. Ex his certe nemo non intelligit, quam eleganter pro mutua hac largitione Strenarum commercium dixerit in *Tiberio* Suetonius.

1 Thesaur. *Var. Lect.* lib. 2. cap. 34. 2 Lib. 10. epist. 27. 3 Lib. 10. epist. 35. 4 In *Commodo*. 5 Auson. *epist.* 18. 6 *Lect. Auson.* lib. 2. cap. 24. 7 Lib. 1. *Histor.* cap. 49.

* Vox *liberalitatem*, vel *largitionem*, videtur excidisse.

SYNOPSIS CAP. IX.

Calendæ anni Strenis dicatæ: quæ primo seculo Martiæ, non Januariæ. In honorem Jani datæ Strenæ: qua caussa Janus annorum sator; portarum custos; rector viarum; primus omnium in sacrificiis vocatus: admissionalis ad alios Deos. Pater appellatus; Jovi præmissus; Bifrons, Biceps, & Biformis dictus ac simul pictus; Clusius, Patulcius, & Junonius appellatus. Geminæ portæ templi Jani: templum Jani quadratum. Janus Quadrifrons: Jani manus signatæ numeris: ejusdem dextra cum baculo, cum clava sinistra. Figmentum numerorum, baculi, & clavis, explicatum.

NUnc recte atque ordine facturus videor, si ostendero, qua præcipue anni tempestate Strena ipsa daretur. Etenim abunde satis explicatum arbitror, quinam eam darent aut acciperent; quidque rerum pro Strena donaretur. Sed promissionem hanc meam ære solvam petito e thesauris Symmachi; ejus hæc verba [1]: *Calendas, anni auspices, quibus mensium recursus aperitur impertiendis Strenis dicavit Antiquitas*. Animadvertas tamen hoc loco velim, per Calendas anni non esse Januarii Calendas intelligendas, sed ipsum principem anni diem, in quem, ante additum anno Januarium, Martiæ incidebant Calendæ. Nam [2],

Martis erat primus mensis, Venerisque secundus;
Hæc generis princeps, ipsius ille pater;
Tertius a Senibus; Juvenum de nomine quartus;
Quæ sequitur numero turba notata fuit.

Qua de re paulo infra alio capite sumus nonnulla dicturi; iterum nunc repeto, Calendas, anni auspices, hoc est, Calendas Martias, impertiendis Strenis fuisse dicatas [3]; in honorem scilicet Jani. Ast rogabit aliquis, quid ita? quia priores Calendas Janus aperiebat; & idem quoque, ut lepidissimus Poetarum inquit [4], *annorum sator* credebatur. Porro autem prisca illa Romanorum Antiquitas, omnis omnino expers veritatis, tantum huic ΨΕΤΔΟΘΕΩ tribuebat, ut [5] *cum in omnibus rebus vim haberent maximam prima & extrema, principem in sacrificando Janum esse voluerit*: ut illi, quod ait Fabius Pictor [6], *in omni sacrificio perpetuam Præfationem præmiserit*: ut *Janum viam mortalibus*, quod ab Arnobio [7] dicitur, *pandere ad Deorum audientiam* crediderit; ut eum cognomento *Patris* ornaverit [8]: ut Janum denique ceteris Diis, atque adeo Jovi ipsi, præposuerit [9]. Verum ad ea properemus, quæ sunt proposito argumento conjunctiora. Anno ineunte diem Romani festum agunt ad Janum vetustissimum Italiæ Deum referentes, in quo initium anni more suo concelebrant: in quo invicem, ut repetam quod alibi cum Herodiano [10] dixi, sese colunt, salutant-

1 Lib. 10. epist. 27. 2 Ovid. lib. 1. *Fast.* vers. 39. 3 Symmach. lib. 10. epist. 27. 4 Martial. lib. 10. epigr. 28. 5 Cicero lib. 2. *de Natura Deorum*. 6 Lib. 1. de Jano. 7 Lib. 4. *adv. Gent.* 8 Aurel. Victor. *Breviario Hist. Romanæ*. 9 S. August. lib. 7. *de Civitat. Dei* cap. 9. 10 Herodian. lib. 1. *Hist.* cap. 49.

que, & numismata alter alteri, ceteraque omnifariam munera missitant: atque hæc omnia ad Janum referenda sunt; cujus caussa a Romanis sunt facta, non me fugit, quod is fuerit a Virgilio [1] *Bifrons*, ab Ovidio [2] *Biceps* & [3] *Biformis*, a Plutarcho [4] *Geminus* appellatus, atque etiam gemina facie ab ipsis Pictoribus & Plastis effictus, quia

I. Quæ ante quæque post tergum sunt intuetur [5]

II. Superum atque Inferum Janitor est [6].

III. Præterita scit ac futura providet, [7].

IV. Introitum anni & exitum demonstrat [8].

V. Ferum vivendi genus cum civili commutavit [9].

VI. Belli, & pacis custos habetur [10].

Hac quidem præcipue causa Clusii & Patulcii cognominibus in sacris vocabatur, quia bello valvæ ejus paterent, pace clauderentur:

> [11] *Scilicet alterno voluit rudis illa Vetustas*
> *Nomine diversas significare vices.*

Verum da hoc mihi, Lector benevole, ut tua cum bona venia possim hoc loco per compendium repetere nonnulla, quæ proximis superioribus diebus in Palatina Academia de Jani templo disserui, ut de more Philologorum πάρεργον aliquod ad Aristotelicas interpretationes meas adjungerem. Cum forte fortuna in Jo. Marii Matii, viri sane ingeniosissimi, *Annotationum* Librum incidissem, primumque ejus caput perlegissem, in quo contendit ita hoc Virgilii carmen legendum [12],

> *Sunt Gemini belli portæ, sic nomine dicunt,*

veterem lectionem hoc modo conceptam, *sunt geminæ belli portæ*, asserendam mihi putavi. Is autem ut suam confirmet sententiam, Paterculum [13], Julium Capitolinum [14], Suetonium [15], Florum [16], & alios laudat, apud quos Janus Geminus appellatur, apud quos, inquam, Geminus perpetuum est cognomen Jani; quod sane nemo sanus aut nescit aut negat. Idem igitur Matius postquam eorum Scriptorum auctoritatem suscepit, verbaque ipsissima recitavit: *Hæc satis*, inquit [17], *probant Geminum cognomen fuisse Jani, cujus templum conditum fuit, ut clausum pacis, apertum belli esset argumentum*. Mox vero cum Prisciano, Porphyrione, Horatio, & Plutarcho, *belli portas* esse nomen templi Jano sacrati asseverat; in quo ei certe assentiuntur omnes: & easdem quoque voces *belliportas* pro uno nomine accipiendas mordicus ait: in quo fortasse non pauci cum eodem dissentiunt. Sed esto, *belliportæ* unica sit vox, perpetuumque sit Jani cognomen *Geminus*; non illud tamen necessario sequitur, ut existimandum sit Virgilium scripsisse, *sunt Gemini belli portæ*; quasi dixerit, *sunt Jani belli portæ*; ut *Gemini* cognomine Jani nomen intelligere voluerit. Hanc itaque Matii opinionem, ne quis imprudens adolescentulus imbiberet, & contra receptam lectionem in Virgilio legeret, *sunt Gemini belli portæ*, mea disputatione convelli. Argumenta autem, quibus hominem confutare conatus sum, primum ab eo petita fuerunt, quod nusquam *Geminus* sim-

A pliciter positus pro Jano reperiatur, sed contra semper cum ipso Jano conjunctus: deinde ex iis, quæ de Jani templo a priscis Scriptoribus sunt litterarum monumentis consignata: postremo ex veterum numismatum testimonio. Porro autem, referente Plinio [1] fuit *Janus Geminus a Numa Rege dicatus, qui pacis bellique argumento colitur*. De quo L. Florus his verbis mentionem facit, qua parte Historiæ de Numa disputat [2]: *Ille Ancilia, atque Palladium, secreta quædam Imperii pignora, Janumque Geminum fidem pacis ac belli; in primis focum Vestæ virginibus colendum dedit*. Sed nemo dubitat templum hoc fuisse Jano a Numa Rege dicatum; hoc amplius quærendum, an ejusmodi

B templum duas portas habuerit, ut recte & ordine statuere possimus, retinendam veterem & receptam lectionem in Virgilio. Atqui opportune admodum nunc mihi Plutarchi [3] verba hæc de Jano loquentis in memoriam redierunt: *Est ejus templum bifore, quod Martis Januam vocant: hoc aperiri bello, & claudi pace composita, solemne est*. De quo idem etiam, quantum ego recordor, sic ait [4]: *Tunc* (regnante Numa) *Jani bifores portæ, quam Belli portam vocant, clausæ sunt: aperiebantur enim cum esset bellum, pace facta claudebantur*. Nec certe Procopius locum relinquit dubitandi, quin per

C duas portas in Jani templum iretur, cum illud sic describat [5]: Per id tempus Romani quidam Jani fanum aperire foribus vi occulte illata tentarunt. Hic Janus Deorum antiquissimus fuit; cujus foro in medio & ex adverso Capitolii sacellum exstat, paulo super eum locum, quem nunc Romani tres Parcas appellant. Id vero Jani sacellum totum ex ære constructum fuisse sat constat, & quadrata quadam dimensione locatum, tantæque amplitudinis, quanta integi Jani statua poterat: quæ utique & ipsa cum ænea sit, non plus quam quinquepedalis esse apparet, per cetera omnia mortali similis; capite duntaxat bifrons, ita ut fa-

D cies altera in orientem Solem divergat, in occidentem altera. Portæ utrinque & æneæ, in faciem alterutram versæ, quas ferme in pace & prosperis rebus occludi Romani veteres quondam instituerunt; contraque aperiri, dum interea bellum his esset. Addere vero etiam libet Philologorum auctoritati, Historicorumque fidei, tanquam auctarium super numerum, P. Statii Papinii locum [6] in quo,

> *Ipse etiam immensi reparator maximus ævi*
> *Attollit vultus, & utroque a lumine grates*
> *Janus agit,*

E de XVII. Consulatu Germanici Imperatoris. Ceterum ut hac de re veritatem sub ipsos plane oculos subjiciam, duo hic Neronis numismata exstare dicam: quorum alterum templi januam ostendit in anteriori parte; alterum in posteriori. Ex quibus cum meridiana luce clarius appareat, quod Jani templum duas portas habuerit, omnino esse legendum censemus apud Virgilium [7],

> *Sunt geminæ belli portæ, sic nomine dicunt,*
> *Relligione sacræ.*

F Hoc itaque sic constituto carmine ad duo illa Jani cognomina, a quibus ad Virgilium defleximus, revertemur. Atqui Janum Historici appellant Patulcium & Clausium, sive Clusium, quia bello valvæ ejus patent, pace clauduntur: cujus rei profecto

1 Lib. 7. *Æneid.* vers. 180. 2 Lib. 1. *Fast.* vers. 65. & 230. & *de Ponto* lib. 4. epist. 4. vers. 23. 3 Lib. 1. *Fast.* vers. 89. & lib. 5. vers. 424. 4 In *Numæ Vita*. 5 Bud. *in Pandect.* 6 Macrob. lib. 1. cap. 9. 7 Idem ibidem. 8 Idem ibid. & Isidor. lib. 8. cap. 11. 9 Plutarch. *Rom. Quæst.* 22. & 41. Ovid. *Fast.* lib. 1. 10 Brisson. lib. *de Formul.* 11. Ovid. lib. 1. *Fast.* vers. 231. 12. Lib. 7. *Æneid.* vers. 607. 13 Lib. 2. *Hist.* 14 In *Gordiano Jun.* 15 In *Nerone*. 16. Lib. 1. cap. 4. 17 Annot. lib. 1.

1 Lib. 34. *Hist.* cap. 7. 2 Lib. 1. *de Gest. Rom.* cap. 2. 3 In *Numæ Vita*. 4 Lib. *de fortuna Roman.* 5 Lib. 1. *de Bello Gothorum.* 6 Lib. 4. *Sylv.* vers. 1. 7. Lib. 7. *Æneid.*

caussam eo libentius mitto narrare, quod recensetur copiosius a Macrobio. Nihil vero commemorabo, a quibus, quoties, & quo seculo clausum fuerit Jani templum, cum de utraque re frequentes differant Livius, Florus, Plutarchus, Suetonius, & quis non Scriptorum veterum? tantum igitur dicam ipse, decumanum fuisse Imperatorum elogium, si Janum clauserint: id quod sane posteritati modis omnibus testatum relinquere discupiebant. Quamobrem Cæsaris Augusti numisma cum templo Jani clauso, quod & Hubertus Golztius [1] & Levinus Hulsius [2] exhibuerunt in Libris suis, hisce præcipue notis insignitur; JAN. CLV. quamquam justa & integra formula ejuscemodi elogii in alterutro Neronis numismate habetur his verbis: PACE POP. ROM. TERRA MARIQUE PARTA JANVM CLVSIT. Et, PACE PO. ROM. VBIQVE PARTA JANVM CLVSIT. Hoc autem, ne quid dissimulem, me priores observarunt Barnabas Brissonius lib. 1. *de Formulis*, & Antonius Augustinus, vir æque doctrina atque dignitate clarissimus, quem sic aliquando scripsisse recordor [3]: *Servatus tunc, id est, belli tempore, ritus, ut templi Jani portæ aperirentur, quæ pacis temporibus claudebantur*. Quo & elegans Neronis pertinet numisma sic notatum, PACE P. R. TERRA MARIQVE PARTA JANVM CLVSIT: tametsi in aliis ejusdem Cæsaris nummis ubique pro illis *Terra Marique* cusum videamus: & quoniam Bicipitium cœptum est symbolum esse prudentiæ, & præsertim in Principe ac Rege, cujus munus singulare est præterita nosse, & futuris providere, percussum fuit numisma cum ejuscemodi Bicipitio, spicea corona præcincto, in honorem Commodi Cæsaris, qui in summa rei frumentariæ difficultate Rom. Civitatem ab omni annonæ inopia & caritate liberavit. Ceterum quod ad Cæsaris ejusdem figuram pertinet, volo, me tacente, ipse Janus ore edisserat Ovidiano [4]:

Omnis habet geminas hinc atque hinc janua frontes;
E quibus hæc populum spectat, at illa Larem.
Utque sedens vester primi prope limina tecti
Janitor egressus introitusque videt;
Sic ego perspicio cælestis Janitor aulæ
Eoas partes, Hesperiasque simul.
*Ora vides Hecates in tres vertentia * partes,*
Servet ut in ternas compita secta vias.
Et mihi, ne flexu cervicis tempora perdam,
Cernere non moto corpore bina licet.

Sed illud tamen addere etiam libet, Janum scilicet Bifrontem effictum fuisse [5], quia is pater Græcæ & Latinæ Gentis haberetur. Cum vero idem Janus Junonius diceretur, quia mensium omnium Calendas, quæ in Junonis ditione sunt, ipse teneret, nec solum Mundus, & Sol, sed etiam annus esse existimaretur, melius Romani homines se illi non posse gratificari arbitrati sunt, quam si eidem dicatas novi anni Calendas Strenis potissimum distribuendis concelebrarent. Quamobrem Metellus Poeta ingeniose admodum cecinit, quod olim Strenæ fuerint

—— Principibus probis
Jani principiis auspicio datæ
Fausto temporis omine,
Ut ferret ducibus Strenua strenuis
Annus gesta recentior.

1 Numism. Cæsar. 2 Serie Rom. Num. cap. 2. 3 Dialog. 5. Roman. Antiq. 4 Lib. 1. *Fast.* vers. 135. 5 Jo. Fungerus in *Etymologico*, Claud. Minois *Comment. in Alciat. emblem.* 78.

* Alii rectius, *vergentia*.

Quod si licet aliam caussam supra numerum adscribere, propter quam Bicipiti Janus pingatur imagine, ita effingi cum Herodiano [1] dicam, *ut a quo incipit & desinit annus*: cujus ipse non tam præses, quam numen, ut supra, Janus creditus fuit. Quod si non sat est innuisse, auctoritate confirmabo P. Valeriani [2], a quo Janus ubique anni Dominus decantatur: qui etiam, ut idem Valerianus recenset [3], Quadrifrons plerisque in locis informari solitus fuit, ut quatuor anni qualitates indicaret. Quamquam, referente Macrobio [4], *C. Bassus in eo Libro, quem de Diis composuit, Janum fingi ait Quadriformem, quasi universa Climata majestate complexum*. Critolaus vero, ut in Pierii *Hieroglyphicis* legitur [5], Jani simulacrum ideo quadrifrons figurari dicit, quod filiæ ejus quatuor laqueo gulam fregerint, Jani patris desiderio, quem agricolæ lapidibus obruissent: ab eo enim vino finitimis agricolis communicato, cum ii suavitate illecti plus æquo hausissent in somnumque prolapsi diu jacuissent, experrecti demum, venenumque sibi propinatum arbitrati, consurrexerunt in Janum, eumque lapidibus oppresserunt. Aliam quoque hujus quadriformis figuræ rationem idem Valerianus adfert, cum ait [6]: Cur Janus quadrifrons informetur, ea fuit caussa, quod illi rerum omnium principia finesque, introitus exitusque dedicati essent. Sed nos, quod magis ad rem nostram facit, amplectimur & asserimus, ita Janum fuisse figuratum, ut quatuor anni tempora designaret, præsertim, cum Joannes Sambucus in suis Emblematis [7] annum exhibeat expressum numismate, quod in medio orbe caput habet humanum aliis quatuor capitibus circumseptum: per quatuor autem illa capita quatuor anni tempora intelligit, quorum primum Ver, alterum Æstatem, tertium Autumnum, quartum Hyemem repræsentat. [8] Sed & captis Faliscis civitate Tusciæ inventum est simulacrum Jani cum frontibus quatuor. Præterquam quod Hadrianus Imperator numisma excudi jusserit, in adversa parte suo ipsius vultu signatum cum his litteris, HADRIAN. AVGVST. in aversa quadriformis Jani imagine cum his, COS. III. S. C.

Itaque ut ad rem redeam, Janus erat omnino anni Dominus: unde præclaro ac nobili commento ejus simulacrum, præter quadrifrontem aut geminam faciem, plerumque effingitur manu dextera CCC. & sinistra LX. & V. numerum tenente, ad demonstrandam anni dimensionem [9]: non eam tamen, quæ X. tantum mensibus absolvebatur, sed quæ XII. perfectior, non tamen secundum anni correctionem a Numa factam, quæ solum, ut alio capite docebimus cum Macrobio, fuit dierum CCCLV. Quamobrem etiam, quantum suo testimonio asserit Plinius [10], fuit *Janus Geminus ab eodem Numa Rege dicatus, qui pacis bellique argumento coleretur; digitis ita figuratis, ut trecentorum quinquaginta quinque dierum nota, per significationem anni, temporis, & ævi, se Deum indicaret*. Sed quoniam C. Cæsar, qui omnem inconstantiam temporum in ordinem statutæ definitionis coegit, ad numerum Solis, qui diebus CCCLXV. & quadrante cursum conficit, annum dirigere contendit, totidem etiam dierum numerus in Jani simulacro cœptus est exprimi. Ast aliquis fortasse, qui ex quadrante diei bissextum fieri quarto quoque an-

1 Lib. 1. *Hist.* cap. 49. 2 Lib. 4. *Hierogl.* cap. *de Anno*. 3 Lib. 3. 4 *Saturnal.* lib. 1. cap. 9. 5 Lib. 32. 6 Ibidem. 7 Lib. 2. de Nummis veteribus. 8 Lil. Gyraldus *Hist. Deorum* Synt. 4. 9 Macrobius lib. 1. *Saturn.* cap. 9. 10 Lib. 34. cap. 7.

no curiosius observat, dicet, posse etiam ita fanum figurari, ut dierum CCCLXVI. notam præferat manibus suis. Ego tamen hanc rem, sive litem, nolo meam facere; sed potius volo, ut ii hac de re judicium pronuncient, qui proprie sedent ad Puteal Libonis: porro autem ex Jurisconsultorum disciplina ac præcipue ex Celsi [1] sententia: *Cum bissextus in Calendis est, nihil refert, utrum priore an posteriore die quis natus sit: & deinceps sextum Calendas ejus natalis dies est: nam id biduum pro uno die habetur; sed posterior dies intercalatur, non prior*. Quod etiam si quis in cera & tabula sui testamenti hæc scribi jubeat [2]: *Stichus, si hæredi meo anno servierit, liber esto*: & ex Paulo Jurisconsulto quæratur, *annus quomodo accipi debeat; an qui ex continuis diebus trecentum sexaginta quinque constat, an qui bissexto?* certe respondebit, *superius magis intelligendum Pomponius scribit*. Quemadmodum igitur in Jure semper ex Glossographi notatione, tot dies habet annus, ut trecentis sexaginta quinque diebus constare censeatur; ita Philologi, nisi ex lege [3] esse voluerint, ccc. tantum & LXV. dies in Jani simulacro manuum gestibus significabunt: nulla prorsus habita ratione bissexti, cum *id biduum*, ut verba repetam Celsi, *pro uno die habeatur*. Quoniam vero de ejuscemodi Jani figura uno modo loquatur Macrobius, & alio Plinius, dubitari certe potest, fuerint-ne in Jani manibus χήματι Arithmetica descripta, an numerus CCCLXV. dierum expressus aliquo flexu digitorum, juxta Veterum dactylologiam confictο. Atqui Macrobius [4] cum simulacrum ejuscemodi describit manibus numerum tenens, occasionem præbet nonnullis [5], & quidem similem vero, suspicandi, quod in dextra insculpta fuerit littera T, quæ apud Græcos trecenta significat, in læva vero Ξ & E, quæ sexaginta quinque supputant. Sed hæc suspicio est, ut supra dixi, vero similis, non vera: itaque ductu & auspicio Plinii [6], qui simulacrum istud fuisse ait digitis ita figuratis, ut trecentorum quinquaginta quinque dierum (qui mox LXV. fuerunt) notam haberet, quanam ratione ii digiti figurarentur, ostendemus, declarabimusque. Principio autem profitemur, nos hac in re non doctrinam Bedæ [7], viri alioquin magna veneratione digni, non esse secuturos, qui *centum in dextera, quomodo in læva* x. *facit*, sed Irenæi Theologi potius exemplum amplexuros esse, qui *unitates sinistræ, centenariis dexteræ, & illius decades hujus millenariis* opponit. Præsertim cum Irenæi sententiam in hoc genere confirmarint sua imitatione Lucas Minoritanus [8], Pierius Valerianus [9], Johannes Noviomagus [10], & Lilius Gyraldus [11] meus. Itaque sic numerum trecentorum in Jani simulacro per digitorum flexum significabimus, ut dextera manus ungues indicis & pollicis blando conjungat amplexu; hoc est, summo indicis, pollicis summum ita exosculante, ut ipsa manus exporrecta tres inferiores digitos graduum in morem incurvatos habeat; sexaginta vero sic exprimemus, ut in læva sive sinistra index pollicis ungui circumductus, arctissima eum circulatione complectatur: & hoc quidem modo pollex adinstar T litteræ Græcæ inflectitur, & accubat ad radices digiti salutaris: accubaret etiam ad radices impudici, si minus in hoc Jani simulacro, ad quinarium notandum in eadem sinistra manu idem digitus, sive impudicus, sive infamis, sive denique verpus, ad volam contraheretur.

Nec fortasse alienum est dicere, quod Janus quoque cum virga & clavi [1], hoc est, ut cum Poeta [2] loquar,

—— *tenens baculum dextra, clavemque sinistra*

figuratur, non solum quia portarum custos, ut ait Macrobius [3]; & rector viarum habeatur; sed etiam quia mortalium vias, qui Æanus simul, ac Janus est, felicibus debet auspiciis dirigere, postquam illis

—— [4] *longum reseraverit annum*.

Nec certe Januarius tantum mensis, ut infra dicemus, suum nomen ab hoc ψευδοθεῷ,

—— [5] *a tergo quem nulla ciconia pinsit*,

sed janua etiam ipsa a Jano appellatur, cui Gentiles omnem introitum vel exitum sacrarunt [6]. Ex quo factum est, ut a Veteribus [7] *Janitrices duorum inter se fratrum uxores vocatæ fuerint, quasi eandem januam terentes*. Ab ejusdem quoque Jani nomine Philologi prisci & ritualium librorum Scriptores libum illud, quod Jano tantummodo libaretur, voluerunt *Janual* denominari [8]. Quod sane περιφραστικῶς ab Ovidio [9] describitur hoc carmine,

—— *cereale sacerdos*
Imponit libum, farraque mixta sale.

Nec vero Janual ejuscemodi, si ab appellatione discesserimus, hilum a mola differre perspiciemus. Etenim ex allata a Festo [10] hujus nominis notatione, *mola vocatur far tostum & sale adspersum, quod eo molito hostiæ adspergantur*. Sed, quæso, ad Jani figuram, a qua nonnihil deflexímus, redeamus.

Porro autem Pierius Valerianus triplicem caussam reddit [11], quam propter Janus cum clavi effingeretur: *Etenim præstat*, inquit *utrumque clavis, quod & cuneus & clavus: eadem aperit & claudit, hoc est, ligat & solvit: & in manu Jani præcipue statuebatur*. De qua Fabii Pictoris interpretationem afferemus, qui Janum dicit ad pudorem & sanctimoniam domorum primum valvas, feras, & claves excogitasse, ab eoque januas appellatas: unde claves in simulacris in beneficii hujus memoriam gestat. Alii dicunt securitatis ejus signum esse, quæ passim, eo regnante, fuit: domos enim omnium religione ac sanctitate munitas fuisse prædicant. Alii a cludendi aperiendique anni officio, quod munus ejus esse dici putabant, claves additas arbitrantur. Ego tamen constanter cum Ant. Constantio [12], Ovidii Interprete, clavem & baculum Jano tributam ajo, tanquam portarum custodi: nam utrumque idoneum est janitori, baculus ad vim repellendam, clavis ad claudendas & referandas fores. Sed tandem cum Jani Bifrontis clave hoc Caput claudamus.

1. D. de verb. signif. l. cum bissextum. 2 D. de statu liber. l. cum heres. §. Stichus. 3 D. ad l. Aquiliam l. ita vulneratus. §. æstimatio. 4 Lib. 1. *Saturn.* cap. 9. 5 P. Valer. lib. 37. cap. de num. 6 Lib. 34. *Hist.* cap. 7. 7 Lib. de computo per gest. digit. 8 Lib. de Arith. 9. Lib. 37. *Hierogl.* 10. Lib. *de Art. comp.* 11 Dialogismo 2.

1 Joan. Bertel. lib. de Deis gent. cap. de Jano. 2 Ovid. lib. 1. *Fast.* vers. 99. 3 Lib. 1. *Saturn.* cap. 9. 4 Ovid. lib. 1. *Fast.* 5 Persius sat. 1. vers. 58. 6 Isidorus lib. 15. cap. 7. 7 Idem lib. 9. cap. 8. 8 Festus V *Janual.* Ant. Januensis enarr. lib. 1. 9 Lib. 1. *Fast.* vers. 127. 10. V. *Mola*. 11 Hieroglyph. lib. 49. cap. de clave. 12. Comment. in Ovid. Metam. lib. 1.

SYNOPSIS CAP. X.

Annus X. *tantum mensibus primum : mox* XII. *addente Januarium & Februarium Numa : hujus facti ratio redditur . Pleni & cavi menses quinam ? Januarius mensium primus a Jano : janua & origo anni : æonarius & sæculorum pater, Januarius . Calendis Januariis Strena data in honorem Jani . Lex explicata . Cassiodorus illustratus . Strenarum usus damnatus , quia traductus in abusum . C. Cæsar Caligula a caliga dictus .*

IN ipso Urbis nascentis principio annorum spatium x. tantum mensibus conficiebatur: ita est, si modo Junio Graccho, Fulvio, Varroni, & Suetonio fides: hi certe omnes [1] *Annum vertentem Romæ* x. *mensium putaverunt fuisse ; ut tunc Albanis erat, unde orti Romani*. Sed qui hoc negant, iidem, puto, dicent meridie non lucere, aut nivem esse atram cum Anaxagora : etenim aperte istud ipsum Ovidius hoc carmine [2],

*Tempora dirigeret * cum conditor Urbis, in anno*
Constituit menses quinque bis esse suo.

Et videlicet ratione, inquit Lilius Gyraldus [3], *quod & mulieres totidem menses ferant , totidem funeris luctus pro maritis , & tot in manibus sint digiti*. Quæ sane momenta rationum Gyraldus sumsit ab ipsomet Poeta [4], qui ad duos superiores versus hosce quatuor adjunxit :

Quod satis est , utero matris dum prodeat infans ;
Hoc anno statuit temporis esse satis.
Per totidem menses a funere conjugis uxor
Sustinet in vidua tristia signa domo.

Unde autem illud de digitis collegerit Gyraldus ignoro, quod meo tamen suffragio probandun censeo. Porro in his decem anni mensibus, nec Januarius, nec Februarius numerabantur, qui postea a Numa additi: id quod sane si quis inficiabitur, verum esse Ovidii testimonio evincam : *At Numa*, inquit Poeta iste [5],

nec Janum , nec avitas præterit umbras ,
Mensibus antiquis præposuitque † duos.

Porro cum Romulus [6], „ut supra diximus, annum x. mensium, dierum vero IIII. & ccc. habendum esse constituisset; mensesque ita disposuisset, ut quatuor ex his unum & triginta, sex vero XXX. haberent dies ; sed cum is numerus neque Solis cursui, neque Lunæ rationibus conveniret, Romulum in regno secutus Numa L. dies addidit, ut in ccc. LIV. dies, quibus duodecim Lunæ cursus confici credidit, annus extenderetur. Atque his L. a se additis adjecit alios VI. retractos illis sex mensibus, qui triginta habebant dies, id est, de singulis singulos : factosque L. & VI. dies in duos novos menses pari ratione divisit, ac de duobus priorem Janua- A rium nuncupavit, primumque anni esse voluit, tanquam Bicipitis Dei mensem, respicientem ac prospicientem transacti anni finem, futurique principia. Secundum dicavit Februo Deo, qui lustrationum potens creditur : lustrari enim eo mense Civitatem necesse erat ; quo statuit, ut justa Diis Manibus solverentur. Hæc Macrobius. In quibus non tamen finis : etenim paulo post inquit [1] : „ Numa in honorem imparis numeri, secretum hoc & ante Pythagoram parturiente natura, unum adjecit diem, quem Januario dedit, ut tam in anno quam in mensibus, præter unum Februarium, impar numerus servaretur : B nam quia XII. menses, si singuli aut pari aut impari numero putarentur, consummationem parem facerent : unus pari numero institutus universam putationem imparem fecit. Itaque Numæ placuit, ut in Januario mense dies unus abundaret, ea superstitione, qua impar numerus quam par magis plenus ac magis faustus haberi, etenim ex Pythagoræ instituto creditum est [2]. Cum igitur Romuli tempore decem tantum menses numerarentur [3], quorum quatuor majores pleni menses vocabantur, quia a nominibus & ætate hominum seu Deorum fuerint denominati, reliqui vero sex cavi menses, quia a numeris no- C men acceperunt suum. Aliam certe hujuscemodi denominationis caussam non reperio; sed pluribus fortasse hæc a nobis disputata sunt quam oportuit. Totum igitur sermonem ad unum converto Januarium, quem non solum additum ceteris mensibus, sed omnibus etiam prælatum fuisse una cum Februario, dubitare nemo potest : nisi si quis Ovidium in eo carmine [4] minus verum arbitretur, quod paulo ante recitatum hoc loco repeto :

At Numa nec Janum , nec avitas præterit umbras ,
D *Mensibus antiquis præposuitque duos.*

Itaque præclare & simul clare admodum significavit Poeta, quod Januarius & Februarius ceteris x. mensibus fuerint præpositi. Hoc ipse addo, quod prælatus Februario Januarius, qui propterea *anni origo* [5] appellatur, quia in ipso anni principium, quanquam & in ejusdem principio ejusdemmet etiam anni limes ac terminus. Isidorus mire in hunc sensum [6] : *Jannarius mensis a Jano dictus, cui fuit a Gentilibus consecratus, vel quia limes & janua sit anni*. Quippe ab hoc mense cum anni in- E cipiant, & in eundem desinant, optimo jure Januarius, ut Lilius Gyraldus observavit, a Suida Æonarius mensis quasi pater τῶν αἰώνων, id est, *seculorum*, dicitur. Verum si regnante Romulo ipsis anni Calendis, quæ erant & mensis Martii Calendæ, tanta religio, ac potius superstitio, unius Jani caussa habebatur, ut prisci illi Romani & esse tantum existimarent

7 *Dicenda bono tunc bona verba die ;*

& Strenis eundem distribuendis concelebrarent ; F multo major sane caussa minoribus gentibus data est bonis ominibus festisque precationibus Calendas Januarias agitandi : quare magis ac magis Strenarum ista largitio invaluit, ex quo Januarius mensis ampliorem fecit cursum & orbem, anni ampliorem autem, illustriorem etiam & hilariorem. Quoniam semper hujus mensis Calendarum die

1. Censorinus *de Die natali* cap. 20. de annis Romanis. 2. Lib. 1. *Fast.* vers. 27. 3 Lib. 1. de annis & mensibus 4 Ovidius lib. 1. *Fast.* vers. 33. 5 Ibid. vers. 43. 6 Macrob. lib. 1. *Saturn.* c. 13.

* Rep. *digereret*. † Alii melius, *apposuitque*.

Idem ibidem. 2 Lilius Gyrald. lib. 1. de annis & mensibus. 3 Censorinus ibid. *de Natal. Die* cap. 20. 4 Lib. 1. *Fast.* vers. 43. 5 Idem ibid. vers. 65. 6 Lib. *Orig.* 5. cap. 33. 7. Ovid. lib. 1. *Fast.* vers. 72.

ab ejuscemodi largitione, ut ait Poeta [1],

—— jubar axe sereno
Emicuit, votisque pie sese obtulit orbi,
Lætificans cunctas felici lumine terras;

hinc certe factum, ut Anastasius Imperator aliquando dixerit[2]: *Vitæ hominum necessarium advocationis officium maxime principalibus præmiis oportere remunerari. Ideoque jubemus viros clarissimos fisci pro tempore Patronos fori tuæ celsitudinis solemni die festivitatis Calendarum Januariarum ipsius tantummodo anni, per quem tale peragunt officium inter spectabiles nostri consistorii Comites divinæ nostræ serenitatis manu puncta consequi solatia*. Etenim si Strena, ut Jo. Jac. Spiegel explicat [3], munus significat, quod Advocatis & amicis datur, non est profecto dubium quin hujus legis explicandæ lux sit petenda e Strenarum usu, quæ profecto datæ, ut Augustalibus verbis utar, *solemni die festivitatis Calendarum Januariarum*. Laudandus Accursius, qui cum alibi sæpe in Romana Antiquitate non tam peregrinari quam cæcutire videatur, in Glossemate ad hunc locum ait, *nota de Strenis*. Eadem face illustratur Cassiodori Epistola [4], in qua inquit, *supplicum per te fortunas exigimus; Calendis Januariis affatim dona largimur, & letitia publica militia tua est*. Nos quidem, nisi ἑρμηνείαν iratam habemus, per τὸ *Calendis Januariis dona largimur*, aliud nihil intelligendum asseveramus, quam Strenas damus. De quibus sane fit apertior & clarior mentio a meo illo apud D. O. M. deprecatore ac Patrono, Hieronymo sancto, his verbis [5]: *quod in corbonam pro peccato virgo, vel vidua, vel totam substantiam suam effundens quilibet pauper obtulerat, hoc in Calendariam Strenam, & Saturnalitiam sportulam, & Minervale munus Grammaticus & Orator, aut in sumtus domesticos, templi stipes, aut in sordida scorta convertit*. Quippe efferbuerat adeo libido ista Strenarum, ut eæ sine modo & sine modio ac radio darentur: unde etiam factum, ut perdite jacerentur simul & effunderentur. Ad hoc quidem respexit immortale illud Palatinæ Academiæ decus & Patronus, dictus Aurelius Augustinus meus, quanquam longissimo intervallo, Antecessor in Rhetorico munere, cum scripsit [6]: *Non observetis dies, qui dicuntur Ægyptiaci, aut Calendas Januarii, in quibus cantilenæ quædam & comessationes, & ad invicem dona donantur, quasi in principio anni, boni fati augurio: aut aliquot menses, aut tempora, aut dies, & annos, aut Lunæ Solisque cursum, qui has, & quascunque divinationes, aut fata augurio observat, aut attendit, aut consentit observantibus inutiliter & sine caussa, magis ad sui damnationem quam ad salutem tendit*. Sed non mihi propositum narrare, quod Strenarum usus fuerit improbatus aliquando, quia traductus in abusum; sed dicere, quod viguerit Calendis Januarii, quia illæ in potestate Jani, & anni principium: id quod plane arbitror probatum. Ceterum si omnes huc omnium auctoritates congerere velim, qui Calendis Januarii, post auctum hoc mense annum, datas fuisse Strenas testantur, nulla mihi cera, nulli pugillares, nullus stylus sufficeret, quanquam unum, alterum, ac tertium Suetonii locos, a me alibi indicatos, quasi præteriens attingam, in *Augusto* [7], *Calendis Januariis Strenam illi etiam absenti jactam* recenset. Diversa ratione de Caligula [8]: Imperatorem enim illum,

1 Corip. Afr. *Paneg. Justin. Cæs.* 2 C. de Advocat. divers. Judicium l. 4. laudabile. 3 Lex. Jur. 4 Lib. *Variar.* 6. epist. 7. 5 Decretal. distinct. 37. cap. legant 5. 6 Decret. 2. part. causa 26. quæst. ult. 7 Cap. 57. 8 Cap. 42.

A cui militare calciamentum non sine militari joco fecisse nomen observavit eruditissimus senex Julius Nigronus [1], magna & plane historica cum dicendi libertate sugillat, quod *steterit in vestibulo ædium Calendis Januariis ad captandas Strenas*. In *Tiberio* [2] narat, eum prohibuisse ne Strenæ *ultra Calendas Januarias exercerentur*. Primum autem horum locorum Beroaldus explicans ait, Populus Rom. Calendis Januariis, hoc est, anni principio, ex ritu vetusto Strenam dabat Augusto etiam absenti, quod erat specimen maximæ in Principem dilectionis. In alterum Levinus Torrentius [3], trium codicum scriptura fretus, scribit,
B Caligulam non *Calendis Januariis* in Suetonio legendum, sed *a Calendis Januariis stetisse in vestibulo ad captandas stipes*, ut pluribus eum stetisse diebus intelligamus. O facinus indignum Cæsare! sed eo tamen dignum, qui sit

—— [4] castrensis caligæ cognomine Cæsar.

Tertium vero Commentariographus * quidam dum vult interpretari, se ipsum traducit: cujus ego tamen nomini parco, ne libidine potius obtrectandi quam veritatis asserendæ studio videar
C disputare. In suis igitur ad Suetonium animadversionibus ipsissima hæc Suetonii verba describit *Kal. Januariis Strenam* [5], mox subdit in modum interpretationis: *Mos sub Augusto institutus, sub Tiberio intermissus, restitutus sub Cajo, sublatus per Claudium. Auctores Suetonius, Dio*. Impudens mendacium! ecquando unquam aut hic aut ille Strenarum morem sub Augusto institutum dixere, quem sub Tatio atque adeo ab ipsomet Tatio introductum fuisse certissimum est? Utrum, quæso, dum hæc scriberet, mens-ne hominem fugit, an memoria fefellit? siccus-ne erat, an madidus, dum strenue adeo de Strena mentiretur? Atqui
D ego recordor eundem Commentariographum sic aliquando in Athenæum [6]: *Recte enim scribit Athenæus Strenæ & morem & nomen ab antiqua traditione ductum esse veterum Romanorum*. Nec his contentus illud quoque addit cum Symmacho: *ab exortu pene Urbis Martiæ Strenarum usus adolevit, auctoritate Tatii Regis*. Sed hæc missa faciamus, ne hominem ego videar oblique pungere, qui certe sinistros sermones nec habeo unquam, nec audio libens.

E

SYNOPSIS CAP. XI.

Strena data etiam ante Calendas Januarias. Symmachi locus correctus. Strenæ nostris temporibus dici possent Natalitia: quæ caussa.

STatum & solemnem Strenarum diem Calendas fuisse primum, regnante Romulo, Martias, deinde Numæ temporibus Januarias, ex iis, quæ superioribus capitibus disputata a nobis sunt, omnibus satis arbitror liquere. Nunc eorum laudanda humanitas liberalitasque est, qui Strena-
F rum largitione ipsum Januarium anticiparunt; quippe Theodosio & Arcadio Imperatoribus scribens Symmachus Epistolam his plane verbis auspicatur [7] *Calendas anni auspices, quibus mensium*

1 Comment. in Suet. Aug. cap. 57. 2 Cap. 34. 3 Comment. in Suet. Caligul. cap. 42. 4 Ausonius tetrast. XII. Cæs. 5 Animadv. in Suet. Aug. cap. 57. 6 Animadv. lib. 3. cap. 18. 7 Lib. 10. epist. 27.

* Casaubonum intelligit.

recursus aperitur, impertiendis Strenis dicavit Antiquitas: hujus instituti usum munificentiæ festinatione prævertitis; seram putantes liberalitatem, quæ statis temporibus ammonetur. Ita quidem Vignoniana habet editio: quam mihi non suspectam solum facit, sed mendosam etiam esse facile persuadet Codex meus Parisiis impressus: in hoc *amovetur* lego: quod sane videtur mihi significantius ad Symmachianum sensum quam *ammonetur*: quanquam D. E. R. nihil certi ac deliberati C. judicium relinquens doctioribus auctoribusque.

Sed ad nostri actus scenam revertor, & adhuc affirmo Strenam ante Januarii Calendas distributam. Quod fortasse nostris hominibus suasit, ut adveniente Christi Servatoris tali die, qui octavus semper est ante Januarii & novi anni Calendas, munuscula invicem mittant, & stipem festam, quasi Strenam, vicissim donent. Adstipulatur meæ huic opinioni Beroaldus suo *Commentario ad Suetonii Historiam* [1], ubi sic scriptum reliquit: *Scito Strenarum nomine peculiariter significari munuscula illa, quæ Saturnalibus Christianorum passim dantur, & potissimum die Dominicæ Nativitatis*. Sed hui! pene me dispudet Beroaldi locum produxisse, verba recitasse, adeo meas aures offendit *Saturnalibus Christianorum*: impia nimis consecutio ab Ethnicis non mutuanda, & eisdem plane Ethnicis relinquenda: quid enim Saturnus filiorum vorator cum vera in Servatorem nostrum religione commune habet? [2] *Μὴ ὢν Σύρος μὴ σύριζε*, id est, *Syrus cum non sis, ne syrissa*, mi Beroalde: Christianus homo formulis utere in dicendo Christianis. Ego quidem ejuscemodi munera, quæ a nobis præberi solita sunt, instante Christi Natali Die, Natalitia potius quam Strenas dicerem, ut scilicet quod datur ad indicandam lætitiam ex Christi nascentis die festo susceptam, ab eodem etiam nominaretur. Non quia tamen Strenam, quæ a strenuitate deducitur, quicquam olere suspicer a nostra alienum religione; sed quia honorem sacro illi diei in hac etiam re licet exigua velim haberemus.

SYNOPSIS CAPITIS XII.

Strena data post Calendas: non tamen liberalitatis, aut humanitatis caussa, sed avaritiæ; qui mos damnatus, sublatus etiam.

EXpositum, explicatumque supra est, nonnullos distribuendis Strenis ipsis Januarii Calendis occurrisse: adeo fuit eorum impatiens moræ liberalitas. Ex iis vero, quæ hoc Capite narraturus sum, omnibus palam erit, quam egregie benignitati avaritia in hoc munerum genere sese adversariam constituat, ne minorem dominatum in humana vita quam ipsa liberalitas habere videatur: utinam autem ne majorem habeat! perpetuo maximam habitura: quippe si fœneratores ad medium Janum sederunt, nonnulli quoque ad medium Jani mensem, atque adeo ad mensis clausulam, Strenarum hanc largitionem exercuere, ut quam ipsi darent, copiosius acciperent. Quod antea scilicet in amoris aut honoris argumentum præbebatur, in quæstum transtulerunt & fœnerationem. Hoc autem cum ægre admodum Tiberius ferret, *probibuit Edicto*, ut cum Suetonio loquar [1], *ne ultra Calendas Januarias exerceretur. Consueverat quadruplam Strenam & de manu reddere; sed offensus interpellari se toto mense ab iis qui potestatem sui die festo non habuissent, ultra non reddidit*. Adde his, quod inquit Dio [2], *Tiberius Strenam a quibusdam oblatam non accepit, eaque de re Edictum proposuit*. Sed non hic de Tiberio finis a Dione: *Etenim fuit & alia causa*, inquit, *cur iis Calendis Januariis extra Urbem esset. Nempe ne hominibus anni auspicio & festo die occupatis negotium præberet, neve Strenas ab iis acciperet, quod Augustum fecisse improbabat: quia ea res multæ molestiæ*. Hactenus quidem cum Suetonio consentit Dio. In eo autem, quod sequitur, Tiberium sugillat avaritiæ, non ipsum Suetonium pungit: nam subdit [3], *Tiberium Strenas oblatas recusasse, quia illas accipere res multi in rependendo sumtus esset*. Incertum profecto, an Claudius eadem caussa commotus Strenarum oblationem, sub Augusto & Cajo usurpatam, Edicto sustulerit: hoc ex Dione [4] certum, quod sustulerit. Itaque in hoc festo & auspicali munerum genere sive fons liberalitatis ultra præscriptas Januarii Calendas redundaret, sive idem fons exaresceret ipsis Calendis, magnam sibi aliquando utriusque facti partem vendicabat avaritia. Ego quidem ita sentio; an recte, alii censeant: ita, inquam, sentio, ut non magis avarus, qui dat, ut accipiat, quam qui non accipit, ne reddat, habendus sit. Sed nihil ego ad hujus argumenti de Strena tractationem aut a me ipso addi aut ab alio quopiam posse arbitror desiderari. Itaque opportune admodum hic finiam: cum præsertim capitum numero mensium numerum adæquaverim. Quod & Macrobius [5] refert Jano XII. aras pro totidem mensibus dicatas; nos quoque eidem Jano, in cujus honorem Strena præcipue dabatur, felix totus ut annus eat, hæc XII. capita posuimus, diximusque.

1 *Octav.* cap. 57. 2 Arnob. lib. 6. adv. Gent.

1 In Tiberio cap. 34. 2 Lib. 57. *Rom. Hist.* 3 Ibidem. 4 Lib. 60. *Rom. Hist.* 5 Lib. 1. *Sat.* cap. 9.

FINIS.

INDEX AUCTORUM,

QUI IN HOC TOMO II.

laudantur, illuſtrantur, explicantur, vindicantur, emendantur, notantur, perſtringuntur, ac refelluntur.

A

B

C

D.

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

A

B

C

G

H

I

K

L

INDEX

M

N

O

P

Q

R.

S.

X

Z

FINIS.





